

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA
39. COMPLUTENSE. 2.
E. 60 C. 3 N. 5
Digitized by Google

Digitized by Google

13-1.
~~46-3~~
119-3-2

Digitized by Google

DER
Nº 10715

Revisado 1969.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIENS CHRISTIANUS,

IN QUATUOR PATRIARCHATUS DIGESTUS;

QUO EXHIBENTUR

ECCLESIÆ, PATRIARCHÆ, CÆTERIQUE PRÆSULES TOTIUS ORIENTIS.

Studio & opera R. P. F. MICHAELIS LE QUIEN, Morino-Bolonienſis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

OPUS POSTHUMUM.

TOMUS SECUNDUS,

In quo Illyricum Orientale ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum pertinens, Patriarchatus Alexandrinus & Antiochenus, magnæque Chaldæorum & Jacobitarum Diœceſes exponuntur.

PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DCCXL.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANALYSIS TOMI SECUNDI.

DIŒCESIS Illyrica. . . . . coll. 1. 2.
I. *Provincia, Macedoniæ.* . . . . 27. 28.
II. *Provincia, Theſſaliæ.* . . . . 103. 104.
III. *Provincia, veteris Epiri.* . . . . 133. 134.
IV. *Provincia, Helladis.* . . . . 155. 156.
V. *Provincia, Epiri novæ.* . . . . 240. 241.
VI. *Provincia, Cretæ inſulæ.* . . . . 256. 257.
VII. *Provincia, Prævalitana.* . . . . 275. 276.
VIII. *Provincia, Daciæ Mediterraneæ.* . . . . 301. 302.
IX. *Provincia, Dardaniæ.* . . . . 309. 310.
Diœceſis Serviæ. . . . . 319. 320.

PATRIARCHATUS ALEXANDRINUS. . . . . 329. 330.
Patriarchæ Alexandrini. . . . . 385. 386.
I. *Provincia, Ægypti primæ.* . . . . 513. 514.
II. *Provincia, Auguſtamnicæ primæ.* . . . . 531. 532.
III. *Provincia, Auguſtamnicæ ſecundæ.* . . . . 553. 554.
IV. *Provincia, Ægypti ſecundæ.* . . . . 565. 566.
V. *Provincia, Arcadiæ,* quæ *Heptanomus.* . . . . 577. 578.
VI. *Provincia, Thebaïdis primæ.* . . . . 593. 594.
VII. *Provincia, Thebaïdis ſecundæ.* . . . . 605. 606.
VIII. *Provincia, Libyæ Pentapolis.* . . . . 617. 618.
IX. *Provincia, Libyæ inferioris* ſeu *Marmaricæ.* . . . . 631. 632.
Incertarum Diœceſis Ægyptiacæ urbium Epiſcopi. . . . . . . 637. 638.
Eccleſia Æthiopiæ ſive *Abeſſiniæ.* . . . . 641. 642.
Eccleſia Nubiæ. . . . . 659. 660.
Eccleſia Homeritarum. . . . . 661. 662.
Eccleſia Adules. . . . . 665. 666.

PATRIARCHATUS ANTIOCHENUS. . . . . 669. 670.
Patriarchæ Antiocheni. . . . . 699. 700.
I. *Provincia, Syriæ primæ.* . . . . 777. 778.
II. *Provincia, Phœniciæ primæ.* . . . . 801. 802.
III. *Provincia, Phœniciæ ſecundæ.* . . . . 833. 834.
IV. *Provincia, Arabiæ.* . . . . 853. 854.
V. *Provincia, Ciliciæ primæ.* . . . . 869. 870.
VI. *Provincia, Ciliciæ ſecundæ.* . . . . 885. 886.
VII. *Provincia, Syriæ ſecundæ.* . . . . 909. 910.
VIII. *Provincia, Euphratenſis.* . . . . 925. 926.
IX. *Provincia, Oſrhoënes.* . . . . 953. 954.
X. *Provincia, Meſopotamiæ.* . . . . 989. 990.
XI. *Provincia, Iſauriæ.* . . . . 1009. 1010.
XII. *Provincia, Inſulæ Cypri.* . . . . 1037. 1038.

DIŒCESIS CHALDÆORUM. . . . . 1077. 1078.
Catholici Chaldæorum. . . . . 1101. 1102.
I. *Provincia, Patriarchalis.* . . . . 1163. 1164.
II. *Provincia, Gondiſaporis.* . . . . 1181. 1182.
III. *Provincia, Niſibenſis.* . . . . 1195. 1196.
IV. *Provincia, Baſſoræ.* . . . . 1209. 1210.
V. *Provincia, Moſul.* . . . . 1215. 1216.
VI. *Provincia, Adiabenes.* . . . . 1229. 1230.

a ij

Digitized by Google

VII. *Provincia, Beth-Garmæ.* . . . . 1237. 1238.
VIII. *Provincia, Holwanenſis.* . . . . 1247. 1248.
IX. *Provincia, Perſidis.* . . . . 1251. 1252.
X. *Provincia, Maru.* . . . . 1261. 1262.
XI. *Provincia, Haræ.* . . . . 1263. 1264.
XII. *Provincia, Katrabæ.* . . . . Ibid.
XIII. *Provincia, Sinarum.* . . . . 1265. 1266.
XIV. *Provincia, Indiarum.* . . . . 1273. 1274.
XV. *Provincia, Adorbiganæ.* . . . . 1283. 1284.
XVI. *Provincia, Bardaæ.* . . . . 1287. 1288.
XVII. *Provincia, Damaſci.* . . . . Ibid.
XVIII. *Provincia, Raïæ* & *Tabreſtaniæ.* . . . . 1291. 1292.
XIX. *Provincia, Dilemitarum.* . . . . 1293. 1294.
XX. *Provincia, Samarcandiæ.* . . . . 1295. 1296.
XXI. *Provincia, Turqueſtaniæ.* . . . . Ibid.
XXII. *Provincia, Segeſtaniæ.* . . . . Ibid. & 1304. B.
XXIII. *Provincia, Hieroſolymorum.* . . . . 1299. 1300.
XXIV. *Provincia, Chan-Balek* & *Phalek.* . . . . 1301. 1302.
XXV. *Provincia, Tanguth.* . . . . Ibid.
Eccleſiæ Diœceſis Chaldæorum, quarum incertæ Provinciæ ſeu *Metropoles* . . . . 1303. 1304.

Diœcesis Jacobitica. . . . . 1343. 1344.
Jacobitarum Patriarchæ. . . . . 1357. 1358.
Patriarchæ Alepenſes. . . . . 1407. 1408.
Jacobiticæ Diœceſis Antiochenæ Metropoles. . . . . 1409. 1410.
Eccleſia Alepi metropolis. . . . . Ibid.
Eccleſia Amidæ metropolis. . . . . 1413. 1414.
Eccleſia Anazarbæ ſive *Anazarbi metropolis.* . . . . 1417. 1418.
Eccleſia Apameæ metropolis. . . . . 1419. 1420.
Eccleſia Cæſareæ Cappadociæ metropolis. . . . . Ibid.
Eccleſia Cypri metropolis. . . . . 1421. 1422.
Eccleſia Damaſci metropolis. . . . . 1423. 1424.
Eccleſia Daræ metropolis. . . . . 1427. 1428.
Eccleſia Edeſſæ metropolis. . . . . 1429. 1430.
Eccleſia Emeſæ metropolis. . . . . 1441. 1442.
Eccleſia Euphemiæ metropolis. . . . . Ibid.
Eccleſia Hieruſalem metropolis. . . . . 1443. 1444.
Eccleſia Mabug ſive *Hierapolis metropolis.* . . . . 1445. 1446.
Eccleſia Maïpheractæ metropolis. . . . . 1447. 1448.
Eccleſia Malatiæ metropolis. . . . . 1451. 1452.
Eccleſia Mardæ metropolis. . . . . 1457. 1458.
Eccleſia Samoſatæ metropolis. . . . . 1461. 1462.
Eccleſia Symnadæ ſive *Synnadorum metropolis.* . . . . 1463. 1464.
Eccleſia Tarſi metropolis. . . . . 1465. 1466.
Epiſcopatus ditionis Patriarchæ Antiocheni Jacobitarum. . . . 1467. 1468.
Maphriani ſeu *Primates Eccleſiæ Jacobiticæ.* . . . . 1533. 1534.
Eccleſiæ Maphriano Jacobitarum ſubjectæ. . . . . 1559. 1560.
Eccleſia Moſul unica metropolis ditionis Maphriani. . . . . . Ibid.
Epiſcopatus ditionis Maphriani Jacobitarum. . . . . 1565. 1566.
Appendix ad Diœceſim Jacobitarum. . . . . 1603. 1604.



DIŒCESIS ILLYRICI ORIENTALIS, CUJUS CAPUT THESSALONICA.

DE DIŒCESI ILLYRICA.

I. Illyricum vetus, duplex.

ILLYRICUM veteres alio atque alio modo definiere. Strabo libro 7. *Illyrica ſunt*, inquit, *quæ Iſtrum & Alpes attingunt, inter Italiam & Germaniam jacentia: incipiunt autem à lacu Vindelicorum, Rhætorumque & Helvetiorum:* eo nimirum qui *Conſtantienſis* hodie dicitur, *deincepſque ad Peloponneſum uſque ſeu Iſthmum Corinthiacum.* Illyrici proinde veteris partes erant regiones verſus Orientem poſitæ, Mœſia utraque, Macedonia, Theſſalia, &c.

Ejus diviſio ſub Hadriano Aug.

In Nova Imperii populique Romani diviſione, provinciarumque in plures Diœceſes diſtinctione ab Imperatore Cæſare Trajano Hadriano Auguſto facta, quam Onuphrius Panvinius refert in ſua Imperii Romani deſcriptione p. 238. edit. Pariſ. ann. 1588. ſeptem-decim provinciæ iſtæ numerantur. *I. Provincia, Noricorum prima. II. Provincia, Noricorum ſecunda. III. Provincia, Pannonia prima. IV. Provincia, Pannonia ſecunda. V. Provincia, Valeria. VI. Provincia, Savia. VII. Provincia, Dalmatia. VIII. Provincia, Mœſia. IX. Provincia, Dacia prima. X. Provincia, Dacia ſecunda. XI Provincia, Macedonia. XII. Provincia, Theſſalonica. XIII. Provincia, Achaia. XIV. Provincia, Epirus prima. XV. Provincia, Epirus ſecunda. XVI. Provincia, Prævalitana. XVII. Creta inſula.* At poſtremas ſeptem provincias in ditione Macedoniæ fuiſſe monet, ubi certe Onuphrius Sextum Rufum Feſtum exſcribebat, qui quum Valentiniano & Valente Imperatoribus in vivis ageret, in *Breviario* tradidit, *Provincias habere Illyricum ſeptem & decem, Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Mœſiam, Daciarum duas; & in Diœceſi Macedoniæ eſſe ſeptem, Achaiam, Macedoniam, Theſſaliam, Epiros duas, Prævalim & Cretam.* Thraciam Sextus omiſit, ut & Onuphrius, quæ tamen ſæculo Chriſti tertio medio, adeoque inſtitutore ſaltem Hadriano, Illyrici præfecto ſuberat. Nam Claudius II. Auguſtus, ut fert Valeriani Imp. ad Ablavium Murænam Præfectum prætorio epiſtola, apud Trebellium Pollionem in vita ipſius, quum nondum Imperio potiretur, dux factus fuerat *totius Illyrici, habens in poteſtatem Thracias, Mœſias, Dalmatias, Pannonias & Dacos exercitus.* Cæterum in Illyrico multæ quidem Diœceſes olim aſſignabantur, quarum una erat Diœceſis Macedoniæ. In priſca provinciarum Diœceſis hujus Notitia primum locum tenet Achaia Proconſularis, ad quam nempe Proconſul decernebatur, ſecundum Macedonia, mox Theſſalia, Epirus nova, Epirus vetus, Prævalis, Macedoniæ ſalutaris pars quam Vicarius Diœceſis regebat, & Creta Inſula. In quo certe veteri ordine obſervatione digniſſimum eſt, Achaiam ipſimet Macedoniæ anteponi, atque adeo Corinthum Theſſalonicæ. Cujus antiqui ordinis nulla ratio habita eſt in provinciarum Eccleſiaſticarum

conſtitutione, qua Corinthi Eccleſia Theſſalonicenſis ordinationi ſuberat.

Uni præfecto prætorii Illyricum omne parebat ſub Conſtantino.

II. Conſtantinus Imp. Zoſimo teſte lib. 2. Illyricum uni Præfecto prætorii parere voluit, *Macedones, ſcilicet, & Theſſalos, Cretenſes, Græciam, & circumjacentes inſulas, Epirum utramque, Illyrios item, & Dacos & Triballos, & Pannonios ad Valeriam uſque & Myſiam ſuperiorem.* Sub Valentiniano *Italia cum Africa & Illyrico* ab uno Præfecto Mamertino adminiſtrabatur, ipſo ejus imperii initio, quod Ammianus Marcellinus teſtatur lib. 26. c. 5. cum Illyrico, inquam, B integro, ac non illo ſolo quod Occidentale poſthac dictum fuit. Nam ſubinde à Probo, qui Mamertino ſuffectus fuit, ipſa quoque Macedonia regebatur; quum Imperator idem in Lege unica, *Si per obreptionem fuerint impetrata*, eidem Præfecto hoc edicat : *Igitur ſinceritas tua id ipſum per omnem Italiam, tum etiam per Urbicarias, Africanaſque regiones, & per omne Illyricum, prælata oraculi hujus auctoritate firmabit.* Sic rurſum Lege *Quemadmodum*, ſeptima *de* A *Metallis & Metallariis*, quæ perinde ſub Valentiniano, Valente & Gratiano data eſt hoc fertur : *Ita ſinceritas tua univerſos per Illyricum, & Diæceſim Macedonicam provinciales edicto conveniat, ut nemo Thracem ultra in poſſeſſione propria putet eſſe celandum.* Ammianus rurſum narrat Epirotas à Probo Præfecto compulſos, uti Legatos ad Valentinianum mitterent : quod argumento eſt Epirum Illyrici Præfecto paruiſſe, veluti Macedoniam. Parebant proinde pariter illi Theſſalia, Achaia, cæteræque deinceps Illyrici Orientalis provinciæ. Sub Arcadio & Honorio Theodoſii magni filiis, diviſo iterum in duas partes Romano Imperio, Orientalis Imperii portio fuit Macedonica illa Diœceſis, quæ Orientale Illyricum eſt appellata, ejuſque rector *Præfectus prætorio Illyrici* audivit, quum reliquum Illyricum, Occidentale ſcilicet, Præfecto Italiæ pareret. Notitia Imperii Romani diviſionem illam quæ ſub Arcadio & Honorio facta eſt, continens, Illyrici Orientalis provinciarum ordinem iſtum repræſentat :

Sub diſpoſitione virorum illuſtrium Præfectorum prætorio
per Illyricum, Diœceſes infraſcriptæ.
Macedonia, Dacia.
Provinciæ Macedoniæ VI.
Achaia, Macedonia, Creta, Theſſalia, Epirus vetus, Epirus nova,
& pars Macedoniæ ſalutaris.
Provinciæ Daciæ V.
Dacia Mediterranea, Dacia Ripenſis, Mæſia prima, Dardania,
Prævalitana, & pars Macedoniæ ſalutaris.

Quocirca duo vicarii Præfecti Illyrici Orientalis erant, quorum alter Macedoniam C ejuſve ſex provincias curabat, cum parte Macedoniæ ſalutaris, alter Daciam.

Sirmium totius Illyrici caput.

III. Totius quidem Illyrici, quum nondum in duas illas partes diviſum eſſet, caput & metropolis Sirmium fuit, Pannoniæ, ſeu Saviæ potiùs civitas, quod Anemius Sirmienſis ipſe epiſcopus in ſynodo quæ Syagrio & Eucherio vv. cc. Coſſ. Nonis Septembr. ſive anno 381. Aquileiæ habita eſt, diſertè dixit, *Caput Illyrici nonniſi civitas eſt Sirmienſis. Ego igitur epiſcopus illius civitatis ſum*, qui nempe nomine Eccleſiarum Illyrici ſententiam diceret, uti modo Felix *totius Africanæ provinciæ Legatus, nomine cuncti Sacerdotalis chori, qui ad hunc cœtum ſanctiſſimum ipſum miſerat.* Quam certe urbem Herodianus l. 1. maximam Illyrici fuiſſe ait, ubi Julium Maximinum Imp. quum contra Germanos bellum gereret, hyemem egiſſe narrat. In Pannoniam, inquit, reverſus eſt, ἐν τῷ Σιρμίῳ διατρίβων, μεγίστῃ ἐκεῖ πόλει δοκούσῃ. Juſtinianus Novella 11. poſt Attilæ Hunnorum Regis in Illyricum adventum Præfecti prætorio Illyrici Theſſalonicam eſſe tranſlatam ſedem cauſatur : quod ſtare non poteſt, quando Illyricum Orientale, ut prædictum eſt, ſub Arcadio & Honorio ab Occidentali avulſum erat : jamque proinde Præfecti prætorio Orientalis Illyrici Theſſalonicam ſedem fuiſſe oportet.

Theſſalonica Illyrici Orientalis caput ante tempora Attilæ.

IV. Plane quo tempore Theodoretus hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcribebat, ante illam Attilæ in Romanas provincias excurſionem, *Theſſalonica, urbs ampliſſima, magna* D *hominum multitudine frequentata, quum Macedoniæ cenſeretur, Theſſaliæ, Achaiæ, & aliarum gentium quas Præfectus Illyrici moderabatur, primaria erat & caput.* Θεσσαλονίκη, inquit, lib. 5. cap. 17. πόλις ἐστὶ μεγίστη καὶ πολυάνθρωπος, εἰς μὲν τὸ Μακεδόνων ἔθνος τελοῦσα, ἡγουμένη δὲ καὶ Θετταλίας καὶ Ἀχαΐας, καὶ μέντοι ἄλλων παμπόλλων ἐθνῶν, ὅσα τὸν Ἰλλυριῶν τὸν ὕπαρχον ἡγούμενον ἔχει. Jam ante oſtendimus, partito in duos præfectos Illyrico,

Digitized by Google

Occidentale Præfecto Italiæ paruiſſe, qui Theſſalonicam in Orientalis Imperii civitatem, ſedem transferre nulla ratione potuit. Atque hæc de vario Illyrici ſtatu civili.

Paulus in Illyricum Chriſti nomen & Fidem invexit

V. Religionem Chriſtianam Illyrico invexit Apoſtolus Gentium Paulus, quod ipſe ait ad Rom. 15. cap. 19. nimirum *ſe virtute ſignorum & prodigiorum, & virtute Spiritus ſancti, ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum expleviſſe evangelium Chriſti.* Cujus prædicationis hiſtoriam texens in Actis Apoſtolorum Lucas, narrat eum quum Deo præcipiente ex Aſia diſceſſiſſet, Troade conſcenſa navi, in Samothraciam inſulam appuliſſe, moxque Neapolim in maritimam Macedoniæ civitatem. Deinde Philippos venit, quæ Romanorum colonia erat, uniuſque regionis Macedoniæ caput, quam civitatem Fidei doctrina imbuit. Inde ob perſequutionem quæ contra ſe mota erat, unà cum Sila digreſſus, Amphipoli & Apollonia tranſiens, Theſſalonicam perrexit, ubi multos docuit. Subinde Berrhœam adiit in urbem Macedoniæ alteram, dein Athenas, tandem Corinthum, & per omnem Achaiam Domini ſermonem divulgavit, in Cretam inſulam uſque, cui Titum laborum itinerumque ſuorum fidiſſimum ſocium epiſcopum deſignavit, præcipiens ut ipſe in ea per civitates preſbyteros epiſcopoſque conſtitueret. Tritæ omnibus ſunt epiſtolæ quas Corinthiis, Philippenſibus, Theſſalonicenſibus, & Tito ſcripſit. Ex quibus perſpicuum fit, ipſum omne Illyricum, ſaltem quod ſubinde Orientale vocitatum eſt, Paulo doctore Chriſti doctrinam admiſiſſe. Præterea vero S. Lucam Evangeliſtam in Macedonia prædicaſſe S. Epiphanius aſſerit, in Achaia quoque & Bœotia S. Hieronymus; ac quidem vigeſimo Conſtantii Imperatoris anno reliquias ejus de Achaia Conſtantinopolim eſſe tranſlatas teſtatur.

Illyrici provinciarum cura Romanæ ſedi à Paulo commiſſa.

VI. Harum Eccleſiarum Paulus, quarum fundator, inſtitutorque fuerat, quum ſolicitudinem perpetuò gereret, Romam ſubinde profectus, ibique martyrio functus, eas Romanæ Eccleſiæ adminiſtrandas dedit. Quamobrem aliquandiu ab ejus obitu, orta in Corinthiorum eccleſia contentione de iis quos epiſcoporum ſeu preſbyt. gradu movendos ducebant, cauſam Romanæ ſedi detulerunt, apud quam judicaretur & finiretur. Clementis Papæ I. epiſtola exſtat, quam Eccleſiæ ſuæ nomine ad Corinthios de illo negotio ſcripſit. Huc quoque ſpectat, quod Hegeſippus apud Euſebium lib. 4. hiſt. Eccl. cap. 22. memorabat, ſe Romam cum Primo Corinthiorum antiſtite navigaſſe viro rectæ doctrinæ retinentiſſimo. Navigabat illuc Primus

A ob negotia Eccleſiæ ſuæ urgentiſſima. Dionyſius Primi ſucceſſor Soteri Papæ epiſtola data ſignificavit, illam Clementis ad Corinthios ſuos epiſtolam ſtatis temporibus apud ſe legi ſolitam, quin illam pariter quam Soter quoque Papa ſibi ſcripſerat.

Subjectionis hujus alia monumenta.

VII. Alia quidem monumenta non exſtant ſingularis hujuſce Eccleſiarum Illyrici erga Romanam ſedem ſubjectionis, uſque ad Arianæ hæreſis tempora; quum volumina multa priorum ſæculorum illorum interciderint. Sub Conſtantio Imp. nondum facta am- B pliſſimi tractus illius, in Orientalem & Occidentalem diviſione, Urſacius Murſæ in Pannonia, & Valens Singidonis epiſcopi, qui impietatem amplexi Euſebii Nicomedienſis, ſive Conſtantinopolitani, factioni ſe dediderant, quum à ſynodo Sardicenſi merito proſcripti eſſent, à Julio Papa Romano veniam dato pœnitentiæ libello popoſcerunt, quod Athanaſii Alexandrini damnationi ſuffragati eſſent, pollicentes inſuper, ſe nihil in poſterum cum Orientalibus geſturos, ipſo Julio minime conſulto & conſentiente: *Et* C *promittimus nunquam nos, ſi Orientales ipſeque Euſebius malitioſe velit eum in judicium vocare, citra diſpoſitionis tuæ ſententiam eò tranſituros,* μὴ ἀπέρχεσθαι παρὰ τὴν γνώμην τῆς σῆς διαθέσεως. Erant nempe illi Illyricianarum civitatum duarum epiſcopi, qui ſe proinde Romanæ ſedis ſpeciali jure clientes noſſent; quum Romanus Pontifex, ipſis Arelatenſis ſynodi prioris Patribus teſtibus, majores pridem Diœceſes teneret. Hinc eſt quod Herennius Theſſalonicenſis ab Athanaſio Apologia ad Conſtantium Imp. inter D Occidentis epiſcopos cenſetur, cum Vincentio Capuæ, & Fortunatiano Aquileienſi. In ſynodo Conſtantinopolitana generali priore, electo in Byzantinum antiſtitem Nectario, Aſcholii ſaltem Theſſalonicenſis quæſitum ſuffragium eſt, quo illius ordinatio ab Occidentalibus quoque approbata videretur, qui & in ſynodicæ ipſorum ad Concilium Romanum epiſtolæ inſcriptione, poſt Damaſum, Ambroſium Mediolanenſem, Britonem, Valerianum Aquileiæ, Aſcholium addunt Theſſalonicenſem, & Anemium E Sirmienſem. Sequitur Baſilius, alterius ſcilicet Illyrici provinciæ cujuſdam metropolita. Magnus ipſe Baſilius Cæſarienſis, ad Occidentales, Valente Imperatore ſcribens, quorum Coryphæum eſſe epiſcopum Romanum dicebat, Illyrici præſules præcipuos illis annumerabat.

Illyrico Oriens terminatur.

VIII. Ac certe quidem Socrates lib. 2. hiſt. Eccl. c. 22. Occidentis Orientiſque terminos definiens, Illyricum etiam Græcum Occidentis cenſitum fuiſſe declarat.

Digitized by Google

Eccleſia igitur verſus Occidentem ab Eccleſia quæ erat in Oriente, diſſenſione diſtracta erat. Terminus autem quo illorum erat diviſa communio, mons fuit qui Tiſucis dicitur inter Illyricum & Thraciam conſtitutus: καὶ ἦν ὅρος τῆς κοινωνίας αὐτοῖς τὸ ὄρος τὸ λεγόμενον Τισούκις, ὅπερ ἐστὶ τῶν Ἰλλυριῶν καὶ Θρᾳκῶν. Sozomenus perinde lib. 3. cap. 12. Occidentem ad Thraciam uſque pertinuiſſe ſcribit, & Orientem Illyrici terminis finiri.

Theſſalonicenſi epiſcopo Illyrici Orientalis regimen commiſſum: quando.

IX. Illyrici Orientalis regimen diu geſſit olim Theſſalonicenſis epiſcopus, Romani Pontificis vicibus fungens; quod ante Damaſum Papam eſſe factitatum, nulla certa auctoritate conſtat. Nec enim illud admodum adſtruit, quod quibuſdam viſum eſt, ſynodi Sardicenſis canon qui Aëtio epiſcopo Theſſalonicenſi auctore ſancitus fuit: *Non ignoratis*, inquit, *quanta & qualis ſit Theſſalonicenſium civitas: ſæpe ad eam veniunt ex aliis regionibus preſbyteri & diaconi, nec brevi temporis mora contenti permanent, & omne tempus illic agentes tranſigunt, ut vix ad ſuas eccleſias poſt multum temporis reverti cogantur. Ad quæ Patres univerſi reſponderunt; & tempora quæ conſtituta ſunt circa epiſcopos, & circa has perſonas obſervari debent.* Tot illi preſbyteri & diaconi de Macedoniæ provinciæ ſolius civitatibus ad metropolitam convenire conſuêſſe putari poſſint: ſin vero, ob civilia negotia apud Præfecti ejuſve vicarii tribunal perſequenda.

A Damaſo Papa.

X. Atqui Romani Pontifices, creſcente in dies ſub Principibus Chriſtianis religione, pro locorum regionumve diſtantia, Theſſalonicenſes antiſtites participes facere duxerunt juriſdictionis, quâ in Illyricum omne fruebantur, vices illis ſuas committendo in eas omnes provincias, quibus Illyricum Orientale conſtabat. Nicolaus Papa I. in epiſtola ad Michaëlem Imp. qua Bulgariæ provincias repoſcebat, Damaſum è Romanis epiſcopis primum memorat, qui in Theſſalonicenſem præſulem poteſtatem ſuam tranſtulerit. *Quæ Illyricana Diœceſis*, inquit, *anteceſſorum noſtrorum temporibus, ſcilicet Damaſi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cæleſtini, Sixti, Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis atque Hormiſdæ, ſanctorum Pontificum ſacris diſpoſitionibus augebatur.* Damaſi quidem nullæ literæ exiſtunt, quibus Theſſalonicenſis Romanæ ſedis in cunctas Illyrici illius provincias Vicarius conſtituatur. In ejus quæ ſupereſt epiſtola *Aſcholio, Eurydico, Severo, Uranio, Philippo & Joanni* epiſcopis Illyrici hoc unum mandatur, uti *dent operam quemadmodum Conſtantinopolitanæ civitatis epiſcopus eligatur, qui nullam habeat reprehenſionem.* Commonet inſuper, *ne patiantur aliquem contra ſtatuta majorum de civitate alia ad aliam transferri, & deſerere plebem ſibi commiſſam, & ad alium populum per ambitionem tranſire.* Altera Damaſus eidem Aſcholio ſcribit, ut Conſtantinopoli, ejecto Maximo Cynico, catholicum de cætero epiſcopum conſtitui curet.

A Siricio.

XI. Siricius vero Damaſi ſucceſſor proximus, Anyſio Theſſalonicenſi ejuſmodi literas dedit, ut fas non eſſet ſine ejus aſſenſu ullos per Illyricum, Orientale ſcilicet, epiſcopos ordinare præſumere: quum nonnullis in locis ordinati quidam eſſent Sacerdotio prorſus indigni. Ad quam audaciam comprimendam mandat, *ut vel ipſe ſi poteſt, vel quos judicaverit epiſcopos idoneos cum literis dirigat, dato conſenſu, qui poſſint in ejus locum qui defunctus vel depoſitus fuerit, catholicum epiſcopum & vita & moribus probatum, ſecundum Nicænæ ſynodi ſtatuta, vel Eccleſiæ Romanæ clericum de clero meritum ordinare.*

Ab Innocentio I. ut ab Anaſtaſio I.

XII. Innocentius I. ſtatim atque Anaſtaſio deceſſori ſuo ſuffectus fuit, eidem Anyſio literas ſimiles dedit, nuntiata primum illi, ceu *viro optimo atque in Deo ſemper fideliter laboranti*, ordinatione ſua, ſubdit, *cui etiam anteriores tanti & tales viri prædeceſſores mei epiſcopi, id eſt ſanctæ memoriæ Damaſus, Siricius, atque ſupra memoratus vir* (Anaſtaſius nimirum, ſed cujus literæ interierunt) *ita detulerunt, ut omnia quæ in illis partibus gererentur, ſanctitati tuæ, quæ juſtitiæ plena eſt, traderent cognoſcenda, meam quoque parvitatem, hoc tenere judicium, eamdem habere voluntatem, te decet recognoſcere. Neque enim fas erat, ut aut ego contra tantorum bonorum virorum judicium venire tentarem, quorum in locum veniſſe dinoſcor, aut tuo merito, cui præclari viri tantam gratiam auctoritatis hujuſce contuliſſe videntur, aliquid derogari videretur.* Ex qua Innocentii epiſtola duo comperta fiunt, nempe à Damaſo, ut à Siricio & Anaſtaſio Anyſium ipſum fuiſſe conſtitutum Apoſtolicæ ſedis in Illyrici Orientalis provinciis Vicarium; rurſumque auctoritatem hanc Anyſio, ut pote viro optimo conceſſam, non Theſſalonicenſi ſedi alligatam eſſe, perſonalem, inquam, fuiſſe, non realem, ut aiunt, ceu deinceps ſucceſſoribus ejus ex jure competitura eſſet. Alioqui minime opus fuiſſet, ut à ſingulis qui poſt Damaſum Romanum pontificatum inirent, inſtaurari & confirmari indigeret, aut ſingulis etiam Anyſii ſucceſſoribus novas totidem literas juriſdictionis dari. Quod certe ab aliis etiam qui Innocentium exceperunt factitatum fuit.

Innocentius Rufo Theſſalonicenſi juriſ-

XIII. Anyſio quum Rufus ſuffectus fuiſſet, Innocentius idem Papa Romanus, cum perinde ſuum per Illyrici illius provincias

Digitized by Google

Ditionem eamdem attribuere pergit.

Vicarium data epiſtola declaravit in hunc modum: *Divinitus ergò hæc procurrens gratia ita longis intervallis diſterminatis à me Eccleſiis diſcat conſulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam, cauſaſque, ſi quæ exoriantur per Achaiæ, Theſſaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, Cretæ, Daciæ mediterraneæ, & Daciæ Ripenſis, Mœſiæ, Dardaniæ, & Prævali eccleſias Chriſto Domino annuente cenſeam. Vere enim ejus ſacratiſſimis monitis, lectiſſimæ ſinceritatis tuæ providentiæ ac virtuti hanc injungimus ſolicitudinem: non primitus hæc ſtatuentes, ſed præceſſores noſtros Apoſtolicos imitati, qui beatiſſimis Aſcholio & Anyſio injungi pro eorum merito voluerunt. Juſtiſſimum eſt enim ita bene meritos honoribus decorari, &c.* Paucis interjectis: *Arripe itaque,* ait, *dilectiſſime frater, noſtra vice per ſupradictas eccleſias, ſalvo earum primatu* (metropolium jura intelligit) *curam: & inter ipſos primates primus, quidquid eos ad nos neceſſe fuerit mittere, non ſine tuo poſtulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud eſt finietur, aut tuo conſilio ad nos perveniendum eſſe mandamus. Licitum autem, & apoſtolicæ ſedis favore permiſſum fraternitati tuæ cognoſce, ut cum aliqua eccleſiaſtica ratio, vel in tua, vel in memoratis provinciis agitanda cognoſcendaque fuerit, quos velis epiſcoporum, ſocios quibuſcumque de eccleſiis aſſumas tecum, quorum & fide & moderatione quidquid neceſſitas cauſaque flagitaverit, optimus dirigas arbiter, & præcipuus, quippe à nobis lectus, definias interceſſor.* Sic Innocentius Apoſtolicæ ſedis per Illyrici provincias commiſſas dudum Aſcholio & Anyſio vices fuiſſe perhibet, adeoque à Damaſo primum, quo ſedente Aſcholius vivere deſiit. Sed & eidem Rufo præter octo Illyrici Orientalis provincias, tres alias adminiſtrandas tribuit, *Daciam ſcilicet utramque & Mœſiam,* primam nimirum. Bonifacius quoque epiſtola ſua ad Rufum & provinciarum Illyrici epiſcopos ſcribens, poſtremo loco Daciam ponit, quæ certe Illyrici Occidentalis pars fuit.

Bonifacius eidem Rufo.

Eidem Rufo Bonifacius I. majorum ſuorum veſtigia premens, auctoritatem eamdem attribuit ſtatim atque Apoſtolicæ ſedis compos eſt factus, data ad eum epiſtola. *Frequentia igitur,* inquit, *ut ſcrinii noſtri monumenta declarant, ad caritatem tuam ex ejus fonte ſcripta manarunt, quibus ſolicitudinem eccleſiarum per Macedoniam & Achaiam ſitarum, fraternitati tuæ, quam ſcimus eccleſiaſticam diſciplinam canonum notione ſervare, certum eſt eſſe commiſſam.* Quocirca Perigenem ei commendat, qui Patrenſibus deſignatus epiſcopus, ab eis admiſſus non erat, poſt vero à Corinthiis civibus ſuis Pontifex electus, *ſicut jamdudum,* inquit, *à ſancta ſynodo ſuper ejus nomine pagina directa teſtatur.* Quibus ſignificat Perigenis electionem ad ſedem Apoſtolicam à Corinthiis delatam ſtatim eſſe, ad quam priſco jure ejus confirmatio ſpectaret, velut & ordinatio. Altera epiſtola Rufo ſe anxio animo eſſe ſcribit, quod ſuum de poſtrema Perigenis in Corinthi epiſcopum electione ſuffragium, teſtimoniumve mittere diſtulerat. Epiſtolis aliis Rufum Bonifacius tuetur, adverſus Theſſalos præſertim, à quibus contemnebatur. Inſuper acceptæ ſynodi Conſtantinopolitani antiſtitis factione propter Perigenis nuperam electionem, congregandæ nuntio, hanc fieri vetat, jubetque Perigenem tamquam legitimum Corinthi metropolitam haberi, cujus promotionem acceptis Rufi ſcriptis confirmaverat. Tum hoc inprimis iterum edicit: *Epiſcopos per Illyricum citra conſcientiam coepiſcopi noſtri Rufi nullus ordinare præſumat.*

Conſtantinopolitani archiepiſcopi ad Illyricum ſubjugandum molimina.

XIV. Adverſus Perigenis in Corinthi metropolitam aſſumtionem illam quam Apoſtolica ſedes approbaverat, nonnulli ut apparet de Illyrico Orientali antiſtites reclamaverant, invocata contra fas omne Byzantini præſulis Attici ope, qui proinde Illyrici provincias ſibi ſubjicere molitus eſt, obtento hanc in rem Theodoſii junioris, qui Imperium Orientale tenebat, reſcripto quo ferebatur: *Omni innovatione ceſſante, vetuſtatem, & canones priſtinos eccleſiaſticos qui nunc uſque tenuerunt, per omnes Illyrici provincias ſervari præcipimus: tum ſi quid dubietatis emerſerit, id oportet non abſque ſcientia viri reverentiſſimi ſacro-ſanctæ Legis antiſtitis urbis Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur, conventui ſacerdotali, ſanctoque judicio reſervari. Datum prid. Id. Julii Euſtathio & Agricola coſſ.* hoc eſt anno 421.

Honorius Aug. ex adverſo intercedit.

XV. Quod quum Bonifacius reſciviſſet, per Honorium Auguſtum, qui in Occidente imperabat, effecit ut ea lex quamprimùm revocaretur. Epiſtolam Honorii ad Theodoſium cum illis quas memoravi Bonifacii Papæ, Lucas Holſtenius evulgavit in ſua collectione Romana, atque integram juvat iſtic recitare: *Omnibus quidem cauſis quibus noſtrum poſtulatur auxilium, interceſſionem apud aures tuæ Clementiæ negare non poſſumus: ſed his majorem neceſſario curam ſtudiumque debemus, quibus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ deſideria continentur. Nam cum favore divino noſtrum ſemper gubernetur Imperium, procul dubio illius urbis eccleſia ſpeciali cultu veneranda eſt, ex qua & Romanum principatum accepimus, & principium ſacerdotum. Siquidem nihil aliud à pietate noſtra poſtulaverit miſſa legatio, niſi quod catholicæ fidei diſciplinæ &*

æquitati concordet. Petit enim ut hæc privilegia, quæ dudum à Patribus conſtituta uſque ad tempora noſtra ſervata ſunt, inconcuſſa perdurent. In qua parte perſpicit Serenitas tua, nihil vetuſtis decretis, ſi quæ canonum conſcripta ſunt regulis, penitus derogandum: nec tot jam ſæculorum reverentiam novellis præjudiciis ſauciandam Domine. unde Majeſtas tua recenſitis noſtræ pietatis affatibus, Chriſtianitatis memor, quam pectoribus noſtris miſericordia cæleſtis infundit, univerſis remotis, quæ diverſorum epiſcoporum ſubreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem præcipiat cuſtodiri; ne ſub Principibus Chriſtianis Romana perdat Eccleſia, quod aliis Imperatoribus non amiſit. Hæc Honorius, quibus amplius confirmatur, id quod antè propter nonnullos recentiores evincebam, ſedis Apoſtolicæ in univerſum Illyricum auctoritatem Damaſi Papæ temporibus ſuperiorem fuiſſe, ut quæ *dudum à Patribus conſtituta* pronuntietur, *vetuſtis decretis ſtabilita, cui multorum ſæculorum tractus reverentiam* conciliavit, quæ ſub Imperatoribus olim minime Chriſtianis illæſa permanſerat.

Theodoſius Junior Legem datum revocat.

Honorii patrui ſui Auguſti monitis Theodoſius annuit, dato reſcripto altero quo priſtinum abrogabat: *Dignum meretur judicium*, inquit, *quiſquis perennis Principis affatus ad noſtram videtur deferre clementiam, Domine, S. Pater, Auguſte venerabilis, tum præcipue Chriſtianæ religionis intuitu, quæ venerandis ſenſibus majeſtatis tuæ ita infuſa eſt, ut per corda noſtra latiùs porrecta ſervetur. Deus enim auctor ideo præſules fecit Chriſtianorum principum poſteros, ut omni ſubreptione fruſtrata, id quod à majoribus noſtris conſtitutum eſt, reſervetur. Et quamquam in his quæ divina ſuffragia incorrupta ſervarunt, affatus perennitatis tuæ à nobis obſerventur affectu celeri, omnique veneratione ſuſcepta, tum præcipue hæc res: quia ſæculi, totiuſque regni noſtri ſoſpitatem illius inclytæ Urbis nomen hactenus ſervat. Unde omni ſuplicantium epiſcoporum per Illyricum ſubreptione remota, ſtatuimus obſervari quod priſca Apoſtolica diſciplina, & canones veteres eloquuntur. Super qua re ſecundum formam oraculi perennitatis tuæ, ad viros illuſtres præfectos prætorii Illyrici noſtri ſcripta porreximus, ut ceſſantibus epiſcoporum ſubreptionibus, antiquum ordinem ſpecialiter faciant cuſtodiri, ne venerabilis eccleſia ſanctiſſimæ Urbis privilegia à veteribus conſtituta amittat, quæ perenne nobis ſui nominis ſacravit Imperium.* Theodoſius itaque ſibi ab epiſcopis ſubreptum fatetur, ut reſcriptum prius daret, illudque priſcæ diſciplinæ, imo Apoſtolicæ, canonibus antiquis, ſanctiſſimis Urbis privilegiis à veteribus conſtitutis, & antiquo ordini contrarium eſſe. Juſtinianus Imperator Reſcriptum quidem prius Theodoſii in codicem ſuum regeſſit; at non poſterius quo tamen antiquatum illud fuit, quum nempe poſterius hoc celandum, ſupprimendumque Byzantini duxiſſent, quod interim in eccleſiarum Illyrici, ut & in Romanæ ſcriniis ſervatum erat.

Cæleſtinus Rufo confirmat juriſdictionem in Illyrici provincias.

XVI. Compreſſis Attici Conſtantinopolitani moliminibus, Cæleſtinus Papa Rufo Theſſalonicenſi, quam deceſſores ſui ei contulerant poteſtatem in Illyrici provincias prorogavit. Ejus exſtat in Holſtenii collectione epiſtola ad Perigenem Corinthi, alioſque per Illyricum epiſcopos, qua regulas canoneſve integros obſervari præcipiens; mandat inſuper culpas aliquantas non leves interceſſione fratris & coëpiſcopi ſui Rufi, cujus experientiam comprobatam eſſe in cauſis omnibus & vitæ actibus liquet, omnes reſecare; *Cui*, inquit, *vicem noſtram per provinciam veſtram noveritis eſſe commiſſam; ita ut ad eum, fratres cariſſimi, quidquid de cauſis agitur, referatur. Sine ejus conſilio nullus ordinetur: nullus uſurpet eodem inconſcio commiſſam illi provinciam, colligere niſi cum ejus voluntate epiſcopos non præſumant, per eum etiam ad nos ſi quid eſt referatur; ſed hac præceptione cognoſcent, & eum qui refragandum noſtræ auctoritati, vel illius crediderit juſſioni, à fraternitatis cœtu quum ipſe ſe ſeparet, ſegregandum.*

Xyſtus Papa, perinde Anaſtaſio.

Xyſtus Cæleſtini ſucceſſor Anaſtaſio Theſſalonicenſi poſt Rufum epiſcopo, ſedis Apoſtolicæ vices injungere perrexit; quod inprimis ab eo ſignificatum reperimus Perigeni illi Corinthi metropolitæ, qui erga illum ſe nonnihil refractarium præbuerat. *Nunc admonitus*, inquit, *noſtris epiſtolis, ſancto fratri & coëpiſcopo noſtro Anaſtaſio Theſſalonicenſis Urbis antiſtiti, eam ſervato reverentiam, quam cæteri quoque pontifices per Illyricum conſtituti reſervare non abnuunt; quum ſciamus nihil novum illi à nobis fuiſſe conceſſum; ſed id quod ejus deceſſoribus noſtri deceſſores detulerant, habita conſideratione diſciplinæ eccleſiaſticæ conſtitutum.* Rurſum epiſcopis *ſynodo apud Theſſalonicam congregandis* ſcribens, *nos fratri & coëpiſcopo noſtro Anaſtaſio tantum tribuimus*, inquit, *quantum deceſſoribus ipſius à noſtris deceſſoribus attributum.*

Nullus per Illyricum epiſcopus in conſulto Theſſalonicenſi ordinandus.

Habeant honorem ſuum metropolitani ſingularem, ſalvo hujus privilegio quem honorare debeant amplius honorati. In provincia ſua jus habeant ordinandi, ſed hoc inſcio, vel invito, quem de omnibus volumus ordinationibus conſuli, nullus audeat ordinare. Ad Theſſalonicenſem majores cauſæ referantur antiſtitem. Ipſum major cura reſpectet, eos qui ad epiſcopatum vocantur, diſcutiendi ſolicitiùs & probandi. Ipſe optimos ſollertiſſimoſque de veſtro numero eligat, quos negotiis ſecum adſciſcat arbitros.

Digitized by Google

A Byzantinorum tentamentis cavet Xyſtus.

XVII. Cavendum ſibi iterum putavit Xyſtus ne quis de Illyrico tentaret denuò Conſtantinopolitani præſulis opem implorare. Quocirca ad Proclum Regiæ hujus Urbis epiſcopum literas quoque ſcripſit, rogans ut quum ille regularum multa ſolicitudine obſervantiſſimus eſſet, nec permitteret à ſacerdotibus quidquam admitti, quod vetuſta Patrum inſtituta pervertat; curet proinde *ut ſi quis ad fratrem & coëpiſcopum Theſſalonicenſis Urbis antiſtitem harum provinciarum quæ ad eum pertinent, ſacerdos adveniat præter ejus conſcientiam, ſi ſine ejus epiſtolis atque formata venire tentaverit, tamquam diſciplinæ eccleſiaſticæ deſpector, & contemtor canonum, quos nos temerari ex aliqua parte non patimur, habeatur .... Diſcant omnes illius provinciæ ſacerdotes, tantæ fraternitatem tuam eſſe cenſuræ, ut non permittas fieri, quod non licet à ſacerdote tentari.* Altera epiſtola *univerſis epiſcopis per Illyricum conſiſtentibus*, mandabat rurſum Xyſtus ut Anaſtaſio perinde atque Ruſo reverentiam adhiberent & obtemperarent. *Illyricanæ omnes eccleſiæ*, inquit, *ut à deceſſoribus noſtris accepimus, & nos quoque fecimus, ad curam nunc pertinent Theſſalonicenſis antiſtitis; ut ſua ſolicitudine, ſi quæ inter fratres naſcantur, ut aſſolent, actiones diſtinguat & definiat. Sit Concilium quotiens cauſæ fuerint, quotiens ille pro neceſſitatum emergentium ratione decreverit, ut meritò ſedes Apoſtolica relatione ejus inſtructa, quæ fuerint acta confirmet. Evocatus veſtrum nemo venire contemnat, nec congregationi ſanctæ ad quam debet feſtinare ſe deneget, excuſatio per contumaciam non requiratur, ut vobis pariter convenientibus poſſit in commune conſtitui, quod eccleſiarum ſervet quietem, & populos teneat ad ſalutem. Nec his vos fratres conſtitutis, quæ præter noſtra præcepta Orientalis ſynodus decernere voluit, credatis teneri; præter id quod de fide nobis conſentientibus judicavit.* Hic quærat aliquis, qua de ſynodo Xyſtus Papa loquatur. Non certe Epheſinam priorem innuit, quippe quæ nihil ullius momenti ſanxit, quod eccleſiarum diſciplinam ſpectet, nedum canonem ullum quo provinciarum ordo regimenve mutetur. De tertio canone illo informi ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis primæ ſermonem eſſe cenſeo; quo nempe ſecundus locus poſt Romanum Papam Byzantino præſuli aſſignatus erat; propter hoc etenim ſtatutum Atticus Conſtantinopolitanus, ejuſque ſucceſſores juris per Illyricum, ut & per alias Orientem verſus Diœceſes dicendi poteſtatem vindicare ſibi ſæpe conati erant.

Leo magnus jura Anaſtaſio perinde committit.

XVIII. Xyſto Papæ Leo magnus ſuffectus fuit, à quo ſtatim poſtulavit Anaſta-
A ſius, eamdem ſibi, qua ipſe jam ſuique deceſſores potiti erant in Illyricum poteſtatem concedi. Cui Pontifex annuit, data ad ipſum epiſtola prid. Id. Januar. Theodoſio XVIII. & Albino Coſſ. *Poſtquam itaque nobis petitio tuæ dilectionis innotuit per filium noſtrum Nicolaum preſbyterum, ut tibi quoque à nobis, ſicut deceſſoribus tuis, per Illyricum cum noſtra vice propter cuſtodiam regularum auctoritas præſtaretur, præbentes aſſenſum noſtra adhortatione compellimus, ut nulla diſſimulatio, negligentia nulla proveniat circa Eccleſiarum regi-*
B *men per Illyricum poſitarum, quas dilectioni tuæ vice noſtra committimus, beatæ recordationis Siricii exemplum ſequuti, qui ſanctæ memoriæ Anyſio prædeceſſori tuo, bene de Apoſtolica ſede tunc merito, & rebus poſt ſequentibus approbato, certa tum primùm ratione commiſit, ut per illam provinciam poſitis, quas ad diſciplinam teneri voluit, eccleſiis ſubveniret.* Ubi Leo nulli Theſſalonicenſium epiſcoporum Anyſio anteriorum, à nemine eorum Romanæ eccleſiæ præſulum qui Siricium præceſſere, ſedis Apoſtolicæ in Illyricum vices
C commiſſas declarat, ſed à Siricio *certa tum primùm ratione*. Mox pergit Leo: *Glorioſa inſtantiùs exempla ſequenda ſunt, ut quorum privilegiis uti cupimus, eorum nos ſimiles in omnibus approbemus. Imitatorem te tam prædeceſſoris tui quam deceſſoris, qui pari modo hoc & meruiſſe & egiſſe cognoſcitur, eſſe volumus: ut de profectu Eccleſiarum, quas tibi vice noſtra committimus, gaudeamus.* Subinde monet quæ diligenter ipſi ſint obſervanda, quod auctoritatis genus exercere debeat. *Per commiſſas tibi provincias tales Domino ſacerdotes, quibus ſola*
D *vitæ & clericalis ordinis ſuffragentur merita, conſecrentur. Nullus, te inconſulto, per illas eccleſias ordinetur antiſtes. Quiſquis vero à metrop. epiſcopus contra noſtram præceptionem præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam apud nos ſtatus ſui eſſe noverit firmitatem. Singulis autem metropolit. ſicut poteſtas iſta committitur, ut in ſuis provinciis jus habeant ordinandi, ita eos metropolitanos à te volumus ordinari, maturo tamen & decocto judicio. Ad ſynodum quiſquis fratrum fuerit evocatus occurrat, nec ſanctæ congregationi ſe deneget. Illic ſi quæ*
E *cauſſæ natæ fuerint, præſtante Domino, ita poterunt terminari, ut contentio nulla reſideat, ſed ſolida inter fratres coaleſcat caritas; ſi qua vero cauſſa major evenerit, quæ à tua fraternitate illic præſidente non potuerit definiri, relatio tua miſſa nos conſulat: ut enim auctoritatem noſtram vice noſtra exercere te volumus, ita nobis quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiſerit reſervamus.* Eadem repetit ea quam pariter ſcripſit *ad metropolitanos per Illyricum conſtitutos*, epi-

Theſſalonicenſis epiſcopi auctoritas amplius explicatur.

Digitized by Google

ſtola qua inprimis ſignificabat vicem ſuam Anaſtaſio Theſſalonicenſi commiſſam. Altera demum eidem Anaſtaſio varias regulas figit, quas ille Apoſtolicæ ſedis munia gerendo teneat. Cæterum quum Romani pontifices Leonis deceſſores Theſſalonicenſi præſuli permiſiſſent Illyricianorum præſulum ſynodos cogere, epiſcoporum qui de ſingulis provinciis adeſſent definito numero; ipſe Leo epiſtolæ illius ad Anaſtaſium cap. 10. binos dumtaxat ex unaquaque provincia convenire mandat, quos metropolitani crediderint eſſe mittendos. Si vero in illo conventu Theſſalonicenſem ab aliis qui affuerint epiſcopis diſſentire contingat, cauſam ad ſedem Apoſtolicam referendam decernit.

Canon 28. Chalcedonenſis concilii.

XIX. Interim Theſſalonicenſi Anaſtaſio Romanæ ſedis vices per Illyricum obeunte, celebrata eſt ſynodus Chalcedonenſis, ac Patribus poſt actionem 6. ad ſua redire permiſſis, Clerici Conſtantinopolitani illos qui ad actionem 15. uſque remanſerant, denuo convenire poſtulantes, effecerunt, ut novus canon ederetur, quo Byzantinus ſuus præſul ſecundus à Romano Pontifice cenſeretur, eique Diœceſes tres, Pontica, Aſiana, & Thracica ſubderentur. Adverſus ſanctionem hanc interceſſerunt Romani Legati, qui illi condendæ nequaquam adfuerant, ut pote abſoluta prorſus ſynodo, nec ullus de Illyrico epiſcopus illi ſubſcripſit, uti nec ullus de Ægypto, nec complures de Aſia & Ponto; ſed & Leo Papa à Marciano Imp. obtinuit, ut irrita haberetur.

Antiquatus canon; paulopoſt inſtauratus.

Hanc ſubinde Acacius Conſtantinopolitanus qua apud Zenonem Imperatorem auctoritate valebat, inſtaurandam curavit, tres illas Diœceſes ſedi ſuæ ſubjugando. In Illyricum vero invadere non potuit, ſed nec illius ſucceſſores, illudque totum Romano Pontifici obnoxium perſeveravit, ad tempus uſque Leonis Iſauri Imperatoris. Illud porro Nicolaus Papa I. in ſua ad Michaëlem Imp. epiſtola, literis inſuper Simplicii, Felicis, Gelaſii & Hormiſdæ Romanorum pontificum, deceſſorum ſuorum, confirmabat; quarum paucæ ſuperſunt hodie.

Interrupta Theſſalonicenſis præſulis in Illyricum auctoritas.

Quo tempore Zeno Orienti imperabat, quum Acacius Conſtantinopolitanus communione cum hæreticis Chalcedonenſis ſynodi hoſtibus inita à Romana ſede ſegregatus eſſet, in Schiſma ſuum, hæreſimve traxit Andream Theſſalonicæ antiſtitem, quod fragmento epiſtolæ Felicis Papæ III. ad eumdem Andream fit compertum. *Felix, Andreæ epiſcopo Theſſalonicenſi. Quod plene Catholicæ fidei cupimus redintegratione firmari, ſolicitudinem dilectionis tuæ, qua ad ſedis beati Petri communionem venire deſideras, libenter amplectimur, ſed eam velle-* A *mus, ſicut orthodoxæ Fidei veritatis cautel popoſcit, ex omni fieri parte conſtantem.* At qui nulla ei, nec ſucceſſori ejus Dorothe conceſſa reperitur à Pontificibus Romanis i Illyricum auctoritas, cum ambo ſeſe hæreticorum conſortio fœdaſſent. Quinimo quum Dardaniæ, & Illyrici fere omnes eccleſia Fidem catholicam communionemque Romanam, à qua aliquamdiu ſub Anaſtaſio Auguſto defecerant, uno demum conſenſu, u Hormiſdas Papa Cæſario Arelatenſi ſcribebat, ſcriptis & deſtinatis Legatis adiiſſent, B nulla ut à Gelaſio, ita nec ab Hormiſd Theſſalonicenſi antiſtiti in illas conceſſa poteſtas fuit. Id quod Gelaſius apertè ſignificat epiſtola ſua 11. ad Dardaniæ & Illyrici epiſcopos, quam dedit 3. *Non. Aug. Aſterio & Præſidio coſſ.* ſeu anno Chriſti 494. *Noverit autem veſtra fraternitas Eccleſiæ Theſſalonicenſis antiſtitem noſtris adhortationibus ſæpius incitatum, contagia communionis externæ nunquam declinare voluiſſe, nec apud nos nomen Acacii & cæterorum perfidorum, hiſque communicantium congrua profeſſione damnaſſe.* C *Quamobrem eum communionem ſedis Apoſtolicæ non recepiſſe manifeſtum eſt. Quoniam niſi puris ſenſibus & ab omni nefanda ſocietate* * * * (deeſt aliquid) *beati Petri Apoſtoli, nec poſſumus, nec debemus eccleſiæ tribuere commercia. Propterea cautiùs agendum eſt cum præfecto, ne catholicis mentibus, ut fit, apoſtolicæ ſedis reconciliatione ſubrepat, quam ſicut doloſis artibus fallere & circumvenire non prævalet, ita ſub cujus* * * * (ibi quoque deeſt aliquid) *non poteſt obtinere auctoritatem quoque noſtram, quæ ad Dalmatiarum eſt directa pon-* D *tifices, etiam ad vos credimus dirigendam, &c.* Sic proinde ob Theſſalonicenſis epiſcopi defectionem nihil Romana eccleſia de ſua in Illyricum utrumque juriſdictione amiſit. Quocirca Alcyſo vel Alcyſone Nicopolis veteris Epiri metropolis præſule defuncto, Joannes qui ei ſuffectus fuit, à Dorotheo illo noluit prorſus ordinari, id quod non temere factum Hormiſdas Papa declaravit epiſtola ſua 22. ad eumdem Dorotheum, data anno 517. *Joannes*, inquit, *frater & coëpiſcopus Nicopolitanæ urbis antiſtes cum* E *ſynodo ſua variis ſe concuſſionibus atque diſpendiis graviter cauſatur affligi, quod à tranſgreſſorum ſocietate diviſus, poſtquam communionem ſedis apoſtolicæ emeruit, ad Theſſalonicenſem eccleſiam ordinationis ſuæ initia non direxit. Potuiſſet neglectus hic eſſe culpabilis, ſi unum eſſet inter omnes myſterium caritatis. At quum multi ſe à petræ illius qui Chriſtus eſt, ſoliditate diviſerint, quis non velit ab errantium conjunctione diſcerni, ut mereatur cum his qui conſiſtunt in veritate conjungi. Non igitur*

conſuetudo

Digitized by Google

conſuetudo eſt neglecta, ſed vitata contagia. Ergo objicere quis poſſit errorem, ubi cogitatam ſalubriter intelligit cautionem! Quibus Pontifex ſignificat Dorotheum iniquo animo tuliſſe, quod Nicopolitanus antiſtes à ſe, ut priſca conſuetudo ferebat, non eſſet ordinatus. *Quo pudore rogo,* ait iterum, *privilegia circa te illorum manere deſideras, quorum mandata non ſervas!* (Apoſtolorum ſcilicet Petri & Pauli) *& reverentiam quam non exhibes Fidei, cupis tibi eccleſiaſtica poteſtate deferri!*

Theophanis de ſuſpenſione auctoritatis teſtimonium.

XX. Ac certè Theophanes ad annum Alexandrinum ſuum ab Incarnatione DVIII. quem à Kalendis Septembris auſpicabatur, vulgaris æræ anno 516. narrat, *Epiſcopo Theſſalonicenſi ob Imperatoris metum cum Timotheo Conſtantinopolitano communionem tenente, quadraginta Illyrici, Græciæque epiſcopos una convenientes, tabulis etiam teſtibus profeſſos eſſe; ab eo velut metropolita* (ſeu qui ipſorum ordinationibus præfuerat) *ſe diſcedere, miſſiſque Romam tabulis, Romani Pontificis communionem obſervare pollicitos.* Ex quibus omnibus apertum fit durabilem non fuiſſe illam quam Dorotheus ſtatim accepta Hormiſdæ ad ſedem Apoſtolicam promotione venerationem profeſſus erat; data ad eum epiſtola 5. *Kal. April. Florentio V. Cl. coſ.* ſeu anno 515. cui tamen Pontifex ſic cautè reſcripſerat, ut probato ejus erga Romanam ſedem ſtudio, nihil quidquam ei conceſſerit priſtinæ illius auctoritatis, qua deceſſores ejus ante Andream potiti erant. Anaſtaſio Imp. defuncto, quia Dorotheus Juſtino licet catholiciſſimo Principe, nihilo ſe obſequentiorem Romanæ ſedi præbebat, nec male facta corrigebat, Romam ab Hormiſda juſſus eſt venire, ut tum rectam illic Fidem profiteretur, tum objecta crimina dilueret, quorum certe hoc præcipuum erat, quod Joannes Pontificis Romani Legatus, qui ſynodum Theſſalonicam convocarat, ab urbis hujus plebe necatus eſſet. Liber Græcus ſynodicus, ſeu qui ſynodorum catalogum ſynopſimque exhibet, ubi de hac ſynodo mentionem habet, refert inſuper illos è Theſſalonicenſibus qui de Chalcedonenſi concilio male ſentiebant, incenſa noctu crudeliter domo in qua ſacer ille conventus habebatur, epiſcopos diſſipaſſe, ſanctos illos viros ſemiuſtos abegiſſe. Hormiſdas Germano epiſcopo, aliiſque Legatis ſuis duobus ſcripſit, ut ab Imperatore obtinerent, ne Dorotheus in civitatem ſuam reverteretur: *ſed epiſcopatus quem nunquam bene geſſit honore depoſito, ab eodem loco & eccleſia longius relegaretur, vel certe huc ad Urbem ſub proſequutione congrua dirigeretur.* Addebat alterum illius loco ordinandum, nullis tamen ſubreptionibus Ariſtidem totius mali incentorem & conſcium.

Statim ab amotione Dorothei, ejus ſucceſſorem Illyrici regimen recepiſſe, aperte non conſtat.

XXI. Dorothei ſucceſſorem poteſtatem illam priſtinam in Illyricum recepiſſe, luculento nullo teſtimonio conſtat. Ex actis vero ſynodi Romanæ quæ ſub Bonifacio Papa II. anno 531. habita eſt, comperimus Epiphanium Conſtantinopolitanum denuò tentaſſe, ut illam quam deceſſores ſui ſæpe ambierant in Illyrici provincias poteſtatem ſubriperet; cum epiſcopi quidam & preſbyteri Stephani Lariſſæ ordinationem tamquam non rite factam ad ipſum detuliſſent. Lariſſam ille Andream miſit eccleſiæ ſuæ diaconum, qui non reperto ea in urbe Stephano, Theſſalonicam venit, quo ille perrexerat, cauſamque coram ſe dicere præcepit. At Stephanus meliore conſilio, priſcos mores ſequutus, accuſatorum, aliorumque conatus nihil metuens, & ad Deum ſolummodo & ſanctæ eccleſiæ leges, necnon ad principatum Apoſtolicæ ſedis reſpiciens, palam dixit, ſi oporteret ſe alicui accuſanti reſpondere, aut de ordinatione ſua aliquid judicare, non apud eum qui judicaturus venerat, cauſam ſe dicturum, ſed alibi, apud quem ſcilicet ſacrorum canonum lex cuſtoditur, & uſque hactenus conſuetudo ſervatur, *memoriam faciens,* inquit, *veſtri ſancti capitis & Apoſtolicæ ſedis.* Nihilominus in illa ſynodo queſtus eſt ſe invitum Conſtantinopolim deductum eſſe, ubi tamen nihil confectum eſt, quum Apoſtolicam ſedem ſemper appellaret. Atqui ex hujus ſynodi actis quæ Lucas Holſtenius evulgavit, illa fere omnia habemus, quæ ad oſtendendam Romani Papæ in Illyricum etiam Orientale, juriſdictionem attuli.

Poſt tamen recepit.

XXII. Cæterum tametſi in illis actis Romanæ ſynodi ſub Bonifacio II. nulla mentio ſit Theſſalonicenſis, qui tunc ſedebat, epiſcopi, nullus dubito, quin ſub Juſtino Juſtinianoque principibus Catholicis, Theſſalonicenſis ſedes priſtinum illud privilegium receperit, ut ejus Pontifex Romanæ ſedis vices more priſtino gereret. Quamquam ejus ditio aliquantum imminuta eſt à Juſtiniano Imp. qui ab Agapeto & Vigilio Romanis Papis obtinuit, ut à Juſtinianæ primæ, patriæ ſuæ quam exſtruxerat, epiſcopo Illyrici provinciarum pars non contemnenda adminiſtraretur. Id quod Novella ſua 11. declaravit hoc titulo: *Ut quæ circa Viminacium ſunt eccleſiæ ſub proprio archiepiſcopo ſint, non autem amplius ſub archiepiſcopo Theſſalonicæ.* Quo ſatis innuitur, illo tempore Illyrici provincias ab archiepiſcopo Theſſalonicenſi procuratas fuiſſe.

Imminuta eſt à Juſtiniano.

Novæ Diœceſis inſtitutio ſub Prima Juſtiniana.

XXIII. Atqui Juſtinianus illa ſua Lege novam illam Illyrici quam inſtituebat Diœ-

ceſim ad hunc modum definivit. *Imperator Juſtinianus A. Catelliano, viro Beatiſſimo, archiepiſcopo primæ Juſtinianæ. Multis & variis modis patriam noſtram augere cupientes, in qua primò Deus præſtitit nobis ad hunc mundum quem ipſe condidit venire, & circa ſacerdotalem cenſuram eam volumus maximis incrementis ampliare; ut primæ Juſtinianæ patriæ noſtræ pro tempore ſacro-ſanctus antiſtes, non ſolum metropolitanus, ſed etiam archiepiſcopus fiat: & cæteræ provinciæ ſub ejus ſint auctoritate; id eſt tam ipſa mediterranea Dacia, quam Dacia Ripenſis, necnon Myſia ſecunda, Dardania, Prævalitana provincia, & ſecunda Macedonia, & pars ſecundæ etiam Pannoniæ, quæ in Bacenſi eſt civitate. Cum enim in antiquis temporibus Firmi* (Leg. *Sirmii*) *præfectura fuerit conſtituta, ibique omne fuerit Illyrici faſtigium, tam in civilibus, quam in epiſcopalibus cauſſis; poſtea autem Attilanis temporibus ejuſdem locis devaſtatis Apennius præfectus prætorio de Firmitana (Sirmitana* ſeu Sirmienſi *) civitate in Theſſalonicam profugus venerat, tunc ipſam præfecturam & Sacerdotalis honos ſequutus eſt, & Theſſalonicenſis epiſcopus, non ſua auctoritate, ſed ſub umbra præfecturæ meruit aliquam prærogativam. Cum igitur in præſenti, Deo auctore, noſtra Reſpublica aucta eſt, ut utraque ripa Danubii jam noſtris civitatibus frequentetur, & tam Viminacium, quam Recidua & Literata quæ trans Danubium ſunt, noſtræ iterum ditioni ſubjectæ ſint, neceſſarium duximus, ipſam glorioſiſſimam præfecturam, quæ in Pannonia erat, in noſtra feliciſſima patria collocare, cum nihil quidem magni diſtet à Dacia mediterranea, ſecunda Pannonia. Et quia homines ſemper bellicis ſudoribus inhærentes, non erat utile Reipublicæ ad primam Macedoniam, poſt tot ſpatia tantas etiam difficultates venire, ideo neceſſarium nobis viſum eſt ipſius præfecturam ad ſuperiores partes trahere, ut juxta eam provinciæ conſtitutæ facilius ſentiant illius medicinam. Et ideo omnes præfatæ primæ Juſtinianæ antiſtites Archiepiſcopi habeant prærogativam & omnem licentiam, ſuam auctoritatem eis impertiri, & eos ordinare, & in omnibus ſupradictis primam habeant dignitatem, ſummum ſacerdotium, ſummum faſtigium, à tua ſede creentur, & te ſolum Archiepiſcopum habeant, nulla communione ad eum Theſſalonicenſi epiſcopo ſervanda: ſed tu ipſe & omnes Primæ Juſtinianæ antiſtites, ſeu ejus judices & diſceptatores, quidquid oriatur inter eos diſcrimen, ipſi hoc dirimant, & finem eis imponant, & eos ordinent, & nec ad alium quemdam eatur, ſed ſuum agnoſcant Archiepiſcopum omnes prædictæ provinciæ, & ejus ſentiant creationem, & vel per ſe, vel per ſuam auctoritatem vel clericos mittendos habeat omnem poteſtatem, & omnem ſacerdotalem cenſuram, & creationis licentiam. Sed in Aquis, quæ eſt provincia Daciæ Ripenſis, ordinari volumus à tua ſanctitate epiſcopum, ut non in poſterum ſub Meridiano (* ſeu *Meſembriano) Thraciæ oppido epiſcopo ſit conſtituta, ſed Meridianus* (Meſembrianus) *quidem maneat in Meridiano,* (Meſembriano) *nulla communione cum Aquis ſervanda. Aquenſis autem epiſcopus habeat præfatam civitatem, & omnia ejus caſtella, & territoria, & eccleſias, ut poſſit Bonoſiacorum ſcelus ex ea civitate & terra repellere, & in orthodoxam fidem transformare. Ut igitur ſciat beatitudo tua noſtri numinis diſpoſitionem, ideo præſentem legem ad tuam venerabilem ſedem tranſmiſimus, ut in perpetuum tale beneficium habeat patriæ noſtræ eccleſia in Dei omnipotentis gloriam, & noſtri numinis ſempiternam recordationem. Quando autem tuæ recordationis ſedis gubernatorem ex hac luce decedere contigerit, pro tempore Archiepiſcopum ejus à venerabili ſuo concilio metropolitanorum ordinari ſancimus, quemadmodum decet archiepiſcopum omnibus honoratum eccleſiis provehi, nulla penitus Theſſalonicenſi epiſcopo nec ad hoc, communione ſervanda. Beatitudo igitur tua, quæ noſtra ſanxit æternitas, modis omnibus ad effectum perducere non differat. Dat. 20. Beliſſ. V. C. Conſule.*

Μεσημβρία Græce, meridiem Latine ſignificat,

XXIV. In hac novella quum multæ provinciæ primæ Juſtinianæ epiſcopo aſſignentur, in iis cenſetur *Myſia ſecunda*, quæ Thracicæ diœceſis fuit. Malim legere *Myſia ſuperior*, ſeu prima, uti novella 131. quam infra recitabo. Quum inſuper jam animadverterim evicerimque Theſſalonicenſem Pontificem Romanæ ſedis vices in Illyricum Orientale exercuiſſe dudum ante tempora Attilæ, qui poſtremis Theodoſii junioris annis, imo Marciano Imp. in regiones cis Danubium excurſionem fecit, nec Juſtinianum erraſſe temere aſſeram, hic ejus ſenſus eſſe videatur, ſcilicet ob Attilæ expeditionem Apennium præfectum prætorio, Sirmio relicto, Theſſalonicam receſſiſſe, tuncque *ipſam præfecturam & ſacerdotalem honorem ſequutum eſſe*, ac proinde *Theſſalonicenſem epiſcopum, non ſua auctoritate, ſed ſub umbra præfecturæ meruiſſe prærogativam*, non quidem ut Illyricum Orientale nomine ſedis Apoſtolicæ procuraret, ſed ut & Occidentale, cujus metropolim fuiſſe Sirmium prædixi. Nam Juſtiniani, ut apparet, tempore, quo Juſtiniana prima provinciarum illarum Illyrici occidui caput effecta eſt, Theſſalonicenſi antiſtitis regimini ſubjectæ erant.

Theſſalonicenſis epiſcopi in Illyricum Orientale auctoritas perſtat.

XXV. Novella igitur illa conſtitutione Imperator à Theſſalonicenſis epiſcopi juriſ-

Primæ Juſtinianæ privilegia ab

Digitized by Google

Agapeto Papa Juſtinianus poſtulat.

dictione avellebat quidquid in Illyrico Latini præſertim idiomatis, præter Macedoniam ſecundam, ut quidquid Græci eſſet, Theſſalonicenſis epiſcopi ordinationi ſubjaceret. Sed & eadem ſanctione fiebat, ut Primæ Juſtinianæ epiſcopus ejuſmodi deinceps in illas provincias poteſtate polleret, quæ realis eſſet, ac non ut prius merè perſonalis. Verum privilegium hoc Primæ Juſtinianæ; quod à Romana ſede, non Imperatoria poteſtate pendebat, ab Agapeto Papa primùm concedi poſtulaverat, datis hanc in rem ad eum literis, qui per Legatos ſuos quos Conſtantinopolim miſit, quid deliberatum eſſet Juſtiniano ſignificavit: *De Juſtiniana civitate glorioſi natalis veſtri conſcia, nec non de noſtræ ſedis vicibus injungendis, quid ſervatò B. Petri quem diligitis principatu, & veſtræ pietatis affectu plenius deliberari contigerit, per eos quos ad vos dirigimus, Legatos, Deo propitio, celeriter intimamus.* Nimirum nihil tunc confectum fuit, ſed nec quum Agapetus Conſtantinopolim perrexiſſet: nihil quoque Silverius ejus ſucceſſor conceſſit; ſed tandem Vigilius. Id quod Imperator idem altera novella ſua 131. cap. 31. teſtatum facit. *De Archiepiſcopo primæ Juſtinianæ. Per tempus autem beatiſſimum primæ Juſtinianæ noſtræ patriæ archiepiſcopum habere ſemper ſub ſua juriſdictione epiſcopos provinciarum Daciæ mediterraneæ, & Daciæ Ripenſis, & Prævalis, & Dardaniæ, & Myſiæ ſuperioris, & Pannoniæ, & hos ab eo ordinari; ipſum vero à proprio ordinari concilio, & in ſubjectis locum obtinere eum ſedis Apoſtolicæ Romæ, ſecundum ea quæ definita ſunt à ſanctiſſimo Papa Vigilio.* In qua Novella Macedonia ſecunda omittitur, quæ Orientali Illyrico remanſit, & pro Myſia ſecunda, *Myſia ſuperior* memoratur; ſolæque provinciæ duæ Dardania & Prævalis quæ Orientalis Illyrici fuerant, Primæ Juſtinianæ archiepiſcopo ſubduntur. In priore Novella præter utramque Daciam ſecundæ Pannoniæ pars eidem aſſignatur, in ſecunda, ipſa Pannonia, omiſſo *ſecundæ* nomine, ϗ Μυσίας ἀνωτέρας, ϗ Παννονίας. Errant illi Novellarum Scholiaſtæ qui Daciam illas complexam dicunt regiones trans Iſtrum ſeu Danubium, quam Tranſilvaniam, Valachiam & Moldaviam vocamus. Nam utraque Dacia cis Iſtrum exſtabat, Ripenſis juxta fluvium, & mediterranea Ripenſem inter & Macedoniam.

Conceduntur à Vigilio Papa.

Gregorius . Papa rici ſe. di res x.

XXVI. Inter epiſtolas ſanctiſſimi Papæ Gregorii Magni, tres ejus exſtant libro 2. Ind. x. de electione Joannis epiſcopi Primæ Juſtinianæ, quam approbat & confirmat. Epiſtola quidem 22. *univerſis epiſcopis per Illyricum*, lætari ſe ait, quia ex epiſtolis quas ad ipſum per Maximianum presbyterum & Andream diaconum miſerant, in perſona Joannis fratris & coëpiſcopi ſui omnium ipſorum & Sereniſſimi Principis conveniſſe cognovit voluntate. Sic perinde eidem Joanni ſcribit epiſtola 23. *Quia igitur ſuſcepta fratrum & coëpiſcoporum noſtrorum relatio ad locum vos ſacerdotii, totius Concilii unito conſenſu, & Sereniſſimi Principis voluntate declarat accerſiri.* Quæ ſignificant totius illius partis Illyrici epiſcopos convenire ſolitos fuiſſe, aut certè ut Juſtinianus decreverat, metropolitas, ad Primæ Juſtinianæ archiepiſcopi electionem. Exſtant aliæ Magni Gregorii ad eumdem Joannem epiſtolæ de variis negotiis quæ in his Illyrici provinciis acciderant.

Bulgari in Illyrico ſecundo Chriſtianam religionem exterminant.

XXVII. Atque hæc archiepiſcoporum Primæ Juſtinianæ in illam Illyrici partem juriſdictio, integra manſit uſque ad an. 678. Conſtantini Pogonati Imp. 10. quo Bulgari trajecto Iſtro has regiones ad Prævalim uſque invaſerunt. Qui quum Gentiles eſſent barbarique prorſus, quidquid in his terris Chriſtianæ religionis fuit exſtinxerunt, donec ſæculo nono, Chriſto tandem nomen dederunt. Hujus loci non eſt enarrare quæ à Nicolao Papa I. Hadriano II. & Joanne VIII. Romanis Pontificibus tentatum fuit ut Bulgari quos Chriſtianæ Fidei elementis imbui curaverant, Apoſtolicæ ſuæ ſedi obnoxii fierent. Hoc fuſe præſtitum eſt ubi de Patriarchatu Conſtantinopolitano diſputavimus.

Gregorius M. perinde Illyricum Orientale curat.

XXVIII. Quod Theſſalonicenſem epiſcopum attinet, illa quoque Orientalis Illyrici pars cui præerat, Romanæ ſedi addicta manſit poſt Novellæ quoque Juſtinianeæ ſanctionem. Id quod non ex his dumtaxat Imperatoris hujus legibus quas ante recitavi; compertum ſit, verum etiam ex epiſtola Gregorii Magni, quæ exſtat lib. 9. Indict. 11. *Euſebio Theſſalonicenſi, Urbico Dyrrachino, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthio, Joanni primæ Juſtinianæ, Joanni Cretenſi, Joanni Lariſſæo & Scodritano*, aliiſque compluribus epiſcopis Illyrici inſcripta, qua monebat, vetabatque, ne quiſquam ipſorum Conſtantinopolitano epiſcopo aſſentaretur, *œcumenici* ſive *univerſalis* Patriarchæ titulum ſibi arroganti, nullus illum *ubi fuerit ſcriptus admittat*, nullus *ſubſcriptionem ſuam adjiciat*: & quia audierat illos ad ſynodum Conſtantinopolim Joannis Patriarchæ literis vocari, cavere mandat, *ne perverſi homines conventûs ipſorum occaſione percepta aut pro hujus nominis (œcumenici, ſive univerſalis) ſuperſtitione, locum ſubreptionis requirant, aut ob aliam rem ſacere cogitent; quatenus hoc in ea callidis machinationibus inducant, quamvis ſine*

Apoſtolicæ ſedis auctoritate atque conſenſu, nullas quæcumque acta fuerint, vires habeant. Sed & ſi de alia re ſynodus forte colligitur, omnino ſint cauti, circumſpecti, vigilantes, atque ſolicíti, ne quid illic contra locum aliquem vel perſonam præjudicialiter, ſive illicitè, adverſus canones cenſeatur. Alteram antehac epiſtolam dederat *eidem Euſebio Theſſalonicenſi, Urbicio Dyrracitano, Conſtantio Mediolanenſi, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthio, Joanni primæ Juſtinianæ, Joanni Cretenſi, Scodritano, Joanni Lariſſæ, Mariniano Ravennæ, Januario Caralis Sardiniæ, & omnibus epiſcopis Siciliæ;* qui nimirum omnes Romanæ ſedis ditionis erant, Romanique Imperatoris ſubditi. Nam cum illos certiores faceret, Mauritium Imp. edixiſſe, ne qui publicis rationibus obligati eſſent, in clerum aut in monaſterium admitterentur, militeſque per triennium prius probandos, quam monaſticam veſtem induerent, hujus novellæ Legis Gregorius illos certiores faciebat.

Honorius quoque I.

XXIX. Extat etiam Honorii Papæ I. epiſtola ad *Joannem, Andream, Stephanum, Donatum*, Epiſcopos per Epirum conſtitutos, qua ſignificabat, ideo ſe aliquantulum diſtuliſſe Pallium mittere Hypatio, quem Nicopolis metropolitam ordinarat, ne ille particeps aut conſcius fuiſſet necis deceſſoris ſui Soterichi.

Vitalianus itidem Papa

XXX. His addam & Vitalianum Papam ad quem circa annum 668. Joannes Lappæ in Creta inſula epiſcopus provocavit, quum à Paulo Gortynæ metropolita ſuo injuſte ſe damnatum cauſaretur. Hujus cauſam Pontifex cum ſua ſynodo ſedulo expendit, & illum, reſciſſis quæ à Paulo geſta fuerant, priſtino honori reſtituit; quod declaravit epiſtola Paulo archiepiſcopo Cretenſi data 6. Kal. Sept. Ind. 11. quin epiſtola rurſum altera eidem Paulo Cretenſi præcepit, ut Joanni eccleſias quæ ipſi ereptæ erant, reſtitui curaret: inſuper ut diaconum nomine Joannem qui uxorem duxerat, & in duabus eccleſiis militabat ad ordinem redigeret: demum Eulampium Curialem, cujus pravis conſiliis annuerat, à ſe procul ejiceret.

Baſilius Cretenſis ſynodi Romanæ in 6. ſynodo generali vicarius.

XXXI. Addam & Baſilium Cretenſem itidem metropolitam, ſub Agathone Papa à ſynodo Romana, cui proinde ſuberat, delegatum eſſe, ut ejus vices expleret in ſexto Concilio generali, quod adverſus Monothelitarum hæreſim Conſtantinopoli celebratum fuit.

Chrobati & Servii Romanorum Pontificum opera Chriſtiani.

XXXII. Quinimo quum Chrobati Serviique tranſmiſſo Danubio, Illyrici regiones occupaſſent, in quas Avares non ita pridem penetraverant, Heraclius Imp. utramque gentem Chriſtianis myſteriis initiari curavit:

A non aliunde vero quam Roma epiſcopos & ſacerdotes, Diaconoſque ad illos erudiend accerſivit. Id quod Conſtantinus Porphyro gennetus Imperator narrat lib. 2. *De adm. niſtratione Imperii* capp. 31. & 32. Quo enim Chrobatos ſeu Croatos attinet, ſic lo quitur cap. 31. ὁ δὲ βασιλεὺς Ἡράκλειος ἀποστείλας καὶ ἀπὸ Ῥώμης ἀγαγὼν ἱερεῖς, καὶ ἐξ αὐτῶν ποιήσας ἀρχιεπίσκοπον, καὶ ἐπίσκοπον, καὶ πρεσβυτέρους, καὶ διακόνους, τοὺς Χρωβάτους ἐβάπτισε. εἶχον δὲ κατὰ τότε καιρὸν οἱ τοιοῦτοι Χρωβάτοι ἄρχοντα τὸν Πορgά. *Heraclius Imperator Ro*

B *mam mittens, ſacerdotes accerſivit, conſtitutoque ex illis archiepiſcopo, necnon epiſcopo preſbyteris & Diaconibus, Chrobatos baptiſavit: illorumque tunc temporis Princeps erat Porga.* Addit, *hos Chrobatos, qui Chriſtianas leges amplexi ſunt, extra propriæ terræ limites non libenter bellum inferre; idque quia oraculum quoddam ſive ſtatutum acceperunt à Romano Pontifice, qui ſub Heraclio Romanorum Imperatore ſacerdotes miſit, eoſque baptiſavit. Chrobati ſiquidem poſt acceptum baptiſmum pepigerunt & chirographis propriis datis ſancto*

C *Petro Apoſtolo juraverunt, nunquam ſe alienam terram armis invaſuros, ſed pacem habituros cum volentibus omnibus, & imprecationem viciſſim à Romano Pontifice acceperunt, ut ſi quando aliæ gentes ipſorum Chrobatorum terram invaderent, belloque infeſtarent, pro iis pugnaret, vindexque eſſet eorum Deus, victoriam conciliante Petro Chriſti diſcipulo.* De Serblis Serviiſve perinde narrat c. 32. *Quumque ea quæ nunc Servia dicitur, & Pagania, quæque Zachlumorum terra vocatur, item Terbunia, & Canalitarum regio, quæ Imperatoris*

D *Romanorum ditionis erant, propter Abarum excurſiones deſertæ eſſent, expulſis inde Romanis, qui nunc Dalmatiam atque Dyrrachium incolunt, regiones illas Serviis habitandas Imperator dedit, cui etiam ſubjecti erant, à quo etiam baptiſati fuere per preſbyteros Roma accerſitos, & pietatis opera edocti antiqua fide accepta.* οὓς ὁ βασιλεὺς, πρεσβύτας ἀπὸ Ῥώμης ἀγαγὼν ἐβάπτισε, καὶ διδάξας αὐτοὺς τὰ τῆς εὐσεβείας πράττειν καλῶς, αὐτοῖς τὴν χριστιανῶν πίστιν ἐξέθετο.

XXXIII. Ac certe ea omnis pars Illyrici Apoſtolicæ ſedis ordinationi obnoxia perſe-

E veravit ad ætatem uſque Leonis Iſauri Imp. qui videlicet, quum Gregorium utrumque, primum ſcilicet & ſecundum Romanos Pontifices impietati ſuæ, qua in ſanctas imagines debacchabatur, minime faventes experiretur, uti Calabriam, Siciliamque, ita & regiones Illyrici Orientalis, quæ ſibi parebant, Macedoniam, Theſſaliam, utramque Epirum, Achaiam, Cretam Inſulam, ipſoſque Servios, qui imperio quoque ſuo ſuberant, veluti prædictum eſt, ab Apoſtolicæ ſedis

Digitized by Google

priſca juriſdictione avulſit, Conſtantinopolitanæque attribuit, quas ſub Catholicis principibus, imo ſub hæreticis aliis, Byzantini præſules ſubigere nunquam valuerant. De qua diſtractione fuſe diſputo, ubi de Patriarchatu Conſtantinopolitano.

Theſſalonicenſis præſul ad infimum locum rejectus.

XXXIV. Hoc Leonini furoris facinore factum eſt, ut Theſſalonicenſis epiſcopus, qui præteritis ſæculis inter præcipuos orbis cenſebatur; ita ut in epiſtolis clericorum Alexandrinorum & epiſcoporum Ægypti ad Leonem Imp. de nece S. Proterii archiepiſcopi Alexandrini, poſt Hieroſolymitanam & ante Epheſinam Theſſalonicenſis eccleſia cenſita ſit, ejus præſul à Theodoro diacono, Theophane teſte, Patriarcha diceretur; in ſynodis generalibus Epheſina utraque, Chalcedonenſi, quinta, ſextaque, inter præcipuos ipſe ejuſque Vicarii ſederint, quin & Trullanæ canonum ſubſcriptionibus Theſſalonicenſis locus vacuus, Cæſarienſi & Epheſino prænotetur; in ſeptima quæ poſt exſtinctum Leonem celebrata eſt, in octava & in Photiana poſtrema, ſedis hujus antiſtites inter inferioris ſubſellii metropolitas numerentur; in ſeptima poſt Nicænum, in octava poſt Athenienſem, in Photiana illa poſtremo loco poſt Bizyenſem Thraciæ. In Notitia Græca Leonis Sapientis Imp. metropolita Theſſalonicenſis decimus ſextus cenſetur.

Subinde tamen nobiliorem obtinuit.

XXXV. In Notitia nova Andronici junioris Imperatoris, qui metropoles alias è minoribus majores fecit, alias ad minores thronos deduxit, Theſſalonicenſis ſedes, quæ XVI. prius erat, ad honorem pervenit XI. IA. ἡ Θεσσαλονίκη, θρόνος ις´. καὶ ἐτιμήθη εἰς ια´. In altera rurſum apud Georgium Codinum Ancyrani metropolitæ locus, quartus ſcilicet Theſſalonicenſi datus fertur, ἔχει δὲ νῦν τὸν τόπον τοῦ Ἀγκύρας: quem ordinem non refert ea quam Thomas Smith evulgavit. Joannes Cantacuzenus Imp. Theſſalonicenſi ſubinde conceſſit, uti παναγιώτατος appellaretur, utque Indictionem literis ſuis adderet.

Bulgariæ epiſcopus in Illyrico.

XXXVI. Non omittendum, dudum antea Macedoniam in duas diviſam fuiſſe, ac ſecundæ caput Philippos civitatem fuiſſe: cæterum non ſolum in Notitia Hieroclis, quum ea diviſio nondum extaret, Philippos ſub Theſ- A ſalonica cenſeri, quin etiam ipſiſmet Epheſini Concilii temporibus, ſancita jam illa partitione, Philippenſem Eccleſiam Theſſalonicenſi perinde obnoxiam manſiſſe. Paulo poſt vero quum Bulgari, tranſmiſſo Danubio, multas Illyrici provincias occupaſſent, ac ſubinde tandem Chriſtianæ religioni nomen dediſſent; hinc factum eſſe, ut archiepiſcopo ipſorum Achridenſi omnes illæ regiones ſubditæ iterum fuerint; quin & de Macedonia & Theſſalia, ut & de Thracica Dœceſi, quamplurimæ civitates epiſcopales B ditionis illius evaſerunt, præter illas quas paſſim epiſcopis propriis donari curaverant: illeque primarius Bulgariæ pontifex excuſſo tum Romanorum, tum Byzantinorum jugo αὐτονομίαν ſibi vindicavit, ut, inquam, ſui juris eſſet; ita ut Patriarchæ quoque titulo auctus aliquando fuerit. Cæterum ſequiori ævo magna pars illarum urbium ad Byzantinum thronum rediit, quum Baſilius Imp. qui *Bulgaricida* cognominatus eſt, gentem hanc Byzantinis graviſſimam & moleſtam penè deleviſſet, & intra perparvos limites C coërcuiſſet.

XXXVII. In actis quidem octavæ ſynodi generalis Theodorus Theſſalonicenſis, *archiepiſcopus* dicitur, ut & in ſequioris ævi monumentis, propter nimirum novellas inprimis Juſtiniani quas attuli, in quibus utriuſque Illyrici illius primates ambo archiepiſcopi titulo donantur, ſeu qui metropolitarum ordinandorum poteſtate pollerent. Nunc vero quum Heracleenſis metropolita & archiepiſcopus, *Exarchus totius Thraciæ & Macedoniæ appelletur*, καὶ ἔξαρχος πάσης Θρᾴκης καὶ Μακεδονίας, D Theſſalonicenſis *Exarchus item dicitur totius Theſſaliæ*, ἔξαρχος πάσης Θετταλίας, qua voce, hodie ſignificatur ille qui Patriarchæ nomine eccleſias luſtrat; ut Theſſalonicenſis præſul tum provinciæ ſuæ Macedoniæ præſit metropolita, tum Theſſaliam quoque omnem viſitare debeat. Hinc apud Cruſium lib. 2. Turcogr. pag. 192. affertur hæc ſubſcriptio Gregorii Theſſalonicenſis. ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Θεσσαλονίκης, καὶ ὑπέρτιμος, καὶ ἔξαρχος πάσης Θετταλίας Γρηγόριος, *Humilis metropolita Theſſalonicæ, & Hypertimus, & Exarchus totius Theſſaliæ Gregorius.*

Digitized by Google

I. PROVINCIA MACEDONIÆ.

I. ECCLESIA THESSALONICÆ, METROPOLIS.

THESSALONICA Macedoniæ primæ, quæ Ægæum mare contingit, non quæ Ionium primaria civitas nominatiſſima, nobiliſſimaque pridem fuit, quæ quum *Halia* Ἀλία priùs diceretur, à Caſſandro inſtaurata poſterius illud nomen habuit. Ad Axium fluvium poſita eſt, in ſinus Ægæi maris quem *Thermæum* appellarunt, receſſu. Populoſiſſimam ſua ætate fuiſſe teſtatur Strabo, εὔανδρον; inclytam quoque ſua Sardicenſis ſynodi Patres, emporium hodieque eſt præſtantiſſimum. Græci Chriſtiani multas in ea eccleſias etiamnum poſſident, quarum primaria S. Demetrii nomine conſecrata eſt, qui hac in Urbe ſub Maximiano egregium martyrium obiit. Urbem hanc ab Apoſtolo Paulo Chriſtianis legibus inſtitutam fuiſſe teſtantur ejus duæ ad Theſſalonicenſes epiſtolæ, & in Actis Apoſtolorum Lucas ejus diſcipulus, cap. præſertim 17. ubi refert hoſpitatum eum eſſe apud Jaſonem quemdam, qui proinde nomen Chriſto dedit.

EPISCOPI THESSALONICÆ.

I. ARISTARCHUS.

MArtyrologia Bedæ, Adonis ac tamdem Romanum ad diem 4. Auguſti memoriam habent S. Ariſtarchi qui Apoſtoli Pauli diſcipulus fuit, quem Theſſalonicæ epiſcopum faciunt. *Theſſalonicæ Natalis B. Ariſtarchi diſcipuli & comitis individui S. Pauli Apoſtoli, de quo ipſe ad Coloſſenſes ſcribit. Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus. Is ab eodem Apoſtolo Theſſalonicenſium epiſcopus ordinatus, poſt longos agones ſub Nerone coronatus in Chriſto quievit.* S. Lucas Act. 20. v. 4. Pauli in Syriam navigantis hos fuiſſe ſocios memorat: *Comitatus eſt autem eum Sopater Pyrrhi Berræenſis, Theſſalonicenſium vero Ariſtarchus, & Secundus & Caïus Derbeus, & Timotheus,* cap. 27. Ariſtarchum Romam cum illo conſcenſa navi perrexiſſe narrat: *Aſcendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Aſiæ loca, ſuſtulimus, perſeverante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi.* Græci in Menologio die 14. Aprilis S. Ariſtarchi meminerunt, at ex Dorotheo ſuo Tyrio hunc Apameæ epiſcopum fuiſſe ferunt.

A
B
C

II. CAIUS.

Origenes ad caput 16. epiſtolæ ad Romanos v. 23. ubi legimus, *ſalutat vos Caïus hoſpes meus, & univerſa eccleſia,* hæc habet: *Fertur traditione majorum, quod hic Caïus epiſcopus fuerit Theſſalonicæ.*

III. ACHILLEUS.

E primis utique fuit Theſſalonicæ antiſtitibus Achilleus, Ἀχίλλειος, qui in narratione miraculorum S. Demetrii Martyris fertur, Latinis peregrinis, qui Theſſalonicâ in Palæſtinam pergebant, in viſu apparuiſſe cum Demetrio, fruſtraque pro hac urbe Deum interpellaſſe, ut imminentem urbi Sarracenorum impreſſionem averteret. In hac narratione Achilleus diſerte ſacrorum antiſtes dicitur, Ἱεράρχην Ἀχίλλειον, adeoque epiſcopus. Hiſt. Byzant. continuat. poſt Theoph. p. 316.

IV. ALEXANDER.

Quo tempore Arii hæreſis Chriſtianò orbi innotuit, Alexander Theſſalonicenſi eccleſiæ præerat, qui ſynodo Nicænæ interfuit, ut ex Indice Patrum hujus Concilii Latino conſtat, nec non ex actis quæ Gelaſius Cyzicenus compoſuit, in quibus à ſynodo deſignatus dicitur, ut quæ definita eſſent, Eccleſiis Macedoniæ, Græciæ & Scythiæ renuntiaret. Athanaſii Magni cauſam, quem ſynodus Tyria atque Antiochena ſubinde immeritò proſcripſerant ſtrenue defendit, ſcripta ad epiſcopos qui illò convenerant epiſtola, acriter eos perſtringens, quod cuncta hæc non niſi per conjurationem gererent.

Digitized by Google

Ejus partem Athanaſius recitat in Apologia de fuga. Aliam dedit ad Dionyſium comitem, qui eidem conventui de Principis mandato interfuerat, quam Dionyſius ipſe ad ſe ſcriptam Euſebianis declaravit, ταῦτα καὶ ὁ κύριός μου τῆς ψυχῆς Ἀλέξανδρος ἔγραψε, *Hæc & Dominus animæ meæ Alexander literis ſignificavit*. Subinde viri meritum & auctoritatem commendat. Νομίζω δὲ οὐ μικρὰν ἔσεσθαι ἀφορμὴν καθ' ἡμῶν μέμψεως, ὅταν φαίνηται ὁ κύριός μου Ἀλέξανδρος, μὴ συναινῶν τοῖς πεπραγμένοις. *Arbitror non minimum nobis obtrectandi incitamentum fore, quando apparet Dominum meum Alexandrum iis quæ geſta ſunt non aſſentiri*. Has epiſtolas Athanaſius refert Apologia ſua ſecunda, præter alteram tertiam quam ab eodem ipſe Alexandro acceperat. Anno 335. Alexander ſynodo interfuit, quæ Hieroſolymis habita eſt, in dedicatione eccleſiæ S. Reſurrectionis. Ait enim Euſebius lib. 4. vit. Conſtantini cap. 43. Macedones metropolis ſuæ antiſtitem miſiſſe, qui huic adeſſet. Μακεδόνες τὸν τῆς παρ' αὐτοῖς μητροπόλεως παρέπεμπον.

V. Joannes.

In epiſtola conventus Arianorum Philippopolitani, qua Sardicenſis Concilii auctoritati detrahere conabantur, mentio fit Joannis Theſſalonicenſis epiſcopi: *Et quia Joannes Theſſalonicenſis Protogeni* (Sardicenſi) *frequenter probra & convitia objecit, quod diceret illum concubas habuiſſe & habere, cui communicare nunquam voluit: nunc vero in amicitiam receptus apud ipſos habetur ut juſtus.* Proxime, ut videtur, Alexandro Joannes ſucceſſerat.

VI. Aetius.

Joannem proinde excepit Aëtius qui in Concilio Sardicenſi ſedit, epiſtolæque ſacri hujus Concilii ſubſcriptus legitur *Aëtius à Macedonia de Theſſalonica*. Ipſe canonem vigeſimum edi poſtulavit, ne clerici diutius Theſſalonicæ morarenrur: *Aëtius epiſcopus dixit: Non ignoratis quanta & qualis ſit Theſſalonicenſium civitas. Sæpe ad eam veniunt ex aliis regionibus preſbyteri & diaconi, & non ſunt contenti brevi tempore morari, ſed aut reſident ibi, aut certe vix poſt longa ſpatia ad ſua redire coguntur. Univerſi dixerunt: Ea tempora quæ conſtituta ſunt circa epiſcopos, & circa has perſonas obſervari debent.*

VII. Eremius.

Tempore ſynodi Mediolanenſis Theſſalonicæ epiſcopus ſedebat *Heremius* vel *Eremius*, qui poſt Ariminenſe Concilium, cui A interfuerat, graves, ut alii celeberrimi præſules, Vincentius Capuæ, Fortunatianus Aquileiæ, cæterique omnes occidui tractus, exilio multatus contumelias toleravit, donec Athanaſii communionem abnegaret: de quo Athanaſius ipſe Apologia ſua ad Conſtantium Imp. expoſtulat. Καὶ οὗτοι μὲν ἐξωρίσθησαν, Οὐικέντιος δὲ ὁ τῆς Καπύης, καὶ Φορτουνατιανὸς ὁ τῆς Ἀκυληΐας, Ηρέμιός τε ὁ τῆς Θεσσαλονίκης, καὶ πάντες οἱ κατὰ δύσιν ἐπίσκοποι, βίαν οὐ τὴν τυχοῦσαν, ἀλλὰ καὶ πλείστην ἀνάγκην, καὶ δεινὰς ὕβρεις πεπόνθασιν ἕως ἐπαγγείλωνται μὴ B κοινωνεῖν ἡμῖν. *Ipſi vero Vincentius Capuanus, Fortunatianus Aquileienſis, Heremius, vel Eremius Theſſalonicenſis, omneſque alii Occidentales epiſcopi vi non mediocri, quin potius maxima violentia, atque gravibus injuriis affecti fuerunt, quoad uſque pollicerentur fore ut in poſterum à communione nobiſcum abſtinerent.*

VIII. Ascholius.

Fide ſanctitateque celebratiſſimus fuit *Aſcholius* Theſſalonicenſis, quem Theodo- C ſius Magnus ſummam rerum adeptus, eadem in urbe ægrotans, accerſivit, ut Catholicam religionem edoctus ab ipſo baptizaretur, anno 380. Quin hac in urbe Princeps legem dedit, monente utique Aſcholio, pro Fide Conſubſtantialis tenenda. Hæc Socrates narrat, lib. 5. cap. 6. Sozomenus lib. 7. cap. 4. Anno 381. ſynodo Conſtantinopolitanæ generali priori interfuit, ut fert index Patrum hujus Concilii; ac certe anno 382. ad ordinationem Nectarii Conſtantinopolitani vocatus fuit; quod colligitur ex epiſtola ſy- D nodi Italiæ ad Theodoſium, qua querebantur, de ſubrogato contra pacta conventa Antiochiæ epiſcopo poſt Meletii obitum Flaviano, deque ordinato Conſtantinopoli in Maximi Cynici locum Nectario. *Neque enim indignum videtur, Auguſte, ut Romanæ Eccleſiæ antiſtitis, finitimorumque, & Italorum epiſcoporum debeant ſubire tractatum, qui unius Aſcholii* (ſic) *epiſcopi ita expectandum eſſe putaverunt judicium, ut de Occidentalibus partibus Conſtantinopolim evocandum putaverint*. Ipſe vero invitatus licet non ivit, Ro- E manæ ſiquidem ſynodo hoc eodem anno aderat, quemadmodum Orientales ipſi ſignificant epiſtola quam de Nectarii ordinatione aliiſque negotiis Damaſo, ejuſque concilii Patribus dederant, hac inſcriptione præmiſſa: *Dominis honoratiſſimis, ac cum primis venerandis fratribus & collegis, Damaſo, Ambroſio, Brittoni, Valeriano, Aſcholio, Avento, Baſilio, & cæteris ſanctis epiſcopis in Urbe Roma convocatis*. Plane cum anno 381. labente Romam veniſſet, Ambroſium Mediolanenſem

Digitized by Google

ECCLESIA THESSALONICÆ.

hac in Urbe ægrotantem inviſit, Ambroſio ipſo teſte epiſt. 22. p. 230. prioris editionis. Damaſus Aſcholio priùs literas duas ſcripſerat, quibus monebat, in Maximi Cynici locum à ſynodo quæ celebranda erat, epiſcopum apprime Orthodoxum eligi debere, *qui nullam habeat reprehenſionem, & cum quo Deo propitio poſſit pax perpetua perdurare.* Ex Ambroſii epiſt. 21. & 22. comperimus Aſcholium, ab anno ſaltem 377. quo Gotthi Thraciam populabantur ad 382. & amplius Theſſalonicenſem epiſcopatum geſſiſſe, qui ſuis ad Deum precibus effecit, ut tota Macedonia abſcederent. Cappadocem fuiſſe prodit Baſilii Magni epiſt. 338. Quo tempore Athanaricus Gotthorum Rex Gentilis in Chriſtianos ſæviebat, his Aſcholius aderat adhortans uti martyrium fortiter obirent, unde Baſilius eum Chriſti *Alipten* Ἀλείπτην vocat. Mea opinatio eſt, nec falſa prorſus, cum auctorem eſſe epiſtolæ eccleſiæ Gotthiæ ad eccleſiam Cappadociæ de martyrio S. Sabæ, cujus reliquias, ceu laborum ſuorum primitias, S. Baſilio miſit. Obiit circa annum 383. quo & Damaſus Papa. Ambroſius de ejus obitu epiſtolam ſuam 15. ad Macedoniæ epiſcopos, & Theſſalonicenſium clerum plebemque ſcripſit, qua laudes ejus egregie prædicat, aitque Gotthos ejus precibus ſæviente lue territos fugiſſe ut evaderent, regreſſos poſtea pacem rogaſſe, ut viverent. *Ubi vero ſecuritas cohabitantibus reddita eſt,* inquit, *ſanctum efflavit Spiritum. Ille ſe monaſterio puer dedit, & intra Achaiam anguſto clauſus tugurio, ad ſummum ſacerdotium à Macedonicis obſecratus populis, electus eſt à ſacerdotibus.* Epiſtola 16. de eo rurſum ait, *Ita omnibus præcurrebat excurſu frequenti, Conſtantinopolim, Achaiam, Epirum, Italiam, ut juniores eum non poſſent conſequi.* Innocentius I. huic à Damaſo Papa injunctam aſſerit totius Illyrici Orientalis curam & juriſdictionem, qua ejus ſucceſſores deinceps functi ſunt: in ſua ſcilicet ad Rufum Theſſalonicenſem epiſtola I. *Sacratiſſimis monitis, lectiſſimæ ſinceritatis tuæ providentiæ ac virtuti hanc injungimus ſolicitudinem: non primitus hæc ita ſtatuentes, ſed prædeceſſores noſtros Apoſtolicos imitati, qui beatiſſimis Aſcholio & Anyſio injungi pro eorum meritis iſta voluerunt.*

IX. Anysius.

Aſcholio ſuffectus eſt *Anyſius* ejus diſcipulus, qui ipſo anno 383. à S. Damaſo Papa ſedis Apoſtolicæ per Illyricum vicarius eſt inſtitutus, Innocentio Papa teſte in epiſtola, quam ſtatim initio pontificatus ſui ſcripſit eidem Anyſio. *Cui etiam anteriores tanti ac* A *tales viri prædeceſſores mei epiſcopi, id eſt ſanctæ memoriæ Damaſus, Siricius, atque ſupra memoratus vir* (Anaſtaſius Papa I.) *ita detulerunt, ut omnia quæ in illis partibus gererentur, ſanctitati tuæ, quæ plena juſtitiæ eſt, traderent cognoſcenda, &c.* De Anyſii promotione Ambroſius Magnus epiſt. 15. Macedoniæ epiſcopis & Theſſalonicenſi clero, plebique ſcribebat: *Eo momento ille* (Aſcholium dicit) *elevabatur, velut quodam melotidis ſuæ dimiſſo amictu. Gratiam non nunc primum audio, nec in veſtris epiſtolis* B *dici, ſed in veſtris literis recognovi.* Epiſtola 16. ipſi Anyſio, *Tenemus ergo te,* aiebat, *S. Aſcholii diſcipulum, frater; Gaudeo tibi, ne uno quidem momento de ſucceſſore tanti dubitatum viri.* Siricius anno 383. ubi Pontifex eſt conſecratus Anyſio conceſſit ut ſuas per Illyricum vices gerere pergeret, data epiſtola, quæ etiamnum extat in Collectione Romana Holſtenii. Sic ſubinde Innocentius I. ſtatim à ſua ordinatione; cujus epiſtolæ particulam mox delibavi. Synodus Capuenſis, Mario mercatore teſte, *Bonoſi Sardicenſis* C *judicio poſtulati cauſam Anyſio Theſſalonicenſi & epiſcopis Macedoniæ demandavit.* Quo tempore Joannes Chryſoſtomus iniquo Theophili Alexandrini judicio ſua ſede pulſus fuit, Anyſius coacto epiſcoporum Macedoniæ concilio, Romano Papæ Innocentio epiſtola ſynodica cuncta ex ordine expoſuit, quæ Conſtantinopoli geſta erant, declarans ſe mordicus adhæſurum iis quæ Romæ definirentur, ὡς ἐμμενεῖ τῇ κρίσει τῶν Ῥωμαίων, quod fertur in dialogo de vita ſancti ejuſdem Joannis Chryſoſtomi, quam epiſtolam Eleu- D ſius Apameæ in Bithynia epiſcopus Romam tulit. Quocirca Chryſoſtomus grates Anyſio, cæteriſque de ejus concilio præſulibus debitas perſolvit epiſtola ſua 163. quæ inſcribitur Ἀνυσίῳ, Νουμερίῳ, Θεοδοσίῳ, Εὐτροπίῳ, Εὐσταθίῳ, Μαρκέλλῳ, Εὐσεβίῳ, Μαξιμιανῷ, Εὐγενίῳ, Γεροντίῳ, καὶ Θύρσῳ, καὶ τοῖς κατὰ Μακεδονίαν ὀρθοδόξοις ἐπισκόποις. *Anyſio, Numerio, Theodoſio, Eutropio, Euſtathio, Marcello, Euſebio, Maximiano, Eugenio, Gerontio & Thyrſo, atque omnibus per Macedoniam epiſcopis. Eo nomine,* inquit, *vobis* E *grates habemus, quod diu ea quæ à vobis expectabatur fortitudine ſtetiſtis, nemini eorum qui vos ad ſe eripere conabantur cedentes. Itaque hortamur, ut eum etiam quem par eſt finem negotio imponatis.* Imo ſanctiſſimus archiepiſcopus ſeorſim epiſtolam 162. eidem Anyſio dedit, Ἀνυσίῳ ἐπισκόπῳ Θεσσαλονίκης, presbyterum latorem ei obnixe commendans. S. Anyſii Theſſalonicenſis epiſcopi memoria fit in martyrologio Romano die 30. Decembris.

X. Rufus.

Digitized by Google

ECCLESIA THESSALONICÆ.

X. Rufus.

Anyſium *Rufus* excepit anno 410. Honorio IX. & Theodoſio V. Augg. Coſſ. quod conſtat Innocentii ad ipſum epiſtola. *Dilectiſſimo fratri Rufo Innocentius:* hac ipſum quoque, accepto ordinationis ejus nuntio, Vicarium ſuum conſtituit. *Divinitùs hæc præcurrens gratia*, ait, *ita longis intervallis diſterminatis à me eccleſiis, diſcat conſulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam, cauſaſque ſi quæ oriantur per Achaiæ, Theſſaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ, Daciæ mediterraneæ, Daciæ Ripenſis, Mæſiæ, Dardaniæ & Prævali eccleſias, Chriſto Domino annuente cenſeam. Vere enim ejus ſacratiſſimis monitis lectiſſimæ ſinceritatis tuæ providentiæ ac virtutis hanc injungimus ſollicitudinem, non primitus hæc ita ſtatuentes, ſed præceſſores noſtros Apoſtolicos imitati, qui beatiſſimis Aſcholo & Anyſio injungi pro eorum meritis iſta voluerunt.* Hanc ei poteſtatem confirmavit Bonifacius I. Innocentio ſuccedens, data epiſtola in cauſa Perigenis, quem Patrenſes cives ordinatum ſibi epiſcopum ſuſcipere noluerant. Quatuor aliæ ejuſdem Pontificis exſtant epiſtolæ ad eumdem Rufum: quin Cæleſtini inſuper tempore ſedebat Rufus, cujus ille meminit, Perigeni, Dynato, Baſilio, aliiſque Illyrici epiſcopis ſcribens. Cæleſtinus rurſum Joanni Antiocheno, Juvenali Hieroſolymitano, Rufo Theſſalonicenſi, & Flaviano Philippenſi ſynodicis literis nuntiavit damnatum in ſynodo Romana Neſtorium ejuſque aſſectatores. Qui Flavianus Philippenſis in Epheſina ſynodo Rufi Theſſalonicenſis venerabilis admodum epiſcopi locum ſupplevit. Φλαβιανοῦ Φιλίππων, ἐπέχοντος καὶ τὸν τόπον Ῥούφου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Θεσσαλονικέων. Ad eum poſthac Orientales qui à legitima ſynodo diſſidebant epiſtolam ſcripſerunt, ſuadentes, ut ad partes ipſorum tranſiret, rejectis duodecim Cyrilli capitulis. Habetur epiſtola tom. 3. Concil. col. 737. qua illam memorant quam Rufus Juliano Serdicenſi epiſcopo dederat, monens uti Nicænam fidem teneret. Paulo poſt ſynodum Epheſinam vivere ceſſavit Rufus.

XI. Anastasius.

Rufo ſuffectus eſt *Anaſtaſius*, quem Xyſtus Papa poſt Cæleſtinum, perinde ſuum Vicarium fecit in Illyrici provincias; quod ſignificavit epiſtola inſcripta, dilectiſſimis fratribus, univerſis epiſcopis ſynodo apud Theſſalonicam congregandis, data 8. Id. Jul. Theodoſio XV. & Valentiniano III. Augg. coſſ. ſive anno Chriſti 435. in qua ait: *Nos fratri & coëpiſcopo noſtro Anaſtaſio tantum tribuimus, quantum à noſtris deceſſoribus eſt attributum. Priorum judicium ſequimur hæc conſtituendo, quæ ab his novimus conſtituta, quia & ipſum hujus probamus meriti, cujus fuerunt illi qui talia meruerunt.* In ſpuria ſynodo Epheſina, itemque in Chalcedonenſi œcumenica Quintillus Heracleæ Macedoniæ Anaſtaſii Theſſalonicenſis vices geſſit, Κυϊντίλλου Ἡρακλείας ἐπέχοντος τὸν τόπον Ἀναστασίου τοῦ εὐλαβεστάτου, vel τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου τῆς Θεσσαλονικέων. Leo quoque Papa aliquot ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, & de eo ad Illyrici epiſcopos literas dedit anno 444. 445. & 446. Imo & altera exſtat, qua tum leges præſcribit, quas Anaſtaſius in Illyrico adminiſtrando obſervare debeat, tum ejus erga Atticum Nicopolis in Epiro veteri epiſcopum moroſitatem aſperitatemque graviter reprehendit. Poſt ſynodum itaque Chalcedonenſem diem poſtremum obiit Anaſtaſius.

XII. Euxitheus.

Leo magnus epiſtolam ſuam 109. inſcripſit: *Euxitheo Theſſalonicenſium epiſcopo, & Juvenali Hieroſolymitano,* ut Eutychianorum auſibus qui Proterium Alexandrinum occiderant ſtrenuè reſiſterent, efficerentque ne ſynodus altera congregaretur, ſed Chalcedonenſi Concilio ſua firmitas aſſereretur, data Conſtantino & Rufo coſſ. hoc eſt anno 457. Quo etiam anno Leo Imperator accepta nece Proterii ad ſingulos Orientis metropolitas ſacras literas miſit, ſynodorum ipſorum de Chalcedonenſi ſententias rogans, adeoque, ut fert Latinus index ab Epiphanio Scholaſtico Latine editus, *Euxitheo reverentiſſimo Theſſalonicenſium epiſcopo.* Miror in actis quibuſdam Latinis Chalcedonenſis Concilii pro Anaſtaſio *Euxitheum* legi.

XIII. * * *

Circa annum 479. Balamerus Gotthus multis facultatibus ſuis à Romanis ſpoliatus, Macedoniam ingreſſus eſt, & everſis Tobis civitate, Theſſalonicam verſus proceſſit. Cives Zenonem velle urbem Barbaris tradere ſuſpicati, ſtatuas ejus everterunt, & Præfectum pene confoſſuri erant. Magiſtratus plebis furore mitigato civitatis claves à Præfecto accipiunt, quas Archiepiſcopo tradiderunt τῷ ἀρχιερεῖ ἔδωκαν. Interim vero ex opibus quæ ſibi ſuppetebant cuſtodiam inſtituerunt, ducemque alium elegerunt. Ex Excerptis Malchi Rhetoris.

XIV. Andreas.

Quo tempore Felix Papa Romæ ſedebat,

ECCLESIA THESSALONICÆ.

Theſſalonicenſi eccleſiæ præerat Andreas, ut Euxitheo proxime forſan ſucceſſerit. Hic ſe Acacii Conſtantinopolitani profana communione fœdavit, Romana neglecta, quam tamen poſthac reſumere tentavit, ut compertum ſit ex Felicis ad eum epiſtolæ fragmentis, quæ Jacobus Sirmondus olim edidit. *Felix Andreæ epiſcopo Theſſalonicenſi. Quod plene Catholicæ Fidei cupimus redintegratione firmari, ſollicitudinem dilectionis tuæ, qua ad ſedis B. Petri communionem venire deſideras, libenter amplectimur; ſed eam vellemus, ſicut orthodoxæ veritatis cautela deſiderat, ex omni fieri parte conſtantem.* Sed Andreas piis ſaniſque deſideriis non ſtetit, quemadmodum Gelaſius ſubinde ſignificavit epiſtola ſua 11. ad epiſcopos Dardaniæ & Illyrici. *Noverit autem veſtra fraternitas,* inquit, *eccleſiæ Theſſalonicenſis antiſtitem, noſtris adhortationibus ſæpius monitum, contagia communionis externæ nunquam declinare voluiſſe, nec apud nos nomen Acacii, vel cæterorum perfidorum, hiſque communicantium congrua profeſſione damnaſſe. Quapropter eum communionem ſedis Apoſtolicæ non recepiſſe manifeſtum eſt; quia niſi puris mentibus ab omni nefanda ſocietate, beati Petri Apoſtoli nec poſſumus, nec debemus Eccleſiæ præbere commercia. Propterea cautiùs agendum eſt cum præfato, ne Catholicis mentibus, ut fit, Apoſtolicæ ſedis reconciliatione ſubrepat, quam ſicut doloſis actibus fallere & circumvenire non prævalet, ita ſub cujus non poteſt obtinere auctoritatem quoque noſtram, &c.* Reliqua utinam non mutila & inverſa, omitto. Hæc ſcribebat *III. Non. Aug. Aſterio & Præſidio vv. cc. coſſ.* ſeu Chriſti an. 494. Sedebat adhuc Andreas an. 499. Anaſtaſio II. Pontificatum Romanum gerente. Cujus apocriſiariis Conſtantinopolim ab urbe Roma miſſis libellum dederant Alexandrinæ eccleſiæ Dioſcorianæ nuntii, quo narrabant, nuper *Photinum religioſum diaconum ſanctæ Theſſalonicenſis eccleſiæ*, cum ipſis de pace eccleſiarum verba conſeruiſſe, dixiſſeque *ſe ante ſpatium parvi temporis deſtinatum à ſanctiſſimo archiepiſcopo Andrea Theſſalonicenſis eccleſiæ ad Romanum Pontificem, & affirmabat de his quæ eos vehementer offenderent, in tranſlatione epiſtolæ ſibi ſatisfactum à prædicto præſule Romanæ eccleſiæ*, quod ſcilicet in epiſtolæ tranſlatione comprobarentur errores: *ipſam vero Latinam epiſtolam juxta fidem trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum editam conſtitiſſe, &c.* At in vita ejuſdem Anaſtaſii legitur multos clericos & preſbyteros Romanæ Eccleſiæ ſe à communione ejus ſegregaſſe, *eo quod communicaſſet ſine conſilio epiſcoporum vel preſbyterorum vel cleri cunctæ eccleſiæ Catholicæ, cum diacono Theſſalonicenſi nomine* A *Photino, qui communis erat Acacio, & quia occultè revocare voluit Acacium, & non potuit. Qui divino nutu percuſſus eſt.*

XV. DOROTHEUS *hæreticus.*

Sedebat Theſſalonicæ Dorotheus, quando Hormiſdas Papa Pontificatum iniit, ad quem ille epiſtolam ſcripſit, qua gratulabatur, quod ad ſedem Apoſtolicam promotus eſſet. Data fertur 5. Kal. April. Florentio V. Cl. coſ. ſive anno Chriſti 515. Huic Hormiſdas epiſtola ſua tertia reſpondet. B Cum vero ille profana perinde Acacianorum communione infectus eſſet, ejus fraudem poſthac agnovit Pontifex, quando inprimis Dorotheus apoſtolicæ ſedis communionem ulterius non quærebat. Quamobrem quum ille Joannem Nicopolitanum ſe inſcio contra priſcos mores ordinatum queſtus eſſet, Hormiſdas Ennodio & Peregrino Legatis ſuis ſcripſit, admonitum à ſe Joannem ne tale quid tentare auderet; *ne per illum,* inquit, *ſi ab eo qui à communione noſtra alienus eſt, confirmationem petiiſſet, noſtra quoque* C *communio contagium ſuſtineret.* Epiſtola 13. ad eoſdem, mandat literas ſuas, ubi Theſſalonicam venerint, epiſcopo Theſſalonicenſi tradant, illum quidem ordinem in ejus ſalutatione ſervantes, *quem ſcitis,* inquit, *à nobis eſſe mandatum circa eos qui cum ſede Apoſtolica, hoc eſt eccleſia Catholica non communicant. Redeat ad unitatem, & nos cum eo inſiſtemus, ut omnia privilegia quæcumque conſequuta eſt à ſede Apoſtolica eccleſia ejus, inviolata ſerventur.* Jubet in fine ut epiſtolam ſuam ad Theſſalonicenſem hunc præſulem in cauſa D Nicopolitana multis in locis publicari curent, maxime vero Theſſalonicæ. Quia hoc facto, *& à perſequutione virorum noſtrorum,* inquit, *poterit ceſſare, & ad ipſius ſi ſe correxerit, credimus pertinere ſalutem.* Epiſtola altera 22. ſcilicet, Dorotheum Theſſalonicenſem, licet *Dominum* appellare non dubitet, increpat tamen quod Nicopolitanum antiſtitem inſectetur. *Quo pudore rogo, privilegia circa te illorum manere deſideras, & reverentiam quam non exhibes fidei, cupis tibi eccleſiaſtica poteſtate deferri!* De hoc E Dorotheo intelligendus eſt Theophanes ad annum 25. Anaſtaſii, ubi ait: *Epiſcopo Theſſalonicenſi ob Imperatoris metum cum Timotheo Conſtantinopolitano epiſcopo communionem tenente, quadraginta epiſcopi Illyrici & Græciæ una convenientes, ſcripto profeſſi ſunt, ab eo tamquam proprio Metropolita, ſive Primate, ſe diſcedere, miſſiſque Romam tabulis, Romani Pontificis communionem ſervare polliciti ſunt.* Poſt, Juſtino ſeniore Imp. Dorotheus ſignificavit, velle ſe Catholicam communionem

Digitized by Google

ac fidem amplecti, ut fertur in ſuggeſtione Dioſcori Diaconi per Pollionem ſubdiaconum ad Hormiſdam. *Poſt multa certamina,* inquit, *præfatus epiſcopus ratione convictus, libellum ſubſcribere voluit; ſed quia epiſcopi qui ſub ejus ſunt ordinatione conſtituti, omnes non aderant, in præſenti hoc convenit, hoc promiſit, ut poſt dies ſanctos* (Paſchæ) *uno ex nobis à ſede Conſtantinopolitanæ Urbis directo, epiſcopis congregatis, qui in ejus ſunt Diœceſi conſtituti, libellum ſubſcriberent: quod cum Dei adjutorio complebitur.* Sed nec promiſſis hac quoque vice Dorotheus ſtetit, quinimo qui Conſtantinopoli miſſus ad eum epiſcopus Joannes fuit, à plebe Theſſalonicenſi per Ariſtidem preſbyterum commota, mactatus occubuit. Quocirca Legatis iterum ſuis, epiſtola 62. ſcripſit, ut apud Imperatorem agerent, quo Theſſalonicenſis epiſcopus, qui ſub interrogationis obtentu eccleſiaſticam pacem protracto in longum nititur diſſipare negotio, quoniam ab eis ſuſcipere noluit, à Principe ad Urbem directus, ab Apoſtolica ſede percipiat doctrinam, & quidquid ſibi dubium putet, *huc veniens,* inquit, *præſenti inquiſitione condiſcat: ſic enim probare poteſt ſe Catholicæ profeſſionis ſervare cautelam, non malitioſe concepta vindicare certamina.* At Legati Hormiſdæ, Germanus, Felix & Dioſcorus, altera ſuggeſtione ſua nuntiarunt, vere à Theſſalonicenſibus occiſum eſſe Joannem epiſcopum cum duobus ejus pueris, & niſi miſericordia Dei & defenſio S. Marci Baſilicæ eruiſſet ipſos de manibus eorum, ibi quoque perierant. Ante biduum quam Joannes cum ſuis perveniret Theſſalonicam, Dorotheum narrant ſupra duo millia baptizaſſe, ſacramenta tanta erogaſſe populo, quæ poſſent ipſis ad tempora ſufficere, ſignificando plebi, quia fides recta mutatur: Nulla ratione *Dorotheum,* aiunt, *inter epiſcopos, aut in communione ſedis apoſtolicæ poteſt Dominus Papa recipere.* Attamen eumdem Dorotheum Conſtantinopolim juſſu Imperatoris evocatum ſe didiciſſe prodit Hormiſdas epiſtola 63. ad eoſdem, quos monet *ut inſiſtant ne in eamdem civitatem denuò revertatur, ſed epiſcopatus quem numquam bene geſſit honore depoſito, ab eodem loco ac eccleſia procul relegetur, vel certe huc ad Urbem ſub proſequutione congrua dirigatur.* Curent vero *ne Ariſtides tanti mali incentor & conſcius, quibuſlibet ſubreptionibus ordinetur.* Scripta eſt 3. Non. Dec. Eutharico coſ. anno ſcilicet 519. Poſtremo Germanus aliique legati Hormiſdam certiorem fecerunt, *ſequutam eſſe vindictæ promiſſionem; adeo ut Dorotheus Theſſalonicenſis epiſcopus ad Heracleæ deduceretur civitatem, donec cauſa terminum reperiret. Inter hæc ſecundum ea quæ præcepiſtis,* inquiunt, *auctoritatem apoſtolatus veſtri principi inſinuare curavimus, ut ad percipiendam doctrinam Catholicæ puritatis Romam præfatus Dorotheus una cum Ariſtide mitteretur.* Qui reſpondit, *cauſam non eſſe pro qua Romam delegarentur audiendi, ubi ſine accuſatorum controverſia ſeſe poſſent liberius excuſare. Sed repente dum hæc geruntur, ab Heraclienſi, quantum audivimus, in qua tenebatur dimiſſus eſt civitate, quam ob cauſam, qua ratione, vel conditione, vel quibus agentibus, ignoramus.* Poſt vero, Dorotheus Hormiſdæ Relationem ſcripſit, objectum ſibi crimen refellens: *Declarat quidquid ad honorem & ſatisfactionem illi & ſedi apoſtolicæ pertinet, nihil ſe prætermiſiſſe, ſed nec prætermittere. Paulopoſt autem ſcietis,* inquit, *per venerabiles, annuente Domino Jeſu Chriſto, quia hæc ab exordio mihi ſunt excogitata, & quando Dominus Deus tempus dedit, ad effectum hæc ſunt perducta.* Reſcripſit Hormiſdas, epiſt. ſua 73. in hunc modum, *conſiderantes tuæ fraternitatis eccleſiam ante prætereuntis mala diſcordiæ, olim cum ſede Apoſtolica fuiſſe conjunctam, te nuper pacis redditæ credebamus auctorem, ſed quia quos prævenire debueras, ſequi etiam remoraris, non leviter pro fraternitatis tuæ dilatæ correctionis ingemiſcimus tarditate.* Cupit ut ad unitatem redeat, & objectum ſibi crimen purget. Data epiſtola 4. Kal. Novembr. Ruſtico V. C. coſ. ſeu anno 520. Ex qua apparet Dorotheum ex toto nondum tunc fuiſſe ab epiſcopatu Theſſalonicenſi amotum. Quid illi poſthac factum ſit, incompertum eſt, niſi quod Hormiſdas ſubinde Epiphanio Conſtantinopolitano ſcripſit, ut Theſſalonicenſis eccleſiæ res cum ſuis legatis diſponeret, modo id quod oportet clerici civeſque impleverint. Data hæc poſtrema epiſtola eſt, 7. Kal. April. Valerio V. C. coſ. anno 521.

XVI. Elias.

Quo tempore de tribus famoſis capitulis, Juſtiniano Imp. quæſtio agitata eſt, ſedebat *Elias* Theſſalonicenſis, qui Conſtantinopolim quum adveniſſet, confeſſioni ab epiſcopis editæ in die Theophaniorum, quam Vigilius Papa in ſuo conſtituto regeſſit, poſt Eutychium Conſtantinopolitanum, Apollinarem Alexandrinum, & Domninum Antiochenum ſubſcripſit, *Elias epiſcopus Theſſalonicenſis.* Quintæ quidem ſynodo non interfuit, ejus vero vices geſſit *Benignus epiſcopus Heracleæ Pelagoniæ,* ſeu Macedoniæ, qui poſt Hieroſolymitani præſulis apocriſiarios ſubſcripſit: *Benignus miſericordia Dei epiſcopus Heracleotanæ civitatis, quæ eſt prima*

Digitized by Google

ECCLESIA THESSALONICÆ.

Macedoniæ, agens vicem Eliæ ſanctiſſimi archiepiſcopi Theſſalonicenſium civitatis, tam pro illo, quam etiam pro me. Anno 549. Illyrici epiſcopi ſynodum habuerunt pro defenſione trium capitulorum, de qua Victor Tununenſis in Chronico, P. C. Baſilii anno 8. *Illyriciana ſynodus in defenſionem trium capitulorum Juſtiniano Auguſto ſcribit*. Iſidorus *in viris illuſtribus*, cap. 18. meminit Reſcripti Juſtiniani adverſus Illyricianam ſynodum. Horum reſiſtentiam narrat Facundus Hermianenſis, lib. 4. cap. 3. *Quando non tacuit* (Vigilius) *quod Romana quoque univerſitas egredientem, quod venientem Africa etiam atque Sardinia, quamquam non per eas tranſierit, per ipſius tamen conſiliarium publica eum conteſtatione pulſaverint, ſicut Hellas & Illyricus, provinciæ per quas venit, ut nullatenus novitati quæ facta eſt acquieſcat*. Vigilius per Illyricum Conſtantinopolim pergebat anno 547.

XVII. Thalelæus.

Medio tempore quod à quinta ſynodo ad Pontificatum Gregorii Magni fluxit, vixerit oportet *Thalelæus* impius ille Theſſalonicæ archiepiſcopus, cujus ſit mentio *in Prato ſpirituali* Joannis Moſchi, cap. 43. *qui, neque timens Deum, neque paratam retributionem expaveſcens, ſancta & conſubſtantiali Trinitate abnegata, clam idola colebat. Hunc illi qui eccleſiis præerant, communi decreto damnarunt, eque ſede ſua deturbarunt*. Qui volens ſacerdotalem dignitatem pecuniarum largitione recuperare, Conſtantinopolim, ex qua oriundus erat, perrexit, ubi ſuperbo ornatu quadam die ad Imperatorem proceſſurus, quò ſacerdotium denuo impetraret, ad ſecretum locum ingredi coactus, ut ventrem exoneraret, poſt duas vel tres horas repertus eſt capite deorſum, pedibuſque rurſum erectis in latrina demerſus.

XVIII. Euſebius.

Gregorius Magnus menſe Decembri Indict. I. ſcripſit epiſtolam *Euſebio Theſſalonicenſi, Urbicio Dyrrachitano*, aliiſque Romanæ Diœceſis metropolitis, qui Mauritio Imp. parebant, qua legem annuntiabat Imperatoris, ne ex militari habitu quiſquam, niſi per triennium probatus, ſuſciperetur in monaſterio. Inſuper Indictione quarta ſcripſit, eidem Euſebio de Andrea monacho quodam incluſo, qui miſſam ab Euſebio ad Gregorium ipſum epiſtolam adulteraverat. Addit Gregorius: *Et quia inter diverſa mala, aliquot etiam ſermones ſcripſit, atque eos de noſtro nomine titulavit, & ſuſpecti ſumus ne eos alicubi tranſmiſerit, fraternitas veſtra ſolicitudinem* A *gerat, & ſi quid tale repererit, eos exſcindi, & omnino faciat aboleri:* ait ipſum à portitore cogniturum quid à ſe in Concilio de eo ſtatutum ſit. Scribit de Luca preſbytero & Petro quodam à communione ſubmovendis ſi Chalcedonenſem ſynodum recipere prorſus, ut ferebatur, recuſarent. Ex qua epiſtola intelligimus Euſebium illum epiſcopum, qui apud Photium Cod. 162. adverſus monachum aliquem incluſum Gregorio ſcripſerat, Theſſalonicenſem hunc noſtrum fuiſſe. Rurſum Indict. III. epiſt. 42. B de illis Lucâ preſbytero Theſſalonicenſi & Petro, qui Chalcedonenſe Concilium rejiciebant eidem Euſebio ſcripſit Gregorius. Alia demum exſtat epiſtola 70. vel 104. lib. 7. Regeſti Indict. II. eidem Euſebio & reliquis Illyrici metropolitis, de ſuperbo *œcumenici* ſive *univerſalis* patriarchæ titulo, quem Cyriacus Conſtantinopolitanus, uti deceſſor ſuus Joannes uſurpabat, ne vocabulum hoc ullis ſuis ſubſcriptionibus approbarent, maxime in ſynodo quæ Conſtantinopoli cogebatur. *Nam ſi quis*, inquit, *quod non credimus* C *ſcripta præſentia aliqua in parte neglexerit, à B. Petri apoſtolorum principis pace ſe noverit ſegregatum. Id ergo fraternitas tua agat, ut cum paſtor paſtorum in judicio venerit, de loco regiminis quem accepit, reatum habere non poſſit*. De hoc fere Euſebio Theſſalonicenſi archiepiſcopo intellexero quæ leguntur in Paſſione S. Demetrii martyris Theſſalonicenſis, quam Latine verſam Anaſtaſius Bibliothecarius Carolo Calvo Imp. nuncupavit, nimirum Euſebium Theſſalonicenſem archiepiſcopum de reficiendo ciborio in quo D Martyris corpus quieſcebat cogitaſſe, à ſancto vero admonitum id per alios conficiendum. Alia ab Euſebio de S. Demetrio recitata ſubduntur.

XIX. Paulus *hæreticus*.

Martinus Papa I. Paulum Theſſalonicenſem Monotheleticæ impietatis iterato lapſu reum, cujus opera apocriſiarii ſui in hæreſim inducti erant, anathemate perculit lata in ſynodo Lateranenſi ſententia, cujus ſynodica exſtat epiſtola tom. 6. Concil. col. 46. *Maniſeſte*, E ait, *ſecunda dogmatum tuorum tranſgreſſio, etiam primam voluntariam demonſtravit. Nos igitur oportuit, creditum nobis onus pontificalis miniſterii, id eſt providæ animarum curæ & diligentiæ, reputantes, nullatenus morari ac differre quum fides à te proderetur, ſed rigore canonis præciſe utentes, ex prima interpellatione ſcriptum tuum una cum eo qui ſcripſiſſet, damnare.... Sed per longanimitatem ſuſtinuimus, nec pœnam inflximus, acceptis miſericorditer precibus Pithani epiſcopi, &*

Digitized by Google

Ignatii, tuorum apocriſiariorum, qui maxime aſſeverarent & affirmarent, ejuſmodi literarum involuntariam eſſe abreptionem, nec mentis, nec certæ ſententiæ opus eſſe illam abſurditatem dogmatis tui. Unde dicebant ſtatim ac ſine mora à pejore dogmate in melius mutationem in te fore ſi te, juxta illorum poſtulatum de eo amanter monuiſſemus: cujus rei cauſa nos hortati ſunt, ut tibi oſtenderemus nos ea in quibus lapſus es notaſſe, quod utique per apocriſiarios noſtros fecimus, rigorem canonis per caritatem omittentes, teque adhortantes non tamen præcipientes omnino, tamquam ſubjecto huic Apoſtolicæ ſedi, ut huc venires, teque purgares de his quæ initio creationis tuæ non pie docuiſti.... Non ſolum ipſe incorrectus manſiſti, ſed memoratos apocriſiarios decepiſti, idque erga eos feciſti, quod aſtutus ſerpens fecit adverſus Adam, deſertorem ſecum eum conſtituens, qui à Domino mandatum acceperat. Tu enim ſimili modo ut ſerpens eos induxiſti ut extenderent manum, & pro eo ut caperent de ſcripto noſtro ad te in formulæ modum miſſo non malum quemdam & promiſcuum guſtum, ut illic de ligno tranſgreſſionis, ſed puram & ſinceram ſanctorum Patrum confeſſionem; tu eam à te repuliſti, proque ea adulterinam ſubjeciſti abſurditatis tuæ doctrinam, quò manum adjicerent.... Quamobrem hos quidem in cinere & cilicio & afflictione animæ & corporum, & lacrymis pœnitentiæ, opprobrium ipſis à te illatum expurgare juſſimus.... Te vero una cum hæreticis tuis literis, id eſt literis ſynodalibus, quæ priùs & nunc à te ad nos miſſæ ſunt, ſententia anathematis damnavimus, ex eo die qui ſcriptus à nobis, ac definitus eſt, nempe à die prima præſentis menſis Novembris Indict. VIII. qua die miſſas à te lubricas literas accepimus ac condemnavimus quoad ea quæ ſynodaliter à te geſta ſunt, quæque priùs, & quæ nunc tu, cum omnibus qui quomodocumque vel ſcripto, vel ſine ſcripto ea defendunt. Declarat Pontifex è ſcripto quod miſerat ſublatas voces quæ duas Domini operationes & voluntates efferrent. Tum pronuntiat: *Quapropter cognoſcens cognoſces, quemadmodum diximus, quod depoſitus ſis ab omni ſacerdotali dignitate ac miniſterio in ſancta Dei catholica & apoſtolica eccleſia, quoad ſine ulla intermiſſione omnia quæ à nobis hîc ſynodaliter ſancita ſunt, ad commendationem & confirmationem Catholicæ eccleſiæ, dictorum videlicet ſanctorum Patrum, & univerſalium quinque ſynodorum ſcripto confirmes, & nobiſcum confitearis, in uno ſanctæ, & conſubſtantialis, & adorandæ Trinitatis Deo Verbo, &c.* In fine tandem, *cognitio rerum tuarum*, inquit, *conciliabit tibi celerem correctionem, maxime ſi unà cum proprio dogmatis errore corrigas etiam quod in ſacros canones peccaſti. Eos enim irritos facere auſus es, qui teipſum per proprias literas non confeſſus ſis, ut ſubditum huic apoſtolicæ ſedi Vicarium.* De Pauli damnatione epiſtola altera certiores fecit Theſſalonicenſes Martinus, præcipiens ut ab ejus communione abſtinerent, & ſynaxibus intereſſent preſbyterorum, qui doctrinam reciperent quam ipſe ſcriptam miſerat.

XX. JOANNES II.

Sextæ ſynodo generali interfuit *Joannes* epiſcopus Theſſalonicenſis, qui ad hunc modum ſubſcripſit: Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Θεσσαλονίκης, καὶ βικάριος τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου Ῥώμης, καὶ λεγατάριος. *Joannes miſericordia Dei epiſcopus Theſſalonicæ, & Vicarius Apoſtolicæ ſedis & Legatarius.* Vicarii nempe Romanæ ſedis erant Theſſalonicenſes epiſcopi; ac tunc temporis vox *Legatarius* uſurpabatur potiùs quam *Legatus*. Cæterum in hac ſynodo pontificis vices explebat Joannes. In ſeptima ſynodo act. 5. pro ſacris imaginibus, ex Codice quem Nicolaus Cyzicenus attulerat, lectum eſt pro ſacris imaginibus teſtimonium *Joannis epiſcopi Theſſalonicæ*, Ἰωάννου ἐπισκόπου Θεσσαλονίκης, ex ſermone qui in ipit: μέχρι τότε πειράζων τὸν κύριον ἡμῶν καὶ θεὸν Ἰησοῦν Χριστόν. *Hucuſque Dominum & Deum noſtrum Jeſum Chriſtum tentans inimicus.* Scripſit inſuper de miraculis S. Demetrii Martyris laudationes.

In ſuſbcriptionibus canonum Quiniſextæ ſynodi legitur poſt Joannem epiſcopum Juſtinianopolis ſeu Juſtinianæ primæ, τόπος τοῦ Θεσσαλονίκης, *locus Theſſalonicenſis*, vacuus ſcilicet, qui utique non ſubſcripſerit, nec debuerit niſi Romano Papa cujus vices gerebat in Illyrico, annuente. Quis tunc Theſſalonicæ ſederit ignoratur, forſitan Joannes ipſe qui Sextæ ſynodo adfuerat.

XXI. * * *

Nicephorus Conſtantinopolitanus in Chronico quod Græcè Latinèque doctiſſimus Dionyſius Petavius edidit, ad annum 6224. Chriſti 716. quo Artemius ſive Anaſtaſius II. ex Imperatore factus monachus, tyrannidem iterum moliebatur, refert ad Leonem Iſaurum, qui tunc imperabat, Artemium cum pontifice Theſſalonicenſi σὺν τῷ ἀρχιερεῖ Θεσσαλονίκης, aliiſque multis vinctum miſſum eſſe: quos cum ille in poteſtate haberet, Ἀρτέμιον σὺν τῷ ἀρχιεπισκόπῳ παραλαβών, Artemio & archiepiſcopo caput in Cynegio amputari juſſit, pag. 174.

XXII. THEOPHILUS.

In ſeptima ſynodo ſedit & ſubſcripſit poſt

ECCLESIA THESSALONICÆ.

Conſtantinum Cypri *Theophilus epiſcopus Theſſalonicenſium*, Θεόφιλος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Θεσσαλονικέων.

XXIII. Thomas.

In eadem ſeptima ſynodo Thomas preſbyter & Hegumenus, ſeu præpoſitus monaſterii S. P. N. Arſenii in Ægypto vices geſſit trium apoſtolicarum ſedium, Alexandriæ, Antiochiæ, Hieroſolymorum, qui poſtmodum Theſſalonicenſis antiſtes factus eſt Theophane teſte ad annum 6. Conſtantini & Irenes, quo habitam fert ſanctam hanc ſynodum, καὶ Θωμᾶν Ἀλεξανδρείας, ἄνδρα ζηλωτὴν καὶ εὐλαβέστατον, ὅς τις ἐστὶν ἀρχιεπίσκοπος ἐν Ἰλλυρικῷ μεγαλοπόλεως Θεσσαλονίκης γενόμενος διέπρεψεν, *& Thomam Alexandriæ, qui & in Illyrico magnæ civitatis Theſſalonicæ archiepiſcopus claruit.* Ubi cave-ſis ne Nicephorum Calliſtum, lib. 14. cap. 39. ubi *de Tranſlationibus epiſcoporum*, alioſque Græculos ſequutus, Thomam putes à ſede Alexandrina ad Theſſalonicenſem tranſlatum: quando conſtat eum non patriarcham Alexandrinum fuiſſe, ſed ejus dumtaxat vices in Concilio Nicæno II. geſſiſſe. Theoph. pag. 389.

XXIV. Joseph.

XXV. * * *

XXVI. Joseph *iterum.*

Anno 808. Nicephori I. Imp. ſeptimo ut Theophanis Chronographia fert, Theſſalonicæ archiepiſcopus ſedebat *Joſeph* Theodori monaſterii Studitarum præpoſiti germanus frater, qui cum eo ſub S. Platonis avunculi ſui diſciplina in Saccudionis monaſterio meruit, indeque ad Theſſalonicenſem eccleſiam promotus fuit. Hoc ille ipſo anno una cum Platone aliiſque monachis, quorum unus quoque fuit Studita Theodorus, à communione ſeceſſit Nicephori Patriarchæ, quippe qui Joſephum alterum ſacerdotem, à quo nuptiales corollæ Conſtantino V. Imp. & Theodotæ pellici impoſitæ antehac fuerant, communionis demum ſuæ participem fecerat. Atqui Joſephus ille noſter Nicephoro Imp. habita ſynodo cui Nicephorus ipſe Patriarcha præerat, epiſcopatu amotus, in Cherſonem exilio relegatus fuit menſe Januario ann. 809. Reus porro agebatur, ceu epiſcopatum malis artibus occupaſſet. Quod crimen ipſe confutavit epiſtola quæ 23. cenſetur lib. 1. epiſtolarum fratris ipſius Theodori. *Ad hoc quippe cum reverentia reſpondemus*, inquit, *quod quantum in nobis erat, nolebamus, tùm quidem propter anceps periculum in dignitatis, tum etiam propter id quod de œconomo* (Joſepho nimirum illo de quo ſupra mentio) *jam dicebatur.* Ἐπεὶ δὲ ἐληλύθασιν οἱ Θεσσαλονικεῖς ἱκετεύοντες, ὡς ἐκ πάσης τῆς πόλεως, οἵ τε δεσπόται ἡμῶν οἱ ἀγαθοὶ, συνεπιτιθέμενοι τῷ ψηφίσματι, δέος ἡμῖν ἐγένετο μὴ ὑπακούσαι, καὶ ἀντιφέρεσθαι Θεῷ καὶ τοῖς εὐσεβέσιν ἡμῶν δεσπόταις, λογισάμενοι ὅτι δυνατός ἐστιν (lego ἀδύνατόν ἐστιν) ἡνίκα ὑπὸ τῶν οἰκείων ἐπισκόπων χειροτονία γένηται, φυγεῖν τὸν προειρημένον κίνδυνον. *Ubi autem Theſſalonicenſes advenerant, ſupplicantes tanquam nomine civitatis totius, optimique Domini noſtri (* Imperatores ſignificat *) Decreto aſſenſi ſunt, veriti ſumus inobſequentes eſſe ac reluctari Deo religioſiſſimiſque Dominis noſtris, cogitantes quod poſſit, quum à propriis epiſcopis ordinatio facta eſſet, prædictum periculum evitari.* Multa vero mala in exilio vir ſanctus toleravit. Interim autem ejus in ſedem alter inſiluit, cujus nomen non ſum aſſequutus, quem proinde Studita Theodorus epiſt. 51. lib. 1. Naucratio filio inſcripta, ἀλλότριον ἐπίσκοπον *alienum epiſcopum* appellat potius, quam archiepiſcopum; ubi nempe narrat Euthymium religioſiſſimum monaſterii præpoſitum ab eo bis centum & ſexaginta ſex plagis vapulaſſe, quin & bis ducentos boïarum ictus humeris ſuis ſuſtinuiſſe, qui Mœchianorum (hoc Joſephi œconomi ſocii nomine donabantur) communionem vitaret. Poſt vero Joſephus Theſſalonicenſis cum Nicephoro Patriarcha reconciliatus, ſedem recepit ſuam, à qua denuò ſacrarum imaginum cauſa à Leone Armeno Imp. pulſus fuit. In vita S. Nicetæ monaſterii Medicii in Bithynia ad Propontidem Hegumeni ſeu præpoſiti veniſſe ſanctiſſimum Theophilum Epheſi cum ſancto Joſeph Theſſalonicenſi ad ejus exequias legitur, ejuſque corpus ſuis manibus in ſarcophago compoſuiſſe. Obiit porro Nicetas die 3. Aprilis anno 824. Menologium Græcorum vetus to. 2. Antiq. Lect. Henrici Caniſii die 14. Junii Joſephi Theſſalonicenſis archiepiſcopi memoriam habet, & ſub Theophilo Imp. in carcere defunctum prodit. *Eodem die S. P. N. Confeſſoris Joſeph archiepiſcopi Theſſalonicenſis, qui Photini filius, & Theodori Studitæ germanus frater, ſub Theophilo Imp. fuit. Hic cùm eſſet probatæ vitæ & rectæ fidei, communi ſuffragio Theſſalonicenſis epiſcopus creatus eſt. Cumque unà cum Theodoro aſſiſteret ſanctarum imaginum impugnatori Theophilo, nec ejus impietati cederet, Theodorus exul Apolloniadem miſſus eſt, Joſeph vero in carcere multas ærumnas perpeſſus, in ſanctarum imaginum cultu perſiſtens, migravit ad Dominum.* Cæterum Theophanes auctor eſt, Joſephum Theſſalonicenſem archiepiſcopum una cùm Platone, & Theodoro monaſterii Studii præfecto carceri à Nicephoro quoque Imperat. traditum eſſe.

XXV. ***

JOANNES iterum.

Digitized by Google

Joſephi Theſſalonicenſis oratio exſtat *de Cruce* inter Gretzerianas, exſtat & Encomium S. Demetrii Martyris Theſſalonicenſis. Ejus frater Theodorus lib. 11. epiſt. 31. periiſſe dolet Iambos quos Joſephus adverſus Iconomachos condiderat, quodque eorum exemplum nullum literis aut notis exaratum ad manus ſuas pervenerit. Corpus illius in Studii monaſterium aliquando tandem tranſlatum fuit, ubi ſacra quoque beatorum Platonis & Theodori pignora aſſervata ſunt.

XXVII. JOANNES *hæreticus*.

Franciſcus Combefiſius noſter, in Recenſitis ſcriptoribus Bibliothecæ Concionatoriæ, ubi de *Photio Patr. CP.* mihi auctor eſt *Jannem* ſive *Joannem* illum præſtigiatorem Λεκανόμαντιν, quem Theophilus Imp. Patriarcham Conſtantinopolitanum creavit, Theſſalonicenſem prius Archiepiſcopum fuiſſe. *Fuit deinde Archiepiſcopus Theſſalonicenſis:* Quamquam ingenue dicam me non prorſus capere quid hoc ſibi loci vir doctus voluerit; adeo totus contextus perſpicaciores oculos fugit.

XXVIII. LEO *hæreticus*.

Theophilo Imp. & Joanne, aliàs Janne Patriarchatum gerente, *Leo* Jannis ejuſdem cognatus, Theſſalonicæ antiſtes à Theophilo factus eſt, τὸν δὲ Λέοντα διὰ μείζονος εἶχε τιμῆς, καὶ τῆς Θεσσαλονίκης προχειρίζεται πρόεδρον, τὸν πατριάρχην ἀναπείσας Ἰαννὴν χειροτονῆσαι τοῦτον, ait poſt Joannem Scilitzen Curopolaten Cedrenus. Hunc à Theſſalonicenſibus multo honore habitum ſubdit, qui ſapientiam abſolutamque omnium rerum notitiam præ ſe ferret, ac graſſante ob terræ ſterilitatem fame, inſpectione ſiderum proximi anni fœcunditatem prænuntiaſſet. Nimirum non Poëticen modo ac Rhetoricam, ſed Philoſophiam quoque & Mathematicas ſcientias in Antro inſula didicerat, Michaële Pſello ſeniore Magiſtro, quum illic monaſticam vitam ageret. Hunc Conſtantinopoli docendis pueris ſubinde vacantem S. Methodius Patriarcha exauctoravit, ut pote Iconomachorum hæreſis fautorem. Tum vero Leo nihilominus Barda Cæſare favente, Geometriæ, Aſtrologiæ & Arithmeticæ ludum in Urbe Regia tenuit.

XXIX. BASILIUS I.

Leoni illi ſucceſſorem aſſigno *Baſilium*, patria Athenienſem, qui Cretenſis primum epiſcopus creatus, Agarenis in eam inſulam invadentibus, Theſſalonicenſi ſede donatus eſt, Niceta in vita S. Ignatii Patriarchæ teſte. Τότε καὶ Βασίλειος ἐκεῖνος, ὁ πρότερον μὲν Κρήτης

A ἐπίσκοπος γενόμενος, διὰ δὲ τὴν τῶν Ἀγαρηνῶν ἔφοδον εἰς Θεσσαλονίκην μετατεθείς. Hic non dubitavit Michaëlem Imp. adire, eumque partim monentis, partim docentis auctoritate, ab impia & ſacrilega quam oſtentarat ſacrorum Chriſtianorum deriſione dehortari, ſupremi numinis iram minitans. Qua reprehenſione Princeps offenſus, colaphis impactis venerandi ſenis dentes eliſit, tergum flagris ea ſævitia laceravit, ut inter tormenta animam penè efflaverit, nihil horum curante mercenario ac perinde impio opilione

B Photio, qui Ignatii ſedem rapuerat. Nicolaus Papa epiſt. 8. ad Michaëlem Imp. illos recenſens præſules qui ab Ignatii partibus ſtabant, *Baſilium Theſſalonicæ* primum omnium appellat. Baſilium in Menæis Græci inter ſanctos habent die 1. Febr. ubi Athenis oriundus dicitur.

XXX. THEODORUS.

In octava ſynodo quæ Photium Patriarchatu indignum pronuntiavit, ſedit ſubſcripſitque *Theodorus miſericordia Dei archiepi-*

C *ſcopus Theſſalonicæ.*

XXXI. PAULUS II.

Synodo illi alteri in qua de Photii poſt Ignatii obitum in Byzantinam ſedem reſtitutione tractatum eſt, adfuiſſe legitur & ſubſcripſiſſe metropolitanorum poſtremus, Theodorus Theſſalonicæ. Θεοδώρου Θεσσαλονίκης, Θεόδωρος Θεσσαλονίκης. Actione vero 6. *Paulus Theſſalonicæ,* poſt Nicephorum Cariæ, Παύλου Θεσσαλονίκης. Quod certè mirum. Sic tamen in excerptis quoque hu-

D juſce ſynodi tom. 2. Pandectæ Breveregii, & in Codice Græco Cardinalis Columnæ.

XXXII. ANATOLIUS.

Inter ſermones Græcorum quorum catalogum texuit Allatius in Diatriba de Simeonibus pag. 104. cenſetur *Anatolii* epiſcopi Theſſalonicenſis oratio εἰς τὴν ἀποτομὴν τοῦ Προδρόμου. *In Decollationem Præcurſoris.* Ejus ætas mihi hactenus comperta non eſt.

XXXIII. THEOPHANES.

E

XXXIV. PROMETHEUS.

Romano Argyro Imperatore, quum Conſtantinus Diogenes defectionem adverſus eum meditaretur, conſiliorum ejus conſorte Theodora Zoës Auguſtæ ſorore, atque in Illyricum ſecedere, rem Zoë *Theophanes* Theſſalonicenſis indicavit. Μηνύεται δὲ τῇ βασιλίδι Ζωῇ διὰ Θεοφάνους τοῦ Θεσσαλονίκης, ὡς Κωνσταντῖνος ὁ Διογένης κοινολογησάμενος τῇ ταύτης ἀδελφῇ Θεοδώρᾳ, ἀποδρᾶσαι εἰς Ἰλλυρικὸν μελετᾷ. Scilitz. & Cedrenus pag. 729. Poſt

ECCLESIA THESSALONICÆ.

vero Theſſalonicæ Clerici Theophanem Michaëli Paphlagoni qui fortè in eorum urbe agebat, Imperatori detulerunt, qui conſueta ſtipendia ſua retineret. Quumque Imperatori hortanti ut clericis ſuis ſatisfaceret, minime acquieſceret, abdicatus tandem fuit, repertaque apud illum centenaria auri triginta in clerum pauperesſque diſperſa ſunt. Illo itaque in agrum relegato, Theſſalonicæ Præſul creatus fuit *Prometheus*, cui tamen injunctum fuit ut Theophani interim alimenta annuatim ſuppeditaret, ἐφέστησε δὲ τὸν Περμηθέα τῇ μητροπόλει, παρ' οὗ καὶ οὗτος σιτηρέσια λαμβάνειν τέτακτο καὶ καθ' ἑαυτὸν διάγειν.

PROMETHEUS.

XXXV. Theodulus.

In celebri procerum Imperii epiſcoporumque conventu qui Alexio Comneno Imp. & Nicolao Grammatico Patriarcha habitus eſt Decreti unionis de ſacrarum Imaginum veneratione cauſa, ſedebat *Theodulus Theſſalonicæ*, Θεοδούλου Θεσσαλονίκης. Bibliot. Coiſlin. pag. 104. Ad eum exſtat Theophylacti Bulgarorum archiepiſcopi epiſtola 11. qua ſuos illi dolores explicabat.

XXXVI. Nicetas I.

Joanne VIII. patriarcha Conſtantinopolitano exaratus fuit codex Regius 2470. Officiorum Græcorum, anno mundi 6641. Ind. XI. die 17. Auguſti, feria 4. hoc eſt anno Domini 1133. Joanne Comneno, ſeu Calo-Joanne Imp. & Irene piiſſima Auguſta, ὑπὸ ἡμέραις κυροῦ Νικήτα ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης, *In diebus Domini Nicetæ archiepiſcopi Theſſalonicæ.* Nicetas iſte Theſſalonicæ alius omnino non eſt à Niceta Chartophylace & Maroneæ epiſcopo, qui ad Theſſalonicenſem ſedem provectus fuit. Latini dogmatis de Spiritus ſancti ex Filio quoque proceſſione aſſertor quidem fuit, inſertam vero ſymbolo vocem *Filioque* non probabat. Manuele Comneno Imp. dialogos ſuos cum eo habuit Hugo Etherianus. Multas librorum ejus lacinias paſſim ſuis in voluminibus variis exſcripſit Allatius. In Bibliotheca MSſ. Angliæ inter Joannis Seldeni codices claſſe II. n. 11. habetur *Prologus de peregrinatione & actis S. Joannis Evangeliſtæ ex ore Nicetæ Theſſalonicenſis.* In Jure Græco-Romano regeſtæ jacent Interrogationes diverſorum Epiſcoporum ad Dominum Nicetam Chartophylacem, qui *archiepiſcopus factus eſt metropolis Theſſalonicæ*, τὸν γεγονότα ἀρχιεπίσκοπον μητροπόλεως Θεσσαλονίκης.

XXXVII. Basilius II.

Anno 1156. Conſtantinopoli ſynodus habita eſt à Luca Chryſoberge Patriarcha, in cauſa Soterichi Panteugeni, qui Patriarcha Antiochenus deſignatus erat, atque in ea ſedebat *Baſilius Theſſalonicenſis*, Leone Allatio teſte in vindiciis ſynodi Epheſinæ, pag. 584. Baſilii hujus epiſtola exſtat ad Adrianum Papam IV. qua animum à ſchiſmate alienum præfert. Inſcriptio ejus eſt: ἀντιγραφὴ τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης κυρίου Βασιλείου, τοῦ Αχριδηνοῦ πρὸς τὸν πάπαν Ῥώμης κύριον Ἀδριανόν. *Reſcriptum ſanctiſſimi archiepiſcopi Theſſalonicæ domini Baſilii Achrideni ad Papam Romæ Dominum Adrianum.* Ex qua apparet Baſilium Achridæ quæ Bulgarorum metropolis fuit, natum eſſe. Ejus vero inſuper pag. 408. & 409. Reſponſa habentur ad dubia quædam quæ propoſita ipſi erant.

XXXVIII. Constantinus I.

Lucæ Chryſoberges Patriarchæ ſynodali ſtatuto vetitum eſt, ne clerici ea auferrent quæ Eccleſiarum ſunt, aut ad morientes epiſcopos pertinuerunt, quum ſanctiſſimus *Conſtantinus* Theſſalonicæ epiſcopus queſtus eſſet res diverſas metropolis ſuæ, ac quæ deceſſo riſolim ſui fuerant, à clericis ſuis direptas eſſe. Jur. Græc. Rom. lib 4. pag. 282.

XXXIX. Eustathius.

Conſtantino poſterior fuit *Euſtathius*, celebris ille Homeri carminum enarrator, qui ex magnæ Eccleſiæ Rhetorumque Magiſtro, Manuele Comneno Imperatore Myræ Lyciorum metropolita electus, dum ſe conſecrationis muneri ſuſcipiendo pararet, juſſione Imperatoris Theſſalonicenſis metropolita renuntiatus fuit. Id quod Demetrius Chomatænus Bulgaricæ diœceſis Archiepiſcopus narrat in reſponſione ad interrogationem ſecundam Conſtantini Cabaſilæ, qua quærebatur, fas ne eſſet eum qui electus eſſet epiſcopus, huicque electioni conſenſiſſet, ad alteram ſedem transferri. ἐπὶ τῶν ἡμερῶν τοῦ ἀοιδίμου βασιλέως κυρίου Μανουὴλ καὶ πορφυρογεννήτου Κομνηνοῦ, τοῦ σοφωτάτου ἐκείνου Εὐσταθίου, τοῦ κατὰ Φλάβιον διακόνου ὄντος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας καὶ μαΐστορος τῶν ῥητόρων, εἰς τὴν ἐκκλησίαν τῶν Λυκίων Μύρων ψηφισθέντος καὶ καταδεξαμένου καὶ κατασπασαμένου, καὶ ἤδη πρὸς τὴν χειροτονίαν ἑτοιμασθέντος πρόσταγμα τοῦ μακαρίτου βασιλέως ἐκείνου, πρὸς τὴν σύνοδον καταπεφοίτηκε διακελευσάμενον δέξασθαι ταύτην ἀφαιρούμενον τὸν Εὐστάθιον, προσαγαγεῖν δὲ τοῦτον εἰς τὴν περίκλυτον τῶν Θεσσαλονικέων μητρόπολιν, οἷς τηνικαῦτα χηρεύουσαν. Relata Euſtathii Theſſalonicam tranſlatione, ſubdit Chomatænus: *Sola, ut diximus, Imperatoria juſſio mutandi hæc atque innovandi vim habet.* Cæterum Euſtathius eidem Imperatori Manueli præ aliis Græciæ epiſcopis repugnavit contendenti

contendenti, ut ex Catecheſibus expungeretur anathema quod Deo ὁλοσφύρῳ, qualem Mohammedani fingunt, gignere aut gigni neſcium, dicere jubentur qui ex Sarracenica impietate ad Chriſti caſtra tranſeunt. Sic vero Theſſalonicenſis Euſtathius de Mohammedanorum Deo, tamquam de male ſani ingenii commento diſputabat. ἐσοίμην ἄν, ἔφη, καταπεπατημένον τὰς πέρνας φορῶν τὸν ἐγκέφαλον, καὶ τοῦ σχήματος τούτου παντάπασιν ἀνάξιος (oſtenſo ſcilicet amictu monaſtico quem geſtabat) εἰ Θεὸν ἡγοίμην ἀληθινὸν τὸν παιδεραστὴν καὶ χαμιλώδη, καὶ πάσης πράξεως μιαρᾶς ὑφηγητὴν B καὶ διδάσκαλον. Atqui Euſtathius Imperatorem de quo non male meritus erat, ardentiore illo religionis affectu offendit, ac Princeps inſolita hactenus patientia, varia defenſione uſus eſt. Cæterum Euſtathium Eccleſiaſticum judicium ſubire poſcebat, ſeu qui unctum Domini contumeliæ plenis vocibus accuſaret credere in pædiconem Deum. Verum Patriarcha (is erat Theodoſius Borradiotes patriarchatu anno 1178. donatus) Imperatorem conveniens, iram ejus ſedavit, impetravitque ut Theſſalonicenſi C præſuli ſui purgandi poteſtas demum fieret; faſſus interim oportuiſſe illum ut pote virum ſapientem ab obſcœnitate verborum ſibi temperare, nec quidquam effutire quod ad rem non pertineret. Hæc Nicetas Choniates in Manuele Commeno lib. 7. n. 6. qui addit editam fuiſſe anathematiſmi illius expoſitionem, quam epiſcopi laudaverunt, eique ſe ſubſcripturos polliciti ſunt. Poſtridie vero illi ubi ad ſynodum convenere ſubſcriptionem recuſarunt, quod in ea ut ſcripta erat, voces aliquot reprehenſione D dignæ apparerent. Quamobrem Manuel commotus inconſtantiam illorum incuſavit, illi autem ægrè tandem aſſenſi ſunt, ut anathema illud è catecheticis libris demeretur. Euſtathius ergo Manuele Commeno Imp. Theſſalonicenſem pontificatum gerebat, nec non Alexio ejuſdem Manuelis filio, nec non Andronico perinde Imperatoribus. Nicetas quippe rurſum *in Andronico* lib. 1. num. 9. Euſtathium iterum Theſſalonicenſem laudat ab eloquentia, virtute, prudentia, rerumque tum divinarum tum profana- E rum ſcientia, ad hæc propenſo in gregem ſuum amore & ſollicitudine, qui expugnata à Siculis Theſſalonica, apud eorum duces effecerit, ne ſui cives captivi abducerentur. Quod quidem contigit anno 1183. Ut vero Homeri libros, ſic Joannis Damaſceni canonem de Pentecoſte commentariis illuſtravit ille, cui & alia tribuuntur, ſed quæ eruditis criticis genuini ejus fœtus eſſe non videntur.

XL. Michael.

Lib. 8. Juris Græco-Romani quo Matthæi monachi, Blaſtaris utique, quæſtiones & cauſæ matrimoniales continentur, pag. 482. mentio fit *Michaëlis Chumni*, Theſſalonicenſis archiepiſcopi, qui, quum alii primi & quinti gradûs nuptias prohiberent, permiſſas nihilominus, licitaſque eſſe pronuntiavit. ὁ δέ γε Θεσσαλονίκης Μιχαὴλ ὁ Χοῦμνος ἐν ἰδίῳ ψηφίσματι ἀκώλυτον ἀποφαίνει, ut ſi pater & filius qui ſunt in primo gradu cum amita minore, fratriſque filia, qua gradu quinto ſe contingunt, copulati fuerint. Id quod repetitur pag. 484. Ad hæc pag. 519. ſcriptum recitatur Μιχαὴλ νομοφύλακος τοῦ Χούμνου γεγονότος μητροπολίτου τῆς Θεσσαλονίκης, περὶ τῶν τοῦ Βαλσαμῶνος περὶ συγγενείας, *Michaëlis Nomophylacis Chumni qui fuit metropolita Theſſalonicæ, de Balſamonis definitionibus de cognatione;* quæ omnino Michaël prius ſcripſiſſe videtur quam Theſſalonicenſi Eccleſiæ præficeretur; unde & Balſamoni nonnihil ſupparem fuiſſe puto.

XLI. Constantinus II.

Iſaacio Angelo Imperatori familiaris admodum fuit *Conſtantinus Meſopotamita* cognominatus, Alexio autem illius fratri jam olim inviſus, quippe qui variorum in Republica motuum auctor extiterat. Subinde vero Alexio, Euphroſynes ejus uxoris cujus adulteriis adulabatur, opera reconciliatus, poſtquam ſuis artibus effecerat ut è monaſterio Nemetario in quod relegata erat, revocaretur, Caniclii officium recepit quod olim ſub Iſaacio geſſerat: quin etiam Georgius Xiphilinus Patriarcha Alexio jubente illum ex lectore diaconum ordinavit, quo res Eccleſiæ tractaret. Non multo poſt Theſſalonicæ epiſcopus deſignatus, eam in urbem profectus eſt, vix vero illius Eccleſiæ ſolio impoſitus, mira feſtinatione Byzantium repetiit, ubi ex arbitrio cuncta adminiſtrabat. Quamobrem nemini non exoſus factus, Palatio demum ejicitur, quin etiam Pontificatu. De quo Nicetas lib. 3. in Iſaacio Angelo & alibi. De illo intelligendum venit quod in Chronico Alberici nomine inſignito, ad annum 1201. legimus, ubi de obſidione Acconenſi, *Cum Archiepiſcopo Theſſalonicenſi fuit unus regulus de Gracia Lauſagius:* qui nempe in Chriſtianorum caſtris aderant, quum Theſſalonicæ præſul ille urbe ſua pulſus eſſet. Cæterum Conſtantinus ille Theſſalonicenſem ſedem iterum conſcendit. Georgius quippe Acropolita hiſtoriæ ſuæ §. 21. narrat Theodorum quidem Angelum Comnenum Theſſalonicam

Digitized by Google

ECCLESIA THESSALONICA.

cam ejuſque ditionem omnem Latinis eripuiſſe, tum vero quùm Imperii inſignia indumentaque ſibi vindicaſſet, quin Imperii corona à Demetrio Bulgariæ Archiepiſcopo redimitus eſſet, illi omnino Conſtantinum Meſopotamitam Theſſalonicenſem itidem Archiepiſcopum ſtatas regulas obtendentem vehementer obſtitiſſe, ἀντιστάντος αὐτῷ ἔτι ζῶντι στεῤῥότατα τοῦ μητροπολίτου Θεσσαλονίκης Κωνσταντίνου τοῦ Μεσοποταμίτου, *quem Theodorus multis calamitatibus & exiliis male mulctavit*, ὃν καὶ πολλαῖς κακουχίαις καὶ ἐξορίαις ὑπέβαλε τὸν κανονικῶν ἐθῶν ἀντεχόμενον. Nicephorus autem Gregoras lib. 2. auctor eſt Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, cujus nomen omiſit, Theodoro coronam ideo imponere renuiſſe, quod legitimus Theſſalonicenſis Imperii hæres in Italiam ad Honorium Papam, tertium utique perrexerat.

XLII. Manuel *Diſypatus*.

Joanne Laſcari Græcis imperante, Michaël Palæologus, quem in Occiduas Imperii Byzantini partes miſerat, proditionis ſuſpectus factus, Theſſalonica ab Imperatorii exercitus comite Chadeno, vinctus adduci juſſus eſt. Erat tunc Theſſalonicæ epiſcopus *Manuel Diſypatus*, ὁ Δισύπατος ὢν Μανουήλ, quem Georgius Acropolita *Opſaram* cognominat, τὸν καὶ Ὀψάραν λεγόμενον, ex quo Pachymeres emendandus, apud quem Pſaras ſcribitur lib. 2. cap. 8. ὁ ἐπίκλην Ψαρᾶς; qui futurorum prænoſcendorum arti quum indulgeret, Michaëli ſummam rerum prænuntiavit. Hic tamen quia ſubinde Palæologus, omiſſo Imperatore puero, coronari ſolus voluit, ſtrenuè illi aliquando repugnavit. Ubi vero in mentem ei revocatum eſt, quod Michaëli Imperium prænuntiaſſet, orto clamore multorum victus tandem ſubſcripſit. Cæterum Arſenio Patriarcha qui Palæologi inaugurationem non probaret, exauctorato, ejuſque in locum ſuffecto Nicephoro, promotioni illius repugnarunt Andronicus Sardenſis, & *Manuel Theſſalonicæ*, ὁ Σάρδεων καὶ ὁ Θεσσαλονίκης Μανουήλ; quodque ſententiam ſuam pertinacius tenerent, ſuis ſedibus amoti, exilio relegati ſunt, aliique in eorum locum ordinati. Atqui hæc quidem Nicææ gerebantur, unde Manuel egreſſus, in vicinia reliquum vitæ tempus egit. Pachym. lib. 1. cap. 11. lib. 2. capp. 8. 17. 22.

XLIII. Joannicius *Cydones*.

Michaël Palæologus Imp. ejecto ex epiſcopatu Manuële, ejus in locum conſtituit *Joannicium Cydonem* monaſterii Soſandrorum præpoſitum, καὶ τὸν μὲν Κυδώνην Ἰωαννίκιον, τῆς τῶν Σωσάνδρων μονῆς ἐξάρχοντα Θεσσαλονίκης. Pachym. lib. 2. cap. 22. Hunc fuiſſe illum Theſſalonicenſem archiepiſcopum, cui Gregorius Papa X. ut aliis Orientis partium metropolitis epiſtolam dedit de unione cum eccleſia Romana quam decreverant, admodum veriſimile eſt.

XLIV. Demetrius I.

In codice Cæſareo 67. to. 8. qui epiſtolas continet Gregorii Cyprii Patriarchæ ſub Andronico Imp. ſeniore Conſtantinopolitano, ſeptima inſcribitur τῷ Θεσσαλονικείας Δημητρίῳ Βεάσκῳ, *Theſſalonicenſi præſuli Demetrio Beaſco*.

XLV. Ignatius.

In Theſauro Nicephori Choniatæ manu exarato libellum reperi à Joſepho Patriarcha Byzantino ſcriptum *Ignatio, qui poſthac factus eſt metropolita Theſſalonicæ, cum vinctus teneretur Latinorum cauſa*. Πιττάκιον τοῦ πατριάρχου κυροῦ Ἰωσὴφ πρὸς τὸν μετὰ ταῦτα γεγονότα Θεσσαλονίκης μητροπολίτην κυρὸν Ἰγνάτιον, δέσμιον ὄντα τιμωρηθέντα διὰ τὴν Λατινικὴν ὑπόθεσιν. Hic ſub Andronico Imp. ad Theſſalonicenſem ſedem promotus potius fuerit, quam ſub Michaële illius parente: ac certè alius erit ab illo Ignatio quem cum altero cui Meletio nomen, itidem epiſcopo, incertæ mihi ſedis, Michaël Romam ut pote unioni repugnantem ad Gregorium Papam miſit; quos tamen miſeratus Pontifex tamquam invidioſa ſuſpicione laborantes cum commendatitiis literis ad Imper. remiſit. Pachym. lib. 6. capp. 17. 18.

XLVI. Nicetas II.

Nicetam habemus alterum Theſſalonicæ epiſcopum, quem Mitylenæum cognominant, ab alio perinde diverſum qui Maroneæ dicitur, ut pote cujus eccleſiæ Pontifex priùs fuerat. Lib. 6. Juris Græco-Romani habentur *Quæſtiones ad Dominum Nicetam Mitylenæum Theſſalonicæ epiſcopum; cum ſolutione ejuſdem Nicetæ Mitylenæi*. Ἐρωτήσεις πρὸς τὸν Θεσσαλονίκης κυρὸν Νικήταν τὸν Μιτυληναῖον. Λύσεις τοῦ Θεσσαλονίκης κυροῦ Νικήτα τοῦ Μιτυληναίου. Quin et aliæ rurſum ad illum quæſtiones Baſilii monachi Cappadocis, lib. 5. p. 344. & ſeqq. cum ſolutionibus, quas ſequuntur interrogationes ad Nicetam Nomophylacem, qui Theſſalonicæ archiepiſcopus fuit; πρὸς τὸν χαρτοφύλακα κυρὸν Νικήταν τὸν γεγονότα ἀρχιεπίσκοπον τῆς μητροπόλεως Θεσσαλονίκης. Ceu Nicetas iſte Mitylenæus Nomophylacis primùm munere functus eſſet.

Digitized by Google

XLVII. Jacobus.

Bibliothecæ Colbertinæ codex 36. membranaceus ſæculo XIII. exeunte vel certe XIV. adulto exaratus, multa complectens S. Niconis Aſcetica, repoſitus eſſe dicitur in Laura S. P. N. Athanaſii montis Atho, παρὰ τοῦ πανιερωτάτου μητροπολίτου Θεσσαλονίκης ὑπερτίμου καὶ ἐξάρχου πάσης Θεσσαλίας, κυροῦ Ἰακώβου, καὶ τότε καθηγουμένου τῆς ἁγίας ταύτης Λαύρας, *à ſanctiſſimo metropolita Theſſalonicæ Hypertimo & Exarcho totius Theſſaliæ Domno Jacobo, qui tunc præpoſitus erat ſanctæ hujus Lauræ.* Quæ eodem ac totus liber charactere exarata ſunt, ac proinde quum Jacobus ille Lauram iſtam regeret.

XLVIII. Hieremias.

Quo tempore Andronicus Palæologus junior Imperii compos eſt factus, Theſſalonicenſem eccleſiam gerebat *Hieremias*, circa annum 1322. Quod teſtatur Cantacuzenus Joannes Imp. lib. 1. hiſt. cap. 31. ubi narrat Conſtantinum Deſpotam qui arripere Imperium voluerat, Theſſalonicæ monachi habitu indutum, Didymotichum, comitantibus compluribus Theſſalonicenſium de ſenatu & de militibus deductum eſſe; quin etiam Theſſalonicæ antiſtite Hieremia, καὶ ὁ τῆς κατ' αὐτὴν ἐκκλησίας πρόεδρος Ἱερεμίας. Cap. 53. iterum mentio fit metropolitæ Theſſalonicæ, qui poſt annum 1326. ſedebat, & prope Chortætum in Andronicum juniorem illum incidens, Theſſalonicam occupare properantem, ab eo ſalutatus, nihil præ metu reſponſi dedit.

XLIX. Joannes IV.

L. Joannes V.

Andronicus junior Imperator *Joannem* preſbyterum, Apris quidem obſcuris parentibus oriundum, ſuadente magno Domeſtico, in Byzantinam ſedem, Eſaia Patriarcha defuncto, promovere propoſuerat, ut pote hominem in ſacerdotali munere dexterrimum, & in clerum Imperatoris cooptatum. Verum Epiſcopos conſilio ſuo obſiſtere intelligens, negotium magno illi Domeſtico gerendum commiſit. Epiſcopi in Æde Apoſtolorum Patriarchæ eligendi cauſa convenientes, minime ferendum declarant, ut homo hujus vitæ curis implicitus, qui cum uxore & filiis habitaret, ad ſublimem thronum evehatur. Quocirca magnus ille Domeſticus ab epiſcopis Imperatoris nomine poſtulat ut Theſſalonicæ ſaltem quæ paſtore vacabat, minoris ſcilicet ſedis Pontifex ille crearetur. In quam omnes ſtatim ſententiam euntes, ultro collatis ſuffragiis Joannem Theſſalonicæ epiſcopum deſignant καὶ ἐψηφίζοντο προθύμως Θεσσαλονίκης ἱεράρχην ἀποδεῖξαι τὸν Ἰωάννην. Quod ut obtinuit Imperator, continuò declaravit nihil jam prorſus obſtare, quominus Joannes qui Theſſalonicenſi metropolitica ſede dignus haberetur, Byzantinam perinde obtineret; quod mox epiſcopi, vel inviti, demum admiſerunt. Hic porro Joannes Aprenus, quando exiguo nimis tempore Theſſalonicæ epiſcopus dictus eſt, ad Theſſalonicenſem vix ſedem pergere potuit. Quocirca alter omnino eſt ab illo *Joanne* Theſſalonicenſi carminis in ſanctum Demetrium martyrem conditore, cujus meminit in Diatriba *de variis Simeonibus* Leo Allatius, pag. 105. uti neque priſtinus ille Joannes Theſſalonicenſis metropolita, quem ſextæ Synodo generali interfuiſſe dixi. Poſterioris enim ille ætatis videtur fuiſſe.

ECCLESIA THESSALONICA.

JOANNES V.

LI. Macarius.

Lauræ montis Atho Præfectus erat *Macarius* quando Theſſalonicenſis eccleſiæ regimen adiit, qui non à monachis dumtaxat aliis, qui pro Cantacuzeno Joanne Imperatore ſtabant, diſcrepabat, ſed & illos *Cantacuzeniſmi* per ludibrium taxabat, καὶ Μακάριον μὲν τὸν Λαύρας ἡγούμενον Θεσσαλονίκης μητροπολίτην ἀναδείξαντες, ἔπεισαν, οὐ πρὸς τοὺς ἄλλους μόνον διενεχθῆναι μοναχοὺς, ἀλλὰ καὶ Καντακουζηνισμὸν αὐτοῖς κατηγορεῖν, ait Cantacuzenus ipſe lib. 3. cap. 35. Anna Imperatrix adverſus Cantacuzenum legatos ad Serviæ Cralem ſeu Deſpotam miſit, Georgium, Lucam, nec non Macarium Theſſalonicenſem, ſpondens ei quod convenerat ab ipſa donatum iri, dummodo Cantacuzenum Crales vinctum ad ſe mitteret; quibus tamen Crales abnuit. Tum Macarius Cantacuzenum adiens, ingratum ejus animum erga nuperum Imperatorem accuſavit, quod filiis ejus omni modo inſidiaretur. Hunc viciſſim Cantacuzenus inanis gloriæ inſimulavit, qui à monachis ſuis diſſenſiſſet epiſcopatus adipiſcendi gratia, voces uſurpans quas Paulus de Dema dixerat: *Macarius me dereliquit, diligens hoc ſæculum, & profectus eſt Theſſalonicam.*

LII. Demetrius II.

Tom. 6. Antiq. Lect. Henrici Caniſii Latinè edita eſt epiſtola *Demetrii metropolitæ Theſſalonicæ, ſanctiſſimi doctiſſimique Viri ad Domnum Barlaamum* Gyracenſem epiſcopum, in qua omnia ſua de Spiritus ſancti proceſſione dubia exponens, ab eo doceri rogat, quibus rationibus adductus eſſet, ut Spiritum ſanctum ex Filio quoque procedere crederet. Non mediocris eſſe audaciæ fate-

ECCLESIA THESSALONICA.

tur in dogmatis de ſancta Trinitate ſuam exiſtimationem ſanctorum magnorumque Doctorum cognitioni anteponere. Eos qui Spiritum ſanctum ex Patre ſolo procedere, multis magniſque ſanctis, Auguſtino præſertim & Cyrillo, qui fuſiùs apertiùſque oppoſitum docent, ſe ſapientiores ac religioſiores jactare: nihil vero iſtiuſmodi à Latinis ſpectari, nemine ſanctorum Spiritum à Patre ſolo procedere perſpicuè aſſerente. Demetrii epiſtolam ſequitur Barlaami reſponſio: editaque rurſum utraque eſt ab Abrahamo Bzovio qui eas Annalibus ſuis inſeruit ad ann. 1339. At vero ſæculo decimo-quarto medio Barlaam Gyracenſem in Calabria Eccleſiam curabat.

LIII. Nilus.

Circa annum 1340. Theſſalonicæ epiſcopus fuit *Nilus* cognomento *Cabaſilas*, acerrimus Latinorum adverſarius, qui multa in eos ſcripſit, ac præſertim de proceſſione Spiritus ſancti, & Primatu Papæ; itemque pro Palamitarum deliriis tuendis adverſus Barlaamum & Gregorium Acindynum. Hic auctor inſtar omnium fuit quem Græci evolvendum curabant, dum ad Ferrarienſem Florentinamve ſynodum properarunt. De eo legendus Allatius opere *de Nilis*, deque ejus libris Guillelmus Cave in ſcriptorum Eccleſiaſticorum hiſtoria literaria.

LIV. Gregorius.

Joannis Cantacuzeni æqualis fuit *Gregorius* Palamas, genere Aſianus, qui ſpretis Palatii honoribus monaſticam vitam elegit, egitque in monte Atho, Berrhœæ in Macedonia, mox Theſſalonicæ epiſcopus. Hic novelli dogmatis auctor ſodalibus ſuis fuit, nempè Deum lumen quoddam inhabitare ſibi coæternum qui minime Deus ſit, illoque lumine perſtrictos olim trium Apoſtolorum in Monte Thabor oculos fuiſſe, idque illis affulgere qui attentiùs orationi vacant: Dei operationem à Deo ipſo reipſa diſcrepare. Quocirca à Barlaamo & Acindyno hæreſis accuſari meruit, atque in Conſtantinopolitana ſynodo Joanne Glycy Patriarcha præſide damnari, & carceri tradi. Poſt vero Cantacuzenus Imperii, Urbiſque Regiæ compos factus, hunc nihilominus Patriarcham deſignavit, quem tamen epiſcopi qui convenerant admittendum minime cenſuerunt, ejuſque loco Iſidorum elegerunt, Palamitici licet erratici dogmatis fautorem. Calliſto Iſidori ſucceſſore celebrata Conſtantinopoli ſynodus eſt anno mundi 6859. ſive Chriſti 1351. menſe Aug. Ind. IV. in qua Barlaam & Acindynus Palamæ adverſarii proſcripti fuerunt,

A & Palamiticus error approbatus. Sed & anno 1354. Gregorius Palamas Theſſalonicenſis archiepiſcopus renuntiatus, atque à Patriarcha Conſtantinopoli conſecratus fuit. Hunc vero Theſſalonicenſes Præfecti, quin & Alexius Metochita Protoſebaſtus, atque Andreas Palæologus admittere noluerunt. Quocirca in Lemnum inſulam ſecedens reliquum ibi vitæ tempus egit. Plura de eo apud Cantacuzenum legenda, apud Nicephorum Gregoram alterum ejus adverſarium, nec non apud Allatium de ſynodo Photiana p. 444. B adverſus Hottingerum p. 328. & de Georgiis ac Gregoriis. Palamæ opera quæ exſtant multa recenſentur apud Caveum in hiſtoria Literaria, quin etiam in Doctiſſimi Montefalconii Bibliotheca Coiſliniana.

LV. Nicolaus.

Gregorio Palama exploſo ſuffectus, nî fallor, illi fuit *Nicolaus* Cabaſilas Thomaidis Nili Cabaſilæ ſororis filius, teſte Phranza lib. 2. hiſt. cap. 5. Quæ quidem Thomaïs genere Aſiana quum eſſet, ac Conſtantino- C poli educata trium Archiepiſcoporum ſoror fuiſſe memoratur, quin & Theſſalonicam veniſſe aliquando Cabaſilæ filii & Archiepiſcopi fratris viſendi cauſa. In codice Coiſliniano 315. habetur, Ἐπιστολὴ τοῦ ἁγίου μητροπολίτου Θείου Νικολάου τοῦ Καβασίλα, ἁγιωτάτου μητροπολίτου Θεσσαλονίκης Νείλου, *Epiſtola ſanctiſſimi metropolitæ Theſſalonicenſis Nili avunculi Nicolao Cabaſilæ.* Præterea Allatius in libro *de Nilis*, ex ſynodico Eccleſiæ Theſſalonicenſis, hæc de Nicolao Cabaſila exſcripſit. Νικολάου τοῦ ἁγιωτάτου μητροπολίτου Θεσ- D σαλονίκης τοῦ λόγοις ἅμα καὶ ἔργοις καὶ θείοις συγγράμμασι ἀγωνισαμένου ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας Χριστοῦ, καὶ τὴν τοῦ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκινδύνου κενομανίαν θεοσόφοις λόγοις καὶ ἀποδείξεσιν ἀναντιῤῥήτοις καταισχύναντος τε καὶ διελέγξαντος, αἰωνία μνήμη. *Nicolai ſanctiſſimi metropolitæ Theſſalonicenſis, qui verbis factiſque, & divinis ſcriptis pro Eccleſia Chriſti certavit, & Barlaami, Acindynique ineptam amentiam tractatibus divina ſapientia refertis invictiſque demonſtrationibus confudit ac redarguit, æterna memoria.* Operum Nicolai Cabaſilæ indicem ſat accura- E tum repereris apud Caveum in hiſtoria Literaria.

LVI. Isidorus.

In ſynodici Theſſalonicenſis eccleſiæ cujus ſcriptor Eugenicus Nomophylax excerpto, quod Leo Allatius in Diatriba *de Simeonibus*, & eorum ſcriptis recitat pag. 187. hæc de Iſidoro Nicolai Cabaſilæ ſucceſſore leguntur. Ἰσιδώρου τοῦ ἐν μακαρία τῇ λήξει γενομένου ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης, τοῦ

Digitized by Google

δίκην ἀστέρος τοῦ λαμπροῦ τὴν ποίμνην αὐτοῦ πάντῃ καταφωτίσαντος ταῖς καθ' ἡμέραν ἱεραῖς αὐτοῦ διδασκαλίαις, καὶ ὑφηγήσεσι, καὶ κατὰ τὸν καλὸν καὶ πρῶτον ποιμένα Χριστὸν τοῦ ποιμνίου πάντα τρόπον προνοήσαντος, καὶ μακρὰς ὁδοιπορείας ὑποσχόντος, καὶ πᾶν εἴ τι θεῖον, καὶ πρὸς σωτηρίαν ἐνάγον, καὶ λόγοις διδάξαντος, καὶ ἔργοις ἐνδειξαμένου, καὶ τοῖς ὄντως τοῖς ἐπ' ἀρετῇ καὶ σοφίᾳ πρὸ αὐτοῦ διαλάμψασιν ἐξισωθέντος τοῖς ὅλοις, αἰωνία ἡ μνήμη. *Iſidori ſanctiſſimi Theſſalonices archiepiſcopi, felicis recordationis, qui ſplendidiſſimi ſideris inſtar gregem ſuum illuminavit ſacris quotidianis ſuis doctrinis, admonitionibuſque, ac veluti bonus primariuſque paſtor Chriſtus, modis omnibus ovilis curam geſſit, longas peregrinationes ſuſtinuit, & quidquid bonum, & ſaluti conducibile videbatur, tum ſermonibus docuit, tum verbis, tum operibus demonſtravit, ſuiſque deceſſoribus, qui virtute & doctrina claruerunt, omnibus modis verè æqualis fuit, perpetua memoria.* Hunc alium eſſe non puto ab Iſidoro Glaba Theſſalonicæ metropolita, ad quem exſtat Demetrii Cydonii epiſtola, τοῦ ἁγιωτάτῳ μητροπολίτῃ Θεσσαλονίκης Ἰσιδώρῳ τοῦ Γλαβᾶ, in qua uti Combefiſius tom. 2. Auct. Bibl. PP. Græc. pag. 1263. conſulto obſervat, ſeſe à ſiniſtris quibuſdam rumoribus purgat, quibus traduceretur tamquam hæreticus: Se promptum præbet quo doceatur, rogat ut meliora oſtendat & probet; haud alioqui ſe ceſſurum ait niſi divinarum ſcripturarum, ſanctorumque Doctorum auctoritate, communioribuſque argumentis prematur. Quibus ſignificat ſe ab Iſidoro diſſentire quod Palamitarum fanaticos errores abnueret. Atqui Iſidorus circa ſæculi decimi quarti exitum, atque decimi quinti initium ſedebat, Manuele Palæologo Imperatore, qui ſummam rerum anno 1394. tenebat. Quocirca non ſatis capio Nicephorum Gregoram epiſtolam aliquando ſcripſiſſe, quæ extat in Codice Regio 1257. hoc præmiſſo titulo, τῷ φιλοσόφου τοῦ μητροπολίτῃ Θεσσαλονίκης τοῦ Γλαβᾶ, *Philoſophi metropolitano Theſſalonicæ Glaba*. Quod etſi doctiſſimus Boivinius exiſtimaverit, ratio tamen temporum vix patitur. De Iſidori Theſſalonicenſis voluminibus quæ paſſim in Bibliothecis occurrunt, conſulat Lector præter Labbeum, Bibl. Eccl. pag. 246. 651. Guillelmi Cave Hiſtoriam Litterariam tom. 2. Allatium *de Simeonibus*, & Bibl. Coiſlin. pagina præſertim 429.

LVII. Gabriel I.

In ſynodico Eccleſiæ Theſſalonicenſis Iſidoro Gabriel ſuccedit, de quo hæc ibidem habentur. Γαβριὴλ, τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ λήξει γενομένου ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης, τοῦ σχεδὸν ἐκ βρέφους τῷ Θεῷ ἀνατεθειμένου, κἀν τῇ μοναδικῇ πολιτείᾳ πρωτεύοντος, κἀντεῦθεν ὡς ἀρετῆς ἔπαθλον τὴν προστασίαν τῆς πόλεως ταύτης ἀναδεξαμένου, πολλοῖς τε ἔργοις καὶ ταῖς πρὸς τὸν Θεὸν δεήσεσι ταύτην τηρήσαντος, καὶ πρὸς τοῖς ἄλλοις, οἷς εἶχε πνευματικοῖς χαρίσμασι, πραότητι καὶ ἀγάπῃ κεκοσμημένου, καὶ τὴν πατρικὴν εὔνοιαν ἀεὶ πρὸς τὰ πνευματικὰ τέκνα ἐνδεικνυμένου, αἰωνία ἡ μνήμη. *Gabrielis felicis recordationis ſanctiſſimi archiepiſcopi Theſſalonicæ, qui ab infantia pene Deo addictus fuit, & in monaſtico inſtituto primarium locum occupavit. Quocirca tamquam virtutis præmium urbis hujus regimen ſortitus, multis operibus, orationibuſque eam ſervavit, ac præ ſpiritualibus donis aliis quibus enituit, manſuetudine & caritate ornatus, affectum erga ſpirituales filios paternum ſemper monſtravit, perpetua memoria.* Hic itaque eſt Gabriel ille Theſſalonicenſis, cujus laudes Manuel Palæologus Imp. oratione ſolenni celebravit. Obiit anno 1429.

LVIII. Symeon.

Symeon archiepiſcopus Theſſalonicenſis Gabrieli illi ſuffectus fuit, ſex annis ante Theſſalonicam à Turcis expugnatam. Seniorem cognominat Allatius lib. 2. de conſenſ. cap. 18. alterum utique juniorem innuens exſtitiſſe, qui perinde Theſſalonicenſi Eccleſiæ præfuerit. Eugenici ſynodicon hæc de ſeniore Symeone tradit: Συμεὼν τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ λήξει γενομένου ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης, τοῦ τῆς ἐκτός τε καὶ πνευματικῆς σοφίας πλήρεος ὑπερφυῶς γενομένου, κἀν τῇ ἀσκητικῇ εἴτ' οὖν ἀγγελικῇ ἀγωγῇ τε καὶ πολιτείᾳ διαπρέψαντος, καὶ ταύτην εἰς ἄκρον κατωρθωκότος, τῇ δὲ κατὰ Χριστὸν ἐπιβάσει τῇ τῶν ἀρετῶν κρηπῖδι, κατὰ τὰς ἀψευδεῖς δεσποτικὰς ἐπαγγελίας ἀνυψωθέντος, καὶ διὰ πράξεως ἀναβάντος εἰς θεωρίαν, κἀντεῦθεν νεύσει Θεοῦ, ὡς φωσφόρου λαμπτῆρος ἐπὶ τὴν λυχνίαν τεθέντος, καὶ ἐπ' ὄρους ὑψηλοῦ, ὡς λαμπροῦ τῆς ἀληθείας κήρυκος ἀναβεβηκότος καὶ ταῖς γλυκείαις μαρμαρυγαῖς, δηλαδὴ ταῖς αὐτοῦ διδασκαλίαις οὐ τὴν ἰδίαν μόνον ταύτην τὴν φερώνυμον μητρόπολιν, ἀλλ' ἤδη καὶ τὴν οἰκουμένην ἅπασαν δίκην ἡλίου καταυγάσαντος, καὶ τὴν πρὸς Θεὸν, καὶ τὸν πλησίον ἀγάπην εἰς ἄκρον ὡς οὐδεὶς σχεδὸν τῶν ἁπάντων ἐπιδειξαμένου, καὶ ᾠδαῖς ἱεραῖς σὺν τῶν ἁγίων χοροῖς, καὶ οἴκοθεν κατεστέψαντος, ὧν τὸν βίον ἐζήλωσε καὶ δίεισι. τοῦ δὲ ἀγγελικοῦ καὶ σεμνοῦ καὶ θεοειδοῦς τῶν ἠθῶν, καὶ τῇ ἱλαρᾷ καταστάσει ὅλου τοῦ ὄντι θεοφόρου, καὶ ὄντος, καὶ φαινομένου, καὶ ζῆλον ἔνθερμον Ἡλίου τις ἂρ' εἴποι τρέφοντος ὑπὲρ τῶν εὐσεβῶν καὶ πατρικῶν τῆς ἐκκλησίας δογμάτων, καὶ καθεκάστην ἀφθόνως τοῦ γλυκεῖ διδασκαλίας ἀρδεύοντος νάματι καὶ τοῦ τῶν λόγων ἐπαγωγοῦ καὶ τερπνοῦ καὶ τῇ μελιρρύτῳ φθογγῇ πάντας ὥσπερ ἀρρήτῳ τινὶ σειρήνων δυνάμει πρὸς ἑαυτὸν ἕλκοντος καὶ παρακατέχοντος, καὶ τῶν παλαιῶν ὥσπερ ἐκμαγεῖόν τι

καὶ ἐπισφράγισμα καὶ στήλην εὐσεβείας καὶ ἀρετῆς κανόνα, καὶ χριστιανικῆς πολιτείας τύπον τὸν ἑαυτοῦ βίον ἀναδεῖξαι φιλονεικήσαντος, ἐκ τούτων τε σὺν ἀνθρώποις ἅπαντας, καὶ σὺν ἄλλως ἢ ὡς ἡμεῖς φρονοῦμεν, ἀεὶ πίστιν δοξάζοντας, εἰς ἔκπληξιν καὶ θαῦμα, καὶ ὕμνον καὶ δοξολογίαν τοῦ μεγάλου Θεοῦ τῶν ὅλων κινήσαντος, αἰωνία ἡ μνήμη. *Symeonis beatæ recordationis ſanctiſſimi archiepiſcopi Theſſalonicenſis, qui tum externa, tum ſpirituali ſapientia ſuper humanum captum repletus, aſcetico, ſive Angelico potius, inſtituto & vitæ ratione claruit, eaque perfectiſſimè functus eſt, ac ſecundum Chriſtum ſui demiſſione quæ virtutum baſis & fundamentum eſt juxta divina promiſſa quæ mentiri neſciunt, ſublimis evadens, per actionem ad ſpeculationem aſcendit, atque ita, annuente Deo, ut fax lucifera ſuper candelabrum poſita & ſuper excelſum montem, ut veritatis præco clariſſimus aſcendens, dulcibus ſuis ſplendoribus, inſtructionibus ſcilicet, non propriam tantùm, celeberrimam hancce metropolim, ſed univerſum etiam terrarum orbem ſolis inſtar illuminavit, & erga Deum atque proximum amorem, ſi quis alius, prætulit, ſacris cantibus ſanctorum choros ex propriis quoque exornavit, quorum vitam æmulabatur atque ducebat: Angelicis vero venerandis planeque divinis moribus, totus hilari habitu, vere externaque ſpecie deifer, ferventem zelum Eliæ quiſpiam dixerit, pro avitis eccleſiæ dogmatis nutriens; diebus ſingulis ſuavi latice abunde rigabat, flexanimiſque ac jucundis ſermonibus mellifluaque loquela, omnes ſirenum inſtar, vi quadam quæ efferri verbis nequit trahebat ad ſe ac detinebat: antiquorum veluti figura, expreſſaque imago, pietatis columna, propriam vitam præmonſtrare ſummo ſtudio contendebat, ut quo pacto virtutis norma, & Chriſtianæ converſationis exemplum eſſet. Omnes qui aliter ac nos de fide ſentiebant, in ſtuporem admirationemque excitabat, utque cunctorum Deum laudarent ac celebrarent, memoria æterna.* Hæc Eugenicus Nomophylax de Symeone Theſſalonicenſi metropolita, ac certè plura quam par erat, ut qui non ſchiſmati ſolum, ſed profanis etiam Palamitarum ineptiis nimium addictus eſſet. Multa profecto ſcripſit præſertim de ſacramentis eorumque ritibus, quibus Græcæ Eccleſiæ utuntur. Quorum volumen Giaſii in Moldoblachia anno 1680. editum eſt. In ejus laudem cedat quod virili animo, nec præmiis magnis oblatis ab Amurathi Turcarum Sultano, nec minis ullis eo adduci potuerit, ut ſuos Græcos, ejectis Latinis Venetiſque qui Theſſalonica jam pridem potiebantur, ſeſe infidelibus dedere ſuaderet. Rem multis narrat Joannes Anagnoſta, ſive Lector Theſſalonicenſis, in poſtremi Urbis A hujus excidii hiſtoria, quam Allatius primum in *Symmictis* publici juris fecit, tum ſubinde emendatiorem dedit Franciſcus noſter Combefiſius inter hiſtoriæ Byzantinæ poſt Theophanem ſcriptores. Teſtatur Joannes Symeonem ante ſex menſes fatis conceſſiſſe, quam civitas in Turcarum poteſtatem veniret, τότε γὰρ καὶ ποιμὴν οὐκ ἦν. μῆνας γὰρ εἶχεν ἓξ γενόμενος ἐξ ἀνθρώπων. Capta vero eſt Theſſalonica, Anagnoſta illo teſte, vigeſima nona Martii anno mundi 6938. ſive Chriſti 1430. ἐννάτην ἦγε καὶ εἰκοστὴν ὁ Μάρτιος μήν. ἔτος δὲ B τριακοστὸν ὄγδοον πρὸς τῷ ἑξακισχιλιοστῷ ἐννακοσιοστῷ ἐνειστήκει. Obierat ergo Symeon circa menſem Septembrem ann. 1429. Quamobrem ſub Joanne Cantacuzeno vitam egerat, ac ſub Joanne Palæologo Manuelis filio periit: atque adeo Theſſalonicæ eccleſia non niſi ſex menſes & amplius ab obitu Symeonis paſtore donata eſt.

LIX. Gregorius II.

Symeonem porro excepit Gregorius II. ex Eugenici ſynodico, in quo ſubditur: C Γρηγορίου τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ λήξει γενομένου ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης, τοῦ καὶ πρὸ τῆς ἀρχιερωσύνης ἐν τοῖς πρώτοις μὲν τῶν ὁμοταγῶν ἐνταῦθα τελοῦντος, τὸ δὲ ἐμπιστευθὲν αὐτοῦ πρότερον τοῦ Χριστοῦ ποίμνιον καλῶς ποιμάναντος καὶ φυλάξαντος, καὶ μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς πόλεως ταύτης εἰς τὸν ἱερὸν αὐτῆς θρόνον μετατεθέντος, καὶ μηδενὸς τῶν εἰς σύστασιν ταύτης ἠμεληκότος, οἷς ἠδύνατο τρόποις, βαθμοῖς τε ἱεροῖς τὸν κλῆρον τοῦτον σχεδὸν πάντα τετιμηκότος, καὶ αὖθις, καὶ κοινῇ, καὶ ἰδίᾳ πᾶσι πρὸς τὰς ἐπερχομένας ἀνάγκας, καὶ βοηθοῦντος καὶ συνεργοῦντος ἀόκνως, καὶ τὸ ἀφιέναι πᾶσιν ἔργοις αὐτοῦ D κατὰ τὸν θεῖον νόμον δεικνύντος, αἰωνία ἡ μνήμη. *Gregorii beatæ recordationis ſanctiſſimi archiepiſcopi Theſſalonicæ, qui & ante Pontificatum, quum hic ſodalium ſuorum (monachorum) inter primos eſſet, ſibi prius creditum ovile Chriſti recte paviſſet ac ſervaſſet, poſt urbis excidium, in ſacrum ejus thronum tranſlatus, nihil quod ad illam ſtatuendam faceret, quoquomodo poterat omiſit. Gradibus ſacris clerum hunc pene omnem decoravit, rurſumque publice & privatim ingruentibus neceſſitatibus, ſubſidia opemque diligenter ferens, cunctiſque condo-* E *nandum actis ipſe ſuis, uti divina lex jubet, edocebat, perpetua memoria.* De Gregorio iſto ſecundo nulla occurrunt alia. Aliquamdiu autem poſt ejus obitum Theſſalonicenſem vacaſſe ſedem, ex iis quæ mox narranda ſunt evincitur.

LX. Nipho.

Poſt Gregorium ſequitur *Nipho* in illo ſynodico, deque illo hæc pauca leguntur. Νίφωνος τοῦ παναγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου, τοῦ

Νιφώνου μητροπολίτου Θεσσαλονίκης, ὑπερτίμου καὶ ἐξάρχου Θεσσαλίας πολλὰ ἔτη. *Niphonis ſanctiſſimi Domini noſtri, diviniſſimique metropolitæ Theſſalonicæ, & Exarchi Theſſaliæ, multos annos.* Quo nempe ſedente Eugenicus Nomophylax hæc ſcribebat. Atqui Niphonem, ut & Gregorium ejus deceſſorem multis annis huic Eccleſiæ præfuiſſe oportet, quippe qui anno circiter 1482. ad Conſtantinopolitanam ſedem evectus fuit, atque aliquanto tempore patriarchatu functus eſt: alioqui ejuſdem nominis epiſcopi duo Theſſalonicæ metropolim tenuiſſe dicendi ſunt. Primus ſcilicet poſt Conſtantinopolis excidium Nipho Theſſalonicenſis Patriarcha fuit, cujus promotionem Emmanuel Malaxus ad hunc modum recitat lib. 2. » Hiſt. Eccl. Turco-gr. pag. 139. Patria ejus, *inquit*, Peloponneſus fuit, quam hodie *Moream* appellant. Matrem habuit Romanam, ſeu Græcam, de Romaniæ nobiliſſimo genere natam, patrem ex Albaniæ proceribus. Ab ineunte ætate monaſticæ vitæ deſiderio ardens, eo animo parentes reliquit, ſeque in ſacri Montis Atho monaſterium Pantocratoris nomine dictum contulit, ubi in monachorum cœtum cooptatus, ſacerdotio auctus eſt. Mortuo Theſſalonicenſi metropolita thronus ejus abſque ſacrorum antiſtite & paſtore manſit, καὶ ἐλείμπανεν ὁ θρόνος χηρεύων ἀρχιερέως καὶ ποιμένος. Tum congregati Theſſalonicæ, ſeu Macedoniæ epiſcopi in metropolim omnes convenerunt, ubi facta ſynodo, præſentibus Clericis, aliiſque ordinum ſacrorum viris, ac primoribus civitatis, cum omni populo, ἐψήφισαν αὐτὸν τὸν Κύριον Νίφωνα, collatis ſuffragiis hunc Dominum Niphonem elegerunt, miſſiſque honeſtiſſimis hominibus & Clericis in montem ſanctum, ipſum ad ſe venire compellarunt, uti Pontifex fieret. Repugnantem monaſterii Patres convenientes, multis adhortati ſunt ut epiſcopatum capeſſeret. His ne contumax haberetur annuit tandem, eiſque valedicens Theſſalonicam profectus eſt, ubi in magna eccleſia conſecratus eſt. Poſt vero in Patriarcham aſſumptus quum eſſet, hoc ei minus proſpere non ceſſit. Quod quidem legendum apud eumdem Malaxum.

LXI. Joannes VI.

Theſſalonicæ archiepiſcopus circa Florentini Concilii tempora ſedebat *Joannes*, cui Georgius Scholarius, aliàs Gennadius libros de divina prædeſtinatione περὶ τοῦ Θεοῦ προορισμοῦ nuncupavit, quum in monaſterio ageret. Horum librorum primus Græce & Latine extat poſt opera S. Baſilii.

LXII. Macarius II.

Anno 1551. Concilio Tridentino, prioribus in ſeſſionibus, una cum Patribus aliis ſediſſe memoratur *Macarius* Chienſis Theſſalonicæ archiepiſcopus, qui data Fidei profeſſione ultro admiſſus fuit.

LXIII. Theonas.

Theſſalonicæ ſedebat *Theonas* quo tempore Joaſaph II. Patriarchatu Conſtantinopolitano fungebatur, ejuſque mentio fit in epiſtola Demetrii Moldaviæ Deſpotæ ad eumdem Joaſaph Patriarcham, quam Cruſius lib. 3. Turco-græc. pag. 249. edidit. *Ad hæc affero*, inquit, *epiſtolas virorum doctorum, de quibus communicavi cum reverendiſſimo metropolita Theona, ut viro ſapiente, quique de veritate ferre judicium poſſit*, ὑπὲρ ὧν ἐκοινωσάμην τῷ πανιερωτάτῳ μητροπολίτῃ Θεωνᾷ, ὡς ἀνδρὶ σοφῷ καὶ τ' ἀληθὲς κρίνειν δυναμένῳ. In ſententia qua Joaſaphus Patriarchatu amotus eſt ann. 1564. dicitur ille per multas provincias ordinationes multas præter legum præſcripta feciſſe, *in provincia metropolitæ Chalcedonenſis, in Heracleenſis, in Theſſalonicenſis Domni Theonæ, & in Methymnæ*, ἐν τῷ Κυροῦ Θεωνᾷ, καὶ τῷ Μηθύμνης. Cui ſententiæ Theonas ipſe nomen cum aliis appoſuit ſuum cum aliis ſubſcribendo, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Θεσσαλονίκης Θεωνᾶς, *Theonas humilis metropolita Theſſalonicæ*. Lib. 3. ejuſdem voluminis de Turco-Græcia Martinus Cruſius epiſtolam edidit ejuſdem Theonæ, quam ille magno Sceuophylaci & magno Chartophylaci ſcripſerat, quando Paronaxiæ epiſcopatum gerebat, ὁ Παροναξίας Θεωνᾶς. Cruſius rurſum in annotationibus ad ſententiam exauctorationis Joaſaphi Patriarchæ, n. ξζ. pag. 204. eidem Theonæ adſcribit præfationem, εἰς διδαχὰς Ἀλεξίου ἱερέως τοῦ Ραρτούρου, καὶ χαρτοφύλακος τῆς Κερκύρας, *In doctrinas Alexii ſacerdotis Rarturi, & Chartophylacis Corcyræ;* quæ excuſa eſt anno 1560. Cujus quidem Præfationis hæc inſcriptio eſt: ὁ ἐν ἀρχιερεῦσιν ἐλάχιστος Θεωνᾶς, καὶ ἔξαρχος τοῦ παναγιωτάτου πατριάρχου τῆς Κωνσταντινουπόλεως, τοῖς αἰδεσίμοις ἀρχιερεῦσι, καὶ φιλαλήθεσι πατράσι, τῷ τε λοιπῷ τοῦ Κυρίου χριστωνύμῳ πληρώματι εὖ πράττειν. *Pontificum minimus Theonas, & Exarchus ſanctiſſimi Patriarchæ Conſtantinopolis, reverendiſſimis Pontificibus veritatiſque amantibus Patribus, nec non reliquo Chriſtiano Dei populo, ſalutem precatur.* Hanc utique ſcribebat epiſcopatus ſui Paronaxienſis tempore, quo proinde Exarchi quoque munere fungebatur, una cum altero Ignatio nomine. Præterea Theonas idem, aut proximus ejus ſucceſſor interfuit ſynodo, quam

Digitized by Google

ECCLESIA THESSALONICA.

Hieremias II. Patriarcha Conſtantinopolitanus factus, ſtatim à promotione ſua ad ſimoniæ labem exſtinguendam habuit. Ibid. lib. 2. Hiſt. Eccl. pag. 179.

LXIV. Joasaphus.

Anno 1579. Theſſalonicæ archiepiſcopus ſedebat *Joaſaph*, quo nempe epiſtolam ſcribebat S. Protonotario Magnæ Eccleſiæ, quam Martinus Cruſius typis edidit p. 326. datam 4. Decembris, hac ſubſcriptione, ὁ Θεσσαλονίκης Ἰωασάφ, καὶ σὸς ἱκέτης. *Theſſalonicæ Joaſaph, ſupplexque tuus.* Nimirum ut Cruſius obſervat ſcripta eſt, ut videtur, eo anno 1579. celebratis jam à Theodoſio nuptiis, & Patriarcha Theophane reſtituto, à quo ſcilicet confirmationem officii, Machramus, cujus cauſa data eſt, flagitabat.

Anno 1585. die 18. Junii Indict. IV. Calogeri manu Joaſaphus Theſſalonicæ uſus eſt, ut nomen ſuum Gerlachio Germano daret Ἰωάσαφ ὁ Θεσσαλονίκης. Ibid. lib. 7. pag. 606. Atqui lib. 1. pag. 67. Joaſaph Theſſalonicenſis ſummus Hieremiæ II. Patriarchæ, & Michaëlis Cantacuzeni amicus dicitur, & *Argyropulus* cognominatur, ubi nempe fertur ejuſdem Cantacuzeni nuptiis adfuiſſe circa annum 1576.

LXV. Metrophanes.

Tametſi Cruſius teſtetur Joaſaphum Theſſalonicenſem Gerlachio nomen ſuum Calogeri manu exaratum dediſſe, attamen epiſtolæ quam eccleſia Conſtantinopolitana, reſtituto in ſuam ſedem Hieremia II. Patriarcha Moſchorum Imperatori dedit, ſubſcriptus legitur *Metrophanes Theſſalonicæ*, Θεσσαλονίκης Μητροφάνης. Quod argumento eſt tunc temporis epiſcopatui renuntiaſſe Joaſaphum.

LXVI. Gabriel II.

Dorotheus Monembaſiæ metropolita in ſynopſi hiſtoriarum, pag. 343. ubi narrat Theolepti in Conſtantinopolitanum Patriarcham, Hieremia II. legitimo Pontifice excluſo & exulante, inaugurationem, huic refragatum eſſe ait Monembaſiæ metropolitam, aſſenſiſſe vero Theſſalonicenſem cum ipſius fratre Matthæo, quos Hieremias honoribus auxerat, illum quidem ad Theſſalonicæ ſedem promovendo, hunc vero opibus locupletando, οἱ δὲ ἄλλοι ἰσίρξαν καὶ ὁ Θεσσαλονίκης, καὶ Ματθαῖος ὁ ἀδελφός σου σὺν ὁποίοις ἐτίμησεν ὁ Ἱερεμίας, καὶ ἐχάρισε τοὺς, τὸν ἕνα πλουτεῖν, καὶ τὸν ἄλλον Θεσσαλονίκης μητροπολίτην. Atqui Theſſalonicenſis hic metropolita alter non fuit à *Gabriële* qui poſt Matthæum Patriarcham Hieremiæ ſucceſſorem anno 1590. Theſſalonica Conſtantinopolim tranſlatus fuit, vir Matthæo Cygalæ & aliis εὐσεβὴς καὶ ἐνάρετος, *religioſus virtutiſque ſtudioſus*, qui poſt quintum menſem interiit.

LXVII. Paisius.

Ex epiſtola Leonis Allatii ad Nihuſium, quam ipſe integram edidit, lib. 3. de conſenſ. cap. 11. Theſſalonicenſi eccleſiæ metropolita datus eſt *Paiſius* à Timotheo II. Patriarcha, qui quum in Moſchoviam appuliſſet, « ut egeſtati, ærique alieno certis nominibus « ab Eccleſia ſua contracto, ſi fieri poſſet ſub- « veniret, & æs alienum coactam pecuniam « longe ſuperaret, adeoque ſe ab eo exſolven- « di ſpes decollaſſet, juſſu Principis (Moſcho- « rum) à quo largè & ſine labore victus ſup- « peditabatur, in ea regione de Epiſcopatu « parum ſollicitus, ſedem collocat, ut ſecuriùs « vivat. «

Pergit Allatius, Cyrillum Lucarim Byzantinam ſedem adeptum, Cyrillum alterum, qui poſthac Berrhœenſis epiſcopus, ac ſubinde Patriarcha fuit, « Theſſalonicam « miſiſſe ad res Eccleſiæ curandas, animiſque « Chriſtianorum providendum; qui ſplendore « civitatis pellectus, ab eodem Lucari Theſſa- « lonicenſem epiſcopatum exorat, quem quum « non impetraſſet ab amico cui maxime fide- « bat, & à quo majora ſibi pollicebatur, ira « ſibi facem ſubminiſtrante, odia capitalia in « Cyrillum exercuit, &c. poſt vero Berrhœenſi « ſede donatus fuit. «

LXVIII. Athanasius.

Metropolim Theſſalonicenſem aliquando obtinuit *Athanaſius* Patellarius natione Cretenſis, qui ſubinde anno 1634. ad Conſtantinopolitanam ſedem eſt evectus: à Cyrillo utique Lucari, ſecluſo Cyrillo qui Berrhœenſem ſortitus fuit. Sic nempe teſtantur Patriarcharum Byzantinorum indices, illeque in primis qui Philippi Cyprii nomen præfert, καὶ ἀντ᾽ αὐτοῦ εἰσήχθη ὁ Θεσσαλονίκης κῦρ Ἀθανάσιος ὁ Πατελλάριος ὁ Κρὴς, καὶ μετ᾽ ὀλίγας ἐξεβλήθη. Doſitheus quoque Hieroſolymitanus perhibet Athanaſio Patellario redditam eſſe Theſſalonicæ ſedem, unde in Italiam Anconam venit, atque Romam ad Callitlum Papam (Urbanum VIII. ſignificat) Epiſcopum Drynopolis miſit, nuntians ſibi in animo eſſe ad ipſum accedere, dummodo ejus opera Conſtantinopolitana ſedes ſibi redderetur. Quod ſe præſtiturum Papa reſpondit, ſi Romanam fidem profiteri vellet. Quod ille facere renuit, ſed in Moldaviam abiit, indeque in Moſchoviam. Hæc nec plura Doſitheus. Concinit Allatius qui eum Anconam veniſſe refert, Romanamque communionem

Digitized by Google

communionem admiſiſſe, fuiſſeque Theſſalonicenſi ſedi reſtitutum.

LXIX. Jacobus.

Nupero ſæculo Theſſalonicæ metropoli præerat *Jacobus*, qui codicem hodie Coiſlinianum, n. 37. Lauræ Montis Atho S. Athanaſii dono dederat, ut hacce nota fertur folio 5. verſo, recenti manu appoſita, ἡ παροῦσα θεία βίβλος τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Νίκωνος προσετέθη τῇ ἁγίᾳ Λαύρᾳ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου, παρὰ τοῦ πανιερωτάτου μητροπολίτου Θεσσαλονίκης ὑπερτίμου καὶ ἐξάρχου πάσης B Θετταλίας κυροῦ Ἰακώβου, τοῦ ποτε καθηγουμένου τῆς ἁγίας ταύτης Λαύρας. καὶ οἱ ἀναγινώσκοντες ταύτην εὔχεσθε ὑπὲρ αὐτοῦ. *Divinus hic liber repoſitus eſt in Laura S. P. N. Athanaſii à ſanctiſſimo metropolita Theſſalonicæ, Hypertimo, & Exarcho totius Theſſaliæ Domno Jacobo, quum eſſet hujus Lauræ præpoſitus, pro quo orate qui hunc legitis.*

LXX. Callinicus.

Synodo Conſtantinopolitanæ Cyrilli Berrhœenſis Patriarchæ, in qua damnata pri- A mum fuere capita calviniana Cyrilli Lucaris, adfuit ſubſcripſitque *Callinicus Theſſalonicæ*, ὁ Θεσσαλονίκης Καλλίνικος.

LXXI. Meletius.

Anno 1672. Theſſalonicæ archiepiſcopus ſedebat *Meletius*, quo nempe Reſponſioni ſynodicæ Dionyſii Patriarchæ Conſtantinopolitani ſuper Calviniſtarum erroribus, ſubſcripſit, ὁ Θεσσαλονίκης Μελέτιος, *Meletius Theſſalonicæ.*

LXXII. Neophytus.

Anno 1694. Theſſalonicæ epiſcopatum geſſit *Neophytus*, qui poſt triennium à Turcis ejectus, ad triremes damnatus eſt.

LXXIII. Methodius.

Neophyto ſuffectus eſt *Methodius*, qui annos ſex epiſcopatu functus eſt.

LXXIV. Ignatius.

Theſſalonicæ metropolita ſedet hodie *Ignatius* trigeſimo epiſcopatus anno, ὁ Θεσσαλονίκης Ἰγνάτιος.

II. ECCLESIA PHILIPPORUM.

PHILIPPI Thraciæ civitas eſt Pomponio Melæ inter Neſtem & Strymona fluvios, ab Ægæo mari aliquantum diſtans, ac Dyrrachio 325. M. paſſ. Plinio lib. 4. cap. 11. Thraciæ quoque cenſetur, ac mediterranea eſt; *Intus Philippi colonia:* Ptolemæo autem, Macedoniæ Thraciæ: quin S. Lucæ Act. 16. v. 12. primæ partis Macedoniæ: ubi nempe narrat Paulum Apoſtolum ea in urbe Evangelium Chriſti prædicaſſe. *Navigantes autem à Troade, recto curſu venimus Samothraciam, & ſequenti die Neapolim, inde Philippos, quæ eſt primæ partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramuſque in hac urbe diebus aliquot conferentes.* Refert ſubinde converſionem mulieris purpurariæ, cui *Lydiæ* nomen, tum ejecti à puella quadam ſpiritus Pythonis; quod in cauſa fuit cur irati Gentiles Paulum & Silam inſectati ſint. Philippenſium fidem Apoſtolus idem fovit epiſtola ad eos ſcripta, quæ inter libros ſacros habetur. Non omittendum in Martyrologio Romano ad diem 18. Decembris *Philippis in Macedonia conſignari Natalem ſanctorum martyrum Rufi & Zoſimi, qui ex numero diſcipulorum fuerunt, per quos primitiva Eccleſia ex Judæis & Gentilibus eſt fundata, de quorum felici agone S. Polycarpus ſcribit in epiſtola ad Philippenſes.*

Macedonia tempore Quintæ ſynodi generalis in provincias duas diviſa erat, Primam & Secundam ſive Salutarem, imo dudum ante à Theodoſio juniore imperatore quando Hierocles Grammaticus Notitiam Orientalis Imperii ſcripſit; ac Philippi non ſecundæ, ſed primæ civitas erat. Cæterum Theſſalonica ambarum metropolis Eccleſiaſticæ ab inſtitutione ſua Apoſtolica juribus fruebatur. At ſequiori ævo, ex quo Illyricum Orientale à Byzantinis Patriarchis uſurpatum fuit, Philipporum Præſul in metropolitam evaſit, uti veteres Notitiæ Eccleſiaſticæ Græcæ teſtantur, ἐπαρχία Μακεδονίας ὁ Φιλίππων. *Provincia Macedoniæ, Philipporum epiſcopus.* In illa Notitia quæ Leonis Sapientis Imp. nomine inſignitur, quadrageſima metropolis eſt *Eccleſia Philipporum* μ'. ἡ Φιλίππων, cui epiſcopi ſeptem ſubſunt; ſcilicet α'. ὁ Θεωρίου. β'. ὁ Πολυστύλου. γ'. ὁ Βελικείας. δ'. ὁ Χριστουπόλεως. ε'. ὁ Σμολαίμων. ϛ'. ὁ Καισαρουπόλεως. ζ'. ὁ Ἀλεκτρυοπόλεως. *1. Theorii, 2. Polyſtoli, 3. Beliciæ, 4. Chriſtopolis, 5. Smolæmorum, 6. Cæſaropolis, 7. Alectruopolis.* Holſtenii error eſt aſſerentis Philippos & Serras eamdem eſſe Urbem, quando Notitiæ ambas ſecernunt, & inter metropoles habent; Leoni quidem Philippi metropolis eſt 40. Serræ vero 59. νθ'. αἱ Σέῤῥαι. At Thomæ Smith, quin etiam Illuſtriſſimo Chryſantho Patriarchæ Hieroſolymitano in Notitiis, idem epiſcopus metropolita eſt *Philipporum & Dramæ*, ὁ Φιλίππων καὶ Δράμας, ut vaſtatis

ECCLESIA PHILIPPORUM.

Philippis, utraque Eccleſia in unam coaluerit, quum Drama Philippis vicina ſit, ac certe Thraciæ contermina.

EPISCOPI PHILIPPORUM.

I. Epaphroditus.

Paulus Apoſt. epiſtolam ad Philippenſes ad hunc modum inſcribit: *Paulus & Timotheus ſervi Jeſu-Chriſti, omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis cum epiſcopis & diaconibus*, quum utique tunc temporis Philippenſis eccleſiæ preſbyteri, epiſcopali charactere inſtructi eſſent, ad eccleſias alias recens inſtitutas vel inſtituendas deſignati. Aitque Theodoretus poſt Chryſoſtomum in Præfatione ad epiſtolam ad Philippenſes, *Epaphroditum*, cujus in ea meminit Paulus B cap. 2. v. 25. & cap. 4. v. 18. ab eo urbis hujus conſtitutum epiſcopum fuiſſe, quippe quem illorum *Apoſtolum* dicit, & *neceſſitatis ſuæ adjutorem*. τὸν γὰρ μακάριον Ἐπαφρόδιτον, ὃς τῶν ψυχῶν αὐτῶν ἐπιστεύθη ἐπιμέλειαν, εἰς τὴν μεγίστην ἐκείνην ἀπέστελλε τὴν Ῥώμην. *Ad maximam enim Romam beatum Epaphroditum miſit, cui animarum ipſorum curam demandarat.* Addit Theodoretus in cap. 1. v. 2. Apoſtoli nuncupatione illa compertum fieri, epiſcopalem diſpenſationem Philippenſium creditam eſſe Epaphrodito. Σαφῶς ἐντεῦθεν C ἐδίδαξεν ὡς τὴν ἐπισκοπικὴν οἰκονομίαν αὐτὸς ἐπεπίστευτο, ἔχων ἀποστόλου προσηγορίαν.

II. Erastus.

Eraſtus ille quem Paulo Apoſtolo cum Timotheo miniſtraſſe, & in Macedoniam miſſum Lucas Act. 19. v. 22. ſcribit, quemque Paulus Corintho Romanis ſcribens, illius civitatis arcarium fuiſſe prodit: & 2. ad Timoth. 4. v. 20. Corinthi remanſiſſe ait: hic Philipporum epiſcopus dicitur in Martyrologiis Bedæ, Adonis, Uſuardi, & Ro- D mano hodierno, ad diem 26. Julii. *Philippis in Macedonia natalis* S. Eraſti, *qui illic à Paulo relictus Epiſcopus, ibidem martyrio coronatus eſt.* At certe Philippis epiſcopus relictus non eſt, quando Apoſtolus ea urbe exire coactus fuit. Nihili faciendum, quod pſeudo-Dorotheus hunc Paneadis ad Libani montis radices poſitæ epiſcopum fecerit.

III. Olympas.

Alioqui vero acta SS. Petri & Pauli, apud E Bollandi continuatores ad diem 29. Junii, Olympam ferunt à Paulo Philipporum præſulem deſignatum. Quis fuerit Olympas iſte, incaſſum hactenus quæro.

IV. Vitalis.

Epiſtola ad Philippenſes Ignatio Antio- A cheno Martyri jam olim adſcripta, *Vitalem* quemdam Philipporum antiſtitem indicat, qui hiſce verbis ſalutatur. Ἀσπαζόμεθα τὸν ἅγιον ἐπίσκοπον Βιτάλιον καὶ τὸ ἱερὸν πρεσβυτέριον, *Salutamus ſanctum epiſcopum Vitalem & ſacrum preſbyterium, & conſervos meos diaconos.* Quæ epiſtola tametſi minime genuina habeatur, ſupponit tamen Polycarpi circiter ævo, primis illis temporibus Philipporum eccleſiæ præfuiſſe quemdam epiſcopum nomine *Vitalem*.

Epiſcoporum Tertulliani ætate Philippis, ut in aliis eccleſiis quas Paulus inſtituerat, ſucceſſio perſeverabat, ipſo teſtante libro de Præſcriptionibus cap. 36. *Apud quas*, inquit, *ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum præſidentur: apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur. Proxime eſt tibi Achaïa! Habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicam.*

V. Porphyrius.

Concilio Sardicenſi adfuit, ſubſcripſitque *Porphyrius à Macedonia de Philippis.*

VI. Flavianus.

In Epheſina ſynodo generali ſedit, & ſubſcripſit *Flavianus epiſcopus Philipporum.* Φλαυιανὸς ἐπίσκοπος Φιλίππων: qui etiam Rufi Theſſalonicenſis vices gerebat, ut actorum ejuſdem ſynodi initio legitur, Φλαυιανοῦ Φιλίππων, τοῦ ἐπέχοντος τὸν τόπον Ῥούφου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Θεσσαλονικέων. Ad Flavianum Philipporum, velut ad Rufum Theſſalonicæ Cæleſtinus Papa encyclicam epiſtolam miſerat, qua ſignificabat ſe Cyrillo Alexandrino vices ſuas commiſiſſe in his quæ Neſtorii cauſam ſpectarent, ut niſi Neſtorius, cognita ſynodi Romanæ ſententia, ab impietate deſiſceret, epiſcopatu Conſtantinopolitano excidiſſe pronuntiaretur. Hæc nimirum epiſtolæ inſcriptio eſt: *Epiſtola Papæ Cæleſtini ad Joannem Antiochenum, Juvenalem Hieroſolymitanum, Rufum Theſſalonicenſem, & Flavianum Philippenſium & epiſcopos per Orientem, à pari,* τὰ ἴσα. Cujus inſcriptionis Liberatus in Breviario meminit cap. 5. Eadem de re pariter ſcripſit (Cæleſtinus) *Joanni Antiocheno, Rufo Theſſalonicenſi, Juvenali Hieroſolymitano, & Flaviano Philippenſi, archiepiſcopis.* Ubi mirari ſubeſt, Philippenſium Antiſtitem à Liberato archiepiſcopis accenſeri; qui illo ævi Theſſalonicenſi metropoli obnoxius adhuc eſſet.

Digitized by Google

ECCLESIA PHILIPPORUM.

VII. SOZON.

In Latrocinio, quod vocatur, Epheſino A pro Nicæna fide ſarta-tecta tenenda dixit *Sozon Philippenſis epiſcopus*, Σώζων ἐπίσκοπος Φιλίππων, una cum reliquis Illyrici præſulibus: qui poſt biennium, illud quod forte mali in illa prædatoria ſynodo admiſerat, in concilio Chalcedonenſi emendavit. Quum act. 4. epiſtolam Leonis Papæ ad Flavianum Conſtantinopolitanum probaſſet, quod de illa aliiſque hactenus à Patribus decretum erat, in charta ipſe deſcripſit, palamque ſynodi nomine recitavit. ἀπὸ χάρτου διὰ σημείων ὑπηγορευμένων διὰ Σώζοντος ἐπισκόπου Φιλίππων. B Quocirca act. 6. ſynodi definitioni ultrò ſubſcripſit.

VIII. DEMETRIUS.

Philipporum epiſcopus Juſtiniano Imp. ſedebat *Demetrius*, qui in collatione cum Severianis habita anno 533. Catholicæ fidei cauſam adverſus illos egit, una cum Hypatio Epheſi duobuſque aliis epiſcopis. Qui ſubinde Demetrius *à Philippis*, & Hypatius Epheſinus Romam ad Joannem Papam II. miſſi ſunt ab Imperatore, ut Accœmetarum legatis C obſiſterent, *Cyro & Eulogio, negantibus confitendum eſſe beatam Mariam verè proprieque Dei genitricem eſſe, & unum de Trinitate incarnatum & paſſum*. Delegationis ipſorum literæ extant tom. 4. concil. col. 1742. ejuſque meminit Procopius lib. 1. de Bello Goth. cap. 2.

IX. NICOLAUS.

Philipporum epiſcopus nullus occurrit mihi deinceps uſque ad tempora Photii, in cujus ſynodo, quæ de ejus reſtitutione poſt D S. Ignatii Conſtantinopolitani obitum habita fertur, inter metropolitas & archiepiſcopos ſediſſe legitur *Nicolaus Philipporum*, Νικόλαος Φιλίππων.

X. BASILIUS.

Codice Græco 284. Bibliothecæ Baroccianæ, nunc Bodleianæ Oxonienſis in Anglia, habetur *Baſilii Philipporum archiepiſcopi in Præſentationem B. Mariæ Virginis Oratio;* cujus etiam fit mentio in Bibliotheca nova Philippi Labbe. Hunc circa Photii tempora ſediſſe putaverim.

XI. EUTHYMIUS.

Synodico Siſinii Patriarchæ Conſtantinopolitani condendo decreto, ne duo fratres conſobrinas duas ducerent, aderat *Euthymius Philipporum* metropolita, Εὐθυμίου Φιλίππων. Juris Græco-Rom. lib. 3. pag. 203.

XII. JOANNES.

In Conſtantinopolitana ſynodo, in qua anno 1166. Luca Chryſoberge Patriarcha præſide, Alamannorum de Chriſti deitate fides ab injuſta criminatione vindicata eſt, ſedebat *Joannes Philipporum* metropolita. Allat. lib. 2. de conſenſ. cap. 12.

XIII. ***.

Inter metropolitas qui ſub Michaële Palæologo unioni Eccleſiæ Orientalis cum Romana conſenſerunt ſcripta ad Gregorium Papam X. epiſtola, *Philippenſis metropolitanus* cenſetur.

XIV. NECTARIUS.

Apud Cruſium lib. 2. Turco-Græc. pag. 282. lectis Metrophanis Patriarchæ datis anno mundi 7038. Chriſti 1579. vel 1580. quibus Michaël Pauliota filius ſororis Theodoſii Zygomalæ, Tabularius inſtitutus eſt, ſubſcripſit cum aliis *Nectarius metropolita Philipporum*, ὁ μητροπολίτης Φιλίππων Νεκτάριος.

XV. GERASIMUS.

Synodo Parthenii ſenioris Patriarchæ Conſtantinopolitani, in qua Cyrilli Lucaris errores Calviniani proſcripti ſunt Giaſii in Moldavia, adfuit & ſubſcripſit, *Geraſimus Philipporum*, ὁ Φιλίππων Γεράσιμος.

XVI. GERMANUS.

Reſponſioni Dionyſii Patriarchæ ſuper erroribus Calvinianorum, quam dedit anno 1672. ſubſcripſit cum aliis *Germanus Philipporum*, ὁ Φιλίππων Γερμανός.

XVII. PARTHENIUS.

Sedebat ann. 1721. *Parthenius Philipporum & Dramæ*, ὁ Φιλίππων καὶ Δράμας Παρθένιος.

XVIII. AGAPIUS.

Sedet hodie *Agapius Philippenſis*, *Agapio di Philippi.*

III.

ECCLESIA BERRHŒÆ.

BERRHOEA Urbs Macedoniæ eſt Plinio lib. 4. c. 10. Ptolemæo quoque lib. 3. c. 13. necnon Stephano Byzantino, quam à Pherone conditam, & à Crenidibus habitatam ferunt. Hanc Strabo in Excerptis lib. 7. collocat in latere montis Bermii, qui ad Auſtrum

ECCLESIA BERRHOEA.

vergens in Theſſaliæ & Epiri confinio, Pindo finitimus eſt. Jacet etiam inter Theſſalonicam & Dium, ſed Pellæ propior eſt, atque hodie *Veria* ſeu *Beria* dicitur. In notitia Hieroclis, & in ea quæ *Leonis Imp.* nomen præfert, epiſcopatus ſecundus eſt ſub Theſſalonica, β΄. ὁ Βεῤῥοίας. In recentiore altera, quæ eſt Georgii Codini, à Theſſalonica metropoli avulſa fertur, metropoliticiſque juribus donata, ἀπὸ τῆς Θεσσαλονίκης ὁ Βεῤῥοίας. Cæterum aliquando Bulgariæ Diœceſis archiepiſcopatus fuiſſe dicitur, lib. 2. Turco-gr. pag. 168. ubi refertur Pachorum Achridenſem Conſtantinopolim veniſſe, & Turcorum ſenatui exhibuiſſe diplomata aurea Imperatorum Græcorum, quibus declarabatur Berrhœam, quæ epiſcopatus olim eſſet Theſſalonicæ, ditionis ipſius factam fuiſſe, Hieremiam vero Patriarcham irritos ejus conatus reddidiſſe. Atqui civitas hæc diverſa omnino eſt à Beroë Thraciæ, quæ in Notitia veteri archiepiſcopatus etiam provinciæ Thraciæ cenſetur. Ac certe Berrhœa Macedoniæ à Thraciæ etiam veteris finibus disjuncta nimis eſt, quam ut provinciæ Thraciæ Eccleſiaſticæ epiſcopatus eſſe potuerit.

Eccleſiam Berrhœæ in Macedonia primus inſtituit Apoſtolus Paulus, ut legitur Act. 17. v. 10. Nimirum Theſſalonica egreſſus cum Sila & Timotheo, eam in urbem venit, quumque ſynagogam intraſſent, humaniſſime excepti ſunt à contribulibus ſuis, qui Judæos alios tum ingenuitate, tum docilitate vincerent. *Illi proinde ſuſceperunt verbum*, ait Lucas, *cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi ſic ſe haberent.* Quamobrem multi quidem crediderunt ex eis, Gentileſque item mulieres honeſtæ & viri non pauci. Quod tamen ubi Judæi de Theſſalonica reſciverunt, venientes illuc turbas excitarunt: quod in cauſa fuit ut diſcipuli Paulum ad mare, imo Athenas uſque deduxerint, ne quid mali pateretur. Interim vero Silas & Timotheus Berrhœæ aliquamdiu manſerunt, fideleſque confirmarunt. In Martyrologio Romano ad diem 19. Aprilis, legitur *Natalis S. Timonis Diaconi de ſeptem primis, qui primo apud Berrhœam Doctor reſedit, ac deinde veniens Corinthum, ibique à Judæis & Græcis, ut traditur, flammis injectus, ſed nihil læſus, demum cruci affixus, Martyrium ſuum implevit.*

EPISCOPI BERRHŒÆ.

I. ONESIMUS.

SErvus ille quondam Philemonis, ad quem Paulus illius cauſa epiſtolam ſcripſit; *Oneſimus*, inquam, ille quem in epiſtola ad Coloſſenſes cap. 4. v. 9. *cariſſimum & fidelem fratrem* dicit, qui nempe ex ipſis eſſet, & cum Tychico diſcipulo mittebatur, Berrhœæ in Macedonia epiſcopus eſſe conſtitutus fertur in conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 7. cap. 46. Βεῤῥοίας δὲ τῆς κατὰ Μακεδονίαν Ὀνήσιμος ὁ Φιλήμονος.

II. GERONTIUS.

Inter Sardicenſis ſynodi epiſtolæ ad Eccleſias ſubſcriptiones, legitur *Gerontius à Macedonia de Brevi.* Codices quidam melius habent *de Beroi*, ſive *de Beroe*, ſeu *Berrhœa*; ac certe Macedoniæ, ac de Illyrico, ut & alii Præſules qui in eadem ſubſcriptionum ſerie recenſentur.

III. LUCAS.

In prædatoria ſynodo Epheſina ſedit, ſententiam dixit, & ſubſcripſit *Lucas epiſcopus Berrhœæ primæ Macedoniæ*, Λούκας ἐπίσκοπος Βεῤῥοίας τῆς πρώτης Μακεδονίας.

IV. TIMOTHEUS.

In Conſtantinopolitana ſynodo ſub Menna una cum Magno Berrhœæ Syriæ epiſcopo, ſedebat quoque *Timotheus Berrhœæ*

A alterius proinde, quam Græca geſta metropolim appellant. Τιμοθέῳ τῆς μητροπόλεως Βεῤῥοίας, ut Berrhœa Macedoniæ ſignificetur. Vocem vero μητροπόλεως à ſequioris ævi amanuenſi interjectam nullus dubito: nam Juſtiniani tempore inter metropoles Berrhœa Macedonica, (imo nec Thracica, nec Syriaca) nondum cenſebatur. Ex quo apparet illius ſynodi geſta à Græculis hinc inde interpolata fuiſſe.

V. JOSEPH.

B In octava ſynodo generali ſententiæ in Photium latæ ſubſcripſit *Joſeph, miſericordia Dei epiſcopus Berrhœæ.*

VI. LEO.

Michaële Palæologo Imperatore, quum metropolitæ penè omnes Græci unioni cum Romana eccleſia inſtaurandæ conſenſiſſent, epiſtolam ad Gregorium Papam X. ſcripſerunt, cujus ad illos etiam reſponſio exſtat. C In utriuſque inſcriptione legitur *metropolitanus Berrhœæ.* Hic *Leo* vocabatur; nam Joannes Beccus qui mox factus eſt Patriarcha, cum ſynodum haberet ob Gregorii Nyſſeni corruptum exemplar ab *Eſcamatiſmeno*, ubi Spiritus Sanctus ex Filio quoque procedere legebatur, in ea *Leo Berrhœæ* ſedebat, ὁ τοῦ Βεῤῥοίας Λέοντος. Allat. de conſ. lib. 3. cap. 3. n. 5. ex Pachymere.

Digitized by Google

VII. Dionysius.

Anno 1342. Conſtantinopoli coacta ſynodo, cui Calliſtus Patriarcha præſidebat, Barlaamus & Acindynus Palamitarum hæreſis impugnatores proſcripti ſunt. Aderat *Dionyſius Berrhœenſis* metropolita, Leone Allatio teſte lib. de ſynodo Photiana p. 445.

VIII. * * *.

Poſt annum 1410. quo Matthæus I. Patriarchatum Conſtantinopolitanum gerebat, quum Holobolus Gothiæ Pontifex monaſticam vitam amplexus eſſet, nihilominus ab eodem Patriarcha dignus habitus eſt, qui poſt obitum epiſcoporum more ſepeliretur: cujus funeri cum aliis adfuit metropolita Berrhœæ, ὁ τοῦ Βεῤῥοίας. Gregor. Protoſync. Reſp. ad epiſt. Marci Epheſ.

IX. Metrophanes.

Circa annum 1577. Hieremias II. Patriarcha ex Lariſſæ metropolita factus, ſynodum habuit ad abolendam apud ſuos ſimoniæ luem, illicque aderat metropolita Berrhœæ, τοῦ Βεῤῥοίας. Mart. Cruſ. lib. 2. Turco-Græc. pag. 18. Atqui Martinus idem Cruſius in Annotationibus ad lib. 7. pag. 506. inter epiſcopos qui nomina ſua Stephano Gerlachio in ſcheda exaraverant, *Metrophanem Berrhœæ* memorat, ὁ Βεῤῥοίας Μητροφάνης. Ad quem Cruſius ipſe poſt Gerlachii obitum literas ſcripſit quas pag. 532. ſui operis regeſſit, in cujus inſcriptione, nec non in contextu *Metrophanes* nominatur Patriarchæ Conſtantinopolitani procurator aut vicarius, τῷ πανιερωτάτῳ μητροπολίτῃ Βεῤῥοίας, καὶ ἐπιτρόπῳ τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ἁγιωτάτου πατριάρχου, κυρίῳ Μητροφάνει. *Sacratiſſimo metropolitæ Berrhœæ, & ſanctiſſimi Patriarchæ Conſtantinopolitani Vicario Domino Metrophani.* Pag. 465. ait eidem Metrophani Berrhœenſi anno 1577. à ſe miſſam confeſſionem Auguſtanam, quam à Græcis approbatum iri præſidentiùs ſperabat: quin & ad eum miſit concionem quam ipſe anno 1579. die 19. Junii habuerat. Anno autem præcedenti eidem Metrophani Berrhœenſi & Methodio Meleniei injunxerat, ut Tubingenſibus nomine ſuo reſponſa ſcriberent.

X. Cyrillus.

Ex Berrhœæ metropolita *Cyrillus*, Berrhœenſis idcirco & à patria cognominatus, Byzantii Patriarcha evaſit, Cyrillo Lucari hæretico quarta vice exulante. Illum autem operam dediſſe ferunt, uti Lucaris in Rhodum inſulam amandaretur, ὑπὸ συνεργίας τοῦ κακοῦ ἐκ Βεῤῥοίας Κυρίλλου, ait Philippus Cyprius in Patriarcharum indice. Quod certe confitetur Leo Allatius epiſtola ad Nihuſium quam edidit lib. 3. de conſ. cap. 11. Moxque Dionyſii Guillii Jeſuitæ alteram, qua conſtat Cyrillum patria quoque Berrhœenſem fuiſſe, cui priſcum cognomen Contareno eſſet, quique Cyrilli nomine donatus à Timotheo Patriarcha, à quo epiſcopus quoque Berrhœenſis conſecratus fuit.

XI. Joannicius.

In Cyrilli utique locum ſuffectus fuit *Joannicius*, qui anno 1638. ſedit in Conſtantinopolitana ſynodo, quam Cyrillus ille propter Cyrilli Lucaris Calvinianos errores celebravit. Subſcriptus quippe cum aliis legitur ὁ Βεῤῥοίας Ἰωαννίκιος, *Joannicius Berrhœæ.* Cæterum in actis ſynodi Hieroſolymitanæ, in quibus Cyrilli Berrhœenſis ſynodus regeſta eſt, factus dicitur Patriarcha Alexandriæ, οὗτος ἐχρημάτισεν πατριάρχης Ἀλεξανδρείας. Atqui anno 1643. Berrhœenſi adhuc epiſcopatu fungebatur, quo nempe ſubſcripſit literis Parthenii Patriarchæ quibus liber cui titulus, *Confeſſio orthodoxa Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ Orientalis*, Calvinianorum errorum cauſa, commendabatur. ὁ Βεῤῥοίας Ἰωαννίκιος, *Joannicius Berrhœæ:* quinimo Theophane Hieroſolymitano defuncto ſanctæ civitatis patriarchatum jam prenſaverat.

XII. Joacim.

Reſponſioni Dionyſii Patriarchæ Conſtantinopolitani ſuper Calvinianis erroribus, anno 1672. ſubſcripſit *Joacim Berrhœæ*, ὁ Βεῤῥοίας Ἰωακείμ.

XIII. Macarius.

Nuper, anno 1721. ſedebat *Macarius Berrhœæ* metropolita, ὁ Βεῤῥοίας Μακάριος.

XIV. Agapius.

Non ita pridem Berrhœæ metropolita ſedebat *Agapius*, *Agapio di Beria.*

IV.

ECCLESIA DII.

Dius vel *Dium* Macedoniæ civitas eſt, ac Pieriæ Straboni, haud procul à Thermæo, ubi ſe Haliacmon fluvius in mare exonerat, ſinu. Apud Ptolemæum, ut & in Notitia Hieroclis *Dium Colonia* dicitur Δῖον Κολωνεία, eſtque Pieriæ Urbs, in Præfectura ſeu provincia Macedoniæ cenſetur quoque à Conſtantino Porphyrogenneto.

Digitized by Google

EPISCOPI DII.

I. PALLADIUS.

Synodi Sardicenſis ad univerſas eccleſias epiſtolæ ſubſcripſit cum aliis epiſcopis *Palladius à Macedonia de Diu*, ſive ἀπὸ Δίου, *de Dio*.

V. ECCLESIA STOBORUM.

Stobi, Στόβοι, Macedoniæ civitas eſt Ptolemæo ac Pelagoniæ regionis, quam civium Romanorum oppidum Plinius dicit lib. 4. cap. 10. Coloniam quoque Romanam Stephanus. Hierocli Macedoniæ ſecundæ prima cenſetur, in cujus Notitia male ſcribitur Σόλοι. Nulla ejus eſt in Notitiis Eccleſiaſticis mentio, licet in conciliorum multorum geſtis reperiatur.

EPISCOPI STOBORUM.

I. BUNIUS.

In Indice Latino epiſcoporum qui Nicæno concilio primo interſuerant *de Dacia*, ſive Illyrico, legitur *Bunius Stoborum, als Badius*. Cod. Pithœanus habet *Budion Stridonenſis, als Dardaniæ*. At non perperam in editione Labbei, & antiquioribus ſcriptum puto *Stoborum*.

II. NICOLAUS.

Concilio Chalcedonenſi adſuit & ſubſcripſit, *Nicolaus epiſcopus Stoborum Macedoniæ ſecundæ*. Νικόλαος ἐπίσκοπος Στόβων.

III. JOANNES.

Synodo quoque Sextæ generali, *Joannes epiſcopus Stobenſium*, Ιωάννης ἐπίσκοπος Στοβίων.

IV. MARGARITES.

Quini-ſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur, Μαργαρίτης ἁμαρτωλὸς ἐπίσκοπος Στόβων, *Margarites peccator epiſcopus Stoborum.*

VI. ECCLESIA PARTHICOPOLIS.

Hierocli in Notitia, Macedoniæ primæ civitas eſt Παρθικόπολις, *Parthicopolis*, cujus in geſtis quoque Conciliorum, ſive ſubſcriptionibus mentio fit. Hæc eadem eſt quæ à Ptolemæo *Paræcopolis* male dicitur Παροικόπολις; melius autem Parthicopolis apud Conſtantinum Porphyrogennetum lib. 2. de Them. Occid. Them. 1. in Præfectura Thraciæ; quin etiam in actis ſynodi Chalcedonenſis. Provinciæ Rhodopes cenſetur à quibuſdam, propter affinitatem Macedoniæ primæ cum illa provincia, niſi diverſam urbem dixeris Parthicopolim à Parœcopoli, quæ à Ptolemæo infra Mœſiæ montes in Sintica regione ponitur, Scupis urbi vicina.

EPISCOPI PARTHICOPOLIS.

I. JONAS.

Synodi Sardicenſis epiſtolæ ad eccleſias ſubſcripſit *Jonas* (forte *Joannes*) à Macedonia *de Partecoli*; emenda *de Parthicopoli.*

II. JOANNES.

In concilio Chalcedonenſi ſedit, ſubſcripſitque *Joannes Parthicopolis primæ Macedoniæ*, ut codices latini ferunt. Græca autem ſubſcriptio act. 6. ſic habet: Ιωάννης ἐπίσκοπος Παρθικουπόλεως ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Κυρίλλου πρεσβυτέρου. *Joannes epiſcopus definiens ſubſcripſi per Cyrillum preſbyterum.* Latini codd. *per Cyriacum preſbyterum.*

VII. ECCLESIA DOBERI.

Doberus, Δόβηρος, Pæoniæ Urbs eſt Ptolemæo, quæ & *Daborus* ſcribitur, quin apud Hieroclem Διάβορος, & apud Conſtantinum Porphyrogennetum Διόβορος. Plinius lib. 4. cap. 10. Doberienſes habet. Hierocli rurſum primæ Macedoniæ cenſetur: Ex quo vero Bulgari in Macedoniam incurſionem fecerunt, ditionis ipſorum facta eſt & Bulgaricæ ſubinde Diœceſis.

Digitized by Google

EPISCOPI DOBERI.

I. Gerontius.

EPiſtolæ ſynodi Sardicenſis ad eccleſias A ſubſcriptus legitur *Gerontius à Macedonia de Brebi.* Codices manu exarati habent *de Doberi.*

II. Eusebius.

In prædatoria ſynodo Epheſina anno 449. ſedebat *Euſebius epiſcopus Doberi Macedoniæ primæ*, Εὐσεβίου Δοβήρου Μακεδονίας πρώτης.

III. * * *.

Andronico ſeniore Michaëlis Palæologi filio Imperium auſpicante, *Debrenus epiſcopus* Conſtantinopolim venit aliquorum negotiorum cauſa, ubi Gregorio Cyprio qui Patriarcha ab Imperatore renuntiatus erat, manus impoſuit cum Germano Heracleæ, & Mozyles epiſcopo. ἔπι δὲ πατριάρχην κεχειροτόνηκε σὺν τοῖς συλλειτουργοῖς χρησάμενος ἀμφοτέροις τοῖς ἐπισκόποις, τῷ τε Μοζύλης καὶ τῷ Δέρβων. Niceph. Gregor. lib. 6. Hiſt. cap. 3.

VIII. ECCLESIA CASSANDRIÆ.

CASSANDRIÆ civitatis Macedoniæ meminit Plinius lib. 4. cap. 10. *Et in Pellenenſi Iſthmo*, inquit, *quondam Potidæa, nunc Caſſandria Colonia, in qua coli ſolitum*, ſubinde ait, *lapidem qui de cælo ceciderat.* Ptolemæus quoque in Paraxia habet. Thraciæ vicinam dicit Stephanus, quam miror omiſſam ab Hierocle, quippe cujus ævo Macedoniæ primæ cenſebatur, velut & deinceps in Notitia Leonis Imp. in qua quinto loco numeratur ſub Theſſalonica: poſt vero archiepiſcopalis civitas evaſit. Atqui ad Thermaïcum ſinum jacet Theſſalonicam inter & Caniſtræum promontorium.

EPISCOPI CASSANDRIÆ.

I. Hermogenes.

INter epiſcopos qui ſpuriæ ſynodo Epheſinæ interfuerunt, occurrit B *Hermogenes Caſſandriæ Macedoniæ primæ*, Ἑρμογένους Κασσανδρείας Μακεδονίας πρώτης, qui, quum profanis illius decretis vel invitus ut alii complures ſuffragatus eſſet, male geſtum emendavit poſt biennium in Concilio Chalcedonenſi, cujus definitionibus ſubſcripſit.

II. Joannicius.

Vir doctiſſimus Nicolaus Comnenus Papadopoli in Prænotionibus Myſtagogicis Reſponſ. 3. ſection 6. de Infamia num. 1. C affirmat mortiferum quodlibet peccatum infamiam inferre penes eccleſiam, eam ſcilicet Rempublicam, Principis, id eſt Chriſti majeſtate per culpam læſa. *Hac uno*, inquit, *ſtatim impetu certa proponimus ex jure quod noſtris* (Græcis) *Latiniſque commune eſt, quodque noſtris unicum in tanta captivitate eſt, quemadmodum Balſamon ante captivitatem, poſt captivitatem vero Andreas Pericopus, & Joannicius Caſſandrenus epiſcopus in Meditation. ad Joannem Athenic. de legibus Cæſarum.* Vixit igitur *Joannicius* poſt Byzantinorum ſub Turcorum tyrannide captivitatem.

III. Cosmas.

Sententiæ ſynodicæ qua anno 1560. Joaſaph Patriarcha Conſtantinopolitano throno extruſus eſt, ſubſcripſit, ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος Κασσανδρείας Κοσμᾶς, *Humilis Caſandriæ epiſcopus Coſmas.*

IV. Laurentius.

Anno 1639. menſe Octobri *Laurentius Caſſandriæ archiepiſcopus* conſecratus fuit à Parthenio ſeniore Patriarcha, Meletio Epheſi, Joannicio Heracleæ, Macario Ternobi, Ezechiele Amaſeæ, Acacio Naupacti, Parthenio Mitylenes, Gabriële Philippopolis, & Damaſceno Bizyæ. Conſecrationis ejus literas, viri pereruditi Jacobi Goarii noſtri manu deſcriptas, aliaſque de illius in Caſſandriæ throno impoſitione, in ſchedis habeo.

V. Arsenius.

Circa annum 1720. ſedebat *Arſenius Caſſandriæ*, *Arſenio di Caſandria.*

Digitized by Google

IX.

ECCLESIA EDESSÆ.

EDESSA Macedoniæ vetuſta civitas eſt in Æmathia, Ptolemæo, apud quem Αἴδεσσα *Ædeſſa* ſcribitur, Hierocli vero ut & Polybio lib. 5. & Straboni lib. 7. & aliis Ἔδεσσα Macedoniæ regum ſepulcris clara. Lichnido, ait Strabo, propè Baruntem per Heracleam *& Linciſtas, & Eordos ad Edeſſam & Pellam uſque ad Theſſalonicam itur.* In laterculis urbium quarum mutata nomina fuere, legitur, Ἔδεσσα τανῦν Μόγλαινα, *Edeſſa nunc Moglæna.* Cantacuzenus vero lib. 1. hiſt. capp. 44. & 54. Edeſſam à Moglænis ſecernit, eamque *oppidum fuiſſe exiguum tradit, ſed optime munitum*, oſtenditque eamdem illam eſſe atque Bodenam, & Caſtoria non procul diſtare. Vide cap. 55. Quod confirmat præſtantiſſimus Jeroſolymorum Patriarcha Chryſanthus, cui in Notitia epiſcopatuum qui Achridenſi archiepiſcopo ſubſunt, metropolita tertius eſt ὁ Ἐδέσσης, ἥτις τανῦν Βόδινα, ἢ Βόδινα λέγεται. *Metropolita Edeſſæ, quæ nunc Bodena vel Bodyna dicitur:* ſcilicet Andronicus Imperator *Bodenam* vel *Bodonam* metropoliticis juribus ab Achridenſibus archiepiſcopis auctam prodit. Cedreno ſeu Joanni Scilitze caſtrum eſt munitum, in prærupto monte ſeu ſaxo exiſtens, ex quo aqua paludis Oſtrobi occultè in terram influit, unde & rurſum emergit. Eſt & *Bydena*, ad Iſtrum poſita, quæ *Viminacium* olim, hodie *Widin* dicitur, at Græcis inter metropoles non numeratur.

EPISCOPI EDESSÆ.

I. ISIDORUS.

QUini-ſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus A legitur Ἰσίδωρος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Ἐδεσσαίων πόλεως, *Iſidorus minimus epiſcopus civitatis Edeſſenorum.*

II. ***.

Ex Theodoro Balſamone in interpretatione canonis Apoſtolici 74. habemus *epiſcopum Beſenæ* in jus vocatum eſſe, & in ejus cauſa judicatum eſſe tribus vadimonii denuntiationibus oportere vocari epiſcopum adverſus quem denuntiatio intenditur, & ita per contumaciam condemnari, ſi vadimonium recuſat. Atqui pro epiſcopo Beſenes B Βεσαίνης, legendum cenſeo Βιδαίνης, δ pro σ, levi conſuetoque ſatis errore emendato.

III. SOPHRONIUS.

In concilio quod Parthenius ſenior patriarcha Conſtantinopolitanus Giaſii in Moldavia Calvinianorum Cyrilli Lucaris errorum cauſa celebravit, cum metropolitis ſedit & ſubſcripſit, ὁ Βιδύνης Σωφρόνιος, *Sophronius Bidynæ.*

IV. DANIEL.

Reſponſioni Dionyſii Patriarchæ ſuper erroribus Calvinianorum anno 1672. inter metropolitas ſubſcripſit, ὁ Βοδοίνης Δανιὴλ, *Daniel Bodynæ: οι* Diphthongus & Litera υ, Græcis idem ſonant, & alterutram amanuenſes nullo ſæpe diſcrimine ſcribunt.

V. NICEPHORUS.

Anno 1721. ſedebat *Nicephorus metropolita Bidynæ*, ὁ Βιδύνης Νικηφόρος, Archiepiſcopo Achridenſi obnoxius.

X.

ECCLESIA PYDNÆ *ſeu* CITRI.

QUÆ pridem Pydna, *Citrum* poſthac dictum eſt, civitas Pieriæ, veluti fert Strabo: *Poſt Dium Urbem*, inquit, *Haliacmon fluvius eſt, in ſinum Thermæum ſe effundens, & ab hoc Septemtrionem verſus uſque ad amnem Axium in litore Pieria dicitur, in qua Urbs Pydna, quæ nunc Citrum vocatur,* ἐν ᾗ ἐστὶ πόλις Πύδνα, ἣ νῦν Κίτρον καλεῖται. Ptolemæo quoque Pydna in Pieria regione eſt, Stephano item & Plinio. In notitia Leonis Imp. Citrus civitas epiſcopalis eſt provinciæ Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli, ὁ Κίτρους, *Citrenſis.* Cruſius quoque lib. 4. Turco-gr. pag. 327. de Theſſalonica ait: *Hujus metropolis plures epiſcopatus habet, ut epiſcopatum Cypri* (lege Citri) *ſeu Pydnæ, epiſcopatum Serviorum, epiſcopatum Caſſandriæ, &c.* Sic quoque Illuſtriſſimus Chryſanthus.

EPISCOPI CITRI.

I. GERMANUS.

NUllus occurrit Citri ſeu Pydnæ epiſcopus ante ſynodum octavam generalem, in qua ſedit & ſubſcripſit *Germanus, miſericordia Dei epiſcopus Citri*, qui ſubinde ſediſſe quoque legitur

Digitized by Google

legitur in ſynodo Photiana ſub Joanne Papa A VIII. Γερμανοῦ Κίτρους. Γερμανὸς Κίτρους, *Germanus Citrus*.

II. * * *

Inter epiſtolas Theophylacti 14. inſcribitur, ἐπισκόπῳ Κίτρου, *epiſcopo Citri*, pietatis & religionis plena.

III. Joannes.

In jure Græco-Rom. lib. 5. pag. 323. *Reſponſa Joannis Citri ad Conſtantium Cabaſilam Dyrrachii metropolitam.* Ἰωάννου τοῦ ἐπισκό- B που Κίτρου ἀποκρίσεις πρὸς Κωνσταντῖνον ἀρχιεπίσκοπον Δυῤῥαχίου τὸν Καβάσιλαν, ut proinde ſæculo decimo-quarto labente vel decimo-quinto ineunte claruerit.

IV. Damascenus.

Inter epiſcopos qui anno 1564. ſynodo illi aderant, in qua Joaſaphus Conſtantinopolitano patiarchatu ejectus fuit, exauctorationis ejus ſententiæ ſubſcripſit *Damaſcenus Citri*, ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος Κίτρου Δαμασκηνός. Turco-Græc. lib. 2. pag. 174. ECCLESIA PYDNÆ ſeu CITRI.

V. Zosimas.

Lib. 4. Turco-Græc. pag. 338. epiſtola *Zoſimæ* epiſcopi Citri Theodoſio Zygomalæ magnæ eccleſiæ Protonotario, qua illi commendabat epiſcopum Polianæ; ſubſcripſit lingua vulgari Græca, ταπεινὸς Κίτρα Ζωσιμᾶς, καὶ σὸς ἀδελφὸς ἐν Χριστῷ. *Citri epiſcopus humilis Zoſimas, & tuus in Chriſto frater.*

VI. Maximus,

Citri epiſcopus fuit *Maximus* Anthologii Græci ſcriptor, quod Antonius Arcudius edendum curavit, & Urbano Papæ VIII. nuncupavit.

VII. Ambacum.

Circa annum 1720. ſedebat *Ambacum* ſive *Habacuc* Citri, *Abacum Veſcovo di Citro.*

XI. ECCLESIA HERACLEÆ.

HERACLEA Sintica Macedoniæ civitas eſt, Ptolemæo in Sintica regione, de qua Plinius, *Heraclea Sintica, Timphæi, &c.* qui alterius quoque meminit in Pelagonia, *oppidum Caſſera, fauceſque alteræ Iſthmi, Acanthus, Stagira, Heraclea,* quin eodem Plinio teſte, tertia demum fuit in Pieria: *Et in regione quæ Pieria appellatur à nemore, Æginium. In ora Heraclea, flumen Apilas.* Duas dumtaxat hujus nominis Urbes habet Hierocles in Notitia, *Heracleam Laoci*, Ἡράκλεια Λαόκου, & *Heracleam Strymni* ſive Sinticam Ἡράκλεια Στρύμου. Prior apud Conſtantinum Porphyrogennetum Ἡράκλεια Λάκκου, *Heraclea Lacci* ſcribitur κ pro ο. & in præfectura Theſſalonicæ ponitur, legero tamen Λύγκου *Lynci*, propter Lyncum vicinum oppidum. Cæterum de Heraclea Strymni ac Pelagonia intelligo quæ in actis ſynodorum leguntur, licet de Sintica Ortelius acceperit, mihique favent quæ ex quintæ ſynodi geſtis infra afferam. In laterculis Urbium & locorum quorum nomina mutata fuerunt, Heraclea nunc Pelagonia dicta fertur, Ἡράκλεια ἡ νῦν Πελαγονία. Id quod recentiores Græciæ ſcriptores in uſu habent. Mœſiæ porro cenſetur à Cinnamo lib. 3. hiſt. n. 17. Ἡράκλεια τῶν Μυσῶν ἣν νῦν Πελαγονίαν τινὶ γλώττῃ κατακολουθοῦντες, νῦν ὀνομάζουσι. *Heracleam Myſorum Pelagoniam hodie vocitant, linguam quamdam ſectantes.* Atqui Bulgaricæ Diœceſis facta eſt, quemadmodum colligitur ex Theophylacti Bulgariæ archiepiſcopi epiſtola 31. Bulgaris vero acceſſit, ex quo trajecto Iſtro amni Mœſiam obtinuerunt. Ex Tudebodo lib. 1. & Joanne Cantacuzeno lib. 1. hiſt. cap. 51. Pelagonia urbs inter Caſtoriam & Axium fluvium jacet, & in patentibus campis, ut Nicetas in Manuele Comneno teſtatur, lib. 3. n. 1. Hodie porro Pelagoniæ Præſul Bulgariæ archiepiſcopo obnoxius eſt, metropolitæ titulo auctus.

EPISCOPI HERACLEÆ.

I. Evagrius.

INter ſubſcriptiones epiſtolæ ſynodi Sar- C dicenſis legitur *Evagrius à Macedonia de Heraclea Lineo* ſive *de Heraclea Lynci.*

II. Quintillus.

In ſecunda ſynodo Epheſina quam *Prædatoriam* dixere, Anaſtaſii Theſſalonicenſis locum tenebat *Quintillus epiſcopus Heracleæ Macedoniæ*, καὶ Κυϊντίλλου Ἡρακλείας, ἐπέχοντος τὸν τόπον Ἀναστασίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Θεσσαλονικέων. Poſt biennium rurſus ejuſdem Anaſtaſii vicibus functus eſt in concilio Chalcedonenſi, orthodoxiſque decretis ſubſcripſit.

III. * * *

In excerptis ex Malchi Rhetoris de rebus

Byzantinis hiſtoria fertur, Zenone Imp. Balamarium, ſeu Valemarium Gothum Romanorum fines ingreſſum, Heracleam Macedoniæ veniſſe cum exercitu rerum omnium penuria laborante ἐπὶ τὴν Ἡράκλειαν τὴν ἐν Μακεδονίᾳ. Hujus urbis epiſcopum multis variique generis muneribus ad eum ejuſque militares copias miſſis, regionem omnem à direptione ſervaſſe, καὶ τοῦ ἀρχιερέως τοῦ ἐν ταύτῃ τῇ πόλει πολλὰ καὶ παντοδαπὰ τῇ στρατιᾷ καὶ αὐτῷ ἀποστείλαντος δῶρα.

IV. Benignus.

Quintæ ſynodo generali interfuit ſubſcripſitque *Benignus* miſericordia Dei epiſcopus Heracleotanæ civitatis quæ eſt Macedoniæ, vices gerens Eliæ ſanctiſſimi archiepiſcopi Theſſalonicenſium. Initio actorum epiſcopus dicitur *Heracleæ Pelagoniæ*.

V. * * *

Theophylactus Bulgariæ archiepiſcopus epiſcopo Triaditzæ epiſtola ſua 35. ſignificat, ſe ſcripſiſſe Pelagoniæ, Strumbitzæ & Maleſobæ epiſcopis ut ipſum à cenſura qua ſtrin- A gebatur abſolverent: ἔγραψα μὲν ταῦτα καὶ πρὸς τὸν Πελαγόνιον, καὶ πρὸς τὸν Στρουμβίτζης καὶ πρὸς τὸν Μαλεσόβης. Ex quo loco compertum ſit Pelagoniam ſeu Heracleam Macedoniæ epiſcopalem urbem in Bulgarica Diœceſi illo quoque tempore fuiſſe.

VI. Theodosius.

Lib. 6. Bibl. Cæſareæ cod. 5. mentio fit *ſcripti ſanctiſſimi archiepiſcopi Primæ Juſtinianæ & totius Bulgariæ Domni Gregorii, miſſi ad ſacratiſſimum epiſcopum Pelagoniæ Domnum* B *Theodoſium,* πρὸς τὸν ἱερώτατον ἐπίσκοπον Πελαγονίας κυρὸν Θεοδόσιον, *de lege cognationis:* ſedebat Gregorius primæ Juſtinianæ ſive Achridenſis, tempore Andronici Palæologi Imp. verſus ſæculi 14. medium.

VII. Joannicius.

Synodo Conſtantinopolitanæ Cyrilli Berrhœenſis, in qua errores Calviniani Cyrilli Lucaris proſcripti ſunt, aderat, præter Hieremiam Heracleæ Thracicæ, *Joannicius Heracleæ,* ὁ Ἡρακλείας Ἰωαννίκιος.

XII. ECCLESIA AMPHIPOLIS.

Amphipolis Macedoniæ civitas ad Strymonem fluvium in Odomantice ſive Edonide regione, ac Philippis vicina, cujus varia nomina recenſet Suidas, à quo Thraciæ aſſignatur, ut pote in illius finibus poſita. De ea Plinius, *in ora rurſus* (maris Ægæi) *Poſſidium, & ſinus cum oppido Cermoro, Amphipolis libera.* Enim vero Act. 17. v. 1. Paulus Apoſtolus Philippis egreſſus *Amphipolim* venit, moxque Apolloniam Sequiori ævo *Chryſopolis* eſt dicta, ex quo nonnulli *Chriſtopolim* dixerunt, in quibus Ortelius quoque. In laterculis urbium quarum nomina ſunt mutata, legitur, Ἀμφίπολις ἡ νῦν Χρυσόπολις. In altero autem qui cum notis in hiſtoriam Acropolitæ editus eſt; Ἀμφίπολις, ἡ νῦν Ἀμφίπολις. Male apud Hieroclem Ἀμφίπους pro Ἀμφίπολις. Non deſunt tamen qui Χριστούπολις pro Χρυσόπολις ſcripſere, atque in primis Nicephorus Gregoras qui *Chriſtopolim* in hoc tractu collocat.

Ex Leone Allatio lib. adv. Hottinger. pag. 485. ſynodo Calliſti I. Patriarchæ, in qua Barlaam & Acindynus Palamæ expugnatores proſcripti fuere, aderat *epiſcopus Chryſopolis:* verum nihil tale in illius ſynodi actis occurrit, ſed vir doctus *Chryſopolim* legerit oportet pro *Cariopoli.*

EPISCOPI AMPHIPOLIS.

I. Narcissus.

Epiſtolæ Sardicenſis ſynodi ad eccleſias ſubſcriptus legitur *Narciſſus de Macedonia, ab Anapoli.* Legendum utique *ab Amphipoli.*

II. Andreas.

Subſcriptus quoque legitur Quini-ſextæ ſynodi canonibus *Andreas epiſcopus Amphipolis,* Ἀνδρέας ἀμαρτωλὸς ἐπίσκοπος Ἀμφιπόλεως.

III. * * *

Theodorus Studita epiſtola 47. libri 7. narrat Nicææ & *Chryſopolis* epiſcopos Studii cœnobii monachos conveniſſe, ut adulteri Imperatoris Michaëlis cum pellice ipſius C Theodora copulatorem Joſephum œconomum vellent ſuſcipere, ſeu preſbyter ille facinus hoc admiſiſſet, ut præcedentis Patriarchæ, Taraſii ſcilicet, juſſis obtemperaret, τὴν ἐκεῖσε ἄφιξιν τοῦ Νικαίας, καὶ Χρυσοπόλεως.

IV. Joannes.

In pſeudo-ſynodo Photiana ſedit *Joannes Chryſopolis,* Ἰωάννου Χρυσουπόλεως, Ἰωάννης Χρυσοπόλεως.

Digitized by Google

V. * * *

XIII. In ſynodo quæ Athanaſio Patriarcha præſide Joannem Drimyn Eccleſiæ & Imperio perduellem proſcripſit, ſedebat *Archiepiſcopus Chryſtopolis*, τῦ ἀρχιεπισκόπου Χρισυπόλεως. *Cod. Reg. olim Archiep. Rem. Maur. Tellerii.*

ECCLESIA LEMNI.

LEMNOS, Lemnus Ægæi maris nobilis inſula, Macedoniæ cenſetur Ptolemæo, ut pote illi fere adjacens, *in qua civitates duæ Myrina & Hephæſtias mediterranea*, ἐν ᾗ πόλεις δύο Μύρινα καὶ Ηφαιςιὰς μεσόγειος. Sic Plinius dixerat; *Lemnos habet Hephæſtiam & Myrinam, in cujus forum in ſolſtitio Athos ejaculatur umbram.* Iidem itaque epiſcopi Lemni qui Hephæſtiæ, in qua ſedes epiſcopalis fuit, quæ ſubinde archiepiſcopalis, ac demum metropolitica fuit.

EPISCOPI LEMNI.

I. STRATEGIUS.

INter Daciæ & Illyrici præſules in Nicænorum Patrum indice legitur, *Strategius Hephæſtius.* A

II. SILVANUS.

Quini-ſextæ ſynodi, ſeu Trullanæ canonibus ſubſcripſit, *Silvanus epiſcopus Lemni* Σιλουανὸς ἀμάρτωλὸς ἐπίσκοπος πόλεως Λήμνου.

III. JOANNES.

In Septima ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Joannes epiſcopus Lemni*, Ιωάννης ἐπίσκοπος πόλεως τῆ Λήμβου, lege Λήμνου, latina tranſlatione favente, in qua *Joannes epiſcopus Lemni* dicitur. B

IV. ARSENIUS.

In Photianæ ſynodi epiſcopis occurrit, *Arſenius Lemni*, Αρσενίου Λήμνου, Αρσένιος Λήμνου.

V. NICOLAUS.

Judicio duplici ſynodico Alexii Patriarchæ de donatariis monaſteriorum, aliiſque cauſis eccleſiaſticis ferendo aderat *Nicolaus Lemni*. Νικολάου Λήμνου. Jur. Græco-Rom. lib. 4. C

VI. PAULUS.

Sedebat inter archiepiſcopos in ſynodo Michaëlis Cerularii Patriarchæ, in qua anathema dictum eſt Leonis Papæ IX. legatis *Paulus Lemni*, Παύλου Λήμνου. Leo Allat. Diſſert. 2. de libris Græcorum eccleſiaſticis pag. 171. D

VII. * * *

Sub Joanne Xiphilino Patriarcha decreta ſynodalia lata ſunt *de clericorum ſponſalibus*, conſidente Archiepiſcopo Lemni. τῦ Λήμνου. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pap. 211. & ſeqq.

VIII. PENTACTENES, vel PENTACLAS.

Nicephorus Calliſtus lib. 14. hiſt. cap. 39. ubi *de Tranſlationibus* agit *Epiſcoporum. Eodem*, inquit, *Nicolao Theoprobleto Eccleſiam Conſtantinopolitanam regente, Pentactenes ſive Pentaclas ille è Roſianis* (in Sicilia) *archiepiſcopus Lemni conſtitutus eſt*, Πενταχτένης ἢ Πεντάκλας ἐκεῖνος ἀπὸ Ρωσιανῶν εἰς ἀρχιεπισκοπὴν Λήμνου καθίσαται. Pag. 206. Juris Græco-Rom. dicitur Πενταχθένης *Pentacthenes* & Πεντήλας, atque à Niceta Patriarcha tranſlatus τῦ ὁσιωτάτου Νικήτα πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, à Niceta, inquam, Mundano, quem centeſimum numerat Byzantii antiſtitem, Baſilii Camateri duodecimo labente ſæculo ſucceſſore.

IX. MICHAEL.

Conſtantinopolitanæ ſynodo, quæ Luca Chryſoberge Patriarcha præſide anno 1156. Soterichum Panteugenum, qui Antiochiæ itidem Patriarcha deſignatus erat, ob ſuos errores ad ordinem redegit, aderat *Michaël Lemni*. Allatius in vindiciis Synodi Epheſinæ, pag. 586.

X. BASILIUS.

Synodo Georgii Xiphilini Patriarchæ anno 1197. habitæ, in qua actum eſt de juribus territoriorum, adſuit *Baſilius Lemni*, Βασιλείου Λήμνου. Lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 285.

XI. NEOPHYTUS.

Sententiæ ſynodali qua Joaſaphus Patriarcha deſtitutus fuit, ſubſcripſit *Neophytus Lemni metropolita*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Λήμνου Νεόφυτος. Turco-gr. lib. 2. pag. 174.

XII. ZACHARIAS.

Anno 1575. *Zacharias metropolita Lemni* ſedebat; quo nempe Stephano Gerlachio

ECCLESIA LEMNI. Germano nomen ſuum in charta exaratum A dedit, ὁ Λήμνου μητροπολίτης Ζαχαρίας. Lib. 7. Turcogr. pag. 506. Anno 1571. ſynodo Hieremiæ II. Patriarchæ de abroganda ſimonia adfuerat *metropolita Lemni* ὁ τοῦ Λήμνου. Ibid. lib. 2. pag. 179.

XIII. IGNATIUS.

In concilio quod Parthenio ſeniore Patriarcha Cyrilli Lucaris errores Calvinianos confixit, ac Giaſii in Moldavia anno 1642. habitum eſt, ſedit & ſubſcripſit *Ignatius Lemni*, ὁ Λήμνου Ἰγνάτιος.

XIV. ECCLESIA THASSI.

EST *Thaſſus* vel *Thaſus* inſula maris Ægæi, è regione Thraciæ cum ejuſdem nominis civitate, cujus meminit Plinius lib. 4. cap. 12. *Ab ea* (Lemno ſcilicet) *Thaſſos libera*, inquit, *quinque M. paſſuum, olim Aeria vel Æthria dicta.* Macedoniæ Plinio cenſetur, ac quidem primæ Hierocli in Notitia, necnon in Indice Patrum Concilii Chalcedonenſis, in cujus tamen actis Latinis Helladi perperam attribuitur. Hodieque Taſo dicitur.

EPISCOPI THASSI.

I. HONORATUS.

IN indice epiſcoporum concilii Chalcedonenſis, inter Macedoniæ præſules legitur *Honoratus Thaſſitanus*, qui in actis Latinis eſt *Honoratus Thaſſi* civitatis inſulæ Helladis. In ſubſcriptionibus Ὀνώρατος ἐπίσκοπος πόλεως Θάσου, *Honoratus epiſcopus civitatis Thaſſi.*

XV. ECCLESIA SERRARUM.

SERRA ſive *Serræ* Macedoniæ primæ civitas eſt Hierocli, cujus nulla occurrit apud priſcos Geographos mentio, niſi forte ipſa ſit quæ apud Plinium *Derrha* ſcribitur. *In Thermaïco ſinu*, inquit, *Dicæa, Pydna, Derrha.* Scilicet Urbs *Serrhæ* vel *Sarrha* dicta Ferrario in Lexico Geographico, *haud procul Amphipoli jacet ampla ſatis, inter illam Philippos & Theſſalonicam, quæ & Amphipoli in dignitate ſucceſſit.* Ex quo augurari liceret epiſcopalem ſedem Amphipoli Serras eſſe tranſlatam, niſi Amphipoli ſeptimo ſæculo epiſcopos ſediſſe ſignificarent, quum ſuis etiam Serræ jam olim potirentur. Quidquid id eſt, in Notitia Leonis Imperatoris metropolita quinquageſimus nonus eſt Serrenſis, νθʹ. ὁ Σερρῶν, ſed ſine epiſcopatibus ei obnoxiis; ferunt tamen Melenicum avulſum à Serris fuiſſe, λέγεται δὲ, ait Codinus, ἀγράφως ὅτι αὕτη τοῦ Σερρῶν εἶναι ἐπισκοπή. Non omittendum Stephanum *Serræam in Samothrace ponere, quæ & Serra dicitur.* Id quod vero de Serra ſeu Serris Macedonicis, de quibus nunc ſermo eſt, intelligendum venit. Sin vero Stephanus gravi errore lapſus erit. Atqui Serræ Macedoniæ à cæde Licinii Imp. Zonara teſtante, jam olim celebres fuerunt.

EPISCOPI SERRARUM.

I. MAXIMIANUS.

IN Spuria ſynodo Epheſina ſedebat *Maximianus Serrenſium Macedoniæ primæ*, καὶ Μαξιμιανοῦ Σερρῶν Μακεδονίας πρώτης: quumque profanis illius decretis vel invitus aſſenſus eſſet, facinus emendavit in ſynodo Chalcedonenſi, cui poſt biennium interfuit, ejus definitionibus ſubſcribens. Μαξιμιανὸς ἐπίσκοπος Σερρῶν, *Maximianus epiſcopus Serrarum*, qui in actis latinè verſis, *Maximinus* quandoque, & *Maximus* dicitur.

Cæterum nullus deinceps mihi occurrit C epiſcopus Serrenſis uſque ad ſæculi decimi poſtremos annos.

II. LEONTIUS.

Synodo Siſinii Patriarchæ, in qua vetitum eſt ne duo fratres conſobrinas duas du- B cerent, aderat inter metropolitas, *Leontius Serrarum*, Λεόντιος Σερρῶν. Jur. Græco-Rom. lib. 3.

III. NICETAS.

Commentarios habemus eruditionis plenos in complures Gregorii Theologi ſermones, qui dicuntur *Nicetæ Serrarum*, quem ad Heracleæ metropolim migraſſe tradunt, circa ann. 1077. Theophylactus qui hocce tempore claruit, epiſtolam nonam ſuam inſcripſit, τῷ διδασκάλῳ κυρίῳ Νικήτᾳ τῷ Σερρῶν, *Magiſtro Domino Nicetæ Serrarum.* Perperam nonnulli negant eumdem fuiſſe Nicetam Serrarum, Orationum Nazianzeni enarratorem, qui Heracleæ Thraciæ; nam

Digitized by Google

Codex Cæſareus 192. apud Lambecium, A
hoc diſertè aſſerit in titulo qui commentariis
ejus præfixus eſt, ὑπὸ Νικήτα Σερρῶν, τοῦ
καὶ Ἡρακλείας, *à Niceta Serrarum qui &
Heraclea.*

IV. Theodorus.

Anno 1166. in ſynodo Conſtantinopolitana, quæ Luca Chryſoberge Patriarcha menſe Martio nec non Aprili habita eſt Alamannorum cauſa, quos Joannes monachus quidam hæreſis taxarat, quod Chriſtum Patre propter aſſumptam humanitatem mi- B
norem eſſe dicerent, aderat *Theodorus Serrarum. Leo Allat. lib. 2. cap. 12.*

V. Basilius.

Germanus II. Conſtantinopolitanus Patriarcha anno 1232. collecta Nicææ ubi morabatur, (capta à Latinis urbe Regia) ſynodo, Chriſtophoro Ancyræ quem ad Manuelem Ducam Epiri deſpotam rerum Imperii componendarum cauſa mittebat, mandata dedit, conſidentibus metropolitis decem, quorum unus erat *Baſilius Serrarum.* C
τοῦ Σερρῶν Βασιλείου. *Lambec. Bibl. Cæſar. lib. 5. cod. 231.*

VI. * * *

Gregorius Papa X. in inſcriptione epiſtolæ ſuæ ad metropolitas Orientis, qui unioni utriuſque eccleſiæ ineundæ, Michaële Palæologo Imperatore favebant, metropolitam *Serrhæ* memoravit.

VII. Macarius.

Joannes Cantacuzenus lib. 1. hiſt. cap. 5. D
pag. 155. narrat Andronicum ſeniorem Palæologum Imp. *Macarium* Serrarum metropolitam cuſtodiæ Palatii tradidiſſe, quod unà cum Patriarcha & aliis epiſcopis nepotis ipſius patrocinium ſuſciperet. Μακάριον δὲ τὸν μητροπολίτην Σερρῶν ἐν τοῖς βασιλείοις, καὶ αὐτὸν ὑπὸ φρουρὰν εἶναι.

VIII. Matthæus.

Leo Allatius Exercit. 31. in Creyghtonum pag. 704. epiſtolæ meminit Iſidori archiepiſcopi Theſſalonicenſis ad *Matthæum Phracaſſem Serrarum,* quæ exſtaret in cod. Vaticano Græco 651.

IX. * * *.

Gregorius Proto-Syncellus in Reſponſione ad epiſtolam Marci Epheſii cauſatur anno 1410. *metropolitam Serrarum* cum Patriarcha & aliis metropolitis, Holoboli epiſcopi Gothiæ, qui monaſticam vitam, epiſcopatu relicto, amplexus erat, exequias conſueto epiſcopis ritu curaſſe, καὶ τοῦ Σερρῶν.

X. Maximus.

Poſt annum 1508. Manaſſes ex Serrarum metropolita in Byzantinum Patriarcham promotus eſt poſt Dionyſium I. Maximique nomen aſſumpſit. ἔγινε σύνοδος, καὶ ἐκλέξαν μητροπολίτην Σερρῶν, ὀνόματι Μανασσῆ, τὸν ὁποῖον ὀνόμασαν Μάξιμον. lib. 2. Turcograec. pag. 142.

XI. * * *.

Synodo Hieremiæ II. Patriarchæ, quam ſimoniæ abolendæ cauſa celebravit, aderat *metropolita Serrarum,* τοῦ Σερρῶν. Ibidem pag. 179.

XII. Daniel.

Illi ſynodo Cyrilli Berrhœenſis Patriarchæ, in qua anno 1638. Calviniana deceſſoris ejus Cyrilli Lucaris capita primùm damnata ſunt, adfuit & ſubſcripſit *Daniel Serrarum,* ὁ Σερρῶν Δανιήλ. Qui rurſum anno 1642. in ſimili ſynodo eorumdem errorum cauſa Giaſii in Moldavia una cum Parthenio Patriarcha conſedit. Qui in altera quoque ſynodo ſederat, in qua actum eſt de voce μετουσιώσεως, ut fertur lib. 3. de Perpet. Fid. Euchar. pag. 683.

XIII. Cyrillus.

Inter Græciæ metropolitas qui Reſponſioni Dionyſii II. Patriarchæ, ſuper Calvinianorum erroribus ſubſcripſerunt, legitur *Cyrillus Serrarum,* ὁ Σερρῶν Κύριλλος.

XIV. Stephanus.

Anno 1721. ſedebat *Stephanus metropolita Serrarum,* ὁ Σερρῶν Στέφανος.

XVI.

ECCLESIA BARGALORUM.

BARGALA Macedoniæ Secundæ Urbs cenſetur in Notitia Hieroclis, à Berge proinde diſcrepans quam Macedoniæ primæ aſſignat. Macedoniæ quoque attribuitur in Indice epiſcoporum Concilii Chalcedonenſis; alibi vero non occurrit.

Digitized by Google

ECCLESIA BARGALORUM.

EPISCOPI BARGALORUM.

I. DARDANIUS.

IN illo Patrum Chalcedonenſis concilii Indice, de Provincia Illyrici, ſub antiſtite Theſſalonicenſi, legitur *Dardanius Barlaa*, qui melius in actis, ac præſertim Græcis; dicitur *Dardanius Bargalorum*, Δαρδανίου Βαργάλων: Identidem vero in Latinis, *Bargaorum*.

XVII. ECCLESIA THEORII.

IN Notitia Leonis Imp. *Theorium*, Θεώριον, prima ſedes epiſcopalis eſt ſub Philippenſi metropoli, eamque eamdem eſſe puto quæ in ſubſcriptionibus canonum Quini-ſextæ ſynodi *Theorina* ſcribitur.

EPISCOPI THEORII.

I. GEORGIUS.

QUini-ſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus fertur, Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Θεωρίνης, *Georgius indignus epiſcopus Theorinæ*.

XVIII. ECCLESIA CAMPANIÆ *ſive* CASTRII.

CAMPANIAM ſive *Caſtrium* inter epiſcopatus Theſſalonicenſi metropoli obnoxios habet Notitia Leonis Imp. ac recentiores aliæ, ὁ Καμπανίας ἤτοι Καστρίου. Theſſaliæ vero oppidum circa Edeſſam & Berrhœam Cantacuzeno, lib. 2. hiſt. cap. 27. & lib. 4. cap. 19. In Notitia Illuſtriſſimi Urbis ſanctæ Patriarchæ Chryſanthi, Theſſalonicenſi, una cum aliis ſubeſt epiſcopus *Campaniæ* vel *Panii* ſive *Caſtrii*, τοῦ Κανίας ἢ Πανίου, ἤτοι Καστρίου.

EPISCOPI CAMPANIÆ.

I ∗ ∗ ∗.

LEo Allatius in libro adverſus Hottingerum, pag. 445. teſtatur Campaniæ epiſcopum illi ſynodo interfuiſſe, quæ Palamitarum deliriis approbatis Acindynum & Barlaamum eorum impugnatores proſcidit: quod certe ſynodi geſta ferunt quæ Combefiſius noſter in Auctario noviſſimo Biblio- A thecæ PP. Græcorum publici juris fecit.

II. ANANIAS.

Circa annum 1720. ſedebat *Ananias Campaniæ*, *Anania di Campania*.

XIX. ECCLESIA POLIANÆ.

IN Notitia Græca Philippi Cyprii, ſeptimus ſub Theſſalonica epiſcopatus eſt *Polianæ*, vel *Polyanæ*, idemque qui & Βαρδαριωτῶν Bardoritarum, Turcarumve aliis dicitur. In Notitia vero Leonis Imp. undecimus item provinciæ Theſſalonicenſis epiſcopus eſt, ὁ Βαρδαριωτῶν, ἤτοι Τούρκων, omiſſo Polianæ nomine. Atqui in Indice urbium & locorum quorum nomina ſequiori ævo mutata ſunt, legitur Ἄξιος ποταμὸς, ὁ νῦν Βαρδάριος, *Axius amnis qui nunc Bardarius*. Unde apparet Polyanam Urbem atque Bardariotarum haud procul exſtitiſſe ab Axio fluvio.

EPISCOPI POLIANÆ.

I. MACARIUS.

PRimus qui mihi occurrerit urbis hujus B epiſcopus, eſt *Macarius*, qui ſententiæ deſtitutionis Joaſaphi Patriarchæ ſubſcripſit anno 1564. ὁ ταπεινὸς Πολεανίνης ἢ Βαρδιωριτῶν Μακάριος. *Humilis Polianinæ & Bardioritarum Macarius*. Eccl. Turco-Græc. lib. 2. pag. 174.

II. GERASIMUS.

Lib. 4. Turco-gr. pag. 235. epiſtola exſtat Metrophanis Patriarchæ ad metropolitam Nauplii & Argi, qui repetundarum reus agebatur. Subſcripſit cum epiſcopis aliis *Geraſimus Polianæ*, ὁ Πολιανῆς Γεράσιμος. Item p. 337. ejuſdem Geraſimi habetur epiſtola ad Theodoſium Zygomalam, ad hunc modum

Digitized by Google

ſubſcripta, ταπεινὸς ἐπίσκοπος Πολιανῆς Γεράσιμος, *Humilis epiſcopus Polianæ Geraſimus.*

III. PORPHYRIUS.

ECCLESIA POLIANÆ.

Conſtantinopolitanæ ſynodo Cyrilli Berrhœenſis Patriarchæ Cyrilli Lucaris errorum cauſa celebratæ, aderat *Porphyrius Polianæ*, ὁ Πολιανῆς Πορφύριος.

XX.

ECCLESIA POGOIANÆ.

INTER tot illas Urbes quas Theſſalonicenſi metropoli ſubjectas variis in Notitiis reperi, Pogoïana mihi nuſquam occurrit, præterquam apud recentiores Auctores, qui de Græcorum Eccleſiis ſcripſerunt, Martinum Cruſium lib. 4. Turco-gr. pag. 337. Thomam Smith in ejus Notitia Eccleſiarum Patriarchatus Conſtantinopolitani, & Illuſtriſſimum Patriarcham Chryſanthum quibus Pogoïana archiepiſcopatus dicitur,

EPISCOPI POGOIANÆ.

I. GABRIEL.

CRUSIUS laudata pagina epiſtolam edidit A *Gabriëlis archiepiſcopi Pogoïanæ* Patriarchæ Conſtantinopolitaho ſcriptam Joannis cujuſdam Paſturis gratia, qui falſis criminibus onerabatur. Subſcriptio eſt: ὁ ἀρχιεπίσκοπος Πωγωϊανῆς Γαβριήλ. *Gabriël archiepiſcopus Pogoïanæ.* Addit Cruſius: *Hoc loco rotundum ſigillum impreſſum erat, in cujus interiori circulo turris Templi, & utrimque ſancta facies cum pectore. Circa eum & interiorem circulum hæc verba* + Ο ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΣ ΠΟΓΩΙΑΝΗΣ ΓΑΒΡΙΗΛ. *Latera (ut & Iconis lineæ) alba; reliqua vero nigra.* Addit: *Huic epiſtolæ à tergo inſcriptum erat*, ἀπὸ Πωγωιανῆς πόλεως ἐπάνω Θεσσαλονίκης, *è Pogoïana civitate ſupra Theſſalonicam. Ad ſingula latera ejuſdem paginæ totidem cruces.*

II. JOACHIM.

Circa annum 1720. ſedebat *Joachim Pogianæ, Joachino di Pöiana.*

III. EUTHYMIUS.

Anno 1721. ſedebat *Euthymius Pogoïanæ* ὁ Πωγωιανῆς Εὐθύμιος.

XXI.

ECCLESIA ZICHNARUM.

ZICHNÆ haud procul Serris diſtant in Macedonia poſitæ, Joanne Scilitze Curopalata teſte. Sed nec Theſſalonica multum abſunt, uti nec Pheris, Cantacuzeno. Urbem hanc Patriarchæ Byzantini metropolitico titulo donavere, quum Serrenſi antehac metropolitæ ſubeſſet, ut fert Notitia poſtrema, ad calcem libri Georgii Codini *de officiis.* κϛ' ὑπὸ τῷ Σερρῶν, ὁ Ζιχνῶν.

EPISCOPI ZICHNARUM.

I. PACHOMIUS.

EX Zichnarum metropolita *Pachomius* B Conſtantinopolis Patriarcha cunctorum qui ad electionem convenerant, ſuffragiis renuntiatus fuit ante annum 1500. quum Joachimus jam Byzantina ſede amotus eſſet. ἐξελέξαν ὁλοφρόνως τὸν Ζιχνῶν ... ὁ Παχώμιος μητροπολίτης Ζιχνῶν. Lib. 2. Turco-gr. pag. 145.

II. GREGORIUS.

Sententiæ ſynodicæ, qua Joaſaphus Patriarcha anno 1564. deſtitutus fuit, ſubſcripſit *Gregorius Zichnarum*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ζιχνῶν Γρηγόριος. Ibid. pag. 174. Qui poſthac ſubſcripſit quoque literis Metrophanis Patriarchæ, quibus *Michaël Pauliota* ſororis Theodoſii Zygomalæ filius, Tabularii officio donatus eſt. Ibid. lib. 4. pag. 282.

XXII.

ECCLESIA DRYGOBITIÆ.

IN Notitiis Leonis Imp. & Philippi Cyprii Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli tertius epiſcopatus eſt Drygobitia, ὁ Δρυγοβιτείας, qui regionis ejuſdem nominis eſſe caput innuitur in Notitia Codini, in qua Damianus Philippopolis Exarchus dicitur, *totius Europæ & Dragobitiæ* καὶ ἔξαρχον πάσης Εὐρώπης καὶ Δραγοβιτείας. Unde colligo Dragobintiam, ſive Drygobitiam Macedoniæ cenſitam fuiſſe, affinem vero provinciæ Europæ.

Digitized by Google

ECCLESIA DRYGOBITIÆ.

EPISCOPI DRYGOBITIÆ.

I. PETRUS.

In ſynodo quæ Photii in Byzantinam ſedem reſtituendi cauſa coacta eſt adfuiſſe; ſubſcripſiſſeque legitur *Petrus Drogubitiæ* Πέτρου Δρουγουβιτίας, Πέτρος Δρουγουβιτίας.

XXIII.

ECCLESIA MELENICI.

MELENICUS munita Macedoniæ Urbs eſt Joanni Cantacuzeno, haud procul Serris remota, uti neque Theſſalonica, cui metropoli aliquando ſubdita fuiſſe fertur: poſt vero ipſa metropoliticis honoribus donata eſt: id quod ſæculo decimo tertio jam inſtitutum erat; quum Balſamonis ævo epiſcopi ſedes eſſet. Cedrenus pag. 708. hanc in Zagoræa regione Bulgariæ collocat caſtellumque eſſe ait ſaxo impoſitum, profundiſſimis vallibus cinctum.

EPISCOPI MELENICI.

I. * * *.

MELENICI metropolita cum aliis metropolitis memoratur in inſcriptione epiſtolæ quam Michaële Palæologo Imp. Gregorio Papæ X. dederunt ad unionem inſtaurandam cum Eccleſia Romana & Occidentali. Ibi enim legitur *Metropolitanus Meleni*, pro *Melenici.*

II. METROPHANES.

Inter Metropolitas qui Calliſti Patriarchæ ſynodo in cauſa Palamitarum habitæ adfuerunt, ſubſcripſit ὁ μητροπολίτης Μελενίκου ὑπέρτιμος καὶ καθολικὸς κριτὴς τῶν Ῥωμαίων Μητροφάνης, *Metropolita Melenici, Hypertimus, & univerſalis Judex Romanorum Metrophanes.* Ejus meminit Cantacuzenus lib. 4. hiſt. cap. 32. Nimirum Andronicum Palæologum Imp. Irenen uxorem Didymotichum miſiſſe ad generum filiumque reconciliandos, unaque Philotheum Heracleæ & *Metrophanem* Melenici metropolitas, καὶ Μητροφάνην τὸν Μελενίκου; *viros vitæ inſtituto & ſermone venerabiles.* Idem *Metrophanes* cum Manuële Cantacuzeno ad Andronicum juniorem ſubinde delegatus eſt, ut eum erga Joannem Cantacuzenum exaſperarent; quibus re infecta recedentibus, Imperator Cantacuzenus, civitates male vexavit quæ à ſe deſecerant.

III. MATTHÆUS I.

Ad Ferrarienſem in Italia ſynodum celebrandam venit, unioniſque Decreto ſubſcripſit *Melenici metropolita Matthæus*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Μελενίκου Ματθαῖος. Qui circa annum 1450. in ſynodo Conſtantinopolitana in Templo S. Sophiæ celebrata unionem unà cum aliis qui aderant Græciæ præſulibus ejuraſſe fertur.

IV. * * *.

Lib. 2. hiſt. Turco-gr. pag. 174. Sententiæ ſynodi qua Joaſaphus Patriarcha ad ordinem redactus eſt, ſubſcripſit Melenici metropolita: qui mox ſynodo interfuit, quam Hieremias Patriarcha Joaſaphi ſucceſſor habuit ſimoniacæ peſtis extinguendæ apud ſuos cauſa. Pag. 179.

V. METHODIUS.

VI. MATTHÆUS II.

Martinus Cruſius ex Stephani Gerlachi ad Heerbrandrum epiſtola hæc narrat: « D. Patriarcha (Hieremias II.) paulo ante diſceſſum noſtrum Conſtantinopolim rediit. Reſpondendi (Tubingenſibus doctoribus) laborem commiſit duobus metropolitis, τῷ Βεῤῥοίας (Metrophani) καὶ τῷ Μελενίκου (*Methodio*) ſuo quoque Didaſcalo (*Matthæo Berrhæenſis fratri*) & Protonotario, viris bonis & doctis. Secundo autem Junii in Patriarchatum vocatus fui, quod Hieremias hunc Melenici metropolitam creare vellet, qui Quadrageſima ſuperiore in Patriarchatu & Peræ populum docuerat. » Hæc pag. 509. MATTHÆUS II. Turco-Græc. ſed & lib. 4. pag. 342. epiſtola exſtat ejuſdem Methodii Melenici *Pietate, ſapientiaque præſtanti viro D. Theodoſio magno Protonotario M. Eccleſiæ Chriſti, &c.* Hæc ſcripta ſunt circa annum 1577. vel 1758. Item anno 1579. Methodius Melenici Martino Cruſio epiſtolam dedit, cui ſubſcripſit ad hunc modum: Μελενίκου Μεθόδιος, καὶ σὸς κατὰ πάντα, *Melenici Methodius & ex aſſe tuus.* Viciſſim reſponſorias literas eidem miſit in his præmiſſis vocibus τῷ πανιερωτάτῳ Μελενίκου μητροπολίτῃ κυρίῳ Μεθοδίῳ, *ſacratiſſimo Melenici metropolitæ Domino Methodio.*

VI. ANTHIMUS.

Anno 1721. ſedebat *Anthimus Melenici* metropolita, ὁ Μελενίκου Ἄνθιμος.

ECCLESIA DRAMÆ.

Digitized by Google

XXIV.

ECCLESIA DRAMÆ.

DRAMA Macedoniæ oppidulum πολίχνιον eſt Nicephoro Gregoræ lib. 7. c. 12. circa Theſſalonicam, in quod ait Irenen Auguſtam Palæologi Andronici Imp. quum manſionis Theſſalonicæ ſatietas eam cepiſſet, animi recreandi cauſa ſeceſſiſſe, ibique diem extremum obiiſſe. Cantacuzeno vero lib. 1. c. 52. 53. & lib. 3. c. 137. oppidulum perinde dicitur, ſed bene munitum Philippis vicinum. In Notitia Georgii Codini fertur avulſos à metropoli Philippenſi Chriſtopolis ſive Chryſopolis & Dramæ metropolitas, ὁ ὁ Δράμας, quum tamen Dramenſis nequaquam epiſcopus eſſet, ſed Protopapas dumtaxat Philipporum antiſtitis, ὃς οὐκ ἦν ἐπίσκοπος, ἀλλ' ὡς λέγουσι, Πρωτοπαπᾶς ἦν τῶν Φιλίππων ἐν τῇ Δράμᾳ.

EPISCOPI DRAMÆ.

I. Dositheus.

AD Ferrarienſem ſynodum venit, & Florentiæ Decreto unionis ſubſcripſit, *Dositheus metropolita Dramæ*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Δράμας.

II. Joachim.

Decimus-quartus Patriarcha Conſtanti- A nopolitanus poſt urbis excidium fuit *Joachim Dramæ prius metropolita*, Ιωακεὶμ Δράμας μητροπολίτης, vir ætate ſenior, nec doctrina præſtans, aut regendæ eccleſiæ utilis, humilitate tamen virtuteque inſignis.

XXV.

ECCLESIA ARDAMERII.

IN Notitia Leonis Imp. ſeptima civitas Theſſalonicenſi metropoli obnoxia eſt *Ardamerium*, ſive *Herculia*, Ερκουλίων, ἤτοι Αρδαμερίου. Subeſt etiamnum Theſſalonicenſi, ubi vero poſita ſit, hactenus non comperi.

EPISCOPI ARDAMERII.

I. Meletius.

IN concilio quod Cyrillus Berrhœenſis Patriarcha Byzantinus habuit anno 1638. propter Calviniana deceſſoris ſui Lucaris dogmata, ſedebat, ſubſcripſitque *Meletius epiſcopus quondam Ardamerii*, ὁ πρώην Αρδαμερίου Μελέτιος.

XXVI.

ECCLESIA RHENDINÆ.

IN Notitia Leonis Sapientis Imp. nonus ſub Theſſalonica epiſcopatus eſt *Lite & Rhentina*, Λίτης καὶ Ρεντίνης. Lite Suidæ ex Harpocratione civitas Macedoniæ erat, Λίτη πόλις Μακεδονίας, quæ *Lete* Plinio dicitur, cui concinit Stephanus. Λητὴ πόλις Μακεδονίας, ἀπὸ τοῦ πλησίον ἱδρυμένου Λητοῦς ἱεροῦ. *Lete civitas Macedoniæ à Latonæ vicino fano dicta.* In Mygdonia ad Thermaïcum ſinum poſita erat haud procul Apollonia diſtans. *Rhendina* vel *Rhentina* vero Joanni Cantacuzeno lib. 3. cap. 38. munimentum quoddam eſt unius diei itinere à Theſſalonica ſemotum, quod ſedes epiſcopalis factum eſt, ac ſubinde Metropolitica. Nulla vero ejus in recentioribus Notitiis mentio, ejus vero epiſcopatus cum Letenſi conjunctus dicitur, ſive Letam potius tranſlatus.

EPISCOPI RHENDINÆ.

I. Damascenus.

SEntentiæ deſtitutionis Joaſaphi patriar- B chæ anno 1564. ſubſcripſit *Damaſcenus metropolita Rhendinæ*, ſuffragiumque dedit ſuo ipſius nomine, & Metropolitæ Serviorum. Turco-Græc. lib. 2. pag. 174. Leo Allatius in prolegomenis ad opera S. Joannis Damaſceni Dialogum appellat *Damaſceni* epiſcopi Rhendinæ cum S. Anaſtaſiæ præpoſito, ſeu luctum de epiſcopis Græciæ ſuæ ætatis. Δαμασκηνοῦ ἐπισκόπου Ρενδίνης διάλογον μετὰ τοῦ ἡγουμένου τῆς ἁγίας Αναστασίας, ἤτοι θρηνητικὸν κατὰ τῶν νῦν τῆς Ελλάδος ἐπισκόπων.

II. * * *.

Patriarcha Conſtantinopolitano Hieremia

ECCLESIA RHENDINÆ.

in eccleſiis ditionis ſuis inviſendis, nec-non in nummorum corrogatione, nimias moras trahente, ejus interim vices in urbe regia & vicinia agebat, *Rhendinenſis epiſcopus*, quem Gerlachius Germanus à ſe nunquam viſum querebatur, etſi Patriarchale monaſterium ſæpius adiiſſet. Cruſ. Turco-Græc. lib. 7. pag. 487.

XXVII.

ECCLESIA DEABOLIS.

DEABOLIS Urbs quoque Macedoniæ eſt Byzantinis ſcriptoribus notiſſima, quam Anna Comnena Alexiados lib. 13. poſitam tradit cis montes illos qui deſinunt in anguſtiſſimos calles, quos *Thermopylas* appellarunt. Ex indice urbium & locorum quorum nomina mutata fuere, Diabolis olim *Selaſphorus* nominabatur, Σελάσφορος, ἡ νῦν Διάβολις. Hodie *Diavoli* dicitur. Qui Deabolim archiepiſcopo Bulgariæ ſubditam fuiſſe aſſeverarunt, hi ex iis quæ mox ſubjicimus, falſi convincuntur.

EPISCOPI DEABOLIS.

I. THEODOSIUS.

JOANNES Scilitzes & ex illo Cedrenus A narrant, Nicephorum Baſilacium, primum Præſidem defectionem à Nicephoro Bryennio Imp. meditantem Dyrrachium quum perveniſſet, militares copias ex cunctis locis contraxiſſe, Francoſque ex Italia acciviſſe *Theodoſii Deabolis epiſcopi* opera, quos donis muneribuſque ſibi conciliaverat.

II. * * *.

Lib. 4. Juris Græco-Rom. pag. 285. ſynodale decretum exſtat Joannis Camateri Patriarchæ, quo prohibetur ne quis ſobrinas duas alternatim ducat, quamlibet judices Laïci ejuſmodi nuptiis non interdicerent. Ibidem etiam habetur epiſtola metropolitæ Dyrrachii inſcripta, necnon *Religioſiſſimo epiſcopo Deabolis*, καὶ τῷ θεοφιλεστάτῳ ἐπισκόπῳ Διαβόλεως, quos ambos Patriarcha ſimul, tacitis ipſorum nominibus alloquitur. Ex quo nullus ſupereſt locus ambigendi, quin Deabolis Conſtantinopolitanæ Diœceſis fuerit ac provinciæ Macedoniæ, non vero Bulgariæ.

XXVIII.

ECCLESIA HIERISSI.

IN laterculo civitatum & locorum quorum nomina mutata ſunt, quæ olim *Apollonia*, poſthac *Hieriſſus* dicta fertur. Ἀπολλωνία, ἡ νῦν Ἱερισσός. Apollonia vero quæ & Hieriſſus ad celeberrimi montis qui *Athos* dicitur, radices jacet. *Fretum*, ait Plinius lib. 4. c. 10. *quo montem Athon Xerxes rex Perſarum continenti abſcidit, in longitudine paſſuum 1500. Mons ipſe à planitie excurrit in mare 75. millia paſſ. Ambitus radicis centum quinquaginta millia paſſuum colligit. Oppidum in cacumine fuit Acroathon. Nunc ſunt Uranopolis, Palæotrium, Thyſſus, Cleone, Apollonia.* Harum urbium inprimis ſuperſtes manſit Apollonia, quæ & *Hieriſſus*, Ἱερισσὸς à ſacris monachorum in vicino monte manſionibus appellata eſt. In illo ſcilicet monte viginti duo monaſteria exſtructa ſunt, quorum gratia mons ſanctus apud Græcos audiit. Horum deſcriptionem barbaro græco idiomate, Latinoque vir noſtro ævo doctiſſimus D. Bernardus de Montefalconi typis edidit in fine Palæographiæ ſuæ Græcæ. Atqui tot illis monaſteriis præeſt epiſcopus qui propter loci ſanctitatem metropoliticis honoribus fulget. Ante vero quum Theſſalonicenſi ſedi obnoxius eſſet, Mitylenenſi ſubinde metropolitæ addictus fuerat. Plane in Notitia Leonis Imp. Hieriſſi epiſcopus octavus eſt ſub Theſſalonica.

EPISCOPI HIERISSI.

I. DAVID.

QUum jam pridem Hieriſſus epiſcopali B ſede donata eſſet, neminem tamen illius antiſtitem reperi *Davide* ſuperiorem, qui anno 1564. ſententiæ deſtitutionis Joaſaphi Patriarchæ ſubſcripſit, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἱερίσσου καὶ τοῦ ἁγίου ὄρους Δαβίδ. *Humilis metropolita Hieriſſi & ſancti montis David.* Turco-Græc. lib. 2. pag. 174.

II. EUGENIUS.

Davidi proxime utique ſucceſſit *Eugenius* epiſcopus, & ſancti Montis Præpoſitus, qui, ut refert Fhelavius in Annotationibus ad librum Chriſtophori Angeli de ſtatu & ritu Eccleſiæ Græcæ pag. 147. anno 1569. Archiduci Carolo epiſtola die 20. Martii data

Digitized by Google

exponebat, quo pacto Monachi Græci à Sultano Turcorum larga pecunia redemerant quæcumque ſibi pridem propria fuerant. *Præterito quidem tempore, Dux illuſtriſſime, magnus Turca, qui Conſtantinopoli (permittente Deo) regnat, unà cum urbibus ipſe ſubjectis, propoſuit edictum ſeverum in toto Imperio ſuo, ut reditus omnium Eccleſiarum & Monaſteriorum vendantur, quotquot in ipſius Imperio inveniuntur. Hæc autem venditio tantum uſque ad tertiam ipſius generationem durare debet. Poſt tertiam autem generationem vendentur rurſus. Hæc quum faciat, malus animus ejus cernitur, quod minetur deletionem ſanctorum Templorum unà cum Chriſtianis,* A *qui ſub ipſius Imperio habitant. Pervenerunt itaque ad nos uſque hæ minæ, & triſtiſſima ſervitus. Idcirco quinque millia aureorum numeravimus. Cum autem non haberemus, omnes noſtros reditus, & ſacra vaſa oppigneravimus, ut tantum colligeremus & perſolveremus, non ſine detrimento, ſed cum fænore, ſicut fæneratoribus uſitatum eſt accipere quotannis uſuras, donec ſortem recipiant.* Hæc ſcribebat *Eugenius* ſcitu non inutilia. ECCLESIA HIERISS.

III. DANIEL.

Circa annum 1720. ſedebat *Daniel Hieriſſi & montis ſancti, Daniele di Eriſo & monte ſanto.*

XXIX. ECCLESIA LYCOSTOMII.

MARTINUS *Cruſius*, lib. 4. Turco-Græciæ p. 327. *Lycoſtomium* ſive *Theſſala Tempe*; inter epiſcopatus Theſſalonicenſi ſedi ſubjectos numerat, quin etiam Illuſtriſſimus Chryſanthus, Thomas Smith aliique recentiores, quibus unus eſt epiſcopus Platamonis & Lycoſtomii, Πλαταμῶνος καὶ Λυκοστομίου. Attamen Lycoſtomium Theſſaliæ aſſignatur à Joanne Cantacuzeno lib. 3. cap. 27. At *Platamon* vicinum oppidum maritimum eſt. *Theſſala Tempe* eadem mihi eſſe videntur, ac qui Theſſalici ſaltus dicuntur in Concilii Epheſini geſtis.

EPISCOPI LYCOSTOMII.

I. PHEREBIUS.

IN Epheſina ſynodo prima ſedit & ſubſcripſit Φερέβιος ἐπίσκοπος Θεσσαλονικέων (ſeu potius Θεσσαλικῶν) σαλτῶν, *Pherebius epiſcopus Theſſalicorum ſaltuum*, ut fert tranſlatio latina vetus. B

Nullus vero mihi deinceps occurrit Lycoſtomii epiſcopus, neque Platamonis, neque etiam Petræ quæ haud procul Berrhœa atque Edeſſa diſtat, & inter epiſcopatus Theſſalonicenſi metropolitæ obnoxios perinde cenſetur.

XXX. ECCLESIA SERVIORUM.

SERVIA vel *Serbia* voce plurali neutra, Urbs eſt in confinio Theſſaliæ & Bottiææ poſita, nec parva Cantacuzeno, cujus etiam ævo Theſſaliæ cenſebatur; quamvis in notitiis metropoli Theſſalonicæ ſubſit; οὐ μικρὰ οὖσα ἐν μεθορίοις Βοττιαίας κειμένη, καὶ Θετταλίας δὲ οὖσα. Hanc Imperator Cantacuzenus expugnavit, ut fert ipſe lib. 4. p. 777. ubi male latinus interpres vocem hanc κατὰ Σερβίων reddidit *contra Servios*, quaſi Serviorum gentem tunc aggreſſus eſſet, quum accuratius vertendum eſſet *contra Servia*.

EPISCOPI SERVIORUM.

I. DAMIANUS.

SERVIORUM civitatis epiſcopum neminem reperi *Damiano* antiquiorem, qui circa annum 1720. nuper ſedebat: *Damiano di Servo.*

Digitized by Google

II. PROVINCIA THESSALIÆ.

I. ## ECCLESIA LARISSÆ METROPOLIS.

LARISSA Phthiotidis Macedoniæ civitas eſt Achillis olim patria, cujus priſcum nomen erat vetus Argos Theſſalica. Theſſaliæ primaria eſt Hierocli, metropoliſque Notitiarum Eccleſiaſticarum conſcriptoribus. Lariſſa jam vocabatur Alexandri Magni ævo, quod facile quis colligat ex Lariſſæ nomine, quod Syromacedones Lariſſæ Syriæ indiderunt, quemadmodum Edeſſam Meſopotamicam, & Berrhœam itidem Syriæ, Macedonicarum urbium nominibus appellatas voluerunt. Lariſſam hanc Stephanus, immò & Strabo ad Peneum fluvium collocant, infra Arracem, à quo decem millibus diſtat. Procopius lib. 4. de ædif. Juſtin. cap. 3. ejus ſitum ſic deſcribit paucis. *Effundit mons Pelius tacitis lenem aquis Peneum, quo circumfluo ornatur Urbs Lariſſa, ibi Phthia jam non exſtante, quam vetuſtas delevit. Placidiſſime amnis hic labitur ad mare uſque.* Quum Strabonis ætate civitates illarum regionum paucæ patriam ſervaſſent dignitatem, Lariſſa ſuam omnino retinebat. Quocirca Livio lib. 31. cap. 46. *nobilis civitas* dicitur, *egregium oppidum* Solino. Stat porro hodieque Lariſſa, cujus antiſtes Theſſaliæ provinciæ metropolita, Secundæ Exarchus, ſive Patriarchalis viſitator & procurator eſt & Helladis. Id quod non ſatis intellexit Cruſius Græcarum rerum, ut hodie ſtant, curioſus indagator; cæterum *ei ſubeſſe* ait, *magnos & populoſos epiſcopatus, ut Demetriadis, Pharſali, Demonii, Zenuxii, Triccæ & alios.* Illuſtriſſimus vero Chryſanthus, illos melius hoc ordine recenſet, numero novem ſcilicet, Demetriadis, Stagorum, Litzæ & Agraphorum, Scyathi & Scopeli, Gardicii, Rhadobizdii, Lædoricii, Thaumaci & Zetunii; quum veteres olim viginti & octo numerarent.

EPISCOPI LARISSÆ.

I. Achilius.

PRiſtinos Lariſſæ epiſcopos nullos reperio Conſtantino Magno Imperatore ſuperiores. In Menologiis vero, ac maxime Sirletano, quod Henricus Caniſius tom. 2. Antiq. lect. latine edidit, die 15. Maii fertur. *Eodem die S. P. N. Achilii metropolitæ Lariſſæ urbis. Hic fuit ſub Conſtantino Magno, piis ortus parentibus quorum diligentia, pietatem cum externis diſciplinis eruditus eſt; Quumque eſſet vita & moribus excellens, factus Pontifex Theſſaliæ in Lariſſa urbe ab omnibus Græciæ incolis prædicatur. Hic in magna Nicææ habita ſynodo unà cum illis ſanctis Patribus laboravit concertans, & Arium hæreticum expugnans atque anathemati ſubjiciens, rurſus in urbem Lariſſam revertitur, ubi cum plurima templa Idolorum evertiſſet, dæmones ex hominibus expuliſſet, aliis plurimis editis miraculis, in pace vitam egit, oratoria multa à fundamentis erexit & variè ornavit.* Joannes Scilitzes in Baſilio & Conſtantino Impp. Samuëlem Bulgarorum Regem, factis in Theſſa-A liam, Græciam & Peloponneſum excurſionibus, oppida multa occupaſſe narrat, & Lariſſæ incolas in interioris Bulgariæ partes abduxiſſe, tranſlatis ſimul S. Achilii reliquiis priſcam in urbem regiam ſuam. Hæc quoque Cedrenus pag. 645. Atqui primaria Lariſſæ eccleſia *S. Achilii* vel *Achillei* nomine nuncupata erat.

II. Alexander.

B Epiſtolæ ſynodi Sardicenſis ad eccleſias ſubſcriptus legitur, *Alexander à Theſſalia de Lariſſa.*

III. Basilius.

Epheſinæ ſynodo adfuit *Baſilius Lariſſæ*, & mox conteſtationi multorum epiſcoporum, qui Joannis Antiocheni & Orientalium adventum præſtolandum eſſe contendebant, tum aliis ſubinde eorumdem Orien-C talium literis, quibus Neſtorii cauſam tuebantur, ſubſcripſit. Unde meruit à ſacro Concilio communione & ſacerdotio privari. Quinimo c. 190. collectionis ex Tragœdia Irenæi Tyrii, inter illos cenſetur qui quod

pertinaciùs Hæretico illi addicti eſſent, ſuis A ejici ſedibus meruerunt. *Baſilius Lariſſæ metropolitanus*, inquit, *qui multa millia paſſus non acquievit, ut cum reliquis eum qui non deliquerat condemnaret.* Vide capp. 7. 8. 13. 28. ejuſdem collectionis.

IV. VIGILANTIUS.

Synodo alteri Epheſinæ, Prædatoriæ ſcilicet illi, interfuit *Vigilantius epiſcopus Lariſſæ*, καὶ Βιγιλαντίου Λαρίσσης. In latina tranſlatione additur *Macedoniæ*. Inter metropolitas nuſquam ille iſtis in actis cenſetur. Sententiam B autem dixit in S. Flavianum Conſtantinopolitanum, & latrocinii hujus decreta alia ſubſcriptione ſua probavit. Quod tamen male geſtum poſt biennium revocavit in concilio Chalcedonenſi, per Conſtantinum Demetriadis qui in eodem ſacro conventu vices ejus explevit. Κωνσταντίνου Δημητριάδος ἐπέχοντος τὸν τόπον Βιγιλαντίου ἐπισκόπου Λαρίσσης Θεσσαλίας. Quinimo ſubſcriptus ipſe *Vigilantius* reperitur act. 6. Βιγιλάντιος ἐπίσκοπος μητροπόλεως Λαρίσσης Θεσσαλίας, *Vigilantius epiſcopus metropolis Lariſſæ Theſſaliæ.* Anno C 446. 8. Id. Januar. Aëtio 3. & Symmacho v. v. cc. coſſ. Leo magnus Papa epiſtolam dederat *Dilectiſſimis fratribus Senecioni, Carolo, Theodulo, Lucæ, Antiocho, Vigilantio, per Achaïam conſtitutis*, de illicitis Petri Corinthi epiſcopi & Achaïæ metropolitæ ordinationibus: Hunc vero *Vigilantium* Lariſſæ metropolitam fuiſſe vix credidero, imo potius ejuſdem tunc nominis alius cuidam Achaiæ Eccleſiæ præfuiſſe videtur. Leo Imp. cunctis per Orientem metropolitis literas mittens de nece S. Proterii Alexan- D drini, harum exemplum unum inſcripſit *Vigilantio reverentiſſimo epiſcopo* Lariſſæ, anno 458.

V. PROCLUS.

VI. STEPHANUS.

Ante annum 531. quo ſynodus Romana Bonifacio Papa II. præſide habita in cauſa *Stephani* Lariſſæ præſulis, *Proclus* proinde *Stephani* deceſſor obierat, cujus ille meminit in ſupplici libello qui in ea ſynodo à Theodoſio Echinienſi oblatus eſt. *Sed quia Proclo* E *beatæ memoriæ quieſcente, qui factus eſt Lariſſææ Eccleſiæ epiſcopus, oportebat eidem præſulem Eccleſiæ ordinari; Decretum factum eſt communiter, tam cleri quam populi metropolitani, atque eorum quorum aſſenſus erat actui neceſſarius, & ſecundum priſcam conſuetudinem, tribus electis, Alexandro Sciatenſi preſbytero, ... preſbytero, & me exiguo, meliori teſtimonio ſortito, electionis palmam promerui.* His præmiſſis de electione & promotione ſua, pergit *Stephanus: Igitur ex omnibus in me electionem contulerunt, in Decreto pariter ſubſcribentes, & quia ordinationem ſecundum priſcam conſuetudinem non alibi, ſed in eadem civitate fieri oportebat, convenit ſancta provinciæ ſynodus, & totius civitatis poſſeſſores omneque corpus eccleſiæ, & communi omnium teſtimonio, nihil conſuetudini detrahente, in eccleſia ſum ordinatus epiſcopus.* Subdit Probianum Demetriadis epiſcopum de illa ordinatione ſua laudes dixiſſe: poſt vero Antonium preſbyterum cum eodem Probiano Conſtantinopolim profectum, apud Epiphanium archiepiſcopum queſtum eſſe, ceu *Stephani* ordinatio cum ſacris canonibus non quadraret. Tum Epiphanium coacta ſynodo in Theſſaliam delegaſſe, qui præciperent illum à ſacro miniſterio abſtinere, alioſque item ejuſdem provinciæ epiſcopos. *Et clerum*, inquit, *ſanctæ noſtræ eccleſiæ à mea communione ſuſpendit, & quod eſt noviſſimum, nec cibos aut quæ ſunt neceſſaria de rebus eccleſiaſticis me habere permiſit.* In urbem Regiam ſe abductum addit, imo vinctum truſum in carcerem. Quamobrem Apoſtolicæ ſedis judicium implorabat. *Hoc enim opus veſtrum eſt*, ait, *beatiſſime, die ac nocte ſanctorum Patrum conſtituta, præcipuè in veſtra Illyriciana provincia cuſtodire.* Quibus ex integro lectis, Abundantius Demetriadis quondam epiſcopus palam cauſatus eſt Probianum eccleſiæ ſuæ invaſorem fuiſſe, qui *Proculi* ſive *Procli* Lariſſeni literis Bonifacium Papam circumvenerat. Alium libellum *Stephanus* rurſus obtulit, Romanæ ſedis ejuſque ſynodi judicium implorans.

ECCLESIA LARISS.

VII. JOANNES I.

Hadrianus Thebarum (Theſſalicarum utique) epiſcopus, apud Mauritium Imp. repetundarum aliorumque facinorum accuſatus, à Joanne primæ Juſtinianæ, & *Joanne* Lariſſæ epiſcopis præter jus damnatus fuit, qui tamen S. Gregorii Papæ patrocinio implorato, abſolutus demum fuit. De quo Gregorius ipſe epiſt. 6. & 7. lib. 3. Indict. XI. anno Pontificatus ſui ſecundo. Ex quibus diſcimus ambos illos Præſules Juſtinianæ & Lariſſæ Imperatoris accepiſſe juſſionem, ut Hadriani cauſam cognoſcerent, ſervatis tamen juris & regularum apicibus, ut de pecuniariis firmam ferre ſententiam poſſent; de criminalibus verò poſt diligentem inquiſitionem, rem ad Principem referrent. Cæterum *Joannes* Lariſſæus diaconos duos quos Hadrianus gradu dejecerat, illiuſque accuſatores, teſtes nihilominus admiſerat, & Hadrianus, etſi illius ſententiam appellatione ſuſpenderat, ab eodem *Joanne* carceri traditus fuerat. Verum ſubinde Hadrianum à Sereniſſimo Imp. abſolutum quoque fuiſſe, ejuſdem

ECCLESIA LARISSÆ.

Gregorii M. epiſtola ad epiſcopos Corinthios ſive Achaiæ teſtatur, quin & cum eis in gratiam rediiſſe. Ejuſdem ſanctiſſimi Papæ epiſtola quam ad Illyrici epiſcopos ob *Oecumenici Patriarchæ* titulum quem Conſtantinopolitani præſules ſibi vindicabant, inſcribitur; *Euſebio Theſſalonicenſi, Urbico Dyrrachitano, Andreæ Nicopolitano, Joanni primæ Juſtinianæ, Joanni Lariſſæo, Scodriano, aliiſque compluribus epiſcopis.*

VIII. CONSTANTINUS.

Quo tempore Photius Byzantinam ſedem, S. Ignatio extruſo arripuit, Lariſſæ ſedebat epiſcopus *Conſtantinus* ex epiſtola 8. Nicolai Papæ I. ad Michaëlem Imp. in qua *Conſtantinum* Lariſſæ illis annumerat qui pro Ignatio ſtabant, quoſque voluiſſet ad ſe Romam pergere, tom 8. concil. pag. 320.

IX. EUTHYMIUS.

In octava ſynodo generali, in qua de S. Ignatii in Byzantinam ſedem reſtitutione actum eſt, ſedit ſubſcripſitque *Euthymius miſericordia Dei metropolitanus Lariſſæ.*

X. BASILIUS.

In altera ſynodo in qua de Photii ſubinde reſtitutione tractatum eſt, *Baſilius Lariſſæ* adfuiſſe ſubſcripſiſſeque fertur, Βασιλείου Λαρίσσης, Βασίλειος Λαρίσσης.

XI. JOANNES II.

Nicephoro Calliſto lib. 14. hiſt. eccl. cap. 39. ubi de Tranſlationibus epiſcoporum diſputat, circa tempora Leonis Sapientis Imp. *Joannes* Lariſſa Synada tranſlatus fuit. ὁ Λαρίσσης τε Ἰωάννης εἰς Σύναδα μετηνέχθη.

XII. STYLIANUS.

Lib. 3. Juris Græco-Rom. pag. 197. Decretum ſynodicum legitur Siſinnii Patriarchæ ne duo fratres conſobrinas duas ducerent, cui ſubſcripſit Στυλιανὸς Λαρίσσης, *Stylianus Lariſſæ.*

XIII. BASILIUS.

Alexio Comneno Imp. & Nicolao Theoprobleto Grammatico Patriarcha, procerum Imperii & epiſcoporum ſolemnis conventus habitus eſt, quo Decretum unionis de ſacrarum imaginum veneratione inſtauraretur, ſedebatque cum aliis *Baſilius Lariſſæ*, Βασιλείου Λαρίσσης. Bibl. Coiſlin. pag. 104.

XIV. GEORGIUS.

Anno mundi 6652. Chriſti 1144. Manuële Comneno Imp. Coſmas Atticus Patriarcha ejectus fuit Bogomilorum hæreſis ſuſpectus, menſe Feb. 23. fer. 4. ſententiæ ſynodali cui ferendæ aderat, & ſubſcripſit *metropolita Lariſſæ Georgius*, ὁ εὐτελὴς μητροπολίτης Λαρίσσης Γεώργιος. Hic rurſum anno 1156. ſynodo adfuit, in qua Soterichus Panteugenus Antiochiæ Patriarcha deſignatus, Luca Chryſoberge Regiæ urbis archiepiſcopo præſide, ob errorem quem ſuper ſacrificio Chriſti pertinaciùs tuebatur, gradu dejici damnarique meruit. Allat. lib. 2. de conſenſ. cap. 12. vind. ſyn. Epheſ. pag. 585.

XV. JOANNES III.

Synodum alteram habuit Lucas Patriarcha anno 1166. propter Alamannos quoſdam, qui Conſtantinopoli agebant, quoſque Joannes Gangrenſis monachus hæreſis Arianæ ſimilis inſimulaverat. In ea ſedit *Joannes Lariſſæ*, Allatio teſte, lib. 2. de conſenſ. pag. cap. 12. n. 4. Eodem anno decretum fuit ne nuptiæ in ſeptimo gradu fierent, conſidente eodem *Joanne Lariſſæ*. τοῦ Λαρίσσης. Juris Græco-Rom. lib. 3. pag. 218.

XVI. * * *.

Iſaacii Angeli Imp. condendo edicto quod habetur lib. 2. Juris Græco-Rom. pag. 175. quo ſancitum eſt ut ad epiſcoporum electiones omnes quotquot in urbe Regia Præſules agerent, advocarentur, aderat metropolita Lariſſæ, τοῦ Λαρίσσης.

XVII. THOMAS.

Synodo Conſtantinopolitanæ in qua Arſenius Patriarcha Michaële Palæologo Imp. gradu dejectus eſt, *Thomas Lariſſæ* aderat, ægreque illius deſtitutioni aſſenſum dedit, unà cum Joanne Naupacti & Germano Hadrianopolis. καὶ μόλις τὴν οἰκείαν γνώμην τοῦ τε Λαρίσσης Θωμᾶ, τοῦ Ναυπάκτου Ἰωάννη, καὶ τοῦ Ἀδριανουπόλεως Γερμανοῦ προσεπετίθετο. At reliqui epiſcopi concordibus calculis Arſenium exauctorarunt. Pachym. in Michaële Palæologo lib. 4. cap. 6.

XVIII. NICANDER.

Joannes Beccus Patriarchatu fungens, ſynodum coëgit propter facinus Eſcammatiſmeni Referendarii, qui Gregorii Nyſſeni locum de Spiritus ſancti ex Filio proceſſione adulterare auſus erat. Patriarchæ aſſidebant Nicolaus Chalcedonenſis, Meletius Athenienſis, *Nicander Lariſſæ*, Λαρίσσης καὶ ὑπερτίμου Νικάνδρου. Hic ab eodem Becco fuerat ordinatus, unionemque adeo cum Romana eccleſia admiſerat, ſed mutato rerum ſtatu dejectus fuit. Andronico Michaëlis filio Imp. quum in urbe Regia ageret quando Andronicus Sardenſis læſæ-Majeſtatis convictus

Digitized by Google

eſt, eidem *Nicander Lariſſæ* monaſticum caputium per ludibrium injecit, quod ille mox è capite ſuo excuſſit. Verba Pachymeris lib. 1. cap. 23. hæc ſunt. ὅτι καὶ ὁ Λαρίσσης Νίκανδρος τῆς Ἰωάννου χειροτονίας ὤν, καὶ διὰ τοῦτο παρ' ἐκείνου καθυπερθεὶς, ἐκεῖσε παρὼν, καὶ γ' ἀτίμως ἐκεῖνον ἐκπεφθέντα θεώμενος, λαβὼν μοναχικὸν ἐπιτύμβιον, μεθ' ὅσου μυκτῆρος καὶ χλευασμοῦ ἐπιτίθησιν.

XIX. * * *.

In cod. Regio 1836. habetur Lazari Monachi epiſtola ad Lariſſæ metropolitam, qua illi ſuadet, ut quam vehementiſſime illi cum Latinis unioni adverſetur quæ in nupera ſynodo (Florentina utique) inita erat.

XX. Galaction.

Iſaacus Habertus Vabrenſis epiſcopus ad calcem Ἀρχιερατικοῦ quod edidit, ex altero cod. Regio expoſitionem novam exſcripſit, de diverſis modis quibus Conſtantinopolitani Patriarchæ literas inſcribunt ad Romanum Papam, Patriarchas, metropolitas, archiepiſcopos & Principes ſæculares, in cujus fine fit mentio *Galactionis metropolitæ Lariſſæ.* εἰς τὸν Λαρίσσης, εἰς τὴν σωτηρίαν καὶ ὑγείαν τοῦ πανιερωτάτου μητροπολίτου Λαρίσσης ὑπερτίμου καὶ ἐξάρχου δευτέρας Θετταλίας καὶ πάσης Ἑλλάδος κυροῦ Γαλακτίωνος. *Ad Lariſſenſem, pro ſalute & ſanitate ſacratiſſimi metropolitæ Lariſſæ, & Hypertimi & Exarchi ſecundæ Theſſaliæ & totius Helladis Galactionis,* qui videtur circa tempora Florentini concilii ſediſſe.

XXI. Neophytus.

Anno 1564. Joaſaphus Conſtantinopolitanus Patriarcha ad ordinem redactus fuit ſynodali ſententia, cui ſubſcripſit *Neophytus metropolita Lariſſæ*, ὁ ἁγιώτατος μητροπολίτης Λαρίσσης Νεόφυτος. Hiſtor. Turco-Græc. lib. 2. pag. 172. Quin etiam lib. 3. pag. 257. habetur epiſtola ejuſdem *Neophyti Lariſſæ* ad Joannem Zygomalam.

XXII. Hieremias.

Anno 1571. *Hieremias metropolita Lariſſæ* Neophyti ſucceſſor ad Conſtantinopolitanam ſedem promotus fuit. Turco-gr. lib. 2. pag. 177. & pag. 321. ejuſdem *Hieremiæ* metropolitæ Lariſſæ necnon Damaſceni epiſcopi Demonici & Elaſſonis epiſtola exſtat, data Franco cuidam, qui in ære alieno erat, ut ſtipem colligerent qua debita ſua ſolveret. Subſcribunt proinde Λαρίσσης Ἱερεμίας. *Hieremias Lariſſæ & Damaſcenus:* & illorum ſigilli figuram Cruſius ſubjecit, cui nomina ipſorum impreſſa ſunt.

XXIII. Demetrius.

Stephano Gerlachio in Orientis partibus agenti nomen ſuum in carta exaratum dedit *Demetrius Lariſſæ* anno 1576. ὁ Λαρίσσης Δημήτριος. Ibid. lib. 7. pag. 506. Hunc Hieremiæ proxime ſucceſſiſſe veriſimile eſt, atque adeo illummet eſſe Lariſſæ metropolitam qui ſynodo ejuſdem Patriarchæ de abolenda ſimonia interfuit. ὁ Λαρίσσης. Pag. 178.

XXIV. Gregorius.

In ſynodo Cyrilli Berrhœenſis Patriarchæ Conſtantinopolitani, propter Calviniana deceſſoris ipſius Cyrilli dogmata, anno 1638. celebrata, rurſumque in altera quæ poſt quatuor annos eorumdem errorum cauſa Giaſii in Moldavia à Parthenio Patriarcha habita eſt, ſedit & ſubſcripſit *Gregorius Lariſſæ*, ὁ Λαρίσσης Γρηγόριος; qui anno 1643. perinde ſubſcripſit literis ejuſdem Parthenii, quibus *orthodoxa confeſſio fidei catholicæ atque Apoſtolicæ eccleſiæ Orientalis* à Petro Mogila Kiovienſi metropolita edita commendatur. Anno 1641. adfuerat *Gregorius* hic noſter conventui alteri epiſcoporum, in quo actum de ſignificatione vocis μετουσιώσεως. Mortuo Theophane Hieroſolymorum Patriarcha, à Parthenio Conſtantinopolitano in Moldoblachiam delegatus eſt, qui ſucceſſori illius Païſio manus imponeret.

XXV. Paysius.

Athanaſio Patellario Conſtantinopolitana ſede ſecunda vice exacto, ſuffectus ei fuit *Païſius* Lariſſæ metropolita, Παΐσιος Λαρίσσης.

XXVI. Dionysius.

Lariſſæ metropolita fuit *Dionyſius Spanus,* qui ſubinde anno 1671. in Patriarcham aſſumptus fuit, ἔπειτα πατριάρχης ὁ Σπανὸς Διονύσιος ὁ Λαρίσσης, quem Lariſſæ ſedentem vidit Edwardus Brown Anglus circa annum 1670.

XXVII. Jacobus.

Anno 1672. Reſponſioni Dionyſii illius Patriarchæ ſuper Calviniſtarum erroribus variis ſubſcripſit *Jacobus Lariſſæ*, ὁ Λαρίσσης Ἰάκωβος, Dionyſii ipſius ea in ſede ſucceſſor.

XXVIII. Macarius.

In libro *de Officiis Eccleſiæ* quem illuſtriſſimus Hieroſolymorum Patriarcha Græce nuper edidit, exemplum pag. 45. exſtat Mandati ſynodici dati ad clericos & ſacerdotes eccleſiæ Phanarii & Neochorii,

Digitized by Google

ECCLESIA LARISSÆ.

quibus injungitur ut archiepiſcopo ipſorum Clementi morem gerant, ipſorumque eccleſiæ cura commendatur *Macario metropolitæ Lariſſæ & Exarcho ſecundæ Theſſaliæ, & totius Helladis.* τὸν ἱερώτατον μητροπολίτην Λαρίσσης ὑπέρτιμον καὶ ἔξαρχον δευτέρας Θεσσαλίας καὶ πάσης Ἑλλάδος κῦρ Μακάριον.

XXIX. Gabriel.

Anno 1721. ſedebat *Gabriël Lariſſæ metropolita*, ὁ Λαρίσσης Γαβριήλ.

II. ECCLESIA DEMETRIADIS.

DEMETRIAS Macedoniæ in Phthiotide civitas eſt in Pelaſgico ſinu, Ptolemæo, Φθιώτιδος ἐν τῷ Πελασγικῷ κόλπῳ, Πηγασαὶ, Δημητριάς. Pelaſgicum ſinum Theſſaliæ attribuit Plinius lib. 4. cap. 8. à quo diſcimus Pegaſam eamdem fuiſſe atque Demetriadem. *Lariſſa*, inquit, *Gomphi, Thebæ Theſſaliæ, nemus Pteleon, ſinus Pagaſicus, oppidum Pegaſa, idem poſtea Demetrias dictum.* Demetriadem habet quoque in Theſſalia Hierocles; Leo quoque ſapiens, aliique deinceps Notitiarum concinnatores. Eam eſſe dixero quam Byzantini ſcriptores, ipſeque Nicetas Choniates *Dimitriam* appellant.

EPISCOPI DEMETRIADIS.

I. Maximius.

AD ſynodum Epheſinam convenit *Maximius epiſcopus Demetriadis Theſſaliæ*, ſeque illis ſtatim junxit, qui Neſtorii cauſam tutabantur, quorum literis libelliſque omnibus ſubſcripſit, ut fertur in collectione monumentorum ex ſynodico Irenæi, de quo itidem cap. 190. hoc legitur. *Maximius Demetriadis Theſſaliæ, qui mox ſeipſum, poſt factam in Neſtorio iniquitatem, ab eccleſia ſeparavit.* Quocirca à ſancta ſynodo communione & ſacerdotio privatus eſt.

II. Constantinus.

Epheſinæ ſynodo alteri, Prædatoriæ ſcilicet illi, adfuit *Conſtantinus Demetriadis Theſſaliæ*, Κωνσταντίνου Δημητριάδος τῆς Θεσσαλίας, qui ut reliqui fere omnes, iniquis ejus decretis ſuffragatus eſt, quod tamen nefas emendavit poſt biennium in concilio Chalcedonenſi, in qua vices geſſit *Vigilantii epiſcopi Lariſſæ Theſſaliæ*, act. 1. & 2. Κωνσταντίνου Δημητριάδος ἐπέχοντος τὸν τόπον Βιγιλαντίου Λαρίσσης τῆς Θεσσαλίας. Act. vero 6. ambo ſeorſim leguntur ſubſcripſiſſe.

III. Abundantius.

IV. Probianus.

In concilio Romano quod Bonifacio Papa II. habitum eſt in cauſa Stephani Lariſſæ metropolitæ, hic ſe à *Probiano Demetriadis epiſcopo* apud Epiphanium Conſtantinopolitanum delatum queſtus eſt. *Abundantius* quoque qui ante *Probianum* Demetriadis epiſcopus perinde deſignatus fuerat, adverſus ipſum perinde expoſtulavit tamquam ſuæ ſedis invaſorem, qui eam ſedem occupaſſet, quo tempore ipſe Romam cum Pro-

A culi ſeu Procli Lariſſeni literis perrexerat. Quid de his judicatum ſit, non ſatis conſtat, concilii hujus geſtis poſtrema parte mutilis.

V. Xenophon.

Inter epiſcopos qui ſynodo adfuerunt, in qua de Photii in Byzantinam ſedem reſtitutione actum eſt, *Xenophon Demetriadis* legitur, Ξενοφῶν Δημητριάδος, Ξενοφῶντος Δημητριάδος.

VI. Joannes.

In concilio Lucæ Chryſobergis Patriar-

B chæ, quod Soterichi Panteugeni errorum cauſa anno 1156. celebratum eſt, ſedebat *Joannes Demetriadis*. Allat. vind. ſyn. Epheſ.

VII. * * *.

Innocentius Papa III. epiſt. 189. lib. 15. Regeſti ſui ſcribebat *Neopatrenſi archiepiſcopo, Davalienſi & Electo Nazoreſienſi*, de Demetriacenſi, ut cum inducerent ad morem gerendum archiepiſcopo Latini ritus Lariſſeno, quod laïca potentia fretus recuſabat, Mariæ utique Imperatricis, quæ Latini licet generis eſſet, Græcis tamen im-

C penſiùs præ Latinis favebat. Ex quo apparet epiſcopum hunc Græci ritus, potiùs quam Romani fuiſſe.

VIII. Dominicus.

Manuële Patriarcha, qui Nicææ (occupata à Latinis Conſtantinopoli) ſedebat ab anno 1216. ad 1222. *Dominicus epiſcopus Demetrii provinciæ Theſſaliæ*, Decretum obtinuit pro jure patronatûs monaſteriorum, ne epiſcopi in epiſcopale monaſterium jus periret, quamlibet illud monaſterii Patriarchalis μετόχιον, diverſoriumve eſſet à Patriarchali monaſterio

Digitized by Google

monaſterio quovis modo pendens. περὶ τοῦ ὑπὸ τὴν ἐπαρχίαν τῆς μητροπόλεως Λαρίσσης θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου Δομινίκου Δημητζίου. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 242.

IX. THEOPHILUS.

Sententiæ qua Joaſaphus Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 1564. ad ordinem redactus fuit, ſuffragatus eſt Theophilus *Demetriadis epiſcopus, ſuffragium quoque ferens epiſcopi Litzæ & Agraphorum*, ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος Δημητριάδος Θεόφιλος, ἔχων καὶ τὴν γνώμην τοῦ Λίτζα καὶ Αγράφων. Lib. 2. hiſt. Turco-gr. pag. 174.

ECCLESIA DEMETRIADIS.

X. NECTARIUS.

Anno 1721. ſedebat *Nectarius Demetriadis, Nectario di Dimitriato.*

III. ECCLESIA ZETUNII.

ZETUNIUM, Ζητουνίον, Ζητώνιον, in Notitia Leonis Imp. Theſſaliæ civitas eſt epiſcopalis ſub Lariſſeno metropolita, ut & in recentioribus, cujus in antiquioribus notitiis nulla mentio, uti nec apud autores qui res geographicas ſcripſerunt, niſi ipſa ſit quæ Αἰτίνιον, *Aetinium* apud Ptolemæum in Eſtiæotarum regione. At certe diverſa prorſus eſt à Sithone Macedoniæ Mygdoniæ regioni vicina.

EPISCOPI ZETUNII.

I. GEORGIUS.

IN octava ſynodo generali ſedit & ſubſcripſit *Georgius miſericordia Dei epiſcopus Zetunii.*

II. GREGORIUS.

In ſynodo vero Photiana, ſub Joanne Papa VIII. ſediſſe fertur *Gregorius Zetunii*, Γρηγορίου Ζητουνίου, Γρηγόριος Ζητουνίου. Qui tamen videtur idem atque Georgius de quo modo, quando ſæpe Librarii *Gregorium* pro *Georgio* ſcribunt, & vice verſa.

III. JACOBUS.

Sententiæ ſynodicæ qua Joaſaphus Patriarcha exauctoratus fuit, ſubſcripſit *Jacobus epiſcopus Zetunii.* ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος Ζητουνίου Ἰάκωβος.

IV. ANTHIMUS.

Anno 1721. ſedebat *Anthimus, Anthimo di Zituni.*

IV. ECCLESIA CÆSAREÆ.

CÆSAREAM in Theſſalia habet Hierocles, in cujus notitia legendum omnino eſt Καισάρεια pro Καιπάρεια; quam à Juſtiniano Imp. refectam Procopius tradit lib. 4. de ædif. cap. 3. Ejus nomen in notitiis aliis vacat, quum tamen priſca ſynodorum acta urbis hujus epiſcopos aſſignent.

EPISCOPI CÆSAREÆ.

I. THEOTISTUS.

AD Epheſinam ſynodum *Theotiſtus Cæſareæ Theſſaliæ epiſcopus* quum veniſſet, Neſtorii vindicum factioni ſe dedit, & conteſtationi epiſcoporum qui Orientalium adventum præſtolandum cenſebant, ut ſynodus inchoaretur, aliiſque eorum libellis ſubſcripſit. Collect. ex ſynod. Iren. capp. 7. 28.

II. TIMOTHEUS.

Stephanus Lariſſæ metropolita in libello ſupplici quem Bonifacio Papæ II. & ſynodo Romanæ per Theodoſium Echinienſem offerendum miſerat, mentionem facit *Timothei epiſcopi ſanctæ Dicæſarienſis Eccleſiæ* (legendum prorſus *ſanctæ Dei Cæſarienſis Eccleſiæ*) cujus etiam nomine, ut & Elpidii Thebarum aliorumque de Theſſalia ſupplicabatur uti Stephanus ſedi ſuæ reſtitueretur, à qua per Epiphanium Conſtantinopolitanum præter jus ejectus erat.

V. ECCLESIA GOMPHORUM.

GOMPHI, Γόμφοι, Theſſaliæ civitas eſt Hierocli, quam Procopio teſte lib. 4. de ædif. cap. 3. Juſtinianus Imp. inexpugnabilem reddidit. Cæſari lib. 3. de Bello civili cap. 80. *Gomphus oppidum primum Theſſaliæ eſt venientibus ab Epiro;* illudque adeo in Eſtiæotide

Digitized by Google

ECCLESIA GOMPHORUM.

poſitum, ut bene Ptolemæus ſtatuit. Plinius vero perinde habet lib. 4. cap. 8. *Theſſaliæ oppida, Pheræ, quarum à tergo Pierus* (mons) *ad Macedoniam uſque protenditur, Lariſſa, Gomphi, &c.* Et rurſum: *Ante cunctos* (Theſſaliæ fluvios) *claritate Peneus ortus juxta Gomphos.*

EPISCOPI GOMPHORUM.

I. EUSTATHIUS.

STEPHANUS Lariſſenus in libello ſupplici ad ſynodum Romanum ſub Bonifacio Papa II. declarat non ſe ſolum, ſed & *Euſtathium Gomphienſis civitatis epiſcopum*, Elpi-
A dium Thebanum & Stephanum Laminenſem, ſeu Lamienſem ab Andrea Conſtantinopolitano Diacono & Notario, juſſos Epiphanii Conſtantinopoli judicio ſe ſiſtere, ceu qui contra fas Stephanum Lariſſenum conſecraſſent. *Act. 1. illius ſynod.*

VI. ECCLESIA ECHINI.

ECHINUS Phthiotidis regionis civitas Ptolemæo eſt, quin & Macedoniæ quoque. De hac poſt Melam Plinius, *Hos eoſdem* (Hellenas) *Homerus tribus nominibus appellavit, Myrmidonas, Hellenas, Achæos. Ex his Phthiotæ nominantur, Dorida accolentes. Horum oppida Echinus in faucibus Sperchii fluminis. Echinus* ipſa eſt quæ in notitia Hieroclis Librariorum incuria Αἰχίνω ſcripta eſt. In notitiis aliis inter urbes Lariſſæ metropoli obnoxias cenſetur, ὁ Ἐχίνου. Quam & Juſtinianus Imp. optime communivit. Hodie *Scarphiam* vocari ferunt, à flumine utique *Sperchio* ad cujus oſtia exſtat, non nihil inverſis literis. Ptolemæus *Spercliam* habet.

EPISCOPI ECHINI.

I. THEODORUS.

CONcilio generali Epheſino interfuit *Theodorus epiſcopus Echinæi provinciæ Theſſaliæ.* Sic tranſlatio Latina. Græcus contextus, Θεόδωρος ἐπίσκοπος Ἐχιναίου.

II. PETRUS.

Synodo Chalcedonenſi ſubſcripſit *Petrus* civitatis Echinæorum per manum Sophronii coëpiſcopi ſui, Πέτρος ἐπίσκοπος πόλεως Ἐχιναίων, διὰ χειρὸς Σωφρονίου συνεπισκόπου μου. Qui qui-
B dem *Petrus* in indice latino Patrum ejuſdem concilii inter novæ Epiri præſules cenſetur, *Petrus Ethinienſis, Ecimienſis*, pro *Echinienſis*. In nova collectione Conciliorum Clar. Baluzii col. 1232. *Et novæ Epiri, hoc eſt, Petrus epiſcopus Echinei, & Euſebius Apolloniæ.*

III. ARISTOTELES.

Decreto ſynodico Gennadii Conſtantinopolitani I. contra Simoniacos, anno 459. ſubſcripſit Ἀριστοτέλης ἐπίσκοπος Ἐχιναίων, *Ariſtoteles epiſcopus Echinæorum.*

VII. ECCLESIA PHARSALI.

PHARSALUS celebris Theſſaliæ civitas eſt, à victo per Julium Cæſarem Cneio Pompeio nominatiſſima. Plinius lib. 4. cap. 8. in Theſſalia: *Tricca, campi Pharſalici cum civitate libera*, Pharſalo ſcilicet. *Pharſalum* ad Enipeum fluvium collocat Strabo, duplicem vero dicit, veterem ſeu Palæopharſalum, Palæpharſalum, & novam. Theſſaliæ cenſetur in notitia Hieroclis. In notitia Leonis Imp. *trigeſimus octavus archiepiſcopatus eſt Pharſala*, λη'. τὰ Φάρσαλα. In ea quæ Philippi Cyprii nomen præfert, *Exarchiæ* titulo ornatur, ſeu cujus Præſulis eſſet eccleſias Patriarchæ nomine luſtrare.

EPISCOPI PHARSALI.

I. PERREBIUS.

IN actis Epheſinæ ſynodi Græcis & Latinis, ei adfuiſſe lego *Perrebium Pharmali*, Περρέβιον Φαρμάλου. Lego Φαρσάλου Pharſali. At in ſubſcriptionibus non Pharſali, ſed *Theſſalicorum ſaltuum* epiſcopus fertur: Περρέβιος ἐπίσκοπος τῶν Θεσσαλίων (Θεσσαλικῶν) Σαλτῶν. Quibus verbis Theſſalicos campos cum civi-
C tate libera Pharſalo ſignificari reor, ex Plinio.

II. STEPHANUS.

In ſynodo Photiana ſub Joanne Papa VIII. ſedebat *Stephanus* Pharſalorum. Στεφάνου Φαρσάλων, Στέφανος Φαρσάλων.

III. MICHAEL.

Nuper anno 1721. ſedebat *Michaël archiepiſcopus Pharſalorum.* ὁ Φαρσάλων Μιχαήλ.

Digitized by Google

VIII.

ECCLESIA LAMIÆ.

LAMIA Λαμία vel Λάμια, femineo ſingulari nomine, vel neutro plurali, Phthiotidis celebre oppidum, Straboni, Ptolemæo & Plinio, qui lib. 4. cap. 7. ſcribit: *Ex his Phthiotæ, oppida celebria, Hellas, Halos, Lamia.* Hierocli Theſſaliæ cenſetur, quam & *Laminanam* quoque dictam reperio, niſi Librariorum ſit lapſus. In aliis notitiis abeſt.

EPISCOPI LAMIÆ.

I. SECUNDIANUS.

IN Epheſina ſynodo ſedit, ſubſcripſitque *Secundianus ſanctæ Dei Eccleſiæ Lamienſis.* Σεκουνδιανὸς ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Λαμίαν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας. Vetus tranſlatio latina addit, *provinciæ Theſſaliæ.*

II. STEPHANUS.

In ſynodo Romana ſub Bonifacio Papa II.

A libellus ſupplex lectus eſt act. 2. pro cauſa Stephani Lariſſeni ſubſcriptus à *Stephano Laminanenſi*, quem Patricius presbyter Conſtantinopolim antea detulerat. *Patricius exiguus presbyter ſanctæ Dei Laminanenſis eccleſiæ ad Regiam urbem veniens, pro perſona Stephani ſancti epiſcopi mei, ipſo jubente ſubſcripſi.*

IX.

ECCLESIA SCOPELI.

PTOLEMÆUS inter inſulas quæ Macedoniæ adjacent, *Scopelon* habet Σκόπελος, quæ hodieque *Scopulo* vocitatur. Atqui urbs Σκόπελος *Scopelos* Theſſaliæ attribuitur in notitia Hieroclis, eſtque epiſcopalis quoque civitas Theſſaliæ in notitia Leonis Imp. At certe diverſa eſt à *Scopulo*, quam Cantacuzenus lib. 1. cap. 58. Thraciæ eſſe ait. Hodie unus *Scopeli* & Sciathi epiſcopatus eſt.

EPISCOPI SCOPELI.

I. RHEGINUS *Martyr.*

IN Menologio Græcorum ad diem 27. Febr. memoria notatur *S. Rhegini epiſcopi Scopeli* τοῦ Σκοπέλου, qui ex Hellade urbe, vel provincia, oriundus erat. Hunc ad ſynodum Sardicenſem veniſſe aiunt; tum mota, ſub Juliano utique Apoſtata, perſequutione, multis tormentis cruciatum, capite demum plexum eſſe.

B

II. BARDANES.

In ſynodo quæ ob Photii reſtitutionem, S. Ignatio Conſtantinopolitano defuncto, habita eſt, ſediſſe legitur & ſubſcripſiſſe *Bardanes* vel *Bardanius Scopelorum*, Βαρδάνιος Σκοπέλων, Βαρδάνης Σκοπέλων.

III. JOSEPH

Anno 1721. ſedebat *Joſeph Sciathi & Scopeli. Gioſeffe di Schiatto & Scopelo.*

X.

ECCLESIA TRICCÆ.

TRICCA vel *Trica*, Τρίκκη, Τρίκα in Eſtiæotide ſita eſt Ptolemæo, hujus meminit quoque Plinius. Annon ipſa eſt quæ Tricattus dicitur Procopio Τρικάττος, quamque à Juſtiniano optime munitam narrat. In notitia Hieroclis pro Τέρκῃ legendum Τρίκκῃ. In ea verò quæ Leonis ſapientis Imp. nomen præfert, ſextus ſub Lariſſa epiſcopatus eſt Tricenſis, ὁ Τρίκκης. Philippus Cyprius edidit ὁ Τρικαίης, pro Τρίκκης vel Τρικάλης, quod ejus recentius nomen eſt, eamque unitam eſſe metropoli ſubdit, ἑνωθῆν τῇ μητροπόλει, quocirca *Tricca* pauco intervallo Lariſſa abeſſe videtur. Quidquid id eſt, in laterculo urbium & locorum quorum nomina mutata ſunt, quæ *Tricca* pridem, nunc, ut mox monebam, Tricala dici fertur.

EPISCOPI TRICCÆ.

I. HELIODORUS.

NEmini non notum quod de *Heliodoro Triccæ epiſcopo* apud Socratem Hiſtoriæ Ecclesiaſticæ ſcriptorem lib. 5. cap. 22. legitur; nimirum *Heliodorum Triccæ* epiſcopum auctorem in Theſſalia fuiſſe ut epiſcopi ex uxoribus quas duxiſſent liberos procrearent; qui

ECCLESIA TRICCÆ.

nempe junior quum eſſet, libros amatorios A ediderat, *Æthiopicorum* vocabulo inſcriptos. ἀλλὰ τὸ μὲν ἐν Θετταλίᾳ ἔθους ἀρχηγὸς Ἡλιόδωρος Τρίκης τῆς ἐκεῖ γενόμενος, οὗ λέγεται πονήματα ἐρωτικὰ βίβλια ἃ νέος ὢν ἔταξε, καὶ Αἰθιοπικὰ προσηγόρευσε. Rem Nicephorus Calliſtus clarius explicat lib. 12. hiſt. cap. 34. *Sed enim conſuetudo quæ in Theſſalia ſervatur, ab Heliodoro Tricenſi epiſc. ortum habuit*, προκατῆρξεν Ἡλιόδωρος ἐκεῖνος, Τρίκης ἐπίσκοπος, *cujus amatorii libri hoc quoque tempore circumferuntur quos B juvenis compoſuit, & Æthiopica inſcripſit, nunc vero Charicleam appellant, quorum cauſa ademptus illi epiſcopatus fuit*, δι' ἃ καὶ τὴν ἐπισκοπὴν ἀφῃρέθη. *Nam quum eorum lectione juvenes multi in periculum adducerentur, provincia pronuntiavit, ut vel libros quibus amores accenderentur, igne abolendos traderet, vel ſacris functionibus abſtineret, qui eos condiderat.* Ex qua utriuſque ſcriptoris narratione, quantum capio, hoc innuitur, *Heliodorum* So- C cratis ævo, hoc eſt ſæculo quinto antiquiorem fuiſſe, ut priſcæ conſuetudinis auctor ab eo dictus ſit. Quidni perinde illemet *Heliodorus* ſit, cujus meminit Philoſtratus in libro περὶ σοφιστῶν!

II. Œcumenius.

Diſertiſſimum epiſtolarum Apoſtoli Pauli necnon Apocalypſis Joannis expoſitorem *Oecumenium*, epiſcopum fuiſſe Triccæ com- D pertum demum nobis eſt ex codice Coiſliniano 224. fol. 330. v.° ubi titulus hic viſitur: ἐκ τῶν Οἰκουμενίου τοῦ μακαρίου ἐπισκόπου Τρίκκης τῆς Θετταλίας θεοφιλῶς πεπονημένων εἰς τὴν Ἀποκάλυψιν Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου, σύνοψις σχολικὴ μετὰ τῆς δεούσης ὅσον κατὰ σύνοψιν ἀνελλιπῶς αὐταρκείας. *Ex his quæ beatus Oecumenius Tricca in Theſſalia epiſcopus in Apocalypſim Joannis Theologi amore divino urgente edidit, ſynopſis per Scholia ſufficientiſſime res enuntians, quantum per ſynopſim licet.* Quando vero *Oecumenius* ille libros qui Dionyſii Areopagitæ nomine inſcripti circumferuntur, appellat, hinc apparet, cum ſæculo ſexto adulto recentiorem eſſe. Atqui Coiſlinianus ille codex Baſilii & Conſtantini Impp. ætate exaratus eſt, decimo ſæculo vertente, vel undecimo ineunte. At certè *Oecumenius* nono anterior habendus omnino eſt. Videſis doctiſſ. Monteſalconium Bibl. Coiſlin. pag. 274.

III. * * *.

Rebellantibus adverſus Michaëlem Palæologum Imp. Græcis, quod Nicolaus Papa III. illi injunxerat vocem *Filioque* Symbolo communi intexere, palamque Romanum Pontificem anathemati devoventibus, quidam epiſcopus *Tricalenſis* vocatus, quia deſtitit ſeu defecit ab eis & ſurrexit contra eos, dicens, quod male facitis & non convenit, Trapezuntius Princeps Alexius Comnenus ipſum tenuit & poſuit in carcerem per menſes decem & octo; unde poſtea vir ille evadens, navigio conſcenſo, de Gulpho ſeu Sinu ſe contulit in Moream ad quoddam caſtrum Imperatoris, unde eum portaverunt homines Imperatoris, & duxerunt Conſtantinopolim. Hæc Ogerius latinæ linguæ interpres Michaëlis Palæologi, epiſtola Mancho & Marcheto ſcripta, apud Raynaldum ad annum 1278. n. 14.

ECCLESIA HYPATORUM.

XI. HYPATA Ὕπατα, Theſſalorum urbs eſt Ptolemæo, quam Heliodorus Tricenſis lib. 2. Aethiopicorum verſus finem Αἰνιανὴν μητρόπολιν, Aenianam metropolim dicit ad Maliacum ſinum poſitam. In Notitia quidem Hieroclis legitur Ὕπατα μητρόπολις, *Hypata metropolis*, inter Theſſaliæ civitates: at Ptolemæus *Hypata* & Metropolim duas fuiſſe civitates oſtendit, Metropolim Eſtiæotis aſſignando, ac Hypata Theſſalis. Ambas certe illas à Juſtiniano Imp. refectas diſerte tradit Procopius lib. 4. de ædificiis capp. 2. & 3.

EPISCOPI HYPATORUM.

I. Pausianus.

E Theſſalia quidem epiſcopi nonnulli qui ad Epheſinam ſynodum convenerant, una cum metropolita ſuo à Neſtorii partibus ſteterant, adeoque *Pauſianus Hypatorum*, qui ſtatim conteſtationi illorum quibus viſum E eſt refragari Cyrillo Alexandrino ne concilii celebrationem auſpicaretur, non expectato Joanne Antiocheno cum Orientalibus ſuis, ſubſcripſit; quin & *tandem Pauſianus idem Hypatæ ultrò ceſſit eccleſiæ*, Neſtorium condemnare nolens. Collect. ex ſynodico Irenæi Tyrii cap. 7. & 190.

XII. ECCLESIA METROPOLIS.

METROPOLIS civitas nominata ſeptima Ptolemæo cenſetur Eſtiæotarum, Livio autem notiſſima lib. 32. cap. 13. & lib. 36. cap. 10. qui & oppidanos ejus *Metropolitas* dixit. Theſſaliæ quoque aſſignatur ab Hierocle, apud quem, ut mox obſervabam, ab Hypatis omnino diſtinguenda eſt. Hanc Procopius à Juſtiniano quoque refectam tradit.

EPISCOPI METROPOLIS.

I. MARCUS.

IN Indice Patrum Nicænæ ſynodi primæ inter epiſcopos Daciæ, ſive Illyrici, legitur *Marcus Metropolitanus;* nec dubium quin epiſcopus Metropolis Theſſaliæ fuerit.

XIII. ECCLESIA THEBARUM PHTHIOTICARUM.

THEBÆ Phthioticæ, ſive Phthiotidis regionis à Ptolemæo collocantur in Pelaſgico ſinu prope Sperchii fluminis oſtia. Strabo ſub Crocio Campo ad ſinum quoque Pelaſgicum poſitas ait, quin etiam Plinius lib. 4. cap. 8. qui Thebas Theſſalicas dicit. Procopius à Juſtiniano Imp. optime munitas dicit. Nulla tamen earum mentio fit in Notitiis Eccleſiaſticis.

EPISCOPI THEBARUM PHTHIOTICARUM.

I. CLEONIUS.

INter Nicænæ ſynodi Præſules de provincia Macedoniæ in indice latino legitur, *Cleonius Thebanus*, vel *Claudius*, ut in codice Pithœano.

II. MOSCHUS

Sardicenſis ſynodi epiſtolæ ad Eccleſias ſubſcripſit *Moſchus de Theſſalonica* (ſeu potius *de Theſſalia*) *de Thebis.*

III. DION.

Concilio Epheſino primo interfuit & ſubſcripſit *Dion epiſcopus Thebarum Theſſaliæ.* Δίων ἐπίσκοπος Θηβῶν τῆς Θεσσαλίας.

IV. ELPIDIUS,

In ſynodo Romana quæ Bonifacio Papa II. præſide Stephani Lariſſenſis cauſa celebrata eſt, libello ſupplici *Elpidius epiſcopus ſanctæ Thebanæ Eccleſiæ* cum duobus aliis interceſſit adverſus Epiphanium Conſtantinopolitanum pro Stephano, quem ille nullo jure ſuæ ſedi ſe ſiſtere juſſerat, quin & ſacerdotio exigere auſus erat.

V. HADRIANUS.

Tempore S. Gregorii Papæ I. ſedebat *Hadrianus Thebanæ civitatis Theſſaliæ epiſcopus*, qui apud Mauritium Imp. de pecuniariis, criminalibuſque flagitiis delatus quum A eſſet, quod pecuniaria ſpectaret, cauſam Imperator Joanni Juſtinianæ primæ metropolitæ judicandam commiſit, criminalia vero Joanni Lariſſeno. Joannis utriuſque ſententia ſacerdotio *Hadrianus* amotus eſt, etſi amborum judicia *Hadrianus* appellatione præverterat. Quocirca Romam ad Gregorium Papam venit, à quo latæ in illum ſententiæ reſciſſæ ſunt, ſuoque honori reſtitutus fuit: Præcepit præterea Pon- B tifex Joanni Lariſſeno, ut ab omni erga illum *juriſdictionis poteſtate abſtineret, & ſecundum ſcripta deceſſoris ſui* (Pelagii utique) *ſi qua cauſa adverſus Hadrianum, vel fidei, vel criminis, vel pecuniariæ potuerit evenire, vel per eos qui noſtri ſunt*, inquit, *vel fuerint in urbe Regia Reſponſales, ſi mediocris eſt quæſtio, cognoſcatur, vel huc ad Apoſtolicam ſedem, ſi res eſt ardua, deducatur, quatenus noſtræ audientiæ ſententia decidatur.* Hæc Gregorius Papa epiſt. 6. & 7. Indict. XI. Ex quibus apparet *Hadrianum* Thebanam C ſedem jam capeſſiviſſe Pelagio II. Romano Papa. Cæterum Mauritius accepta *Hadriani* appellatione, Corinthi epiſcopum deſignavit qui cauſam denuò cognoſceret. Poſt vero reconciliato Corinthii præſulis opera cum Joanne Lariſſeno *Hadriano Thebano*, Gregorius veritus ne id alicujus pretii ſolutione actum eſſet, Diaconum illuc delegavit qui rem ſedulo inquireret. Epiſt. 39. Indict. XI.

Digitized by Google

XIV. # ECCLESIA SCIATHI.

SCIATHUS, Σκίαθος νῆσος καὶ πόλις, inſula & civitas eſt Macedoniæ Ptolemæo, Theſſaliæ vero Hierocli quindecim mill. ab Atho monte diſtans, Plinio. *Contra Magneſios,* ait Strabo, *frequentes incumbunt inſulæ: nobiliores ſunt, Sciathus, Peparethus, Icus, Aloneſus & Scyrus, cum eorundem nominum urbibus.* In Notitiis Eccleſiaſticis *Sciathus* epiſcopatus eſt, ac etiamnum hodie ſub Lariſſa, qui in unum cum Scopeli epiſcopatu coaluit.

EPISCOPI SCIATHI.

I. DEMETRIUS.

POſt Sæculi ſexti initium ſedebat *Demetrius Sciathenſis epiſcopus*, qui ut ferunt acta ſynodi Romanæ ſub Bonifacio Papa II. ab Antonio preſbytero Lariſſeno & Probiano Demetriadis præſule inductus eſt ut præter jus omne apud Epiphanium Conſtantinopolitanum intercederet adverſus ordinationem Stephani Lariſſæ metropolitæ ſui. Quod quidem Stephanus ipſe Bonifacio (dato illi A ſupplice libello) ſignificavit. *Pariter Demetrium Dei amatorem Sciatenſis civitatis epiſcopum, & alios ſuæ portionis ſuadentes eſſe participes, nec ſubſcriptiones quæ in decreto* (electionis Stephani) *continentur erubeſcentes: nec Probianus, &c.*

II. JOSEPH.

Anno 1721. ſedebat *Joſeph Sciathi & Scopeli epiſcopus, Gioſeffe di Schiatto & Scopelo.*

XV. # ECCLESIA NOVARUM PATRARUM.

NOVÆ *Patræ*, ſeu *Patræ Theſſalicæ* a S. Paulino Nolano, in Natali S. Felicis, apud Thermopylas collocantur, à Laonico Chalcondyla, in planitie ad radices montium Locrenſium. Sequioris ævi ſcriptoribus notiſſima eſt, & quinquageſima metropolis cenſetur in Leonis Imp. notitia, cui epiſcopatus quatuor ſubjiciuntur, *Galazorum* ſcilicet, *Cutziagri vel Cutziagrorum, Sibicti, & Barianes.* τῆς Νέων Πατρῶν Ἑλλάδος, ὁ Γαλάζων, ὁ Κουτζιάγρων, vel Κυτζάγρα, ὁ Σιβίκτου, ὁ Βαριανῆς.

EPISCOPI NOVARUM PATRARUM.

I. HERODION.

MENÆA Græcorum die Martii 28. necnon, ut alia exemplaria ferunt, 8. Aprilis memoriam habent *certaminis ſancti Apoſtoli Herodionis unius ex ſeptuaginta diſcipulis, qui ſanctos Apoſtolos imitatus, cum illis in Chriſti fide prædicanda cooperabatur. Poſtea ab iiſdem Apoſtolis ordinatus eſt urbis Novarum Patrarum epiſcopus, ubi, multis è Paganis ad Chriſti fidem converſis, Judæorum & Gentilium impetu facto, immanibus tormentis afflictus, animam beatam Chriſto reddidit.* Ipſe eſt Pauli conſanguineus, quem epiſtolæ ſuæ ad Romanos 16. v. 11. ſuo nomine ſalutare jubet. Hunc Hippolytus Spurius ſcriptor Tarſi epiſcopum fuiſſe finxit.

II. LEO.

In Photiana ſynodo Joanne Papa VIII. inter epiſcopos ſediſſe legitur ac ſubſcripſiſſe D *Leo novarum Patrarum.* Λέοντος Νέων Πατρῶν, Λέων τῶν Νέων Πατρῶν.

III. SYMEONES.

Circa tempora Leonis Sapientis Imp. *Si-* B *meones Novarum Patrarum epiſcopus* ad Laodiceæ in Phrygia metropolitanam ſedem tranſlatus fuit: καὶ ὁ Συμεώνης ὁ Νέων Πατρῶν τὴν μετάθεσιν ἔσχεν εἰς Λαοδίκειαν. Niceph. Call. lib. 14. hiſt. cap. 39.

IV. NICOLAUS.

Decreto ſynodico Siſinnii II. Patriarchæ Conſtantinopolitani, quo vetitum eſt ne duo fratres conſobrinas duas ducerent, ſubſcripſit C *Nicolaus Novarum Patrarum metropolita,* Νικόλαος Νέων Πατρῶν.

V. EUTHYMIUS.

In ſynodo quæ anno 1166. Luca Chryſoberge patriarcha, & Manuële Comneno Imp. Alemannorum qui Conſtantinopoli agebant de Chriſti Deitate & SS. Trinitate fidem ſanam puramque eſſe declaravit, ſedebat *Euthymius Novarum Patrarum metropolita.* Sic Leo Allatius de conſenſ. lib. 2. cap. 12. Sed & Joannes Cinnamus lib. 6. hiſt. n. 2. auctor eſt *Euthymium Novarum Patrarum* reliquos epiſcopos qui Alamannis ex adverſo ſtabant (præter Lucam Patriarcham &

Digitized by Google

Diaconos ſex qui de illa quæſtione ſilentium tenendum tenebant) Manuëlemque Imp. ad veram ſententiam eo felici exitu revocaſſe, ut à ſynodo definitum ſit recte dici à fidelibus poſſe, Filium Patre minorem aſſumtæ humanitatis gratia. Leo Allatius opuſculo *de Hebdomadibus* libri cujuſdam *Euthymii Novarum Patrarum epiſcopi* fragmentum affert, cur media Quadrageſima S. Crucis apud ſuos Græcos adoratio ſolennis fiat.

V I. * * *

Alexius Comnenus in Helladem profectus, quo tempore Græci Schiſmatici in Michaëlem Palæologum ob unionem cum Romana eccleſia Lugduni ſancitam ſurrexerant, epiſcopum Patrenſem tenuit, ipſum cogens ut ſimul cum ipſo adverſus unionem ſentiret, & quia non obedivit, obtendens ſe habere primum Prælatum Theſſalonicenſem à quo eſſet ordinatus, & quîcum in concilio Conſtantinopolitano ſubſcripſerat, ſe A manſurum in communione & obedientia S. Romanæ eccleſiæ, omnibus eum ſpoliavit veſtibus, ſolo ei relicto indufio, ita ut ſic diſcoopertus nocte dieque ſub dio menſe Decembri ſteterit. Quod Pontifici Romano Nicolao III. notum fieri Ogerium Michaëlis Imp. latinæ linguæ interpretem rogavit. Hæc Ogerius epiſtola data Mancho & Marcheto, &c. Apud Rainald. ad ann. 1278. n. 14.

B

VII. Abraamius.

Ex Leone Allatio lib. 3. de conſenſ. cap. 11. n. 7. diſcimus *Abraamium Achridarum metropolitam* qui Sæculo decimo ſeptimo adulto floruit, Novarum Patrarum antehac metropolitam fuiſſe.

VIII. Nicephorus.

His nuperis annis ſedebat *Nicephorus Novarum Patrarum metropolita*, ὁ Νέων Πατρῶν Νικηφόρος.

XVI. ECCLESIA EZERI.

EZERUS in Notitia Leonis Imp. quarta civitas eſt epiſcopalis ſub Lariſſa metropoli, necnon in ea quam Philippus Cyprius condidit, ὁ Εζήρου, *Ezeri epiſcopus*. Alibi non occurrit, niſi in aliquot ſynodorum geſtis.

EPISCOPI EZERI.

I. Damianus.

IN ſynodo quæ poſt S. Ignatii epiſcopi obitum, reſtitutionis Photii cauſa habita eſt, ſediſſe, ſubſcripſiſſeque legitur *Damianus Ezeri*, Δαμιανὸς Εζήρου, Δαμιανὸς Εζήρου.

II. Joannes.

Sæculo decimo tertio Manuële Charitopulo Nicææ Patriarchatum Conſtantinopolitanum gerente, *Joannes ſanctiſſimi epiſcopatus Ezeri præſul*, jam ſenex, ὁ τῆς ὑπὸ τὴν C τῆς Λαρίσσης μητρόπολιν ἁγιωτάτης ἐπισκοπῆς Εζήρου ἀρχιερατικῶς προϊστάμενος Ιωάννης ad Imperatoris aulam multo labore perrexit, ubi à Patriarcha ſciſcitatus eſt, liceret ne metropolitæ cum ſuæ provinciæ epiſcopis juſtam ob cauſam epiſcopum ad aliam ditionis ſuæ ſedem transferre, quando ejuſmodi tranſlationes epiſcoporum non niſi ad potiores & ſublimiores ſedes fierent. Reſponſum eſt licere. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 240.

XVII. ECCLESIA DEMONICI & ELASSONIS.

ELASSONEM Magneſiæ in Theſſalia civitatem, Euſtathius Homeri enarrator, eamdem eſſe teſtatur quæ Poëtæ & Straboni lib. 9. Ολοοσσὼν, *Olooſſon*, quam & *Leucam* i. e. *Albam* vocitatam quoque fuiſſe ait, ob argillæ ſoli in quo ſita eſt albedinem, ἡ δὲ Λευκὴ προσαγορευθεῖσα. In indice vero urbium & locorum, quorum mutata nomina ſunt, fertur Ελισσὸν, ὁ νῦν Ελασσών. *Eliſſum quod nunc Elaſſon.* In epiſcopatum porro unum *Elaſſon* coaluit cum *Demonico* vel *Demenico*, quæ Martino Cruſio inter civitates Lariſſæ metropoli ſubjectas cenſetur lib. 4. Turco-Græc. pag. 323. *Demetriadis*, *Pharſalli*, *Demonici*, *Zetunii*, &c.

ECCLESIA DEMONICI & ELASSONIS.

EPISCOPI DEMONICI & ELASSONIS.

I. Simeon.

IN ſynodo Photiana ſub Joanne Papa VIII. ſediſſe legitur & ſubſcripſiſſe *Simeon Leucæ*, Σιμεὼν Λευκῆς.

II. Gregorius.

In ſententia qua Joaſaphus Patriarcha ad ordinem redactus fuit, *Gregorius Elaſſonis epiſcopus*, ut & alii injuſtè ab eo deſtitutus fertur, ὁ τῦ Ἐλασσῶνος Γρηγορίου. Turco-gr. lib. 2. p. 170.

III. Damascenus.

Lib. 4. Turco-Græc. pag. 327. epiſtola exſtat ſynodica Hieremiæ metropolitæ Lariſſæ, data cuidam egenti cui Franco nomen erat, ſtipem ob infortunia quæ toleraverat, collecturo. Subſcripſit poſt Hieremiam *Damaſcenus Demonici & Elaſſonis ar-*

A *chiepiſcopus*, ὁ Δημονίκου ἐ Ἐλασσῶνος Δαμασκηνός.

IV. Arsenius.

Quo tempore Hieremias II. Patriarcha in Moſchoviam profectus eſt, itineris ſocios habuit Hierotheum Monembaſiæ metropolitam & *Arſenium archiepiſcopum Elaſſonis*, ἐ τὸν ἀρχιεπίσκοπον Ἐλασσῶνος κῦρ Ἀρσένιον, ut fert præſtantiſſimus Hieroſolymorum Patriarcha Chryſanthus in opere *de Officiis Eccleſiæ*. Idem ſcripſerat Dorotheus Mo-
B nembaſiæ in ſynopſi, in qua præterea teſtatur ambos illos præſules aſſentiri renuiſſe inſtitutioni Patriarchæ Moſchorum.

V. Athanasius.

Anno 1721. ſedebat *Athanaſius Elaſſonis*, ὁ Ἐλασσῶνος Ἀθανάσιος.

XVIII.

ECCLESIA STAGARUM.

STAGÆ in Notitiis Leonis Imp. Philippi Cyprii, quin & illuſtriſſimi Patriarchæ Chryſanthi, civitas epiſcopalis eſt ſub Lariſſa metropoli, quam quidem *Stagonem* hodie dicunt, ὁ Σταγῶνος, ut apud Thomam Smith.

EPISCOPI STAGARUM.

I. * * *.

IN epiſtola Joannis Lariſſæ ad Joannem Zygomalam, quæ à Martino Cruſio edita eſt lib. 3. Turco-Græc. pag. 257. mentio fit *epiſcopi Stagarum*, ſed ejus omiſſo nomine. *Non dubito*, inquit, *quin Geraſimum*
C *noveris eum hominem eſſe qui malis alienis gaudeat, nec unquam nos vexare ceſſet, qui malum conſilium dans hoc tempore pientiſſimo Stagarum epiſcopo, vitii dux auctorque fuit*, κακῶς συμβουλεύσας τῷ θεοφιλεστάτῳ τῷ Σταγῶν ἐπισκόπῳ, κακίας ἀρχηγὸς ἐ πρόξενος ἐγένετο.

XIX.

ECCLESIA THAUMACI.

THAUMACUS Θαύμακος, Magneſiæ quondam, quæ Theſſaliæ regio eſt, oppidum fuit, *Thaumacia* dicta Plinio lib. 4. cap. 9. imo & Homero catalogi Iliad. 2. v. 223. *Thaumaci*, Θαυμακοὶ Straboni necnon Livio lib. 32. cap. 4. qui ſitum illius ad hunc modum deſcribit: *Thaumaci à Pylis ſinuque Maliaco per Lamiam eunti, loco alto ſiti ſunt, ipſis faucibus imminentes, quam Cælen vocant: Theſſaliæque tranſeunti confragoſa loca, implicataſque flexibus vallium vias, ubi ventum ad hanc urbem eſt, repente velut maris vaſti, ſic immenſa panditur planities, ut ſubjectos campos terminare oculis haud facile queas. Ab eo miraculo Thaumaci appellati. Thaumacum* vel *Thaumacos* aliam eſſe urbem à Domoco ſeu potius Domenico quæ in quibuſdam notitiis urbs cenſetur ſub Lariſſa, manifeſtum fit ex eo quod eodem ævo alter Domenici, alter *Thaumaci* ſedebat epiſcopus.

EPISCOPI THAUMACI.

I. * * *.

ANno 1564. Gabriël Phanarii epiſcopus, ἔχων ἐ τὴν γνώμην τῦ Θαυμακοῦ, *habens quoque ſuffragium epiſcopi Thaumaci*, ſubſcribebat ſententiæ qua exauctoratus eſt Joaſaphus *Patriarcha*.

II. Cyrillus.

Inter epiſcopos Græcos qui nomina ſua in chartis

Digitized by Google

chartis exarata Stephano Gerlachio præbuerunt, Martinus Cruſius lib. 7. Turco-græc. pag. 506. refert *Cyrillum Thaumaci*, ὁ Θαυμακοῦ (ſic) Κύριλλος.

III. Hilarion. ECCLESIA THAUMACI.

Anno 1722. ſedebat *Hilarion Thaumaci*, *Hilarion di Taumaco.*

XX. # ECCLESIA LITZÆ.

Episcopatum *Litzæ* & Agraphorum in provincia Theſſaliæ ſub Lariſſa habent Notitiæ recentiores illuſtriſſimi Chryſanthi & Thomæ Smith. Leoni quoque Sapienti vigeſimus tertius eſt ſub Lariſſa metropoli κγʹ. ὁ Λυτζᾶς. Alia proinde eſt iſta à *Litza* Thraciæ de qua ſuo loco dictum eſt. Agrapha Notitiæ priſtinæ neſciunt.

EPISCOPI LITZÆ & AGRAPHORUM.

I. * * *.

Theophilus Demetriadis anno 1564. ſubſcripſit ſententiæ depoſitionis Joaſaphi Patriarchæ, habens quoque ſuffragium epiſcopi *Litzæ & Agraphorum*, ἔχων καὶ τὴν γνώμην τοῦ Λίτζα καὶ Ἀγράφων.

II. Joseph.

Anno 1721. ſedebat *Joſeph Agraphorum*, *Gioſeffe di Agrapha.*

XXI. # ECCLESIA PHERARUM.

Pheræ urbs ampla, munitiſſimaque, Serviæ vicina Cantacuzeno, à qua Romanum ſeu Byzantinum Imperium penderet, in finibus ejus perinde illius ævo poſita, Theſſaliæ cenſita Plinio, quarum *à tergo*, inquit, *Pierus mons ad Macedoniam protenditur.* A Pelio monte 160. ſtadiis Strabo diſtantes Pheras tradit. Sæculo decimo-quarto metropolitico honore *Pherarum Eccleſia* potiebatur.

EPISCOPI PHERARUM.

I. * * *.

Joannes Cantacuzenus Imp. lib. 2. cap. 1. narrat Andronicum Juniorem, ubi Conſtantinopolitanæ urbis compos effectus eſt, rebus in ea compoſitis, in Palatium regreſſum, *metropolitam Pherarum* τὸν μητροπολίτην Φερῶν, Cutalam Chartophylacem, & Cyberiotam monaſteriorum præſidem, qui, quod ab eo ſtarent, in cuſtodia aliquando detenti fuerant, ad ſe vocaſſe, quibus de officio quod ſibi præſtiterant gratias retulit, quoſque honoribus ſubinde auxit. Ille itaque eſt *Pherarum* metropolita Joanni eidem Cantacuzeno exquo Imperator renunciatus erat, infenſus, ut habet lib. 3. cap. 37. Σύργης μέντοι ἐκ Φερῶν, ἅμα τῷ μητροπολίτῃ τῆς αὐτῆς πόλεως, τὴν ἴσην ἀπέχθειαν πρὸς βασιλέα ἐπιδεικνυμένῳ.

XXII. # ECCLESIA LŒDORICII.

Lœdoricium Λοιδορίκιον epiſcopi ſedes eſt ſub Lariſſa in recentibus Eccleſiæ Orientalis notitiis.

XXIII. # ECCLESIA MARMARITZII.

Marmaritzium epiſcopatus vigeſimus primus eſt ſub Lariſſa metropoli in Notitia Leonis Sapientis, rurſumque epiſcopatus ſextus ſub Mitylene Leſbi inſulæ eſt, *Marmaritzanum* vel *Marmaritzanorum*, ϛʹ. ὁ Μαρμαριτζάνης. Μαρμαριτζάνων.

EPISCOPI MARMARITZII.

I. * * *.

Ad tollendum denique ſcandalum & ſchiſma Arſenianorum quod toto tempore quo Michaël Palæologus Imperium geſſerat, apud Græcos perſeveraverat, poſt ejectum è Conſtantinopolitana ſede Joannem Coſmam patriarcham, Andronicus Imp.

Digitized by Google

ECCLESIA MARMARITZII.

Michaëlis filius, epiſcopum *Marmaritziorum* ſenem ex occiduis partibus, atque adeo ex Theſſalia arcerſivit qui ſucceſſorem illius ordinaret, ut pote qui Pontifex olim ante Arſenii deſtitutionem conſecratus eſſet, nec eorum quæ geſta erant particeps prorſus fuerat. *χειροτονεῖν δὲ τὸν Μαρμαρίτζιων ἐπίσκοπον προσκληθέντα ἐκ δύσεως, ἄνδρα γηραιὸν μὲν ἤδη, καὶ τῆς παλαιᾶς ἐκείνης χειροτονίας, οὐδ᾽ ὅλως δὲ τοῖς μεταξὺ πραχθεῖσι κεκοινωνηκέναι δόξαντα.* Verum epiſcopus ille repertus eſt pecunia epiſcopatum emiſſe, ſed & Simoniacas ordinationes perpetraſſe. Hæc Pachymeres lib. 4. hiſt. Andronici Imp. cap. 33. qui Andronicus Imp. eodem Pachymere teſte, aliquando cogitarat, ut hunc *Marmaritziorum* epiſcopum qui nuper obierat, in Joannis Coſinæ Patriarchæ locum promoveret.

XXIV. ECCLESIA BEZENÆ.

BEZENA Theſſaliæ epiſcopatus decimus-octavus eſt ſub Lariſſa metropoli, *ιη'. ὁ Βεζένης.*

XXV. ECCLESIA PEPARETHI.

PLINIO & Ptolemæo Macedoniæ atque Theſſaliæ, imo & Magneſiæ proxima inſula eſt Peparethus cum ejuſdem nominis civitate, cujus fuiſſe epiſcopum arbitror, qui in ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodi Sardicenſis ad Eccleſias legitur, *Hymenius à Theſſalia de Operata*, alii Codices habent *de Phrata*, alii *de Pearata*.

III. PROVINCIA VETERIS EPIRI.

I. ECCLESIA NICOPOLIS METROPOLIS.

EPIRUS olim unica fuit, cujus caput & metropolis facta eſt *Nicopolis*, de quâ Strabo lib. 7. *Secundum dulcem portum, duo alii portus exiſtunt: unus quidem propior & minor, nomine Comarus, iſthmum ſexaginta ſtadiorum efficiens, ad Ambracium ſinum atque Nicopolim quam urbem Cæſar Auguſtus ædificavit.* Rurſum Macedones & Romanos ait, Tolguam, aliaſque urbes ob rebellionem aſſiduis bellorum laboribus exhauſiſſe, Cæſarem vero Auguſtum cunctis in eo ſinu Ambracio, ad unius civitatis habitationem congregatis, vocabulum ei indidiſſe *Nicopolim ab ea victoria qua Marcum Antonium & Cleopatram ſuperarat. Ipſa igitur Nicopolis egregia incolarum multitudine abundans, in dies amplificatur hoſtilibus ornata ſpoliis.* Hanc Acarnaniæ attribuit, velut & Plinius lib. 4. cap. 1. ubi de Epiro. Ptolemæus in Almine collocat Epiri regione. Apoſtolus Paulus Evangelium Nicopoli prædicavit, qui & ea in urbe ſe hyematurum ſcribebat Tito, cap. 3. Quam itidem epiſtolam Nicopoli datam tradunt, ἐγράφη ἀπὸ Νικοπόλεως Μακεδονίας. Sæculo circiter nono labente Nicopolis metropolitica jura Naupactum ſunt tranſlata; unde in Notitia Philippi Cyprii metropolita trigeſimus quartus eſt *Naupacti Nicopolis*, τῇ Ναυπάκτου Νικοπόλεως, quum tamen ſuis interim præſulibus Nicopolis potiretur. In indice urbium quarum nomina priſca mutata ſunt, Nicopolis nunc *Preveza* dicta legitur, Νικόπολις ἤτοι Πρέβεζα.

EPISCOPI NICOPOLIS.

I. Heliodorus.

SARDICENSIS ſynodi epiſtolæ ad Eccleſias ſubſcripſit *Heliodorus de Nicopoli.*

II. Donatus.

Epheſinæ ſynodo interfuit anno 431. & ſubſcripſit *Donatus epiſcopus Nicopolis veteris Epiri*, Δονάτος ἐπίσκοπος Νικοπόλεως παλαιᾶς Ἠπείρου, ad quem exſtat S. Cyrilli Alexandrini epiſtola, de pace ſancita cum Joanne Antiocheno & Orientalibus epiſcopis, ejuſque conditionibus. In nova collectione conciliorum Cl. Baluzii *Dynatus* legitur, quaſi B Δυνατός: Ipſe utique eſt, qui in inſcriptione epiſtolæ Cæleſtini Papæ ad Illyrici metropolitas *Dinatus* ſcribitur. *Dilectiſſimis fratribus Perigeni, Dinato, &c.* pro *Donato.*

III. Atticus.

Epheſinæ ſynodo alteri, Prædatoriæ ſcilicet illi, adfuit *Atticus* Nicopolis, ejuſque iniquis decretis vel invitus, ut alii, ſuffragatus eſt. Quod tamen factum revocavit poſt biennium in Concilio Chalcedonenſi, cunctis ejus definitionibus ad actionem uſque ſextam finitam ultro ſubſcribens. Ἀττικὸς ἐπίσκοπος Νικοπόλεως τῆς κατὰ τὴν παλαιὰν

A Ἠπείρου. *Atticus epiſcopus Nicopolis veteris Epiri.* Hic aliquando Romam adverſus Anaſtaſium Theſſalonicenſem expoſtulaturus perrexit, ad Leonem Papam qui de ejus querelis Anaſtaſium certiorem fecit epiſt. 12. *Venit namque ad nos*, inquit, *cum epiſcopis provinciæ ſuæ frater noſter Atticus veteris Epiri Nicopolitanus antiſtes, & de indigniſſima afflictione quam pertulit, lacrymabili actione conqueſtus eſt coram adſtantibus diaconibus tuis, qui querelis flebilibus nihil contrà referendo, ea quæ nobis ingerebantur fide non carere monſtrabant. Legebatur quoque in literis tuis quas iidem diaconi retulere, quod Atticus Theſſalonicam veniſſet, quodque conſenſum ſuum etiam ſcripturæ profeſſione ſignaſſet, ut de illo nihil aliud à nobis intelligi poſſet, quàm proprii arbitrii & ſpontaneæ devotionis fuiſſe quod venerat, & quod chartulam de obedientiæ ſponſione conſcripſerat, in cujus tamen chartulæ mentione ſignum prodebatur injuriæ.* Scripta Leonis epiſtola eſt anno 445. ad finem, vel probabilius etiam anno 446. nullam habet adſcriptam Conſularem notam.

IV. Eugenius.

Leo Imperator accepta nece S. Proterii

Digitized by Google

ECCLESIA NICOPOLIS.

Alexandrini, *Eugenio reverentiſſimo epiſcopo Nicopolitano*, ut aliis ditionis ſuæ metropolitis encyclicas literas dedit, ut ſententiam ſuam coacta provinciæ ſuæ ſynodo de nece S. Proterii Alexandrini, & de Chalcedonenſi Concilio edifféreret. Reſcripſit Eugenius Auguſto epiſtolam quæ lex 46. in Epiphanii Scholaſtici collectione. Eugenii Nicopolis meminit Hormiſdas epiſtola ad ſynodum Veteris Epiri, nec non illius ad Leonem Imp. ſynodicæ.

V. Alcison.

Anaſtaſio Imperatore ſedebat *Alciſon* Nicopolis Veteris Epiri metropolita, Chalcedonenſis ſeu Catholicæ Fidei ſtudioſiſſimus, ad quem Palæſtinæ monachi epiſtolam ſcripſere, cujus magnam partem Evagrius regeſſit Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 31. Marcellinus Comes in Chronico hunc ab Imperatore Byzantium accerſitum, ibique obiiſſe refert. *Indict. IX.* inquit, *Petro ſolo coſ. Anaſtaſius Laurentium Lychnidenſem, Domnionem Sardicenſem, Alciſſum Nicopolitanum, Gaianum Naïſitanum, & Evangelum Pautalienſem Catholicos Illyrici ſacerdotes, ſuis præſentari juſſit obtutibus. Alciſſus & Gaianus epiſcopi apud Byzantium vita functi ſunt, unoque ſepulcro conditi, &c.* Geſta hæc ſunt anno 516. Atqui Alciſon Andreæ & Dorothei Theſſalonicenſium Præſulum exemplum ſequutus, à Catholica aliquando communione videtur deſciviſſe, propter hæc Hormiſdæ Pontificis Romani verba epiſt. 18. *Epiſcopus Nicopolitanus ſatisfaciens Eccleſiæ Catholicæ ſuſceptus eſt, & ad communionem reductus*, quæ de Joanne illius ſucceſſore intelligi nequeunt. Epiſcopi Veteris Epiri in ſynodica ad Hormiſdam, de ordinatione Joannis, receptum Alcyſonem ad Apoſtolicæ ſedis communionem prædicant. *Nobiſcum fuit inter ſanctos factus, pater atque archiepiſcopus noſter Alcyſon, qui cum omni præſumptione ſupplicibus utens libellis, apud veſtram beatitudinem dignus effectus eſt ſedi Apoſtolicæ veſtræ communicare nobiſcum.*

VI. Joannes.

Alciſoni itaque ſucceſſit Joannes anno 516. qui ſynodicam ordinationis ſuæ relationem ad Hormiſdam Papam tranſmiſit, non item Dorotheo Theſſalonicenſi, qui hanc ob cauſam eum inſectatus eſt. Id quod etiam Hormiſdæ per Nicopolitanum diaconum ſignificavit, ut ipſe fert Hormiſdas epiſt. 17. ad Ennodium & Peregrinum epiſcopos quos Conſtantinopolim miſerat: *Obtulit nobis* (Diaconus ille) *epiſtolam Joannis epiſcopi ſui, & aliam ſynodi ſibi ſubjacentis Eccleſiæ Nicopolitanæ, qua queruntur ab epiſcopo Theſſalonicenſi excitatas adverſum ſe, tam principales, quam judiciarias poteſtates, concuſſionibus & diſpendiis ſe vehementer affligi propter hoc, quia de ordinatione ſua ad epiſcopum Theſſalonicenſem relationem ſecundum priſca exempla non miſerit. Pro qua cauſa ſperaverunt ut de remedio cogitare deberemus: Conſulentes etiam nos ut daremus eis licentiam, relationem ad deſignatum epiſcopum ſecundum conſuetudinem deſtinandi: unde tractavimus, & epiſcopum quidem Nicopolitanum admonuimus, ne tale aliquid audere tentaret, ne per illum, ſi ab eo qui à communione noſtra alienus eſt, confirmationem petiiſſet, noſtra quoque communio contagionem ſuſtineret.* Altera epiſtola ordinem illis præſcribit, quem in iſto negotio teneant. *Si autem*, ait, *obſtinatus* (Dorotheus) *fuerit, nec ab inſequutione ejus ceſſare voluerit, ſecundum literas quas ad clementiſſimum Imperatorem miſimus, apud Principem cauſam Eccleſiæ Nicopolitanæ ſic agite, ut dicatis: Alcyſon ſatisfecit Eccleſiæ Catholicæ & ad communionem eſt reductus: hujus ſucceſſor Joannes epiſcopus, & Deum ante oculos habens, & de ſalute ſua cogitans, & prædeceſſoris ſui exemplum ſequens, condemnatis hæreticis vel tranſgreſſoribus, ad ſedem Petri Apoſtoli miſit, & ſuſceptus eſt. Huic nunc Theſſalonicenſis epiſcopus inſidiatur, & cum concutit, contraria his quæ fecit ab eo exigere volens. Hinc Pater veſter & omnes Orthodoxi rogant, ut juſſionibus veſtris removeatur ab eo iſta moleſtia; ne videatur hominibus propter hoc illum perſequutionem pati, quia ad communionem ſedis Apoſtolicæ rediit.* Interim ſibi viſum eſſe ſubdit, quas Dorotheo in cauſa Nicopolitana dederat, ipſi diverſis in locis publicari curarent, maxime Theſſalonicæ. Data epiſtola fertur, *Prid. Id. April. Agapito coſ.* De eadem igitur cauſa ſcripſit Pontifex Anaſtaſio Imp. quin etiam Joanni noſtro, quem tamen vix putavero eſſe Joannem illum qui anno inſequenti 517. coacta Theſſalonicæ ſynodo, Dorothei factione furente, ea in urbe interemtus eſt.

VII. Andreas.

Gregorius Magnus epiſcopis Epiri epiſtolam ſcripſit anno 596. Indict. XIV. de Andreæ Nicopolis epiſcopi ordinatione, hiſque illa verbis incipit: *Gregorius Theodoro, Demetrio, Philippo, Zenoni & Alcyſoni epiſcopis Epiri. Scriptorum veſtrorum inſinuatio, fratres chariſſimi, patefecit Andræam fratrem noſtrum Nicometianæ* (Leg. *Nicopolitanæ*) *civitatis epiſcopum, Deo propitio, ſolenniter ordinatum: cujus conſecrationem, quia cleri & provincialium proveniſſe ſignatis aſſenſu,*

Digitized by Google

gaudemus, atque bona quæ de ipſo teſtamini, ut in eo maneant, & Dei gratia cooperante augmentum accipiant exoramus..... Teſtimonio itaque veſtro obedientia fidem accommodet: nullus ei quæ integritate ſervata eccleſiæ pro communi utilitate injunxerit, contradicat. Epiſtolam alteram Gregorius ſubinde dedit *Euſebio Theſſalonicenſi, Urbicio Dyrrhachitano, Conſtantio Mediolanenſi, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthi*, & aliis de lege Mauritii Imp. quâ vetabatur ne quis de militia in monaſterio admitteretur, niſi poſt triennii probationem. Indict. II. epiſt. 68. vel 70. inſcribitur, *Euſebio Theſſalonicenſi, Urbicio Dyrrhachitano, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthio, &c* Obierat *Andreas* Indict. VII. ſive anno 604. menſe Decembri, ut colligitur ex epiſtola tunc temporis ab eodem S. Gregorio ſcripta ad Alcyſonem Corcyræ, ut Caſſiopi caſtrum præter jus ereptum reſtitueretur. *Qua de re*, inquit, *quoniam Andreas venerabilis memoriæ frater noſter Nicopolitanus metropolita, adultente ſibi quoque principali juſſione, in qua ei fuerat cauſæ hujus injuncta commiſſio, prolata (ſicut nobis patuit) noſcitur ſtatuiſſe ſententia, ante fatum Caſſiopi caſtrum ſub juriſdictione eccleſiæ tuæ, quemadmodum ſemper fuit, debere perſiſtere, formam ejuſdem ſententiæ compenſantes, Apoſtolicæ ſedis auctoritate, eam favente juſtitia, comprobamus, confirmamus, atque per omnia robuſtam manere decernimus.*

VIII. Soterichus.

IX. Hypatius.

Honorio I. Romano Pontifice, *Hypatius Nicopolitanæ eccleſiæ Diaconus*, Epiri veteris metropolita poſt *Soterichum* factus eſt, ipſo teſte Honorio epiſt. 7. Joanni, Andreæ, Stephano & Donato epiſcopis per Epirum conſtitutis. *Præſentium latores*, inquit, *juxta eccleſiaſticam diſciplinam Pallium nos Hypatio Nicopolitanæ eccleſiæ diacono, quem in ſacris ordinibus epiſcopum ordinaſtis, petierunt votis ſupplicibus dirigendum. Et quia ejus perſona pendula nos dubietate ſollicitat, ne fortaſſis in cæde Soterichi præfatæ urbis antiſtitis videatur eſſe commixta, præſentium portitoribus, quantum opinamur viſi ſumus reddidiſſe reſponſum, ut aſſumpto faſtigio, quum præſertim pacis tempora patiantur, in Romanas partes venire deproperet, ut jusjurandum in confeſſione Petri Apoſtoli præbeat, quod nullo dolo vel machinatione à ſe conſtructa, aut aliis hæc machinantibus, præbuit in his quoquo modo conſenſum, ut ab omni vitio dubietatis exempto, poſſimus ſecundum eccleſiaſticum ordinem tribuere, quod rogamur. Nam dum prædictus Soterichus de quibuſdam capitulis fuiſſet ſuſpectus, in hanc urbem deveniens, ad B. Petrum Apoſtolorum principem de conſcientiæ ſuæ puritate præbuit nihilominus jusjurandum.* Data Id. Decemb. Ind. XIV. anno ſcilicet 626. Ex qua epiſtola diſcimus *Soterichum* qui nonnullorum criminum reus factus, Romam ſui purgandi cauſa venerat, poſt à ſuis neci datum eſſe.

X. Anastasius.

In ſeptima ſynodo generali inter metropolitas ſedit *Anaſtaſius epiſcopus Nicopolis veteris Epiri.* Ἀναστασίου ἐπισκόπου Νικοπόλεως παλαιᾶς Ἠπείρου. Subſcripſitque Ἀναστάσιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Νικοπόλεως.

XI. Daniel.

Circa tempora Leonis Sapientis Imp. *Daniel Nicopolis Helladis epiſcopus* in Ancyræ Galatiæ ſedem provectus fuit, ὁ τῆς ἐν Ἑλλάδι Νικοπόλεως ἐπίσκοπος Δανιὴλ εἰς τὴν τῆς Γαλατίας Ἀγκύραν προβιβάζεται. Ita Nicephorus Calliſtus lib. 14. cap. 39. qui Danielem ad Ancyranam ſedem provectum dicit, ac non nudè tranſlatum, quum Leonis ævo metropolitica Nicopolis jura Naupactum delata jam eſſent.

II. ECCLESIA ANCHIASMI.

QUÆ *Anchiaſmus* in Notitia Hieroclis, & in aliis Eccleſiæ monumentis, Ἀγχιασμὸς, ipſa dubio procul eſt, quæ Ptolemæo *Oncheſmus portus*, Ὀγχησμὸς λιμὴν, vel Straboni *Onchiſmus*, Ὄγχησμος, in Chaonia Epiri regione, aliis demum Anchiſæ portus.

EPISCOPI ANCHIASMI.

I. Claudius.

SEcundæ ſynodo Epheſinæ aderat *Claudius epiſcopus Anchiaſmi veteris Epiri.* Κλαυδίου Ἀγχιασμοῦ Ἠπείρου παλαιᾶς, qui poſt biennium quoque ſedit in Concilio Chalcedonenſi, ſubſcripſitque definitionibus illius, Κλαύδιος ἐπίσκοπος Ἀγχιασμοῦ. Epiſtolæ itidem ſynodi veteris Epiri ad Leonem Imp. ſubſcriptus legitur, *Claudius epiſcopus Anciaſmi*, lege *Anchiaſmi.*

II. Christodorus.

Relationi ſynodi provinciæ Veteris Epiri

ECCLESIA ANCHIASMI. ad Hormiſdam Papam de ordinatione Joannis metropolitæ Nicopolis, ſubſcripſit cum aliis *Chriſtodorus epiſcopus Anchiaſmii* (ſeu potius *Anchiaſmi*) in margine legendum monetur *Chriſtophorus* pro *Chriſtodoro.*

III. ECCLESIA PHŒNICES.

PTOLEMÆO, Polybio, Livio *Phœnice Urbs eſt Epiri*, quam Strabo juxta Buthrotum collocat, κατὰ Βουθρωτὸν, & Ptolemæus in Chaonia, haud procul etiam Buthroto. Urbs quoque eſt Epiri in Notitia Hieroclis.

EPISCOPI PHŒNICES.

I. PEREGRINUS.

IN ſynodo Chalcedonenſi inter epiſcopos Epiri ſedebat *Peregrinus epiſcopus civitatis Phœnices.* Περεγρῖνος ἐπίσκοπος πόλεως Φοινίκης.

II. VALERIANUS.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Epiri ad Leonem Imp. de Chalcedonenſis Concilii Decretis ſubſcripſit *Valerianus epiſcopus Phœniciæ, ſive Phœnices.*

III. PHILIPPUS.

Relationi ſynodi veteris Epiri ad Hormiſdam Papam de ordinatione Joannis metropolitæ Nicopolis ſubſcriptus legitur *Philippus epiſcopus Photicenſis.* Emendo *Phœnices,* quia ſimul ſubſcripſit *Hilarius Photices.*

IV. ECCLESIA DODONES.

DODONE, Dodona, Δωδώνη, veteris Epiri civitas in Moloſſide Stephano, in Theſprotide vero Pauſaniæ, vel, ut explicat Strabo, *Dodona antiquitus ſub Theſprotis fuit, quando Tragici & Pindarus Theſproticam Dodonam dixerunt, poſtea ſub Moloſſis cenſita eſt.* Plinius in Præfatione lib. 4. *Moloſſi, apud quos Dodonæi Jovis templum oraculo illuſtre,* ob tintinnabula ſcilicet & fontem, quorum alibi meminit. *Sacram* item Dodonæ Jovi *fagum* exſtitiſſe teſtis eſt Pauſanias. Dodonam habet Hierocles in Notitia. Ex laterculis urbium quarum nomina mutata fuere, ſequiori ævo *Bonditza* vocata fertur, Δωδώνη, ἡ Βόνδιτζα, quæ in Notitiis Leonis Sapientis Imp. & Philippi Cyprii prima civitas epiſcopalis eſt ſub Naupacto metropoli, α' ὁ Βονδίτζης.

EPISCOPI DODONES.

I. THEODORUS.

IN Concilio Epheſino primo ſedit & ſubſcripſit *Theodorus epiſcopus* Dodonæ Epiri veteris. Θεόδωρος ἐπίσκοπος Δωδώνης παλαιᾶς Ἠπείρου.

II. PHILOTHEUS.

In latinis indicibus Patrum Concilii Chalcedonenſis, inter *epiſcopos provinciæ* ut titulus fert, *Palæas Epiru*, legitur *Philotheus Dudonenſis,* qui in ſubſcriptionibus non occurrit.

III. URANIUS.

Epiſtolæ ſynodi veteris Epiri ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini & Concilii Chalcedonenſis decretorum auctoritate, ſubſcripſit *Uranius epiſcopus Dodonæ.*

IV. JULIANUS.

Relationi ſynodi veteris Epiri ad Hormiſdam Papam de ordinatione *Joannis epiſcopi Nicopolis,* ſubſcripſit *Philippus epiſcopus Dodonæ.*

V. JOANNES.

Literis Germani Patriarchæ II. quibus monaſteria duo quæ Patriarchalia putabantur, epiſcopo proprio Artæ reſtituta ſunt, ſubſcripſit Joannes epiſcopus Bonditzæ, ὁ τῆς Βονδίτζης Ἰωάννου. Lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 233.

V. ECCLESIA BUTHROTI.

STEPHANO Byzantio *Buthrotum* vel *Buthrotus* peninſula eſt circa Corcyram, eſtque etiam oppidum, ἔστι καὶ πόλις, nimirum in ſinu, & in ingreſſu portus Pelodis, inquit Strabo, cui & Colonia Romana dicitur, Βουθρωτὸν ἐποίκους ἔχον Ῥωμαίους, quod affirmat &

Digitized by Google

Plinius, *Coloniam Buthrotum* dicens: numiſmata quoque exſtant, quibus conſtat eam Auguſto imperante illo deductam eſſe. Hierocles Buthrotum habet in veteri Epiro, ſed pro Βούθετος, legendum Βυθρωτός. In Notitia vero Leonis Imp. epiſcopatus eſt ſub Naupacto metropoli. ECCLESIA BUTHROTI.

EPISCOPI BUTHROTI.

Quum in Indice Patrum ſynodi Chalcedonenſis, ubi de *Provincia Palæas Epiru*, ſive *Veteris Epiri*, poſtremo loco legatur *Joannes Broticenſis, Bruticenſis*, eum non Buthroti pontificem fuiſſe crediderо, ſed Photices, ut ſuo loco dicetur.

I. Stephanus.

Epiſtolæ ſynodi Epiri veteris ad Leonem Imp. ſubſcripſit *Stephanus epiſcopus Buthroti*.

II. Matthæus.

Relationi ſynodi ejus provinciæ ad Hor- A miſdam Papam de ordinatione Joannis Nicopolitani ſubſcripſit *Matthæus epiſcopus Buthroti*.

III. Demetrius.

Germanus II. Conſtantinopolitanus, qui Nicææ ſedebat, Indictione quæ ejus tempore *ſecunda* currebat, ſive anno Chriſti 1229. epiſcopo Artæ monaſteria duo reſtituit, quæ antea patriarchalia cenſebantur, literis datis in ſynodo, cui præſens aderat *Demetrius epiſcopus Buthroti*, τοῦ Βουθρώτου Δημητρίου, lib. 3. Jur. Græco-Romani, pag. 233.

VI.

ECCLESIA HADRIANOPOLIS.

Inter Epiri veteris civitates *Hadrianopolim* habet Hieroclis notitia, nec non Leo Imp. in ſua ſub Naupacto metropoli. Procopius lib. 4. de ædificiis Juſtiniani Aug. cap. 1. *In Epiro nova & Veteri*, inquit, *fecit Juſtinianopolim, quæ Hadrianopolis ante vocabatur*. Hodie *Drynopolim* dicunt, cujus epiſcopatus Argyro-Caſtrenſi junctus fuit. Quodnam ejus priſcum nomen fuerit, nuſquam indicatur.

EPISCOPI HADRIANOPOLIS.

I. Eutychius.

In ſecunda ſeu prædatoria ſynodo Epheſina ſedit Eutychius epiſcopus *Hadrianopolis veteris Epiri*, Εὐτυχίου ἐπισκόπου Ἀδριανουπόλεως Ἠπείρου παλαιᾶς, atque iniquis Dioſcori Alexandrini decretis ſuffragatus eſt. Quod malè geſtum emendavit in Concilio Chalcedonenſi, cui ſubinde adſuit atque ſubſcripſit. B

II. Hypatius.

Eutychio utique proxime ſucceſſit *Hypatius epiſcopus Hadrianopolis*, qui ſubſcripſit epiſtolæ ſynodi veteris Epiri ad Leonem Imp. de ſynodi Chalcedonenſis decretorum auctoritate. C

III. Constantinus.

Relationi ſynodi veteris Epiri ad Hormiſdam Papam de ordinatione Joannis Nicopolitani ſubſcripſit *Conſtantinus Hadrianopolitanus* addiditque; *Ego Conſtantinus Hadrianopoleos retuli. Incolumem in Domino me ora, ſanctiſſime ac beatiſſime Pater Patrum.*

IV. Cosmas.

Hadrianopolis, veteris utique Epiri, epiſcopus fuit *Coſmas*, qui inter octavæ ſynodi Patres proxime poſt Theocletum Macedoniæ nominatur.

V. Thomas.

Germanus II. Patriarcha monaſteria duo quæ tamquam Patriarchalia tenuerat, epiſcopo ipſorum proprio Artæ reſtituit anno 1229. datis literis quibus ſubſcripſerunt epiſcopi metropolitæ Naupacti obnoxii; in quibus *Thomas Drynopolis*, τοῦ Δρυινουπόλεως τοῦ Θωμᾶ. Jur. Græco-Rom. lib. 3. p. 233.

VI. Macarius.

Anno 1564. Sententiæ qua Joaſaphus Patriarcha ſacerdotio amotus fuit, ſubſcripſit *Macarius epiſcopus Drynopolis*, ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος Δρυινουπόλεως Μακάριος. Turcogr. lib. 2. pag. 174.

VII. Raphael.

Nuper ſedebat *Raphaël Argiro-Caſtri*, adeoque *Drynopolis*. *Rafaël di Argiro-Caſtro.*

Digitized by Google

VII. ECCLESIA PHOTICES.

PHOTICE, Φωτική, Epiri veteris civitas eſt Hierocli, & in ea Notitia quæ Leonis Sapientis nomine inſcribitur. Procopius lib. 4. de ædif. cap. 1. hanc proinde Epiro aſſignat, & à Juſtiniano refectam narrat. A recentioribus *Bella* dicta eſt, & epiſcopatus eſt Joanninorum metropoli obnoxius.

EPISCOPI PHOTICES.

I. JOANNES.

IN indice Patrum Chalcedonenſis Concilii A de *Provincia Palæas Epiru*, ſive *Epiri Veteris*, legitur *Joannes Broticenſis*, vel *Bruticenſis*, malo *Photicenſis*.

II. DIADOCHUS.

Proxime poſt illum ſedit *Diadochus* Photices, qui epiſtolæ ſynodi veteris Epiri ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcripſit, *Diadochus epiſcopus Photicæ*. Sic in nova collectione Conciliorum Cl. Baluzii; quum in editione Labbei ſcribatur *Didacus Phocæ*. Diadochi Photices opera B aliquot fuere aſcetica, quæ SS. Patres contra Monophyſitas & Monothelitas laudaverunt.

III. HILARIUS.

Relationi ſynodi Epiri veteris ad Hormiſdam Papam, de ordinatione Joannis Nicopolitani ſubſcripſit *Hilarius epiſcopus Photicenſis*.

IV. MANUEL.

Literis Germani II. Patriarchæ, de reſtituendis epiſcopo Artæ monaſteriis duobus quæ patriarchalia cenſita fuerant, ſubſcripſit *Manuel Bellæ* καὶ τοῦ Βελλᾶς Μανουήλ. lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 233. Ipſe utique eſt *Bellæ epiſcopus*, cujus interrogationibus Manuel Germani ſucceſſor in ſua ſynodo reſpondit, τοῦ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου Βελλᾶς. Ibid. pag. 238.

V. ANTONIUS.

Deſtitutioni Joaſaphi Patriarchæ, quæ facta eſt anno 1564. ſubſcripſit *Antonius Bellæ epiſcopus*, habens ſuffragium metropolitæ Joanninorum, ὁ Βέλλας Ἀντώνιος ταπεινὸς ἐπίσκοπος, τοῦ Ἰωαννίνων ἔχων ἐπὶ τὴν γνώμην. Hiſt. Turco-gr. lib. 2. pag. 174.

VI. NICOLAUS.

Circa annum 1720. ſedebat *Nicolaus Bellæ*, *Nicolo di Bella*.

VIII. ECCLESIA EVRŒÆ.

EVROEA, Εὔροια, veteris Epiri Urbs eſt Hierocli, de qua Procopius lib. 4. de ædific. cap. 1. *Erat in his partibus*, inquit, *Urbs antiqua aquis abundans, & nomen nacta conſentaneum naturæ loci, quippe Evrœa dicta antiquitus*, Εὔροια γὰρ ἀνέκαθεν ὠνομάζετο. *Non procul ab ea lacus jacet, in cujus medio exſtat inſula, unde collis eminet; tantum vero interſtitium lacus aperit, quantum ſatis eſt ad præbendum in inſulam aditum. Illuc Imperator traductis Evrœæ incolis, urbem mœnibus validiſſimam condit.* In epiſtola 7. S. Gregorii Papæ ſcripta Indict. VII. Alcyſoni Corcyrenſi legitur, epiſcopum Iſauriæ vindicaſſe ſibi Caſtrum Caſſiopi, portuſve Caſſiopes, cujus Plinius & Ptolemæus meminere, quod ad Corcyrenſem Eccleſiam ſpectabat: quumque bis in ea epiſtola *Iſauriæ* nomen appareat, ut & in epiſtola 13. multi Codices habent *Evriæ*, ut Evrœæ civitas intelligi debeat. Quamquam ex Sozomeno lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 26. diſcimus *Iſoriam* Evrœæ Epiri veteris vicum eſſe, οἱ τὴν Ἰσωρείαν οἰκοῦντες κώμην Εὐροίας, in quo S. Donati precibus fons ſcaturiit. Evrœa ſupereſt hodie *S. Donato* dicta.

EPISCOPI EVRŒÆ.

I. DONATUS.

MArtyrologium Romanum, ac Menologium Græcorum, die 30. Aprilis memoriam agit *S. Donati Evrœæ in Epiro epiſcopi, qui tempore Theodoſii Imp. eximia ſanctitate refulſit*. Ejus etiam meminit, ut prædictum C eſt, Sozomenus, & ab eo immanem ſerpentem ſputo in os injecto extinctum prodit, ſed & addit: *Donato huic ſepulcrum eſt inſigne, templumque ab ipſo nuncupatum, prope quod fons eſt aquis ſcaturiens, quem, quum antè non eſſet, Deus illius precibus exoratus dedit. Erat enim locus iſte aridus. Nam quum aliquando*

ex

Digitized by Google

ex itinere huc advenisset, fertur ſodalibus ejus aquæ penuria laborantibus, effoſſa manibus terra oraſſe, moxque ad votum aquam ſcaturiviſſe, nec ab eo tempore unquam defeciſſe. Sed & hujus rei quidem teſtes ſunt qui Iſoriam incolunt Evrææ vicum, in quo hæc geſta ſunt. Doctiſſimus Joannes Mabillonius tom. I. Muſæi Italici part. II. pag. 85. fragmentum latine edidit vitæ *S. Donati in provincia Syriæ veteris.* Emendandum prorſus eſt in provincia *veteris Epiri.* Temporibus S. Gregorii M. Papæ *S. Donati* corpus in Caſſiopi ſive Caſſiopes caſtro ſervabatur, quod Corcyrenſis eccleſiæ ditionis erat, atque adeo in promontorio inſulæ quod *Caſſiopes* dicebatur exſtructum.

II. Marcus.

Epheſinæ ſynodo prædatoriæ interfuit, ſententiamque tulit metropolitæ ſuo Attico conſentaneam, *Marcus epiſcopus Evrææ,* Μάρκος ἐπίσκοπος Εὐροίας. Quam poſt biennium emendavit in Chalcedonenſi concilio, definitionibus ejus ſubſcribens: in cujus tamen actis, paululum aucto vocabulo, *Marcianus* dicitur, Μαρκιανὸς ἐπίσκοπος πόλεως Εὐροίας.

III. Eugenius.

Epiſtolæ ſynodi veteris Epiri ad Leonem Imp. de concilio Chalcedonenſi & nece Proterii Alexandrini ſubſcriptus legitur *Eugenius epiſcopus Euromæ* pro *Evrææ.*

IV. Theodotus.

Concilio Conſtantinopolitano quod Menna Patriarcha præſide, Anthimi deceſſoris ipſius hæretici cauſa celebratum eſt, aderat *Theodotus Evrææ provinciæ veteris Epiri epiſcopus,* Θεόδοτος ἐπίσκοπος Εὐροιέων πόλεως τῆς παλαιᾶς τῶν Ἠπείρων ἐπαρχίας.

V. Joannes I.

Apud Procopium alicubi *Joannem* Evrœæ reperi, ſed locus excidit è memoria.

VI. Joannes II.

Gregorius Magnus epiſtola 7. Indict. VII. ſcripſit Alcyſoni Corcyræ epiſcopo, qui cum epiſcopo Iſauriæ, ſive Evrœæ litigabat de caſtro Caſſiopes quod Evrœenſis præſul Corcyrenſi eripere tentaverat. Epiſt. vero 13. eidem Alcyſoni data diſcimus Joannem Evrœæ à Gregorio poſtulaſſe, ut per ipſum à Corcyrenſi obtineret S. Donati corpus eo in caſtello recondi, dum illi regioni pax donata eſſet, poſt tamen ad Evrœenſem eccleſiam reducendum. *Venientem igitur ad nos Petrum Eccleſiæ Iſauriæ lectorem cum ſcriptis fratris & coëpiſcopi noſtri Joannis, coram Reſponſalibus dilectionis tuæ ſuſcepimus... Poſt longum vero tempus ſupraſcriptus Petrus capitulare protulit, quod ſibi datum à ſuo aſſerebat epiſcopo, ut in Eccleſia S. Joannis quæ in Caſſiopi caſtro poſita eſt, ſanctum & venerabile corpus B. Donati haberet recondendi licentiam, paratum ſe eſſe inquiens, dilectioni tuæ, propterea quod tua probatur eſſe diœceſis, munitionem emittere.* (Quidni forſan emere?) *nullum tibi ex hoc prejudicium generari.* Cujus votis annuit Pontifex: de qua re in Martyrologio Romano ad diem 29. Octobris fertur: *Caſſiope in inſula Corcyræ S. Donati, de quo ſcribit S. Gregorius Papa.* At certe mirum Martyrologii concinnatores non attendiſſe, S. Gregorio illa in epiſtola ſermonem eſſe de S. Donato I. cujus memoriam itidem agunt die 30. Aprilis.

Tempore Honorii Papæ Romani, Evrœæ utique epiſcopus erat unus ex quatuor illis quibus epiſtolam ille ſuam ſeptimam dedit, hac inſcriptione, *Joanni, Andreæ, Stephano, Donato epiſcopis per Epirum conſtitutis,* qui ab ipſo poſtularant ut Pallium de more Nicopolitano metropolitæ Hypatio mitteret.

IX.

ECCLESIA CORCYRÆ.

CORCYRA inſula Κέρκυρα νῆσος, quæ vulgo *Corfù* dicitur, urbem ſui nominis habet; quæ in Notitia Hieroclis Epiri veteris cenſetur; in eâ vero quæ Leonis Sapientis nomine inſcribitur, metropolium 73. eſt, ογ΄. ἡ Κέρκυρα. De hac inſula Strabo lib. 7. *Porro Naro fluvius eſt,* inquit, *cui adjacent Daorizi, Ardiæi, Pleræi, quibus propinqua eſt inſula Melæna, quam Corcyram vocant, & oppidum quod condidere Cnidii.* Jam ante dixerat, Corcyram olim nominatam fuiſſe *Scheriam:* quocirca hic emendandus venit ex Plinio, cui non Corcyra, ſed Cephallenia Melæna pridem dicta erat. Atqui Plinius lib. 4. cap. 12. initio de Corcyra ſic ait: *Inſulæ autem ex adverſo Theſprotiæ Corcyra, à Buthroto 12. mill. paſſ. eadem ab Acroceraunіis 50. mill. cum urbe ejuſdem nominis Corcyra liberæ civitatis & oppido Caſſiope, temploque Caſii Jovis paſſuum 97000. in longitudinem patens, Homero dicta Scheria, & Phæacia, Callimacho autem Drepane.* Venetorum hodie ditionis eſt, caſtella duo habens munitiſſima. In Menæis Græcorum die 28. Aprilis, *Zeno Chriſti martyr, & ſancti Euſebius & Neon & Vitalis ex Corcyra inſula à ſanctis Apoſtolis Jaſone & Soſipatro inſtructi in Chriſtum crediderunt, & apud Cercilinum inſulæ Præfectum accuſati, poſt gravia quæ fortiter tolerarunt ſupplicia, in ignem*

ECCLESIA CORCYRÆ.

projecti, martyrium conſummarunt. Jaſon & Soſipater Græcorum more Apoſtoli dicuntur, quia Apoſtolici viri, Apoſtoli Pauli diſcipuli chariſſimi, ejuſque laborum ſocii.

EPISCOPI CORCYRÆ.

I. JASON.

IN Menologio Græcorum die 29. Aprilis memoria fit *S. Jaſonis diſcipuli S. Pauli Apoſtoli, qui Corcyræ inſulæ Regulos duos ad fidem convertiſſe fertur, & in ea ad Chriſtum migraſſe*, ut primus urbis & inſulæ epiſcopus habendus ſit. Atqui divus Jaſon quum Theſſalonicæ habitaret, Paulum quo doctore in Chriſtum crediderat, domi apud ſe receperat, velut narratur Act. 18. v. 6. & ſeqq. Ejus meminit Paulus ipſe Rom. 16. v. 21. ceu tunc ille ſecum Corinthi ageret.

II. APOLLODORUS.

In indice latino Patrum Nicænæ ſynodi, de provincia Inſularum, legitur *Apollodorus Corcyræus*.

III. SOTERICHUS.

Chalcedonenſi concilio adfuit & ſubſcripſit *Soterichus epiſcopus civitatis Corcyræ*, Σωτήριχος ἐπίσκοπος πόλεως Κερκύρας, qui poſt ſeptem annos ſubſcripſit quoque epiſtolæ provinciæ Epiri veteris ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini & eodem Chalcedonenſi concilio.

IV. CHRYSIPPUS.

Relationi ſynodi Epiri veteris ad Hormiſdam Papam de ordinato Joanne Nicopolitano metropolita ſubſcripſit *Chryſippus epiſcopus Corcyræ*. Perperam enim legitur *Circines* in editis.

V. STEPHANUS.

Quum inter veteris Corcyræ civitatis rudera non paucæ eccleſiæ ſint, quæ præcipua illarum eſt *Panagia* dicitur, adeoque ſanctiſſimæ Dei-paræ nomine Deo conſecrata. Ex Inſcriptione quæ in ea ſupereſt, apparet eam à *Stephano Corcyrenſi quondam epiſcopo* extructam eſſe, atque ſæculo, ut Sponius autumat, ſexto.

VI. ALCYSONUS.

Inter epiſt. Gregorii Magni datas Ind. VII. duæ inſcribuntur *Alcyſono epiſcopo Corcyræ*, ſeptima nimirum & decima-tertia. Huic *Alcyſono Corcyrenſi* Caſſiopi vel Caſſiopes Caſtrum vindicat contra tentamenta Joannis Iſauriæ vel Evrœæ, ſententiam confirmans *Andreæ venerabilis memoriæ Nicopolis metropolitæ*, adnitente Principali ſive Imperatoris juſſione, qua cauſæ hujus cognitio injuncta illi erat. *Formam*, inquit, *ejuſdem ſententiæ comprobantes, Apoſtolicæ ſedis auctoritate, eam faventе juſtitia comprobamus, confirmamus, atque per omnia robuſtam manere decernimus.* Cæterum oportere ſubdit, *ut ſacerdotes & clerus Iſauriæ* (Evrœæ) *civitatis ab antefati Caſſiopi Caſtri habitatione nullatenus repellantur, ſed & B. Donati ſanctum & venerabile corpus quod ſecum detulerunt, in una eccleſiarum antedicti loci quam elegerint, ſive intus, ſive foris, habeant recondendi debita cum veneratione licentiam: ſic tamen ut dilectioni tuæ, in cujus parochia Caſtrum ipſum poſitum eſt, emiſſa procuretur cautione munitio, per quam promittat epiſcopus Iſauriæ nullatenus ſibi in eo poteſtatem, nullam juriſdictionem, nullam tamquam cardinalis epiſcopus ulterius auctoritatem defendere, ſed poſt pacem, Deo propitio, redditam, ablato venerabili S. Donati, ſi maluerint, corpore, ad propria ſe modis omnibus reverſuros.* De eodem negotio ſanctus Pontifex epiſtolam ſcripſit alteram Bonifacio Diacono ſuo, quæ 8. eſt ejuſd. Indict. Ea ſignificat, *Alcyſonum* multa mala calumniaſque toleraſſe ab *Actionariis* eccleſiæ Theſſalonicenſis. Quocirca mandat ut *prædictum eccleſiæ Theſſalonicenſis Reſponſalem accerſat*, cauſam coram ſe cognoſcat, & de capitulis quæ compererit, Euſebio Theſſalonicenſi ſcribat, *ut homines ſuos injuſta agere prohibeat, & minores premere, ſed magis in quibus juſtum fuerit, adjuvare moneat.* Atqui vacabat tunc Nicopolis eccleſia.

VII. PHILIPPUS.

In ſeptima ſynodo generali ſedit & ſubſcripſit *Philippus epiſcopus Corcyræ*, Φίλιππος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κερκύρας.

VIII. ARSENIUS.

In Actis SS. quæ Joannes Bollandus collegit, inter *Addenda* ad diem 19. Januarii pag. 1138. mentio fit *Arſenii*, qui in Bithynia patre Judæo, & matre Chriſtiana natus, Chriſto nomen quum dediſſet, Corcyrenſis eccleſiæ regimen ſubiit circa annum 800. Huic *Arſenio Corcyrenſi* adſcribenda eſt oratio in S. Barbaram, necnon altera in S. Andream Apoſtolum, quarum Combefiſius in Bibliothecæ concionatoriæ recenſitis auctoribus, meminit in ſancto Joanne Damaſceno; ubi *Arſenius archiepiſcopus* dicitur, non metropolita. Nicolaus Graſſus carmen eidem S. Arſenio condidit, quem Ferrarius lib. de SS. Italiæ primum Corcyræ archiepiſcopum fuiſſe prodit, neſcio quo autore.

Digitized by Google

IX. Michael.

Octavæ ſynodo generali interfuit & ſubſcripſit *Michaël miſericordia Dei epiſcopus Corcyrorum.*

X. Nicolaus.

In celebri procerum Imperii necnon epiſcoporum conventu, qui Alexio Comneno Imp. inſtaurandi decreti unionis de ſacrarum imaginum cultu cauſa habitus eſt, ſedebat *Nicolaus metropolita Corcyræ,* Νικολάου Κερκύρας. Biblioth. Coiſlin. pag. 104. Inter B Regios codices habentur carmina *Nicolai metropolitæ Corcyræ.* Epiſtola 22. Theophylacti inſcribitur, ἐπισκόπῳ Κερκύρας, *epiſcopo Corcyræ,* qui forſan alius non eſt à *Nicolao.* Sin vero, ejus deceſſor exſtiterit.

XI. Constantinus.

Anno 1156. in illa ſynodo in qua ob errorem de ſacrificio Domini Soterichus Panteugenus damnatus fuit, ſedebat *Conſtantinus Corcyræ.* Allat. vind. Syn. Epheſ. p. 585.

XII. Joannes.

Anno 1166. Indict. XIV. Manuële Comneno Imp. Conſtantinopoli Græcos inter & Alamannos qui in ea agebant diſceptatum eſt de illa Domini voce, *quia Pater major me eſt,* quam Alamanni dictam aſſerebant propter aſſumptam à Chriſto humanitatem. Quod quum *Joannes Corcyræ metropolita* una cum Demetrio à Lampe civitate Aſiæ monacho, cui cognomen *Irenico* erat, aliique nonnulli obſtinatius improbarent, coacta à Luca A Chryſoberge Patriarcha ſynodo, Alamannorum aſſertio vera rectaque probata eſt, ac Joannes cum ſuis anathemate perculſus. Ἰωάννης δὲ ὁ τὴν Κερκυραίων λαχὼν, καὶ μοναχός τις, ὃν ἐπεκάλουν Εἰρηνικὸν, τῇ προτέρᾳ ἐμμείναντες δόξῃ, ἀναθέματι ὑπεβέβληντο. Hæc Joannes Cinnamus lib. 6. Hiſt. n. 2. de qua ſynodo Allat. lib. 2. de conſ. cap. 12. Atqui eadem Indictione menſe Aprili *Joannes Corcyræ* interfuerat ſynodo in qua decretum editum erat quo nuptiæ ſeptimi gradus prohibebantur, τῆς Κερκύρας. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 217.

XIII. Georgius.

In cod. Bodleiano Oxonienſi 131. habetur epiſtola *Georgii Bardanis metropolitæ Corcyrenſis ad Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum,* eo nomine ſecundum, utique qui Nicææ morabatur, quum Fratres Minores nonnulli ad unionem cum eccleſia Romana ineundam eum invitaſſent, quos *Georgius* Φρατρομινουρίους dicit.

XIV. Basilius.

C Inter Græcos qui ſchiſma adverſus Latinos ſcriptis ſuis propugnarunt, *Baſilius Corcyræ,* Βασίλειος Κερκύρας cenſetur à Doſitheo Hieroſolymitano lib. 10. de Patriarchis Hieroſolymorum cap. 10.

XV. Cornelius.

Relationi Dionyſii Patriarchæ Conſtantinopolitani datæ anno 1672. ſuper Calviniſtarum erroribus ſubſcripſit *Cornelius Corcyræ,* ὁ Κερκύρου Κορνήλιος.

X. ECCLESIA AETI.

IN Notitiis Leonis Imp. & Philippi Cyprii Aëtus civitas eſt epiſcopalis ſecunda provinciæ Ætoliæ ſub Naupacto metropoli β´. ὁ Αἰτοῦ.

EPISCOPI AETI.

I. Nicodemus.

LIteris Germani II. Patriarchæ de reſtituendis monaſteriis, quæ ad Artæ epiſcopum ſpectabant, ſubſcripſit *Nicodemus epiſcopus Aëti,* τοῦ Αἰτοῦ Νικοδήμου. Jur. Græco-Rom. pag. 233.

XI. ECCLESIA JOANNINORUM.

JOANNINA in Notitia Leonis Imp. civitas epiſcopalis eſt quinta provinciæ Ætoliæ ſub Naupacto, ε´. ὁ Ἰωαννίνων, quam Martinus Cruſius Turco-gr. pp. 275. & 335. ex Laonico Chalcondyla lib. 1. Caſſiopen olim dictam affirmat. Atqui Caſſiope illa vetus alia prorſus fuit à portu Caſſiopes, qui ad maris littus jacebat, ſed mediterranea inter Ambraciam & Triccam. Hæc poſterioribus temporibus, non epiſcopali ſolum ſede, ſed metropoliticis quoque juribus aucta eſt, cui ſubſunt epiſcopi quatuor, nempe *Argyri Caſtri, Delbeni, Bythrenti* ſeu *Buthroti,* cui parent vici regionis quam *Chimæram* dicunt *&* *Glyceonis,*

Digitized by Google

ECCLESIA JOANNINORUM.

ut fert Sponius in itinerario. Quamquam illuſtriſſimus Chryſanthus Joanninorum ſuffraganeos epiſcopatus hocce modo numerat τὸν Δρυινουπόλεως κὴ Αργυροκάστρου, τὸν Βελᾶς, τὸν Βόθεντου ἐ Γλυκέως, τὸν Χειμάῤῥας κὴ Δελβίνου. *Drynopolis, & Argyro caſtri, Belæ, Bythronti, & Glycis, Chimaræ & Delbini.* Joanninorum incolæ omnes Chriſtiani ſunt Græcanici ritus, mercaturæ dediti, quocirca, Demetrio Procopio teſte in nuperi & præſentis ſæculi eruditis Græcis, Joanninis floret Schola Chriſtiana.

EPISCOPI JOANNINORUM.

I. ZACHARIAS.

Synodo illi quæ poſt S. Ignatii Conſtantinopolitani obitum ob Photii in eam ſedem reſtitutionem habita eſt, adfuit & ſubſcripſit *Zacharias Joanninorum*, vel *Joanninæ epiſcopus*, Ζαχαρίου Ιωαννίνων, Ζαχαρίας Ιωαννίνης.

II. THEOLEPTUS.

Decimus octavus poſt captam à Turcis Conſtantinopolim Patriarcha fuit *Theoleptus, Joanninorum antea metropolita*, Θεόληπτος μητροπολίτης Ιωαννίνων. Patriarchatum hic obtinuit dato Turcarum Sultano Peſceſio ſeu patriarchali tributo, viſiſque Principis literis ab epiſcopis & clericis admiſſus fuit. Hiſt. Turco-gr. lib. 2. pag. 152.

III ***.

Synodicæ ſententiæ qua Joaſaph Patriarcha exauctoratus fuit, anno Mundi 7073. Chriſti 1564. ſubſcripſit *Antonius Bellæ epiſcopus habens & ſuffragium Joanninenſis*, ἔχων ἐ τὴν γνώμην τȣ̃ Ιωαννίνων. Ibid. pag. 174.

IV. JOASAPH.

Anno mundi 7088. Chriſti 1580. menſe Novembris Indict. VIII. Metrophanis Patriarchæ literis, quibus Theodoſii Zygomalæ ſororius Michaël Pauliota Tabularius inſtituebatur, ſubſcripſit *Joaſaph Joanninorum metropolita*, ὁ Ιωαννίνων Ιωασάφ. Ibid. lib. 4. pag. 282. Hic proinde eſt ille Joanninorum metropolita, qui interfuit ſynodo quam Hie-
A remias Patriarcha ſtatim à promotione ſua coëgit ad ſimoniam abolendam, τȣ̃ Ιωαννίνων. pag. 179. & ad quem exſtat quoque apud Cruſium epiſtola à Theophane Hieromonacho ſcripta Septemb. 4. Indict. IX. ſtatim à morte Metrophanis Patriarchæ qui nona Auguſti interierat, necnon à reſtitutione Hieremiæ anno 1581. Ibid. pag. 335.

V. MATTHÆUS.

Vigeſimus tertius à capta urbe Patriarcha fuit *Matthæus Joanninorum*, Ματθαῖος Ιωαννίνων. Supplem. ad hiſt. Eccl. Turco-gr.
B

VI. PARTHENIUS.

Anno 1638. *Parthenius Joanninorum* adfuit & ſubſcripſit ſynodo quam Cyrillus Berrhœenſis Patriarcha habuit ad confutandam Cyrilli Lucaris deceſſoris ſui Calvinianam confeſſionem. ὁ Ιωαννίνων Παρθένιος. Qui ſubinde Patriarcha renuntiatus eſt, vulgoque *Parthenius junior* audit.

VII. CLEMENS.

C Inter nuperi ſæculi Græcos eruditione inſignes, apud Demetrium Procopium laudatur, *Clemens Chius metropolita Joanninorum*, Κλήμης Χῖος μητροπολίτης Ιωαννίνων, *Græcæ linguæ veteris gnarus, divinarumque ſcripturarum & Evangelii præco.*

VIII. HIEROTHEUS.

Anno 1721. ſedebat *Hierotheus metropolita Joanninorum*, ὁ Ιωαννίνων Ιερόθεος.

XII. ECCLESIA LEUCADIS.

LEUCADIA ſive *Leucas* Epiri peninſula fuit *Neritis* quondam *appellata, quæ opere accolarum abſciſſa à continente, & reddita inſula*, ait Plinius; *oppidum in ea Leucas quondam Neritum dictum.* Hinc eſt quod Straboni non *Leucas*, ſed *Neritus* dicitur. Ptolemæus vero Leucadem promontorium habet in Acarnanum regione. Quocirca Sponius qui locum oculis luſtravit Leucadem veterem ait exciſam eſſe quæ in colle ſtabat, milliario à mari diſtans, arx vero quæ *S. Maura* dicitur, in alio loco exſtructa eſt, juxta portum, ubi cum ſuis ſuburbiis jacet. In inſula vici triginta ſunt, quorum incolis qui Græcanici ritus ſunt, epiſcopus præeſt. Leucas in Notitia Hieroclis & antiquioribus abeſt, in ea vero quæ Leonis Imp. eſſe dicitur, inter archiepiſcopatus cenſetur, ut & in poſterioribus aliis.

Digitized by Google

ECCLESIA LEUCADIS.

EPISCOPI LEUCADIS.

I. Joannes.

Sisinnius Patriarcha Decretum dedit ſynodale menſis Febr. 21. die Ind. x. ann. 997. quo vetabatur, ne duo fratres conſobrinas duas ducerent, cui condendo aderat *Joannes Leucadis*, Ἰωάννης Λευκάδος. Juris Græcorum lib. 3. pag. 197.

II. * * *.

In ſynodo Michaëlis Stypiotæ Patriarchæ, in qua Niphon monachus Bogomilorum hæreſis reus damnatus eſt, conſidebat *Leucadenſis Antiſtes* τοῦ Λευκάδος. Allat. lib. 2. de conſenſ. cap. 12.

III * * *.

Iſaacius Angelus Imp. tractatum coram epiſcopis multis habuit de epiſcoporum electionibus quæ in urbe fierent, ad quas ſingulos omnes qui in ea agerent epiſcopos vocandos eſſe ſtatutum eſt. Aderat huic conventui *Leucadenſis*, qui perinde atque Cæſarienſis cauſatus eſt ſe ad electionem trium metropolitarum, Dyrrachii, Mileſiæ & Chriſtianopolis vocatum non eſſe, ἐ ὁ Λευκάδος συνῳδὰ τῷ Καισαρείας ἐφθέγξατο. Juris Græco-Romani, pag. 169.

IV. Nathanael.

Leo Allatius lib. 3. de conſenſ. cap. 11. *Nathanaëlem archiepiſcopum Leucadenſem* ante paucos annos quam illa ſcriberet, Romam veniſſe refert, ut Apoſtolicæ communionis particeps fieret; hoc eſt ante ſæculi nuperi medium.

V. Alypius.

Illuſtriſſimus Nicolaus Comnenus Papadopoli in Prælectionibus Myſtagogicis pag. 227. meminit *Alypii Leucadis epiſcopi* qui in hæreſis ſuſpicionem, neſcio cujus, aliquando venit, ſed & quo tempore vixerit, in incerto res eſt.

VI. Anthimus.

Initio ſæculi hujus decimi octavi ſedebat *Anthimus S. Mauræ*, ὁ ἅγιος Μαύρας Ἄνθιμος.

VII. Eugenius.

Circa annum 1720. ſedebat S. Mauræ ſeu Leucadis epiſcopus *Eugenius*, *Eugenio di S. Maura.*

XIII.

ECCLESIA ACHELOI.

Acheloum Urbem tertium ſub Naupacto metropoli epiſcopatum aſſignant notitiæ Eccleſiaſticæ Græcæ. Quum vero Pachymeres epiſcopum *Cozyles*, Nicephorus *Mozyles*, Naupacto metropolitæ ſubjectum ferant, Acheloum eamdem eſſe urbem putaverim quæ aliis atque aliis *Cozyle* vel *Mozyle*, Κοζύλη, Μοζύλη ſcribitur. Achelous vero dicta Urbs fuit ab Acheloo amne veteribus notiſſimo, qui Acarnaniam ab Ætolia dirimebat, Plinio & Strabone teſtibus.

EPISCOPI ACHELOI.

I. * * *.

Andronico Michaëlis Palæologi filio Imperii compote facto, *Mozyles epiſcopus* pacto veluti divino, ait Gregoras, ὁ Μοζύλης ἐπίσκοπος, vel ut Pachymeres habet, Κοζύλης, *Cozyles*, in urbem Regiam venit, Nicephori Ætoliæ principis Orator, ac poſt hunc è Macedonia Debrorum quoque epiſcopus, non legatione fungens ulla, ſed alterius negotii cauſa, quorum amborum neuter novi ſeu Latinorum dogmatis affectatoribus ſuffragatus erat. Mozyles ſeu Cozyles epiſcopus Debreno prælatus fuit; Mozylenus enim metropolitæ Naupacti ſubjectus erat. ὁ Μοζύλης ὑπὸ τὴν Ναυπάκτου ἐτέλει μητρόπολιν, Naupactenſis vero Conſtantinopolitano. At Debrenus primæ Juſtinianæ ditionis erat. Atqui idem Mozylenus vel Cozylenus Patriarchæ ab Imp. deſignati hortatu Germanum monachum quemdam Heracleæ metropolitam inauguravit, qui Cyprium ſubinde, cum duobus illis epiſcopis adjutoribus Mozyles Cozyleſve & Debrorum è lectore primo diaconum & preſbyterum ordinavit, & poſtmodum Patriarcham conſecravit. Hæc Gregoras lib. 6. cap. 1. necnon Pachymeres in Andronico lib. 1. cap. 14.

Digitized by Google

IV. PROVINCIA HELLADIS.

I. ECCLESIA CORINTHI METROPOLIS.

HELLAS provincia Plinio teſte lib. 4. cap. 4. *in quinque mill. paſſ. exeſis utrinque lateribus, anguſta cervice Peloponneſum contingit. Corinthiacus hinc, illinc Saronicus appellatur ſinus: Lecheæ hinc, Cenchreæ illinc anguſtiarum termini, longo & ancipiti navium ambitu, quas magnitudo plauſtris tranſvehi prohibet. Medio hoc intervallo quod Iſthmum appellavimus, applicata colli habitatur colonia Corinthus, antea Ephyra dicta, ſexagenis ab utroque litore ſtadiis. E ſumma arce, quæ dicitur Acrocorinthus, in qua fons Pirene, diverſa duo maria proſpectans.* Hæc Plinius. At Corinthus non veteris modo caput Helladis fuit, ſed recentis quoque, quæ veteri atque Peloponneſo totâ conſtabat. Sic Hierocles, Κόρινθος, ἥ ποτε Ἔφυρος, μητρόπολις πάσης Ἑλλάδος νέα, *Corinthus, quæ quondam Ephyros, metropolis univerſæ Helladis nova.* Utriuſque perinde Helladis regimine Corinthi antiſtes potitus eſt, quamdiu Romani Pontificis juriſdictioni Illyricum omne obnoxium manſit. Ex quo vero illud Byzantino præſuli ſubjectum magna ex parte fuit, Corinthi metropolitæ auctoritas, novis aliis illis in regionibus creatis, in multas diviſa fuit. In notitia Leonis Imp. ſeptem ei epiſcopatus aſſignantur, *Damalæ, Argi, Monembaſiæ, Cephalleniæ, Zacynthi, Zemenæ & Mainæ.* Hodie illuſtriſſimo Chryſantho teſte duos dumtaxat habet, Damalam & Polyphengum, quæ in unum coaluerunt, quod etiam in Smithei notitia fertur.

Corinthi eccleſiam à Gentium Apoſtolo Paulo fundatam inſtitutamque eſſe omnes norunt, quum hanc in urbem Athenis egreſſus veniſſet. Aquila de Ponto Judæo cum ejus uxore Priſcilla reperto, apud illos divertit quum arti ſcenofactoriæ ambo operam darent. Tum deinde Criſpum archiſynagogum cum omni domo illius ad Chriſtum adduxit ac baptizavit, quin etiam Soſthenem alterum ſynagogæ principem; atque annum cum dimidio tranſegit, donec commotis adverſus ipſum Judæis urbe egredi coactus eſt, in qua epiſtolam ad Romanos ſcripſerat. Narrat S. Lucas Act. 18. v. 9. quum Paulus hac in urbe ageret, dixiſſe *illi Dominum nocte per viſionem: Noli timere, ſed loquere & ne taceas. Propter quod ego ſum tecum, & nemo apponetur tibi ut noceat tibi: quoniam populus eſt mihi multus in hac civitate.* Cæterum non Paulus ſolus ejuſque diſcipuli Evangelium Chriſti in Hellade prædicarunt, ſed Andreas quoque ipſe Apoſtolus, cujus reliquiæ de Achaia Conſtantinopolim, Conſtantio Imp. tranſlatæ ſunt. Martyrologium Timonem, qui unus è ſeptem primis diaconis fuit, & Soſthenem de quo mox dixi, Corinthi pro fide paſſos prodit. Corinthus hodie civitas vaſtata eſt totaque fere ſolo æquata, quæ vix quingentos cives aut incolas habeat. Præcipua quæ ſupereſt eccleſia *Panagia* dicitur, Deo proinde Virginis Deiparæ nomine dicata.

EPISCOPI CORINTHI.

I. APOLLO.

QUantum intelligere licet ex priore Apoſtoli Pauli ad Corinthios epiſtola, primus Corinthi epiſcopus *Apollo* fuit, vir ſanctiſſimus, cui Paulus urbe diſcedens, inſtitutam à ſe eccleſiam colendam tradidit. Quo factum, ut orto inter fideles diſſidio, alii ſe ab *Apolline*, alii à Cepha, alii à Paulo baptizatos jactitarent, quos Apoſtolus ut melius ſaperent, his verbis erudivit: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* A De *Apolline*, ejuſque in Achaïam profectione hæc Lucas habet Act. 18. v. 24. *Judæus autem quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens venit in Epheſum, potens in ſcripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & fervens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ ſunt Jeſu, ſciens tantum baptiſma Joannis. Hic ergo cœpit fiducialiter agere*

Digitized by Google

in ſynagoga. Quem quum audiſſent Priſcilla & Aquila, aſſumpſerunt eum, & diligentius expoſuerunt ei viam Domini. Quum autem vellet ire in Achaiam, exhortati fratres ſcripſerunt diſcipulis ut ſuſciperent eum. Qui quum veniſſet, contulit multùm his qui crediderant. Vehementer enim Judæos revincebat publice, oſtendens per ſcripturam eſſe Chriſtum Jeſum. Cæterum quamvis ipſo Pauli teſtimonio conſtet *Apollinem* illi ſucceſſiſſe in Corinthiorum eccleſiæ moderamine; quum ea in urbe ante ejus adventum eccleſia Chriſti exſtaret, illi hunc præfuiſſe Criſpum Archiſynagogum veriſimile eſt. *Apollo* autem Corintho digreſſus in Cretam inſulam tranſiit, unde à Paulo Nicopolim vocatus eſt ubi hyemare Apoſtolus conſtituerat.

II. Sosthenes.

Quidni Corinthi eccleſiæ poſt Apollinem præfectum dicamus, *Soſthenem* Synagogæ olim principem, ſubinde ferventem Chriſti diſcipulum, cujus ut ſuo nomine Paulus primam ſuam ad Corinthios epiſtolam inſcripſit, quando Martyrologium Romanum, illum ea in urbe defunctum tradit ad diem 28. Novembr. *Corinthi natalis S. Soſthenis diſcipuli B. Pauli Apoſtoli, cujus mentionem facit idem Apoſtolus Corinthiis ſcribens. Hic ex principe Synagogæ converſus ad Chriſtum, ante Galionem proconſulem acriter verberatus, præclaro initio fidei ſuæ primordia conſecravit.* Hunc Pſeudo-Dorotheus nullius fidei ſcriptor Colophonis in Aſia epiſcopum facit, Corintho vero epiſcopum aſſignat Silam è Chriſti diſcipulis unum, cujus eſt frequens in Actis Apoſtolorum mentio, utpote Pauli prædicationum ſocii, qui & *Silvani* nomen aſſumpſit, quod epiſtolæ utrique ad Theſſalonicenſes præfigitur. Fertur in vita S. Baini Morinorum epiſcopi, S. Silæ reliquias ei à Sergio Papa Romano conceſſas fuiſſe anno 691. quibus ille Taruannenſem eccleſiam locupletavit. Quocirca in Litaniis Morinenſis eccleſiæ Silæ nomen in Apoſtolorum claſſe recitabatur, ejuſque ſolemnitas agebatur die 10. Julii.

III. Apollonius.

Sæculo Chriſti ſecundo Corinthi eccleſiæ præfuit *Apollonius*, qui, ut fertur in libro *de hæreſibus*, qui & *Prædeſtinatus* nuncupatus eſt, veram fidem propugnavit contra novam Cerdonis hæreſim. *Contra hunc*, inquit, *ſuſcepit ſanctus Apollonius epiſcopus Corinthiorum eumque omni cum ſynodo Orientali damnavit.*

IV. Primus.

Apollonio utique ſucceſſerit *Primus*, qui, quo tempore Hegeſippus Romam naviga-

A bat, Corinthiorum eccleſiæ præerat. *Et Corinthiorum quidem eccleſia*, ait ille apud Euſebium lib. 4. cap. 22. *in recta fide manſit uſque ad Primum qui illic epiſcopatum geſſit*, μέχρι Πρίμου ἐπισκοπεύοντος ἐν Κορίνθῳ, *quicum ego familiariter colloquutus ſum, quando Romam mari navigabam: neque paucos dies cum Corinthiis verſatus ſum, mutuamque ex recta fide conſolationem accepimus. Romam vero quum veniſſem, manſi ibi apud Anicetum, cujus tunc diaconus erat Eleutherius. Poſt obitum autem Aniceti Soter ei ſuffectus fuit.*

ECCLESIA CORINTHI.

B V. Dionysius.

Sotere Pontifice Romano *Dionyſius* Corinthi eccleſiæ clavum tenebat, cujus ad Romanos, ipſumque Soterem epiſtolæ Euſebius meminit lib. 4. cap. 23. qua nempe Romanam eccleſiam eo præſertim nomine extollebat, *quod ab initio eccleſiis quamplurimis neceſſaria ſuppeditabat. Quem morem beatus epiſcopus veſter Soter*, inquit, *non ſervavit ſolùm, ſed etiam auxit, tum munera ſanctis deſtinata copioſe ſubminiſtrando, tum fratres peregrè advenientes*
C *tamquam liberos ſuos pater amantiſſimus, beatis ſermonibus conſolando.* Complures alias ad varios literas *Dionyſius* ſcripſit, quas Euſebius illo loco recenſet. In ea quam Nicomedienſibus dedit, Marcionis hæreſim impugnabat, veritatis regulam mordicus tenens. Ad Amaſtrenam & reliquas Ponti eccleſias ſcribens, Palmam Amaſtridis epiſcopum maxime commendabat, multa de nuptiis & caſtitate differebat, ſuadebatque ut & cunctos qui à quovis lapſu, etiam hæretico, reſilirent, benigne ſuſciperent. Athenienſium ec-
D cleſiæ labaſcenti epiſtola quoque data ſubſidio fuit. In Martyrologio Romano Dionyſii Corinthiorum memoria recolitur die 8. April. *Apud Corinthum B. Dionyſii epiſcopi, qui eruditione & gratia quam habuit in verbo Dei, non ſolum ſuæ civitatis & provinciæ populos, ſed & aliarum provinciarum & urbium epiſcopos epiſtolis erudivit, Romanoſque Pontifices adeo coluit, ut eorum epiſtolas publicè legere in eccleſia diebus Dominicis conſueverit.*

VI. Bacchyllus.

E Victoris Romani Papæ temporibus Corinthi epiſcopus ſedebat *Bacchyllus*, Commodo Imp. Κορίνθου δὲ τῆς ἐν Ἑλλάδι κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους ἐπίσκοπος ἦν Βάκχυλλος. Hic quum Chriſtiani Aſiatici à reliquis de ſolennitatis Paſchalis die diſcreparent, ſynodum habuit, cujus ut aliarum quæ tunc celebratæ ſunt, acta ævo ſuo ſuperfuiſſe teſtatur Euſebius lib. 5. capp. 22. & 23. ἣ ἰδίως Βακχύλλου τῆς Κορινθίων ἐκκλησίας ἐπισκόπου, καὶ πλείστων ὅσων ἄλλων.

Digitized by Google

ECCLESIA CORINTHI.

VII. Hesiodus.

Quo tempore Ariana hæreſis furebat, *Heſiodum Corinthi epiſcopum* diſcimus claruiſſe, ex libro *de Hæreſibus* quem ſuperiùs appellabam hær. 49. *Primus*, ait, *contra hos ſuſcepit S. Heſiodus epiſcopus Corinthiorum, vir qui etiam mortuos ſuſcitaſſe aſſeritur. Unde factum eſt, ut plus ſanctitatem, quam diſputationem attendentes homines, Arium execrarentur. Siquidem ejus orationibus aſſeritur ipſe Arius in ſeceſſum ſedens, univerſa ſimul intranea cum ſtercoribus profudiſſe:* ut proinde *S. Heſiodus* Conſtantinopoli ubi Arius interiit, tunc ageret.

VIII. Epictetus.

Exſtat Magni Athanaſii ad *Epictetum Corinthi epiſcopum* contra naſcentem Apollinaris hæreſim epiſtola.

IX. Dionysius II.

Ferebatur olim epiſtola Julii Papæ nomine conficta ad *Dionyſium Corinthi epiſcopum*, πρὸς Διονύσιον ἐπίσκοπον Κορίνθου, quam Gennadius in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum perperam dixit eſſe Julii, ut alios omittam qui idem affirmarunt. At Apollinari potiùs hæretico aliàs evici Timothei diſcipuli illius teſtimonio, quod ex collectaneis contra Monophyſitas protuli, necnon ex Leontio monacho. Anaſtaſius Scholiaſtes in illis collectaneis ait, Romanos Pontifices ſimilibus inſcriptionibus literas ſuas conſignare non ſolere ubi alicui epiſcopo ſcribunt, imo neque preſbytero. At vero inſcriptio illa innuit prorſus circa tempora Julii Papæ exſtitiſſe *Dionyſium quemdam Corinthi epiſcopum*, imo Apollinaris ævo, cujus ſuppreſſo nomine Julii nomen epiſtolæ ab hæretico amanuenſi præmiſſum erit.

X. Dorotheus.

Inter Patres ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis prioris in indice latino legitur *Dorotheus à Corintho*.

XI. Alexander.

Joannes Chryſoſtomus exilii ſui tempore *Alexandro epiſcopo Corinthi*, quem eximie diligeret, epiſtolam dedit, miſſo ad illum presbytero qui reſponſorias ejus literas referret. Incipit: οἶδα τὴν ἀγάπην, *Dilectionem noſti, quam, &c.* Centeſima ſexageſima eſt inter Chryſoſtomianas.

XII. Perigenes.

In Epheſina ſynodo ſedit *Perigenes epiſcopus Corinthi Helladis*, Περιγένους ἐπισκόπου Κορίνθου τῆς Ἑλλάδος. Hic quum deſignatus

A primùm fuiſſet Patrarum epiſcopus, nec illic admiſſus, ab Achaïæ ſive Helladis ſynodo promotus eſt ad Corinthi ſedem Bonifacio I. Romano Pontifice. *Quem Corinthii*, ait ipſe Bonifacius epiſt. ad Rufum Theſſalonicenſem, *ſanctum & optimi inſtituti qualitate pollentem, civitatis ſuæ non tam accipere quam retinere deſiderarunt ſacerdotem.* Quibus verbis innuit Perigenem Corinthiorum eccleſiæ alumnum fuiſſe. Atqui votis illorum ſe, ac preſbyterium ſuum Romanum annuiſſe teſtatur. Ex altera quoque Bonifacii epiſt. apertiùs liquet B hunc Corinthi civem fuiſſe. *Tanto*, inquit, *ſublimior nunc eſt, quum à ſuis poſcitur, qui & ab externis fuerat refutatus. Evidens enim Dei manifeſtumque judicium, qui eum id temporis voluit præſtolari qui mereretur huic eccleſiæ præſidere, in qua natus aſſeritur, & renatus.* Pergit, aitque epiſcopos qui illum elegerant affirmaſſe eum *irreprehenſibiliter per annos innumeros in preſbyterii honore duraſſe, & non indebito ſaltu, ſed ad ſummum gradatim veniſſe faſtigium.* Ejus tamen promotionem ratam habere diſtulit, dum à Rufo literas de eo acciperet. Scripta C epiſtola eſt 13. Kal. Oct. Monaxio v. c. coſ. hoc eſt anno Chriſti 419. Ubi vero electionem ejus Bonifacius probavit, Byzantinorum factione de illo amovendo ſynodus Conſtantinopoli coacta fuit. Quocirca Bonifacius *Ruſo & cæteris epiſcopis per Macedoniam, Achaïam, Theſſaliam, Epirum veterem, Epirum novam, Prævalim & Daciam conſtitutis* epiſtolam dedit, declarans fieri per regulas omnes non poſſe ut Perigenis honor dubius incertuſque eſſet, quippe *quem*, inquit, *in ſede eccleſiæ ſupradictæ noſtra ſententia col-* D *locavit.* Conſtantinopolitani epiſcopi ambitum mox perſtringens ſubdit: *Quis certe antiſtitum ut fratrum conveniret turba præcepit lectis epiſtolis noſtris! Quoniam locus exigit, ſi placet, recenſete canonum ſanctiones, reperietis quæ ſit poſt eccleſiam Romanam ſecunda ſedes, quæ ſit tertia.* De Perigene ita ſancit. *Ne quis volens in noſtra communione durare, fratris & conſacerdotis Perigenis iterum ad diſcutiendum in medium nomen adducat, cujus ſacerdotium Apoſtolus Petrus ſemel jam Spiritus ſancti ſuggeſtione firmavit, cui nempe dum* E *conſtitueretur à nobis, per ejus temporis ſpatium quo vacavit, nihil omnino conſtet objectum.* Atqui quæ Byzantini adverſus Perigenem tentavere, in cauſa fuerunt, cur Bonifacius per Honorium Auguſtum obtinuerit, ut Theodoſius junior legem revocaret propter quam Atticus Conſtantinopolitanus Illyrici Orientalis provincias ſibi ſubigere voluerat. Cæterum Perigenes idem apud Xyſtum Papam ſubinde delatus eſt ceu Theſſalonicenſis antiſtitis, adeoque Romanæ ſedis juriſdictionem

Digitized by Google

juriſdictionem abjiceret. Id quod epiſtola ad eum ſcripta queritur Pontifex, necnon altera rurſum ad epiſcopos qui Theſſalonicam ad ſynodum conveniebant, in qua tandem ait: *Noverit Corinthius epiſcopus ſibi licentiam poteſtatis liberæ minime tribuendam, ſi huic voluerit eccleſiæ reſultare, quam ſibi noverit profuiſſe: cui neceſſe eſt nos quoque ſi quid tentare voluerit obviare, &c. Data VIII. Id. Jul. Theodoſio XV. & Valentiniano IV. A. A. Coſſ.* hoc eſt anno 435.

XIII. Erasistratus.

Perigenem utique *Eraſiſtratus* excepit, qui ſynodo ſecundæ Epheſinæ adfuit, & ejus nequiſſimis ſanctionibus volens nolens ſuffragatus eſt. Ἐρασιστράτου ἐπισκόπου Κορίνθου τῆς Ἑλλάδος.

XIV. Petrus.

Deceſſoris ſui Eraſiſtrati facinus Epheſi admiſſum emendavit in concilio Chalcedonenſi *Petrus epiſcopus Corinthi.* Πέτρος ἐπίσκοπος Κορίνθου. Cui ſeptimo poſt anno ut ad alios ſuæ ditionis metropolitas, Leo Imp. ſcripſit ob S. Proterii Alexandrini necem. Exſtat ad eum *Petri* & ſynodi Achaïæ hac de cauſa & de Chalcedonenſi dogmate epiſtola. Interim Leo Magnus Papa, VIII. Id. Januar. Aëtio III. & Symmacho vv. cc. coſſ. i. e. anno 446. epiſtolam dedit Achaïæ metropolitis, de illicitis à Petro Achaïæ metropolitano, adverſus Patrum & Romanæ ſedis auctoritatem patratis ordinationibus, deque epiſcopo quem Theſpienſibus, ipſis invitis & repugnantibus, ignotum & ante non viſum conſecrarat.

XV. Photius.

In Conſtantinopolitana ſynodo, quæ Menna archiepiſcopo præſide Anthimum ejus deceſſorem damnavit, Dionyſius & Callinicus diaconi vices gerebant *Photii metropolitæ Corinthi.* Διονυσίου καὶ Καλλινίκου διακόνων καὶ ἀποκρισιαρίων Φωτίου τοῦ ὁσιωτάτου ἐπισκόπου τῆς μητροπόλεως Κορίνθου.

XVI. Anastasius.

Gregorius M. anno pontificatus ſui primo Indict. IX. menſe Febr. ſcribebat *Anaſtaſio archiepiſcopo Corinthi,* de impoſito ſibi munere paſtorali, benevolentiam ejus poſtulans, eique epiſtolæ latorem qui Conſtantinopolim pergebat, obnixe commendans. Hunc *Anaſtaſium* Mauritius Imp. judicem inſtituit cauſæ Hadriani Thebarum Theſſalicarum epiſcopi, de qua ſuo loco dictum eſt: quod Gregorius epiſt. 6. Ind. XI. ad Joannem Primæ Juſtinianæ præſulem teſtatur,

qui etiam epiſt. 39. vel 38. eadem Ind. XI. menſe Junio, *univerſis epiſcopis Corinthiis,* ſibi arridere ſignificat, Hadrianum illum cum adverſariis ſuis reconciliatum eſſe, vereri tamen ne concordia hæc non niſi dato præmio vel promiſſo pacta ſit. Atqui *Anaſtaſius* poſthac ſacerdotio amotus eſt, ut idem ſanctiſſimus Papa teſtatur epiſt. 52. Ind. XIII. ad ejus ſucceſſorem Joannem, quum ſcilicet ille ſimoniæ nefanda pollutionis peſte laboraſſet, ut fert rurſum epiſt. 57.

XVII. Joannes I.

Anaſtaſio dejecto ſuffectus eſt *Joannes,* Indict. XIII. ſeu anno 595. cui Gregorius mox epiſtolam ſcripſit 52. aliamque rurſum 57. leges præſcribens quibus Dei gregem recte gubernet, imprimiſque adverſus ſimoniam: epiſtola 58. quæ inſcribitur *univerſis epiſcopis per Helladiam conſtitutis,* ſignificat ſe, acceptis per Andream epiſcopum literis, Pallium *Joanni Corinthiorum epiſcopo* miſiſſe. Datæ literæ ambæ ſunt menſe Aug. Indict. XIII. Poſt menſe Decembri Indict. I. variis metropolitis ſcripſit de lege quam Mauritius Imp. promulgaverat, ne ii qui militiæ vel rationibus publicis eſſent obligati, dum cauſarum ſuarum periculum fugerent, ad eccleſiaſticum habitum venirent vel in monaſteriis converterentur: ne quis ex habitu militari ante triennii probationem in monaſterio admitteretur. Inſcribitur epiſtola *Gregorius Euſebio Theſſalonicenſi, Urbitio Dyrrachitano, Conſtantino Mediolanenſi, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthi, &c.* Alteram itidem dedit metropolitis Illyrici de *Oecumenici Patriarchæ* titulo, quo Byzantini præſules ornari volebant; nempe *Euſebio Theſſalonicenſi, Urbico Dyrrachitano, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthio, &c.*

XVIII. Stephanus.

In ſexta ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Corinthi, & legatus ſedis Apoſtolicæ antiquæ Romæ,* Στέφανος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Κορίνθου καὶ λήγατος τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης. Hoc eſt à ſynodo Romana delegatus quemadmodum & Joannes Portuenſis, Baſilius Gortynæ & alii qui perinde atque *Stephanus* ad illud generale Concilium celebrandum miſſi fuere. Hic eſt, ni fallor, ille Corinthi epiſcopus, qui cum Ancyrano & Cyzicenſi metropolitis ſeſe Gregorio Agrigentino itineris comitem præbuit, quum ille Romam pergeret, ut ſe à criminibus quorum reus agebatur, Imperatore annuente, purgaret. Inter ſubſcriptiones canonum Quini-ſextæ ſynodi vacuus notatur locus *epiſcopi Corinthi,* τοῦ Κορίνθου.

ECCLESIA CORINTH.

XIX. Hilarius.

In octava ſynodo generali, in qua de S. Ignatii in Conſtantinopolitanam ſedem reſtitutione actum eſt, ſedit & ſubſcripſit *Hilarius miſericordia Dei epiſcopus Corinthi.*

XX. Joannes II.

Synodo alteri illi quæ Photii in eamdem ſedem reſtitutionem probaſſe fertur, aderat *Joannes Corinthi*, Ιωάννου Κορίνθου, Ιωάννης Κορίνθου.

XXI. Paulus.

Sancti Petri Argivorum epiſcopi frater fuit *Paulus*, qui in Corinthi epiſcopatum quem ille recuſarat, promotus fuit à Nicolao Myſtico Patriarcha. Vide infra in epiſcopis Argi.

XXII. * * *

In vita S. Lucæ junioris, qui temporibus Leonis Sapientis & Conſtantini Porphyrogenneti Impp. è Thracia profectus in Græciæ partibus claruit, narratur Corinthi metropolitam Conſtantinopolim verſus pergentem in eum incidiſſe, eique nonnullos aureos obtuliſſe, Lucam vero non niſi nummum aureum accepiſſe ut metropolitæ gratum faceret. A metropolita deinde petiit, quo pacto ſibi liceret Euchariſtiam ſacram accipere. Cui epiſcopus, *Bene Pater*, inquit, *deque bona re quæſiviſti. Ubi ſacerdotis tibi copia non erit, ſacræ menſæ, ſi quidem oratorium erit, præſanctificatorum vaſculum imponetur, ſin vero cella, ſcamno mundiſſimo. Tum velum minus explicans, ſacras in eo particulas pones, accenſoque thymiamate, Typicorum pſalmos, aut hymnum Terſanctum canes cum ſymbolo fidei. Poſt trinam genuum flexionem, manus quidem contrahes, ore vero pretioſum Chriſti Deique noſtri corpus ſumes, dicendo, Amen. Loco ſacri laticis, vini poculum bibes, nec vero ultra poculum iſtud in communem alium uſum adhibebis. Reliquas autem particulas linteolo in vaſe colliges, omni diligentia cavens, ne margarita decidat aut pede teratur.* Quibus auditis Lucas, grates egit Archiepiſcopo, qui ſuſcepto itineri ſe dedit. Hæc Tom. 2. Auct. Bibl. PP. Græc. pag. 983.

XXIII. Athanasius I.

In Synaxario quod Baſilii Imperatoris nomen præfert, & à Papebrochio editum eſt, die 5. Maii legitur, *Commemoratio S. P. N. Athanaſii epiſcopi Corinthiorum, qui obdormivit piè & ſanctè diebus Imperii Baſilii & Conſtantini.* Inter codices Bibliothecæ Auguſtanæ, quarum index ab Antonio Rainero anno 1675. editus eſt pag. 30. memoratur, *Athanaſii cu-*

A *juſdam archiepiſcopi Corinthiorum quæſtio, cur Chriſtus in cruce, nec alio genere ſupplicii mortuus ſit, ejuſque ſolutio.*

XXIV. Georgius.

Duplici decreto Alexii Patriarchæ de monaſteriorum donatariis, deque cauſis aliis ad metropoles, archiepiſcopatus & epiſcopatus ſpectantibus, quæ edita ſunt lib. 4. Jur. Græco-Rom. ſuffragatus legitur *Georgius Corinthi*, Γεωργίου Κορίνθου, & *Sergius Corinthi*, Σεργίου Κορίνθου. Ac *Sergius* quidem
B dicitur ad calcem ſecundi decreti, in margine vero Leunclavius *Georgii*, Γεωργίου nomen appoſuit, ut conſtanter utrobique *Georgius* haberetur.

XXV. Sergius.

En epiſcopum Corinthi *Sergium* nomine, Georgio & Alexio Patriarcha longè poſteriorem, qui conventui illi procerum Imperii & epiſcoporum, in quo Alexio Comneno Imp. innovatum eſt decretum unionis de ſacrarum imaginum veneratione conſidebat,
C Σεργίου Κορίνθου, *Sergio Corinthi.* Bibl. Coiſlin. pag. 104.

XXVI. Theodorus.

Anno 1156. Luca Chryſoberge Patriarcha, Conſtantinopoli coacta ſynodo damnatus eſt ob errorem de ſacrificio Domini Soterichus Panteugenus Antiochiæ patriarcha deſignatus. Aderat *Theodorus Corinthi metropolita.* Leo Allat. vind. ſyn. Epheſ. Poſt annos decem ſubſcripſit idem Georgius ſynodico ejuſdem Lucæ decreto quo ſeptimi gradus
D nuptiæ prohibitæ ſunt. Jur. Græco-Rom. pag. 218. Sed & mox iterum alteri ſynodo interfuit anno 1166. in qua Alamannorum quorumdam qui Conſtantinopoli agebant de Chriſti deitate fides approbata eſt, illorumque criminatores proſcripti. Allat. de conſenſ. lib. 2. cap. 12.

XXVII. Georgius II.

Theophylacto Pelagoniæ recentior & Gregorio Cyprio, qui ſæculo decimo-tertio labente Conſtantinopolis Patriarcha ſedebat,
E antiquior fuit *Georgius*, aliàs *Gregorius Corinthi metropolita*, cujus habentur enarrationes Canticorum Coſmæ Monachi, Joannis Damaſceni & aliorum. Hunc Leo Allatius *Pardum* cognominatum ait in Diatriba *de Georgiis*, Vaticanumque illarum codicem laudat anno mundi ϛχλγ. 6733. Indict. ιγ. ſeu anno Chriſti 1225. à Leone Regino Calligrapho exaratum. Georgius idem Corinthi epiſcopus volumen quoque edidit de conſtructione orationis, in quo paſſim Iambos com-

Digitized by Google

mendavit Nicolai Calliclis Archiatri, qui Alexio Comneno Imp. vixit, Anna Comnena teſte lib. 15. Alexiadis, & ad quem exſtant Theophylacti epiſtolæ 33. 39. 56. 57. Gaſpar Suicerus tom. 2. Theſauri Eccleſ. in voce Μητροπάρθενος, Gregorium Corinthi metropolitam appellat Carminis S. Joannis Damaſceni in Pentecoſten expoſitorem, qui idem omnino eſt atque Georgius, qui perinde Gregorius nominatur in codd. duobus Cæſareis, Lambecio teſte tom. 1. & 2. Bibl. Cæſareæ.

XXVIII. * * *

Iſaacius Angelus Imp. metropolitis compluribus vocatis legem dedit, ne epiſcoporum electiones in urbe agerentur ullæ, ſingulis qui in ea morarentur præſulibus minimè vocatis ad ſynodum. Aderat tunc cum aliis Corinthius, ὁ Κορίνθου. Jur. Græco-Rom. lib. 2. pag. 175.

XXIX. Nicolaus.

Nicetas Choniates in hiſt. pag. 410. b. in *Balduino Flandrenſi* Imp. *Nicolai metropolitæ Corinthi* meminit, ubi procerum Imperii diſſidia recitans, Sgurum Leonem Corinthi dynaſtam inito pacto cum illo, commenſalem ipſum habuiſſe ait, τῷ τῆς μητροπόλεως Κορίνθου Νικολάῳ συνεστιώμενος. Sic tamen ut licet Sgurus corpore ei conjunctus videretur, animo tamen uti prius totus ab illo abhorreret. Quocirca hunc poſthac effoſſis oculis, præcipitem è ſcopulis dediſſe narrat, ὄθεν τὰς κόρας αἱμάξας, εἶτα καὶ κατὰ σκοπέλων ἀφῆκε.

XXX. Marcus.

Georgius Phranza lib. 2. hiſt. cap. 19. ad annum mundi 6962. Chriſti 1454. meminit *Marci metropolitæ Corinthi*, narratque ſe Corinthum veniſſe Auguſti 30. ut triremes apud Euripum ſoluturus inde pergeret. *Pium bonumque Marcum Corinthi epiſcopum*, inquit, *qui in aula noſtra natus, & nobiſcum familiariter verſatus erat, atque ab injuſta noverca vexatus, à parentibus meis non mediocria ſolatia expertus, adverſiſſimiſque caſibus patriam fugiens, in Xanthapulorum monaſterium ſeceſſerat, ubi vitam laudabilem egit, ſepultum inveni.*

XXXI. Malachias.

Proximus Marci ſucceſſor Malachias fuit, de quo hæc habet Chronicum breve Græcum, quod hiſtoriæ Michaëlis Ducæ Nepotis ſubjectum fuit ex Mſ. Cod. Regio ad annum 6955. τῷ ϛϡνε. Νεμήσεως ι. ἦλθεν εἰς Κόρινθον ὁ ἁγιώτατος μητροπολίτης κῦρος Μαλαχίας ἐπὶ τὴν κοίμησιν τοῦ ἁγιωτάτου Μάρκου. *Anno* 6955. (Chriſti 1447.) *Indict. x.* A *Corinthum venit Dominus Malachias ſanctiſſimus metropolita, poſt obitum ſanctiſſimi Marci.*

ECCLESIA CORINTHI.

XXXII. * * *

Quo tempore Turcarum Dux Joſuas Corinthum obſidione cinxit & expugnavit, Aſane Demetrio impetum illius ſtrenuè ſuſtinente, oppidani alimentorum penuria laborantes una cum epiſcopo de deditione mutua conſilia ferebant, ſed & epiſcopus ad Sultanum è civibus unum aliquem miſit, qui nuntiaret quis apud ipſos eſſet rerum ſtatus, B hortareturque, ut Corinthiis de tradenda urbe ſcriberet, ἀρχιερεὺς δὲ τῆς πόλεως, ἄνδρα τῶν τῆς πόλεως ἀποστείλας ὡς βασιλέα, ἐσήμαινέ τε αὐτῷ τὴν ἔνδειαν, καὶ ὡς σιτία πάνυ ὀλίγα ἀπολείποιτο, ὥστε ἀντέχειν. Quo audito Imperator Corinthiis de deditione literas dedit, brevique urbem obtinuit. Atqui epiſcopus ille aut Malachias erat, aut proximus ejus ſucceſſor cujus nomen omiſſum eſt. Laonic. Chalcocond. lib. 9.

XXXIII. Sophronius I.

C Anno 1574. ſententiæ ſynodicæ, qua Joaſaphus Conſtantinopolitanus Patriarcha exauctoratus fuit, ſubſcripſit *Sophronius metropolita Corinthi*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Κορίνθου Σωφρόνιος. Lib. 2. Turco-gr. pag. 172.

XXXIV. Joasaph I.

Lib. 4. Turco-Græc. pag. 323. exſtat epiſtola *metropolitæ Corinthi, viri ſapientis*, Κορίνθου μητροπολίτου ἀνδρὸς σοφοῦ, qua declaravit, irritum eſſe conjugium quo vir unus poſt filiam cujuſdam carnalem, ſpiritualem D ejuſdem alteram duxerat; quum nempè Zacharias quidam filiam carnalem Janulæ Reginam, nomine ac ſubinde ejuſdem Janulæ filiam ſpiritualem Marietam acceperat. Subſcripſit porro ὁ Κορίνθου Ἰωάσαφ. *Joaſaph Corinthi.*

XXXV. Joasaph II.

In ſynodo Cyrilli Berrhœenſis Patriarchæ, in qua Cyrilli Lucaris hæretica dogmata anno 1638. primum proſcripta ſunt, ſedebat *Joaſaph alter Corinthi metropolita*, ὁ Κορίνθου E Ἰωάσαφ.

XXXVI. Gregorius I.

Alteri ſynodo contra Lucarim quæ à Parthenio ſeniore in Moldoblachia habita eſt anno 1642. aderat *Gregorius Corinthi* ὁ Κορίνθου Γρηγόριος.

XXXVII. Cyrillus.

Anno 1650. Cyrillus qui Corinthi metropolita erat Patriarchatum Byzantinum

Digitized by Google

obtinuit, Κύριλλος ὁ ποτὲ Κορίνθου. Doſith. lib. 11. de Patriarchis Hieroſolymitanis cap. 11.

XXXVIII. GREGORIUS I.

XXXIX. PARTHENIUS.

XL. CALISTUS.

XLI. ZACHARIAS.

XLII. GREGORIUS II.

XLIII. JOASAPH III.

Hunc nuperi ævi metropolitarum Corinthi laterculum mihi peramanter ſuppeditavit vir pereruditus R. P. Bernardus de Rubeis Venetus ordinis noſtri Dominicani alumnus dum lutetiæ Pariſiorum anno 1724. ageret, ab illuſtriſſimo doctiſſimoque Domino Nicolao Comneno Papadopoli ſibi tranſmiſſum hoc ordine.

Arciveſcovi di Corintho.	*Archiepiſcopi Corinthi.*
Arciveſcovo vivente chiamaſsi Gioſaphat. L'anteceſſore Gregorio Notara. Primà di lui fu Zacaria decapitato da Turchi in Romania. Antecedentamente poi fu Caliſto, fu Parthenio, ed un altro Gregorio, detto il Terribile.	Archiepiſcopus hodie vivens vocatur *Joſaphat*, ſeu *Joaſaph*. Ejus deceſſor erat *Gregorius Notaras*. Cui præivit *Zacharias* qui à Turcis capite truncatus fuit in Romania. Ante hunc ſedit *Caliſtus*, qui *Parthenio* ſucceſſit, hicque *Gregorio* cujus cognomentum *Terribilis* fuit.

Quod Caliſtum attinet anno 1672. ſubſcripſit Conſtantinopoli Reſponſioni Dionyſii Patriarchæ ſuper Calviniſtarum erroribus, ὁ Κορίνθου Κάλλιστος.

XLIV. METROPHANES.

Nuperis hiſce annis metropolita Corinthi ſedebat *Metrophanes*, ὁ Κορίνθου Μητροφάνης.

II. ECCLESIA ATHENARUM.

ATHENÆ, inſignis ipſo Homeri ævo, *libera civitas Atticæ*, ait Plinius, *nullius indiga præconii amplius, tanta claritas ſuperfuit*. Plura ergo de priſcis Athenis hic congerere ſupervacaneum fuerit, atque actum agere foret. Situm ejus etiam hodiernum Theodoſius Zygomalas ad hunc modum deſcribit in epiſtola *de Conſtantinopolis cladibus*. *Montes Athenis vicini, Hymettus, Ariliſſus, Libacanitus, Parnethius, & Corydalus, qui eas meo judicio mirabiles faciunt, temperie aëris qui ex his montibus ſpirat, hominibus ſanitatem præbens, memoriam, voces elegantes, grataque commoda, gratum ex herbis inibi ſemper naſcentibus, & deleri neſcientibus, odorem efflans. Flumina vero Cephiſſus & Iliſſus, ex quorum aquis millia olivarum multa irrigant Athenienſes, unde tantum olei, quantum Conſtantinopoli, aliiſque civitatibus ſatis eſt, conficiunt*. Quot Theodoſius montes memorat, tot Plinius quoque numeraverat, ſed nominibus aliis præter Hymettum. *Montes*, inquit, *Briſellus, Ægialeus, Icarius, Hymettus, Lycabetus. Amnis Iliſſos, fontes Cephiſſia, Larine, Callirhoë, &c.* Athenas Paulus Theſſalonica profectus, venit, ubi coram Areopago Deum quem ignorantes colerent, annuntians nonnullos ad fidem adduxit, *in quibus Dionyſius Areopagita & mulier nomine Damaris, & alii cum eis*, ait Lucas Act. 17. Cæterum quum profani cultus Athenis præ aliis orbis locis vigerent, altas ibi radices Chriſtiana Fides non egit, peneque ſtatim exſtincta fuit. Revixit tamen ſæculo Chriſti ſecundo medio. Atque Atticæ quidem regionis metropolis Athenæ erant, ſed quod civiles dumtaxat res ſpectaret, Ἀθῆναι μητρόπολις Ἀττικῆς, ait Hierocles: verum quod divinas attinebat, Corinthii metropolitæ parebant. Circa Photii tempora archiepiſcopatus titulo augeri cœpit, ac paulo poſt metropoliticis juribus. Nam in Leonis Imp. Notitia vigeſimus-octavus metropolita eſt Athenienſis, κη΄ αἱ Ἀθῆναι. κη΄, ὁ Ἀθηνῶν Ἑλλάδος decemque ei epiſcopatus ſubduntur, *Euripi, Diauliæ*, ſive *Deabolis, Coroneæ, Orei, Andri, Scyri, Cariſti, Porthmi, Aulonis & Syræ*. Numerum eumdem habet Cruſius lib. 4. Turco-gr. pag. 325. ſcilicet *Diaulianum, Coroneenſem, Andrium, Horeotopienſem, Scyrium, Cariſtium, Porthmium, Aulonenſem, Euripi quoque epiſcopum olim, ſed is nunc Metropolita eſt*, inquit, *Syræ quondam, ſed nunc ibi Latinus epiſcopus eſt (quia multi Itali.)* At vero lib. 7. pag. 492. « ex Stephani Gerlachii epiſtola data anno 1575. Athenas ait hodie metropolim » ſex epiſcopatuum eſſe, & centum quinquaginta Eccleſiarum, quum olim decem epiſcopatus » habuiſſet. Addit eccleſiam Græcis congregationem eſſe centum aut ducentorum hominum, » interdum tantum quinquaginta aut triginta. « Thomas Smith in Notitia quatuor dumtaxat epiſcopos habet ſub hac metropoli, *Talantii, Scyri, Solonis, Mendiniſſæ*. Accuratior vero eſt illuſtriſſimi Patriarchæ Chryſanthi Notitia, in qua ſub Athenis epiſcopatus quinque numerantur, *Talantii & Diauliæ, Scyri, Salonis, Boudenitzæ & Coroniæ*. Sic etiam Jacob Sponius epiſcopatus eoſdem quinque hoc ordine numerat, *Salonam*, olim *Amphiſſam, Libudiam, Bondonitzam*, qua Athenis Lariſſam pergitur, *Talantum* ad Euripum, & *Scyrum* inſulam maris Ægæi. Chriſtianos in ipſa civitate quinquaginta duabus Eccleſiis potiri ait, quibus ſingulis unus Preſbyter ſeu Papas præeſt, atque primarium Templum *Catholicon* Græcis nuncupari.

Digitized by Google

ECCLESIA ATHENARUM.

EPISCOPI ATHENARUM.

I. Dionysius *Areopagita.*

PAULUM Apoſtolum dixi *Dionyſium* Areopagitam cum aliis ad fidem adduxiſſe. Hunc Dionyſius alter Corinthi ſæculo inſequenti epiſcopus, apud Euſebium lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 3. & lib. 4. cap. 23. in ſua ad Athenienſes epiſtola primum ipſorum fuiſſe epiſcopum ferebat. Δηλοῖ δὲ ἐπὶ τούτοις, ὡς καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου Παύλου προτραπεὶς εἰς τὴν πίστιν, κατὰ τὰ ἐν ταῖς πράξεσι δεδηλωμένα, πρῶτος τῆς τῶν Ἀθηναίων παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχείριστο. *Oſtendit præterea Dionyſium Areopagitam, qui ab Apoſtolo Paulo ad fidem allectus fuit, velut in Apoſtolorum actis declaratur, primum omnium Athenienſis Eccleſiæ epiſcopatum geſſiſſe.* Idem tradunt & Conſtitutiones Apoſtolorum lib. 7. cap. 46. Διονύσιος ἐν Ἀθήναις.

II. Publius.

III. Quadratus.

Poſt Dionyſium *Publius* Athenienſi Eccleſiæ præfuit, ex Euſebio lib. 4. cap. 23. qui teſtem laudat Dionyſium Corinthi; illique poſtquam martyrio functus erat, *Quadratus* ſucceſſit. Κοδράτου δὲ μετὰ τὸν μαρτυρήσαντα Πούπλιον καταστάντος αὐτῶν ἐπισκόπου μέμνηται. In Martyrologio Romano 11. Kal. Febr. legitur; *Athenis Natale S. Publii epiſcopi, qui poſt Dionyſium Areopagitam, Athenienſium Eccleſiam nobiliter rexit, ac præclaris virtutibus & doctrina præfulgens, ob Chriſti martyrium glorioſe coronatur.* Sic olim Uſuardus. Ado Viennenſis *de feſtivitatibus Apoſtolorum*, hunc fuiſſe Publium ait Melitæ principem, cujus patrem Paulus Apoſtolus febribus & dyſenteria vexatum ſanavit.

Eodem loco Euſebius pergit, Dionyſium Corinthi ait epiſtola quam Athenienſibus dedit, illos ad finem excitaſſe, & ad vitam ad Evangelii præcepta exigendam. Qua in re negligentiam illorum arguebat, ac ſi à fide pene deſciviſſent, ex quo Publius ipſorum epiſcopus in nuperis perſequutionibus, martyrio obierat. Addit vero Quadratum qui Publio ſuffectus erat, labore ſuo atque induſtria civibus ad Eccleſiam evocatis, redivivum fidei ardorem accendiſſe. Hieronymus in Scriptoribus Eccleſiaſticis de Quadrato hæc habet: *Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, Publio Athenarum epiſcopo, ob Chriſti fidem martyrio coronato, in locum ejus ſubſtituitur, & Eccleſiam grandi terrore diſperſam fide & induſtria ſua congregat. Quumque Hadrianus Athenis exegiſſet hyemem, inviſens Eleuſinam, & omnibus penè Græciæ ſacris initiatus, dediſſet occaſionem his qui Chriſtianos oderant, abſque præcepto Imperatoris vexare credentes; porrexit ei librum pro religione noſtra valde utilem, plenumque rationis & fidei, & Apoſtolica doctrina dignum, in quo & antiquitatem ſuæ ætatis oſtendens ait, plurimos à ſe viſos, qui ſub Domino variis in Judæa oppreſſi calamitatibus, ſanati fuerant, & qui à mortuis reſurrexerant.* Quod argumento eſt Quadratum anno 126. quo hæc ſcribebat, provectæ jam ætatis fuiſſe. Hieronymo Euſebius lib. 4. hiſt. c. 3. præluſerat Quadrati voces ipſas recitans. Addit Hieronymus *Ariſtidem philoſophum Athenienſem eloquentiſſimum, & ſub priſtino habitu Diſcipulum Chriſti, volumen noſtri dogmatis rationem continens, eodem tempore quo & Quadratus, Hadriano Principi dediſſe; id eſt Apologeticum pro Chriſtianis, quod uſque hodie perſeverans apud Philologos, ingenii ejus indicium eſt.* Hæc de Ariſtide mihi ſubjicienda erant inſigni Athenienſis eccleſiæ alumno.

Cæterum non omittendum viris eruditione claris Quadratum Athenienſem epiſcopum alium videri fuiſſe ab illo Quadrato qui religionis apud Hadrianum Imp. defenſionem ſuſcepit; quando ægre poſſe fieri videtur ut Quadratus qui Apoſtolorum diſcipulus fuit, annos eo uſque produxerit, ut non niſi anno 179. ſub Marco Aurelio Aug. martyr occumberet.

IV. Pistus.

In Nicænorum Patrum indice Latino legitur *Piſtus Athenienſis.*

V. * * *

In vita S. Martiniani Eremitæ, quæ inter Acta SS. exſtat die 13. Febr. fertur eum poſt multas oberrationes quibus ſatanæ inſidias fugerat, Athenas demum veniſſe, eccleſiam ingreſſum, vocaſſe *Epiſcopum,* qui viſo Martiniano teſtatus eſt ſibi aliquando promiſſum à Deo fuiſſe ut oculis ipſum cerneret: viciſſim vero ſanctum virum ſe Præſulis precibus commendaſſe, moxque ſubridente vultu animam efflaſſe.

VI. * * *.

Georgius Alexandrinus in vita S. Joannis Chryſoſtomi Anthemium Philoſophum Athenienſem, Joannis gloriæ invidentem, à dæmonio vexatum eſſe narrat, ſed ejus ad Deum precibus liberatum, quem deinde Urbis *epiſcopus* ſacris undis luſtravit, qui quum ſeneſcentis ætatis eſſet Chryſoſtomum ſibi ſucceſſorem deſignare cogitavit, quod Joannes audiens, urbe feſtinus diſceſſit.

Digitized by Google

Horum vero fides ſit penes auctorem. A

VII. Athanaſius.

Circa tempora Chalcedonenſis Concilii ſedebat *Athanaſius epiſcopus Athenienſis*, qui epiſtolæ epiſcoporum Helladis ad Leonem Imperatorem de ſancta illa ſynodo ſubſcriptus legitur.

VIII. Anatolius.

Decreto ſynodico quod Gennadius Conſtantinopolitanus adverſus ſimoniacos ediſſe fertur, ſubſcripſit Ἀνατόλιος ἐπίσκοπος B Ἀθηνῶν. *Anatolius epiſcopus Athenarum;* niſi forſan pro Anatolio legendum foret Athanaſius, quando plurium epiſcoporum qui literis ſynodorum ſuæ provinciæ ad Leonem Imp. ſubſcripſere, nomina in Decreti illius ſubſcriptionibus viſuntur.

IX. Leonides.

Græci in Menæis die 15. Aprilis memoriam agunt *S. Leonidis Athenarum epiſcopi*, Μνήμη Λεωνίδους ἐπισκόπου Ἀθηνῶν. In vetuſtioribus vero die 15. Martii, nec multa de C eo recitant ſed pauca hæc dumtaxat.

Σκότος συνεῖχε τὰς Ἀθήνας ἀθρόον,
Δύναντος αὐτῆς ἡλίου Λεωνίδου.

Tenebræ repentinæ Athenas obruerunt,
Occidente illis ſole Leonide.

Cæterum Leonidis ævum nulla mihi via compertum fuit.

X. Joannes.

In ſexta ſynodo generali ſedit & ſubſcrip- D ſit *Joannes epiſcopus Athenarum, & legatus Apoſtolici throni antiquæ Romæ.* Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἀθηνῶν, καὶ λεγάτος τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης. Latina tranſlatio vetus habet, *Et legatus ſancti Concilii Apoſtolicæ ſedis priſcæ Romæ.* Subſcripſit autem definitioni ſynodi per metropolitam Iſauriæ.

XI. Nicetas I.

S. Ignatii Conſtantinopolitani cauſam egregie tuitus eſt *Nicetas Athenarum metro-* E *polita*, quum ille per ſummum nefas à Photio ſua ſede exactus eſſet, ſeque ſubinde præſentem exhibuit in octava ſynodo generali act. 2. ejuſque decretis ſubſcripſit.

XII. Sabas.

In ſynodo quæ poſt Ignatii obitum ob Photii reſtitutionem habita eſt, ſediſſe ſubſcripſiſſeque legitur *Sabas Athenarum* metropolita, Σάβα Ἀθηνῶν, Σάβας Ἀθηνῶν.

XIII. Anastasius.

Illuſtris Abbas Nicolaus Papadopoli in Prænotionibus Myſtagogicis Reſp. 2. Lect. 9. *de Interſtitiis*, ex collectione Caryophili adverſus Photium, querelas profert *Anaſtaſii* Athenienſis, ac pene jurgia contra Joannem Papam VIII. qui belluam illam Photium paſſus eſſet in interdictum ſibi ſolium inſilire, ex illius ſcilicet epiſtola *ad Occidentales injuſtitiæ fautores.* Quam epiſtolam utinam præ manibus haberemus!

XIV. Theodegius.

Anno 997. ſub Siſinnio Patriarcha decretum ſynodicum latum eſt, quo prohibitum eſt ne duo fratres ſobrinas duas ducerent, aſſidente cum metropolitis aliis *Theodegio Athenarum*, Θεοδηγίου Ἀθηνῶν. Juris Græco-Rom. lib. 3. p. 203.

XV. Michael

In cod. Regio ...... habetur ſermo de Cruce *Michaëlis Athenienſis archiepiſcopi* nomine inſcriptus, qui Michaël alius forſan non fuerit ab illo Michaële qui ſynodicis duobus decretis Alexii Patriarchæ an. 1023. & 1024. ſubſcripſit, Μιχαὴλ Ἀθηνῶν, lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 256. Alterum decretum ejuſdem Alexii de ſobrinis duobus, quorum unus nupſerat cum filia impubere annos quinque cum dimidio dumtaxat nata, alter vero poſt illius puellæ obitum cum ejuſdem matre, has poſtremas nuptias ratas fecit, probavitque *Michaël religioſiſſimus Athenienſis* metropolita, lite apud ſe inchoata, & ad ſanctiſſimum Patriarcham ſcriptum æquiſſimum & accuratiſſimum Athenis hoc nomine miſit atque ſubſcripſit: καὶ Μιχαὴλ ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Ἀθηνῶν· οὗτος γὰρ καὶ τῆς δίκης παρ' αὐτοῦ προκατηρχθείσης προσήκατό τε τὸν γάμον, καὶ γραφὴν πρὸς τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην μάλα δικαιοτάτην καὶ ἀκριβεστάτην Ἀθήνηθεν πέπομφεν εἰς τοῦτο, καὶ ὑπέγραψεν. In codice Barociano hodie Bodleiano Oxonienſi 131. habentur quoque *Michaëlis metropolitæ Athenienſis Protheoria* neſcio cujus argumenti, cum epiſtolis ejus quinque.

XVI. Leo.

Anno 1054. ſedebat *Leo Athenarum metropolita* & Syncellus, qui ſententiæ illi ſubſcripſit quam Michaël Cerularius pronuntiavit in Romanæ ſedis legatos. Λέων Ἀθηνῶν καὶ σύγκελλος. Allatius Diſſ. de lib. eccl. Græc. pag. 171. Sub Alexio Patriarcha *Leone Athenarum metropolita*, cum aliis aſſidente, ſynodico decreto vetitæ ſunt nuptiæ ſeptimi gradus, illique à quibus contractæ erant, pœnas

Digitized by Google

ſubire juſſi. *Hoc quippe jam definitum eſſe literis Deſpoticis ſive Imperatoriis ad Leonem religioſiſſimum metropolitam Athenarum & Syncellum datis.* ὡρίσθη δὲ τὸ αὐτὸ πάλιν περαιωθῆναι, γράμματος δεσποτικοῦ περὶ τῆς τοιαύτης ὑποθέσεως γενομένου πρὸς Λέοντα τὸν θεοφιλέστατον μητροπολίτην Ἀθηνῶν καὶ Σύγκελλον.

XVII. Nicetas II.

Anno 1082. ſolemni conventui procerum Imperii & epiſcoporum, in quo, Alexio Comneno imperante, Decretum unionis de cultu ſacrarum imaginum confirmatum fuit, aderat *Nicetas Athenarum*, Νικήτας Ἀθηνῶν. Bibl. Coiſlin. pag. 104. Hic mihi videtur Athenarum metropolita, cujus ut metropolitæ Thebarum, & epiſcopi Euripi literæ, in ſynodo Euſtratii Patriarchæ, deceſſoris Nicolai relectæ ſunt, in qua tractatum eſt de duobus ſobrinis, qui matrem & filiam duxerant, quæ nuptiæ nefariæ judicatæ ſunt. Jur. Græco-Rom. pag. 268.

XVIII. Georgius.

Luca Chryſoberge Patriarcha, anno 1156. Soterichus Panteugenus damnatus eſt in ſynodo in qua ſedebat *Georgius Athenarum metropolita.*

XIX. Nicolaus.

Anno 1166. Lucas Chryſoberges Patriarcha novo decreto nuptias ſeptimi gradus prohibuit in ſynodo, cui adfuit & ſubſcripſit *Nicolaus Hagiotheodoritus Athenarum metropolita gregis ſui curam gerens,* ὁ ἱερώτατος μητροπολίτης Ἀθηνῶν Νικόλαος ὁ Ἁγιοθεοδωρίτης, τοῦ ὑπ᾽ αὐτὸν ποιμνίου κηδόμενος. Lucæ Patriarchæ ſynodicum habetur lib. 3. Juris Græco-Rom. pag. 217. & apud Balſamonem ad tit. 13. Nomocanonis Photii, cap. 2. Atqui *Nicolaus Athenienſis* ille eodem anno aut ſequenti inchoato ſedit in altera ſynodo, quæ Alamannorum de his Domini verbis, *Pater major me eſt,* interpretationem approbavit. Leo Allat. lib. 2. de conſenſ. cap. 12. Idem Allatius Diſſert. II. de libris Eccleſ. Græc. laudat officium S. Olei quod canunt ſacerdotes ſeptem apud Græcos, à *Nicolao Athenarum metropolita* compoſitum, ac typis Veneticis excuſum apud Chriſtophorum Zanetum anno 1559. Quinetiam vir pereruditus Nicolaus Comnenus Papadopoli in Prænotionibus Myſtagogicis Reſp. VI. Lect. VII. n. 5. *Nicolaum Athenienſem* commendat ab ejus expoſitione divini officii, in qua oſtendit loca in quibus confeſſiones excipiebantur, dicta fuiſſe *Martyria,* Μαρτύρια. Vir. Cl. Jo. Albertus Fabricius Tom. 12. Bibliothecæ pag. 483. epiſtolam Græcè edidit ab amico Hagiotheodoriti Juriſconſulti ſcriptam, qua obitum ejus acerbè lugebat.

XX. Michael II.

Sæculo ineunte decimo-tertio Athenarum metropolita ſedebat *Michaël Acominatus* Choniata, Nicetæ Acominati Choniatæ frater, ſeneſcentis tunc ætatis, cujus meminit Allatius ad eum Georgii Acropolitæ locum cap. 8. ubi de Sguro Leone Corinthi Dynaſta ſermo eſt. *Sgurus Nauplii ortus,* inquit, *vi magis quam populorum voluntate principatum à patre ſuſceptum tenuit, non ſine cruore imperans, turbulentis temporibus, Argum, Delum, Corinthum latrocinio capit, Athenaſque exercitu navibus per Iſthmum traducto adoritur. Illius conatus Athenarum præſul Michaël Choniata oratione reprimere tentat, ſed fruſtra. Tandem ſuorum ſaluti conſulens, militari prudentia graſſatorem arcet; Sgurus iram in urbem exſtimulat, cujus arcem minime valuit expugnare. Quocirca villas incendit, greges armentaque rapit, & poſt dies aliquot ſoluta obſidione, Thebas oppugnat & capit.* Hæc paucis Allatius quæ fuſiùs Nicetas Michaëlis frater enarrat in *Balduino Flandrenſi* n. 3. Ὁ γὰρ ἀρχιποίμην Ἀθηνῶν Μιχαὴλ Χωνιάτης, καὶ σύγγονος αὐτὸς ἐμός. ἐγκαλλωπίζομαι γὰρ καὶ τῇ ὁμογνιότητι, καὶ χαίρω καθ᾽ αἷμα τῷ ἀνδρὶ συναπτόμενος. κ. τ. ἑ. Poſt vero *Michaël* arcem Bonifacio Marchioni Montis-ferrati dedidit, cui nempe obſiſtendo ſe cum ſuis imparem noſſet. Exſtat *Michaëlis* oratio funebris *in Nicetæ fratris obitum.* Vide Bibl. PP. Lugd. Tom. XXV. pag. 180. Tractatus etiam *de Cruce,* & oratio altera, qua oſtendit, *Athenarum urbem valde diſſimilem eſſe ab antiqua.* In Bibliotheca Bodleiana habentur, ejuſdem *Michaëlis Athenarum, Protheoria, quod ægre adduceretur ad ingenii ſui ſpecimen aliquod edendum. Oratio Athenis habita. Catecheſis prima; ſermo in media Quadrageſima, ſermo in feſto Palmarum. Alloquium Nicephori Prætoris. Sermo quum primum inviſeret Euripum Euboïcum. Epiſtolæ variæ. Homelia de creatione hominis. Lamentatio Adyephi mortui. Controverſia judicialis inter animam & corpus. Epiſtola ad Naupacti Metropolitam. Oratio ad Iſaacium Angelum qui imperabat anno 1185. Oratio funebris in Neophytum Archimandritam monachorum Athenienſium.*

XXI. * * *.

Pachymeres in Michaële Palæologo lib. 6. cap. 23. narrat Joannem Beccum Patriarcham, quum Græcos ſuos qui unionem cum Romana Eccleſia ſancitam improbabant, afferta ex Gregorio Nyſſeno & Joanne Damaſceno Spiritus ſancti per Filium æterna

Digitized by Google

ECCLESIA ATHENARUM.

proceſſione, confutaſſet, adverſarios præſertim duos expertum eſſe, *metropolitam Epheſi & Meletium Athenarum*, τὸν περὶ τὸν Ἐφέσου, καὶ τὸν Ἀθηνῶν Μελέτιον, qui cauſarentur de receptis dogmatis quæſtionem movendam non eſſe: Meletium de his magna libertate loquutum, maxime in ſynodo; quocirca juſſiſſe pediſſequum, ſublato pallio, ad iter arripiendum eſſe paratum, quum ſe exilio plectendum exiſtimaret. Cæterum Meletius idem ſedebat in altera ſynodo ejuſdem Joannis Patriarchæ, in qua magnus Referendarius confeſſus eſt ſe Gregorii Nyſſeni locum de Spiritus ſancti proceſſione adulteraſſe, τοῦ Ἀθηνῶν καὶ ὑπερτίμου Μελετίου, *Athenarum metropolitæ & Hypertimi Meletii*. Allat. lib. 3. de conſenſ. cap. 1. Hunc ipſum Meletium eſſe Athenarum metropolitam qui cum aliis in inſcriptione literarum ſynodicarum Eccleſiæ Orientalis ad Gregorium Papam X. memoratur, vix putaverim. Hi enim cum Romana Eccleſia unionem flagitabant, à qua Meletius primis Becci temporibus videtur alienus fuiſſe.

XXII. ANTHIMUS I.

In cod. Coiſliniano CCLIII. habentur homiliæ 44 Nili archiepiſcopi Conſtantinopolitani, qui ſæculo decimo-quarto verſus finem vergente ſedebat, & fol. 191. ejuſdem Nili ſermo eſt in *S. Anthimum metropolitam Athenarum, & confeſſorem*, quem perinde laudavit atque homilia 1. *Gregorium Palamam archiepiſcopum Theſſalonicenſem*, qui in eodem codice *ſancti* quoque appellatione donatur. Plane ſanctus ille, ſi Deo placet, *Anthimus*, quem Nilus *confeſſoris* appellatione donavit, nuper à Latinis qui Cretam inſulam obtinebant exagitatus fuerat ut communionem eorum amplecteretur, ſuiſque adverſus eos dicteriis meritus erat, ut in cuſtodiam, imo in locum quemdam inferiorem traderetur; unde poſthac ereptus vitam morte commutarat. Quæ pluribus Nilus Patriarcha ea in oratione perſequitur.

XXIII. THEODORUS.

Doctiſſimus Abbas Papadopoli in Prænot. Myſtagogicis pag. 24. à Marco Epheſi oratione 2. contra Latinos laudatum refert *Theodorum Athenienſem metropolitam*, qui poſt ipſum primus claſſicum in Florentinam ſynodum cecinit; hunc vero ſingulis diebus, juxta atque Paulus effatus erat ſeſe pro mortuis luſtrare ſolitum, hoc eſt, ſeipſum multare, precibus inſiſtere, jejuniis item crebris & lacrymis non invitis.

XXIV. ISIDORUS.

Athenarum metropolitam *Iſidorum* nobis A indicat Phranza lib. 2. cap. 19. qui circa annum 1450. claruerit. *Auguſto menſe ejuſdem anni* (1445.) inquit, *rurſus Conſtantinopolim miſſus ſum. Inſuper de Trapezunte Gotthia, de conjugio Domini mei, quia de uxore inde capienda jam ante egeram, quo etiam eadem de cauſa Hieromonachos quoſdam de domeſticis meis miſeram, præſertim Hieromonachum Iſidorum, qui poſtea Athenarum metropolita deſignatus eſt.*

XXV. SOPHRONIUS I.

Inter metropolitas qui anno 1564. Joa- B ſaphum Patriarcham exauctorarunt, ſubſcripſit ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἀθηνῶν, Σωφρόνιος, *Sophronius humilis Athenarum metropolita.* Hiſt. Eccl. Turco-gr. lib. 2. pag. 174.

XXVI. NICANOR.

Lib. 4. Turco-gr. pag. 325. exſtat epiſtola *Nicanoris metropolitæ Athenarum* Theodoſio Zygomalæ magnæ eccleſiæ Protonotario, cui ſubſcripſit, ὁ Ἀθηνῶν Νικάνωρ, καὶ σὸς κατὰ πάντα, *Nicanor Athenarum, tuuſque per omnia.*

C XXVII. THEOPHANES.

Vigeſimus-ſextus ab excidio Conſtantinopolitano Patriarcha fuit *Theophanes* ex Athenienſi ſede ad primariam illam translatus, ὁ Ἀθηνῶν Θεοφάνης.

XXVIII. NEOPHYTUS.

Rurſus poſt annos quindecim poſt Matthæum Joanninenſem Patriarcha factus eſt *Neophytus Athenarum.*

XXIX. DANIEL.

D Sedebat anno 1638. in ſynodo Conſtantinopolitana Cyrilli Berrhœenſis in qua Cyrilli Lucaris capita hæretica proſcripta ſunt, *Daniel Athenarum*, ὁ Ἀθηνῶν Δανιήλ.

XXX. SOPHRONIUS. II.

Literis Parthenii ſenioris Patriarchæ de ordinatione Laurentii Caſſandriæ ſubſcripſit *Sophronius Athenarum nuper metropolita*, ὁ πρώην Ἀθηνῶν Σωφρόνιος. Quod Cyrillus Lucaris epiſt. ad Ledgerum doctorem Gebenenſem *Sophronium* erga Calvinianam ſe- E etiam ſcribebat optime affectum eſſe; hoc de *Sophronio* Selembriæ dixit, qui tamen anno 1638. ſubſcripſerat Conſtantinopolitanæ ſynodi definitioni, quibus Calviniani Lucaris errores damnati fuere.

XXXI. ANTHIMUS II.

Reſponſioni Dionyſii Patriarchæ ſuper erroribus Calviniſtarum ſubſcripſit *Anthimus Athenarum*, ὁ Ἀθηνῶν Ἄνθιμος. Sedebat adhuc anno 1676. quo Jacobus Sponius Græciam

Digitized by Google

ECCLESIA ATHENARUM.

Græciam luſtrabat, qui illum ex Calogero ſeu monacho Moreæ metropolitam factum dicit, ac virum apprimè eruditum. Addit eum tunc vigeſimum-quartum epiſcopatus annum egiſſe. Whelerus Anglus Sponii itinerum ſocius hunc è Peloponneſo oriundum, virumque doctum & politiorum fuiſſe morum teſtatur.

XXXII. Jacobus I.

XXXIII. Cyrillus.

XXXIV. Meletius.

XXXV. Jacobus II.

Ex illo metropolitarum Athenienſium qui hoc noſtro ævo ad annum uſque 1721. ſederunt catalogo, qui à ſpectatiſſimo Domino Abbate Nicolao Comneno Papadopoli ad me tranſmiſſus eſt, Anthimo ea in ſede ſucceſſit *Jacobus I. Jacobo Cyrillus, Cyrillo Meletius,* quem excepit *Jacobus* alter, qui anno 1721. in vivis ſuperſtes erat.

Quod Meletium ſpectat, is à Doſitheo Hieroſolymitano lib. 11. de Patriarch. Hieroſolym. cap. 11. paragr. 7. poſtremus memoratur Græcorum qui eruditione nuper claruerunt, utpote qui hiſtoriam eccleſiaſticam ſcripſerit. τελευταῖος πάντων Μελέτιος μητροπολίτης Ἀθηνῶν, ὁ συγγραψάμενος ἐκκλησιαστικὴν ἱστορίαν. Hujus hiſtoriæ excerptum quoddam operi illi ſuo præmiſit ipſe Doſitheus, quo apertum fit eum fuiſſe erga Latinos (quos *Papiſtas* vocitat) infenſiſſimum. Laudatur quoque à Demetrio Procopio inter recentis Græciæ eruditos, eumque Joanninis oriundum prodit, Philoſophicarum ſacrarumque literarum indagatorem, concionatorem eximium, quin & Medicæ artis abundè peritum, ad hæc Græcæ linguæ, Latinæque & Italicæ callentem, quum in Italia diu cum viris doctis verſatus eſſet. Hiſtoriam quam mox dicebam, Eccleſiaſticam commemorat, necnon librum de Geographia, in qua multorum, inquit, Geographorum vincit induſtriam in deſcriptione Peloponneſi, & cæteræ Græciæ quam ſuis ipſe oculis intenta curioſitate luſtraverat. Quod quidem opus Geographicum illuſtriſſimus Hieroſolymorum Patriarcha Chryſanthus appellavit quoque in ſua Terræ Sanctæ deſcriptione quam Venetiis anno 1728. Græco idiomate typis edendum curavit.

III. ECCLESIA CENCHREARUM.

CENCHREÆ Κέγχρεαι, vel Κεγχρεαῖ Corinthi navale ad ſinum Saronicum, ſuum primitùs propriumque epiſcopum habuit à Corinthio diverſum. Ac certe Phœbe ſoror, quam Paulus cap. 16. ad Romanos commendat, erat in miniſterio, ſive Diaconiſſa eccleſiæ Cenchrearum.

EPISCOPI CENCHREARUM.

I. Lucius.

Ex lib. 7. Conſtitution. Apoſtol. cap. 46. diſcimus Paulum Apoſtolum Eccleſiæ Cenchrearum epiſcopum deſignaſſe Lucium illum utique cujus meminit Rom. 16. v. 21. *ſalutant vos Timotheus.... & Lucius & Jaſon,* ὑπὸ δὲ Παύλου ὁ Λούκιος Κεγχρεῶν, *à Paulo autem, Lucius Cenchrearum.* Verum nullus ejus ſubinde ſucceſſor fuiſſe uſquam innuitur.

IV. ECCLESIA PATRARUM VETERUM.

PATRÆ Veteres, Πάτραι παλαιαὶ, Peloponneſi civitas eſt, cujus priſcum nomen fuit *Aroe,* in Sicyonia poſita Ptolemæo, urbs inſignis Straboni, in quam Auguſtus, ut nummi ferunt coloniam deduxit. Quocirca Plinius lib. 4. cap. 4. *Patræ,* inquit, *colonia in longiſſimo promontorio Peloponneſi condita, ex adverſo Ætoliæ & fluminis Eveni, minus M. paſſ intervallo, in ipſis faucibus.* Ea urbs itaque aliquantum à mari diſtat, in clivo ſtructa, cui mons altus ad Septemtrionem imminet. Patris Achaiæ Andreas præſertim Apoſtolus religionem prædicaſſe fertur, ibique pro Chriſto mortem obiiſſe. Quamquam S. Paulinus Nolanus Poëmate 24. Theſſalicas Patras dicit, novaſque adeo videtur indicare, quæ in Theſſalia conditæ ſunt.

Hic pater Andreas, hic qui piſcator ad Argos
Miſſus, vaniloquas docuit muteſcere linguas,
Qui poſtquam populos, ruptis erroris iniqui
Retibus explicuit, traxitque ad retia Chriſti,
Theſſalicas fuſo damnavit ſanguine Patras:

Verum Poëmate 27. ejuſdem Apoſtoli corpus Conſtantinopolim *Patris Achivis,* ubi ſe

Digitized by Google

pultum fuerat, tranſlatum canit. Quod quidem Conſtantio Auguſto contigit. Sæculo nono Patrenſis Eccleſia metropoliticis juribus ornata fuit à Nicephoro I. Imperatore » ut fertur libro 4. Juris Græco-Romani pagina 278. « Religioſiſſimus quoque metro- » polita Patrenſis, compluribus variiſque juribus munitus fuit, in hoc ut ſibi adjun- » ctos & indiviſos epiſcopatus habeat à Nicephoro τοῦ ἀπὸ τῶν γενικῶν, qui ex generali pro- » curatore factus eſt Imperator, iique illi attributi ſunt miraculi cauſa quod cernentibus » oculis factum eſt, ab eximio Primo vocato Andrea Apoſtolo, in Avarum everſione, qui » totis ducentis viginti-octo annis Peloponneſum obtinuerant, adeo ab Imperio Romano » avulſi, ut nemo Romanus in Peloponneſum vel inferre pedem poſſet. Tunc autem unius » horæ ſpatio fuerunt exterminati apparente eo primùm vocato Apoſtolo, ipſaque tota regio » Romanis ſceptris reſtituta. Mox prima Aurea Bulla prædicti principis aſſertur, quæ hanc » ipſam ſanctiſſimam Patrenſem Eccleſiam ex archiepiſcopatu in metropolim auxit, illiuſque » præſtantiſſimi Apoſtoli prodigium, tum epiſcopatus tres quos illi largitus eſt, *Methonenſem,* » *Lacedæmonium, & Sarſocoronenſem.* Mox altera huic conſona Leonis & Alexandri Augu- » ſtorum, & tertia Romani, Chriſtophori & Conſtantini, reliquarum veſtigiis inhærens: Item » præter has alia Nicephori Phocæ, quinta denique Botaniatæ illius qui nuper rerum potie- » batur, qua cæteræ quæ recenſitæ ſunt obſignantur. » In notitia Leonis epiſcopatibus illis tribus duo adduntur, Ἑλοῦ, *Elis* & Βολαίνης *Bolanæ.* Illuſtriſſimus Chryſanthus quatuor Patris attribuit, *Oleni, Tzernices, Corones, & Methones.* Lacedæmon quippe metropolis quoque facta fuit. Martinus Cruſius Patrenſem ſedem octoginta eccleſias habere ait pag. 323.

EPISCOPI PATRARUM VETERUM.

I. Stratocles.

In Græca quam apud me habeo S. Andreæ geſtorum narratione fertur, *Stratoclem* germanum Achaïæ Proconſulis fratrem, Chriſtiana religione ſuſcepta ab Apoſtolo cum Maximilla Proconſulis uxore baptizatum, Patrarum fuiſſe conſtitutum epiſcopum, cumque ac Maximillam poſt Apoſtoli martyrium, facultatibus ſuis in pauperes diſtributis, ædes pietati excolendæ idoneas, & epiſcopium ædificaſſe. Αὕτη καὶ μετὰ Στρατοκλέους πένησι τὰ ὄντα διανειμάμενοι, μικρὸν παραχωρήσαντες ἐκείνοις, ἐπεὶ μειζόνων ἑαυτοὺς ἠξίουν, B καὶ ἐπισκοπὴν οἰκοδόμησαν αὐτὴ τοῦ Στρατοκλέους εἰς ἐπισκοπὴν ἤδη παρὰ τοῦ Ἀποστόλου προχειρισθέντος, φροντιστήριά τε ἐκ βάθρων αὐτῶν δειμάμενοι, τὸ μὲν εἰς ἀνδρῶν, τὸ δὲ εἰς γυναικῶν οἴκησιν, οὕτω θεοφιλῶς τὰ ἑξῆς τοῦ βίου διανύσαντες, εἶτα καὶ πρὸς τὴν αἰωνίαν ζωὴν τέθνηκαν.

II. Plutarchus.

Inter ſubſcriptiones epiſtolæ Concilii Sardicenſis ad Eccleſias, legitur *Plutarchus ab Acacia de Patreis,* pro *ab Achaia de Patris.*

III. Alexander.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Corinthi ſive Helladis ad Leonem I. Imp. de nece S. Proterii Alexandrini & Chalcedonenſi concilio ſubſcripſit *Alexander epiſcopus Patrenus.*

IV. Theodorus.

Photius impius Conſtantinopolitana ſede prima vice ejectus, exilioque relegatus, Theodorum interim Santabarenum ſceleſtiſ- A ſimum monachum, Patrarum creari epiſcopum curavit; quod quidam non inficete exceperunt, Ἀφαντοπόλεως metropolitam eum appellantes, ſeu *urbis quam nemo conſpiceret,* quum ſuus etiam exſtaret Patris antiſtes. Illum nihilominus, tyrannide receptâ, ad Joannem Papam VIII. delegavit, & poſthac Euchaïta tranſtulit. Nicet. in vita S. Ignat. pag. 192.

V. Sabas.

In illa ſynodo quæ ob Photium reſtitutum ſub Joanne Papa VIII. habita eſt, ſedebat *Sabas Patrarum* metropolita, Σάβα Πατρῶν, ſubſcribebatque idem *Sabas Patrarum,* Σάβας Πατρῶν. Aderat itidem *Euphemianus Euchaitorum,* nec proinde niſi poſt hanc ſynodum abſolutam Santabarenus Euchaïta tranſlatus fuit.

VI. Constantinus I.

Synodis duabus Alexii Patriarchæ, in quibus de cauſis ad metropoles, epiſcopatus & monaſteria ſpectantibus actum eſt, aderat C *Conſtantinus Patrarum* metropolita, Κωνσταντίνου Πατρῶν. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 256.

VII. Leo.

In cod. Regio 1837. inter Michaëlis Pſelli epiſtolas una exſtat inſcripta τῷ μητροπολίτῃ Πατρῶν, *Metropolitæ Patrarum,* de quodam qui nonnullorum invidia Conſtantinopoli excedere & Patris exſulare cogebatur; aliaque rurſum τῷ ἐπὶ τῶν δεήσεων κυρῷ Λέοντι τῶν Πατρῶν, *Leonti Patrarum libellorum ſupplicum Magiſtro.*

Digitized by Google

VIII. Petrus.

In conventu procerum Imperii & metropolitarum, in quo decretum unionis de cultu ſanctarum imaginum confirmatum fuit, Alexio Comneno Imp. ſedebat *Petrus Patrarum*, Πέτρου Πατρῶν. Bibl. Coiſlin. p. 104.

IX. Constantinus II.

Anno 1156. Luca Chryſoberge Patriarcha, Soterichus Panteugenus Antiochiæ Patriarcha deſignatus ob errorem de ſacrificio Domini proſcriptus fuit in ſynodo cui interfuit *Conſtantinus Patrarum*. Allat. vind. ſyn. Eph.

X. Theon.

Lib. 4. Jur. Græco-Rom. ſtatutum exſtat ejuſdem Lucæ Patriarchæ, quo nuptiæ ſeptimi gradus prohibentur, cui condendo cum metropolitis aliis aderat Patrenſis, τοῦ Πατρῶν. Habita hæc ſynodus eſt anno 1166. Menſe Aprili, Indict. XIV. Moxque altera ſynodo coacta Alemannorum qui Conſtantinopoli agebant de Chriſti Deitate fides pura ſinceraque pronuntiata eſt, conſidente *Theone Patrarum*. Allat. lib. 2. de conſ. cap. 12.

XI. * * *.

Georgius Phranza lib. 3. hiſt. cap. 23. ſcribit Conſtantinum Imperatoris Joannis fratrem Patras occupare voluiſſe, quas Turci jam tenebant, qui metropolitam ſuſpectum habentes, acſi Venetorum claſſis in ipſos incurriſſet, comprehenſum palo necarunt. Plura refert Phranza lib. 2. capp. 6. 7. 8. quæ de illo intelligenda veniunt.

XII. Germanus I.

Sententiæ depoſitionis Joaſaph Patriarchæ, quæ lata eſt anno 1564. ſubſcripſit *Germanus veterum Patrarum metropolita* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης παλαιῶν Πατρῶν. Hic porro aut ejus ſucceſſor Arſenius ſedebat in ſynodo Hieremiæ II. Patriarchæ, in qua de abolenda ſimoniæ lue tractatum eſt. τοῦ παλαιῶν Πατρῶν. lib. 2. hiſt. Turco-gr. 174. 179.

XIII. Arsenius I.

Anno mundi 7088. Chriſti 1579. menſe Martio literis Metrophanis Patriarchæ II. quibus Michaël Pauliota ſororis Theodoſii Zygomalæ filius Tabularius creabatur, ſubſcripſit cum aliis *Metropolita veterum Patrarum Arſenius*. Ὁ παλαιῶν Πατρῶν μητροπολίτης Ἀρσένιος. Turco-gr. lib. 4. pag. 282. Hic Stephano Gerlachio Germano nomen ſuum in charta exaratum dedit anno 1576. Ibid. lib. 10. pag. 506.

XIV. Dionysius.

Lib. 4. Turco-gr. pag. 323. habetur epiſtola diviniſſimo, doctiſſimoque Theodoſio Zygomalæ Nauplii danda à *Dionyſio veterum Patrarum* metropolita, παλαιῶν Πατρῶν Διονύσιος.

XV. Daniel.

Reſponſioni Dionyſii Patriarchæ ſuper Calviniſtarum erroribus, quæ data eſt anno 1672. ſubſcripſit, ὁ παλαιᾶς Πάτρας Δανιήλ, *Daniel veteris Patras*. Sedebat quoque anno 1676. quo Jacob Sponius ipſum inviſit, & apud quem Anaplii ſive Nauplii metropolitam reperit. Ex eodem autem Daniele accepit Patrenſi metropoli pluſquam mille Eccleſias hodieque parere.

XVI. Timotheus.

XVII. Theophanes I.

XVIII. Parthenius.

XIX. Theophanes II.

XX. Germanus II.

XXI. Daniel I.

XXII. Arsenius II.

XXIII. Christophorus.

XXIV. Paysius.

XXV. Daniel II.

Laterculum hunc metropolitarum veterum Patrarum Venetiis ad me tranſmiſit vir præſtantiſſimus D. Abbas Papadopoli.

L'Arciveſcovo di Patraſſi attuale ha nome Daniele. De' paſſati, l'anno 1612. fu Timotheo fatto di poi Patriarcha di Conſtantinopoli. A Timotheo ſuccedette Theophane Floria, il quale godete la dignità anni 40. A queſto ſuccedette Parthenio ſuo nepote. D'indi Teofane Pocamiſtà, e poi Germano, poi Daniele, e poi Arſenio Demitropulo, e doppo queſti Chriſtophoro Andonopulo, e Paiſio.

« Archiepiſcopus Patrarum qui hodie ſedet, *Daniel* nominatur. Eorum qui ante hunc ſederunt, anno 1612. fuit *Timotheus*, qui poſt Patriarcha Conſtantinopolitanus factus eſt. Timotheo ſucceſſit *Theophanes Floria*, qui ea dignitate annos quadraginta potitus eſt. Huic ſucceſſit *Parthenius* nepos ipſius: deinde *Theophanes Pocamiſtas*, mox *Germanus*, ſubinde *Daniel*, poſt quem *Arſenius Demitropulus*, quos ſequuti ſunt *Chriſtophorus Andonopulus* & *Paiſius*. » Sedebat itaque anno 1721. Daniel ſecundus, quod etiam mihi ſignificatum eſt ab Illuſtriſſimo Patriarcha Chryſantho, ὁ παλαιῶν Πατρῶν Δανιήλ.

V. ECCLESIA ARGI.

ARGOS antiquiſſima Peloponneſi civitas, *Argiæ* ſive *Argivæ* aut Argolidis regionis mediterranea, (Plinio teſte,) à qua Argolicus ſinus dicitur. In notitia Hieroclis quinquageſima eſt provinciæ Helladis. Secunda vero eſt ſub Corintho in eâ quæ Leonis Sapientis nomen præfert. Sequiori vero ætate in epiſcopatum unum coaluit cum Nauplia ſeu Nauplio atque inter metropoles cenſita eſt, ſed nullo ei ſubjecto epiſcopatu. Scilicet Philippus Cyprius in ſua Notitia fert eam illo honore donatam à religioſiſſimo Imp. Iſaacio Angelo anno ab Adam 6597. ſeu Chriſti 1089. Melius ſcripſiſſet, Alexio Comneno, ut recte fertur in brevi chronico poſt Ducæ Michaëlis hiſtoriam. Circa annum 6903. Chriſti 1395. à Bajazethe Turcarum Sultano expugnata demum Argos fuit, poſt Coronem & Methonem, indeque urbe funditus everſa, captivorum abductis triginta millibus, coloniæ in Aſia inſtitutæ ſunt. Quod nempe Georgius Phranza narrat lib. 1. cap. 29. Deinceps itaque poſt civitatis Argi excidium Nauplium metropoliticis ejus juribus potiri cæpit. Quod Chriſtianæ fidei primordia attinet, Eccleſiam Argi à ſancto Andrea inſtitutam mihi auctor eſt S. Paulinus Poëm. 24. illicque Græcorum Sophiſtas ab eo confutatos teſtatur.

Hic pater Andreas hic qui piſcator ad Argos
Miſſus, vaniloquas docuit muteſcere linguas.

Quam Argos forſan dixerit Helladis civitatem, Græciam totam ut innueret.

EPISCOPI ARGI.

I. PERIGENES.

PRIMASIUS, ſeu auctor operis qui *Prædeſtinatus* audit lib. *de hæreſibus* in *Sethianis*, quæ 19. hæreſis eſt: *Hos ortos*, ait, *in partibus Achaïæ, contra quos ſuſcepit S. Perigenes Argûs antiſtes, oſtendens de uno ſancto viro & juſto Iſaac duos natos geminos, uno pariter utero editos .... quorum juſte alium benedictio coronavit, alium maledictio condemnavit. Hæc & ſimilia aſſerente S. Perigene, aliquanti credentes converſi ſunt, non credentes autem, nec convertentes, gladio ſunt anathematis amputati.*

II. GENETHLIUS.

Conſtantinopolitanæ ſynodo, in qua, Flaviano archiepiſcopo præſide, Eutyches damnatus primùm hæreticus fuit, aderat *Genethlius epiſcopus Argivorum*, Γενέθλιος ἐπίσκοπος Ἀργείων.

III. ONESIMUS.

Synodo Chalcedonenſi adfuit & ſubſcripſit *Oneſimus epiſcopus Argûs*, Ὀνήσιμος ἐπίσκοπος Ἄργους.

IV. THALES.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Corinthi ad Leonem Imp. ſubſcribebat *Thales epiſcopus Argi.*

V. JOANNES.

In ſexta ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Joannes epiſcopus Argûs*, Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἄργους.

VI. THEOTIMUS.

In Photiana ſynodo ſub Joanne Papa
A VIII. *Theotimus Argûs*, Θεότιμος Ἄργους. Θεοτίμου Ἄργους.

VII. PETRUS.

Argûs epiſcopus fuit *Petrus* genere Siculus vitæ S. Athanaſii Methonenſis ſcriptor, ſive Orationis funebris in beatum illum Methones epiſcopum: qui Athanaſius eo tempore natus erat quo Saraceni primam in Siciliam incurſionem fecerant, circa annum proinde 879. Scripſit & narrationem de Manichæis, quam Bulgarorum archiepiſcopo nuncupavit. Initio operis ſe à primis tem-
B poribus Baſilii Imp. miſſum ſignificat ad hæreticorum illorum progeniem, quæ in Armeniæ partibus pullularat. ἐκεῖσε παραγγυόμενος ἐν ἀρχῇ αὐτοκρατορείας Βασιλείου, τοῦ ἐκ Θεοῦ πεπισχυρισμένου τοῦ μεγάλου βασιλέως ἡμῶν. Cui ejuſque filiis Imperatoribus multos annos apprecatur. Atqui hiſtoriam hanc edidit quum nondum eſſet Argivorum epiſcopus renuntiatus, quod poſt annum 890. Nicolao Myſtico Patriarcha Conſtantinopolitano factum eſſe colligitur ex ſynaxariis Græcis. In eo quippe quod eſt collegii Pa-
C riſienſis PP. Soc. Jeſu die 3. Maii memoria fertur *S. P. N. Petri Argivorum epiſcopi Thaumaturgi, qui patriam habuit Conſtantinopolim, piiſſimis illic parentibus natus, qui cum omni familia ſua monaſticæ vitæ ſeſe dedidere. Quum autem ob virtutis excellentiam eo adigeretur ut Corinthi archiepiſcopatum admitteret, præ modeſtia & humilitate vinci non potuit ut conſentiret. Quocirca ordinato illic fratre ſuo Paulo, eum illuc ſequutus eſt. Verum Argivorum ſuique fratris precibus inductus, Argûs epiſcopus conſecratur. In primis caritate erga pauperes*

Digitized by Google

ECCLESIA ARGI.

ſulſit, imminentem Peloponneſo famem prænunciavit. Demum annum agens ſeptuageſimum poſt ſexcentos agones ſpiritum Deo reddidit. In Chronico brevi Græco quod typis editum eſt poſt hiſtoriam Ducæ Michaëlis Nepotis, ad annum 6929. Chriſti 1421. Indict. XIV. Januarii 21. fer. 3. *Siguntonanes Latinorum epiſcopus* dicitur *ſanctiſſimi Petri Nauplii & Argorum epiſcopi pretioſas reliquias ab urbe Argis Nauplium quæ epiſcopalis ſedes eſt, tranſtuliſſe. Qui tunc illic præſentes fuere, aſſeruerunt, ubi ſanctum monumentum apertum eſt, terram motu concuſſam eſſe. Odor etiam ſuavis multus manavit locum illum & aërem implens, ſed & ſepulcrum lumine ſplenduit. Pretioſæ reliquiæ multo honore depoſitæ ſunt, quarum particulis à fidelibus acceptis, complures per illas ſanati fuere.* Sancti hujus *Argivorum epiſcopi Petri* Oratio exſtat in SS. Anargyros Coſmam & Damianum.

VIII. Leo.

Synodo Conſtantinopolitanæ, in qua Soterichus Panteugenus Antiochiæ Pontifex deſignatus, deſtitutus fuit, aderat *Leo Argi.* Allat. vind. ſyn. Epheſ. pag. 585.

IX. Joannes.

Chronicon illud breve Græcum quod mox appellatum, ipſo ſtatim initio ſic habet. Τὸ Ἄργος γέγονε μητρόπολις ἐν ἔτει ͵ςφϞζ΄. Ἰωάννης ἦν ὁ ἀναβιβασθεὶς μητροπολίτης εἰς πη΄. θρόνον. γέγονε δὲ ὕστερον ρζ΄. *Anno mundi 6597.* (Chriſti 1089.) *Argos metropolis facta eſt. Joannes erat qui in metropolitam evectus eſt, in thronum 88. Thronus vero ad centeſimum ſeptimum depreſſus eſt,* ſcilicet *Argos* ab Alexio Comneno metropolis octogeſima-octava facta eſt: poſt vero centeſimum dumtaxat locum obtinuit, ſub Andronico ſcilicet ſeniore Palæologo Imp.

X. ✱ ✱ ✱.

Lib. 4. Turco-Græc. pag. 285. edita eſt à Martino Cruſio epiſtola Metrophanis II. Patriarchæ admonitoria ad metropolitam Nauplii & Argûs, qui repetundarum, σιμονιακῶς à clericis ſuis reus agebatur. Incipit: Ἱερώτατε μητροπολῖτα Ναυπλίου καὶ Ἄργους ἐν ἁγίῳ πνεύματι. *Sanctiſſime metropolita Nauplii & Argûs, in ſancto Spiritu.*

XI. Dionysius I.

Lib. eodem pag. 320. epiſtola exſtat Theodoſio Zygomalæ data à *Dionyſio metropolita Nauplii & Argorum* de ſacerdotum interverſionibus & rapinis coercendis. Subſcriptio eſt: + Ναυπλίου καὶ Ἄργους Διονύσιος. Ipſe omnino *Dionyſius* eſt ille Nauplii præſul, cui Joaſaphus Corinthi duarum ſororum nuptias, quarum alia ſpiritualis, alia carnalis eſſet, nequaquam ſibi probari ſcribebat epiſtola quam Cruſius lib. 4. pag. 323. recitat. Hoc vero negotium ad illum proximè ſpectaſſe videtur, cui tamen non fuiſſe accuratè expoſitum opinatur. Οἶμαι δὲ καὶ καλῶς πέπεισμαι, ὅτι οὐκ ἐδηλώθη τοιουτοτρόπως περὶ ἀδελφῶν καὶ συλλειτουργῷ ἡμῶν μητροπολίτῃ Ναυπλίου.

XII. Dionysius II.

Nupero ſæculo Nauplii & Argûs metropolita ſedebat *Dionyſius* alter Theophili Athenienſis Corydalii Philoſophi diſcipulus; Philoſophus ipſe quoque eximius Doſitheo Hieroſolymitano lib. 11. de Patriarch. Hieroſ. cap. 11. parag. 7. Εἰκοστὸς ἕκτος Διονύσιος μητροπολίτης Ναυπλίου, φιλόσοφος ἄριστος, καὶ αὐτὸς μαθητὴς τοῦ Κορυδαλέως. Cæterum quum Corydalii in rebus Philoſophicis diſcipulus fuerit, Calvinianorum tamen errorum quibus ille nomen dederat, minime conſors fuit, uti neque Germanus Ætolus qui Nicææ metropolita fuit, alter Corydalii diſcipulus.

XIII. ✱ ✱ ✱.

Sponius quum anno 1676. Peloponneſum luſtraret, *& Patrarum metropolitam* inviſeret, ſe apud illum reperiſſe ait metropolitam Anaplii, ſeu potius Nauplii.

XIV. Meletius.

XV. Gabriel.

Nuper ſedebat *Meletius Nauplii,* cui ſucceſſit *Gabriel,* ὁ Ναυπλίου Γαβριήλ.

VI.

ECCLESIA NAUPLII.

Nauplium vel ut veteres habent, Ναυπλία *Nauplia,* Argivorum navale eſt Straboni & Ptolemæo; hodie vero *Napoli di Romania* dicitur, urbs munita ſatis ad oram Peloponneſi Orientalem. Hæc aliquando proprium epiſcopum habuit, poſt vero metropolitæ Argûs ſedem in eam tranſtulerunt, unuſque ex ambobus epiſcopatus factus eſt.

EPISCOPI NAUPLII.

I. Andreas.

Tempore Photii ſedebat *Andreas Nauplii epiſcopus,* qui ſynodo illi adſuit, in qua de illius in Byzantinam ſedem reſtitutione actum eſt. Ἀνδρέου Ναυπλίου, Ἀνδρέας Ναυπλίου. Aderat quoque *Theotimus Argûs.*

Digitized by Google

VII.

ECCLESIA MEGALOPOLIS.

MEGALOPOLIM Arcadiæ Urbem Plinius habet lib. 4. cap. 6. ut & Ptolemæus: quæ quomodo conflata ſit Strabo narrat lib. 8. *Oppida*, inquit, *Arcadum, bellorum aſſiduitate deleta ſunt funditùs, quæ ſuperioribus ſæculis fama nobilitaverat, ex quibus temporibus agrorum cultores defecerunt. Poſt quæ plurimæ civitates ad Megalopolim habitandam conſluxerunt, cui nunc illud à Comico dictum congruit, ampla civitas ampla deſolatio fit.* Civitates autem quæ Athenienſium & Lacedæmoniorum mutuis ſimultatibus belliſque deſtructæ erant, has recitat, *Mantineam ſecunda Epaminondæ pugna illuſtrem, Orchomenum, Eræam, Clitorem, Pheneum, Stymphalum, Mænalum, Methydrium, Caphyas & Cinetham, quarum rara appareant veſtigia, aliave ſigna.* Quas tamen Plinius tamquam ævo ſuo ſtantes recenſet: nullam vero Ptolemæus. Atqui Megalopolis Arcadia primum à regionis nomine dicta eſt, quæ & Chriſtianopolis poſthac audivit, quod teſtatur indiculus locorum quorum nomina mutata fuere. Ἀρκαδία, ἡ νῦν Χριστιανούπολις. Chriſtianopolis vero Leoni Sapienti ſeptuageſima ſexta metropolis eſt in notitia. Hanc habet in ſua Thomas Smith ἡ Χριστιανούπολις ἡ καὶ Ἀρκαδία, quam verſus occiduum Peloponneſi latus in mediterranea regione ſitam perhibent.

EPISCOPI MEGALOPOLIS.

I. MARTYRIUS.

QUum inter ſubſcriptiones epiſtolæ Sardicenſis concilii ad eccleſias legatur *Martyrius ab Achaïa de Neapoli*, emendandum reor *de Megalopoli*.

II. TIMOTHEUS.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Corinthi ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcripſit *Timotheus Megalopoleos*.

III. * * *.

Nicolao Theoprobleto Grammatico Patriarcha, die 15. Novemb. Indict. x. hoc eſt anno 1087. in ſynodo tractatum ſancitumque eſt de præſtatione à clericis promovendis ſolvendorum, ſedente cum aliis Chriſtianopolitano, τοῦ Χριστιανουπόλεως. Lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 269.

IV. CONSTANTINUS.

Synodicæ ſententiæ qua Coſmas Patriarcha Bogomilicæ hæreſis ſuſpectus deſtitutus fuit, ſubſcribebat Κωνσταντῖνος ὁ εὐτελὴς μητροπολίτης Χριστιανουπόλεως, *Conſtantinus exiguus metropolita Chriſtianopolis.* C

V. * * *.

Iſaacio Angelo Imp. ſynodo Conſtantinopoli coacta, metropolita Cæſareæ palam queſtus eſt ſe, quum in urbe Regia adeſſet, minime vocatum eſſe ad electionem quorumdam epiſcoporum, præſertimque Dyrrhachii & Chriſtianopolis, τοῦ Χριστιανουπόλεως. Jur. Græco-Rom. lib. 2. pag. 173.

VI. * * *

In inſcriptione præſulum Orientalis eccleſiæ ad Gregorium Papam X. de unione
A farcienda cum Romana ſede, legitur *metropolitanus Chriſtianopolis*.

VII. MACARIUS I.

Anno mundi 6855. Indict. xv. ſeu Chriſti ann. 1347. Epiſcopi quidam Annæ Imperatrici Andronici Junioris viduæ *denuntiationem* Ἀναφορὰν obtulerunt adverſus Joannem Calecam Patriarcham, qui novis Gregorii Palamæ placitis non faveret. Horum unus fuit qui & ſubſcripſit *Macarius metropolita Chriſtianopolis*, ὁ ταπεινὸς μητροπο-
B λίτης Χριστουπόλεως, (lege Χριστιανουπόλεως) Μακάριος. Lambec. Biblioth. Cæſar. lib. 8. cod. 6.

VIII. MACARIUS II.

Sententiæ deſtitutionis Joaſaphi Patriarchæ ſubſcripſit *Macarius metropolita Chriſtianopolis, ferens & ſuffragium metropolitæ Monembaſiæ.* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Χριστιανουπόλεως, ἔχων καὶ τὴν γνώμην τοῦ Μονεμβασίας. Lib. 2. Turco-Græc. pag. 174.

IX. NICODEMUS.

Leo Allatius lib. 3. de conſenſ. cap. 7. n. 7. viros ſpectabiles multos recenſet, qui Romam è Græcia venerunt, ubi confecto literario in S. Athanaſii Collegio curſu, pro catholica communione promovenda in patriam regreſſi, operam poſuerunt: quorum ſecundus eſt *Nicodemus Gorgorycius Arcas*, Chriſtianopolis in Peloponneſo epiſcopus, *Is*, inquit, *abſolutis ſtudiis, in patriam reverſus, Patrenſem archiepiſcopum, cum cæteris artibus, tum in primis Theologicis diſciplinis erudiit. Sacerdotali dignitate cohoneſtatus, præceptis inſtitutiſque pietatis quæ in collegio hau-*

Digitized by Google

ſerat, Græcorum animos non ſine fructu, eoque ingenti, expolivit. Sæpius ab invidis ad Turcas delatus, quod cum Latinis communicaret, manifeſtum criminis capitis periculum ſubiit. In epiſcopatu, & concionibus & exemplo populum ſibi commiſſum inſtruxit, omneſque res uni ſoli catholicæ religioni poſthabuit. Sedebat ille paulo ante annum 1640.

ECCLESIA MEGALOPOLIS.

X. EUGENIUS.

Reſponſioni Dionyſii Patriarchæ ſuper Calviniſtarum erroribus, anno 1672. ſubſcripſit cum aliis *Eugenius Chriſtianopolis*. ὁ Χριστιανουπόλεως Εὐγένιος.

XI. GREGORIUS.

Nuper ſedebat *Gregorius Chriſtianopolis*, ὁ Χριστιανουπόλεως Γρηγόριος. *Gregorio di Arcadia.*

VIII. ECCLESIA LACEDÆMONIS.

LACEDÆMON, nobiliſſima olim civitas, Athenarum æmula, quæ Sparta quoque dicebatur, provinciæ Helladis Hierocli cenſetur, quin etiam metropolis Laconicæ. Λακεδαίμων μητρόπολις τῆς Λακωνικῆς, ἡ πρὶν Σπάρτη. Hecatompolim appellitatam Ἑκατόμπολιν, fert Strabo, ſeu quæ centum urbibus præfuiſſet, illius vero ætate exigua illi oppida dumtaxat triginta ſuberant. De ea Plinius lib. 4. cap. 5. hæc habet: *A Tænaro promontorio Laconicus ager, liberæ gentis, & ſinus circuitu 206. M. paſſ. trajectu 39. M. Oppida Tænarum, Amyclæ, Pheræ, Leuctra, & intus Sparta, Theramne, atque ubi fuere Cardamyle, Pitane, Anthane.* Hodie vulgo *Miſithra* dicitur, arce duobuſque ſuburbiis conſtans. Metropolis facta fuit Alexio Comneno Imp. & Euſtratio Patriarcha, anno mundi 6590. ſeu Chriſti 1082. ut fert Scholion notitiæ Leonis inſertum, ubi de Patrenſi provincia cujus prima erat Lacedæmonia, ἡ Λακεδαιμονία ἐτιμήθη εἰς μητρόπολιν παρὰ τοῦ βασιλέως κυρίου Ἀλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ ἐπὶ τοῦ κυρίου Εὐστρατίου τοῦ πατριάρχου, ἐν ἔτει ϛφϟ'. In recentioribus notitiis tres illi epiſcopatus aſſignantur, Curiopolis, Amyclarum, & Breſtenes. Primaria Eccleſia civitatis Beatæ Virginis Deiparæ nomine Deo dicata *Panagia* nuncupatur. Illic Chriſtiani multi ſunt.

EPISCOPI LACEDÆMONIS.

I. HOSIUS.

NUllum Lacedæmonis epiſcopum reperio antiquiorem *Hoſio*, qui epiſtolæ ſynodi provinciæ Helladis ad Leonem Imp. ſubſcripſit *Hoſius epiſcopus Lacedæmonis.*

II. THEODOSIUS.

In ſexta ſynodo generali ſedit atque ſubſcripſit *Theodoſius epiſcopus civitatis Lacedæmoniorum*, Θεοδόσιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Λακεδαιμονίων πόλεως.

III. THEOCLETUS.

In octava ſynodo ſedebat, *Theocletus miſericordia Dei epiſcopus Lacedæmoniæ.*

IV. ANTONIUS.

In ſynodo altera, in qua de Photii reſtitutione actum eſt, ſedebat *Antonius Lacedæmoniæ*, Ἀντωνίου Λακεδαιμονίας. Ἀντώνιος Λακεδαιμονίας.

V. THEOPEMPTUS.

Sæculo labente decimo, Baſilio Bulgaricidâ Imp. Lacedæmonis epiſcopus ſedebat *Theopemptus* Athenis oriundus, qui S. Niconem monachum in urbem ſuam advenientem gratulabundus excepit. Vit. S. Niconis mon. n. 38.

VI. NICETAS.

In illa ſynodo Conſtantinopolitana, quæ Alamannorum Byzantii agentium fidem de Chriſti deitate approbavit, ſedebat *Nicetas Lacedæmoniæ*. Allatius lib. 2. de conſenſ. cap. 12.

VII. NILUS.

Petrus Lambecius lib. 8. Bibl. Cæſareæ refert cod. 7. contineri tomum condemnationis Barlaami & Acindyni, qui Gregorii Palamæ errores expugnabant, ſubſcriptum à *Nilo Lacedæmoniæ metropolita*, ὁ Λακεδαιμονίας Νεῖλος. Tomus datus eſt menſe Aug. Ind. IX. anno 6849. Chriſti 1341.

VIII. * * *.

Quo tempore Theodorus Porphyrogennetus Deſpota Philiberto de Nailliaco Equitum Rhodiorum Magiſtro Peloponneſi dominium vendidit, Lacedæmoniorum Antiſtes Græcus effecit ne milites Latini ritus urbis ſuæ compotes fierent. Quod quidem Ordinis hujus militaris hiſtoriæ ſcriptores narrant. Nonnihil vero facinus amolitur Georgius Phranza lib. 1. cap. 20. *Theodorus Deſpota Rhodum navigans*, inquit, *Spartæ principatum ſocietati S. Joannis-Baptiſtæ & Prophetæ vendidit. Societas quoſdam è Crucigeris*

Digitized by Google

ECCLESIA LACEDÆMONIS.

ad poſſeſſionem adeundam eò mittit, quibus incolæ conſpectis, & auditis quæ geſta eſſent, hortante ira, cum ſudibus ſaxiſque ad eos occidendos concurrunt. Aſt epiſcopus illius loci interveniens, & vulgus de compeſcenda ſeditione alloquens, effecit ut dictis obtemperarent. Triduum Crucigeris definiunt, quo Spartæ finibus cum pace excederent. Ni facerent, malum habituros. Illi quod apparebat rem non rectè ituram, domum remigrant. Spartiatæ epiſcopum Principis nomine ſibi præeſſe, & ab eo utramque Rempublicam, civilem & eccleſiaſticam regi cupiunt. Theodorus ſpe deluſus pretium ſocietati reddit, quem Spartam in principatum ſuum redire volentem, populus contumeliis opertum excluſit. Poſt multos ſermones & refragationes, epiſcopo annitente, eum recipiunt, & priſtinum locum obtinere hac lege patiuntur, ut jurejurando promitteret ejuſmodi rem ſe minime in perpetuum facturum. Geſta hæc ſunt circa annum 1397.

IX. * * *.

Idem Phranza lib. 3. cap. 23. ad annum 1460. de altero Lacedæmonis epiſcopo hæc narrat: nempe Deſpotas ambos Imperatoris Joannis fratres qui Peloponneſum tenebant quo tempore à Turcis occupata eſt, *pacem demùm mutuo pepigiſſe apud Charitzam, pronuntiatis ſacramentis: Lacedæmonis ſive Spartæ metropolita cum ſacco* (genus eſt ſacræ veſtis metropolitis propriæ) *ſacris operante; quumque in divino ſacrificio ſacra populo oſtenduntur cum his verbis,* cum timore & fide accedite, *eo tempore ipſi acceſſerunt, pacemque ſe ſervaturos juraverunt.*

X. DOROTHEUS.

Monembaſiæ metropolita Dorotheus in ſynopſi hiſtoriarum p. 337. ex Theophanis magnæ eccleſiæ Rhetoris præcipuis diſcipulis unum fuiſſe fert *Dorotheum Lacedæmoniæ*, ἢ ὁ Λακεδαιμονίας Δωρόθεος. Atqui Theophanes ille temporibus florebat Dionyſii Patriarchæ qui metropolita Nicomediæ fuerat, atque adeo circa annum 1539.

XI. GREGORIUS.

Sententiæ deſtitutionis Joaſaphi Patriarchæ anno 1564. ſubſcripſit *Gregorius metropolita Lacedæmoniæ*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Λακεδαιμονίας Γρηγόριος. Turco-gr. lib. 2. pag. 174.

XII. CHRYSANTHUS.

Leo Allatius lib. 3. de perpet. conſenſ. cap. 11. n. 7. teſtatur *Chryſanthum Lacedæmoniorum metropolitam* ſua ætate Romam non ita pridem veniſſe, ut Romanam communionem iniret. Et lib. de quorumdam Græcorum opinationibus p. 152. narrat *ex Athanaſio Imbri metropolita Conſtantini cujuſdam cognomento Rezepii, qui ex Turca Chriſto nomen dederat, quod vitam viveret omnibus flagitiis inquinatam excommunicati, corpus tumulatum nihilominus fuiſſe in eccleſia SS. Petri & Pauli nationis Græcorum Neapoli & per plures annos indiſſolutum manſiſſe, ab eo autem* (Athanaſio Imbri metropolita) *poſtea & aliis metropolitis, Athanaſio Cypri & Chryſantho Lacedæmonio benedictione ſubactum, ut alia mortuorum cadavera pulverem factum.*

XIII. GABRIEL.

Literis quibus Parthenius I. Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 1643. librum *orthodoxæ confeſſionis catholicæ atque apoſtolicæ eccleſiæ Orientalis* approbabat, ſubſcripſit *Gabriël Lacedæmoniæ*, ὁ Λακεδαιμονίας Γαβριήλ.

XIV. THEODORETUS.

Doſitheus Hieroſolymitanus lib. 11. de Patr. Hieroſ. cap. 11. parag. 6. meminit *Theodoreti* Papæ ſive preſbyteri, qui Lacedæmoniæ metropolim obtinuit, ὁ Πάπας Θεοδώρητος, ὁ χρηματίσας μετέπειτα μητροπολίτης Λακεδαιμονίας. Quod contigit poſt nuperi ſæculi decimi-ſeptimi medium. Nam anno 1672. Reſponſioni Dionyſii Patriarchæ ſuper erroribus Calvinianorum ſubſcripſit *Theodoretus Lacedæmoniæ.* Ὁ Λακεδαιμονίας Θεοδώρητος.

XV. JOSEPH.

Anno 1721. ſedebat Lacedæmoniæ metropolita *Joſeph*, ὁ Λακεδαιμονίας Ἰωσήφ.

IX. ECCLESIA CORONEÆ.

CORONEA Κορώνεια Bœotiæ civitas fuit, in edito loco prope Heliconem ſtructa, Straboni, cujus meminere Plutarchus, Corneliuſque Nepos, & quæ Hierocli in Notitia decima-quarta eſt provinciæ Helladis. In Notitia Leonis Imp. epiſcopatus tertius eſt ſub Athenienſi metropolita. γʹ ὁ Κορωνείας.

EPISCOPI

Digitized by Google

EPISCOPI CORONEÆ.

I. Oneſiphorus.

IN Menologio Græcorum veteri Sirletano quod latine editum eſt tom. 2. Antiq. lect. Henrici Caniſii, ad diem 7. Decembris memoria fit *S. Oneſiphori cujus mentio ab eodem Apoſtolo* (Paulo) *facta eſt, quique fuit epiſcopus Coroneæ.* Ejus nempe meminit Paulus epiſt. 2. ad Timoth. 1. v. 16. *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit. Sed quum Romam veniſſet, ſollicite me quæſivit & invenit. Det illi Dominus miſericordiam à Domino in die illa. Et quanta Epheſi miniſtravit mihi, tu melius noſti.* Rurſus cap. 4. v. 19. *Saluta Priſcam & Priſcillam, & Oneſiphori domum.* Verum in Martyrologio Romano in Helleſponto *Oneſiphorus* martyrio functus dicitur die 6. Septembris. *In Helleſponto ſancti Oneſiphori Apoſtolorum diſcipuli, qui ibidem unà cum S. Porphyrio juſſu Hadriani Proconſulis acriter verberatus, & à ferocibus equis raptatus, ſpiritum Deo reddidit.*

II. Agathocles.

A Epheſino Concilio adſuit & ſubſcripſit *Agathocles epiſcopus civitatis Coronearum*, Ἀγαθοκλῆς ἐπίσκοπος τῆς Κορωναίων πόλεως. Sic in Actis ejuſdem ſynodi Latinis quæ relecta ſunt in altera ſynodo Epheſina, regeſtaque act. 1. Concilii Chalcedonenſis, diſertè dicitur *epiſcopus Coroneæ Achaïæ. Agathocle Coronenſi Achaïæ.* Non ergo Coronæ vel Corones Peloponneſi, quamvis in ſubſcriptionibus Græcis quas Cl. Baluzius edidit B pag. 510. novæ collectionis Conciliorum, legatur ἐπίσκοπος Κορώνης πόλεως.

III. Aphobius.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Corinthi ad Leonem Imp. ſubſcriptus legitur *Aphobius epiſcopus Coronæ.* Emendandum *Coroneæ* ex ſubſcriptionibus Græcis quæ appoſitæ ſunt Decreto Gennadii Patriarchæ Conſtantinopolitani contra Simoniacos, in quibus legitur, Ἀφόβιος Κορωνείας, *Aphobius Coroneæ.*

X. ECCLESIA CORONES.

CORONE civitas eſt Peloponneſi in Sinu Meſſeniaco, qui etiam *Coronæus* ab eâ dicitur Plinio, hodieque *Colpo di Coron.* Unde Straboni *Corone* ad mare ponitur, πρὸς τῇ θαλάσσῃ. In Notitia Leonis Imp. epiſcopatus eſt ſub Patrenſi metropoli tertius, cui etiamnum hodie ſubeſt. Cæterum nullus mihi occurrit Corones epiſcopus decimo-tertio ſæculo medio anterior.

EPISCOPI CORONES.

I. Joannes.

SÆculo ut videtur, decimo-tertio labente *Coronæ* ſive *Corones* epiſcopus ſedebat *Joannes*, ad quem Theodorus Laſcaris junior ſcripſit de Proceſſione Spiritûs Sancti adverſus Latinos opuſculum, quod ſic inſcriptum Guillelmus Cave refert in Hiſtoria Litteraria. Θεοδώρου μοναχοῦ τοῦ Λάσχαρι λόγος ἀπολογητικὸς πρὸς τὸν ἐπίσκοπον Κορώνης κατὰ τῶν Ἰταλῶν, ἤγουν κατὰ Λατίνων περὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου, *Theodori Laſcharis monachi tractatus Apologeticus ad epiſcopum Corones adverſus Italos, ſive Latinos de Spiritu ſancto.* Hunc Cavæus *Joannem* nominat Whartonum exſcribens qui codicem luſtraverat, quum id tamen ex inſcriptione voluminis non conſtet. Quorſum autem ſæculi decimi-tertii ſcriptor Theodorus ille Laſcharis monachus habendus ſit, aperit ibidem.

II. * * *.

Imperatore Joanne Cantacuzeno expeditionem in Peloponneſum parante, Latino- C rum qui illic habitabant legati cum *epiſcopo Corones* & Joanne Sidero, pacem petituri venerunt, ὁ τῆς Κορώνης ἐπίσκοπος. Quem Græci ritus fuiſſe colligo ab ejus ſocio Joanne Sidero homine Græco; quos nempe Latini idoneos magis putarent ad Byzantinum principem ſibi conciliandum. Joan. Cantacuz. lib. 3. cap. 11.

III. Arsenius.

Lib. 4. Juris Græco-Rom. pag. 322. habetur epiſtola *Arſenii epiſcopi Corones,* D Theodoſio Zygomalæ data. Narrat ſe alioſque epiſcopos cum Monembaſiæ metropolita conveniſſe, propter Joaſaphum nebulonem quemdam, qui quum multa ipſis negotia faceſſeret, ſacerdotio amotus fuerat. Epiſtolæ ſubſcripſit Κορώνης Ἀρσένιος, *Arſenius Corones.*

IV. Bessarion.

Nuper ſedebat *Beſſarion Corones. Biſarione di Coronia.*

Digitized by Google

ECCLESIA CORONES.

V. SOPHRONIUS.

Anno 1731. *Sophronius* cognomento *Graſſi epiſcopus Coronæ*, erga Romanam ſedem bene affectus, Uliſſiponem adiit à gentilibus ſuis ſua ſede expulſus quum eſſet. *Gazette du 13. Octobre.*

XI. ECCLESIA ELIDIS.

ELIS ſive *Elea* Ηλεια, Achaïæ civitas eſt, à qua *Elis* vel *Elea* regio dicta eſt. *Arcades*, ait Strabo, *pro Meſſeniis bellum ſuſceperunt, adeoque ſociam illis navarunt operam, ut univerſa ora ad Meſſenios uſque fines Arcadiam in Mediterranea contingens Elea vocitetur.* Νυῦ δὲ πᾶσαν Ηλείαν ὀνομάζεσι τὴν μεταξὺ Αχαίων τε & Μεσσηνίων παραλίαν, ἀνέχουσαν εἰς τὴν μεσογαίαν τὴν πρὸς Αρκαδίᾳ. His concinunt Ptolemæus & Scylax qui *Elidem* dixit. Hierocli in Notitia *Elis Ætoliæ metropolis* dicitur, Ηλὶς μητρόπολις Αἰτωλίας. Cæterum nulla ejus mentio eſt in eccleſiarum Notitiis.

EPISCOPI ELIDIS.

I. DIONYSIUS.

IN ſubſcriptionibus epiſtolæ Concilii Sardicenſis ad eccleſias legitur *Dionyſius ab Achaïa de Elida* (lege *Elide.*) Qui certe alius non eſt à Dionyſio cujus cauſa Euſebiani ſanctam illam ſynodum carpſerunt, in ſua quam Philippopoli Africanis dederunt epiſtola, in qua ſic fertur ex tranſlatione latina. *Dionyſium vero ab Helica provinciæ Achaïæ, quem expoſuerunt in ſynodo habuerunt, & exponentes & expoſitii Judices, & eos communicantes divina myſteria pertractant.* Codex Remigianus habet in ſubſcriptionibus Sardicenſibus *ab Elica* Librarii errore altero. Legendum vero potius eſſe *ab Elide*, colligo ex Athanaſio Apologia ad Conſtantium Imp. in qua teſtatur unum ex epiſcopis qui comites ejus fuerunt, dum ad Conſtantem Imp. pergeret, fuiſſe *Dionyſium*, qui in editis *Leidis* dicitur, Διονύσιος ὁ ἐν Λήϊδι, errore altero Amanuenſis pro ἐν Ηλίδι, *in Elide.*

XII. ECCLESIA TEGEÆ.

TEGEA Τεγέα, Arcadiæ oppidum eſt Ptolemæo, adeoque Peloponneſi Mediterranea. Plinius, *Mediterranea Peloponneſi Arcadia*, inquit, *maxime tenet, undique à mari remota, initio, Drymadis, mox Pelaſgis appellata: oppida ejus Pſophis, Mantinea, Stymphalum, Tegea, &c.* Strabo lib. 8. *Tegea mediocri adhuc ſtatu manet*, inquit. Nullis in Notitiis apparet.

EPISCOPI TEGEÆ.

I. OPHELIMUS.

IN ſynodo Chalcedonenſi ſedit ſubſcripſitque *Ophelimus epiſcopus civitatis Tegeæ*, Ὠφέλιμος ἐπίσκοπος Τεγέας. Qui certe inter epiſcopos *provinciæ Helladis* cenſetur in codice latino, ubi male *Geteas* pro *Tegeas* ſive *Tegeæ* ſcripſerunt.

XIII. ECCLESIA MESSENES.

MESSENE Μεσσήνη, Meſſeniæ regionis Peloponneſi caput fuit, de qua Plinius lib. 4. cap. 5. Ibi regio *Meſſenia duodeviginti montium, amnis Pamiſus, intus autem Meſſene, Ithome, &c.* Sequiori ævo Ithome in unam cum *Meſſene* civitatem coaluit, Georgio Phranza teſte lib. 2. hiſt. cap. 2. *Ithome, quæ nunc Meſſene dicitur.* In littore Meſſeniaci ſinus poſita *Meſſene* erat; quæ Helladis cenſetur Hierocli. In Notitiis aliis archiepiſcopatus eſt, qui & Driziparorum dicitur, Δριζιπάρων, ἤτοι Μεσσήνης. Hodieque *Meſaniga*, Nigro teſte, nominatur, Zuordo *Moſeniga.*

EPISCOPI MESSENES.

I. ALEXANDER.

UBi in ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodi Sardicenſis legitur, *Alexander ab Achaïa de Morenis*, emendo *de Meſſenis*, vel *de Meſſene*, ἀπὸ Μεσσήνης, *de Meſſene.* Non enim

de Metone vel *Methone*, quando ſubſcriptus quoque ibidem viſitur Titius vel Tychicus de Montonis, ut ſuo loco dicetur.

II. JOANNES I.

Secundæ ſynodo Epheſinæ, prædatoriæ ſcilicet aderat *Joannes epiſcopus Meſſenes Achaïæ*, Ἰωάννου ἐπισκόπου Μεσσήνης τῆς Ἀχαΐας, qui poſt biennium interfuit quoque Chalcedonenſi ſynodo, ac rurſum ſubſcripſit epiſtolæ ſynodi provinciæ Corinthi ad Leonem Imp. *Joannes epiſcopus Meſſenæ*.

III. PHILIPPUS.

In ſynodo quæ ob Photii in Byzantinum thronum reſtitutionem habita eſt, inter metropolitas & archiepiſcopos ſediſſe fertur *Philippus Meſſenes*, Φιλίππου Μεσσήνης, Φίλιππος Μεσσήνης.

IV. JOANNES II.

Sententiæ ſynodicæ qua Coſmas Atticus Patriarchatu Bogomilicæ hæreſis ſuſpectus amotus fuit, ſubſcripſit *Joannes metropolita Meſſenes*, ὁ εὐτελὴς μητροπολίτης Μεσσήνης Ἰωάννης. Allat. lib. 2. de conſenſ. cap. 12.

ECCLESIA MESSENES.

XIV. ECCLESIA CARYSTI.

CARYSTUS, Κάρυστος, Eubœæ inſulæ oppidum eſt, Plinio lib. 4. cap. 12. marmore ex quo columnæ fiebant, opulentiſſimum Straboni, ad Myrtoum mare poſitum Stephano. Helladis Provinciæ cenſetur Hierocli, & Leoni Imp. epiſcopatus eſt ſub Athenienſi metropolita.

EPISCOPI CARYSTI.

I. CYRIACUS.

EPiſtolæ ſynodi provinciæ Corinthi ad Leonem I. Imp. ſubſcripſit *Cyriacus Caryſtenus*.

II. JOEL.

Nuper ſedebat *Joël Caryſti, Joële di Cariſto*.

XV. ECCLESIA NAUPACTI.

NAUPACTUS, Ναύπακτος, quod Ptolemæo Achaïæ oppidum eſt, Ozolorum Locrorum dicebatur. Quocirca Strabo lib. 9. *Locri civitates habuerunt*, inquit, *Amphiſſam & Naupactum; quarum quidem Naupactus prope Antirrhium permanet, & nomen habet à compingendis navibus, ſive illic Heraclidæ claſſem compegerunt, ſive Locri hoc priores comparaverunt, ut ſcribit Ephorus. Ea vero nunc Ætolis ſubjungitur adjudicante Philippo.* Strabonem ad amuſſim Stephanus de *Naupacto* retulit. Nota *Naupactus* eſt in receſſu ſinus Corinthiaci poſita, ac *Lepanto* hodie dicta, à qua ſinus quoque totus nomen habet. Hierocli ad Helladis provinciam ſpectat; in Notitia vero Leonis Imp. metropolis eſt XXXVI. λϛʹ ὁ Ναυπάκτου, cui epiſcopatus novem aſſignantur, *Bunditzæ, Aeti, Acheloi, Rigarum, Joanninorum, Photices, Hadrianopolis, Buthroti & Chimaræ*. Huic ſubinde junctus eſt epiſcopatus Artæ urbis Epiri in Græcia, quod teſtatur Joannes Cantacuzenus.

Atqui *Arta*, quam vulgus *Lartam* hodie dicit, ad Ambracium ſinum exiſtit, ipſaque metropolis evaſit, *Naupacto* tranſlatis ad eam ſedem metropoliticis juribus Nicopolitanæ eccleſiæ, quæ veteris Epiri caput fuit.

EPISCOPI NAUPACTI.

I. CALLICRATES.

IN Epheſina ſynodo prima ſedit & ſubſcripſit *Callicrates epiſcopus civitatis Naupacti*, Καλλικράτης ἐπίσκοπος πόλεως Ναυπάκτου.

II. IRENÆUS.

In Chalcedonenſi *Irenæus* ſimiliter *epiſcopus civitatis Naupacti*, Εἰρηναῖος ἐπίσκοπος πόλεως Ναυπάκτου.

III. ANTONIUS.

In Photii ſynodo ſub Joanne Papa VIII. *Antonius Naupacti*, Ἀντωνίου Ναυπάκτου, Ἀντώνιος Ναυπάκτου.

IV. * * *.

Poſt annum 6534. Chriſti 1026. Joannes Scilitzes *in Conſtantino Baſilii fratre Imp.* narrat Principem ob Georgii Præfecti Naupacti necem, non in cives ſolum qui cædis

ECCLESIA NAUPACTI.

conſcii eſſent, ſæviiſſe, verum & ipſius urbis A *archiepiſcopi* effoſſos oculos fuiſſe. Quam præſulis obcæcationem Cedrenus Curopalatæ exſcriptor omiſit.

V. Basilius.

Anno 1156. in ſynodo Conſtantinopolitana quæ Manuële Comneno Imp. & Luca Chryſoberge Patriarcha, Soterichi Panteugeni cauſa coacta eſt, ſedebat *Baſilius Naupacti;* Allatio ſcilicet teſte in Vindiciis ſynodi Epheſ. pag. 585. qui addit & *Baſilium* B *Artæ*. An alius ſit à *Baſilio Naupacti*, ſynodi geſta indicarent, ſi nobis integra ſuppeterent: At certe tunc temporis Naupactus & Arta diſtincti adhuc epiſcopatus erant.

VI. * * *.

Codex Baroccianus ſeu Bodleianus Oxonienſis n. 131. varia variorum Græcorum opuſcula complectitur, in quibus *metropolitæ Naupacti* epiſtola ad archiepiſcopum Bulgariæ & alios: Item *Michaëlis Choniatæ Athena-* C *rum metropolitæ epiſtolæ ad Naupacti metropolitam,* tum deinde ejuſdem Michaëlis Choniatæ encomium in Iſaacium Angelum Imp. anno 1185.

VII. Joannes I.

Lib. 3. Juris Græco-Rom. pag. 282. Germanus Patriarcha II. decretum edidit de quibuſdam monaſteriis quæ nullo certo jure Patriarchalia cenſebantur, quod ut conderetur, in cauſa fuerunt querimoniæ *Joannis* D *Artæ* epiſcopi adverſus *Joannem Naupacti metropolitam*, τὸν μητροπολίτην Ναυπάκτου Ἰωάννην, qui monaſterium S. Demetrii in Artenſi diœceſi ſibi vindicarat, ob cruces quas ibidem fixerat. Quin & licet *Joannes Naupacti* dato inſtrumento coram ſynodo declaraſſet, neque monaſterium Catzuræ, neque aliud S. Joannis præcurſoris ſui juris eſſe, tamen in Catzurenſi iterum, etiam illata vi, ſacra facere non dubitaverat; quin etiam cruces eccleſiaſticas in aliis Artæ monaſteriis dejecerat, ut ſuas ſtatueret, preſbyteroſque ibidem ordinaverat. Atqui inſtrumentum confeſſionis *Joannis Naupacti* factum dicitur menſe Aprili, Indict. II. Decretum vero ſynodicum menſe Julio Indict. VIII. anno mundi 6549. Chriſti proinde 1235. Quapropter anno 1229. ſedebat Joannes Naupacti.

VIII. Xerus.

Quo tempore Joannes Batatzes Nicææ Græcis imperabat, quum adverſus Michaëlem Angelum Theſſaliæ deſpotam bellum gereret, ad eum Angelus oratores de pace miſit, in quibus *Xerus metropolita Naupacti*, διά τε τοῦ μητροπολίτου Ναυπάκτου τοῦ Ξήρου, unaque Meliaſſenum ſororis ſuæ generum & Lampetem. Georg. Acropol. Hiſt. n. 40.

IX. Joannes II.

Xero ſuffectus eſt *Joannes* alter qui anno 1266. ſedebat, atque Conſtantinopoli agebat quando Michaël Palæologus Imp. de Arſenio Patriarcha amovendo ſynodum coegit. Gregorius Mitylenes qui ſimulato morbo aberat, Georgio Pachymeri quem ad ipſum Imperator miſerat, declaravit, ſe idem circa Arſenii negotium ſentire quod Thomas Lariſſæ, Germanus Hadrianopolis, & *Joannes Naupacti*, τοῦ Ναυπάκτου Ἰωάννου. Pachym. lib. 4. cap. 7.

X. * * *.

In inſcriptione epiſtolæ metropolitarum eccleſiæ Orientalis ad Gregorium Papam X. de communione ineunda cum eccleſia Romana, legitur *Metropolitanus Naupacti cum ſua ſynodo*, necnon in capite literarum Gregorii Papæ ad ipſos.

XVI. ECCLESIA ARTÆ.

QUÆ Ambracia olim Epiri veteris ac Theſprotidis regionis civitas, *Arta* ſubinde dicta fertur, hodieque *Larta*, ad Arachthi fluvii oſtium nobilis civitas, Corinthiorum colonia. Ejus ſitum Livius ſic deſcribit lib. 38. cap. 4. *Ambracia tumulo aſpero ſubjecta eſt: Perranthem incolæ vocant. Urbs qua murus vergit in campos & flumen, Occidentem: arx quæ poſita in tumulo eſt, Orientem ſpectat: amnis Arethon ex Acarnania fluens cadit in ſinum maris, ab nomine propinquæ urbis Ambracium appellatum.* Ubi *Arachthum*, ut Strabo Polybiuſque ſcribunt, fluvium, *Arethontem* dicit, à quo nomen *Artæ* Ambraciæ ſequiori ævo inditum affirmavero. Atqui *Artæ* eccleſia ſæculo decimo-quarto Naupactenſi juncta, metropoliticis illius juribus ornata fuit, Joanne Palæologo & Joanne Cantacuzeno Impp. Ibi multi hodie Chriſtiani ſunt, primariumque templum Dei genitricis Annuntiatæ nuncupatione ſacrum eſt, quod Michaël Ducas exſtruxit. Naupacti *Artaque* metropolita octo olim epiſcopis præfuit, quorum quatuor Joannes I. Palæologus Imp. Joanninenſi ſedi ſubjecit. *Artenſi* hodie ſubſunt (ſi ſua ſit Jacobo Sponio fides) *Rogous*, exigua civitas decem millibus

Digitized by Google

Prevetza diſtans, *Ventza* ad ſinus Corcyrenſis partem alteram poſita, *Aëtus* Mediterranea duorum dierum itinere *Artâ* diſtans, & *Achelous* ad ejuſdem nominis fluvium ſita, ſed cujus epiſcopus in Angeli caſtro reſidet. ECCLESIA ARTÆ.

EPISCOPI ARTÆ.

I. BASILIUS.

UT Arta vel Ambracia nullis in vetuſtis Notitiis legitur, ſic epiſcopus Artæ nullus occurrit mihi, duodecimo ſæculo anterior. In ſynodo quæ anno 1156. in cauſa Soterichi Panteugeni habita eſt, ſedebat *Baſilius Artæ*. Allat. Vind. Epheſ. pag. 585.

II. JOANNES I.

Quo tempore Imperatores & Patriarchæ Græci Nicææ (capta à Franciſ Conſtantinopoli) morabantur, Artæ epiſcopus ſedebat *Joannes*, quem cum Naupactenſi metropolita monaſteriorum nonnullorum cauſa litigaſſe diximus coram Germano II. Patriarcha, ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος Ἄρτης Ἰωάννης. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 232.

III. GABRIEL.

Vir mihi non ſine laude appellandus Dom. Abbas Nicolaus Papadopoli in Prænotionibus Myſtagogicis Reſp. VI. Sect. VII. pag. 397. *de conditionibus teſtium* n. 2. Exegeſim Enarrationemve Liturgiæ Orientalis profert à *Gabriële Artæ epiſcopo* editam. Sed quo ille ſæculo vixerit, nequaquam indicat; at certe priùs, quam Naupacti eccleſia cum Artenſi copularetur.

IV. JOACIM.

Sententiæ deſtitutionis Joaſaph Patriarchæ anno 1564. ſubſcribebat *Joacim metropolita Naupacti & Artæ*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ναυπάκτου καὶ Ἄρτης. Lib. 2. Turco-Græc. pag. 174.

V. PARTHENIUS.

Literis Metrophanis Patriarchæ, quibus Michaël Pauliota Tabularii munere ornatus fuit, ſubſcripſit *Parthenius Naupacti & Artæ*, ὁ Ναυπάκτου καὶ Ἄρτης Παρθένιος. Ibid. lib. 4. pag. 282.

VI. DAMASCENUS.

Inter Theophanis magnæ eccleſiæ Rhetoris diſcipulos, qui in Chryſopege docebat (Dorotheo Monembaſiæ teſte in ſynopſi hiſtoriarum pag. 337.) claruit *Damaſcenus epiſcopus Naupacti & Artæ*, Δαμασκηνὸν τὸν Ναυπάκτου καὶ Ἄρτης. Qui certè à Martino Cruſio lib. 4. Turco-Græc. p. 497. viris doctis

A Conſtantinopolitani Patriarchatus accenſetur cum Tornobi Metropolita Arſenio, illius in Theophili Schola ſodali, ut idem fert Dorotheus. Addit quoque Hieremiam qui poſthac Patriarcha fuit, Secundus utique, ejuſdem Damaſceni auditorem fuiſſe.

VII. METROPHANES.

Anno 1580. epiſtolæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ad Moſchorum Imp. de Hieremia Patriarcha ſuæ ſedi reſtituto, ſubſcripſit *Metrophanes Naupactæ & Artæ*, ὁ Ναυ-
B πάκτης καὶ Ἄρτης Μητροφάνης.

VIII. ZACHARIAS.

Noſtra ætate Calviniſtæ magni fecere Catechiſmum neſcio quem à *Zacharia Gergano metropolita Artæ* editum, cujus excerpta confutavit Caryophilus in libro qui Romæ lingua vulgari Græca & Latina prodiit anno 1631. Ex quibus laciniis apparet Gerganum Cyrillo Lucari Patriarchæ in Lutheri & Calvini dogmatibus apud ſuos infundendis præluſiſſe. Hic nempe anno 1620. apud
C Lutheranos in Germania vagabatur.

IX. THEOPHILUS.

Cyrilli Lucaris errorum ſocius fuit *Theophilus* Athenienſis genere, *Corydalius*, Θεόφιλος Ἀθηναῖος ὁ Κορυδαλλεὺς, metropolita Naupacti & Artæ ab eo conſecratus. Lucari autem defuncto exauctorari meruit, ſuaque pulſus ſede, inopia & ærumnis confectus miſere periit. In rebus Philoſophicis verſatum illum fuiſſe, Ariſtoteliſque libros varios interpretatum teſtatur Doſitheus Hieroſoly-
D mitanus lib. 11. de Patriarch. Hieroſ. c. 11. paragr. 7.

X. BARTHOLOMÆUS.

Reſponſioni Dionyſii Patriarchæ ſuper erroribus Calvinianorum anno 1672. ſubſcribebat *Bartholomæus Naupacti & Artæ*, ὁ Ναυπάκτου καὶ Ἄρτης Βαρθολομαῖος.

XI. JOANNES II.

Naupacti metropolita *Joannes* unus è Græcis ſchiſmaticis fuiſſe dicitur, qui adverſus Latinos calamum ſtrinxit. Doſith. Hieroſ. loc. cit. Hunc à Joanne I. diverſum prorſus puto, & poſterioris ævi ſcriptorem.

Digitized by Google

XVII.

ECCLESIA OREI.

OREUS Ὠρεὸς, Eubœæ Urbs eſt *Heſtiæa* vel *Iſtiæa* quondam dicta, (Strabone teſte necnon Pauſania) quam Plinius quoque inter claras inſulæ urbes habet. Ad mare poſita erat verſus ſinum Meliacum. In Notitiis Leonis Imp. & Philippi Cyprii epiſcopus Orei Athenienſi metropolitæ ſubeſt, atque eadem eſſe fertur atque Talantium quod hodieque epiſcopatus eſt Athenienſi quoque metropolitæ obnoxius, qui cum Diaulienſi in unum coaluiſſe fertur, de quo poſtea dicetur.

EPISCOPI OREI.

I. Theophilus.

IN ſynodi Chalcedonenſis geſtis poſt *Honoratum Thaſſi civitatis inſulæ Helladis*, ſequitur *Theophilus Orei civitatis*, in tranſlatione Latina. Cl. Baluzius in aliis codicibus reperit Theophilum epiſcopum Oriæ, quod eodem recidit. In Græco autem contextu habetur *Theophilus Ariaſſi*, Θεόφιλος Ἀριασσοῦ. Ariaſſum vero alibi fruſtra quæro. A

II. Philetus.

In ſeptima ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Philetus epiſcopus Orei*, Φιλητὸς ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ὠρεοῦ.

III. Sophronius.

Stephano Gerlachio nomen in charta ſuum ſcripſit *Sophronius epiſcopus Dauliæ & Talantii*, ὁ Διαυλίας καὶ Ταλαντίου Σωφρόνιος.

IV. Dorotheus.

In ſynodo Cyrilli Berrhœenſis Patriarchæ, in qua Calviniana Cyrilli Lucaris capita anno 1638. proſcripta ſunt, ſedit & ſubſcripſit *Dorotheus Talantii*, ὁ Ταλαντίου Δωρόθεος.

V. Chrysanthus.

Sedebat non ita pridem *Chryſanthus Diauliæ*, adeoque Talantii, *Chryſantho di Diaulia.*

XVIII.

ECCLESIA PORTHMI.

PORTHMUS Πορθμὸς, altera Eubœæ civitas eſt juxta Eretriam, eaque inter inſulæ Urbes claras Plinio, quam Hierocles habet in Notitia. In ea quæ Leonis Imp. nomine inſcribitur, epiſcopatus eſt ſub Athenienſi metropolita.

EPISCOPI PORTHMI.

I. Theodorus.

IN ſynodo generali quinta ſedebat, ſubſcripſitque *Theodorus Dei miſericordia epiſcopus Porthmi Græciæ.*

II. Leo.

In ſeptimâ ſynodo *Leo epiſcopus Porthmi*, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πορθμοῦ.

XIX.

ECCLESIA MARATHONIS.

MARATHON, Μαραθὼν, Atticæ oppidum in mediterranea, inter Athenas & maris oram, exercitûs Xerxis ſtrage inſigne, cæſis ſcilicet Miltiade Duce centum millibus Perſarum. Strabo lib. 3. ſcribit Xuthum aſſumta Erechthei filia colonos ad quadripolia Atticæ terræ induxiſſe, *Oeneam, Marathonem, Probalinthum & Tricarithum.* Nulla ejus exſtat in Notitiis mentio.

EPISCOPI MARATHONIS.

I. Phlegon.

GRÆCI in Menæis die 8. Aprilis ex Dorotheo Tyrio, ferunt Marathonis epiſcopum fuiſſe *Phlegontem*, quem Paulus cap. 16. epiſt. ad Romanos v. 14. ſalutare jubet.

II. Tryphon.

Synodi Sardicenſis ad Eccleſias epiſtolæ ſubſcripſit *Tryphon de Achaia de Marathone.*

Digitized by Google

XX.

ECCLESIA ELATEÆ.

ELATEA, Ἐλάτεια, Ptolemæo Phocidis mediterraneæ oppidum eſt, de qua Plinius lib. 4. cap. 7. *Phocidis in littore unum Daphnûs: introrſus in Locris Elatea.* Straboni vero lib. 9. *Elatea Urbs eſt apud Phocenſes ampliſſima*, ruſumque in Phocide *clariſſimæ civitates duæ ſunt, Delphi & Elatea.* Ibi Mardonius cum exercitu Xerxis Perſarum regis à Pauſania & Ariſtide cæſus eſt. Apud Hieroclem Ελατήα ſcribitur, errore Librarii, ut ſæpe aliàs. Nulla ejus in Notitiis aliis mentio eſt.

EPISCOPI ELATEÆ.

I. ATHENODORUS.

IN ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodi Sardicenſis ad Eccleſias, ſubſcriptum legimus *Athenodorum ab Achaia de Blatea:* forte legendum *de Elatea.*

II. ALEXANDER.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Corinthi ad Leonem Imp. ſubſcripſit *Alexander epiſcopus Elateæ.*

XXI.

ECCLESIA MEGARORUM.

MEGARA, Μέγαρα, voce plurali neutra, imo ſingulari quoque feminea Megaridis in Attica regionis caput fuit, de qua Plinius lib. 4. cap. 7. *Attica antiquitùs Acte vocatur; attingit Iſthmum parte ſui quæ appellatur Megaris, à colonia Megara, è regione Pagarum.* A Dorienſibus conditam tradit Strabo lib. 6. Hierocli 32. civitas eſt Helladis. Hodie oppidulum eſt, cujus incolæ Chriſtiani ſunt Græcanici ritus, ſed epiſcopo proprio carent.

EPISCOPI MEGARORUM.

I. ALYPIUS.

IN ſubſcriptionibus epiſtolæ Sardicenſis ad Eccleſias legitur *Alypius ab Achaia de Megaris.*

II. NICIAS.

In ſynodo Chalcedonenſi adfuit & ſubſcripſit *Nicias epiſcopus civitatis Megarorum.* Νικίας ἐπίσκοπος πόλεως Μεγάρων. Sic act. 1. Νικία Μεγάρων, *Nicia Megarorum.*

A

III. AGATHODORUS.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Corinthi ad Leonem Imp. de Concilio Chalcedonenſi, ſubſcriptus legitur *Agatherus epiſcopus Megarenſis.* Quidam codices Baluzio teſte habent *Agathomorus*, hinc emendo *Agathodorus.*

IV. DIONYSIUS.

Quintæ ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit *Dionyſius miſericordia Dei epiſcopus Megarenſium.*

XXII.

ECCLESIA OPUNTIS.

OPUS, Ὀποῦς, Atticæ civitas in Locride haud procul à mari poſita, Sinui Opuntio nomen dedit. *Locri*, ait Plinius, *deinde Epicnemidii cognominantur, olim Leleges appellati, per quos Cephiſſus annis defertur in mare. Oppida, Opus, unde Opuntius Sinus, &c.* Sic Strabo lib. 9. *Secundum Urbes alias, in quas Bœotium littus terminatur, è regione Eubææ Sinum jacere contingit Opuntium. Opuntem autem metropolim eſſe conſtat, &c.* Eidem rurſus auctori Opus mediterranea eſt, μεσόγειος, à mari aliquantùm ſemota. Hierocli Bœotiæ decima-ſexta eſt: in aliis vero Notitiis abeſt.

EPISCOPI OPUNTIS.

I. DOMNUS.

IN Epheſina ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Domnus epiſcopus ſanctæ Dei eccleſiæ Opuntis*, Δόμνος ἐπίσκοπος τῆς κατ' Ὀποῦντα ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας.

II. ATHANASIUS.

Ad alteram ſynodum Epheſinam venit *Athanaſius epiſcopus Opuntis Achaïæ*, ἐ Ἀθανασίου Ὀποῦντος τῆς Ἀχαΐας, qui profanis ejus Decretis volens nolens ſuffragatus eſt, ſed

ECCLESIA OPUNTIS.

factum revocavit poſt biennium in Chalcedonenſi concilio, cujus ſanctioribus definitionibus ſubſcripſit, quin etiam ſubinde epiſtolæ provinciæ Corinthi ad Leonem Imp. Nam pro *Athanaſius epiſcopus Proponti*, emendare oportet *epiſcopus Opuntis*.

III. Callinicus.

Quintæ ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit *Callinicus miſericordia Chriſti epiſcopus Opuntiorum civitatis.*

XXIII. ECCLESIA PLATÆARUM.

Platææ Πλαταιαὶ, quin etiam Πλάταια *Plataa*, celebris eſt à victoria quam Pauſanias aliique Græci de Mardonio Perſarum duce juxta illam retulerunt. In Bœotia poſita fuit, Thebis ad Auſtrum aliquantum diſtans; juxta quam Strabone teſte *Aſepus* amnis fluit. Hic Platæas ait à latitudine remorum dictas, quum Platæenſes remigationis quæſtu victitarent, at quum procul à lacu habitarent non ſic propriam appellationem eſſe. Hierocli Helladis provinciæ trigeſima civitas eſt.

EPISCOPI PLATÆARUM.

I. Athenodorus.

Quum inter ſubſcriptiones epiſtolæ ſynodi Sardicenſis ad eccleſias legatur *Athenodorus ab Achaïa de Platea*, aut emendandum *de Elatea*, aut *de Platæa*.

II. Domninus.

In ſecunda ſynodo Epheſina ſedebat *Domninus Platæarum provinciæ Helladis epiſcopus*, Δομνίνου Πλαταιῶν τῆς Ἑλλάδος. Qui poſt biennium adfuit Chalcedonenſi concilio, cujus ſanctionibus ultro ſubſcripſit, Δομνῖνος ἐπίσκοπος Πλαταιῶν.

III. Plutarchus.

Subſcripſit quoque epiſtolæ provinciæ Corinthi ad Leonem Imp. *Plutarchus epiſcopus Plateenſium*, tum anno ſequenti Decreto Gennadii Conſtantinopolitani contra Simoniacos, Πλούταρχος Πλαταιῶν, *Plutarchus Platæarum.*

XXIV. ECCLESIA THEBARUM.

Thebæ Θῆβαι, Bœoticæ, ſive Bœotiæ primaria civitas eſt. Quum Thebæ Ægyptiæ ἑκατόμπυλοι à centum portis ſuis cognominarentur, à ſeptem portis ἑπτάπυλοι, cognomen quoque habuerunt. De his Thebis Plinius lib. 4. cap. 7. *Nec cedentes Athenis*, inquit, *quæ cognominantur Bœoticæ Thebæ, duorum numinum, ut volunt, Liberi & Herculis, patria.* Hanc à Cadmo conditam ferunt ad Iſmenum fluvium qui in Aſopum influit, unde arx illius *Cadmeia* dicebatur. Ejus civis fuit Epaminondas inſignis dux Græcorum exercitus. Solo æquata eſt ab Alexandro, inſtaurata vero fuit à Caſſandro. Strabonem omitto, Ptolemæum & alios veteres qui de Thebis ſcripſere. In Notitia Hieroclis Urbs Thebæ Bœotiæ metropolis dicitur Θῆβαι μητρόπολις Βοιωτίας. In ea quæ Leonis Imp. nomen præfert, quinquageſimus-octavus metropolita Thebanus eſt, νη' ὁ Θηβῶν. Poſt vero Side Pamphyliæ exſtincta, Thebarum metropolita ejus locum obtinuit. Cæterum quum Thebarum eccleſia metropoliticis honoribus aucta eſſet, nullus ei ſubjectus epiſcopatus fuit. Thebæ hodie *Thiva* dicitur, in colle ſtans. Eccleſia primaria Deiparæ virginis nomine Deo dicata, *Panagia Chriſtophoritza* nuncupatur.

EPISCOPI THEBARUM.

I. Rufus.

In Menæis Græcorum die 8. Aprilis memoria colitur *S. Rufi*, illius quem Paulus ad Rom. 16. v. 13. ſalutat. *Salutate*, inquit, *Rufum electum in Domino, & matrem ejus ac meam*, quem Thebarum fuiſſe epiſcopum canunt. Ροῦφος τῶν Θηβῶν κοσμήσας θρόνον πάλαι, *Rufum qui Thebarum ornavit thronum olim.* Et in lectione fertur: Ὁ δὲ Ροῦφος, οὗ καὶ αὐτοῦ μέμνηται ἐν τῇ πρὸς Ρωμαίους ἐπιστολῇ, ἐπίσκοπος τῆς κατὰ τὴν Ἑλλάδα πόλεως τῶν Θηβῶν ἐγένετο. *Rufus vero, cujus etiam Apoſtolus in epiſtola ad Romanos meminit, Thebarum Helladis epiſcopus fuit.* Hunc ab Apoſtolo Petro epiſcopum eſſe creatum produnt ejuſdem Apoſtoli acta apud Bollandi continuatores ad diem 29. Junii, ἐν ταῖς Ἑπταπύλοις Θήβαις Ροῦφον, *Rufum in Thebis Heptapylis.* Qui certe *Rufus* ille ipſe eſt de quo S. Polycarpus in epiſtola ad Philippenſes, *Rogo igitur vos omnes inſiſtere verbo juſtitiæ & patientiæ,* quam

Digitized by Google

quam & oculata fide (oculis ipſis) *vidiſtis, non ſolum in beatiſſimis illis Ignatio, Zoſimo & Rufo*, ἐν τοῖς μακαρίοις Ἰγνατίῳ, Ζωσίμῳ καὶ Ῥούφῳ, *ſed & in aliis qui ex vobis ſunt, & in ipſo Paulo & cæteris Apoſtolis.* Quibus videtur ſignificari *Rufum* martyrio functum eſſe.

II. Julius.

Epiſtolæ Sardicenſis ſynodi ad eccleſias ſubſcripſit *Julius de Acacia de Thebe Eptapyleos*, lege *de Achaïa, de Thebis Heptapylis.*

III. Anysius.

Epheſinæ ſynodo adfuit & ſubſcripſit *Anyſius ſanctæ eccleſiæ Thebarum Helladis epiſcopus*, Ἀνύσιος ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Θήβας ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας τῆς κατὰ τὴν Ἑλλάδα.

IV. Architimus.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Corinthi ad Leonem Imp. ſubſcripſit *Architimus Thebarum.*

V. Marcianus.

In octava ſynodo generali ſedit & ſubſcripſit *Marcianus miſericordia Dei archiepiſcopus Thebarum.*

VI. * * *.

Circa annum 1080. ab Euſtratio Patriarcha celebrata ſynodus eſt, in qua relectæ ſunt literæ metropolitæ Athenarum, *metropolitæ item Thebarum*, καὶ μητροπολίτου Θηβῶν, & epiſcopi Euripi de duobus ſobrinis qui matrem & filiam duxerant, quarum nuptiæ illicitæ declaratæ ſunt. Jur. Græco-Rom. pag. 268.

VII. Joannes.

Anno 1166. Luca Chryſoberge Patriarcha, Alamannorum qui Conſtantinopoli agebant de Chriſti deitate fides approbata eſt, ſedebat *Joannes Thebarum.* Leo Allat. lib. 2. de conſenſ. cap. 12.

ECCLESIA THEBARUM.

VIII. Caloctenes.

Theodorus Balſamon in expoſitione Canonis VI. Chalcedonenſis, meminit *Caloctenis ſanctiſſimi Thebarum metropolitæ*, τοῦ ἁγιωτάτου μητροπολίτου Θηβῶν τοῦ Καλοκτένη, qui epiſcopos iis in locis ſubſtituerat, in quibus nulli antehac exſtiterant. Id quod Michaël Philoſophus Patriarcha, ille ſcilicet qui ab Anchialo cognomen habuit, cum ſua ſynodo probavit. Idem rurſus ab eodem Balſamone affertur, in interpretatione Canonis VI. Laodiceni.

IX. Joasaph.

Sententiæ deſtitutionis Joaſaphi Patriarchæ Conſtantinopolitani anno 1564. ſubſcripſit *metropolita Thebarum Joaſaph*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Θηβῶν Ἰωασάφ. Cujus tempore Joſeph Malenus apud Allatium lib. 3. de conſenſ. cap. 17. n. 6. abſolutam à ſe teſtatur canonum collectionem, *in celeberrima ſanctiſſimaque metropoli Thebarum Heptapylo, in qua eſt templum glorioſi Apoſtoli, necnon Protomartyris, in ea præſidente ſanctiſſimo & divinitùs ornato metropolita Hypertimo, & totius Bœotiæ Exarcho, atque Sidæ metropolitæ locum tenente Joaſaph*, ἐπὶ τοῦ καλῶς καὶ θεαρέστως ταύτην ἀρχιερατεύοντος τοῦ πανιερωτάτου καὶ θεοκοσμήτου μητροπολίτου ὑπερτίμου καὶ ἐξάρχου πάσης Βοιωτίας, καὶ τὸν τόπον ἐπέχοντος τοῦ Σίδης Ἰωασάφ.

X. Damianus.

Nuper, anno 1721. ſedebat *Damianus Thebarum metropolita*, ὁ Θηβῶν Δαμιανός.

XXV. ECCLESIA THESPIARUM.

Thespiæ, Θεσπιαὶ, mediterranea Bœotiæ civitas Thebis proxima, Herodoti ævo notiſſima erat, ad Theſpium fluvium poſita, quæ hodieque *Theſpe* dicitur. Haud procul à mari diſtat, quippe cujus emporium Creuſa, Strabone teſte fuit. *Oppidum liberum*, Plinio lib. 4. cap. 7. Hierocli Helladis civitatum vigeſima-ſecunda eſt.

EPISCOPI THESPIENSES.

I. * * *.

Leo Magnus Papa epiſtola data ad Achaïæ epiſcopos, queritur, ipſorum metropolitam Perigenem, *præter illicitas ordinationes, alias inſuper auſibus ſuis addidiſſe, ut Theſpienſibus invitis & repugnantibus incognitum, & ante non viſum epiſcopum ordinaret.* Quocirca ſubdit: *Illi prorſus metropolitano hoc licere non permittimus, ut ſuo tantum arbitrio, ſine cleri & plebis aſſenſu quemquam ordinet ſacerdotem, ſed eum eccleſiæ Dei præficiat, quem totius civitatis conſenſus elegerit.*

II. Rufinus.

Anno 458. epiſtolæ ſynodi provinciæ Corinthi ad Leonem Imp. de Chalcedonenſi concilio ſubſcripſit *Rufinus epiſcopus Theſpienſis.*

XXVI.

ECCLESIA TANAGRORUM.

TANAGRA, Τάναγρα, nomine Græco pluralis numeri, vel femineo ſingulari, Bœotiæ quoque oppidum fuit, de quo ut de Theſpiis Strabo lib. 9. *Reliquæ urbes pari ſeſe habent ratione, ut ne quidem pagi formam retineant, præter Tanagra & Theſpias.* Inter oppida Bœotiæ mediterranea Ptolemæus quoque *Tanagra* collocat. À *Tanagris* urbe regio omnis *Tanagra* quoque & *Tanagrea* dicta eſt, cujus multi vici, Aulis, Mycaleſſus & alii ad oram uſque Euripi hinc inde exſtarent. *Tanagra* Plinio liber populus eſt. *Tanagra* Hierocles habet in Notitia, in qua male Πάναγρα, *Panagra* legitur. Hanc hodie *Anactoriam* nominari aiunt. At *Anactoria,* Plinio lib. 4. cap. 1. in Epiro fuit, vel Anactorium in Ætolia, ſeu Acarnania à Templo Actio quadraginta ſtadiis diſtans in ſinu Ambracio, haud procul à Lacu Pandoſia; niſi idem nomen Tanagris etiam inditum ſit.

EPISCOPI TANAGRORUM.

I. HESYCHIUS.

EPiſtolæ ſynodi provinciæ Corinthi ad Leonem Aug. anno 458. ſubſcriptus legitur *Iſichius epiſcopus Tanagrenſis*. Lege *Heſychius*.

II. NICANDER.

Quando Tanagra poſteriori ævo *Anactoria* dicta feruntur, Tanagrorum fuiſſe epiſcopum oportet *Nicandrum Anactaropolios*, qui Allatio teſte lib. adverſ. Hotting. ſynodo adfuit Calliſti Patriarchæ, in qua Barlaam & Acindynus Gregorii Palamæ adverſarii damnati fuere.

XXVII.

ECCLESIA SCARPHIÆ.

SCARPHIA, Σκάρφεια Locrorum Epicnemidiorum civitas fuit ad maris oram & Boagrii fluminis oſtia prope Thermopylas; Plinio lib. 4. cap. 7. & Ptolemæo. Eſt etiam eodem Plinio teſte cap. 12. inſula Helladis, Scarphia in mari Ægæo. Prima Helladis provinciæ civitas Hierocli in notitia, Σκάρφεια, *Scarphia.*

EPISCOPI SCARPHIÆ.

I. ZOILUS.

EPiſtolæ ſynodi provinciæ Helladis ad Leonem Aug. de nece S. Proterii Alexandrini & concilio Chalcedonenſi ſubſcriptus legitur, *Zoïlus epiſcopus Carſiæ,* vel ut codices Baluzii habent, *Carſiæ,* pro *Scarphiæ,* Σκαρφείας.

XXVIII.

ECCLESIA CHALCIDIS.

CHALCIS civitas præcipua eſt Eubœæ inſulæ, de cujus ſitu hæc habet Strabo lib. 9. *Euripus ille Chalcidis prope conſiſtit à Sunio promontorio ſtadiis diſtans 70. ſuperque illo pons duorum jugerum imminet, utrimque autem turris inſtat, una in Chalcide, altera in Bœotia, ad ipſamque fabricata fiſtula eſt. De ipſo namque Euripi refluxu tantum ſolummodo dicere ſatis eſt, quod die quolibet ſepties curſum tranſmutat. Cauſa vero alibi ſcrutanda eſt.* Plinius lib. 4. cap. 12. *Eubœa,* inquit, *avulſa Bœotiæ, tam modico interfluente Euripo, ut ponte jungatur ad meridiem promontoriis duobus, urbibus clara quondam, Pyrrha, Porthmo .... Ocha, Oechalia, nunc Chalcide, cujus ex adverſo in continente Aulis eſt.* Urbem Chalcidem à terra dividit meatus maris anguſtus, & littoribus utrimque contractus. Eſt autem freto nomen Euripus. Talem habet Eubœa ſitum, fretum una junctum trabe, qua quoties lubet impoſita, videntur indigenæ continentem incolere, & in oram adverſam pedibus eunt. Chalcis inſulæ Eubœæ Helladis civitas 27. cenſetur Hierocli, cujus epiſcopus & Chalcidis & Eubœæ, quin etiam identidem Euripi dicitur. In Notitia Leonis Imp. Euripus prima civitas epiſcopalis eſt ſub Athenarum metropolita, hodie Chalcis *Negroponte* appellatur.

Digitized by Google

ECCLESIA CHALCIDIS.

EPISCOPI CHALCIDIS.

I. Anatolius.

Alexandrinæ ſynodo quam Athana- A
ſius habuit poſt Conſtantii Imp. obitum, aderat *Anatolius Eubœæ*. Ἀνατόλιος Εὐβοίας, niſi forte quis legendum putet Βεῤῥοίας. Nam circa hæc tempora in ſynodo Meletii Antiocheni ſedit & ſubſcripſit Anatolius Berrhœæ Syriæ, Ἀνατόλιος Βεῤῥοίας, qui è Syria Alexandriam ad Concilium quod ibi celebrabatur perrexerit, quemadmodum alii qui ante ipſum nominantur. Vide Socrat. lib. 3. hiſt. cap. 25.

II. Constantinus. B

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Corinthi ad Leonem Aug. ſubſcripſit *Conſtantinus epiſcopus Chalcidis*.

III. Joannes.

In codicibus Græcis manu exaratis etiam vetuſtis, hinc inde aliquot occurrunt orationes de Chriſtianæ religionis myſteriis, & in ſolemnitates Sanctorum, *Joannis Damaſceni & epiſcopi Evææ* ſive *Eubææ* nomine inſcriptæ, Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ καὶ ἐπισκόπου Εὐοίας. C

IV. Theodorus I.

In octava ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Theodorus Dei miſericordia epiſcopus Euripi*.

V. Theophylactus.

In Photiana ſubinde ſub Joanne Papa VIII. *Theophylactus Euripi*, Θεοφυλάκτου Εὐρίπου, Θεοφύλακτος Εὐρίπου.

VI. Georgius.

Doctiſſimus Montefalconius in Palæographia pag. 44. codicem Græcum appel- D
lat, Florentini Conventus S. Marci Ord. Prædicatorum, quo Joannis Chryſoſtomi expoſitiones in Evangelia continentur, anno 6451. ſeu Chriſti 943. exaratum cura *Georgii religioſiſſimi Pontificis & Protepiſcopi Euripi*. δι' ἐπιμελείας Γεωργίου τοῦ θεοφιλεστάτου ἀρχιερέως καὶ πρωτεπισκόπου Εὐρίπου. *Protepiſcopum* Amanuenſis *Georgium* dicit, quia, ut ante monui, Euripi epiſcopus primus cenſebatur illorum qui Athenienſis metropolitæ ſollicitudini ſuberant.

VII. * * *. E

In ſynodo Euſtratii Patriarchæ quæ circa annum 1080. habita eſt, relectæ ſunt literæ metropolitæ Athenarum, metropolitæ Thebarum & *epiſcopi Euripi*, καὶ ἐπισκόπου Εὐρίπου, de ſobrinis duobus, qui matrem & filiam duxerant, horumque nuptiæ proſcriptæ fuerunt. Jur. Græco-Rom. pag. 268.

VIII. * * *.

Sub Michaële Anchiali Byzantino Patriarcha, menſe Novembri die 1. Indict. v. anno Chriſti 1172. Synodali decreto ſancitum eſt non oportere clericos ex aliena Diœceſi creare: de qua re quum tractatus ageretur, epiſcopi tres appellati ſunt, à quibus ejuſmodi ordinationes patratæ eſſent, nimirum Dercenſis, Prænetenſis & *Chalcidenſis*, καὶ Χαλκίδος. Lib. 3. Jur. Græc. p. 227. Niſi forſan Chalcidis Thraciæ epiſcopus ille fuerit.

IX. Theodorus II.

Lib. 11. epiſtolarum Innocentii Papæ III. epiſtola 179. inſcribitur *epiſcopo Neopatrenſi, & epiſcopo Davalienſi, & Abbati S. Lucæ Nigropontenſis*, in qua *de Theodoro epiſcopo Nigropontis* Græco ſermo eſt, *qui ſua fecit conqueſtione monſtrari*, inquit, *quod licet coram dilecto filio Benedicto tit. S. Suſannæ preſbytero cardinali tunc Apoſtolicæ ſedis legato, ſacro-ſanctæ Romanæ eccleſiæ canonicam obedientiam promiſerit exhibere præſtito juramento, & idem legatus epiſcopatum ipſum auctoritate qua fungebatur, confirmarit eidem, Archiepiſcopus tamen Athenienſis metropolitanus ipſius, occaſione aſſumpta ex eo quod inungi nolebat juxta conſuetudinem Latinorum, præſertim cùm idem archiepiſcopus mandatum ſuper hoc non haberet Apoſtolicum ſpeciale, ipſum pro ſuæ voluntatis arbitrio præſumpſit deſtituere, juris ordine prætermiſſo, & alium in epiſcopum eligi fecit in ejus præjudicium & gravamen. Cum igitur dictus epiſcopus tam nobis, quam ipſi archiepiſcopo paratus ſit, ut aſſerit, canonicam obedientiam exhibere, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi ita eſt, ipſum ad epiſcopatum prædictum, mediante juſtitia, ſublato quolibet appellationis obſtaculo, reſtitui faciatis, nec permittatis eum ſuper eo indebitè moleſtari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam compeſcentes. Datum Laterani 6. Id. Decemb. Pontif. noſtri anno 11.*

Poſt *Theodorum Nigroponte* præfectus epiſcopus Latinus fuit.

X. Daniel.

Reſponſioni Dionyſii Patriarchæ ſuper erroribus Calvinianorum anno 1672. ſubſcribebat *Daniel Euripi*, ὁ Εὐρίπου Δανιήλ.

XI. Nectarius.

Anno 1721. ſedebat *Nectarius Euripi*; ὁ Εὐρίπου Νεκτάριος.

Digitized by Google

ECCLESIA MONEMBASIÆ.

XXIX. QUÆ olim Thucydidi Ἐπίδαυρος Λίμηρα, *Epidaurus Limera*, Plinio lib. 4. cap. 5. *Epidaurus Limera* ſtatuitur in Laconiæ littore & Argolico ſinu; cui concinunt Ptolemæus & Strabo. Limera Λιμήρα cognomen Epidauro illi additum alii putant, à voce Græca λιμὴν quæ portum ſignificat, eo quod portubus Argolicus ſinus abundat, alii à λιμὸς, fames, ob ſoli ſterilitatem. Exſtat itaque in initio ſinus Argolici, in rupe in modum inſulæ mari undique cincta, & ponte dumtaxat ligneo oblongo jungitur lingulæ terræ quæ in mare excurrit, propter quem unicum, eumque arctiſſimum in eam aditum Μονεμβασία, *Monembaſia* audiit. Portum habet capacem, & arcem munitam à Turcis excitatam in vicino colle, ubi quondam Urbs Epidaurus aſſurgebat. Monembaſiam egregie deſcribit Georgius Phranza lib. 3. cap. 24. quem juvat audire ut pote qui alia ad urbis Eccleſiam ſpectantia una ſerie recitat. « Et ſane Urbs hæc, *inquit*, nomen ſuum Μονεμβασία proprie vereque
» gerit. Nam ingredi volentibus unum præbet introitum, eumque nec machina, nec ſollertia
» aut arte comparatum: ſed ipſa natura eam munivit, nec alia ſub ſole tam inconcuſſa &
» inexpugnabilis quibuſvis bellicis machinis inveniri poteſt. Magiſtratuum autem & civium,
» & populi virtutem quod ſpectat, terra marique ad omnia fortes & idonei ſunt. Ac mare
» quidem perite navigant, naves inſtitorias habent, magnos gubernatores & naucleros optimos,
» non ſuarum modo navium, ſed & regiæ claſſis: ſimiliter in terra, quà equitando, quà ja-
» culando milites lectiſſimos, & pedites ad dimicandum paratiſſimos: probatiſſimo magiſtratus
» intelligentes, ſapienteſque & ſpectatos, qui quoſvis peregrinos hoſpitio excipiunt foventque.
» Ante omnia fidem & amorem erga Deum, Romanumque Imperium à majoribus huc-
» uſque integrum, inviolatumque ſervant. Ob iſta ſimiliaque ornamenta virtuteſque, Impe-
» ratores diverſis temporibus Monembaſiam honorarunt, & magnis titulis ſanctam illam Eccle-
» ſiam extulerunt. Ac primum quidem quum Urbs iſta nobilis & in arduo poſita epiſcopum
» haberet, ſubjectum metropoli Corinthi, ob civium virtutem & urbis amabilitatem æternæ
» memoriæ Mauritius Imp. cognomento Tiberius, metropolis eam dignitate decoravit, &
» trigeſimum-quartum ei thronum inſtituit anno *** Indict. * aliaſque libertatis & immu-
» nitatis prærogativas eidem donavit. Temporibus inſequentibus Imperator Alexius Com-
» nenus & cæteri donationes illas approbarunt & confirmarunt. Poſtmodum immortali me-
» moria dignus Andronicus Palæologus ſenior anno 6900. (Chriſti 1292. Indict. *) virtute
» & ſapientia ejuſdem Eccleſiæ, cui Dominus Nicolaus præſidebat, commotus, propter ipſum
» epiſcopum, prompta & parata erga ſe civium ſtudia fidemque, à throno quarto & trigeſimo,
» propria & imperatoria auctoritate, ſuffragante ſynodo ad decimum eam evexit, & plura alia
» eidem ſanctæ Eccleſiæ privilegia conceſſit. Hæc omnia avi ſui veſtigia ſequutus Imperator
» Auguſtus junior Andronicus rata habuit, illique reipublicæ Bullam auream dedit, in qua re-
» novat approbatque vetera beneficia, denuoque ipſe civibus & ſanctæ eorum Eccleſiæ nova
» confert. Quæ omnia mihi ex ſecretario Imperatorio nota ſunt, & frequenter legi, ipſam-
» que Bullam poſtquam captivus factus ſum acquiſivi. Hæc Phranza. Verum metropoliticam dignitatem Monembaſienſi Eccleſiæ conceſſam, ſuppoſititiis ſcriptis deceptus fruſtra aſſerit, idque falſi convincitur ex Notitiis Alexii Comneni ævo anterioribus duabus, quarum ſecunda à Leone Imp. ſapiente cognominato adornata fuit. In his quippe Monembaſia neque metropolis cenſetur, neque archiepiſcopatus. Quin imo in poſteriore iſta Monembaſia tertius epiſcopatus eſt ſub Corintho metropoli, γ' ὁ Μονεμβασίας. Et ſanè ſi quid ejuſmodi Mauritio Imp. factitatum eſſet, haud certè S. Gregorium Magnum fugiſſet, apud quem nullum indicium eſt prærogativæ cujuſvis conceſſæ Monembaſienſi Eccleſiæ. In Andronici Senioris notitia hoc fertur. λδ'. ὁ Μονεμβασίας ἐπισκοπὴ οὖσα Κορίνθου, ἢ ὥς τινες, τῶν παλαιῶν Πατρῶν ἐτιμήθη (εἰς λδ'.) XXXIV. *Monembaſiæ. Quum epiſcopatus eſſet Corinthi, vel ut quidam volunt, veterum Patrarum, in trigeſimam-quartam metropolim honeſtata eſt.* In altera ejuſdem Notitiæ editione hæc alia leguntur. ιγ'. ἡ Σίδη ἦν θρόνος ι. καὶ κατέβη εἰς ιγ'. Ταύτης τὸν θρόνον ὁ βασιλεὺς ὕστερον δέδωκε τῷ Μονεμβασίας, καὶ τοῦ ἐπέχειν τὸν τόπον τοῦ μακαριωτάτου Ἱεροσολύμων, ὡς διαλαμβάνει τὸ χρυσόβουλλον, ὅπερ ἐν Μονεμβασίᾳ νῦν εὑρίσκεται. *Side decima ſedes erat, rejectaque eſt in locum 13. Hujus thronum Imperator poſthac attribuit Monembaſiæ epiſcopo, & locum obtinet beatiſſimi Hieroſolymorum antiſtitis, ut exprimitur in Bulla aurea quæ hodie Monembaſiæ reperitur.* Quin & hæc adduntur: *Monembaſia, quum ad Corinthi metropolitam pertineret, conſequuta eſt honorem metropoliticum, ut in Bullis aureis enuntiatur: Tenet etiam locum Patriarchæ Hieroſolymorum. Sed & cuncti per ejus provinciam ſanctiſſimum illum, haud*

Digitized by Google

ECCLESIA MONEMBASIÆ.

ſecus atque Oecumenicum Patriarcham, appellant: ϗ παναγιώτατον, ὡς ϗ τὸν οἰκουμενικὸν πατριάρχην, οἱ ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ αὐτοῦ εὑρισκόμενοι ἕκαστοι πάντες καλοῦσιν, *nequaquam vero ulli extra ejus diœceſim. Indictiones quoque in Tabulis inſcribit.* Ad hæc in magno jure Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ habetur: *A metropolita Corinthi avulſus eſt Monembaſienſis, qui & Peloponneſi Exarchus audit,* ϗ ἔξαρχος λέγεται τῆς Πελοποννήσου, *habetque locum metropolitæ Sidæ, ut & Theſſalonicæ,* ὡς ϗ Θεσσαλονίκης, *cæteraque ejus privilegia, Theſſalonicenſis utique quum abſens fuerit, ut & Hieroſolymitani.* Illuſtriſſimus Chryſanthus hoc etiam addit Monembaſienſis Præſulis privilegium, ut *archiepiſcopus* nuncupetur. οὗτος ἐπικλήθη ἀρχιεπίσκοπος, eique ſubjectos ait epiſcopatus quatuor, *Cytheriæ, Ælaus, Manæ,* & *Rheontis.* Thomas Smith, Elûs, Mænæ, Rheontis, & Andruſæ, quæ eadem ac *Cytheria.* Monembaſiæ nomen hodiernum *Malvaſia,* vulgo *Napoli di Malvaſia.* Præcipua urbis eccleſia Dei genitricis nomine Deo dicata, *Panagia,* ut aliæ paſſim nuncupatur. Hanc Veneti diu tenuere, annoque 1540. Turcis tradiderunt pacis pangendæ cum ipſis gratia. Poſt rurſum receptam eiſdem noſtra ætate perinde reddidere.

EPISCOPI MONEMBASIÆ.

I. PÉTRUS.

MONEMBASIÆ ſive Epidauri Limeræ nullus mihi obvenit ſeptima ſynodo anterior epiſcopus, cui adfuit & ſubſcripſit *Petrus* ejuſdem urbis Præſul. Πέτρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μονεμβασίας.

II. JOANNES.

Theodorus Studita epiſtola 35. lib. 2. *Epiphanio filio* inſcripta, quem Romam ad Paſchalem Papam Iconomachicæ hæreſis recrudeſcentis cauſa mittebat, monet ut pro veritate tuenda iis inhæreat, quæ à ſancto B Methodio monaſterii Præfecto, ſanctoque Monembaſiæ epiſcopo ſibi præfinita erant, ὑποδειχθέντι τρόπῳ ϗ λόγῳ τοῦ ἱεροῦ Μεθοδίου ϗ τοῦ τῆς Μονεμβασίας ἁγίου ἐπισκόπου. Epiſcopi illius Monembaſiæ nomen *Joannes* erat, ut colligo ex codicibus Coiſlinianis epiſtolarum ejuſdem Theodori Studitæ, quarum non paucæ typis nondum prodierunt. Harum una in cod. 269. n. σγʹ. 203. inſcribitur, Τοῖς θεομιμήτοις ϗ πνευματικοῖς μου πατράσι Ἰωάννῃ τῷ θεοφιλεστάτῳ ἐπισκόπῳ Μονεμβασίας ϗ Μεθοδίῳ τῷ εὐλαβεστάτῳ ἡγουμένῳ, Θεόδωρος ἁμαρτωλὸς C μοναχὸς ϗ ἡγούμενος τῶν Στουδίου. *Dei imitatoribus & ſpiritualibus Patribus meis, Joanni Dei amantiſſimo epiſcopo Monembaſiæ, & Methodio admodum reverendo monacho & Præpoſito, Theodorus peccator, monachus & Præpoſitus monaſterii Studii.* His ſcribebat Theodorus, quum Romæ ſacrarum imaginum cauſam adverſus Conſtantinopolitanos Imperatores agerent.

III. PAULUS.

In Actis SS. 24. Maii pag. 432. *Pauli* D *archiepiſcopi Monembaſiæ,* Παύλου ἀρχιεπισκόπου Μονεμβασίας, narrationem ediderunt *de S. Martha Hegumena,* ſeu *Præpoſita Venerabiliſſimi templi ſanctiſſimæ Dei genitricis, in cuſtodita à Deo civitate Monembaſiæ, infra monaſterium Hodegetriæ, aliiſque virtute & religione inſignibus viris & mulieribus, tribuſque* A *inprimis mulieribus, qui omnes neci dati ſunt ſub Conſtantino filio Leonis & Zoës & genero Romani ſenioris, quam ſcripſit Paulus epiſcopus Monembaſiæ.* Καὶ ταῦτα ἔγραψεν ὁ σεβασμιώτατος Παῦλος ἐπίσκοπος Μονεμβασίας, γέννημα ϗ θρέμμα τῆς αὐτῆς πόλεως. Quo necis genere illi de quibus ſcribebat *Paulus* interempti ſint, non claret in ea quæ ſupereſt narrationis parte. Hujus vero hiſtoriæ meminit etiam Allatius lib. 2. de libr. eccl. Græc. pag. 127.

IV. NICOLAUS.

A Georgio Phranza laudatum ſuprà vidimus *Nicolaum Monembaſiæ epiſcopum,* cujus gratia eccleſia illius ac ſedes metropolitana novis honoribus eſt aucta ab Andronico Palæologo ſeniore Imp.

V. ISIDORUS *electus.*

Iſidorus Monembaſiæ Hypopſephius, ſive *electus epiſcopus,* Gregorii Palamæ aſſectator, cum illo damnari meruit, ſententiâ ſynodica quam recitat Allatius lib. 2. de conſenſ. cap. 16. ϗ πρῶτον αὐτίκα τὸν εἰς ὑποψήφιον τελοῦντα, τῇ ἁγιωτάτῃ μητροπόλει Μονεμβασίας Ἰσίδωρον, *ac primùm quidem eum qui Hypopſephius eſt ſanctiſſimæ metropolis Monembaſiæ.* Eaque lata dicitur, ipſo tempore quo ad ſacrum altare cum Patriarcha ordinationis ſuæ cauſa conſcenſurus erat. Quod quidem Joanne XIII. cognomento Caleca Patriarcha Conſtantinopolitano contigit.

VI. THEODORUS.

In Florentina ſynodo *Theodorus Monembaſiæ metropolita* ſedit & ſubſcripſit, pro ſuæ ſedis prærogativa Hieroſolymorum Patriarchæ locum tenens. ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Μονεμβασίας Θεόδωρος, ϗ τοποτηρητὴς τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἱεροσολύμων κυρίου Ἰωακεὶμ Δοσιθέου, ἀρκετὸς ὑπέγραψα.

VII. ***.

VIII. ARSENIUS.

Decimo-quinto ſæculo exeunte, quo

Digitized by Google

ECCLESIA MONEMBASIÆ.

tempore Monembaſiæ metropolita à Con- A ſtantinopolitano Patriarcha de more conſecratus, incolumis ſuperſtes in vivis erat, *Arſenius* quidam, Apoſtoles genere, τὸ γένος Αποςόλης, Michaëlis nempe Apoſtolii filius, ut ipſe ſubinde Leoni Papæ X. ſcribens teſtatus eſt, Venetorum qui Monembaſiam tenebant poteſtate munitus effecit, ut ab epiſcopo Eleûs, duobuſque ſacerdotibus quorum alter Lacedæmonis, alter Chriſtianopolis metropolitarum perſonam gerebat, ejuſdem eccleſiæ epiſcopus ſacraretur, quippe quum Græcus ille prior metropolita, pe- B rinde atque nuperi deceſſores ſui, urbis ingreſſu penitus interdictus eſſet. Quod Malaxus lib. 2. hiſt. Eccl. Turco-Græc. pag. 146. ad hunc modum narrat: *ſub hoc quoque Patriarcha* (Pachomio priore) *vixit legum contemptor Arſenius, genere Apoſtoles, qui indigne violatis legibus & canonibus, in thronum ſanctiſſimæ Metropolis Monembaſiæ ſe intulit. Cognoſcite*, quæſo, *quibus machinamentis!*
» « Erat iſte *Arſenius* diaconus, venitque Mo-
» nembaſiam, mandatum & commendationem
» Venetæ dominationis Præfecto civitatis, C
» Patribus & populo exhibuit. Monembaſiotæ
» poſtquam eas litteras viderunt, demiſſe ho-
» minem exceperunt honore & reverentiâ pro-
» ſequentes, utpote præclara eruditione &
» doctrina præditum. *Arſenius* qui illo diaco-
» nus venerat, miſit qui accirent epiſcopum
» Elûs, qui illum preſbyterum ordinavit. Tunc
» conſilium inierunt *Arſenii* Monembaſiotis
» metropolitam creandi. Illum Elûs epiſcopum
» in locum & dignitatem Oecumenici Patriar-
» chæ traducunt, duos ſacerdotes pro duobus
» metropolitis habuerunt, Lacedæmonis & D
» Chriſtianopolis. Suffragium tulerunt, minuſ-
» que ei decretum dederunt, tùm etiam majus
» veſpere. Poſtridie Liturgia celebrata, Monem-
» baſiæ metropolitam conſecrarunt, pontifica-
» libus, ſacco, ſuperhumerali, & cæteris.
» Verus Metropolita legitime à ſanctiſſima
» Chriſti eccleſia ordinatus vivus valenſque
» ſupererat, à Venetis qui thronum ejus in
» poteſtate habebant, expulſus velut etiam de-
» ceſſores ipſius, in quemdam è ſuis epiſco-
» patum ſe contulerat, qui erat in civitate Co-
» ronæ. Ibi thronum poſuit ſuum, quod ea E
» civitas populi multitudine affluerct, nobili-
» buſque & potentibus, aliiſque præſtantibus
» viris. Ipſe vero *Arſenius*, vivente ipſo ger-
» mano Pontifice, ſedem ejus ope Latinorum
» fretus tenuit. » Pergit Malaxus ab *Arſenio* proinde lectores, hypodiaconos, diaconos & ſacerdotes ordinatos eſſe, juſſum vero à Pachomio Patriarcha ut à male cæptis deſiſteret, ſed reſponſum ſcripſiſſe contemptus & contumeliæ plenum. Quamobrem Patriarcham cum ſua ſynodo menſe Julio Ind. XII. lata ſententia quæ pag. 149. & 150. legitur *Arſenium* exauctoraſſe, qui Monembaſiæ ultrà conſiſtere non audens, Romam petiit, ubi Papæ & Cardinalium animos in Patriarcham & Græcos excitavit. Exſtant ejus ad Leonem Papam X. & Paulum III. epiſtolæ; quædam item in cod. Laurentii Florentino Græco membranaceo ſuppleta manu Georgii Longi ſacerdotis, & Arſenii Monembaſiæ archiepiſcopi, præmiſſa præfatione ad Clementem Papam VII. De quibus doctiſſimus Montefalconius in Palæographia pag. 82. 88. 95. Epiſtola ad Paulum III. quam Tragœdiis Euripidis præfixit, uti Romanæ Curiæ luxum carpit, ita ſe Romam venire non potuiſſe cauſatur ob podagram & paupertatem. οὐ ζητοῦμεν, inquit, πολυταλάντους ἀρχιεπισκοπὰς, οὐδὲ ἐπισκοπὰς καὶ Αββατείας τῶν παχειῶν, ἀλλ' ὀλίγον τι φίλον. *Non quærimus opulentos archiepiſcopatus, neque epiſcopatus & Abbatias pinguium, ſed parum & amicum.* Quocirca Malaxus aſſerit, « nihil «
eorum quæ ſperaverat, *Arſenium* à Romanis «
tuliſſe, ſed ægritudine animi confectum «
mortuum eſſe nulla acta pœnitentia in ex- «
communicatione: corpus ejus aliquanto poſt «
repertum nigrum, ad modum tympani tur- «
gens, cunctis qui cernebant verentibus & «
attonitis. » Theodorus Zygomalas teſtabatur parentem ſuum ab *Arſenio* Monembaſiæ doctrinis inſtitutum fuiſſe. Ejus deſtitutio Cp. facta eſt circa annum 1500. lib. 2. Turco-Græc. pag. 146. & ſeqq. & 199.

IX. * * *.

Hieremias Lariſſæ metropolita Patriarchatum adeptus anno 1572. ſynodum habuit de abolenda ſimonia, cui Monembaſienſis interfuit, ὁ Μονεμβασίας. Turco-Græc. lib. 2. pag. 179.

X. JOASAPH.

Lib. 4. Turco-Græc. pag. 321. exſtat epiſtola *Joaſaphi Monembaſiæ metropolitæ* Theodoſio Zygomalæ, magnæ eccleſiæ Protonotario, qua poſt excuſationem longi ſilentii ab ærumnis & paupertate, itaut chartâ & membranâ deficeretur, explicabat Macarium quemadmodum ſanctiſſimo Patriarchæ 220. ducatorum de ſuo tributo debitor eſſet: *Deum enim teſtor*, inquit, *quantas expenſas & onera ſuſtineamus in dies ſingulos, præſertim*, μετὸν ζεισκατάεϛον παπᾶς Νικόλαον, ὅπου τὸν ἐςήλατη, νατὸν ἐκάμωμε ἐπίσκοπον Αβαρίνου, *poſtquam deteſtabilem Nicolaum miſiſtis ut eum faceremus epiſcopum Abarini.* Subſcriptio eſt: ὁ Μονεμβασίας Ιωασάφ, καὶ σὸς κατὰ πάντα. *Joaſaph Monembaſiæ, totuſque tuus.* Vix dubito quin

Digitized by Google

Joaſaph iſte, *ille ſenex ſit ſanctus Monembaſiæ Pontifex*, de quo Coronæ epiſcopus Arſenius Theodoſio Zygomalæ ſcribebat, *ſenex meus, ſanctus Monembaſiæ bene precatur dominationi tuæ.* ὁ γέρωντάς μου, ὁ ἅγιος ὁ Μονεμβασίας εὔχεται τῇ αὐθεντίᾳ σου.

XI. Hierotheus.

Joaſapho utique ſucceſſit *Hierotheus* ille *Monembaſiæ metropolita*, qui diſcipulus Theophanis magnæ eccleſiæ Rhetoris fuiſſe fertur in ſynopſi Hiſtoriarum Dorothei itidem Monembaſienſis pag. 337. Ἱερόθεον τὸν Μονεμβασίας. Hic Hieremiæ II. qui poſt Metrophanis obitum patriarchatui reſtitutus erat, adverſus Theoleptum Philippopolis ejus æmulum patrocinium ſtrenuè ſuſcepit, quin etiam adverſus Pachomium qui Theolepti machinationibus Patriarchatum eidem ademerat. Hieremias ſuæ ſedi redditus *Hierotheum Monembaſiæ* comitem habuit itineris, quod in Iberiam, Ruſſiamque & Moldoblachiam ſuſcepit. Quæ fuſè narrat Dorotheus pag. 341. ac deinceps, eumque Galatæ & Conſtantinopoli conciones Dominicis diebus habere ſolitum.

XII. Dorotheus.

Dorothei Monembaſiæ metropolitæ ſynop-
A ſim hiſtoriarum appellat Allatius lib. 2. de conſenſ. cap. 3. in Annotat. in Georgium Acropolitam IV. & LXXIV. ubi literis nominis tantillum inverſis Theodorus dicitur. Laudat & Beveregius in Pandect. Can. pag. 42. b. & 44. b. Atqui *Dorotheus* hic noſter compendium tenuit hiſtoriarum ab exordio mundi ad Imperium uſque Conſtantini Palæologi poſtremi Romano-Græcorum Imp.
B Res quoque Turcorum enarravit ad ſua uſque tempora, Patriarcharum denique Byzantinorum. Liber illius in Venetiana anni 1676. editione inſcribitur. Ὁ Χρονογράφος, τουτέστι Βιβλίον ἱστοριῶν συνοπτικὸν ὅπερ συλλεχθὲν παρὰ τοῦ ἀειμνήστου Μητροπολίτου Μονεμβασίας Κυρίου Δωροθέου, ἐκ πολλῶν ἐκ διαφόρων Ἑλληνικῶν ἱστοριῶν. *Chronographus, ſeu liber Hiſtoriarum compendiarius, quem collegit perpetuæ me-*
C *moriæ Monembaſiæ metropolita D. Dorotheus, ex multis variiſque Græcis hiſtoriis, &c.* Synopſis deficit anno Mundi 7099. Chriſti 1591. quo Hieremias Patriarcha è Ruſſia Conſtantinopolim regreſſus, cum Theolepto qui thronum ejus occupabat, reconciliatus fuit.

XIII. Gerasimus.

Anno 1721. ſedebat *Geraſimus Monembaſiæ*, ὁ Μονεμβασίας Γεράσιμος.

XXX.

ECCLESIA STRATEGIDIS.

STRATEGIS Στρατηγὶς, colonia Thebarum fuit, uti comperimus ex vetuſta inſcriptione quam Goltzius in Theſauro edidit. An eadem quæ Stratus Στράτος, ampliſſima Acarnaniæ civitas Thucydidi πόλιν μεγίστην τῆς Ἀκαρνανίας, affirmare non auſim. Stratus autem ad flumen Acheloum aſſurgebat.

EPISCOPI STRATEGIDIS.

I. Festus.

IN indice epiſcoporum qui Nicænæ ſynodo interfuerunt, *de provincia Achaïæ*, legitur *Feſtus Strategidis.*

XXXI.

ECCLESIA PYRGI.

PYRGUS Πύργος, *vel* Pyrgium Πύργιον, Urbs Meſſeniæ fuit, quam Polybius lib. 4. Tryphylliæ attribuit: Eleorum caſtrum vocat Livius lib. 27. cap. 34. In Notitia Leonis Imp. quarta civitas epiſcopalis eſt ſub Patrenſi metropoli. In Notitia vero Andronici Senioris Imp. Pyrgium metropolis eſt 107. quæ prius 90. erat. ὁ Πυργίου, ὃς ζ'. ὢν, ρζ'. γέγονεν. In Indice urbium quarum nomina mutata ſunt, legitur Πέργη, τὸ νῦν Πυργίον, *Perge, quæ nunc Pyrgium.* At non certe *Perge* Pamphyliæ, quæ *Sylæum* dicta eſt. Perperam hoc loci quidam ſignificari putant Arcadiopolim Thraciæ, quæ *Bergulium* quoque appellabatur, Cedreno teſte pag. 324. Nam in Notitia Andronici Arcadiopolis quoque metropolis eſt centeſima prima, diverſa à *Pyrgo* vel *Pyrgio.*

Digitized by Google

ECCLESIA PYRGI.

EPISCOPI PYRGI.

I. Basilius.
II. Stephanus.

In octava ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit *Baſilius epiſcopus Pyrgii*, *Baſilio Deo amabili epiſcopo Pyrgii*. Quin etiam ſubſcripſit *Stephanus Dei miſericordia epiſcopus Pyrgii*, qui initio act. 8. perinde indicatur: *Stephano Deo amabili epiſcopo Pyrgi*. Utriuſque diſcrimen quærendum. An Pyrgium à Pyrgo diſtinguendum?

A Atqui in ſynodo altera quæ poſt S. Ignatii Conſtantinopolitani obitum de reſtituto Photio habita eſt, ſediſſe ſubſcripſiſſeque fertur *Stephanus Pyrgii*, Στεφάνου Πυργίου, Στέφανος Πυργίου.

III. Constantinus.

Anno 1197. Georgius Xiphilinus Patriarcha in ſynodo egit de juribus *territoriorum*, aderat *Conſtantinus Pyrgii*, τοῦ Πυργίου Κωνσταντίνου. Jur. Græco-Rom. lib. 4. p. 233.

XXXII.

ECCLESIA TRŒZENIS.

Trœzen, Τροιζὴν, *vel* Trœzene, Τροιζήνη, Ptolemæo in Saronico ſinu Argiæ Peloponneſi civitas eſt: Plinius lib. 4. cap. 5. ubi de Achaia, *A Scyllæo promontorio*, inquit, *ad Iſthmum 177. M. paſſ. Oppida Hermione, Trœzen, Coryphaſium.* Straboni lib. 8. *non ignobilis civitas fuit, Neptunoque ſacra, à quo Poſidonia dicta eſt, à mari ad 15. ſtadia diſtans, ante cujus portum cui Menturn nomen, jacet Calauria parva inſula.* Ipſa eſt ni fallor quæ in Notitia Hieroclis corruptè Αρίζανα, *Arizæna* ſcribitur. Quamquam alia quoque Trœzen fuit, in Meſſenia Peloponneſi itidem regione quam Niger *Trezinam* hodieque vocari ait. Prioris vero eidem Nigro *Damala* nomen eſt, aliis *Damalon*, epiſcopatus ſub Corintho metropoli, ſed qui in unicum aliquando coaluit cum Polyphengo. Utramque vero diſtinguit Illuſtriſſimus Chryſanthus, ἔχει δὲ ἐπισκοπὰς δύο, τὸν Δαμαλῶν καὶ τὸν Πολυφέγγους. habet autem Corinthus epiſcopatus duos, *Damalæ & Polyphengûs*.

EPISCOPI TRŒZENIS.

I. Antonius.

In ſeptima ſynodo generali ſedit & ſubſcripſit *Antonius epiſcopus Trœzenis*, Ἀντώνιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Τροιζῆνος.

II. Joasaph.

Anno 1564. ſynodus Conſtantinopoli B habita eſt, in qua Joaſaph Patriarcha exauctoratus fuit, eique adfuit, ſubſcripſitque *Joaſaph epiſcopus Damalorum & Polyphengûs*, Ἰωάσαφ ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος Δαμαλῶν καὶ Πολυφέγγους. Turco-Græc. lib. 2. pag. 174.

XXXIII.

ECCLESIA ELEUS.

Quartus in Notitiis Leonis Imp. Nili Doxapatrii, & Philippi Cyprii ſub Patrenſi metropoli epiſcopatus eſt, ὁ Ἠλείας, *Eleenſis*: Illuſtriſſimo Chryſantho, ut & Thomæ Smith ſub Monembaſia collocatur. *Elis* Peloponneſi regio eſt cum *Elide* urbe, ſed cum litera η. ſcribuntur, non cum ι.

EPISCOPI ELEUS.

I. Georgius.
II. Michael.

In ſynodo Byzantina quæ Photii reſtitutionis cauſa habita eſt, adfuiſſe ſubſcripſiſſeque legitur, Georgius Aleûs, Γεώργιος Ἀλεοῦς, quin etiam Μιχαὴλ Ἀλεοῦς.

III. * * *

Ex lib. 2. hiſt. Turco-Gr. pag. 147. diſC cimus Arſenium Monembaſiæ ordinatum fuiſſe preſbyterum, ac ſubinde pontificem ab epiſcopo Eleûs duobuſque ſacerdotibus, quorum alter Lacedæmonis metropolitæ perſonam gerebat, alter Chriſtianopolis. καὶ οὕτως ἔκαμαν τὸν Ἐλεοῦς τὸν ἐπίσκοπον εἰς τὸν τόπον τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου, καὶ δύο ἱερεῖς ἔβαλαν εἰς δύο μητροπολιτῶν τοῦ Λακεδαιμονίας, καὶ τοῦ Χριστιανουπόλεως.

ECCLESIA

XXXIV.

ECCLESIA ÆGINÆ.

ÆGINA Αἴγινα inſula eſt ad Peloponneſum ſpectans, unà cum ejuſdem nominis civitate, olimque Οἰνώνη Œnone dicebatur, cujus aliquando maris imperium fuiſſe tradit Strabo. Plin. lib. 4. cap. 12. *Contra Epidaurum, Cecryphalos, Pityoneſos, 6. mill. paſſuum à continente. Ab hac Ægina liberæ conditionis, 17. mill. paſſ. cujus 20. mill. paſſ. prætervagatio eſt. Eadem autem à Piræeo Athenienſium portu 12. mill. abeſt, ante Œnone vocitata.* In notitia Hieroclis Αἴγινα νῆσος, Ægina inſula provinciæ Helladis cenſetur, ſed Atticæ tribuitur regioni. In notitiis aliis archiepiſcopatus eſt.

EPISCOPI ÆGINÆ.

I. CRISPUS.

PRimus Æginæ epiſcopus fuit *Criſpus* Pauli Apoſtoli diſcipulus, cujus ipſe meminit 1. Cor. 1. v. 14. ubi declarat neminem à ſe Corinthi fuiſſe ſacris undis imbutum præter *Criſpum* & Caium. Is nimirum Act. 18. v. 8. Corinthiacæ ſynagogæ princeps fuiſſe narratur, qui credidit cum omni domo ſuâ. *Criſpum* ab Apoſtolo creatum eſſe Æginæ epiſcopum Conſtitutiones Apoſtolicæ ferunt lib. 7. cap. 46. Κρίσπος δὲ τῆς κατ' Αἴγιναν ἐκκλησίας.

II. GABRIEL.

In ſeptima ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Gabriel epiſcopus Æginæ*, Γαβριὴλ ἀνάξιος ἐπίσκοπος Αἰγίνης. A

III. THOMAS.

In ea ſynodo Byzantina quæ Photii reſtituti cauſa habita eſt ſub Joanne Papa VIII. *Thomas Æginæ* aderat, Θωμᾶ Αἰγίνης, Θωμᾶς Αἰγίνης.

IV. CALLINICUS.

Nuper ſedebat, ac quidem anno 1721. *Callinicus Æginæ archiepiſcopus, Callinico di Egena*, ὁ Αἰγίνης Καλλίνικος.

XXXV.

ECCLESIA AULONIS.

IN notitia Leonis Imp. Nili & aliis nonus ſub Athenienſi metropoli epiſcopatus eſt Aulonenſis ὁ Αὐλῶνος. Idem certe qui Solonenſis in recentioribus dicitur ὁ Σολῶνος. Atqui in laterculis urbium quarum mutata nomina ſunt, Solon civitas eadem quæ *Delphi* olim, Apollinis oraculo Gentilibus celebres, quorum priſcum nomen Pytho, Πυθὼ fuerat, Δελφοὶ, τὸ Χρυσὸς, καὶ Σολών. *Delphi Chryſus & Solon.* Qui Delphos & Amphiſſam eamdem urbem fuiſſe aſſerunt, errant prorſus, quando utramque disjungit Hierocles; imo Pauſania teſte Phocidis cap. 38. *Delphis 120. ſtadiorum itinere Amphiſſa abeſt, Locrorum Urbs maxima & nobiliſſima.* Δελφῶν δὲ ἀποτέρω σταδίοις εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἔστιν Ἄμφισσα, μεγίστη, καὶ ὀνομαστοτάτη πόλις τῶν Λοκρῶν. Solone ſeu Aulone præcipuum Templum ſanctæ Dei genitricis nomine Deo dicatum (velut & alia vulgo Græciæ) *Panagia* nuncupatur, quin & in eadem urbe quinque aliæ eccleſiæ ſunt Græcanici ritus.

EPISCOPI AULONIS.

I. * * *.

LAonicus Chalcocondylas lib. 2. de rebus Turcicis, narrat Timarem ſive Tamerlanem Græciæ victorem à Delue Ducis Delphorum filia placatum, Delphorum ei principatum reddidiſſe; quæ tamen quum ſe à ſacerdote quodam ſtuprari paſſa eſſet, ad Regem ſeu Tyrannum ab urbis Pontifice, ὑπὸ ἀρχιερέως εἰς βασιλέα; delata eſt; quod quum omnem hanc regionem ſola adminiſtraret, intolerabilibus injuriis cives afficeret, ipſa interim adulterio à ſacerdote polluta. B

II. LAURENTIUS.

Sententiæ quâ Joaſaph Patriarcha exauctoratus fuit, anno 1564. ſubſcripſit *Laurentius epiſcopus Aulonis*, ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος Αὐλῶνος Λαυρέντιος: Turco-gr. lib. 2. pag. 174.

III. MELETIUS.

Nuper ſedebat *Meletius epiſcopus Solonis*; *Meletio di Solona.*

Digitized by Google

XXXVI. # ECCLESIA AMYCLARUM.

AMYCLÆ Urbs Laconica una è centum quas ea regio olim complectebatur, ab Amycla Lacedæmonis filio condita fertur, in regione mediterranea. Plinius lib. 4. cap. 5. in Achaïa, *Ager Laconicus,* inquit, *liberæ gentis & ſinus circuitu 206. M. trajectu 39. M. Oppida, Tænarum, Amyclæ, Pheræ, Leuctra.* In notitia Philippi Cyprii ſextus epiſcopatus eſt Amycliensis ſub Patris Peloponneſi, hodie vero Lacedæmonienſi ſubeſt, ejuſque tritum nomen eſt *Verdonia.*

EPISCOPI AMYCLARUM.

I. NICOLAUS.

LIb. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 224. exſtat judicium de *Nicolao Muzalone Amyclei epiſcopo,* τοῦ χρηματίσαντος ἐπισκόπου Ἀμυκλείου κυρίου Νικολάου τοῦ Μουζάλωνος, qui quum adhibita vi à magiſtratu civitatis tonſus, monaſticas ſubinde veſtes abjeciſſet, epiſcopi munere abſtinere juſſus eſt à Luca Chryſoberge Patriarcha. Reſtitutus tamen fuit à Michaële Anchiali Lucæ ſucceſſore, ita ut aliquantum temporis ab officio obeundo abſtineret. De quo Theodorus Balſamon legendus ad can. 54. Concilii Carthaginenſis. « Quum *Nicolaus Muzalon,* inquit, qui Amyclarum epiſcopus fuit, vi magiſtratûs epiſcopatui renuntiare coactus eſſet, & à magna ſynodo reſtitui poſceret, adfuere quidam qui dicerent eum minime reſtitui debere, cauſas etiam criminales adverſus eum proferentes, quas ante & poſt renuntiationem ab illo admiſſas aiebant, propter quas ab epiſcopatu arcebatur. Id quod valde fuit agitatum aliis alia reponentibus. Quocirca ſynodo placuit omnia prius crimina excutienda eſſe, ac ſi oportuerit, fieri reſtitutionem. » Quid vero deinceps *Nicolao* factum ſit, Balſamon non explicat. Hic vero alius omnino fuit à *Nicolao Muzalone* qui ante Lucam Chryſobergem Patriarcha ſederat.

XXXVII. # ECCLESIA OLENÆ.

EPISCOPATUS quintus ſub Patrenſi metropoli in notitiis Leonis Imp. Nili, & Philippi Cyprii *Bolænæ* dicitur, ε'. ὁ Βολαίνης. Lege prorſus Ὀλαίνης, *Olænæ,* vel Ὠλένης, *Olenæ,* ut apud Thomam Smith; apud illuſtriſſimum vero Chryſanthum Ὠλένου, *Oleni.* Atqui *Olenus* Ὤλενος Straboni nota civitas eſt, Ptolemæo quoque, atque *Olenum* Plinio, ab Oleno Vulcani filio dictum. Sed & Olenus Achaïæ regionis oppidum erat ad Pyræum fluvium ſtans, vix tribus milliaribus ab Ionii maris ora remotum. Olena vero de quâ nunc ſermo eſt, ad alteram Peloponneſi oram, ad Hadriaticum mare poſita eſt, ubi nunc oppidum *Caminitza.*

EPISCOPI OLENÆ.

I. SISOES.

SEntentiæ qua Joaſaph Patriarcha anno 1564. deſtitutus fuit, ſubſcripſit *Siſoës epiſcopus Olenæ,* ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος Ὠλένης Σισώης.

XXXVIII. # ECCLESIA METHONES.

METHONE, Μεθώνη Meſſeniæ regionis in Peloponneſo civitas eſt, quam veteres aliqui *Methanam* dixere, quos Hierocles in notitia ſequutus videtur, alii Mothonem Μοθώνην, errore forſan amanuenſis. Strabo lib. 8. *In medio Trœzenis & Epidauri (Limeræ* ſcilicet *) munitus jacet locus Methana & Cherronneſus eodem appellata nomine, licet apud Thucydidem in quibuſdam exemplaribus Methone dicatur, ſimili quo Macedonica vocitata vocabulo; in cujus obſidione Philippus avulſum amiſit oculum. Quapropter nonnulli decepti, ut Scepſius exiſtimat Demetrius, eam Methonem in Trœzeniis arbitrati ſunt.* Ex quo Strabonis loco docemur Methonem ipſam fuiſſe Cherronneſum Laconicæ. Hanc lib. 9. à Philippo ſolo æquatam ſeu vaſtatam prodit. Plinio *Methone,* dicitur, hodie vero *Modon,* Urbs clara cum emporio, in regione quam *Belvedere* appellant, arcem habens munitiſſimam. Epiſcopatus eſt ſub Patrenſi metropolita in Notitia Leonis Imp. Nili, & Philippi, quin & Thomæ Smith, imò illuſtriſſimi Chryſanthi.

Digitized by Google

EPISCOPI METHONES.

I. TYCHICUS.

INter ſubſcriptiones epiſtolæ ſynodi Sardicenſis ad eccleſias, legitur *Tychicus ab Aſia de Methonis.* Emendo *ab Achaïa de Methones,* ſive *Methone.* Niſi forte legendum ſit, *à Dacia de Monteunis,* quando Tabulæ Peutingerianæ *Montenias* habent in Æmimontana regione, quæ Docææ proximæ erant. Quidam codices habent *Titius,* non *Tychicus.*

II. ATHANASIUS.

Petrus Siculus Argivorum epiſcopus, qui Baſilio Macedone Imp. claruit, hiſtoriam *S. Athanaſii Methonenſis in Peloponneſo epiſcopi* oratione perſtrinxit, quæ edita eſt inter acta SS. ad diem 31. Januarii, hoc præfixo titulo: *Petri Siculi humillimi Argivorum epiſcopi funebris Oratio in B. Athanaſium epiſcopum.* Catana *Athanaſius* oriundus erat, cujus parentes Sarracenis ſub Michaële Balbo Imp. Siciliam invadentibus, Patras Achaïæ migraverunt: Monachus factus & monaſterii ſubinde præpoſitus, Methonenſis poſtea eccleſiæ epiſcopus conſecratus eſt, quam egregiè adminiſtravit. Numerus vero annorum quibus antiſtes ſedit, nec annus mortis ejus uſquam notatur. Inter epiſcopos ſynodi Photianæ quæ poſt S. Ignatii Conſtantinopolitani obitum coacta fuit, legitur *Athanaſius Methones,* Ἀθανασίου Μεθώνης, Ἀθανάσιος Μεθώνης.

III. NICOLAUS.

Circumfertur opuſculum *de corpore & ſanguine Chriſti,* nomine *Nicolai beatiſſimi epiſcopi Methonenſis* inſcriptum, Νικολάου τοῦ μακαριωτάτου ἐπισκόπου Μεθώνης, *ad eos qui dubitant an panis & vinum conſecratum ſit corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu-Chriſti.* Aliud itidem contra Latinos, & præſertim Petrum Proculanum Mediolanenſem archiepiſcopum, de proceſſione Spiritûs ſancti ſcripſit; quam lucubrationem Hugo Etherianus dum Conſtantinopoli ſub Manuële Comneno ageret; Principe annuente confutavit. Eum *Caloterem* cognominatum reperi in Theſauro Nicetæ Choniatæ tom. 12. Bibliothecæ Patrum, ubi aliud ejus de Azymis adverſus Latinos opuſculum appellatur, τοῦ μακαριωτάτου ἐπισκόπου Μεθώνης τοῦ Καλοτέρου. Tempore profecto Manuëlis Methones epiſcopus ſedebat *Nicolaus,* qui anno 1166. ſynodo adfuit in qua Alamannorum de Chriſti vera deitate fides recta ſinceraque judicata eſt. Vid. Allat. lib. 2. de conſenſ. cap. 12.

IV. ANTONIUS.

Vir doctiſſimus Nicolaus Comnenus Papadopoli in Prænotionibus Myſtagogicis Reſp. 1. ſect. v. n. 4. Eccleſiæ ſuæ Græcæ ſenſum ediſſerens, ultrò concedentis neminem prohiberi, ne ea quæ ad pœnitentiam pertinent, & ad corporis caſtigationem conferunt, omni die ſuſcipiat; hæc ſuddit: « *Quæ retulit Prodromus ſenior, & poſt eum Taraſius & Nicephorus ſancti Pontifices, atque ex his Georgius Metochita, & Antonius Methonenſis* oratione 2. *de Pœnitentia;* quos ad id profert Diplovatacius. » Georgius porro Metochites ſub Michaële Palæologo & Andronico ſeniore claruit: an circa eadem tempora *Antonius Methonenſis,* definire non auſim. *Antonii Methonenſis epiſcopi* ſermonem 11. de Pœnitentia laudat quoque vir celeberrimus pag. 20.

V. MICHAEL.

In opere de Prænotionibus Myſtagogicis Reſp. IV. ſect. 11. n. 7. meminit vir pereruditus *Michaëlis epiſcopi Methonenſis,* Palamitarum adverſarii: « Nilus eſt Rhodius epiſcopus, *inquit,* de quo, uti de Palamitarum ſuo ævo principe queſtus eſt *Methonenſis epiſcopus Michaël* epiſt. 21. ad Selerum, obtinuitque, vel invito Philotheo, ut ſacro Rhodi throno deturbaretur, ut narrat idem *Michaël,* invectus libro integro contra Palamam. » Vivebat itaque Methonenſis ſub Philotheo Patriarcha Byzantino.

VI. * * *.

Joſeph Patriarcha Cp. quum ad concilium proficiſceretur quod Ferrariæ in Italia celebrandum erat, è navi exſcendit Methonæ, eique occurrit *urbis epiſcopus* Romanorum, ſive Græcorum, ὁ τῶν Ῥωμαίων ἐπίσκοπος. Nam Græcorum ſcriptores ſuos appellare *Romanos* amant, eaque nuncupatione Latinos indignos putant. Syrop. hiſt. Concil. Florent. ſect. 4. cap. 4.

VII. JOSEPHUS.

Poſt ſynodum Florentinam Methones epiſcopus fuit *Joſephus,* qui eidem ſynodo interfuerat, fidelis teſtis eorum quæ in ea geſta eſſent. Confutationem edidit criminationum Marci Epheſini, quibus ille unioni cum eccleſia Latina initæ detrahebat. *Joſephi* liber inſcribitur: Ἰωσὴφ τοῦ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου Μεθώνης ἀπολογία πρὸς τὸ γραμμάτιον κῦρ Μάρκου τοῦ Εὐγενικοῦ μητροπολίτου Ἐφέσου, ἐν ᾧ ἐκτίθεται τὴν ἑαυτοῦ δόξαν, ἣν εἶχε περὶ τῆς ἐν

Digitized by Google

ECCLESIA METHONES.

Φλωρεντίᾳ ἁγίας ϰ̀ οἰκουμϵνικῆς Συνόδου. *Joſeph* A *religioſiſſimi epiſcopi Methones Apologia in libellum Domini Marci Eugenici metropolitæ Epheſii, in quo ſuam ſententiam exponit quam habuit de ſancta & œcumenica ſynodo Florentina.* Atqui *Joſeph Methonenſis* iſte alius non eſt à Joanne Pluſiadeno archipreſbytero, cujus dialogum de diſſidiis Græcorum & Latinorum, & pro ſynodo Florentiæ ſuis paſſim in libris Allatius laudat, qui lib. 3. de conſenſ. col. 933. obſervat eum mutaſſe nomen priſtinum ſuum, ut ſæpe Græci ſolent dum ad epiſcopatum, ſumpto monaſtico habitu, promoventur.

VIII. Anthimus.

Doctiſſimus Abbas Papadopoli in Prænot. Myſtagog. pag. 191. *Anthimi* quoque *Methonenſis epiſcopi* meminit ex Thoma Diplovatacio Juriſconſulto.

IX. Theophanes.

Leo idem Allatius lib. 3. de conſenſ. cap. 11. inter epiſcopos Græcos qui ſuo ævo ante ſæculi decimi-ſeptimi medium Romam Apoſtolicæ ſedis communionem ex animo amplexuri venere, *Theophanem Methonenſem* memorat.

XXXIX.

ECCLESIA SCYRI *inſulæ.*

INTER inſulas Cycladas cenſebatur olim *Scyrus*, Σκῦρος, ab antiquis temporibus celebris, ob caprarum quæ in ea naſcuntur, virtutes, opportunaſque lapidum & metallorum indagines, Strabone teſte lib. 9. De ejus ſitu Plinius lib. 4. cap. 12. *Ex Delo quindecim mill. paſſ. Scyros.* Rurſumque, *Pegaſicus Sinus ante ſe habet Eutychiam, Cicynethum, & Scyrum ſupradictam, ſed Cycladum & Sporadum extimam.* In ea porro inſula oppidum exſtat ejuſdem nominis, cujus quidem nulla mentio Hierocli, ſed Leoni Imp. Nilo & Philippo epiſcopatus ſextus eſt ſub Athenienſi metropoli; tertius vero recentioribus. Hodie Scyras dicitur, cujus epiſcopus idem ac Seriphi inſulæ.

EPISCOPI SCYRI.

I. Irenæus.

EPiſtolæ concilii Sardicenſis ad eccleſias ſubſcriptus legitur *Irenæus ab Achaia de Socoro*, emendo *de Scyro*.

II. Joseph.

Sæculo decimo-ſexto labente ſedebat *Joſeph epiſcopus Scyri*, cujus epiſtolas duas ad Theodoſium Zygomalam protonotarium B eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Martinus Cruſius evulgavit lib. 4. Turco-gr. pag. 317. & 318. ſubſcriptio eſt, ὁ Ἰωσὴφ Σκύρου, *Joſeph Scyri*.

III. * * *.

Anno 1708. Scyri inſulæ Græci ritus epiſcopus Romanam communionem fovebat RR. PP. Capucinorum curis & opera.

XL.

ECCLESIA ZACYNTHI.

ZACYNTHUS Ζάκυνθος, inſula Hadriatici maris vulgo *Zante*, Cephallenia altera inſula minor è regione Peloponneſi ſita eſt, à qua verſus Auſtrum 25. mill. diſtat. Libera erat Plinii ævo: hodie autem Venetæ ditionis eſt. Circuitus ejus 60. mill. paſſ. eſſe dicitur, aër ſaluberrimus, optimo vino abundat, pice quoque & metallicis venis, ſed terræ motibus obnoxia eſt. Epiſcopatus ejus cum Cephallenienſi à Cyrillo Lucari dum Byzantinam ſedem teneret, junctus fuit. Hierocli Helladis cenſetur, & in notitiis aliis Corintho metropoli aſſignatur.

EPISCOPI ZACYNTHI.

I. Leo.

SEptimæ ſynodo adfuit & ſubſcripſit *Leo* C *epiſcopus Zacynthi*, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ζακύνθου.

II. Georgius.

Octavæ ſynodo *Georgius miſericordia Dei epiſcopus Zacynthi.*

III. * * *

Innocentius Papa III. lib. 10. epiſt. 128. *Archiepiſcopo Patracenſi*, ſeu Patrarum Latini ritus ſcribebat ad audientiam ſuam veniſſe *quod in inſula Zacyntho, quæ ad dilecti filii nobilis viri Maionis Comitis Kephaloniæ pertinet ditionem, quidam epiſcopus Græcus*

Digitized by Google

non ſolum ſedi Apoſtolicæ inobediens & rebellis exiſtit, ejus diſpoſitionibus parere contemnens, verum etiam vitam ducit multis ſcandalis obnoxiam. Mandat ut eum admoneat: ſin male geſta corrigat, eo ab eccleſiæ cura amoto, de altero faciat eidem eccleſiæ provideri. Data Viterbii XIV. Kal. Oct. anno 10. Pontificatus Innocentii, ſeu Chriſti 1207. ECCLESIA ZACINTHI.

XLI.

ECCLESIA CEPHALENIÆ.

CEPHALENIA Κεφαλληνία, hodie *Cephalonia*, altera Hadriatici maris inſula eſt, ante Echinadas poſita, ut obſervat Plinius; cui libera quoque dicitur, olimque *Malana* vocitata. Hanc undecim mill. paſſ. à continente ſemotam ait, circuitu patentem 44. Epiri cenſetur Ptolemæo, Helladis vero Hierocli; velut & Zacynthus, & in notitiis prioribus Corinthi metropolitæ ſubeſt. Philippus Cyprius addit, *ambos inſulæ utriuſque epiſcopatus à Patriarcha Domino Cyrillo Lucari conjunctos fuiſſe, & in Archiepiſcopatum unum evectos tempore Domini Nicephori Metaxæ præſulis Cephaleniæ*, αἱ ἴνις δύο ἐπισκοπαὶ παρὰ τοῦ πατριάρχου κυρίου Κυρίλλου Λουκάρεως εἰς μίαν ἑνώθησαν, καὶ ἀρχιεπισκοπὴ ἐτιμήθη τοῖς καιροῖς τοῦ ἀρχιερατεύοντος κυρίου Νικηφόρου Μεταξᾶ τοῦ Κεφαλληνίας· Id quod Doſitheus Hieroſolymitanus eſſe factum teſtatur, anno 1621. Inſula cum civitate Venetorum hodie ditionis eſt, omnigenis arboribus & fructibus abundans.

EPISCOPI CEPHALENIÆ.

A

I. ***.

IN ſeptima ſynodo *Gregorius preſbyter* locum tenuit ſedis Cephaleniæ, Γρηγόριος πρεσβύτερος, καὶ τοποτηρητὴς Κεφαλληνίας, ſeu epiſcopus in vivis fuerit, ſeu ſedes epiſcopo tunc vacaverit.

II. ANTONIUS.

In ſynodo quæ ob Photii reſtitutionem habita eſt, ſediſſe fertur, *Antonius Cephaleniæ*, Ἀντώνιος Κεφαλληνίας, Ἀντώνιος Κεφαλληνίας.

B

III. ***.

Innocentius Papa III. epiſtolam *epiſcopo Cephaloniæ Græco* ſcripſit, ut Corinthi archiepiſcopo, tamquam metropolitano ſuo morem gereret. Lib. 15. epiſt. 64.

IV. NICEPHORUS.

Modo dixi ex Philippi Cyprii notitia Cephaleniam & Zacynthum in unum epiſcopatum coiviſſe, qui archiepiſcopatus factus ſit Cyrillo Lucari Patriarcha, in gratiam *Nicephori Metaxæ*, anno 1621.

V. FRANCISCUS.

Inter epiſcopos Græci generis qui è Collegio Romano Græcorum prodiere Catholicæ fidei & communionis ſtudioſi, Leo Allatius numerat *Franciſcum Gozadinum Siphnium*, ſeu de inſula Siphno, ex eccleſiæ cathedralis Cretenſis canonico epiſcopum Zacynthi & Cephaleniæ creatum. lib. 3. de conſ. cap. 7. n. 8.

VI. PAISIUS.

Anno 1671. *Paiſius archiepiſcopus Cephaleniæ, Zacynthi & Ithacæ* teſtimonium dedit de Orientalis eccleſiæ fide Calvinianis erroribus adverſaria; tom. 3. Perpet. fid. Euch. pag. 579.

VII CYPRIANUS.
VIII. AGAPIUS.

Nuper ſedebat *Cyprianus Cephaleniæ & Zacynthi archiepiſcopus*, cui ſucceſſit *Agapius*. Hic ſedebat anno 1721. ὁ Κεφαλληνίας καὶ Ζακύνθου Ἀγάπιος.

XLII.

ECCLESIA DIAULIÆ.

DIAULIA Διαυλία vel Διαύλεια, civitas epiſcopalis eſt ſecunda ſub Athenarum metropolita in notitiis Leonis Imp. & aliis deinceps. ς'. ὁ Διαυλίας. Ipſa nimirum eſt quæ Ptolemæo Δαυλὶς, *Daulis*, Straboni Δαύλειον *Daulium*, Urbs quædam exigua Phocidis in monte aſſurgens, ubi vicus hodie eſt, quindecim millibus paſſ. Delphis diſtans ad Septentrionem. Plinius lib. 4. cap. 3. *Drymæam regionem Daulidem appellatam dicit*. In epiſcopatum unum Diaulia conjuncta eſt cum *Talantio*, de quo ſupra.

Digitized by Google

EPISCOPI DIAULIÆ.

I. SOPHRONIUS.

INter epiſcopos Græcos qui Stephano Gerlacho Conſtantinopoli agenti, nomina ſua in chartis ſcripta conceſſerunt, legitur *Sophronius Diauliæ & Talantii.* ὁ Διαυλίας καὶ Ταλαντίου Σωφρόνιος, 20. Jun. 1576. Conſtantinopoli. Mart. Cruſ. Turco-gr. p. 507.

XLIII. ECCLESIA PYLI.

PYLUS dicta Πύλος, civitas multiplex in Achaïco tractu. Alià Meſſeniæ, alia Elidis, alia Arcadiæ ſeu Triphyliæ potius. Pylus Elidis Pauſaniæ & Strabonis ævo olim interierat. Epiſcopum habuit Meſſeniaca Pylus quæ nunc Barinus vel *Abarinus*, Αβαρῖνος Græcis, Italis *Navarino* dicitur prope Juncum Peloponneſi portum, quæ Monembaſiæ metropolitæ obnoxia facta eſt. Cæterum epiſcopatus hic nupero ſæculo exſtinctus videtur, quando nulla ejus mentio eſt in recentioribus notitiis, niſi Abarinus eadem ſit, quæ in illis *Rheon.* At *Rheon* hodie archiepiſcopatus eſt, Illuſtriſſimo teſte Chryſantho. In indice urbium & locorum quorum nomina mutata fuere Pylus *Neſtoris patria fuiſſe fertur, quæ nunc Abarinus.* Πύλος, ἡ πατρὶς Νέστορος, νῦν Αβαρῖνος.

EPISCOPI PYLI.

I. NICOLAUS.

JOASAPHUS metropolita Monembaſiæ Theodoſio Zygomalæ, magnæ eccleſiæ Protonotario anno 1578. die 2. Novembris epiſtolam dedit, quam cum aliis aliorum Græcorum Cruſius regeſſit lib. 4. Turcogr. pag. 321. in qua querebatur multa ſe A expendiſſe & onera ſuſtinuiſſe deteſtabilis *Nicolai* cauſa, qui Conſtantinopoli ad ſe miſſus fuerat ut *Avarini* epiſcopus fieret: ſive Pyli, ita ut expenſæ centum ducatorum eſſent, μετὰ ξενοκατάρατον παπᾶς Νικόλαον ὅπου τὸν ἐστείλατε νὰ τὸν ἐκάμωμε ἐπίσκοπον Αβαρίνου. Cruſius vertit, *Pyli* ſeu *Abarini*.

XLIV. ECCLESIA BRESTENES.

BRESTENE Βρεστένη Peloponneſi epiſcopatus eſt Lacedæmonis metropolitæ ſubjectus, eamque urbem Græci Χρυσάφαν, *Chryſapham* dicunt.

EPISCOPI BRESTENES.

I. AGATHANGELUS.

ANte annos circiter 20. *Breſtenes epiſcopus* ſedebat *Agathangelus*, ut ſuis literis mihi ſcribebat R. P. Bernardus de Rubeis Ordinis noſtri vir apprimè doctus, die 1. Januar. anni 1723.

XLV. ECCLESIA ANDRUSÆ.

ANDRUSA Georgio Phranzæ lib. 1. hiſt. cap. 7. & lib. 2. cap. 2. inter Peloponneſi civitates cenſetur, quam cap. 3. ab Ithome, quæ Meſſenæ arx Straboni dicitur, adeoque Meſſenæ vicina, non longe diſtare innuit. Eam Monembaſiæ metropolitæ ſubeſſe idem Phranza teſtatur.

EPISCOPI ANDRUSÆ.

I. ATHANASIUS.

ERrat quidem Georgius Phranza lib. 1. hiſt. cap. 7. ubi Joanni Becco Patriarchæ Conſtantinopolitano ſuffectum ait *Athanaſium monachum;* quandoquidem *Athanaſius* hic, non Becco, ſed Gregorio Georgiove Cyprio ſucceſſor eſt deſignatus. Cæterum B Phranza *Athanaſium* à puero vitam aſceticam in Ganis montibus coluiſſe ſubdit, è Peloponneſo oriundum, patriâ Andruſa, cujus epiſcopatum Imperatoris juſſu & ſynodi ſuffragio gerebat ſub Monembaſia metropoli. Id quod Pachymeres, Gregoras & alii ſilent, qui de eodem *Athanaſio* ejuſque in Patriarcham promotione ſcripſere.

Digitized by Google

XLVI.

ECCLESIA MENDINITZÆ.

MENDINITZAM, ſeu *Bendinitzam* epiſcopatum Athenienſi metropoli obnoxium habent notitiæ recentiores.

EPISCOPI MENDINITZÆ.

I. JACOBUS.

NUper Mendinitzæ eccleſiæ præerat *Jacobus, Jacobo di Bendinitza.*

XLVII.

ECCLESIA TZERNITZÆ.

TZERNITZA oppidum eſt Patris quindecim circiter horis diſtans, cujus epiſcopus hodieque Patrenſi metropolitæ ſubeſt, ſed cujus priſcum nomen hactenus aſſequi non potui. Quum civitas Achaïæ ſit proprie dictæ, in Peloponneſo poſita, diverſa proinde eſt à Tzernice, Epiri novæ epiſcopatu alio, ſub Dyrrachio.

EPISCOPI TZERNITZÆ.

I. LEONTIUS.

II. ELIAS.

III. PARTHENIUS.

TRes Tzernitzæ epiſcopos nuperæ ætatis ſuppeditavit mihi vir egregiè doctus R. P. Bernardus de Rubeis Venetus Dominicani nostri Ordinis alumnus, literis ad me ſcriptis die 2. Januarii anni 1723. « Hodiernus, inquit, ejus epiſcopus eſt *Parthenius*, cujus deceſſor fuit *Elias Miniati* facundia & clementia clarus, cujus ſermones habemus typis editos uno volumine in 4.° comprehenſos. » Ante *Eliam* ſedem tenuit *Leontius.*

XLVIII.

ECCLESIA CEI.

CEOS inſula, quæ & Cea Hydruſa quondam dicebatur, teſte Plinio, inter Eubœam & Bœotiam poſita, quæ Eubœæ pars olim fuiſſe fertur, *Zia* vero hodie dicitur, in epiſcopatum unum cum Thermiis alia inſula ſub Athenarum metropolita coaluit. Thermiis porro diſtat 38. millibus paſſuum. In ea epiſcopus ſedet, utpote quæ ferax ſit & populoſa; quin & archiepiſcopi titulo à ſuis poſtmodum auctus fuit.

EPISCOPI CEI.

I. MACARIUS.

ANno 1721. ſedebat *Macarius archiepiſcopus Ceæ & Thermiorum,* ὁ Τζίας καὶ Θερμίων Μακάριος.

Alii non occurrunt utriuſque inſulæ epiſcopi.

Digitized by Google

V. PROVINCIA EPIRI NOVÆ.

I. ECCLESIA DYRRHACHII METROPOLIS.

JOANNES Malalas in Chronico, ubi de Theodoſio Magno pag. 43. Novæ Epiri provinciam ab eo inſtitutam prodit. Ὁ δὲ αὐτὸς βασιλεὺς Θεοδόσιος ἐμέρισε τὴν νέαν Ἤπειρον ἀπὸ τῆς παλαιᾶς, καὶ ἐποίησεν ἐπαρχίαν, δίκαιον πόλεως (emendo μητροπόλεως) καὶ ἄρχοντα δοὺς Δυῤῥαχίῳ πόλει. *Imperator idem Theodoſius Novam Epirum à veteri diſcrevit, & provinciam fecit, donans Dyrrhachio urbi, jus metropolis & principem.* Atqui priſcum Dyrrhachii nomen Epidamnus fuit, quam à Corcyræis conditam fert Strabo, & à Cherſonneſo, ſive Peninſula, ubi ſita eſt vocabulum nactam. Plinius vero lib. 3. cap. 23. ubi de Macedonia, *Montes Candaviæ*, ait, *à Dyrrhachio 79. mill. paſſ. diſtare. In ora vero Denda civium Romanorum, Epidamnum colonia propter inauſpicatum nomen à Romanis Dyrrhachium appellata.* Pomponium Melam Plinius exſcribebat, cui lib. 2. cap. 3. *urbium Illyricarum* prima eſt Oricum, ſecunda Dyrrhachium, Epidamnus antea erat. Romani nomen mutavere, quia velut in damnum ituris, omen id viſum eſt. Macedoniæ cenſetur Ptolemæo, uti Plinio, & Taulantiorum regionis prima. Celebris Dyrrhachii ſemper portus & Emporium fuit, Brundiſino è regione reſpondens, horumque trajectus facilis. In notitia Hieroclis, Novæ Epiri metropolis eſt, juxta atque à Theodoſio conſtitutum erat, Δυῤῥάχη, ἡ ποτε Ἐπίδαμνος, *Dyrrhache, quæ quondam Epidamnus.* In notitia Leonis Imp. quindecim epiſcopatus Dyrrhachii metropolitæ ſubjiciuntur, *Stephaniacenſis, Chonubiæ, Croienſis, Eliſſæ, Diocliæ, Scodrenſis, Drivaſtenſis, Polathenſis, Glabinitzæ* ſive *Acroceraumiæ, Auloneæ, Lychnidorum, Antibaris, Tzernici, Polycheropolis,* ſeu potius *Pulcheriopolis, Graditzii.* Ejus antiſtes ſequiori ævo *Archiepiſcopi, & Hypertimi* titulis ab Byzantinis principibus auctus fuit. Hodie vulgo *Durrazio* dicitur, Turcarum Sultano parens.

EPISCOPI DYRRHACHII.

I. Apollo.

IN Menologio Græcorum Sirletano, quod latine editum eſt tom. 2. Ant. Lect. Henrici Caniſii, die 7. Decembris memoria habetur ſanctorum Soſthenis & *Apollo*, quorum meminit Paulus cap. 1. epiſt. 1. ad Corinthios, illicque *Apollo* Dyrrhachii fuiſſe epiſcopus traditur. De eo dictum eſt in epiſcopis Corinthi. A

Ferrarius in catalogo SS. Italiæ ex neſcio quo Menologio Græcorum *Cæſarem* ex ſeptuaginta Domini diſcipulis unum Dyrrhachii epiſcopum fuiſſe ſcribit, nimirum ex ſpurio illo Dorotheo Tyri, qui omnes illos quorum mentio fit in epiſtolis Pauli, Chriſti diſcipulos fuiſſe è ſuo cerebro finxit, & *Cæſarem* illum de quo Paulus dicit epiſt. ad Philipp. 4. v. 22. *Salutant vos omnes ſancti, maxime qui ſunt de Cæſaris domo,* privatum quemdam hominem extitiſſe qui Chriſto nomen dederat, non ipſummet Reipublicæ Romanæ Imperatorem.

II. Astius.

Menologium illud quod mox appellabam ad diem 6. Julii certamen fert *S. Aſtii epiſcopi Dyrrhachii, qui ſub Trajano Imp. & Agricolao Præſide in confeſſione fidei perſeverans, plumbatis cæſus, poſt alios cruciatus, precibus ad Deum miſſis, animam Deo tradidit.* Atqui Synaxarium idem *Aſtium* fuiſſe affixum cruci perhibet ad diem 7. Julii, ubi de B SS. Peregrino & ſociis. *Eodem die SS. martyrum Peregrini & ſociorum, Luciani, Pompeii, Heſychii, Papii, Saturnini & Germani. Hi omnes erant quidem ex Italia; ſed propter perſequutionem Trajani Dyrrhachium ſe contulerunt, ubi quum ſanctum Aſtium in cruce pendentem vidiſſent, quumque ſe Chriſtianos eſſe prædicarent, juſſu Proconſulis Agricolai projecti ſunt in mare Adriaticum, & ſic coronam martyrii receperunt.*

Digitized by Google

receperunt. Quæ totidem verbis eadem die A recitantur in Martyrologio Romano, utpote ex eodem Menologio excerpta.

III. Eucharius.

In Epheſina ſynodo priore ſedit & ſubſcripſit Εὐχάριος ἐπίσκοπος Δυῤῥαχίου. *Eucharius epiſcopus Dyrrhachii.*

IV. Lucas.

In ſecunda ſynodo Epheſina ſedit *Lucas Dyrrhachii*, ſuoque ſuffragio ſanxit, quæ pro Eutyche hæretico, & in S. Flavianum Con- B ſtantinopolitanum gerebantur, Λούκας Δυῤῥαχίου. Quod tamen poſthac emendavit in Chalcedonenſi ſynodo, cujus definitionibus ſubſcripſit act. præſertim 6. Λούκας ἐπίσκοπος Δυῤῥαχηνῶν μητροπόλεως, *Lucas epiſcopus metropolis Dyrrhachenorum.* Leo Magnus Papa de ordinationibus quas Perigenes Corinthi metropolita contra regulas fecerat, ad *Metropolitanos per Achaïam conſtitutos* ſcribens, *Lucam* in inſcriptione epiſtolæ nominat, Dyrrhachii utique, cui poſt biennium Leo Imp. ut aliis Imperii ſui Orientalis epiſcopis C literas ſacras miſit de nece S. Proterii Alexandrini: *Lucæ reverentiſſimo epiſcopo Dyrrhachii.* Exſtat ſynodica epiſcoporum novæ Epiri ad eumdem Imp. reſponſoria, cui omnium primus ſubſcripſit *Lucas epiſcopus Dyrrhachenus.*

V. * * *.

Tempore Hormiſdæ Papæ, quum Illyricum Orientale pene totum ad Acacii Conſtantinopolitani Præſulis ſchiſma, Anaſtaſio præſertim Imp. defeciſſet, Dyrrhachii quo- D que eccleſia cum Epiro nova à Romana communione feceſſit, nec legatos quos Hormiſdas in Orientem mittebat ex animo ſuſceperunt. Id quod Andreas Prævalitanus eidem Pontifici data relatione ſignificavit. *Commendans me humillime veſtigiis veſtris piiſſimis*, inquit, *indico propter ſynodum Epiri novæ, quoniam finxerunt anathematizare intra ſemetipſos aliquas perſonas. Hoc tantummodo ingenio uſi ſunt, ut nos in ſua malitia caperent. Quibus reſtitit divina Trinitas per veſtras preces ſanctas. Et quum deprehenſi fuiſſent in ſua* E *malitia, nunquam potuimus* archiepiſcopo *ſuadere, ut ad viam veritatis, & ad veſtra præcepta verteretur.*

VI. Marianus.

Facundus Hermianenſis lib. *cont. Mocianum* pag. 205. *Marianum Doracenſem*, ſive Dyrrhachii, laudat, qui cum Baſiliſco Sardicenſi & aliis trium capitulorum condemnationi refragatus eſt. *Cui judicio*, inquit *quoniam ſuffragari renuebant, b. m. Marianus Doracenus, & Baſiliſcus Sardicenſis epiſcopi, & Lampridius preſbyter & Abbas Hieroſolymitani monaſterii, Mocianus eos Cp. ut ſe commendaret, in gehennam abiiſſe dicebat.* Quamquam nonnemo forſan arbitretur, *Doracenſi* epiſcopo, Facundum, non Dyrrhachii præſulem intellexiſſe, ſed Doracii, quod in Notitia Hieroclis, Prævalis provinciæ metropolis dicitur. Δωράκιον μητρόπολις. Verum Doracium in Prævali neſciunt eccleſiarum Notitiæ veteres.

VII. Urbicus.

Gregorius Magnus Papa ad primarios ſuæ Diœceſis metropolitas ſcribens, lib. 8. epiſt. 5. Indict. 1. & lib. 9. Indict. 11. epiſt. 68. *Urbicium* vel *Urbicum Dyrrhachii* nominat. *Euſebio Theſſalonicenſi, Urbicio Dyrrhachitano. Urbico Dyrrhachino, &c.*

VIII. Sisinnius.

Quiniſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur *Siſinnius epiſcopus metropolis Dyrrhachenorum*, Σισίννιος χάριτι τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐπίσκοπος Δυῤῥαχηνῶν.

IX. Nicephorus.

In ſeptima ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Nicephorus epiſcopus Dyrrhachii*. Νικηφόρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Δυῤῥαχίου.

X. Antonius.

Inter Theodori Studitæ epiſtolas libri 2. centeſima quinquageſima-ſeptima inſcribitur, Ἀντωνίῳ Δυῤῥαχίου, *Antonio Dyrrhachii.* Scripta eſt cujuſdam monachi cauſa, qui quum preſbyter non eſſet, parvulos quoſdam baptizare auſus erat. Ejus crimen amolitur, quia graſſante hæreſi, copia ſacerdotis Catholici non fuerat, ad illos ſacro lavacro tingendos. Multa affert quibus monachum excuſat. Epiſt. 209. *hunc Dei amantiſſimum & ſanctiſſimum archiepiſcopum* appellat, τοῦ θεοφιλεστάτου ἡμῶν πατρὸς ἀρχιεπισκόπου Δυῤῥαχίου... ὑπὸ τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου.

XI. Lucianus.

In ſynodo quæ Photii in Conſtantinopolitanam ſedem reſtituti cauſa habita eſt, ſediſſe & ſubſcripſiſſe legitur *Lucianus Dyrrhachii*, Λουκιανὸς Δυῤῥαχίου, Λουκιανὸς Δυῤῥαχίου.

XII. * * *.

Joannes Scylitzes Curopalata narrat Imperatrici Zoæ per Theophanem Theſſalonicenſem indicatum fuiſſe, Conſtantinum Diogenem conſpiratione facta cum illius ſorore Theodora, fugam in Illyricum meditari,

ECCLESIA DYRRHACHII. conſiliorum illorum conſciis *metropolita* Dyrrhachii & epiſcopo Peritheorii, qui ſtatim comprehenſi, liberi paulopoſt dimiſſi ſunt 8. die menſis Julii fer. 6. anno 6541. Indict. xv. adeoque anno Chriſti 1033.

XIII. LAURENTIUS.

A Alexius Patriarcha Conſtantinopolitanus, coacta ſynodo quatuor metropolitanorum, decretum edidit de nuptiis ſeptimi gradus, ut ſi contractæ non fuerint, minime permittantur, cæterum copula facta, non ſolvantur, B pœnis tamen qui contraxerint ſubjiciantur. Aderat *Laurentius Dyrrhachii*, *Λαυρέντιος Δυῤῥαχίου*. Lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 204. Poſt vero *Laurentius Dyrrhachii* alteri ſynodo adfuit, in qua Michaël Cerularius Patriarcha, cujus ſyncellus erat, ſententiam dixit in Leonis Papæ IX. legatos. *συνεδριαζόντων*. . . . . *Λαυρέντιος Δυῤῥαχίου καὶ Συγκέλλου*. Allat. Diſſert. 2. de lib. Eccl. Græc.

XIV. * * *.

XV. GREGORIUS.

Michaële Stypiota Patriarcha ſynodus Conſtantinopoli habita eſt, in qua ſpurii duo epiſcopi ſecundæ Cappadociæ ob illegitimam ordinationem ſuam, ac Bogomilicæ hæreſis ſuſpicionem, ſacerdotio amoti ſunt, ſedebat *metropolita Dyrrhachii*. Allat. lib. 2. de conſ. cap. 12. col. 674. 682.

Ex hiſtoria regni Slavorum quæ à Mauro Urbino Abbate Meliteníi ſcripta, anno 1610. Peſari prodiit, anno Domini 1141. GREGORIUS. ſedebat *Gregorius Dyrrhachii, à Durazzo Gregorio*. Quem Urbinus perperam innuit Raguſini metropolitæ ordinationi obnoxium fuiſſe, niſi Latini generis & ritus fuerit; quod tamen illorum temporum ratio non admittit.

XVI. EUSTATHIUS.

Soterichus Panteugenus Manuële Comneno Imp. Antiochiæ Patriarcha deſignatus, quum negaret Chriſtum, ſibi quatenus naturâ alterâ Deus eſt, ſacrificium obtuliſſe, ſed Patri dumtaxat & Spiritui ſancto, erroris ſui ſocium habuit *Euſtathium Dyrrhachii metropolitam*. Habita vero ſynodo in urbe Regia, Luca Chryſoberge Patriarcha, allatis Patrum ſententiis, & ponderatis, diſertè confeſſus eſt Euſtathius ipſi quoque Filio, toti, inquam, Trinitati, ſimul vivificum Domini ſanguinem & corpus in cruce primùm oblatum eſſe, deincepſque ſingulis diebus in myſtico & incruento ſacrificio offerri. Quapropter non eamdem atque Soterichus damnationis ſententiam ſubiit. Allat. vind. ſyn. Epheſ.

XVII. MICHAEL.

Euſtathio utique proxime ſucceſſit *Michaël*, qui anno 1166. in altera ſynodo, in qua Alamannorum aſſertio de his Domini verbis, *Pater major me eſt*, vera & orthodoxa cenſita eſt, ſedebat *Michaël Dyrrhachii*. Allat. lib. 2. de conſ. cap. 12.

XVIII. * * *.

Lib. 2. Juris Græco-Rom. pag. 172. ſynodus refertur habita Iſaacio Angelo Imperatore, in qua Cæſareæ metropolita palam expoſtulabat, quod nec ipſe, nec epiſcopi quidam alii qui in urbe Regia agebant, vocati erant, ad epiſcoporum *Dyrrhachii*, *Δυῤῥαχίου*, Mileti, & Chriſtianopolis electiones.

XIX. * * *.

Joannes Camaterus Patriarcha qui anno 1199. ſedebat, menſe Febr. Indict. 11. hoc eſt ipſomet anno, decreto ſanxit ſynodico, ne duo fratres ſobrinas duas ducerent, datumque decretum eſt *τῷ ἱερωτάτῳ μητροπολίτῃ* C *Δυῤῥαχίου καὶ ὑπερτίμῳ*, *ſacratiſſimo metropolitæ Dyrrhachii*. Jur. Græco-Rom. pag. 285.

XX. ROMANUS.

Manuële Charitopulo Patriarcha, qui capta à Francis Conſtantinopoli Nicææ in Bithynia ſedebat, *ſacratiſſimus Dyrrhachii metropolita Romanus*, *ὁ ἱερώτατος μητροπολίτης Δυῤῥαχίου Ῥωμανός*, in ſynodo ad quam ſex alii metropolitæ convenerunt, quæſtiones varias propoſuit à Patribus ſolvendas, & quarum ſolutiones ſolemni decreto ſancitæ, regeſtæ D fuerunt lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 238. Synodo alteri adfuit quoque *Romanus*, in qua actum eſt *de Tranſlationibus epiſcoporum*, eodem Patriarcha præſide, die 30. Julii, *ἐπινεμήσεως* (*κ΄*. (ſeu potius) *η΄*.) Indict. VIII. Ibid. pag. 240.

XXI. CHALCUTZES.

Pachymeres lib. 1. cap. 10. narrat, recepta à Græcorum Imp. Epidamno, ſeu Dyrrhachio, ibi deſideratum fuiſſe antiſtitem qui ſacris præeſſet, Ducem quoque & E militares copias; Antiſtitem deſignatum eſſe *Chalcutzem* (id ejus cognomen erat, non certe nomen, quod Pachymeres omiſit) qui magnæ eccleſiæ Scevophylacis magni honore & munere præſtabat. *ἀρχιερέως ἀποκηρυχθέντος τοῦ Χαλκούτζη, ὃς καὶ τὴν τοῦ μεγάλου σκευοφύλακος ἐπὶ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας εἶχε τιμήν*. Quîcum Michaël Palæologus miſſus Dux fuit; adjecto tamen mandato, ut id omne ageret, quod reliquis ducibus, ac præſertim antiſtiti conſentaneum videretur.

Digitized by Google

XXII. Constantinus.

Lib. 5. Jur. Græco-Rom. pag. 316. extant *Reſponſiones beatiſſimi & ſanctiſſimi Bulgariæ archiepiſcopi Domini Demetrii Chomateni ad Conſtantini Cabaſilæ archiepiſcopi metropolis Dyrrhachii quæſita.* τοῦ μακαριωτάτου ἀρχιεπισκόπου Βουλγαρίας κυροῦ Δημητρίου τοῦ Χωματιανοῦ, πρὸς Κωνσταντῖνον ἀρχιεπίσκοπον τῆς μητροπόλεως Δυῤῥαχίου τὸν Καβασίλαν ἀποκρίσεις. Atqui Demetrius Chomatenus Bulgariæ archiepiſcopus ſedebat tempore Michaëlis Palæologi Imp. & Stephani Ureſis ſive Uroci, Cralis Serviæ.

XXIII. Nicetas.

Georgius Pachymeres lib. 2. cap. 22. *Nicetæ*, qui Theſſalonica oriundus erat, in Dyrrhachii metropolitam ordinationem refert, qui ad hanc ſedem à Nicephoro Patriarcha nupero morti proximo deſtinatus fuerat, ὁ ἐκ Θεσσαλονίκης Νικήτας Δυῤῥαχίου μητροπολίτης χειροτονεῖται. Vixit itaque ſub Michaële Palæologo Imp. & Andronico ejus filio. Nam anno 1292. *Nicetas* idem Theoleptum Philadelphienſem acriter reprehendit, quod ex Gregorii Nyſſeni laciniâ quâdam dæmones in Canticis Canticorum fratres noſtros appellari effutierat; hoc enim dictum piis auribus omnino repugnare. ὁ γὰρ Δυῤῥαχίου Νικήτας τὸν λόγον ἀκούσας, οὐκ ἀνεκτὸν ἀκοαῖς εὐσεβέσιν ἡγήσατο πάμπαν. idem Pachym. in Andron. l. 3. c. 23.

XXIV. * * *.

Nicephorus Gregoras in fine lib. 10. narrat, poſt legatorum Romanorum adventum qui ſub Andronico ſeniore Palæologo Conſtantinopolim de eccleſiarum redintegranda unione acceſſerant, ſe multa peroraſſe, ut ſuos ab ea incunda deterreret, ſuiſque ſermonibus cordatiores quoque epiſcopos aſſenſos eſſe, *in quibus, atque in primis Dyrrhachii metropolitam*, τοῖς τε ἄλλοις, καὶ μάλιστα Δυῤῥαχίου τῷ πάνυ, qui vir erat, inquit, tum canis, tum ingenii acumine & celſitudine inter cæteros excellens, virtutem eruditione ornans, & eruditionem virtute.

XXV. Gregorius.

Tomo condemnationis Acindyni & Barlaami, qui Gregorii Palamæ profanis doctrinis adverſabantur, ſubſcripſit cum aliis *Gregorius Dyrrhachii*, ὁ Δυῤῥαχίου Γρηγόριος. Lambec. Bibl. Cæſar. tom. 8. cod. 266.

XXVI. Paulus.

A Marinus Barletius Scodrenſis lib. 11. de vita & geſtis Scanderbegi, fol. 198. v.° narrat Venetorum Oratorem operam adhibuiſſe *Pauli Angeli Dyrrhachienſis archiepiſcopi*, qui Scanderbego ſuaderet, ut bellum Turcarum Tyranno Mahumeto II. inferret. *Ad Paulum Angelum Dyrrhachienſem archiepiſcopum divertit, quem noverat apud Scanderbegum & Scanderbeganos plurimum fide, gratia & auctoritate valere. Qui archiepiſcopus, ut Venetorum obſervantiſſimus fuit, reverentia tanti ſenatûs, mox ad Scanderbegum acceſſit. Erat* B *hic archiepiſcopus Epirota ex Drivaſto urbe oriundus, Andreæ Angeli filius, cujus ſuprà mentionem fecimus, vir ſummo ingenio & ſingulari facundia prædiius, excellenti doctrina, ſacris humaniſque literis, tam Græcis quam Latinis, apprimè eruditus, vitæ & morum candore conſpicuus, Chriſtianæ religionis ardentiſſimus. Quem Scanderbegus ob illius modeſtiam, vitæ cultum & integritatem, ſumma veneratione habebat; Epirotæ & Albani omnes tamquam oraculum quoddam audiebant, & venerabantur. Qui quum ad Scanderbegum acceſſiſſet, omnes duces* C *& milites Scanderbeganos in concionem vocatos, quo bellum adverſus Mahumetem ſumerent, tali eos occaſione aggreſſus eſt.* Hic porro Dyrrhachii metropolita quum erga Romanam eccleſiam egregiè affectus eſſet, ob præclara ſua in rem Chriſtianam officia, Cardinalium collegio allegari meruit à Pio Papa II. De eo legendus Ciaconius in hiſt. Cardin.

XXVII. Hieremias.

XXVIII. Chariton.

Leo Allatius lib. 3. de conſenſ. cap. 11. D complures epiſcopos ait è Græcia Romam ante paucos annos, hoc eſt ſæculo decimo-ſeptimo adulto, veniſſe, ut eccleſiæ Romanæ communione donarentur, quorum alii ad propria reverſi erant, alii, ut liceret ſibi tranquilliùs vivere, in Italia ſedem fixerant, in quibus fuere *Hieremias archiepiſcopus Dyrrhachii*, necnon *Chariton archiepiſcopus* itidem *Dyrrhachii.*

XXIX. Philotheus.

Non ita pridem ſedebat *Philotheus Dyrrhachii*, ex ſchedis quæ Venetiis ad me miſſæ ſunt, *Philotheo di Dirrachio.*

II.

ECCLESIA SCAMPES.

QUÆ *Scappa*, Σκάμπα, Hierocli in Epiri novæ provincia ſcribitur, Σκάμπις *Scampes* Ptolemæo dicitur, vel *Scampe* Σκάμπη, Macedoniæ veteris cenſita civitas, in Cordetarum regione, eaque etiamnum *Scampi* nominatur, in Albania inter Dyrrhachium &

ECCLESIA SCAMPEA.

Lychnidum poſita. Nulla ejus in notitiis eccleſiarum Græcis mentio, quæ ſuos tamen epiſcopos habuit.

EPISCOPI SCAMPES.

I. Artemius.

EPiſtolæ ſynodi novæ Epiri ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcripſit *Artemius epiſcopus Scampenus*.

II. Troius.

In ſuggeſtione Germani & Joannis epiſcoporum aliorumque legatorum Romanorum Conſtantinopolim pergentium, ad Hormiſdam Papam, narratur quomodo *Troïus Scampenus epiſcopus* ad ipſos ultrò venerat, idem factum iri ſperantes à Lychnidenſi. *Quod in Scampena civitate factum eſt veſtris orationibus*, inquiunt, *tacere non permiſimus. Antequam nos ingrederemur in civitatem, ipſe venerabilis Troïus epiſcopus cum ſuo clero vel plebe in occurſum nobis egreſſus eſt, & quomodo Deus in ipſa die benedictus eſt, & quæ feſtivitas per ipſius pietatem eſt ſubſequuta, ad notitiam Apoſtolatûs veſtri referimus. Nobis præſentibus, vel ſuo clero & nobilibus viris ip-* A *ſius civitatis libellum ſubſcripſit, porrexit. Suſcepimus & præſente omni clero in gradu ſuo, à ſervo veſtro Petro Notario S. eccleſiæ Romanæ eſt relectus. Erat conventus in Baſilica S. Petri. Confitemur beatitudini veſtræ tantam devotionem, tantas Deo laudes, tanta gaudia difficile in alio populo vidimus. Prope omnes cum cereis, viri cum mulieribus, milites cum crucibus, in civitate nos ſuſceperunt. Celebratæ ſunt Miſſæ, nullius nomen obnoxium religionis eſt recitatum, niſi tantum veſtræ Beatitudinis. Noſter epiſcopus venerabilis Germanus Miſſam celebravit*, B *& promiſerunt non poſtea recitari, niſi quos ſedes Apoſtolica ſuſcepit.* Scilicet è ſacris Diptychis dempta nomina ſunt Acacii Conſtantinopolitani, ejuſque conſortium qui prius inter divina myſteria recitata fuerant. Eadem ſtrictim iidem legati memorant in ſuggeſtione altera, quin etiam Andreas Prævalitanus ſua ad eumdem Pontificem Hormiſdam epiſtola.

III. ECCLESIA APOLLONIÆ & BULLIDIS.

APOLLONIA civitas quæ Novæ Epiro attributa eſt, Macedoniæ veteris cenſetur Ptolemæo, in regione Taulantiorum poſita. Ita pridem Plinius lib. 3. cap. 23. Cui *Apollonia quondam colonia eſt, 7. mill. paſſ. à mari recedens*. Strabo ante Plinium lib. 7. dixerat: *Apſus amnis & Aous ſuper quo Apollonia civitas exiſtit, optimis inſtituta legibus, quam Corinthii & Corcyræi condidere, à flumine quidem 10. ſtadiis abeſt, à mari vero 60*. Addit Plinius, *Accolunt Barbari, Amantes & Bulliones*. Plane tempore ſynodi Epheſinæ idem erat *Apolloniæ & Bullidis* epiſcopus. Nulla tamen in eccleſiaſticis notitiis Apolloniæ mentio, uti nec Bullidis, quæ Hierocli quoque Epiri oppidum eſt. Bullis autem Ptolemæo Macedoniæ eſt, veteris nempe, quæ ad mare Adriaticum uſque pertinebat, atque in Pelagonia & Elymiotarum regione, Βυλλίς. De Bullionibus Strabo ait: *Super Epidamnum, ſive Dyrrhachium & Apolloniam ſedes habent Bulliones & Taulantii, &c.* Carolus à S. Paulo Bullidem & Amantiam eamdem fuiſſe civitatem perperam putavit, quippe quas diſerte Plinius & Ptolemæus ſecernunt, imo & Cæſar lib. 3. de Bell. civ. cap. 40. & Cicero Philipp. 11. cap. 11.

EPISCOPI APOLLONIÆ & BULLIDIS.

I. Felix.

IN Epheſino Concilio ſedit, ſubſcripſitque *Felix Apolloniæ & Bullidis*, Φίλικος Ἀπολλωνίας ἢ Βουλλιάδος.

II. Eusebius.

In Chalcedonenſi *Euſebius epiſcopus Apolloniæ*, item *Apolloniadis*, Εὐσέβιος ἐπίσκοπος C Ἀπολλωνιάδος, qui in indice latino inter Epiri novæ præſules cenſetur.

III. Philocharis.

Epiſtolæ ſynodi Epiri novæ ad Leonem Imp. ſubſcriptus legitur *Philocharis epiſcopus Validi*; emendandum prorſus *Bullidi* vel *Bullidis*.

Digitized by Google

IV. ECCLESIA AMANTIÆ.

AMANTIAM bis habet Ptolemæus, ubi de Macedonia, in regione Taulantiorum & in Oreſtide; ac primo quidem loco maritima eſt inter Aoum & Celydnum fluvios, haud procul à mari, ſecundo autem in Oreſtide paulo remotiùs à mari ad Loum flumen. Duplicem Amantiam in eadem illa regione fuiſſe non ſatis capio, quando ſcriptores alii unam dumtaxat norunt. Plinius lib. 3. cap. 23. Amantes collocat in Macedonia, ubi poſtquam dixit de Apollonia ejuſque Nymphæo, ſubdit: *Accolunt Barbari, Amantes & Bulliones:* lib. 4. cap. 10. Macedoniam iterum ejuſque populos centum & quinquaginta gentes enarrans, *Mox,* inquit, *in ora Ichnæ fluvius Axius.... Ab hoc amne Pæoniæ gentes, Paroræi, Heordenſes, Almopii, Pelagones, Mygdones. Montes.. Dein præjacente gremio terrarum Arethuſii.... liberi Amantini, atque Oreſtæ, Coloniæ Bullidenſis & Dienſis.* Quæ Amantiam eamdem indicant, quam Novæ Epiro adſcribit Hierocles, aliæ vero notitiæ neſciunt. Amantiam, Bullidem & Apolloniam in epiſcopatum unum coaluiſſe lubens conceſſero. Non omittam Amantiam Caſtrum à Juſtiniano refectum, Procopio teſte lib. 4. de ædific. cap. 8.

EPISCOPI AMANTIÆ.

I. EULALIUS.

INter epiſcopos Euſebianos qui à Sardicenſi concilio deficientes, Philippopolim ſeceſſerunt, epiſtolæque ipſorum ad Africanos ſubſcripſere, legitur *Eulalius ab Amantias,* ſive *ab Amantia,* Urſacii proinde & Valentis Illyrici epiſcoporum aſſectator.

V. ECCLESIA DECATERORUM.

EPIRO novæ aſſignanda *Decatera,* Δεκάτερα veniunt Dalmatiæ oppidum Joanni Curopalatæ & Cedreno, hodie *Cataro* dictum, quod Conſtantinus Porphyrogennetus lib. *de adminiſtrando Imperio,* cap. 29. ad hunc modum deſcribit: *Caſtrum* Κάστρον, *Decaterorum lingua Romana ſignificat anguſtatum & percuſſum, quoniam mare ingreditur tamquam lingua coanguſtata, ad quindecim, imo etiam ad viginti millia paſſuum, eſtque Caſtrum hoc poſitum ad ipſum maris complementum. Habet vero circa ſe montes altos, ita ut æſtate dumtaxat ſolem videat, dum in medio cælo eſt, hyeme vero nunquam. Hoc in oppido depoſitus eſt S. Tryphon qui ægrotos omnes ſanat, eoſque præſertim quos impuri ſpiritus vexant, ejuſque Templum rotunda figura eſt.* Cap. 30. iterum regionem indicat in qua Decatera exſtent, Chrobatiæ deſcripto ſitu, cujus incolas à Romano Pontifice Chriſtianis myſteriis cum eorum Principe Porino imbutos narrat, urbibuſque ipſorum recenſitis pergit: *Dioclea porro propinqua eſt Dyrrhachii oppidis, Eliſſo, Helcynio & Antibari: extenditurque Decatera uſque. Montana autem Serviæ finitima ſunt.* Cæterum in nullis eccleſiarum notitiis Decatera occurrunt, ſed in actis dumtaxat ſeptimæ ſynodi. Verum Maurus Urbinus Abbas Melitenſis in hiſtoria Italica Slavorum ſcribit urbem hanc Archiepiſcopo Diocleæ ſubjectam fuiſſe quo tempore Bulgari Diocleam hanc vaſtaverunt, & Diocleenſi eccleſiâ cum Antibarenſi coaleſcente, Antibarenſi metropolitæ obnoxiam eſſe factam; ſubinde vero Raguſino cum ſedibus aliis quæ ſub Diocleenſis diſpoſitione erant. Priſcum Decaterorum oppidi nomen alii fuiſſe *Rhiſunium,* vel *Rhizonem,* vel *Rhiſonium* putant, unde *Sinus Rhizonicus, cum urbe Rhizone,* Straboni & Ptolemæo, alii *Aſruvium,* quod Plinio teſte, ad eumdem ſinum ſtabat. *Hiſt. del Regno di Slavi. Peſaro 1610.*

EPISCOPI DECATERORUM.

I. JOANNES.

IN ſeptima ſynodo generali ſedit & ſubſcripſit *Joannes epiſcopus Decaterorum.* Ἰωάννης ἐπίσκοπος Δεκατέρων.

A

II. NICEPHORUS.

Anno 1141. Andrea Lucheſio Raguſinum archiepiſcopatum gerente, Decateræ epiſcopus erat *Nicephorus,* Urbino teſte pag. 247. hiſt. Regni Slavorum. *A Cataro Nicephoro,* quod quidem nomen Græci ritus præſulem indicat.

Digitized by Google

VI.
ECCLESIA AULONIS.

*A*ULON, Αὐλὼν, quam Hierocles *Aulynidis metropolim* dicit, Αὐλὼν, ἤτοι Αὐλυνίδος μητρόπολις, Ptolemæo Macedoniæ veteris ad mare Adriaticum civitas eſt. Αὐλὼν, inquit Ptolemæus, πόλις καὶ ἐπίνειον. *Aulon, Urbs & Navale,* quæ hodie *Valona,* ad fluvium Aoum poſita erat. In notitia Leonis Imp. *Aulonea* ſcribitur, ſub Dyrrhachii metropolita ὁ Αὐλωνίας, *epiſcopus Auloniæ.*

EPISCOPI AULONIS.

I. NAZARIUS.

EPiſtolæ ſynodi provinciæ novæ Epiri ad Leonem Imp. ſubſcribebat, *Nazarius epiſcopus Aulonæ.*

II. * * *.

Germanus Capuenſis epiſcopus, aliique tres Hormiſdæ Papæ Legati ſuggeſtione II. eidem Pontifici data declarant ſe in alia jam epiſtola *Beatitudini ipſius ſignificaſſe quo ordine cum Dei adjutorio pervenerint, & quomodo ſuſcepti ſint ab epiſcopo civitatis ipſius,* (Aulo-
A nis) *& quid eſt actum, vel quale reſponſum dederint: & quia hoc promiſit, ut cum metropolitano ſuo faceret libellum;* quo nempe emendarent quæ Acacii Conſtantinopolitani gratia apud illos geſta erant. Anterior autem illa Germani epiſtola intercidit, ex quo nomen Aulonenſis epiſcopi noſſe poſſemus, qui Acaciano ſchiſmati plus æquo adhæſerat.

III. SOTERUS.

In actis ſeptimæ ſynodi latinis ſubſcriptus legitur, *Soterus miſericordia Dei epiſcopus Aulonis.*

VII.
ECCLESIA LESTRONIS.

*L*ISTRA, vel *Liſtron,* aut *Leſtron,* Λίςρων, Λήςρων, Hierocli civitas eſt Epiri novæ; quam Conſtantinus Porphyrogennetus, lib. 2. de Thematibus Them. 9. ſub Dyrrhachio ponit, & à *Liſſo,* vel *Liſſa* diſertè ſecernit. Non omittendum Hieroclem *Leſtronem & Sceponem,* unà ſimul jungere, ac ſi oppidum unum fuerit, vel è duobus unum factum ſit.

EPISCOPI LESTRONIS.

I. ZENOBIUS.

IN Latino Indice epiſcoporum qui Chalcedonenſi concilio interfuere, primus *de Provincia Epiri novæ* legitur *Zenobius Beſtronenſis,* corruptè prorſus; emendandumque eſt *Leſtronenſis.* Alibi in hujus ſynodi geſtis non comparet, è quibus multorum epiſcoporum qui in hoc ſacro conventu ſedebant, nomina exciderunt.

VIII.
ECCLESIA DRIVASTI.

*D*RIVASTUS, vel *Dribaſtus* Albaniæ hodieque civitas eſt, quæ ſeptima cenſetur in notitia Leonis Imp. inter epiſcopatus metropolitæ Dyrrhachii obnoxios. ζʹ. ὁ Δειβάςου.

EPISCOPI DRIVASTI.

I. PAULUS.

POſtremus epiſcoporum provinciæ novæ Epiri, qui epiſtolæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcripſerunt, legitur *Paulus epiſcopus Primatenſis;* ſcribendum potius fuerat *Drivaſtenſis.*

II. PETRUS I.

Ex Mauro Urbino in hiſtoria Italico idiomate ſcripta de Regno Slavorum, pag. 247.
B anno 1141. ſedebat *Petrus Drivaſti, à Dievaſt Pietro,* ubi inter Raguſinæ metropolis epiſcopos ſuffraganeos cenſetur.

III. PETRUS II.

Sæculo quoque inſequenti Drivaſti epiſcopus ſedebat *Petrus* alter, qui ſynodo totius Diœceſis Serviæ ſub Sabba archiepiſcopo, tempore Innocentii Papæ IV. interfuit, ejuſque ſtatutis ſubſcripſit.

Digitized by Google

IX. ECCLESIA STEPHANIACI.

IN notitia Leonis Imp. civitatum quæ Dyrrhachii metropoli ſubſunt, prima eſt *Stephaniacus*, vel *Stephaniaci*, pluralis numeri voce, *ά ὁ τῶν Στεφανιακῶν*, *epiſcopus Stephaniacorum;* quam urbem illam ipſam eſſe puto quæ Æliano lib. 12. hiſt. Anim. cap. 30. Stephanopolis dicitur; ubi templum Fortunæ Epiroticæ ſtabat.

EPISCOPI STEPHANIACI.

I. Cosmas.

IN ſynodo quæ Joanne Papa VIII. ob Photii reſtitutionem habita eſt, ſediſſe fertur *Coſmas Stephaniaci*, Κόσμα Στεφανιακοῦ.

Civitates alias Dyrrhachio metropoli ſubjicit Leo Sapiens Imp. in ſua Notitia, quarum aliquæ ad alias provincias pertinuerant; de quibus ſuis ut par eſt locis dicetur nimirum de Lychnido, Scodra & Antibari. De reliquis vero & eorum epiſcopis nihil mihi occurrit.

VI. PROVINCIA CRETÆ INSULÆ.

I. ECCLESIA GORTYNÆ METROPOLIS.

CRETAM inſulam, ejuſque ſitum omnes norunt, nec ea iſtic regerere intereſt quæ de illa veteres Græci, quæve recentiores ſcripſere. In Cretam inſulam appulit Paulus quum Romam navigaret, ut fertur Act. 27. v. 7. ubi Titum reliquit Chriſtianorum quos ibi fecerat, antiſtitem, quem proinde epiſtola quam illi ſcripſit admonendum duxit, ut per civitates preſbyteros, epiſcopoſve conſtitueret. *Hujus rei gratia,* inquit, *reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates preſbyteros ſicut & ego tibi diſpoſui, ſi quis ſine crimine eſt.... Oportet enim epiſcopum ſine crimine eſſe.*

E centum urbibus quæ in Creta inſula memorabantur, *Gortyna* inter primarias fuit, quæ & *Gortyn* dicta eſt: Urbes *ſunt in Creta,* aiebat Strabo, *multæ quidem, maximæ autem & illuſtriſſimæ tres, Cnoſſus, Gortyna, Cydonia.* Gortynam in campo ſitam olim Homero teſte, ſubdit, muroque cinctam quam Ptolemæus Philopator ad octoginta ſtadia refecerat, reliquam vero partem incolæ abſolverunt. *Diſtat ipſa, ejuſque emporium Lebenus vocatum ab Africano mari 90. ſtad. Habet & aliud emporium Metallum nomine ſtadiis 130. ab illa ſemotum. Hanc totam perlabitur Lethæus amnis ortum ex Lebena trahens.* Hæc de Gortyna, quam Plinius in mediterranea quoque collocat. Hujus elegantiſſimæ ampliſſimæque olim civitatis rudera dumtaxat ſuperſunt hodie in agro Candaceæ, ſive Candiæ, quæ ejus in locum à Saracenis Hiſpanis inſulæ tunc Dominis excitata eſt, Monachi cujuſdam illic degentis conſilio. Atqui in notitia Hieroclis, ut in aliis veteribus Gortyna inſulæ Cretæ metropolis eſt, cui hodieque ſubſunt epiſcopatus undecim.

EPISCOPI GORTYNÆ.

I. TITUS.

PAULI itaque Gentium Apoſtoli diſcipulus *Titus Gortynæ* primus epiſcopus fuit, de quo Martyrologium Romanum hæc habet die 4. Januarii: *In Creta natalis ſancti Titi, qui ab Apoſtolo Paulo Cretenſium epiſcopus ordinatus, poſt prædicationis officium optime conſummatum, beatum finem adeptus eſt. Sepultus eſt in eccleſia ubi à beato Apoſtolo dignus miniſter fuerat ordinatus.* Menologium Græcorum Sirletanum ad diem 25. Auguſti plura de eo narrat. *Item S. Titi epiſcopi urbis Gortynæ, diſcipuli S. Pauli Apoſtoli. Hic beatus Titus viginti annos natus venit Hieroſolymam, & uſque ad Domini noſtri Jeſu Chriſti aſcenſionem expleto uno anno, decem alios annos illic permanens, ordinatus eſt Apoſtolus. Prædicavit Evangelium annos decem & octo apud Cretam, & in reliquis inſulis annos ſex. In patria vero (annos triginta novem exegit) Ex his nonaginta quatuor annorum numerus colligitur.* Non ſatis capio Titum qui Judæus non eſſet, Chriſto ejuſque diſcipulis primis

A illorum temporibus adhæſiſſe, quando ante Cornelium nemo ex Gentilibus inter Chriſtianos cooptatus fuerit. Hoc vero certo novimus ex epiſtola ad Galatas cap. 2. v. 1. Paulum decimo-quarto à ſua converſione anno Hieroſolyma cum Tito & Barnaba veniſſe, Titum, qui Græcus eſſet, non Judæus, Ἕλλην ὢν, à Chriſtianis de Judæa coactum non fuiſſe ut circumcideretur. Joannes Chryſoſtomus homil. 1. in epiſtolam ad Titum, hunc patria Corinthium fuiſſe aſſerit.

B

II. PHILIPPUS.

In Martyrologio Romano ex Beda, Adone & Uſuardo, die 11. Aprilis fertur: *Gortynæ in Creta S. Philippi epiſcopi vita & doctrina clariſſimi, qui temporibus Marci Antonini & Lucii Aurelii Commodi Eccleſiam ſibi creditam regens, à furore Gentilium & hæreticorum inſidiis eam tutatus eſt.* Hæc accepta ſunt ex Euſebio Cæſarienſi lib. 4. hiſt. Eccl. cap. 24. quem Hieronymus in ſcriptorum Eccleſiaſticorum catalogo exſcribens, ait: *Philippus*

Digitized by Google

Philippus epiſcopus Cretenſis, hoc eſt, urbis Gortynæ, cujus Dionyſius (Corinthius) *in epiſtola ſua meminit, quam ſcripſit ad ejuſdem civitatis eccleſiam, præclarum adverſus Marcionem edidit librum. Temporibus M. Antonini Veri, & Lucii Aurelii Commodi claruit.*

III. Dioscorus.

Auctor libri de Hæreſibus Primaſius, quem *Prædeſtinatum* dixere, hær. 20. quæ eſt *Archonticorum*, hos *apud Cretam ortos eſſe tradit, quos S. Dioſcorus Cretenſis epiſcopus condemnavit, docens unum & verum Deum in partes ſubſtantiales dividi omnino non poſſe. Hunc eſſe Deum, qui ſe & prophetis oſtendit, & in ſe credentes ab omnibus periculis liberavit, diſſentientes vero æterna abominatione punivit.* Hær. 12. de Secundianis dicit: *Hos damnavit Dioſcorus epiſcopus Cretenſis.*

IV. Myro.

Lambecius lib. 8. Biblioth. Cæſareæ, in cod. 14. contineri refert vitam *S. Myronis martyris epiſcopi Cretæ, qui ſub Decio Imp. paſſus eſt.* ἐπὶ Δεκίου τοῦ βασιλέως. In Menologio Sirletano die 8. Aug. *Commemoratio* eſt *S. Myronis epiſcopi Cretæ, cognomento Thaumaturgi. Hic natus in Aurace urbe Cretenſi prope Gnoſſum, divina pietate, præſertim vero miſericordia atque in pauperes pietate inſignis, preſbyter in S. Dei eccleſia, poſtea vero & epiſcopus conſtitutus, multis miraculis editis, annum agens propè centeſimum migravit ad Dominum.*

V. Cyrillus I.

Martyrologium Romanum die 9. Julii: *Gortynæ in Creta S. Cyrilli epiſcopi, qui in perſequutione Decii ſub Lucio præſide flammis injectus, quum incenſis vinculis exiiſſet illæſus, & ſtupore tanti miraculi à judice dimiſſus eſſet, rurſus pro inſtanti & alacri fidei prædicatione de Chriſto, ab eodem capite plexus eſt.* Sic Uſuardus, aliique Latini Martyrologiorum conditores. Menologia vero Græcorum, hunc ſub Diocletiano paſſum ferunt eadem die 9. Julii, ſic Sirletanum: *Eodem die ſacroſancti martyris Cyrilli epiſcopi Gortynæ, qui ſub Diocletiano Imp. in extrema ſenectute Chriſtum claro præconio prædicans, vinctus in ignem injicitur, ſed vinculis quibus tenebatur combuſtis, & igne in cinerem diſſoluto, ſancto illo viro permanente incolumi, ejus rei miraculo ad fidem plurimi converſi ſunt. Quocirca judex illum obtruncari juſſit. Itaque beatus Cyrillus martyrii coronam accepit.*

VI. Eumenius.

In Menæis Græcorum & in Martyrologio Romano die 18. Septembris, *Natalis eſt S. P. N. Eumenii epiſcopi Gortynæ.* In Menologio cujus pars Latine edita eſt tom. 6. Italiæ ſacræ, de illo hæc habentur. *Eumenius Thaumaturgus ab adoleſcentia ſua Chriſtianus, ſumma Deum pietate & timore colebat. Nam quum divitias & facultates ſuas omnes pauperibus erogaret, ipſe per omnem vitam jejuniis & orationibus vacabat, mandatumque Apoſtoli diligenter executus, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, oculos lacrymis ſemper conſperſos circumferebat. Illud præterea in eo viro animadvertendum, quod obtrectatoribus claudebat aures, quum neminem condemnaret. Imo ſi cujus forte peccatum audiiſſet, putabat ſe illum ipſum eſſe qui peccaſſet. Ob hæc igitur rectè facta delectus à clero & populo Gortynæ urbis Cretæ epiſcopus deſignatus eſt, quo in pontificatu quum multos annos vixiſſet, multaque populum docuiſſet, quæ ad cælum pertinent, plurimaque miracula edidiſſet, quievit in pace, in hanc uſque diem miraculorum magnitudine & frequentia illuſtris.* In Menæis recentioribus additur Eumenium Gortyna egreſſum, Thebaidem petiiſſe, κἀκεῖθεν τὴν Θηβαΐδα καταλαβεῖν, Thebas utique Bœotiæ, ubi ſoli ſiccitatem ſanavit, ac demum illic obiiſſe: cæterum corpus ejus à Thebarum civibus remiſſum, in loco cui *Raxo* nomen Ῥάξος ὄνομα τοῦ τόπου, in quo pretioſum quoque Cyrilli corpus, deceſſoris nempe ſui corpus jacebat, ſepultum eſſe. Quæ poſtrema verba nobis indicant Eumenium paulopoſt tempora Cyrilli claruiſſe.

VII. Petrus.

Illis utique temporibus quo Imperatores Romani in Chriſtianos dirè ſæviebant claruerit oportet *S. Petrus* junior epiſcopus Cretæ, cujus in Menæis ſeu Synaxariis paucis hiſce verbis fit mentio die 14. Julii. Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος Πέτρος ἐπίσκοπος Κρήτης ὁ νέος, τοὺς πόδας ἐκκοπεὶς, τελ. *Eadem die S. Petrus epiſcopus Cretæ pedibus truncatus.* Addunt ἀπροσκόπως ἔχοντα τὸν θεῖον Πέτρον ἐζημίωσαν τῇ τῶν ποδῶν ἀφαιρέσει. *Inoffenſo pede gradientem divinum Petrum, pedum minutione multarunt.*

VIII. Iconius.

Synodo Epheſinæ generali priori adfuit & ſubſcripſit inter metropolitas *Iconius epiſcopus Gortynæ Cretæ*, Εἰκόνιος ἐπίσκοπος Γορτύνης τῆς Κρήτης.

IX. Martyrius.

Inter ſubſcriptiones ſecundæ ſynodi Epheſinæ legitur, *Martyrius epiſcopus Gortynæ Cretæ*, qui poſt biennium ſedit quoque in Chalcedonenſi concilio, cujus definitionibus ultrò ſubſcripſit, Μαρτύριος ἐπίσκοπος Γορτύνης

Ecclesia Gortyn.

Digitized by Google

ECCLESIA GORTYNÆ.

τῆς Κρητῶν μητροπόλεως, *Martyrius epiſcopus Gortynæ metropolis Cretenſium.* Huic poſt annos ſeptem ut & aliis Orientalis Imperii metropolitis literas ſuas Leo Imp. miſit, de nece S. Proterii Alexandrini, *Martyrio reverentiſſimo epiſcopo Gortynenſi.* Ipſe viciſſim Martyrius cum ſua ſynodo epiſtolam Imperatori dedit, ſuam de illo facinore & ſynodo Chalcedonenſi ſententiam ſignificans.

X. Theodorus.

In Concilio Conſtantinopolitano quod ſub Menna archiepiſcopo, Anthimi deceſſoris ipſius & aliorum hæreticorum cauſa celebratum fuit, *Theodorus Gortynæ* ad hunc modum ſubſcripſit Act. 5. Θεόδωρος ἐπίσκοπος Γορτύνης, ἡ μητρόπολίς ἐστι τῆς Κρητῶν ἐπαρχίας. *Theodorus epiſcopus Gortynæ, quæ metropolis eſt provinciæ Cretenſium, quum per lectionem ſciverim quæ facta ſunt, anathematizans Severum & impia ejus ſcripta, Petrum quondam Apameæ & Zoaram, & communicatores ipſorum, & qui in eorum perſeverant erroribus.* Quibus ſignificabat, ſe non initio ſynodi adfuiſſe, ſed lectis quæ geſta erant aſſenſum eſſe. Atqui Theodorus idem ſedit ſubinde in Concilio generali quinto anno 553. cujus etiam decretis ſubſcripſit. Ad hunc Theodorum ſpectat inſcriptio Græca quam vir clariſſimus D. Pitton de Tournefort à ſe Gortynæ repertam teſtatur tom. 1. Itiner. ſui pag. 75. quæ ſic habet:

ΕΠΙ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΑΓΙΩ'. ΑΡΧΙΕΠΙΣΚ. ΚΑΠΙΛΙΟΥ ΤΟΥ ΠΕΡΙΒΛ'. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΕΥΘΥΧΩΣ ΑΝΕΝΕΩΘΗ ΚΟΥ... Ο ΤΟΙΧΟΣ Υ. ΦΛ'. ΑΠΠΙΩΝΟΣ ΤΟΥ ΛΑΜΠΡ'. ΙΝΛ'. Β.

Hoc eſt,

Theodoro ſanctiſſimo archiepiſcopo, & A. Pilio (forte Apilia, vel *Capilio) ſpectatiſſimo proconſule feliciter inſtauratus & innovatus eſt hic murus Flavio Appione clariſſimo & illuſtriſſimo Conſule* IIº.

XI. Joannes I.

Gregorius Magnus ad ſuæ Diœceſis metropolitas varios ſcripſit epiſtolam Indict. 1. menſe Decembri anno 598. qua latam à Mauricio Imp. legem ſignificabat, prohibentem ne qui publicis rationibus eſſent obligati, clerici vel monachi fierent, neve milites, ante triennii probationem. Inſcriptio epiſtolæ eſt: *Gregorius Euſebio Theſſalonicenſi, Urbicio Dyrrhachitano, Conſtantino Mediolanenſi, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthi, Joanni primæ Juſtinianæ, Joanni Cretenſi, Scodritano, &c.* Eos inſuper admonebat, ne *Œcumenici Patriarchæ* nuncupationem Conſtantinopolitano epiſcopo concederent, nec vetera legum præſcripta in ulla ſynodo convelli ſinerent. *Sin quis ſcripta præſentia*, inquit, *neglexerit, à B. Petri Apoſtolorum principis pace ſe noverit ſegregatum.*

XII. Paulus.

Vitalianus Papa, qui anno 656. Apoſtolicam ſedem capeſſivit, anno ſubinde 668. 6. Kal. Sept. Ind. XI. epiſtolam dedit *Paulo Archiepiſcopo Cretenſi*, qua eum redarguebat, quod Joannem Lappæ epiſcopum, ad ipſum ſub cuſtodia deductum, injuſtè detinens, ad Apoſtolicam ſedem provocantem Romam ire non permiſerat. Hunc à ſe priſtino honori reſtitutum declarat, reſciſſis quæ contra illum acta erant. Eidem Paulo Cretenſi altera mandat, ut Joanni Lappæ antiſtiti occupatas eccleſias reſtitui curet, ut ſacri canones decernunt; ut etiam Diaconum quemdam qui uxorem duxerat, inque duabus Eccleſiis militabat, pro Dei amore corrigat: Eulampium denique Curialem quo malo conſiliario utebatur, à ſe procul dimittat. Data eſt die 6. Kal. Febr. Indict. XI. anno 669.

XIII. Basilius I.

In ſexta ſynodo generali, in qua Monotheletarum hæreſis proſcripta fuit, ſedit & ſubſcripſit *Baſilius epiſcopus metropolis Gortynæ inſulæ Cretæ, & Legatus totius Concilii Apoſtolicæ ſedis ſenioris Romæ.* Βασίλειος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος μητροπόλεως τῆς Κρητῶν νήσου, καὶ λεγάτος τῆς ἁγίας συνόδου τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης. Qui perinde ſubſcriptus legitur canonibus qui quini-ſextæ ſynodi audiunt. Βασίλειος ἐπίσκοπος τῆς Γορτυνίων μητροπόλεως τῆς φιλοχρίστου Κρήτης νήσου, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων πάσης τῆς συνόδου τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Ῥώμης. *Baſilius epiſcopus Gortynenſium metropolis Chriſto amabilis inſulæ Cretæ, & locum tenens totius ſynodi ſanctæ Romanæ eccleſiæ.* Qua ſubſcriptione iidem illi veteres tituli Baſilio tribuuntur, quibus in ſexta ſynodo potitus erat, quaſi tunc temporis quo canones illi conditi ſunt, ſimili iterum legatione functus ſit.

XIV. Andreas.

Proximus Baſilii ſucceſſor utique fuerit *Andreas*, qui Damaſco oriundus, monachus deinde factus Hieroſolymitanus, ex Diacono & Orphanotropho Conſtantinopolitano, circa annum 712. ſub Philippico Bardane Imp. Cretenſis archiepiſcopus creatus fuit. Tum vero ille cum Germano Cyziceno Principi illi, ſeu magis Tyranno, ſextam ſynodum alterâ coactâ abrogare molienti

adulatorie nimis ſuffragatus eſt. De quo audiendus venit Theophanes ad annum Philippici ſecundum. *A tempore editorum* (Quini-ſextæ ſeu Trullanæ ſynodi) *decretorum, ad quartum Philippici annum facta eſt furibunda ſynodus adverſus ſacram œcumenicam ſextam, & Cyro* (Conſtantinopolitano Archiepiſcopo) *anno patriarchatus initi ſexto Joannes Conſtantinopolitanus Patriarcha renuntiatus eſt, Andreas autem metropolita Cretæ,* (Ἀνδρέαν δὲ μητροπολίτην Κρήτης,) *& Germanus Cyzici propalam ſubſcripſere, cumque ſuis collegis anathemati ſubjecerunt prædictum ſanctum quod adverſus Monotheletas celebratum fuerat, œcumenicum Concilium.* Atqui ut Joannem illum Patriarcham & Germanum pœnituit eorum quæ Philippico auctore malè geſſerant, ita Andream quoque Cretenſem, qui hac eluta labe, ſanctus poſt mortem haberi meruit. Id quod multarum quæ ſuperſunt hodie de variis argumentis homiliarum inſcriptiones teſtantur, ad hunc modum: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀνδρέου ἀρχιεπισκόπου Κρήτης. *S. P. N. Andreæ archiepiſcopi Cretæ.* Combefiſius tom. 2. Auct. Bibl. PP. Græc. Iambos edidit *Andreæ ſanctiſſimi archiepiſcopi Cretæ.* Ἀνδρέου τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Κρήτης, ſcriptos ad Agathonem diaconum & cuſtodem librorum magnæ eccleſiæ, in quibus *Andreas* ſinceram de Incarnatione fidem ſic ediſſerit, ut duas naturas, duaſque itidem operationes ac voluntates duas in Chriſto agnoſcat, & confiteatur. Οὕτως νοοῦ μὲν τὰς ἐνεργείας δύο, φύσεις δὲ Χριστοῦ πάντως προδήλως δύο, Χριστοῦ νοεῖσθαι τὰς ἐνεργείας δύο, διπλῶν θελήσεων δογματίσεις συνῳδῶς. Ex his omnibus apparet, quam inſulſe quidam, in quibus Guillelmus Cave, effutierint *Andream Cretenſem* Sophronio Hieroſolymitano æqualem fuiſſe, qui totis fere centum annis poſterior ei fuerit.

XV. Elias.

In ſeptima ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Elias epiſcopus Cretæ*, vel *Cretenſium inſulæ*. Ἠλίας ἁμαρτωλὸς ἐπίσκοπος Κρήτης vel τῆς Κρητῶν νήσου, qui auctor eſſe cenſetur complurium lucubrationum, quæ *Eliæ archiepiſcopi Cretenſis* nomine inſcribuntur, ac præſertim commentariorum in multos S. Gregorii Theologi ſermones. Lib. 5. Jur. Græco-Rom. editæ ſunt *Eliæ metropolitæ Cretenſis reſponſiones ad multas Dionyſii monachi interrogationes.* Ἠλίου τοῦ μητροπολίτου Κρήτης, ἀποκρίσεις πρός τινα μοναχὸν Διονύσιον, περὶ διαφόρων αὐτοῦ ἐρωτήσεων.

XVI. Cyrillus II.

Quo tempore Sarraceni Cretam inſulam

A expugnaverunt, *Cyrillus Gortynæ præſul* Chriſtum abnegare nolens, martyrii corona donatus eſt, τότε δὴ καὶ ὁ Κύριλλος ὁ Γορτύνης πρόεδρος ξίφει τελειοῦται μαρτυρικῷ, μὴ θελήσας ἀρνήσασθαι τὸν Χριστόν. Quod contigit circa annum 822. Ita Cedrenus ex Joanne Scilitze, in Michaële Rancabe ſeu Balbo Imp. Zonaras quoque & alii.

ECCLESIA GORTYNÆ.

XVII. Basilius II.

Cretæ inſulæ pontifex ſubinde fuit *Baſilius* nomine, qui furentibus in Chriſtianos
B ultra modum Sarracenis, Conſtantinopolim profectus, ad Theſſalonicæ ſedem tranſlatus fuit, ut fertur in vita S. Ignatii Conſtantinopolitani. Τότε καὶ Βασίλειος ἐκεῖνος, ὁ πρότερον Κρήτης ἐπίσκοπος γνωριζόμενος, διὰ δὲ τὴν Ἀγαρηνῶν ἔφοδον εἰς Θεσσαλονίκην μετατεθείς.

XVIII. Basilius III.

Quo tempore S. Ignatio mortuo Photius Conſtantinopolitanam ſedem iterum conſcendit, *Baſilius* alter *Gortynæ metropolita* erat, qui quum ſynodo quæ reſtitutionis illius
C gratia habita eſt, intereſſet, ab ea cum Niceta Smyrnenſi & Gregorio Serges eſſe delegatus fertur, ut Metrophanem itidem Smyrnenſem & reliquos qui à Photio alieni erant, vocaret: Act. nimirum 5. illius ſynodi menſis Januar. 26. fer. 3. Indict. XIII. Βασίλειος ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος Κρήτης, *Baſilius religioſiſſimus epiſcopus Cretæ.*

XIX. Stephanus.

Alexius Patriarcha in duabus ſynodis, anno mundi 6536. Indict. XI. & menſe Ja-
D nuario inſequenti, anno ſcilicet Chriſti 1028. & 1029. decreta ſynodica de diverſis cauſis tulit, quæ ad metropolitas, archiepiſcopos, epiſcopos & monaſteria ſpectabant. Iis condendis aderat *Stephanus metropolita Cretenſis.* τοῦ Κρήτης Στεφάνου. Jur. Græco-Rom. lib. 4. pag. 250.

XX. * * *.

Anno 1158. die Martii 10. fer. 2. Luca Chryſoberge Patriarcha præſide in ſynodo vetitum eſt, ne clerici auferrent ea quæ ad
E epiſcopos morientes & ad eccleſias pertinent. Sedebat cum aliis *metropolita Cretenſis,* τοῦ Κρήτης. Jur. Græco-Rom. lib. 4. pag. 282.

XXI. Joannes II.

In ea ſynodo in qua eodem Patriarcha præſide, Alamannorum de Chriſti deitate fides à quorumdam criminationibus vindicata eſt, conſidebat *Joannes Cretæ metropolita*, vide Allat. lib. 2. de conſ. cap. 12. Hic anno quoque 1171. menſe Januario die 13.

Digitized by Google

ECCLESIA GORTYNÆ.

Indict. IV. adfuit ſynodo Michaëlis Anchiali Patriarchæ in qua ſtatutum eſt, ne alienæ eccleſiæ clerici ordinarentur, Ἰωάννου Κρήτης, *Joanne Cretæ*. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 227.

XXII. Nicolaus.

Inter inſulæ Cretæ archiepiſcopos referre piget, nec tamen omittendum puto neſcio quem *Nicolaum* cujus fit mentio in ſpuria quadam epiſtola, quæ *Cyrilli Hieroſolymitani epiſcopi* ad Auguſtinum Hipponenſis eccleſiæ præſulem nomine inſcribitur. In ea enim iſtæc habentur: *Et duo præcipuè admiranda quæ à venerabili viro Nicolao Cretenſis inſulæ archiepiſcopo referente didici. Primo dicam: venerabilis idem archiepiſcopus pridie glorioſi Hieronymi devotione Bethleem veniens, ut ejuſdem cunctis honoribus venerandas reliquias viſitaret.* Atqui epiſtolæ hujus inficetus artifex eo recenti tempore ſcribebat quo, inter Græcos & Latinos diſceptari cæpit de ſtatu Beatorum poſt mortem, an ſtatim ab obitu Dei viſione fruerentur. *Silvanum* præterea *archiepiſcopum ſanctæ Nazareth eccleſiæ* laudat, quæ nonniſi ſæculo duodecimo ſubacta à Francis Palæſtina, epiſcopali ſede donata fuit, tranſlatis in eam metropoliticis Scythopolis ſedis honoribus. Mendaciis undique epiſtola hæc, ut & alia ſimili titulo inſignita ſcatet. Ut verò neminem Silvanum nomine archiepiſcopum reperio, ita perinde confictum cenſeo *Nicolai archiepiſcopi Cretenſis* nomen.

XXIII. Nicephorus.

Andronicus Palæologus ſenior Imp. Oratorem ad ſenatum Venetiarum delegavit *Nicephorum Cretæ antiſtitem*, virum ornatum & honeſtum. ὁ δ᾽ ἦν ὁ Κρήτης Νικηφόρος, ἀνὴρ γεραρὸς καὶ τίμιος, quem Venetis acceptum fore eo nomine putavit, quod quum illis ſua jam inſula pareret, hunc ditionis ſuæ præſulem libenter viſuros ſperaret. Quamquam Venetorum ipſorummet cauſa ab inſula ſeceſſerat, διὰ τὴν τῶν Ἰταλῶν ἐπικράτειαν. Sic Pachymeres in *Andronico* lib. 3. cap. 19. Quum poſthac Joannes Glycys Patriarcha throno cedere juſſus eſſet, ſynodo coacta *Nicephorus Cretæ* & Arſenius Pergami cum Alexandrino Patriarcha miſſi ſunt, qui ab eo ſciſcitarentur quid de abdicatione ſua ipſe ſentiret. Idem lib. 4. cap. 31. Quin etiam apud eumdem Patriarcham Joannem aderant *Nicephorus Cretæ*, ὁ Κρήτης Νικηφόρος, Babylas Ancyræ, & Lucas Bitzinæ, quando ille in Andronicum ipſum qui ipſum convenerat, anathema intorſit. Lib. 5. cap. 3.

XXIV. Paisius.

Georgii Scholarii epiſtola decima-quinta inſcribitur Marco Epheſio, qua ſignificat mittere ſe defenſionem doctrinæ Ariſtotelis contra Gemiſtum Plethonem, necnon Nomophylacem atque Chartophylacem *Païſium Cretæ*, archiepiſcopum ut videtur, quem alioqui in primis colebat. Rainaldus ad ann. 1439. n. 11. epiſtolam recitat Eugenii Papæ IV. inſcriptam *Fantino archiepiſcopo Cretenſi, ad ipſam Cretenſem inſulam & provinciam, & omnes ejus civitates & diæceſes legato miſſo*. Vix dubito quin pro *Fantino* legendum ſit *Païſio*. Nam quantum capio, non Latini ritus ſed Græci, Pontifex erat, quem Eugenius ad Cretenſes delegabat, qui tantæ apud illos auctoritatis eſſet, ut eos ad unionem quæ Florentiæ ſancita erat, fovendam adhortaretur. Sic quoque Iſidorum Kiovienſem ad Ruſſos perinde legatum eodem tempore mittebat.

XXV. Georgius.

Ex Raphaëlis Volaterrani Geographia lib. 4. Candiæ ſeu Cretæ archiepiſcopus fuit *Georgius Alexander*, à quo labyrinthi Cretenſis hodierni deſcriptionem acceperat: quem lib. 21. *nuper in urbe Roma Græcas diſciplinas docuiſſe* refert, hoc eſt circa ſæculi decimi-quinti finem.

XXVI. Cyrillus III.

Ex Nicolao Spadario, Moldavo-Lacone, Barone, ac olim Generali Valachiæ Enchiradio, *Cyrillus Lucaris Cretenſis*, quum in Britannia literis ſuam navaviſſet operam, illius inſulæ viro non extremis labiis delibato, reverſus ad ſuos, ob ſapientiæ famam in clerum adoptatus fuit, nec diu poſt metropolita ſalutatus, unde in Alexandrinam poſtea ſedem ac demum Conſtantinopolitanam inſiliit.

XXVII. Constantius.

Anno 1721. Cretæ inſulæ metropolita ſedebat *Conſtantius*. ὁ Κρήτης Κωνστάντιος.

II. ECCLESIA GNOSSI.

PRIMARIA olim inſulæ Cretæ civitas *Gnoſſus* fuit, Γνωσσὸς, ad Idam montem poſita, ſed cujus potentia infinitis fortunæ caſibus exſtincta demum fuit, & ad Gortynam tranſlata: Quæ quidem apud Strabonem lib. 10. legi poſſunt. *Gnoſſi* meminere Ptolemæus

Digitized by Google

ECCLESIA GNOSSI.

& alii rerum Geographicarum ſcriptores, nec omiſit Hierocles in ſua Notitia. In eccleſiaſticis quoque Notitiis urbs epiſcopalis eſt inſulæ Cretæ. Nunc vicus eſt tenuis *Ginoſſa* dictus, inter Gortynam ad occaſum, & Lyctum ad ortum.

EPISCOPI GNOSSI.

I. PYNITUS.

INter ſcriptores Eccleſiaſticos *Pynitum* Gnoſſi in Cretâ inſula epiſcopum S. Hieronymus recenſet num. 28. Hæc ſunt ejus verba: *Pynitus Cretenſis, Gnoſſiæ urbis epiſcopus, ſcripſit ad Dionyſium Corinthiorum epiſcopum valde elegantem epiſtolam: in qua docet, non ſemper lacte populos nutriendos, ne quaſi parvuli ab ultimo occupentur die; ſed & ſolido veſci debere cibo, ut in ſpiritualem proficiant ſenectutem. Et hic ſub M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo floruit.*

II. ZENOBIUS.

In concilio Epheſino ſedit & ſubſcripſit *Zenobius epiſcopus Gnoſſi provinciæ Cretæ*, Ζηνόβιος ἐπίσκοπος ἐπαρχίας Κρήτης πόλεως Γνωσσοῦ.

III. GENNADIUS.

A In Chalcedonenſi concilio *Gennadius epiſcopus civitatis Gnoſſi*, Γεννάδιος ἐπίσκοπος πόλεως Γνωσσοῦ. Qui anno 458. ſubſcripſit etiam epiſtolæ quam provincia inſulæ Cretæ ad Leonem Imp. ſcripſit.

IV. ANASTSIUS.

In ſeptima ſynodo generali *Anaſtaſius epiſcopus Gnoſſi* ſedebat, Ἀναστάσιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Γνωσσοῦ. Ad illum exſtat epiſtola
B Theodori Studitæ libri 1. undecima hac inſcriptione. Ἀναστασίῳ ἐπισκόπῳ Γνωσίας, *Anaſtaſio epiſcopo Gnoſiæ*, qui ab ipſo doceri quæſierat officium epiſcopi. In fine Theodorus eum laudat, quod lupos à Chriſti ſeptis expelleret, gregem in virtutum campos educeret, paſceretque & impinguaret herba ſuavi doctrinæ ſuæ.

III. # ECCLESIA ARCADIÆ.

NOTITIÆ Hieroclis & eccleſiaſticæ Leonis Imp. *Arcadiam* habent inter inſulæ Cretæ civitates, quam tamen nec Ptolemæus indicat, nec Plinius in Geographicis, ſed libro dumtaxat 31. cap. 4. In tabulis Peutingerianis *Arcade* dicitur, ad ortum ſolis *Lycio* ſeu *Lycto* & Gnoſſo. Stephano ex Xenione *Arcades oppidum eſt Cretæ*, Ἀρκάδες πόλις Κρήτης, ex Demetrio tamen, non *Arcades*, ſed *Arcadiam* vocari ait.

EPISCOPI ARCADIÆ.

I. JOANNES.

IN ſeptima ſynodo inter Cretæ inſulæ præſules, ſubſcripſit *Joannes epiſcopus Arcadiæ*, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀρκαδίας.

IV. # ECCLESIA HIERAPETRÆ.

HIERAPETRA, Græce Ἱερὰ πέτρα, q. d. *ſacra petra*, Cretæ civitas eſt Ptolemæo ſacro monti, ſive *Idæ* Jovi ſacro vicina in ora inſulæ meridionali. Straboni *Hierapydna*, Ἱερὰ πύδνα dicitur, & Hierocli: Plinio *Hierapitna*. Quocirca Stephanus hanc prius quidem *Cyrbam* vocitatam ait, deinde *Pytnam*, quin etiam *Camirum*, poſt *Hierapytnam*. Leoni Sapienti Imp. *Hierapetra* provinciæ Cretæ inſulæ epiſcopatus eſt, ὁ ἱερὰς πέτρας, ſic legendum non ὁ ἱερᾶς, ὁ πέτρας, ut male in editis. Hodie *Gera Petra* caſtrum eſt cum portu utcumque fido.

EPISCOPI HIERAPETRÆ.

I. EUPHRONIUS.

EPiſtolæ ſynodi inſulæ Cretæ ad Leonem I. Imp. ſubſcripſit *Euphronius epiſcopus Hierapydnæ*.

V.

ECCLESIA LAPPÆ.

LAPPA, Λάππα, Cretæ inſulæ urbs eſt mediterranea Ptolemæo, haud procul Gortyna diſtans. Stephano *Lampe*, Λάμπη dicitur, quin etiam Polybio lib. 5. & Dioni lib. 51. & in nummis qui exſtant, quinetiam in Notitia Leonis Imp. Λαμπῶν. Stephanus addit Xenionem cum duplici ππ Λάππαν, *Lappam* ſcripſiſſe, quæ hodieque *Fappa* dicitur.

EPISCOPI LAPPÆ.

I. PETRUS.

Synodo Epheſinæ generali primæ adſuit & ſubſcripſit *Petrus epiſcopus civitatis Lampæ provinciæ Cretæ*, Πέτρος ἐπίσκοπος ἐπαρχίας Κρήτης πόλεως Λάμπης.

II. DEMETRIUS.

In ſynodo Chalcedonenſi *Demetrius epiſcopus Lampæ* inter Cretæ Præſules ſedebat. Δημήτριος ἐπίσκοπος Λάμπης.

III. PROSDOCIUS.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Cretæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcripſit *Proſdocius epiſcopus Lappæ*.

IV. JOANNES.

Anno 667. die 19. Decemb. Indict. x. *Joannes epiſcopus Lappæ urbis*, in Baſilica Romana principis Apoſtolorum Vitalianum Papam ſupplici libello convenit & adjuravit, ut ſententiam, quam Paulus Cretenſis archiepiſcopus contra ſe tulerat expenderet, eamque protulit Pauli & inſulæ præſulum
A manibus ſubſcriptam, cum exemplis ejus quam Paulus miſerat conferendam. Cauſa illius in ſynodo Romana ad examen revocata, *Joannes* injuſte damnatus pronuntiatus eſt, & inſons illorum quorum accuſatus fuerat. Data ad Paulum archiepiſcopum epiſtola, Pontifex queſtus eſt quod *Joannem* ad Apoſtolorum limina provocantem è cuſtodia qua detinebatur non dimiſiſſet, eidemque & ejus ſynodo mandavit *Joannem* ſuo gradui & honori reſtitui, ne non miſericorditer, ſed ſecundum ſacratiſſimorum canonum virtutem contra ipſum ageretur. Scripſit
B quoque Vitalianus Paulo ut monaſterium *Paleam* & alterum quod Arſilli vocabatur, quæ Gortynæ eccleſia invaſerat, eidem *Joanni Lappenſi* reſtitueret. Idem *Joannes epiſcopus Lappæ* poſtea adſuit & ſubſcripſit ſynodo ſextæ generali, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Λάμπης.

V. EPIPHANIUS.

Septimæ ſynodo generali adſuit & ſubſcripſit *Epiphanius epiſcopus Lampæ*, Ἐπιφάνιος ἐπίσκοπος Λάμπης.

VI.

ECCLESIA PHŒNICIS.

PHŒNIX, Φοῖνιξ Cretæ inſulæ oppidum eſt Ptolemæo cum portu qui *Phœnicûs* appellatur, Φοινικοῦς λιμήν. Sanctus Lucas Act. 27. v. 12. mentionem facit *Phœnices, portus Cretæ reſpicientis ad Africum & ad Corum*, ad quem navis qua Paulus vehebatur appellere non potuit, aliò abrepta à Typhonico vento. Hanc non habent Notitiæ eccleſiarum, niſi ea quæ Hieroclis nomen præfert, etſi ſæculo octavo proprio epiſcopo fruebatur. Hodie *ſan Nicheta* vocari fertur.

EPISCOPI PHŒNICIS.

I. LEO.

In actis ſeptimæ ſynodi *Leo epiſcopus Phœnicii* legitur inter inſulæ Cretæ Præſules, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Φοινικίου, imo Φοίνικος *Phœnicis*.

VIII.

ECCLESIA HERACLEOPOLIS.

HERACLEA, Ἡράκλεια, Plinio Cretæ oppidum eſt, Anonymo Ravennati *Heracleum*: ipſum utique *Heracleum*, Ἡράκλειον, quod Straboni Gnoſſi navale eſt, quodque *Panhormus* Ptolemæo, quod ſubinde *Heracleopolis*, Ἡρακλεόπολις dictum ſit. Nulla tamen ejus in Notitiis eſt mentio.

Digitized by Google

EPISCOPI HERACLEOPOLIS.

I. Theodorus.

In ſeptima ſynodo inter Cretæ Præſules ſedit & ſubſcripſit *Theodorus epiſcopus Heracleopolis*, Θεοδώρου ἐπισκόπου Ἡρακλεοπόλεως. Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἡρακλεοπόλεως.

VIII.

ECCLESIA SUBRITÆ.

Quæ *Subrita*, Σύβριτα Ptolemæo, inter Gortynam & Apterium poſita, *Subritus*, Σούβριτος ſcribitur apud Hieroclem, *Subritii* in Tabulis Peutingerianis.

EPISCOPI SUBRITÆ.

I. Cyrillus.

Inter epiſcopos inſulæ Cretæ in concilio Chalcedonenſi ſedebat, ejuſquè definitionibus ſubſcripſit *Cyrillus epiſcopus civitatis Subritæ*, Κύριλλος ἐπίσκοπος πόλεως Σουβρίτης. In latina tranſlatione paſſim legitur *Subritii*. Ipſe eſt qui Librariorum errore epiſtolæ ſynodi Cretenſis provinciæ ad Leonem Imp. ſubſcriptus legitur, *Cyrillus epiſcopus Subtuus*. Cl. Baluzius in Mſſ. reperit, *Subritis*, alioqui *Subrites*, *Subritæ*.

II. Theodorus.

In ſeptima ſynodo *Theodorus epiſcopus civitatis Subritenſium* vel *Subritorum*, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Συβριτῶν.

IX.

ECCLESIA APOLLONIÆ.

Apolloniam inter Cretæ inſulæ civitates vel oppida Plinius habet, habet & Ptolemæus, quam prope Gnoſſum collocat Stephanus, Ἀπολλωνία ἐν Κρήτῃ πρὸς τῇ Γνωσσῷ. Abeſt in Notitiis.

EPISCOPI APOLLONIÆ.

I. Eusebius.

Inter epiſcopos Cretæ in Chalcedonenſi concilio ſedebat, *Euſebius epiſcopus Apolloniæ*, Εὐσεβίου ἐπισκόπου Ἀπολλωνίας. ſubſcriptuſque legitur *Euſebius epiſcopus Apolloniadis*, Εὐσέβιος ἐπίσκοπος Ἀπολλωνιάδος.

X.

ECCLESIA ELEUTHERNÆ.

Eleutheræ, Ἐλευθέραι, vel Ἐλευθέρα *Eleuthera*, urbs Cretæ Ptolemæo, *Eleutherna*, Ἐλεύθερνα Stephano dicitur, Plinio quoque & Scyllaci, Ἐλευθέρναι, *Eleuthernæ*, quam iſte ad Septemtrionem poſitam ait, πρὸς Βορέαν: In mediterranea tamen Plinius ſtatuit, ut & Ptolemæus, ac Gortynæ proximam. Hanc Stephanus Diogenis Phyſici fuiſſe patriam narrat, quem Laërtius *Apolloniatem* facit. *Eleutheram* habet Hieroclis Notitia, non item aliæ.

EPISCOPI ELEUTHERNÆ.

I. Euphratas.

In Chalcedonenſi concilio ſedit & ſubſcripſit *Euphratas epiſcopus Eleuthernæ*, viceſque præſtitit Pauli epiſcopi Cantanorum. Εὐφράτας ἐπίσκοπος Ἐλευθέρνης, ἐπέχων τὸν τόπον Παύλου εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Καντάνων.

II. Epiphanius.

In ſeptima ſynodo *Epiphanius epiſcopus Eleuthernæ*, Ἐπιφάνιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἐλευθέρνης.

XI.

ECCLESIA CHERSONESI.

In Orientali parte inſulæ Cretæ *Cherſoneſus* eſt Ptolemæo, cum ejuſdem nominis oppido, alterius oppidi (quod Lyctus dicitur) emporio; quod conſulto obſervat Strabo. Hanc Anonymus Ravennas Tabulas exſcribens Peutingeri *Cherſoneſſos* vocat. Hodie *Spina*

Digitized by Google

ECCLESIA CHERSONESI.

longa dicitur, eſtque arx probe munita, ſcopulo affixa, & à continenti inſulæ aliquantum ſejuncta. Septima eſt Hierocli civitatum Cretæ, quarta Leoni Imp. ὁ Χεῤῥονήσου.

EPISCOPI CHERSONESI.

I. ANDERIUS.

IN concilio Epheſino ſedit & ſubſcripſit, *Anderius epiſcopus provinciæ Cretæ Cherſoneſi.* Ανδήειος ἐπίσκοπος ἐπαρχίας Κρήτης πόλεως Χεῤῥονήσου.

II. EUPHRATAS.

Epiſtolæ ſynodi Cretenſis ad Leonem Imp. ſubſcripſit, *Euphratas epiſcopus Cherſoneſi.*

III. SISINNIUS I.

Quiniſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus fertur, *Siſinnius epiſcopus Cherſoneſi Cretæ* B *Inſulæ*, Σισίννιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Χεῤῥονήσου τῆς Κρητῶν νήσου.

IV. SISINNIUS II.

Septimæ ſynodi decretis ſubſcripſit alter *Siſinnius Cherſoneſi inſulæ Cretæ epiſcopus*, Σισίννιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Χερσονήσου.

V. PETRUS.

Leo Allatius lib. 3. de conſenſ. cap. 7. inter epiſcopos Græcos quos Catholicæ unitatis & fidei ſtudioſos è Collegio Romano ſub nuperi ſæculi initiis prodiiſſe refert, primo loco memorat *Petrum Colettum Cyprium Cherſoneſi epiſcopum in Creta.*

XII.

ECCLESIA CYDONIÆ.

PLINIO & Pomponio Melæ *Cydon* Cretæ inſulæ civitas eſt, à qua *Cydonenſes* populi, Κυδωνὶς Ptolemæo, in Septemtrionali littore collocata. Plane Straboni lib. 10. *Cydonia terra* ad mare poſita eſt, ſed ad Laconicam Peloponneſi partem ſpectans, abeſt Gnoſſo & Gortyna pari ſpatio ad ſtad. 800. ab Aptera 80. Hanc quidam male Apolloniam putant, quando Plinius utramque ſecernit. Vulgo *la Canea* nominatur, munitiſſima prorſus & ſat ampla cum portu. *Cydoniam* habent Notitiæ.

EPISCOPI CYDONIÆ.

I. SEBON.

EPiſtolæ ſynodi provinciæ Cretæ ad Leonem Imp. ſubſcriptus legitur *Sebon epiſcopus Doniæ*, emendandum poſtremo loco *Cydoniæ*. At *Sebon* ſuſpectiſſimum mihi nomen eſt, quod nulli codices reſtituunt.

II. NICETAS.

A Quiniſextæ ſynodi canonibus ſubſcripſit *Nicetas epiſcopus Cydonenſium civitatis inſulæ Cretæ*, Νικήτας ἁμαρτωλὸς ἐπίσκοπος τῆς Κυδωνίων πόλεως τῆς νήσου Κρήτης.

XIII.

ECCLESIA CISSAMI.

CISSAMUS, Κίσσαμος, in ora Cretæ Septemtrionali ponitur à Ptolemæo, verſus occaſum ſpectans, eaque Straboni *Apteræ* emporium eſt, Ἀπτέρας ἐπίνειόν ἐστι Κίσσαμος. Cui vicinum eſt promontorium Corycum. In Notitiis inter Cretæ urbes cenſetur, atque etiamnum *Caſtel Ciſamo* dicitur prope Camaram amnem, haud procul Cydonia.

EPISCOPI CISSAMI.

I. THEOPEMPTUS.

QUiniſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur *Theopemptus epiſcopus Ciſſami*, Θεόπεμπτος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κισσάμου.

II. LEO

In ſeptima ſynodo inter epiſcopos Cretæ ſedit & ſubſcripſit *Leo epiſcopus Ciſſami*, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κισσάμου.

ECCLESIA

Digitized by Google

XIV.

ECCLESIA CANTANI.

Cantania, Καντανία, Cretæ quoque civitas eſt Hierocli, Κάνταυος, *Cantanus* Stephano, Anonymoque Ravennati, & in Tabulis quas Peutingerus evulgavit. Alibi non occurrit, niſi in actis ſynodorum.

EPISCOPI CANTANI.

I. Paulus.

In ſynodo Chalcedonenſi Chryſogonus B
preſbyter inter Cretæ inſulæ Præſules ſedebat, *Pauli epiſcopi Cantani vices gerens*, Χρυσογόνου πρεσβυτέρου ἐπέχοντος τὸν τόπον Παύλου ἐπισκόπου Καντάνης. Sic initio quidem Act. 1. & 2. Verum Act. 6. ſubſcripſit *Paulus epiſcopus Cantani per Chryſogonum preſbyterum*, Παῦλος ἐπίσκοπος Καντάνης ὑπέγραψα διὰ Χρυσογόνου πρεσβυτέρου. Act. 4. in tranſlatione latina *Paulus* dicitur *epiſcopus Candiæ*.

II. Nicetas.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Cretæ ad Leonem Imp. ſubſcripſit *Nicetas epiſcopus Cantani*.

III. Gregorius.

Sextæ ſynodo generali adſuit & ſubſcripſit *Gregorius epiſcopus Cantani* Cretæ inſulæ, Γρηγόριος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Καντάνης τῆς Κρητῶν νήσου.

IV. Photinus.

Septimæ ſynodo *Photinus epiſcopus Cantani*, Φωτεινὸς ἀνάξιος ἐπίσκοπος Καντάνου.

Digitized by Google

VII. PROVINCIA PRÆVALITANA.

I. ECCLESIA SCODRORUM METROPOLIS.

PRÆVALITANAM provinciam neſciunt veteres rerum Geographicarum enarratores, ſæculo Eccleſiæ quarto ſuperiores. Sexto Ruſo priſcæ Macedoniæ pars fuit, & Procopio lib. 1. belli Gotthici c. 15. Epidamno Dalmatiam uſque protendebatur; imo verò Dalmatiæ mediterraneæ magna parte conſtabat. In notitia Hieroclis ejus urbes ſunt, *Scodra, Liſſus, Doracion metropolis*, quam poſtremam diverſam eſſe oportet à *Dyrrhachio* ſive *Epidamno*, quæ Epiri novæ eidem Hierocli metropolis eſt.

Prævalis provinciæ metropolis vere fuit Urbs Scodra, licet in notitia Leonis Imp. epiſcopatus ſit ordine ſextus ſub Dyrrhachii metropolita. Id enim infra conſtabit epiſtola S. Gregorii Papæ ad Diœceſis ſuæ per Illyricum metropolitas, nunc vero Antibarenſi archiepiſcopo ſubeſt. Atqui Plinius lib. 3. cap. 22. de Liburnia ſcribens ait, *Super amnem Drilonem oppidum civium Romanorum eſſe Scodra, à mari 18. mill. paſſ.* Ptolemæo vero Dalmatiæ mediterraneæ civitas cenſetur, quæ *Scodar* hodie & *Scutari* nominatur, quæ quum aliquando vaſtata fuiſſet, ſoloque proſtrata jacuerit, hodie firmum ſatis munimentum eſt, in excelſa petra poſitum. Albaniæ autem præcipua civitas eſt. Juxta fluit Barbana fluvius vulgo *la Boiana*, qui idem proinde atque Drilo Plinii, ex Labeatide palude quæ *Scodra* quoque appellatur, profectus. Cæterum Scodrenſis Epiſcopi ſedes eſt in Caſtro *Trunſi* dicto 3. mill. ab urbe diſtante, in qua Diœceſis illius quam plurimi Catholici ſunt. Scodrenſi urbe à Barbaris olim vaſtata, Dioclea provinciæ metropolis facta eſt, cujus ordinationi Scodrenſis ſedes ſubjecta fuit.

EPISCOPI SCODRORUM.

I. BASSUS.

II. SENECIO.

SIRICIUS Papa qui poſt Damaſum ad annum uſque 398. ſedit, in epiſtola quam Anyſio Theſſalonicenſi & Epiſcopis per Illyricum dedit, hæc quoque adjecit: *Legimus etiam & omnia percurrimus, vel de eo, quod fratri noſtro & coëpiſcopo Baſſo in conſortium regendæ Eccleſiæ datus eſt Senecio, vel de cæteris unde veſtræ normam exſpectamus ſententiæ.* Senecion Scodrenſis qui Baſſo ad epiſcopale miniſterium adjutor datus dicitur à Siricio, interfuit ſubſcripſitque ſynodo Epheſinæ priori, Σενεκίων ἐπίσκοπος πόλεως Κοδρίνης, Κόδρων· ubi repetita litera Σ. quæ poſtrema eſt vocis πόλεως, emendandum omnino eſt Σκοδρινῆς & Σκοδρῶν. *Senecio epiſcopus civitatis Scodrenæ* vel *Scodrorum*, ut Baſſus Scodrorum quoque antiſtes fuerit. Cæleſtinus Papa epiſtolam de Felice Dyrrhachii inſcribit, *Dilectiſſimis fratribus Perigeni, Dynato, Baſilio, Paulo, Æternali, Sabatio, Juliano & Senecioni epiſcopis per Illyricum.*

A Leo quoque Magnus de ordinationibus à Perigene Corinthio male patratis epiſtolam inſcribens, primo loco *Senecionem* poſuit: *Dilectiſſimis fratribus Senecioni, Caroſo, Theodulo, Lucæ, Antiocho, Vigilantio metropolitanis.* Data 8. Id. Janu. Aëtio 3. & Symmacho vv. cc. coſſ. hoc eſt anno 446.

III. ANDREAS.

Hormiſdæ Papæ *Andreas* epiſcopus Prævalitanus, adeoque Scodrenſis, relationem ſcripſit eorum quæ in Epiro geſta eſſent, in
B adventu Germani & Joannis epiſcoporum & aliorum Apoſtolicæ Sedis Legatorum, ſimulationem narrans epiſcoporum ſynodi novæ Epiri, cæterum Legatos à Scampenſi & Lignidenſi, eorumque clero & plebe multo honore & gaudio ſuſceptos.

IV. STEPHANUS.

Tempore Gregorii M. Papæ ſedebat *Stephanus* Scodrorum epiſcopus, de quo ille epiſtola ſua 38. lib. 1. Indict. IX. Malcho epiſcopo Dalmatiæ ſcribebat: *Joannes vir*

Digitized by Google

eloquentiſſimus, conſiliarius viri excellentiſſimi Domini Georgii Præfecti per Italiam, inſinuavit nobis contra Stephanum epiſcopum Scodrenſis civitatis quorumdam ſe negotiorum habere controverſias, & petiit inter eum & ſe judicium debere conſiſtere. Malcho præcipit, ut Stephanum ad judicium eligendum compellat, & quidquid inter prædictum Joannem ac Stephanum fuerit judicum ſententia definitum, id exſequi non omittat.

V. CONSTANTINUS.

Gregorius rurſum lib. 12. Indict. v. epiſt. 30. *Conſtantino Scodritano* mandavit, ut quod ipſe de Diocleatinæ civitatis epiſcopi crimine ſtatuerat, exſequi curaret. Sin vero apud Primæ Juſtinianæ epiſcopum Joannem agat, ut negotium ab illo finiatur. Lib. 8. Ind. 1. epiſtola 5. inſcribitur *Euſebio Theſſalonicenſi, Urbico Dyrrhachitano, Conſtantio Mediolanenſi, Joanni Cretenſi, Scodritano, &c.* Libri vero 9. Indict. 11. epiſt. 68. inſcribitur etiam, *Gregorius Euſebio Theſſalonicenſi, Urbico Dyrrhachino, Joanni Cretenſi, Joanni Primæ Juſtinianæ, Joanni Lariſſæo, & Scodritano,* quos admonet ne Conſtantinopolitano præſuli *Patriarchæ Œcumenici* titulum ſuffragio ſuo confirment, aut in ſynodo quæ in urbe regiâ cogenda erat, priſcos convelli canones patiantur. Erat igitur Prævalis de Illyrico Orientali, illiuſque metropolis Scodra. ECCLESIA SCODRORUM.

II. ECCLESIA DIOCLEÆ.

EX epiſtola 30. S. Gregorii Papæ Indict. v. Conſtantino Scodritano data apparet, Dioclеam urbem epiſcopalem fuiſſe Scodrorum metropolitano ſubditam, quippe quum ſignificet Pauli Diocleatini negotium ad Conſtantinum ſpectare; ſin vero ad Primæ Juſtinianæ Præſulem referendam eſſe, quam Primatis jure finiret. Dioclea autem Ptolemæo una eſt ex mediterraneis Dalmatiæ, Διοκλεία, Plinius quoque ibidem *Docletenſes* habet. Sextus Aurelius Victor *Dioclea* Diocletianum oriundum tradit, qui quum *Diocles* primùm vocitaretur, *Graium nomen in Romanum morem convertit.* Nulla tamen ejus mentio eſt in notitia Hieroclis, diverſaque prorſus eſt à Diocletianopoli Macedoniæ, quæ inter Edeſſam & Theſſalonicam exſtabat. At in notitia Leonis Imp. epiſcopatus quintus eſt ſub Dyrrhachio, ε'. ὁ Διοκλείας. Dardaniæ quoque olim cenſita fuit: vaſtata vero eſt à Samuele Bulgarum Rege, ejuſque epiſcopus Terbunium ſeceſſit, ac ſubinde Raguſium, quæ demum in archiepiſcopatum aucta eſt à Benedicto Papa V. veluti Seraphinus Razzius Dominicani ordinis ſcriptor narrabat in Raguſii Archiepiſcoporum hiſtoria manu exarata, cujus excerptum Doctiſſimus Anſelmus Bandurius, ipſe Raguſinus, attulit in Annotat. ad Antiquitates Conſtantinopolitanas. Sub Raguſini autem archiepiſcopi diſpoſitione factos epiſcopatus Buduæ, Decateri, Ulcinii, Suaciæ, Scodrorum, Dyrrhachii, Drivaſti, Boſnæ, Terbunii & Zachlumiæ fuiſſe diſcimus ex Mauri Urbini hiſtoria Italica Slavorum. Errant qui Diocleam ab Antibari non ſecernunt, quando Leo Imp. utramque ſejungit, ac Dyrrhachii metropolitæ ſubjicit. ε'. ὁ Διοκλείας. ιβ'. ὁ Ἀντιβάρεως. *V. Diocleæ. XII. Antibaris.*

At certe anno 1062. Diocleenſem eccleſiam in eamdem cum Antibarenſi coaluiſſe teſtantur literæ Alexandri Papæ II. ad Petrum archiepiſcopum Diocleenſis & Antibarenſis eccleſiæ, cui *Pallium* mittebat, ut metropoliticis juribus per Slavoniam & Dalmatiam uteretur. Has refert Baronius ad illum annum n. 114. ex Antonii Auguſtini fragmentis, hoc vero loci potiorem earum partem juvat recitare. *Alexander ſervus ſervorum Dei, Petro venerabili archiepiſcopo Diocleenſis atque Antibarenſis eccleſiæ, ſalutem in Chriſto. Si paſtores ovium ſole geluque pro ſui gregis cuſtodia die ac nocte intenti ſunt, et ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morſibus deficiat, oculis vigilantibus circumſpectant... Igitur, dilectiſſime frater, petitionibus tuis annuentes, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut per privilegii noſtri paginam ſic ſanctiſſimam Diocleenſem eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, Antibarenſem eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, Scodrienſem eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, Drivaſtinenſem eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, Polatinenſem eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, Servienſem eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, Budunenſem eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, Tibunienſem eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis: monaſteria quoque tam Latinorum quam Græcorum ſive Slavorum cures, ut ſcias & hæc omnia unam eccleſiam eſſe, teque in omnibus prædictis locis epiſcopali regimine præeſſe. Pallium autem fraternitati tuæ ex more ad miſſarum ſolennia celebranda, ſicut anteceſſoribus tuis conceſſum eſt, concedimus, videlicet in natali Domini, Epiphania, Cœna Domini, Paſcha, Aſcenſione, Pentecoſte, ſic natali S. Joannis Baptiſtæ, natali Apoſtolorum Petri & Pauli, & quatuor feſtivitatibus S. Mariæ, ſcilicet Nativitate, Annuntiatione, Purificatione & Aſſumtione, & duobus feſtis S. Angeli, ſic pro natalitiis quoque*

ECCLESIA DIOCLEÆ.

duodecim Apoſtolorum, natali S. Gregorii & SS. Sergii & Bacchi, & feſtivitate omnium ſanctorum, atque natali tuo, & quoties ordinationem atque conſecrationem Eccleſiarum celebramus. Hortamur itaque caritatem tuam ut mores vitæ tuæ tanto honori conveniant.... Crux etiam ante te, ſicut ante prædeceſſores tuos, per Dalmatiam & Slavoniam ubique portetur. Archiepiſcopatum quoque Eccleſiæ tuæ juxta formam ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum, à quorum auctoritate non debes aberrare, concedimus & confirmamus, &c. Bene valete. His in literis hoc obſervatione dignum in primis apparet, quod quum Petro Eccleſiam Diocleæ & Antibaris aſſignet cum omnibus pertinentiis earum, alias quoque novem addit cum pertinentiis perinde ipſarum, nec non monaſteria ex quibus Eccleſia una conflatur, ipſeque in omnibus illis prædictis locis epiſcopali, non metropolitico dumtaxat regimine præſit, adeoque ipſe tot ſedium unus tum metropolita, tum epiſcopus ſit renuntiatus.

EPISCOPI DIOCLEÆ.

I. Bassus.

IN ſynodo Sardicenſi ſedebat, ejuſque ad eccleſias epiſtolæ ſubſcripſit *Baſſus à Macedonia de Diocletianopoli*, ſeu *Diocletiana civitate*, de quo nempe Ariani epiſcopi qui à Sardicenſi concilio Philippopolim ſeceſſerant, ad Africanos ſcripſere: *Baſſum autem de Diocletiana civitate in vitiis & ſceleribus detectum, & meritò de Syria deportatum ordinaverunt epiſcopum, quique apud illos ſceleratiùs vivens, dejectus, & ab ipſis damnatus eſt, cum ipſis hodie eſt conjunctus. In ſubſcriptionibus illis de Diocletianopoli* ſive *Diocletiana Macedoniæ civitate Baſſus* dicitur, non de Diocletiana Thraciæ, quia nempe Dardania novaque Epirus & Prævalis ante Theodoſii Magni tempora Macedoniæ cenſebantur. Quamquam non ſilendum Diocletianopolim quoque ab Hierocle inter urbes numerari Theſſaliæ, quæ Macedonia quoque illa ætate dici potuerit.

II. Maximus.

Synodicis epiſcoporum Dardaniæ literis ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcripſit *Maximus epiſcopus Diocletianenſis*.

III. Paulus.

IV. Nemesion.

Gregorius Magnus epiſtola 30. libri 12. Conſtantino Scodritano data, duos memorat Docleatinæ (ſic) civitatis epiſcopos, *Paulum* qui ob crimina dejectus erat, & *Nemeſionem*, quem ejus in locum promoverant, quique Romam ad ipſum perrexerat. *Quæ dilectiſſimus nobis lator præſentium Nemeſion, qui ſe dicit Docleatinæ urbis antiſtitem, de facinore Pauli Docleatini, ut ipſe aſſerit, quondam epiſcopi queſtus eſt, fraternitati tuæ fuerant ſubtiliùs indicanda, niſi ſcire te omnia teſtaretur; quippe quem & compaſſum ſibi & voluiſſe ſubvenire, ſed perhibet minime potuiſſe.* Monet Gregorius ut exemplaria diligentius A relegat ſcriptorum, quæ ad Joannem Primæ Juſtinianæ epiſcopum tranſmittebat, et ſi ſecundum eorum ſeriem explere ſe cuncta poſſe cognoſcit quæ illi mandata erant, ipſe omnia Apoſtolica auctoritate conficiat; ſin vero curet, ut ad Joannem omnino perveniant. De eodem negotio epiſtolam 31. *Joanni Primæ Juſtinianæ* ſcribens *Paulum* corporalis criminis reum dicit, ideoque deſtitutum; *Nemeſionem* vero cum fraternitatis ipſius aſſenſu ejus loco ordinatum. Cæterum *Paulum* auxilio ſæcularium more prædonis B ingreſſum, ablatis eccleſiæ rebus, *Nemeſionem* pene neci dediſſe: quamobrem oportere ait, à *Paulo* ea quæ ſuſtulerat reddi, niſi forte ipſius bona ſint, quæ tamen *vel à Joanne, vel metropolitano ſuo petere* debuiſſet, ſin quæ eccleſiæ ſunt reddere noluerit, in monaſterium trudatur, Dominici corporis & ſanguinis communione ad mortem uſque privetur. Interim *ſupradictus,* inquit, *dilectiſſimus frater Nemeſion in ſuo loco & epiſcopatus officio procul dubio reformetur, & ne hac de re inquietudinem & moleſtiam patiatur,* C *ſollicitos vos eſſe oportet.*

V. Joannes I.

Poſtremus Diocleæ urbis epiſcopus *Joannes* fuit, qui Bulgaricæ incurſionis tempore circa decimi ſæculi finem, ſedem aliò, ut prædictum eſt, tranſtulit. Epidaurius vero ſive Raguſinus hic erat, Raguſinæque ſedis compos factus, ſedes illas quæ à Dioclienſi pependerant, perinde ſibi ſubjectas habuit, quin & provincia à Barbaris vaſtata, D epiſcopali jure adminiſtravit, quemadmodum Alexander Papa II. ſatis innuit epiſtola quam recitavi. Id quod ex aliis Alexandri literis Vitali Raguſino archiepiſcopo datis Maurus Urbinus Abbas Melitenſis, diſertè teſtatur in hiſtoria regni Slavorum pag. 247. *Et eſſo Giovanni di Dioclea (la quale ſendo deſtrutta da Bulgari) aſſunto al governo della Chieſa di Rauſa, a queſta furono ſottopoſte etiandio tutte queſte Chieſe, come ſi vede per un Breve del*

Digitized by Google

Papa Aleſſandro di queſto nome ſecondo man- A
dato à Vitale ſecondo arciveſcovo di Rauſa nel 1067. & poi nel 1141. confirmato ad Adrea Lucheſe arciveſcovo di Rauſa. Ex quibus literis apparet illas eccleſias Alexandri II. temporibus avulſas jam fuiſſe ab Antibarenſi metropoli, cui aliquando obnoxiæ fuerant.

ECCLESIA DIOCLEÆ

VI. Joannes II.

Tempore Innocentii Papæ IV. celebrata diœceſis Serviæ ſynodo, ad eam acceſſit *Joannes archiepiſcopus,* ſeu *metropolita Diocliæ & Antibari,* ſtatutiſque ſubſcripſit, quæ in ea condita ſunt. *Vita S. Sabbæ archiepiſcopi Serviæ.*

III. ECCLESIA ELISSI.

ELISSUS ſive *Liſſus* Λισσὸς Dalmatiæ civitas Ptolemæo haud procul ab ora maris, atque Straboni lib. 7. *Poſt ſinum Rhizicum Liſſus oppidum eſt & Acroliſſus, & Epidamnus.* Plinio vero *Liſſus oppidum eſt Romanorum ab Epidauro C. M. paſſ. diſtans.* In notitia Hieroclis Provinciæ Prævalis cenſetur; in Eccleſiaſtica vero Leonis Imp. novæ Epiri ſub Dyrrhachio metropoli *quarta,* ſed *Eliſſus* dicitur, δ'. ὁ Ἐλισσοῦ. Hodie *Aleſſio* vocitatur.

EPISCOPI ELISSI.

Valens.

ILlis non aſſentior qui *Liſſi* epiſcopum B fuiſſe putant illum *Valentem à Dacia Ripenſi de Scio,* qui ſubſcriptus reperitur epiſtolæ Sardicenſis ſynodi ad eccleſias. Nam *Liſſus Daciæ Ripenſis,* ſive Iſtro proximæ civitas nequaquam fuit.

I. Joannes.

Gregorius Magnus epiſt. 37. lib. 2. Indict. x. Joanni Squillacino epiſcopo ſcripſit de *Joanne Liſſitana* captivatæ ſive direptæ civitatis epiſcopo, quem *in Squillacina eccleſia cardinalem neceſſe duximus,* inquit, *conſtituere ſacerdotem,* donec ſcilicet eccleſiæ Liſſitanæ reſtitutæ eſſent.

IV. ECCLESIA LYCHNIDI.

MACEDONIÆ Ptolemæo civitas eſt Λύχνιδος *Lychnidus* in Daſſaretiis ad Aliacmonem fluvium, lacui impoſitam dicit Stephanus, quamquam à mari longè remotam. Strabo lib. 7. *via Egnatia, ex Candavia monte Illyrici iter fieri* ait *per Lychnidum urbem & Pilonis locum, qui in ipſa via Illyricum Macedoniamque diſterminat.* Aliquanto poſt ſubdit, *circa Candaviæ viam lacus & paludes exſtare apud Lychnidum, ubi copioſa piſcium habentur ſalſamenta.* Quocirca Malchus in excerptis de rebus Byzantinis Lychnedum, Lychnidumve, in difficili loco ſitam, & fontium ſcaturiginibus plenam perhibet. In notitia Hieroclis ubi inter Epiri novæ civitates legitur Αὐλώνιδος, emendandum prorſus venit Λύχνιδος.

Multi *Lychnidum* ipſammet eſſe ferunt, quæ à Juſtiniano Imp. *Prima Juſtiniana* & *Juſtinianopolis* eſt appellata. Procopius vero diſerte teſtatur lib. 4. de Ædif. cap. 1. oppido quod Juſtinianam Primam Imperator ille nuncupavit, nomen priſtinum fuiſſe *Taureſium,* Ταυρήσιον, quod quia Lychnido proximum erat, Lychnidenſes in urbem novam migraſſe par eſt. *In Dardanis Europæis,* inquit, *qui poſt Epidamniorum limites habitant, Caſtello cui nomen Bederiana, vicinum erat Taureſium, ubi natus eſt domiciliorum reſtitutor Juſtinianus Auguſtus. Brevi ſpatio locum hunc mœnibus quadratis circumdedit, ſinguliſque angulis turri impoſita effecit, ut Tetrapyrgia ſive quadriturrita reipſa eſſet & diceretur. Juxta eumdem locum urbem condidit nobiliſſimam & Primam Juſtinianam latina voce nominavit, nutricationis mercedem altrici ſolvens; exſtructoque ibidem aquæ ductu, benigna aquarum perennitate donavit. Promtum non eſt Deo dicatas ædes numerare, nec penes nos eſt deſcribere magiſtratuum domos, porticuum amplitudinem, platearum decus, fontes, compita, balneas, rerum fora venalium, & ut paucis dicam, urbs eſt magna, frequens, rebus omnibus beata,* καὶ οἷα τῆς χώρας ἁπάσης μητρόπολις οὖσα. *Ad tantam quippe dignitatem evecta eſt. Præterea ſedes eſt Archiepiſcopi Illyricorum, cæteris civitatibus ipſi, ut pote omnium maximæ, ultro concedentibus.* Mox ſubdit Juſtinianum Ulpianam avunculi ſui Juſtini patriam inſtauraſſe, *Juſtinianamque ſecundam* appellaſſe; quo etiam illi falſi arguuntur, qui Juſtinianum Juſtinianam primam de Ulpiana feciſſe ſcripſerunt.

Atqui Juſtinianus Auguſtus urbem illam ſuam Eccleſiaſticis juribus ornare cupiens, ab

Digitized by Google

ECCLESIA LYCHNIDI.

Agapeto Papa petiit, à Vigilio itidem Papa impetravit ut Juſtinianæ Primæ epiſcopus me-
diterraneæ Daciæ, Ripenſiſque itidem Daciæ, Mœſiæ ulterioris, Dardaniæ, Prævalis pro-
vinciæ, ſecundæ Macedoniæ & Pannoniæ partis Eccleſias Apoſtolicæ ſedis vice & nomine
adminiſtraret, minutâ proinde Theſſalonicenſis antiſtitis in nonnullas ex his provinciis ju-
riſdictione. Id quod Juſtinianus ipſe multis declarat novella ſua 15. quam integram reci-
tavi, ubi de Illyrico Orientali ſermo à me habitus eſt. Quæ Primæ hujus Juſtinianæ poteſtas
ad tempus uſque illud perſeveravit, quo Bulgari Conſtantino Pogonato Imp. trajecto Iſtro
Mœſiam primùm ſecundam, variaſque ſubinde Illyrici provincias ſui juris fecerunt, quorum
incurſione (Gentiles quum eſſent) Chriſtiana religio his in regionibus exſtincta fuit. Poſt
tamen Michaele Theophili & Theodoræ filio Byzantinis imperante, Chriſto nomen Bul-
gari dederunt, brevique factum eſt ut Primæ Juſtinianæ, epiſcopus priſtina jura in omnes
ditionis ipſorum Eccleſias receperit. Hic vero Bulgarorum primarius antiſtes Conſtantino-
politanæ quidem ſedi (Romanis Pontificibus fruſtra reclamantibus,) obnoxius primum fuit,
ſubinde autem αὐτοκέφαλος, ſuive juris evaſit, quum Bulgarorum principibus, qui perpetuis
bellis Græcos laceſſebant, non arrideret Eccleſiarum ſuarum negotia apud Byzantinos tra-
ctari. Id quod Leone ſapiente Baſilii Macedonis filio Imperatore contigiſſe reor, qui quum
Turcas & infideles alios populos in Bulgarorum gentem concitaſſet, in cauſa fuit ut Bul-
gari inito conſilio ad Romanos Pontifices conceſſerint, auxilii inde petendi gratia. Tum
Byzantini Patriarchæ, ut eos ab hac affinitate deterrerent, ſatius duxerunt eorum Archie-
piſcopum omnigena immunitate donare, abdicata quacumque in Bulgariæ Eccleſias juriſ-
dictione. Quocirca Theophylactus, celebris ille epiſtolarum divini Pauli enarrator, Bulga-
garorum Archiepiſcopus quum eſſet, epiſtola ſua 27. Michaeli Chalcedonenſi epiſcopo
ſcribens Monachum quemdam, quem communionis extorrem fecerat, quique in vico ſuæ
ditionis, *Cittaba* dicto monaſterium Conſtantinopolitani Patriarchæ nomine jure Stauro-
pegii conſtruxiſſet, quærebat quo jure id factum eſſet. *Ecquæ enim*, ait, *Bulgaris partici-
patio cum Conſtantinopolis Patriarcha*, Τίς ἐν Βουλγάροις μετουσία τοῦ Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχῃ,
quando nullum ordinationis jus habet in Bulgaria, quæ ſui juris Archiepiſcopo potitur. Ac
certè illa Bulgarorum archiepiſcopi immunitas, eo provecta eſt, ut ſeſe Patriarchis parem
oſtentaret, hocque jure Imperatores purpura induere & corona redimire non dubitaret.
Quod certe Georgius Acropolita in Chronico narrat : τὸ βασιλικὸν περιεδιδύσκε τοῦτον
διάδημα, ὡς ἔφασκεν, αὐτόνομος ὤν, καὶ μηδενὶ εὐθύνας ὀφείλων δοῦναι, καὶ διὰ τοῦτο ἔχειν ἐξουσίαν
βασιλέα στέφειν.

Scribebat illa quæ retuli Theophylactus, quando jam pridem Achrida, vicinæque re-
giones quas Bulgari occupaverant, Byzantino Imperio à Baſilio Imp. cui Bulgaricidæ cogno-
men fuit, reſtitutæ erant. Cæterum Bulgaris intra Mœſiæ ſecundæ fines Imperatoris hujus
armis ſeſe continere coactis, nulla Achridenis Pontificibus in illos auctoritas fuit, uſque ad
duodecimi ſæculi finem. Tunc vero Princeps illorum Joannicius, implorato Romanæ ſedis
patrocinio, obtinuit, ut regiones quæ dominationi ſuæ ſuberant, Trinovitano Præſuli,
quod religionis rem ſpectaret, non alteri parerent. Interim vero Achridenus ſua jura ſarta
tecta ſervavit in eas provincias quas Byzantini Bulgaris ademerant. Id quod Nicephorus
Gregoras libro ſuo 11. cap. 2. obſervandum monuit, ſed & Illuſtriſſimus Hieroſolymorum
Patriarcha Chryſanthus in ſua Eccleſiæ Orientalis notitia teſtatur.

Achridam non ipſam prorſus eſſe urbem reor, quæ Prima Juſtiniana audiit, ſed quum in
vicino tractu à Bulgaris condita eſſet, in eam tranſlata eſſe Primæ Juſtinianæ jura, quam illi
» vaſtaverant. Anna Comnena Alexiadis lib. 12. pag. 371. tradit, « Lichnitidem paludem
» barbara voce *Achrida* dictam, à Mocro Bulgarorum rege qui ſubinde Samuel dictus eſt,
» quique Conſtantino & Baſilio Porphyrogennetis claruit, exhauriri cœptam & deriva-
» tam in centum alveos, & totidem fontibus, ripis & crepidinibus munitam, & pontibus
» junctam: Quo factum ſit, ut ex illorum aquis ſimul coëuntibus fluvius unus coaluerit
» prope Debren oppidum qui *Drymon* vocitatur ». Achridæ vero urbis ſitum, quam incolæ
Guiſtandil hodie, alii *Ocredam* dicunt, Joannes Scilitzes ad hunc modum deſcribit: *Eſt autem
Achris Urbs in excelſo tumulo poſita juxta maximam paludem, unde erumpit Drimus fluvius
ad ſeptemtrionem progrediens, deinde vergens ad occaſum in Ionium mare ad Stiiſſum oppidum
influens*. Achridæ metropoli decem olim epiſcopatus ſuberant, ſexque inſuper metropoles
aliæ. Hodie vero Achridenus ſeptem metropolitas, totidemque epiſcopos ſibi obnoxios
numerat. Metropolitæ ſunt, 1. *Caſtoriæ*, 2. *Pelagoniæ* quæ nunc *Bitalia* dicitur, & *Perleapi*,
3. *Edeſſæ* quæ hodie *Bodena* vel *Bodana*, 4. *Corytzæ* & *Selaſphori*, 5. *Belegradorum* & *Ca-
ninæ*, 6. *Tiberiapolis* ſive *Stramnitzæ* vel *Strumnitzæ*, 7. *Grebenorum* vel *Grebeni*; epiſcopi
vero, 1. *Siſanii*, 2. *Moglinorum* vel *Moglenorum*, 3. *Moleſchorum* aut *Moleſchi*. Quamquam

Digitized by Google

unus nunc Moglenorum & Moleſchi epiſcopatus etiam factus eſt. 4. *Preſporum*, 5. *Debrorum*, uterque vero epiſcopatus in unum nuper coaluit, 6. *Citzaborum*, 7. *Coræ & Mocræ.*

EPISCOPI LYCHNIDI.

I. Dionysius.

IN ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodi Sardicenſis ad eccleſias legitur *Dionyſius de Macedonia de Lychnedo*, ſive *Lychnido.*

II. Antonius.

In prædatoria ſynodo Epheſina ſedit & ſubſcripſit *Antonius epiſcopus Lychnidi*, Ἀντωνίυς Λυχνίδου, Ἀντώνιος ἐπίσκοπος Λυχνίδου. Qui anno 453. ſubſcripſit epiſtolæ ſynodi Novæ Epiri ad Leonem Imp. *Antonius epiſcopus Lychnidi.*

III. Laurentius.

Gelaſii Papæ I. epiſt. 1. inſcribitur *Laurentio de Lignido epiſcopo*, quæ data eſt pontificatus illius initio, ſive anno 492. Se valde gaudere ait Pontifex, quod in Theſſalonicenſi eccleſia, aliiſque per Illyricum epiſtola lecta eſſet deceſſoris ſui Felicis de exceſſibus Acacii Cp. ita ut omnes ei anathema dixerint, nec ſe quiſquam communione prævaricatoris fœdarit. Et quia *Laurentius* ipſum monuerat ut medicinam quamdam fidei epiſcopis Illyrici aliiſque miniſtraret, Romanæ Catholicæque de Incarnato verbo doctrinæ ſummam illis mittit, ſignificans Romanæ Eccleſiæ ſacerdotis recens conſtituti hunc eſſe morem, *ut ſummam fidei ſuæ ad ſanctas Eccleſias pra-* A *roget.* Marcellinus Comes in chron. *Ind. IX. Petro ſolo Coſ.* refert *Laurentium Lychnidii* cum Illyrici epiſcopis aliis Conſtantinopolim ab Anaſtaſio ductum, ibique detentum eſſe. *Solus Laurentius*, inquit, *Anaſtaſium Imp. in palatio pro fide Catholica ſæpe convincens apud comitatum, ac ſi in exilio relegatus, retentus eſt, mobiliorque deinde corpore quam dum Conſtantinopolim venerat effectus. Nam 7. confeſſionis ſuæ anno idem Laurentius fide ſua, ſed Chriſti gratia, in atrio Coſmæ & Damiani* B *ſanatus eſt, pedibuſque ſiſtere propriis, greſſibuſque meruit confirmari, ſuæque dein patriæ incolumis reddi, ubi major octogenario requieſcit.* Quamobrem Laurentius vitæ annos produxerit oportet ad annum ſaltem 519.

IV. Theodoretus.

Legati Hormiſdæ Papæ Germanus Capuenſis & alii ſuggeſtione ſua tertia narrant ſe ex Scampena civitate digreſſos, Dei miſericordia Lygnidum veniſſe, ubi *Theodore-* C *tus* epiſcopus venerabilis vir libellum dedit, qui in eccleſia coram omnibus relectus eſt; quamobrem cuncta juxta atque ipſe conſtituerat patrata eſſe. Hæc ſcribebant anno 519. ex quo apparet Theodoretum Laurentio in vivis adhuc agente, ſed exulante, & quaſi deſtituto, illi ſuffectum fuiſſe.

ARCHIEPISCOPI PRIMÆ JUSTINIANÆ.

I. Catellianus.

TRanſlata Lychnidenſi ſede epiſcopali ad Primam Juſtinianam, primus Juſtinianæ Primæ Archiepiſcopus fuit *Catellianus*, proximus (ut apparet) Theodoreti ſucceſſor, cui Juſtinianus Imp. Novellam 15. dedit. *Imp. Juſtinianus. A Catelliano viro beatiſſimo, archiepiſcopo Primæ Juſtinianæ.* Suis jam locis expoſui quæ Novella iſta ferantur, nimirum honorum, tituli & juriſdictionis amplitudo qua functurus eſſet Primæ Juſtinianæ archiepiſcopus. Data eſt Belizario v. c. coſ. hoc eſt anno 535.

II. Benenatus.

Anno 550. Primæ Juſtinianæ archiepiſcopus erat *Benenatus*, quo nempe damnatus ipſe eſt à diœceſis ſuæ Illyricianæ ſynodo tamquam Trium capitulorum obtrectator. Sic Victor Tununenſis in Chronic. *Poſt conſulatum Baſilii v. c. Anno 12. Illyriciana* D *ſynodus in defenſione Trium capitum Juſtiniano Auguſto ſcribit, & Benenatum primæ Juſtinianæ civitatis epiſcopum obtrectatorem eorumdem trium capitum condemnat.*

III. Joannes.

Gregorius Magnus anno altero ab inito Pontificatu epiſtolam 22. libri 2. Ind. x. ſcripſit *univerſis epiſcopis Illyrici*, de electione *Joannis Primæ Juſtinianæ epiſcopi*, quæ omnium conſenſione facta erat. Quin & 23. ipſi *Joanni epiſcopo Primæ Juſtinianæ Illyrici* E *dedit*, gratulans quod totius concilii conſenſu & Sereniſſimi Principis voluntate electus eſſet: Pallium ſe illi de more tranſmittere pergit, decernitque ut & ipſe Apoſtolicæ ſedis vicibus in Illyrico fungatur: hortatur ut paſtorale munus ſumma pace, caritate & prudentia obeat. In fine ſubdit: *Xenia autem veſtræ ſanctitatis ſuſcipere omnino nolueram, quia valde eſſet incongruum, ut ab afflictis & prædatis fratribus munera ſuſcepiſſe videremur:*

Digitized by Google

ECCLESIA LYCHNIDI.

ſed Reſponſales veſtri alio me argumento vicerunt, ad eum illa deferentes, à quo non poſſent oblationes veſtræ fraternitatis repelli; ad Petrum ſcilicet Apoſtolum. Aliam ad illum epiſtolam ſcripſit, quæ libri 3. ſexta exſtat, propter Hadrianum Thebarum Phthioticarum epiſcopum, quem Joannes perinde atque Lariſſenus metropolita, damnaverat. Ejuſdem Joannis nomen legitur in inſcriptione epiſtolæ 5. libri 8. ad Diœceſis Romanæ metropolitas qui Mauritii Auguſti ditionis erant, de non admittendis in clero & monaſteriis, qui publicis rationibus obnoxii eſſent, quin etiam militibus niſi poſt triennii probationem. Lib. 9. Indict. 11. epiſtola 68. inſcribitur: *Metropolitis Illyrici Euſebio Theſſalonicenſi, Urbico Dyrrhachino, Andreæ Ni-*

A *copolitano, Joanni Corinthio, Joanni Primæ Juſtinianæ, &c.* quibus injungit ne *Œcumenici Patriarchæ* titulo, quo Byzantini epiſcopi gloriabantur, ullo pacto ſuffragarentur. Lib. 12. epiſt. 31. inſcribitur quoque *Joanni epiſcopo Primæ Juſtinianæ*, in qua de Paulo Diocleatinæ Eccleſiæ epiſcopo, cujus varia flagitia recitat adhibendaque remedia ſuggerit, jubet Nemeſionem qui Paulo ſuffectus erat, epiſcopio & officio ſuo unde fuerat amotus, reſ-
B titui, nec quidquam moleſtiæ deinceps hac in re patiatur. Præterea Gregorius Anatolio Diacono CP. epiſt. 47. Ind. IV. ſcripſit, ſibi minime probari quod volebat Imperator, pro Joanne qui gravi capitis ægritudine laboraret, alterum Primæ Juſtinianæ epiſcopum ordinari, niſi ille demum epiſcopatu cederet.

ARCHIEPISCOPI ACHRIDENSES.

I. SILVESTER.

II. GABRIEL.

Ex quo Bulgari Illyrici provincias varias occuparunt, nemo in illis epiſcopus exſtitiſſe reperitur, quum barbara illa gens inanium Deorum cultui deditiſſima eſſet. Ubi vero Deo demum favente Bulgari Chriſti fidem religionemque admiſerunt, primus ipſorum antiſtes & Archiepiſcopus fuit *Silveſter* nomine ab Hadriano Papa II. deſignatus, pro Marino Diacono quem Rex ordinari antea poſtularat. Id quod Guillelmus Bibliothecarius in ejuſdem Hadriani vita narrat: quia nimirum Marinus ad octavam ſynodum quæ Conſtantinopoli celebranda erat, ab Apoſtolica Sede legatus deſtinabatur. *Papa Silveſtrum quemdam Bulgaris eligendum miſit cum Leopardo Anconitano & Dominico Tarvienſi epiſcopis.* Verum non multo poſt Silveſter Bulgaria abire juſſus, quum Rex Græcos potius epiſcopos, ut pote vicinos, admittendos cenſuiſſet, propter ſanctionem quam Byzantini, Baſilio Imp. favente & curante, ab octava ſynodo decerni impetrarunt. Qua proinde lata Ignatius Conſtantinopolitanus Bulgaris epiſcopum dedit & conſecravit, fruſtra reclamante Hadriano.

Hanc Bulgarorum archiepiſcopi è Græcorum gente inſtitutionem Conſtantinus Porphyrogennetus, in vita avi ſui Baſilii ad hunc modum recitat: *Hæc Bulgarorum natio,* inquit, *quæ ante ipſum ad veram religionem ſe tranſtulerat, Chriſtianorum receptis ritibus, ad bonum nihilominus nondum confirmata induruerat, ſed velut à vento folia facili negotio agebatur. Frequentibus igitur Imperatoris adhortationibus, munificis officiis, magnificiſque largitionibus ſuadetur Archiepiſcopum admittere, regio-*

C *nemque ſuam epiſcoporum frequentia ſtipare,* ἀρχιεπίσκοπόν τε πείθεται καταδέξασθαι ϗ ἐπισκόπους καταπυκνῶσαι τὴν χώραν, *ac per illos, perque religioſos monachos quos Imperator è montibus & ſpeluncis arceſſiverat, avitis conſuetudinibus relictis, integre Chriſto gens irretitur.* Archiepiſcopi illius Bulgarorum primi nomen Conſtantinus omiſit. Ad hæc doctiſſimo Allatio Exercit. 15. in Creyghtonum Anglum, non placet Theophylactum à quibuſdam nominari, quando circa annum 845. in illam regionem alius quidam epiſcopus
D à Theodora Imperatrice dudum antea miſſus fuerat ut Regem Chriſtianis ſacris inſtitueret. At vero in ſynodi illius actis, quæ ob Photii reſtitutionem ſtatim ab obitu ſancti Ignatii coacta fuit, illi adſuiſſe, ſubſcripſiſſeque reperitur *Gabriel Achridenſis*, Γαβριὴλ Ἀχρίδων, ſed inter metropolitas non cenſetur, quia nempe Achridæ nondum Bulgarorum archiepiſcopus conſiſtebat. GABRIEL.

III. GEORGIUS.

Bulgarorum utique archiepiſcopus *Geor-*
E *gius* fuit, de quo Joannes Papa VIII. epiſtola 75. Michaëli Bulgariæ regi data queritur, quod Eunuchum ad Belogradenſem epiſcopatum provexerat. *Cæterum gloria veſtra ſciat,* inquit, *Sergium monachum qui quum genere Sclavus eſſet, & multis pravitatibus irretitus, ſacerdotium per ſubreptionem obtinuit, & poſt etiam ſuper aliis detectus & convictus exceſſibus, ab epiſcopo tunc ſuo depoſitus fuiſſe dignoſcitur, & poſt indigne ſatis* à Georgio, qui falſo ſibi epiſcopi *nomen uſurpavit, ad epiſcopatum Belogradenſem provectus eſt, Apoſtolorum principum & ſanctorum canonum auctoritate, etiam noſtri eſſe ſententia Decreti depoſitum. Data 16. die menſis Aprilis Indict. XI.*

Georgius

Digitized by Google

Georgius ille qui Sergium Belogradenſem epiſcopum creaverat, metropolita proinde Bulgariæ habebatur; quem Joannes falſo ſibi epiſcopi nomen vindicare ait, quia Romana Eccleſia epiſcopos Græcos non admittebat, qui Bulgarorum Eccleſias ſine ſuo nutu curabant. Cæterum Archiepiſcoporum aliquot Bulgariæ indicem Græcum nactus ex Regio cod. 1004. ſingulos quo ordine recenſentur, recitabo, interjectis tamen quæ hinc inde apud auctores de illis repererim. At vero primo loco Protogenem Sardicæ epiſcopum ponunt, qui eo tempore ſedebat quo magni Athanaſii causâ ſynodus ea in urbe celebrata eſt. Πρωτογένης ὁ ἀρχιεπίσκοπος Σαρδικῆς, δι᾽ οὗ ἀντεπεκρίθησαν οἱ ἅγιοι πατέρες τῷ φιλοσόφῳ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος βλασφημοῦντι, καθὼς ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῆς αὐτῆς πρώτης συνόδου ἔστιν εὑρεῖν. *Protogenes archiepiſcopus Sardicæ, per quem ſancti Patres Philoſophum qui Sancto Spiritui detrahebat, confutaverunt, ut fertur in geſtis ejuſdem primæ ſynodi.* Alludit auctor ad ea quæ in actis Nicænæ ſynodi à Gelaſio Cyziceno conſcriptis feruntur lib. 2. c. 20. Sequitur in indice.

Μεθόδιος ὁ αὐτάδελφος τοῦ ἁγίου Κυρίλλου τοῦ φιλοσόφου, χειροτονηθεὶς παρὰ Νικολάου Πάπα μετ᾽ Ἀδριανὸν ἐν Ῥώμῃ Μορύξου, (lego Μοράβου, vel potius Μοράβων) τῆς Παννονίας ἀρχιεπίσκοπος. *Methodius germanus S. Cyrilli philoſophi frater, qui à Nicolao Papa Hadriani II. ſucceſſore* (imo deceſſore) *Romæ ordinatus eſt Moraviæ in Pannonia epiſcopus.* Plane Bulgari prima fidei Chriſtianæ rudimenta à S. Cyrillo Philoſopho acceperunt, quin etiam ab ejus germano fratre S. Methodio, qui relictis Bulgaris quos Photius ſibi vindicabat, ad Moravos edocendos tranſierunt. Inter Photianæ ſynodi metropolitas & archiepiſcopos ſediſſe miror *Agathonem Moravorum*, Ἀγάθωνος Μοράβων, Ἀγαθὼν Μοράβων. At Methodius dum primùm in Bulgariam venit, epiſcopus omnino non erat.

IV. Conradus.

In indice *Conradus* tertius numeratur, *qui Bulgaris ordinatus à Methodio, exagitatus ſubinde fuit à Spiritus ſancti impugnatoribus.* Γοράσδος χειροτονηθεὶς παρὰ Μεθοδίου, εἶθ᾽ ὕστερον ἐκδιωχθεὶς παρὰ τῶν πνευματομάχων. Qui ſint illi Spiritus ſancti impugnatores à quibus in fugam actus ſit Conradus, non ſtatim capio. Non certe Latinos innuit Græcus ſcriptor, qui Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere ſentirent, ſed quorum intererat Conrado ſuppetias adverſus Byzantinos dare. Pene dixero Conradum alium non fuiſſe à Silveſtro, quem ab Hadriano Papa II. Bulgaris datum archiepiſcopum dixi: qui proinde, quod illis ſæculis inſolitum apud noſtros non erat, binominis fuerit. Plane Conradi nomen Teutonicum eſt, atque adeo Latini ritus præſulem indicat. Quamobrem illi Spiritus ſancti impugnatores à quibus Conradus exagitatus eſt, ipſimet ſchiſmatici Græci fuerunt, quibus diſpliceret Spiritus prædicari à Patre & Filio proceſſionem. At vero Allatius exercitatione 15. in Creyghtonum, auctorem vitæ Clementis, de quo mox dicemus, ſchiſmati deditiſſimum hominem appellat, qui narret *Coraſdum* ſive *Conradum*, quem Bulgaris Methodius præfecerat, à ſede epiſcopali expulſum fuiſſe; Welchinium autem ſeu Welchinum presbyterum, qui à Sphendoplecto gentis Principe ad Joannem VIII. miſſus, ab eodemque Nitrenſis eccleſiæ conſecratus epiſcopus Bulgariam repetierat, ad eamdem ſedem aſcendiſſe.

V. Clemens.

Conrado ſuccedit *Clemens, epiſcopus primum Tiberiopolis, ſeu Belices. Cui Boriſes Bulgariæ rex conceſſit tertiam regni ſui partem curare à Theſſalonica ad Hiericho, & Bannina, ſive Sepiati regionem.* Κλήμης γενόμενος ἐπίσκοπος Τιβεριουπόλεως, ἤτοι Βελίκης, ὕστερον δὲ ἐπιτραπεὶς παρὰ Βορίσου βασιλέως Βουλγάρων ἐφορᾶν [γὰρ] καὶ τὸ τρίτον μέρος τῆς Βουλγαρικῆς βασιλείας, ἤγουν ἀπὸ Θεσσαλονίκης μέχρι Ἱεριχὼ, καὶ Βαννίνων, ἤτοι Σηπιάτου. Hujus Clementis vitam ab homine Græco Latinis ac Francis præſertim admodum inſenſo ſcriptam fuiſſe teſtantur excerpta quæ Leo Allatius recitat illâ, quam modo dicebam, exercitatione adverſus Creyghtonum Anglum. Atqui Clementi utique illi Bulgarorum archiepiſcopo, hiſtoriam ſuam de Manichæorum hæreſi Petrus Siculus nuncupaverit oportet, quippe cujus hæc inſcriptio eſt: Πέτρου Σικελιώτου ἱστορία περὶ τῆς κενῆς καὶ ματαίας αἱρέσεως τῶν Μανιχαίων, τῶν καὶ Παυλικιανῶν λεγομένων· προσπεφωνηθεῖσα, ὡς πρὸς τὸν ἀρχιεπίσκοπον Βουλγαρίας. *Petri Siculi hiſtoria de vana & ſtolida hæreſi Manichæorum ſive Paulicianorum, archiepiſcopo Bulgariæ nuncupata.* Scribebat Petrus ille Siculus ipſo Photii ævo.

VI. Damianus.

Clementi in catalogo ſuccedit *Damianus, Doroſtoli ſedens, quæ nunc Driſta dicitur, quo Eccleſiam adminiſtrante Bulgaria ornata fuit, ut ipſe Patriarcha ſui juris renuntiatus fuerit Senatus-Conſulto Imperii à Romano Lacapeno Imp. ſubinde vero à Joanne Tzimiſce deſtitutus eſt.* Δαμιανὸς ἐν Δωροστόλῳ, τῇ νῦν Δρίστρᾳ, ἐφ᾽ οὗ καὶ ἡ Βουλγαρία τετίμηται, αὐτοκέφαλος οὗτος πατριάρχης ἀνηγορεύθη παρὰ τῆς βασιλικῆς συγκλήτου, κελεύσει τοῦ βασιλέως Ῥωμανοῦ τοῦ Λακα-

ECCLESIA LYCHNIDI.

πηῦ· ὕςερον δὲ καθηρέθη παρὰ τοῦ Ιωάννε τοῦ A Τζιμίσκη. Temporum ratio minime patitur, ut Clementi qui ſub Baſilio Macedone Bulgarorum Eccleſiæ præfuit, proxime ſucceſſerit Damianus qui ſub Joanne Tzemiſce ſedebat, hoc eſt poſt annos fere nonaginta ab obitu Baſilii. Alios proinde intermedios omiſit auctor, qui illi ſatis comperti non erant propter frequentia bella quibus Bulgari à Byzantinis diſſidebant. At vero hoc ſaltem loco diſcimus Romano Lacapeno Imperatore, Bulgarorum archiepiſcopo αὐτοκεφαλίαν à Conſtantinopolitana ſede conceſſam con- B firmatamque fuiſſe, à cujus deinceps ordinatione minime penderet.

VII. Germanus.

Poſt Damianum *Germanus, qui & Gabriel, Bodinis & Preſpæ ſedens.* Γερμανὸς, ὁ καὶ Γαβριὴλ, ἐν Βοδίνοις καὶ ἐν τῇ Πρέσπῃ. Nimirum Bulgarorum Principes nullam hactenus certam civitatem deſignarant, quæ archiepiſcopi ſuæ gentis ſedes eſſet, Eccleſiæque ſuæ ditionis regimen aliis atque aliis diverſarum urbium epiſcopis demandabant, quos ad id C muneris idoneos intelligebant. Poſt vero ſumma illa poteſtas apud Achridæ antiſtitem manſit.

VIII. Philippus.

Gabrielem Achridenum Photianæ ſynodo interfuiſſe ſuperiùs dixi, at Bulgaricæ genti præfuiſſe, aſſeverare dubitavi. At in Catalogo Regio Germanum ſequitur *Philippus, qui Lychnidæ ſedit, quæ deinceps Achrida.* Φίλιππος ἐν Λυχνίδῃ προσαγορευομένῃ, νῦν δὲ Αχρίδῃ.

IX. David.

Catalogus *Davidem* omiſit Bulgarorum Archiepiſcopum, cujus tamen mentio fit in hiſtoria Joannis Scilitzis Curopalatæ p. 91. & 92. ſive Cedreni, pag. 710. Eo autem tempore David ſedebat, quo Baſilius Imp. Bulgaricida dictus gentem hanc Byzantinis infeſtam debellavit. Primo loco fertur Uladimerum Serviæ principem nefariè necatum à Joanne Uladiſlao Bulgarorum rege, poſthabita fide qua ſe illi per Davidem archiepiſcopum Bulgariæ addito jurejurando obſtrinxerat, ὁ τοῖς ὅρκοις πιςεύσας παρὰ τοῦ Ιωάννε δοθεῖσιν αὐτῷ διὰ Δαβὶδ τοῦ ἀρχιεπισκόπου Βουλγαρίας, ἑαυτὸν ἐνεχείρισε. Secundo loco Imperatore Baſilio Strumbitzam accedente, Davidem archiep. veniſſe cum literis Mariæ Joannis Regis uxoris, quæ pollicebatur ſe à Bulgaria receſſuram, dummodo eorum quæ poſtularat, compos fieret. καὶ ἦκεν ὁ ἀρχιεπίσκοπος Βουλγαρίας Δαβὶδ μετὰ γραμμάτων Μαρίας τοῦ Ιωάννε γυναικὸς κ. τ. ε. Eadem refert Zonaras.

X. Joannes I.

Davidi utique ſuffectus erit Joannes I. de quo in indice ſcribitur: Ιωάννης καὶ αὐτὸς ἐν Λυχνίδῃ· Οὗτος ἦν ἐκ Δεύρης χωρίου Αγνοανδίκης, χρηματίσας τῆς ἐκεῖσε μονῆς τῆς Θεομήτορος. *Joannes, qui & ipſe in Lychnide ſedebat, ex Deure vico Agnoandices, præpoſitus monaſterii Dei genitricis, quod illic exſtat.* De Deure ſive Debre, quæ epiſcopi ſedes fuit, ſuo loco dictum eſt.

XI. Leo I.

In catalogo poſt Joannem Bulgarorum archiepiſcopus eſt *Leo, qui primus ex Byzantinorum eccleſia aſſumtus fuit, in qua Chartophylacis munere fungebatur. Is Eccleſiam inferiorem exſtruxit, impoſito illi nomine S. Sophiæ.* Λέων πρῶτος ἐκ Ρωμαίων, χαρτοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, ὁ κτίσας τὴν κάτω ἐκκλησίαν ἐπ' ὀνόματι τῆς ἁγίας Σοφίας. Notiſſimus eſt *Leo Achridæ* archiepiſcopus, qui ſub Conſtantino Monomacho Imp. & Michaele Cerulario Patriarcha Conſtantinopoli agens, calamum in Romanam Eccleſiam virulentiæ plenum ſtrinxit. In cod. Regio 3437. *ejuſdem Leonis Bulgariæ archiepiſcopi & protoſyncelli*, exſtant epiſtolæ tres de Azymis & Sabbatis, ſive de jejunio ſabbatorum adverſus Latinos. In primis vero ejuſdem generis ad Joannem Trani in Apulia epiſtolam ſcripſit, cujus causâ ab Humberto Cardinali Apoſtolicæ Sedis legato Catholica communione privatus fuit. Hunc Joannes Scilitzes ſub Theodora Porphyrogenneta Imperatrice interiiſſe tradit, fol. 123. Cedr. 792.

D

XII. Theodulus.

Joannes Scilitzes ibidem ſubdit Leone Bulgariæ archiepiſcopo mortuo, à Theodora Auguſta deſignatum eſſe *Theodulum monachum, ex Iconio urbe Tetrapolis oriundum, ſed monaſterii magni Martyris ſancti Mocii tunc præpoſitum, externæ ſæculariſque ſapientiæ expertem prorſus hominem, divinæ vero peritiſſimum, adeoque gratiis virtutibuſque quam qui maximè ornatum.* Sic quoque catalogus: Θεόδουλος ἡγούμενος τοῦ ἁγίου Μωκίου, ὁ κτίσας E τὴν ἄνωθεν μεγάλην ἐκκλησίαν διὰ Ιωάννου τοῦ Ανζω. *Theodulus S. Mocizi Præpoſitus, qui magnam in ſuperiori parte Eccleſiam erexit, ſubſidiis Joannis Anzo.*

XIII. Joannes II.

Scilitzes iterum in Conſtantino Duca Imp. ubi de Joannis Xiphilini in Patriarcham promotione, addit: *Quin etiam Theodulo Bulgariæ archiepiſcopo vivis exemto, deligit Imp. Joannem quemdam monachum Lampæ præfectum,*

Digitized by Google

religioſæ vitæ, laborumque ſocium Xiphilini. Ἀλλὰ μὴν καὶ Θεοδούλου τοῦ Βουλγαρείας ἀρχιερέως κοιμηθέντος προχειρίζεται ὁ βασιλεὺς Ἰωάννην τινὰ μοναχὸν ἐκ τῆς Λάμπης μὲν ὁρμώμενον, συνασκητὴν δὲ καὶ σύμπονον τοῦ Ξιφιλίνου. Concinit catalogus: Ἰωάννης ὁ Λαμπηνὸς, μοναχὸς τοῦ ὄρους τοῦ Ὀλύμπου. *Joannes Lampenus monachus montis Olympi.* Ex quibus comperimus archiepiſcopum iſtum patria Cretenſem fuiſſe, in qua urbs *Lappa* ſive *Lampa*. De illo intelligenda veniunt quæ Scilitzes in Nicephoro Bryennio Imp. ſubdit, nimirum Nicephorum Baſilacium præſidem primarium, juſto exercitu coacto ex Francis, Bulgaris & Arbanitis (ſive Albanitis) Theſſalonicam contendiſſe, quumque inde Achridam veniſſet, voluiſſe ibi Imperatorem renuntiari, ſed prohibitum fuiſſe ſtudio & diligentia illius qui pontificatum illic gerebat, σπουδῇ δὲ τοῦ ἐκεῖσε ἀρχιερατεύοντος ἐκωλύθη.

XIV. Joannes III.

Idem Scilitzes in hiſtoriarum ſuarum fine ait, *vita functo Joanne Bulgariæ archiepiſcopo, dum Baſilacius tranſiret, alium ejus loco inſtitutum à Nicephoro Imp. cui Joanni perinde nomen erat, quique* ἄοινος, *ſive abſtemius cognominatus eſt, quia vinum nunquam guſtavit,* ἕτερον ἀντ' αὐτοῦ ὁ βασιλεὺς προεβάλετο, Ἰωάννην καὶ αὐτὸν καλούμενον. Sic perinde in illo catalogo Joanni II. *Jannes* ſive Joannes III. abſtemius ſuccedit, monaſterio Apritzii præpoſitus. Ἰωάννης ὁ ἄοινος, ἡγούμενος μονῆς τοῦ Απρίτζου.

XV. Theophylactus.

In eodem catalogo Jannem ſive Joannem III. excipit *Theophylactus ex Euripo, qui rhetor & magnæ eccleſiæ diaconus erat.* Θεοφύλακτος, ὁ ἐξ Εὐρίπου, ὁ ῥήτωρ ὢν καὶ διάκονος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. Hic ille Theophylactus eſt Bulgariæ archiepiſcopus, cujus expoſitiones proſtant in Evangelia, Acta Apoſtolorum, Epiſtolas Pauli, & Prophetas minores Alia quoque nonnulla de variis argumentis ſcripſit. Alexium Comnenum Imp. oratione celebravit, quæ manu exarata habetur in Bibliotheca Bavarica. Ejus epiſt. 75. à Joanne Meurſio Græcè editas Vincentius Marinarius Latinas fecit, utinam accuratiori tranſlatione. In illis ac præſertim ſexta, teſtatur ſe Achridæ agere, ita tamen ut identidem in urbem Regiam veniret. Ad eum ſpectare puto, quod Anna Comnena lib. 8. Alexiad. narrat, Alexium Imp. quum in partes occiduas Illyricum verſus profectus eſſet, Philippopoli accepiſſe archiepiſcopi Bulgariæ litteras, quibus indicabatur Joannem Sebaſtocratoris filium Dyrrhachii ducem defectionem meditari.

XVI. Leo II.

Ex catalogo Theophylacto ſucceſſit *Leo Mungus, qui ex Judæis procreatus, magiſtri Gentium officio fungebatur.* Λέων ὁ Μούγγος, ὁ ἐξ Ἰουδαίων ὢν προγόνων, χρηματίσας διδάσκαλος τῶν ἐθνῶν. Huic utique Leoni tribuendum, quod Doſitheus Hieroſolymitanus lib. 3. de Patriarch. Hieroſ. cap. 2. §. 4. refert è Georgio Acropolita Logotheta, Leonem Bulgariæ intra unius hebdomadis ſpatium Joannem manu truncatum, Sabbato preſbyterum & Dominica inſequenti epiſcopum Grebeni ordinaſſe, de quo legendus ipſe Georgius Acropolita.

XVII. Michael.

Leonem ſequitur in catalogo *Michaël, cognomento Maximus, qui inter Patriarchales præfectos oſtiarius erat, & magnæ eccleſiæ diaconus, eunuchus.* Μιχαὴλ ὁ ἐπίκλην Μάξιμος, ὀστιάριος ὢν ἐν τοῖς πατριαρχικοῖς ἄρχουσι, καὶ διάκονος ὢν τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, εὐνοῦχος.

XVIII. Joannes IV.

Demum in illo catalogo legitur: Ἰωάννης μοναχὸς ὁ Κομνηνὸς, ὁ ἐν τοῖς κοσμικοῖς Ἀδριανὸς, πανσέβαστος σέβαστος, καὶ υἱὸς τοῦ ἀοιδίμου δεσπότου τοῦ πανευτυχεστάτου πρωτοσεβαστοκράτορος κυροῦ Ἰσαακίου τοῦ Κομνηνοῦ, τοῦ αὐταδέλφου τοῦ βασιλέως τοῦ κυροῦ Ἀλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ καὶ τῆς ἀοιδίμου δεσποίνης τῆς πανευτυχεστάτης πρωτοσεβαστοκρατορίσσης κυρᾶς Εἰρήνης, τῆς διὰ τοῦ θείου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος Ξένης μετονομασθείσης, τῆς θυγατρὸς τοῦ πανευγενεστάτου ἐξουσιοκράτορος πάσης Ἀλανίας, καὶ πρώτης ἐξαδέλφης τῆς δεσποίνης κυρᾶς Μαρίας Ἀλανίσσης, τῆς χρηματισάσης συμβίου τοῦ βασιλέως τοῦ Μιχαὴλ τοῦ Δούκα, καὶ τοῦ βασιλέως κυροῦ Νικηφόρου τοῦ Βοτανειάτου. *Joannes Comnenus monachus, qui in ſæculo Hadrianus dicebatur, auguſtiſſimus ſebaſtus & filius illuſtris deſpotæ fortunatiſſimi protoſebaſtocratoris Joannis Iſaacii Comneni, germani fratris Domni Alexii Comneni, & illuſtriſſimæ Deſpœnæ fortunatiſſimæ ſebaſtocratoriſſæ Domnæ Irenes, quæ in divino & Angelico habitu mutato nomine, Xena dicta eſt, filiæ nobiliſſimi principis Alaniæ, & natu majoris conſobrinæ Deſpœnæ Domnæ Mariæ Alanæ, quæ uxor fuit Imperatoris Domni Michaelis Ducæ, & Imperatoris Domni Nicephori Botaniatæ.* Joannes iſte, cujus priſcum nomen Hadrianus erat, ille profecto fuit *Hadrianus Bulgariæ,* ὁ Βουλγαρείας Ἀδριανὸς, quem Doſitheus Hieroſolymitanus recenſet inter ſcriptores græcos qui contra latinos calamum ſtrinxere.

XIX. ***.

Nicetas Choniates in hiſtoria Alexii Comneni Imperat. Manuelis filii, narrat noluiſſe Theodoſium Patriarcham approbare nuptias Irenes filiæ Andronici cum Alexio, ſed pontificatum potius abdicaſſe: Bulgarorum vero

archiepiſcopum deſignatum eſſe qui connubio illi benediceret, εὐλογητὴν ἀναδείξας τὸν ἀρχιποίμενα τῶν Βουλγάρων.

XX. CONSTANTINUS I.

E quatuor illis qui ſub Manuele Comneno Imp. Alamannos Conſtantinopoli degentes hæreſis ideo taxarunt, quod aſſererent Chriſtum humanitatis aſſumtæ cauſâ dixiſſe *Pater major me eſt*, *Conſtantinus* Bulgariæ archiepiſcopus fuit, Allatio teſte lib. 2. de conſenſ. cap. 12. num. 4. ubi propter illos ſynodum habitam eſſe narrat.

XXI. JOANNES V.

Joannem V. Bulgariæ archiepiſcopum mihi ſuppeditat Nicetas Choniates in Alexio II. Imp. In fine libri narrata ejuſdem Alexii nece, cujus auctor fuerat Andronicus Comnenus, ſubjungit cymbam qua truncum defuncti cadaver in mare mergendum vehebatur, à duobus viris illuſtribus cum carminibus & tripudiis ductam fuiſſe, *Joanne* ſcilicet *Camatero Caniclei præfecto, qui poſtea Bulgariæ archiepiſcopus fuit*, δηλαδὴ τοῦ ἐπὶ τοῦ Κανικλείου Ἰωάννη Καματηρῷ, ὃν ὕστερον ἀρχιποίμενα ἡ τῶν Βουλγάρων προεδρεύουσα ἔλαχε, nec non Theodoro Chumno chartophylace.

XXII. DEMETRIUS.

Theodorus Angelus Comnenus occupatâ Theſſalonicâ magnaque ditionis parte, quam Itali, Bulgarique ſubegerant, Imperatoria inſignia arripuit, reluctante ſibi Theſſalonicenſi archiepiſcopo Conſtantino Meſopotamita; verùm à *Demetrio* Bulgariæ archiepiſcopo, qui ſui juris eſſet, neminique facti rationem reddere obnoxium ſe jactaret, adeoque ſuæ poteſtatis eſſe quoſlibet ubicumque vel quandocumque Reges vel Imperatores ungere, Imperatorio diademate redimitus fuit. Id quod Georgius Acropolita his verbis refert: ὁ δὲ Βουλγαρίας ἀρχιεπίσκοπος Δημήτριος, τὸ βασιλικὸν περιδιδύσκει διάδημα, ὡς ἔφασκεν, αὐτόνομος ὢν, καὶ μηδενὶ εὐθύνας ὀφείλων δοῦναι, καὶ διὰ ταῦτα ἐξουσίαν ἔχειν βασιλέας χρίειν, οὕς τε ἂν καὶ ὅπου, καὶ ὅτε βούλοιτο. Cæterum Demetrii facinus Georgius improbat. Huic Demetrio Chomatiano vel Chomateno cognomen erat; cujus nempe *Bulgariæ archiepiſcopi* Δημητρίου Χωματιανοῦ ἀρχιεπισκόπου Βουλγαρίας lib. 6. Jur. Græco-Rom. pag. 311. Reſponſum exſtat *de gradibus conſanguinitatis*. Itemque pag. 316. τοῦ μακαριωτάτου καὶ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Βουλγαρίας κυροῦ Δημητρίου τοῦ Χωματιανοῦ. *Beatiſſimi & ſanctiſſimi archiepiſcopi Bulgariæ Domini Demetrii Chomatiani ad Conſtantinum Cabaſilam Dyrrachii metropolis archiepiſcopum, Reſponſiones*. Cod. 122. Bavarico habentur ejuſdem *Demetrii totius Bulgariæ archiepiſcopi* capita 23. *de interdictis conceſſiſque gradibus affinitatis;* quin etiam Regis Serviorum Stephani quæſtiones, & Chomateni reſponſa.

XXIII. JACOBUS.

Pachymeres in Michaële Palæol. l. 1. *Jacobum* nominat illum Achridæ archiepiſcopum à quo Theodorus Deſpota Imperii coronam accepit, ἣν ὁ θεῖος αὐτοῦ καὶ πατὴρ ὁ Θεόδωρος, ὃς καὶ βασιλικῆς ἀναῤῥήσεως κατὰ δύσιν ἠξιώθη, τοῦ Ἀχρίδων ταινιώσαντος Ἰακώβου. *Erat patruus ejus & pater Theodorus, qui tractus occidui Imperator inauguratus fuit, corona ei impoſita à Jacobo Achridenſi.* Hic mihi videtur eſſe Jacobus Proarchius Bulgarorum archiepiſcopus, cujus orationes multæ adhuc exſtant, quas Joannes Beccus ſæpè laudavit. Nicephorus Blemmidas librum ſuum primum quo SS. Patrum teſtimoniis Spiritum ſanctum, tum per Filium, tum ex Filio procedere oſtendit, *Jacobo Bulgariæ archiepiſcopo* nuncupavit, πρὸς τὸν ἀρχιεπίσκοπον Βουλγαρίας Ἰάκωβον.

XXIV. CONSTANTINUS II.

Theodoro Laſcari Nicææ Græcis imperante, Achridæ archiepiſcopus erat, *Conſtantinus Cabaſilas,* quem ut pote ſuſpectum qui ſuis rebus ex animo non faveret, apud ſe detinebat. Fratres enim illius germani duo Joannes & Theodorus cum Michaële Comneno Palæologo qui ab Imperatore defecerat, vitam ducebant. Poſt, Michaël Imperii compos factus, libertatem archiepiſcopo dedit, qui ad ſuos reverſus Achridenſibus ſuaſit, ut Sebaſtocratori Palæologi conſobrino ſe dederent. καὶ πρῶτον μὲν ἀπῄει πρὸς τὴν Ἀχρίδα, ἣν καὶ ἀρχιεπισκοπὴν Βουλγαρίας πάντες οἴδασιν, ἔχων μετ᾽ αὐτοῦ καὶ τὸν ἀρχιεπίσκοπον ταύτης τὸν Καβασιλᾶν τὸν Κωνσταντῖνον ὃς ἦν πρὸς τοῦ βασιλέως Θεοδώρου κατεσχημένος κ. τ. ε. Georg. Acrop. hiſt. num. 80.

XXV, GENNADIUS.

Achridæ epiſcopatui poſt Conſtantinum II. datus eſt *Gennadius,* etſi non proximus ejus, ut videtur, ſucceſſor fuit. Hunc Pachymeres in *Andronico,* lib. 2. cap. 13. electum eſſe dicit Primæ Juſtinianæ epiſcopum, & electione admiſſa, longa diuturnaque peregrinatione ſuſcepta, dignitatem abdicaſſe, ὃς δὴ καὶ ἐπὶ τῇ προεδρίᾳ Ἰουστινιανῇ ψηφισθεὶς, καὶ τὴν ψῆφον δεξάμενος, ἐπιδημήσας καὶ ἐγχρονίσας, ἔπειτα παρῃτεῖτο. Atqui Gennadius Achridæ pontifex tractatum ſcripſit de Spiritus ſancti proceſſione contra Latinos, qui habetur in cod. 118. Bavarico & Bodleiano 10. Ejus meminit Allatius lib. 2. de conſenſ. cap. 18.

XXVI. MACARIUS.

Nuptiis filiæ Andronici Imp. Senioris cum

Crale ſeu deſpota Serviæ benedixit *Macarius Achridenſis*, qui delegatus fuerat ut puellam in Serviam deduceret, καὶ δὴ παρὰ τοῦ Ἀχριδῶν Μακαρίου τελεσθουσῶν τῆς συνήθων ἱερολογιῶν. Pachym. lib. 4. cap. 4.

XXVII. Gregorius.

Macario ſuffectus fuit, ut opinor, *Gregorius*, qui ſub Andronico I. quoque ſedebat, ut fert Cantacuzenus lib. 1. hiſt. cap. 46. narrat ſcilicet, ſe cum aliis multis in regiam ad Andronicum juniorem perrexiſſe, ut ei ſuaderet ſeniori Imperatori cedere, & inter oratorum præcipuos fuiſſe *archiepiſcopum Bulgariæ Gregorium, virum eloquentia & prudentia eximium, veræque ſapientiæ plenum*. ἐπὶ τούτοις πᾶσι καὶ ὁ ἀρχιεπίσκοπος Βουλγαρίας Γρηγόριος, ἀνὴρ σοφὸς τε εἰς λόγους, καὶ θαυμάσιος συνιδεῖν, καὶ τῆς ὄντως σοφίας ἄκρως ἐπιλημμένος. Hunc Theodorus Metochita laudatoria oratione celebravit, quæ exſtat in Cod. Regio 3997. Εἰς Γρηγόριον τὸν χρηματίσαντα ἀρχιεπίσκοπον Βουλγαρίας, *In Gregorium qui Bulgariæ archiepiſcopus fuit*. Atqui Metochita diem obiiſſe fertur anno 1332. Hujus utique Gregorii archiepiſcopi Bulgariæ ſunt epiſtolæ tres, quas Lambecius legit in Cæſareo cod. 292. num. 3. Quin ejuſdem Biblioth. lib. 6. cod. 6. exſtat γραφὴ τοῦ παναγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς, καὶ πάσης Βουλγαρίας κυροῦ Γρηγορίου πεμφθεῖσα πρὸς τὸν ἱερώτατον ἐπίσκοπον Πελαγονίας κυρὸν Θεοδόσιον περὶ θεσμοῦ συγγενείας. *Scriptum ſanctiſſimi archiepiſcopi Primæ Juſtinianæ, & totius Bulgariæ, Domni Gregorii, miſſum ad ſacratiſſimum Pelagoniæ epiſcopum Dommum Theodoſium, &c.*

XXVIII. Anthimus.

Vir clariſſimus ac de re catholica optime meritus, Dominus Abbas Nicolaus Papadopoli, dato ad me peramanter ſcripto monuit *Anthimum Metochitam Bulgariæ archiepiſcopum*, quem in Prænotionibus Myſtagogicis ſuis Reſp. 7. ſect. 8. appellaverat, inter *Photianos* ſive ſchiſmaticos, Meletii Patriarchæ Alexandrini teſtimonio pereruditum fuiſſe, πολυμαθής, *qui in ſacrorum myſteriorum expoſitione*, cap. *de Officio epiſcopi*, cenſuit oportere primùm ex parentibus & familiaribus inquiri de moribus illius qui ad ſacerdotium eſt promovendus; floruiſſe ſub Joanne Cantacuzeno Tyranno, & Joanne Palæologo I. Quod evincit ex cod. magnæ eccleſiæ, & ſynodo quæ contra Joannem Calecam Patriarcham convenit, in qua ſubſcripſit, ὁ ταπεινὸς Ἀχριδῶν Ἄνθιμος, *humilis Achridonis* » *Anthimus*. « Fuit, inquit, vir theologus & » concionator ſua ætate diſertus, è Palamitis » teterrimus. Contra Latinos de proceſſione » Spiritus ſancti ſcripſit, necnon pro Palama contra Nicephorum Gregoram. Exſtabant in Allatianis, unde multa collegeram.

XXIX. Matthæus.

Leo Allatius lib. 2. de Conſ. cap. 18. *Matthæum Bulgariæ* archiepiſcopum contra Latinos de Spiritus ſancti proceſſione ſcripſiſſe narrat, teſtem appellans Joannem Pluſiadenum, qui Latinorum doctrinæ adverſarios recenſens, Theophylactum & Matthæum Bulgariæ archiepiſcopos memoravit, ἄλλος Βουλγαρίας Ματθαῖος.

XXX. Marcus.

Anno 1455. quum Joaſaphus Patriarcha Conſtantinopolitanus à Turcarum Sultano Mohammeto II. ſede ſua ejectus eſſet, Marcus Xylocarabes Hieromonachus, vir eruditionis præcipuæ, ejus in locum ſuffectus eſt: ſed Simeon patriâ Trapezuntius mille aureis appenſis, à Tyranno dignitatem obtinuit. Quo facinore tributum illud ortum habuit, quod Patriarchæ ſinguli deinceps pendere conſueverunt. Noverca vero Principis Maria millia duo aureorum obtulit, pro Philippopolis metropolita Dionyſio, ut Simeone & Marco de patriarchatu litigantibus tertius ille gauderet. Annuit Sultanus, & Simeone in monaſterium ſecedere juſſo, *Marcus Achridæ archiepiſcopatu donatus eſt, ubi paulo poſt fatis conceſſit*: ὁ δὲ Μάρκος ἔλαβε τὴν ἀρχιεπισκοπὴν Ἀχρίδος, καὶ ὀλίγον βιώσας ἐτελεύτησεν. Lib. 1. hiſt. Turco-Gr. p. 22. 23. & lib. 2. p. 127.

XXXI. Prochorus.

Lib. 2. Turco-Græc. p. 163. hoc quoque fertur: *Tempore hujus Patriarchæ (Hieremiæ) Conſtantinopolim venit archiepiſcopus Achridarum, olim Primæ Juſtinianæ Prochorus nomine*, ἦλθεν ὁ ἀρχιεπίσκοπος τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς Ἀχριδῶν, ὀνόματι Πρόχορος, « qui in ſenatu « Turcico protulit diplomata aurea ſigiliis im- « peratoriis munita, quibus declarabatur ad « archiepiſcopatum ejus pertinere Berrhœam, « quæ eſt epiſcopatus metropolis Theſſalonicæ, « τὰ ὁποῖα εἶναι ἐπισκοπὴ τῆς μητροπόλεως Θεσσαλονίκης, « atque hoc titulo centum aureos adjecit. « Verum Conſtantinopolitanus Patriarcha co- « ram Baſſarum tribunali oſtendit, Berrhœam « ante trecentos annos Conſtantinopolitanæ « ſedi paruiſſe. Cui illi quidem annuerunt, ſic « tamen ut tributum centum aureis augeretur. «

XXXII. Paisius.

Sententiæ ſynodali, qua Joaſaphus II. anno 1564. amotus fuit, ſubſcripſit *Paiſius* Achridarum archiepiſcopus, Παΐσιος ὁ ἀρχιεπίσκοπος Ἀχριδῶν. lib. 2. hiſtor. Turco-Gr. p. 173.

XXXIII. Sophronius.

Rurſus lib. 4. Turco-Gr. p. 339. habetur

Digitized by Google

epiſtola *Sophronii Achridæ archiepiſcopi* novo Patriarchæ, νέῳ πατριάρχῃ, cujus nomen omittitur. Illum ad hanc dignitatem provectum gratulatur. Monet profanos duos homines, Maximum quemdam, qui ſe Caſtoriæ epiſcopum mentiebatur, & Gabrielem Coritzæ præſulem, utrumque damnatum & depoſitum à ſua ſynodo fuiſſe. Subſcriptio eſt: Ὁ ταπεινὸς ἀρχιεπίσκοπος τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς καὶ Ἀχριδῶν Σωφρόνιος, καὶ σὸς ἱκέτης. *Humilis archiepiſcopus Primæ Juſtinianæ, & tuus ſupplex.* Sophronii hujus beatiſſimi Achridenſis archiepiſcopi meminit Joaſaph Conſtantinopolitanus in epiſtola ad Theodoſium Zygomalam magnæ eccleſiæ rhetorem, notarium, alioſque notarios, τοὺς μακαρίους ἀρχιεπισκόπους, τόν τε Ἀχριδῶν κύριον Σωφρόνιον. Quæ ſcripta eſt Hadrianopoli anno 1564. ſeu potius 1565. poſt ademptum ipſi Joaſapho Patriarchatum, quem ſibi ſententia trium Orientis Patriarcharum, necnon archiepiſcoporum Bulgariæ & Serviæ, atque metropolitarum archiepiſcoporumque qui nulla erga ſe invidia occupati eſſent, reſtitui poſcebat. Hanc Cruſius edidit lib. 4. p. 290.

XXXIV. * * *.

Martinus idem Cruſius p. 194. alterum indicat *Achridæ archiepiſcopum* Sophronio ſupparem, teſtem appellans ſuum Gerlachium. « Ex Gerlachio, inquit, in epiſtola ad me 27. Novembris 1575. archiepiſcopus Bulgariæ, Baſſæ Supremi nepos eſt. Omnes namque Supremi Baſſæ, quos Veſirios vocant (Regis intimi Conſiliarii & præcipui bellorum Duces) filii Chriſtianorum ſunt. Horum itaque primus Imperatoris vicarius, ex agro Boſnæ vicino oriundus, nepotem habet ex fratre chriſtianum, qui in Græcorum religione inſtitutus, ſuperiore anno archiepiſcopus, ut dixi, factus eſt. Altera Gerlachii epiſtola (pag. 197.) fertur. Menſe Septembri Patriarcha ordinavit archiepiſcopum Bulgariæ Supremi Baſſæ nepotem; quando uterque Patriarcha Conſtantinopolitanus & Alexandrinus miſſas ſingulari apparatu peregerunt. » Nomen illius nuſquam apud Cruſium exſtat.

XXXV. Nectarius.

Aubertus Miræus lib. 1. de *Notitia Archiepiſcopatuum* cap. 9. « initio circiter decimiſeptimi ſæculi ſediſſe ſignificat *Nectarium* Achridæ archiepiſcopum, atque in Belgium uſque peregrinatum eſſe. Quum ante aliquot annos, inquit, nobis Antuerpiæ adeſſet Nectarius Achridanus in Bulgaria archiepiſcopus, natione Græcus, narrabat inter alia hunc ſeſe titulum more Majorum uſurpare ſolitum: *Nectarius archiepiſcopus Primæ Juſtinianæ Achridæ & totius Bulgariæ, Serviæ, Albaniæ, & aliorum locorum.* Addebat ſex eſſe metropoles & decem epiſcopos nulli niſi Achridano archiepiſcopo ſeu primati ſubjectos. » Scribebat hæc Miræus anno 1613.

XXXVI. Abraham.

Abraham Achridæ archiepiſcopus ante annum 1630. ſuſceptâ Poſonium profectione, ut ibi S. Joannis Eleemoſynarii ſacrum corpus veneraretur, ſcripto teſtatus eſt, ſe accepiſſe à magno CP. logotheta, viro nonagenario, corpus illud ſacrum Matthiæ Regi Ungariæ dono miſſum eſſe.

Acta SS. die 23. Januarii.

XXXVII. Porphyrius.

XXXVIII. Athanasius.

XXXIX. Abraamius.

Poſt Abrahamum ſedebant, *Porphyrius*, *Athanaſius* & *Abraamius* Bulgariæ archiepiſcopi, quos Leo Allatius lib. 3. de Conſenſ. c. 11. n. 7. inter epiſcopos Græciæ memorat, qui, quum Romam veniſſent, Apoſtolicæ Sedis communionem adepti, vel ad propria reverſi ſunt, vel quibus licuerat, in Italia quietè egerunt. In his Achrideni tres fuere, *Porphyrius, Athanaſius, Abraamius Meſapſa*, qui priùs archiep. Novarum Patrarum fuerat, & idem fortè erit cum ſuperiori Abraham.

XL. * * *.

Quo tempore Alexander Papa VII. Romanæ Eccleſiæ præerat *Achridenſis archiepiſcopus* alter Romam perinde venit, Romanamque illic fidem profeſſus eſt. *Urban. Cerr. Relat. de Stat. Rom. Eccl.*

XLI. Meletius.

Illuſtriſſimus doctiſſimuſque Hieroſolymorum patriarcha Chryſanthus, in libro quem Tergoviſti in Valachia Græco idiomate typis edidit anno 1715. *de Officiis Eccleſiæ*, pag. 48. *Meletium* Achridanum archiepiſcopum appellat, qui non ita pridem ſederat: καὶ ἐκεῖνος πρώην ἀρχιεπίσκοπος Ἀχριδῶν Μελέτιος λεγόμενος.

XLII. Philotheus.

Nuper Achridæ archepiſcopus ſedebat *Philotheus*, ex ſchedis quas mihi doctiſſimus Abbas Papadopoli Venetiis tranſmittendas curavit. *Philoteo d'Ocreda.*

XLIII. Joasaph.

Ex ſchedis quas illuſtriſſimus Patriarcha Chryſanthus humaniſſime ad me tranſmiſit, anno ipſo 1721. ſedebat *Joaſaph Primæ Juſtinianæ Achridarum, totiuſque Bulgariæ archiepiſcopus.* Ὁ τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς Ἀχριδῶν, καὶ πάσης Βουλγαρίας Ἰωασάφ.

VIII. PROVINCIA DACIÆ MEDITERRANEÆ.

I. ECCLESIA SARDICÆ METROPOLIS.

AURELIANUS Imp. Flavio Vopiſco teſte, quum vaſtatum à barbaris Illyricum, Mœſiamque cis Iſtrum perditam videret, provinciam Tranſdanuvianam, Daciam quam ajanus conſtituerat, ſublato inde exercitu provincialibuſque copiis reliquit, deſperans ſe retineri, adductoſque ex illa populos in Mœſia collocavit, quam ſuam Daciam appel-t, quæ nunc duas Mœſias dividit. Hanc Daciæ Ripenſis inſtitutionem Aureliano quo-: Joannes Malalas tribuit. Ὁ δὲ αὐτὸς Αὐρηλιανὸς Δακίαν ἐποίησεν ἐπαρχίαν, τὴν παραποταμίαν, πλησίον οὖσαν τοῦ Δανούβεως ποταμοῦ. *Idem quoque Aurelianus Daciam Ripenſem provinciam fecit, nubio flumini proximam.* Atqui Dacia hæc in duas ſubinde ſecta quoque fuit, quarum ı ad Danuvii littus pertinens *Ripenſis* nomen retinuit, altera Mediterranea, cujus metro-lis Hierocli *Serdica* vel *Sardica* fuit, ἐπαρχία Δακίας μεσογείου ὑπὸ κονσιλιάριον πόλεις ί. Σαρδικὴ ;όπολις. Theodoretus quoque *Sardicam Illyrici* urbem, Daciæ metropolim dicit lib. 2. l. cap. 4. ubi de Concilio ea in urbe habito ſub Conſtantio Auguſto in cauſa S. Atha-ii Alexandrini. Hanc à Trajano refectam nummi indicant, in quibus *Ulpia Sardica* bitur. Hæc urbs Thraciæ veteris pars cenſetur apud Ptolemæum, quæ ſubinde, ab in-ſione ſcilicet Bulgarorum, *Triadiza* audiit, ut fert index urbium & locorum quorum tata nomina ſunt. Σαρδικὴ ἡ νῦν Τριαδίτζα. Hodie vero *Sophia* dicitur à Turcis & In-enis, ad Boïanam fluvium poſita, inter Naiſſum ſuperioris olim Mœſiæ urbem ad Occa-n, & Philippopolim, ad Auſtrum. Nulla Sardicæ in notitiis Eccleſiarum priſtinis mentio, ia nempe notitiæ illæ antiquiores illis temporibus concinnatæ ſunt, quibus Mœſiæ & ıciæ regiones Bulgaris principibus, non autem Byzantinis imperatoribus parebant. œceſis porro Bulgaricæ *Sardica* ſive *Sophia* hodie civitas eſt, unaque metropolium, ſed i nullus epiſcopus ſubeſt, ὁ Σοφίας μητροπολίτης, ἀνεὺ ἐπισκόπων.

EPISCOPI SARDICÆ.

I. Protogenes.

N indice Patrum Nicæni concilii de *Pro-icia Myſiæ*, legitur, *Protogenes Sardicenſis;* i in hiſtoria ejuſdem concilii, quam Gela-s Cyzicenus adornavit, mandatum fertur, quæ definita erant ad eccleſias Daciæ, ılauriæ, Dardaniæ, harumque provincia-n vicinas tranſmitteret. Πρωτογένης ὁ ϑαυ-ασι@ πόλεως Σαρδικῆς, ταῖς ἐν Δακίᾳ, Κα-λείᾳ, Δαρδανίᾳ, ϗ ταῖς ὁμόροις πάσαις. Ejus npore Sardicenſis quoque ſynodus cele- B ata eſt, in qua præcipuas partes habuit :quens in decretis condendis interloquutor. tqui Protogenes epiſcopatu jam ab anno 16. fungebatur, quo nempe Conſtantinus gem ad ipſum ſcripſit, quæ Juſtinianæi ɔdicis prima eſt, *de his qui in Eccleſia manu-ittuntur, data VI. Id. Jan. Sabino & Ruffino oſſ.* Ariani epiſcopi, ſive Euſebiani, qui à ɔncilio Sardicenſi Philippopolim ſeceſſe-A rant, in ſua quam Africanis dederunt epiſtola, Protegenem multorum criminum reum faciunt, quorum fides ſit penes nequiſſimæ fidei auctores.

II. Bonosus.

Bonoſum Helvidianæ hæreſis patronum, cujus cauſam Capuenſe concilium ab epiſcopis Macedoniæ coram Theſſalonicenſi judicandam pronuntiavit, Sardicenſis eccleſiæ præſulem fuiſſe teſtatur Marius Mercator in appendice ad contradictionem Anath. 12. Neſtoriani. *Et ultimis temporibus Sardicenſis Bonoſus, qui à Damaſo urbis Romæ epiſcopo prædamnatus fuit.* Quocirca ſynodus Capuenſis Bonoſi judicio poſtulati cauſam Anyſio Theſſalonicenſi & epiſcopis Macedoniæ demandavit.

III. Julianus.

Ad Epheſinam ſynodum *Julianus* Sardi-

Digitized by Google

ECCLESIA SARDIC.

cenſis venit, moxque complurium epiſcoporum conteſtationi de non auſpicando ſacro conventu ante Joannis Antiocheni & Orientalium adventum ſubſcripſit *Julianus epiſcopus Sardicæ Dacienſis:* deinceps etiam aliis Orientalium literis quibus Neſtorii cauſam defendebant; quod in cauſa fuit cur à Concilio Epheſino communione & ſacerdotio privatus ſit. Quumque Neſtorii partes ardentiùs defendere perſeveraret, ſede ſua pulſus eſt. Cap. 190. collectionis ex ſynodico Irenæi Tyrii de illo fertur: *Julianus metropolitanus Sardicenſis, qui & ipſe ſe inſontem à fraterna punitione ſervans, ad multa millia pericula pervenire meruit.*

IV. Zosimus.

Leo Auguſtus accepta Proterii Alexandrini nece, hanc, ut aliis Orientis metropolitis, ſignificavit *Zoſimo reverentiſſimo epiſcopo Sardicenſi;* cujus ad eumdem Imperatorem ſynodica reſponſoria non ſupereſt.

V. Domnio.

Marcellinus Comes in chronico *Ind. IX. Petro ſolo coſ. Laurentium Lychnidenſem, Domnionem Sardicenſem, Evangelum Pautalienſem, ſuis Anaſtaſius* (Imp.) *præſentari juſſit obtutibus. Domnione & Evangelo ad ſedes proprias ob metum Illyriciani catholici militis exemplo remiſſis, ſolus Laurentius, &c.* De Laurentio Lychnidenſi ſuo loco dictum eſt.

VI. Basiliscus.

Tempore quintæ ſynodi generalis ſedebat *Baſiliſcus Sardicenſis,* qui, Facundo Hermianenſi lib. contra Mocianum, pag. 205. teſte, Trium capitulorum damnationi aſſentiri veritus, in gehenna obiiſſe à Mociano dicebatur.

VII. Felix.

Gregorius M. epiſtolam Indict. XIII. ſive anno Chriſti 595. ſcripſit *Felici epiſcopo Sardicæ,* quem Joanni Primæ Juſtinianæ antiſtiti, Apoſtolicæ ſedis Vicario, nolle obtemperare acceperat. *Pervenit ad nos, quod fraternitas tua Joanni fratri noſtro Primæ Juſtinianæ epiſcopo non ſecundum morem parere deſpiciat, nec Decreto ejus, nec Relationi quam ad nos direxit, juxta conſuetudinem, voluiſſe ſubſcribere. Quod ſi ita eſt, contriſtamur, quia ſuperbiæ de te præbes indicium.* Quocirca diſtrictam ei canonicamque diſciplinæ correctionem comminatur.

VIII. Michael.

Joannes Scilitzes Curopalates narrat *Michaëlem Sardicæ epiſcopum* ſacris veſtibus indutum à Lecâ quodam Pauliciano Manichæo, à Nicephoro Botaniate Imp. interfectum eſſe, quod quum erga Principem bene affectus eſſet, civitatem in officio contineret. Τότε δὴ ὁ Λέκας τὸν ἐπίσκοπον Σαρδικῆς Μιχαὴλ τὰ τοῦ βασιλέως φρονοῦντα, καὶ τὴν πόλιν τοῦτο ποιεῖν παρασπονοῦντα ἀνεῖλε, τὴν θείαν καὶ ἱερατικὴν στολὴν ἀμπεχόμενον.

IX. * * *.

Inter Theophylacti Bulgariæ archiepiſcopi epiſtolas, trigeſima-ſecunda inſcribitur, *Epiſcopo Triaditzæ,* ſive Sardicæ, τῷ ἐπισκόπῳ Τριαδίτζης, qui nempe à vinculo quo innodatus erat abſolvi petierat, quia nempe ad ſynodum cum aliis, vocatus non convenerat. Præterea Conſtantinopoli agens Theophylactum coram teſtibus multis fide dignis, variis in colloquiis laceraverat. Ejus tamen ille vincula lubens reſolvit, datis in hanc rem literis *Pelagoniæ, Strombitzæ & Maleſobæ epiſcopis,* πρὸς τὸν Πελαγόνιον, καὶ πρὸς τὸν Στρομβίτζης, καὶ πρὸς τὸν Μαλεσόβης. Quæ proinde civitates Bulgariæ veteris epiſcopatus erant Achridenſi archiepiſcopo obnoxiæ, velut & Sardica.

X. Hieremias.

Decimus nonus poſt Conſtantinopolim à Turcis expugnatam Patriarcha fuit *Hieremias I. metropolita Sophias,* Ἱερεμίας μητροπολίτης Σοφίας.

XI. Parthenius.

Literis Metrophanis III. Patriarchæ quibus Michaël Pauliota Theodoſii Zygomalæ ſororis filius tabularii officio donatus fuit, ſubſcripſit, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Σοφίας Παρθένιος, *Parthenius humilis metropolita Sophiæ.* Turco-Gr. lib. 4. pag. 282. ſubſcripſit quoque menſe Febr. Indict. VIII. anno 1579. literis commonitoriis ejuſdem Metrophanis Patriarchæ ad metropolitam Nauplii & Artæ, qui repetundarum reus agebatur, ὁ Σοφίας Παρθένιος. Anno 1586. epiſtolam dedit commendatitiam Romanorum ſive Germanorum Imperatori, pro Anna paupercula quadam quæ fratris ſui Viennæ detenti hæreditaria bona repetebat, ſubſcripſit, inquam, appoſito quoque ſigillo, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Σοφίας Παρθένιος, *humilis Sophiæ metropolita Parthenius.*

XII. Meletius I.

Leo Allatius lib. 3. de conſenſ. cap. 11. n. 7. ſcribit ſua ætate Romam veniſſe *Meletium,* qui Sophiæ metropolita fuerat, quique Byzantino populo obſtante rejectus fuerat, ne in Patriarcham promoveretur.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Meletius II.

Anno 1672. Sophiæ metropolita ſedebat *Meletius* alter, qui eodem anno Reſponſioni Dionyſii Patriarchæ ſuper Calviniſtarum erroribus ſubſcripſit, ὁ Σοφίας Μελέτιος.

XIV. Anastasius.

An. 1721. ſedebat *Anaſtaſius metropolita Sophiæ*, ὁ Σοφίας Ἀναστάσιος.

II. ECCLESIA REMESIANÆ.

REMESIANA, Ῥεμεσιανὰ, vel *Remeſſiana*, Daciæ Mediterraneæ civitas eſt Hierocli. In Itinerario Antonini apud Bertium pag. 8. *Remiſiana*, aliis *Remanſiana*, & *Romeſiana*, vel *Romatiana*; quam Holſtenius eamdem eſſe putat, quæ *Pyros* dicitur, inter Niſſam & Sophiam. Procopio lib. 4. de Ædif. cap. 1. civitatula fuit à Juſtiniano refecta *in agro Remeſſiano*. ἐ Ῥεμεσινὴ, ἐν χώρᾳ Ῥεμεσιανῇ.

EPISCOPI REMESIANÆ.

I. Nicetas.

EOdem quo SS. Hieronymus & Paulinus tempore, *Nicetas* ſive *Nicetius* Remeſianæ urbis epiſcopus claruit, qui Beſſis, Dacis, Gotthis & Scythis trans Iſtrum conſiſtentibus verbum Dei prædicavit. Ejus meminit Gennadius in catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum. *Nicetas*, inquit, *Remeſianæ civitatis epiſcopus compoſuit ſimplici & nitido ſermone ſex competentibus baptiſmum inſtructionis libellos*. Sic diſerte codex San-Germanenſis antiquiſſimus, non *Romacianæ civitatis*, ut antehac in editis. Præclaros ejus pro Chriſti fide propaganda labores S. Paulinus egregio carmine laudavit. Ejus mentio annua fit in Martyrologio Romano die 7. Januar. *In Dacia ſancti* A *Nicetæ epiſcopi, qui feras & barbaras gentes Evangelii prædicatione mites reddidit & manſuetas*. Ejus geſta acccurate perſtrinxit Antonius Pagi ad annum Chriſti 396. & 402. quo Nolam ad S. Paulinum venit.

II. Diogenianus.

Secundæ ſynodo Epheſinæ aderat *Diogenianus Remeſianæ Daciæ epiſcopus*, Διογενιανὸς Ῥεμεσιανῆς τῆς Δακίας. Eo Actorum ſynodi loco, quo ſententiam pro Eutyche dixit, B legitur, Διογενιανὸς ἐπίσκοπος Αφρυ Ῥεμεσιανῶν, *Diogenianus epiſcopus Aphri Remeſianorum*. Nihil vero ſimile habet Latina tranſlatio vetus, ſed ſolum *Diogenianus epiſcopus Remeſſianenſis Daciæ Mediterraneæ*.

III. ECCLESIA AQUARUM.

AQUAS habent Tabulæ Peutingeri in Mœſia ſuperiore, & Itinerarium Antonini. Ipſa, ni fallor, civitas eſt quæ in notitia Hieroclis librariorum imperitia ſcribitur Ἀκόνες pro Ἀκῶαι, perinde atque in anonymo Ravennate legitur *Æquon* pro *Aquæ* vel *Aquarum*. Ptolemæus in Dacia urbem collocat Ὕδατα dictam, i. e. *Aquas* prope *Zarmigethuſam Regiam*, quam *Ulpiam Trajanam* eſſe ferunt.

EPISCOPI AQUARUM.

I. Vitalis.

SARDICENSIS concilii ad Eccleſias epiſtolæ ſubſcripſit, *Vitalis à Dacia Ripenſi ab Aquis*.

IV. ECCLESIA PAUTALIÆ.

PAUTALIA, Παυταλία, inter Daciæ Mediterraneæ civitates cenſetur Hierocli, quam Ptolemæus & Stephanus Thraciæ veteri attribuunt: Procopius vero Illyrico lib. 4. de Ædif. c. 1. ubi eam à Juſtiniano refectam prodit, ſed perperam amanuenſes Græci Παυταλίαν ſcripſere ν pro υ, nam in nummis diſerte *Ulpia Pautalia appellatur*: ΟΥΛΠΙΑΣ ΠΑΥΤΑΛΙΑΣ.

EPISCOPI PAUTALIÆ.

I. EVANGELUS.

Ex Marcellini comitis chronico ad annum 516. *Indict. IX. Petro ſolo Coſ.* Anaſtaſius Imp. *Laurentium Lychnidenſem, Alciſſum Nicopolitanum, Gaïanum Naïſitanum, Domnionem Sardicenſem, Evangelum Pautalienſem, catholicos Illyrici ſacerdotes ſuis præſentari juſſit obtutibus. Domnione & Evangelo ad ſedes proprias ob metum Illyriciani catholici militis extemplo remiſſis, ſolus Laurentius Anaſtaſium Imp. in palatio pro fide Catholica ſæpe conveniens*, &c.

V. ECCLESIA CASTRI MARTIS.

Hierocli Daciæ Ripenſis oppidum eſt *Caſtra Martis*, Κάστρα Μάρτυς, ſive Μάρτης, quod Mœſiæ tribuitur à Sozomeno lib. 9. cap. 5. Hoc nempe Uldes Hunnorum exercitus dux trajecto Iſtro, quum in finibus Thracum caſtra poſuiſſet, proditione cepit, unde in reliquam Thraciam excurſiones faciebat. Hujus quoque in Itinerariis eſt mentio.

EPISCOPI CASTRI MARTIS.

I. CALVUS.

Inter Sardicenſis ſynodi Patres in ſubſcriptionibus legitur *Calvus à Dacia Ripenſi de Caſtro Martis.*

VI. ECCLESIA MARGI.

Margus amnis Mœſiæ ſuperioris & Daciæ Ripenſis in Iſtrum influit, ubi Margus quoque oppidum ſtabat, cujus Itineraria Antonini & Hieroſolymitanum meminere. Anonymus Ravennas ibidem habet Horrea Margi: Priſco rhetori quoque in hiſtoriæ Gotthicæ excerptis, Margus urbs eſt Mœſorum ad Iſtrum poſita, ex adverſo Conſtantiæ arcis, ad alteram fluminis ripam exſtructæ. In notitia Imperii non militare dumtaxat præſidium eſt, ſed præfecturæ quoque Danuvianæ claſſis.

EPISCOPI MARGI.

I. * * *.

Priscus Rhetor in excerptis prioribus *de Legationibus*, initio narrat, « Scythas Theodoſio juniore Imperatore adverſus Romanos expoſtulaſſe, quod Margi epiſcopus, τὸν τῆς Μάργου ἐπίσκοπον, in fines ſuos tranſgreſſus, Regum ſuorum loculos, reconditoſque theſauros expilaſſet; quem niſi Romani unà cum transfugis dederent, ſe bellum illaturos: Romanis vero id ſe facturos negantibus, Scythas Iſtro tranſmiſſo, oppidis caſtelliſque ad ripam poſitis multa damna attuliſſe, Viminacium, quæ Mœſorum civitas eſt, in Illyrico cepiſſe. Quum multi dictitarent debere epiſcopum hoſtibus tradi, ne unius hominis cauſa Romana Reſpublica belli incommoda ſuſtineret, ille ſui traditionem ſuſpicatus clam ſuis civibus ad hoſtes tranſiit, urbemque ſe traditurum ſpopondit, dummodo Scythiæ Reges liberaliter ſibi conſulerent. Illis beneficium nulla non ratione ſe repenſuros pollicentibus, dictaque ſacramento firmantibus, epiſcopus cum multa barbarorum turba ad Imperii fines veniens, hanc ex adverſo ripæ collocavit, ſtructiſque inſidiis, nocte ſigno dato exiliit, urbemque hoſtium poteſtatis fecit. Ex quo tempore res barbarorum in dies augeri cœperunt. »

IX. PROVINCIA DARDANIÆ.

I. ECCLESIA SCUPORUM METROPOLIS.

IN Notitia Hierodis Dardania Illyrici provincia tribus dumtaxat civitatibus conſtat, *Scupis Metropoli*, *Merione & Ulpiana*, Σκοῦποι μητρόπολις, Μερίων, Οὐλπιανά. In Peutingeri Tabulis & Ravennate anonymo, *Scupis* ſcribitur. Ptolemæo extrema in Mœſia ſuperiori Dardaniæ civitas eſt *Scupa*, Σκοῦπα. Bulgaris qui regiones illas occupaverunt ad Chriſti fidem converſis, *Scupi*, velut Cedrenus & Scilitzes habent, Bulgariæ metropolis cenſita eſt. Ad annum quippe 6548. Chriſti 1040. ubi de Bulgarici exercitus caſtrametationibus quibuſdam, aiunt Deleanum Bulgarorum ducem, ex Tranſiſtrana regione profectum, *per Naiſſum & Scupios metropolim Bulgariæ* tranſiiſſe, ἄραντες ἐκεῖθεν διά τε Ναϊσσοῦ καὶ τῶν Σκουπίων τῆς μητροπόλεως Βουλγαρίας : quando nimirum Achrida nondum regni illorum caput deſignata erat. Deinceps vero ea civitas Achridenſi archiepiſcopo ſubjecta fuit. Hodie *Scopia* & *Uſchup* Serviæ civitas eſt ad fluvium, olim Axium, nunc Vardar, Sophiâ octoginta millibus diſtans.

EPISCOPI SCUPORUM.

I. PAREGORIUS.

SARDICENSIS ad eccleſias epiſtolæ ſub- A
ſcripſit, *Paregorius à Dardania à Scupis*.

II. URSICINUS.

Leo Imp. accepta S. Proterii Alexandrini nece, ſacris litteris ſuis eam cunctis Imperii ſui metropolitis nuntiavit, adeoque *Urſicino reverentiſſimo epiſcopo Scupenſi*, cujus epiſtola B
ſynodica ad Imperatorem exſtat in collectione Epiphanii ſcholaſtici; verum in ejus inſcriptione & ſubſcriptione legitur *Urſilius*.

III. JOANNES.

To. 4. Concil. col. 1165. epiſtola habetur epiſcoporum Dardaniæ ad Gelaſium Papam, cui ſubſcripſit *Joannes epiſcopus ſacroſanctæ eccleſiæ Scopinæ metropolitanæ civitatis*. Subſcribunt etiam epiſcopi quinque ejuſdem provinciæ, ſed omiſſis civitatum nominibus.

IV. BENENATUS.

Act. 2. Quintæ ſynodi legitur Projectum Naiſſitanæ civitatis epiſcopum, quum miſſâ ſibi à Patribus legatione vocaretur, ut cum illis conveniret, reſpondiſſe id fieri non poſſe, quando *Benenatus* Scupenſis metropolita ſuus ibi præſens non erat.

II. ECCLESIA ULPIANI.

ULPIANUM Οὐλπιανὸν, Ptolemæo in Dardania Daciæ regione eſt, ut & Hierocli, cui Οὐλπιανὰ *Ulpiana*, voce plurali neutra ſcribitur. Hanc Juſtinianus Imperator, quippe quæ Juſtini patrui ſui Imperatoris patria fuit, inſtauravit, & Juſtinianam ſecundam appellavit, uti Procopius teſtatur lib. 4. de Ædif. c. 1. *Erat*, inquit, *apud Dardanos urbs antiqua, cujus mœnia quum ſic labaſcerent, ut nulli eſſent uſui, horum partem maximam demolitus, mox reſtituit, multiſque ornamentis collatis civitatem aptavit, qualem hodie videre eſt, & ſecundam Juſtinianam nuncupavit.*

EPISCOPI ULPIANI.

I. MACEDONIUS.

SARDICENSIS Concilii ad eccleſias epiſtolæ ſubſcripſit *Macedonius à Dardania de Ulpianis*.

Digitized by Google

ECCLESIA ULPIANI.

II. Paulus.

Vigilii Papæ de Tribus Capitulis conſtituto *Paulus* epiſcopus Ulpiani, qui tunc temporis Conſtantinop. venerat, ad hunc modum ſubſcriptus legitur, *Paulus humilis, gratia Dei, epiſcopus Ulpianenſis huic conſtituto, quod beatiſſimus Papa Vigilius in cauſa Trium Capitulorum protulit, ad omnia ſupraſcripta conſentiens ſubſcripſi.* Act. 2. Quintæ ſynodi generalis, epiſcopi ejuſdem provinciæ Dardaniæ tres, miſſa à Patribus trium epiſcoporum & totidem preſbyterorum legatione accerſiti ſunt, Sabinianus ſcilicet Zapparenſis, *Paulus ſecundæ Juſtinianæ*, & Projectus Naiſſitanus, qui ſibi fas non eſſe convenire dixerunt, Benenato metropolita ſuo abſente.

III. ECCLESIA APSORI.

Apsoros vel *Apsorus*, Ἄψωρος, Illyrici inſula eſt, quæ & Apſyrtis quoque dicta eſt, verſus Iſtriæ littus poſita, teſte Ptolemæo extremo libro 2. qui duas in ea civitates memorat *Apſorum & Crepſam*. Strabo Apſyrtides inſulas ait, αἱ Ἀψυρτίδες, & Pomp. Mela Apſorum ab Apſyrtide ſecernit, quæ tamen aut una fuit, aut certe exiguo intervallo diſſitæ erant, ut facilè confundi poſſent; nam Plinius inſulas illius tractus numerans, unam Abſyrtum indicat, perinde atque unam Abſorum Ptolemæus. Fuit etiam Abſarum civitas in Dalmatia, Salonitano metropolitæ obnoxia, necnon altera ejuſdem nominis in Colchide, quam Plinius lib. 6. centum & quadraginta millibus Trapezunte diſtare ait, cujus mentionem fecit Miſcellæ autor lib. 2.

EPISCOPI APSORI *vel* ABSARI.

I. Laurentius.

In ſeptimæ ſynodi actione IV. ſubſcriptus legitur *Laurentius epiſcopus Abſaretianorum*, Ἀψαρητιανῶν, qui initio VII. actionis dicitur *Apſitianorum*, Ἀψιτιανῶν, eccleſiæ præfuiſſe, & in ſubſcriptionibus *Apſartianorum*, Ἀψαρτιανῶν. Eumne in Dalmatia, an in Apſoro inſula, an denique in Colchide ſedem habuiſſe dicemus? Apud Nicephorum Calliſtum lib. 18. cap. 38. caſtrum *Apſith* reperio, ad quod caſtra habuerint Abares anno 20. Mauritii Imp. verùm ab illo ſcriptore oſcitantiùs lectum eſſe Theophanem, qui ducis Abarum Apſech nomine mentionem hoc ipſo anno fecit, cumque ducem pro caſtro quod nunquam fuit in rerum natura, acceptum eſſe vix dubito.

Præterea in ejuſdem ſynodi actis ſequitur *Urſus Avaritianorum eccleſiæ epiſcopus*, Οὖρσος ἐπίσκοπος ἐκκλησίας Ἀβαριτιανῶν, cujus nomen hominem Latini idiomatis indicat; qua de cauſa in aliqua regione Dalmatiæ vicina eccleſiam ejus ſitam fuiſſe non immerito fortaſſe dixeris; cæterum de eâ nihil in præſentia quidem ſtatuere poſſumus.

IV. ECCLESIA ZAPPARÆ.

Quæ fuerit in Dardania civitas *Zapparenſis*, vel *Zapharena* fruſtra quæſivi, ejus tamen mentio fit in actis quintæ ſynodi. *Zapparam* Commanvillanus Macedoniæ primæ attribuit, quo auctore, incertum eſt; at certe Dardania à Macedonia prima nimium diſtabat. Hodie vero *Sappata* Albaniæ urbs eſt, epiſcopi ſedes, ſub archiepiſcopo Antibarenſi; unde ſuſpicari liceret amanuenſium errore, pro *Sappatenſi* epiſcopo in actis V. ſynodi *Zapparenſem* ſcriptum fuiſſe, niſi Albania quoque à Dacia nimium diſſita eſſet.

EPISCOPI ZAPPARÆ.

I. Fabianus.

Conſtituto Vigilii Papæ *Fabianus Zapparenſis* ſubſcripſit ad hunc modum: *Fabianus, gratia Dei, epiſcopus Zapparenæ civitatis huic Conſtituto, quod beatiſſimus Papa Vigilius in cauſa Trium Capitulorum protulit, ad omnia ſupraſcripta conſentiens ſubſcripſi.* Conſtantinopoli nimirum aderat quando quintum Concilium generale coactum fuit, in cujus actis *Sabinianus* nominatur; nimirum act. 2. ubi fertur ad eum delegatum fuiſſe Anatolium Cymæ epiſcopum, Petrumque preſbyterum ac defenſorem magnæ eccleſiæ; quum eſſet in loco qui *Palæa* dicitur, in domo piiſſimi & tranquilliſſimi Imperatoris; *Ad Sabinianum*, inquam, *reverendiſſimum epiſcopum Zapparenæ civitatis*, Illyricianæ diœceſis, hortantes illum ut ad ſynodum veniret. Qui reſpondit ſe non poſſe illò venire, quod præſtò non eſſet archiepiſc. ſuus Benenatus.

Digitized by Google

V. ECCLESIA NAISSI.

NAiſus, Naſus vel Naïſſus, Ναϊσσός, Daciæ Mediterraneæ civitas eſt Hierocli, quæ Dardaniæ cenſetur Ptolemæo, necnon Ammiano Marcellino, apud quem lib. 28. cap. 8. *copioſum oppidum fuit*, quin & Conſtantini magni patria. *Niſi* vel *Nyſſa* hodie dicitur ad ejuſdem nominis fluvium ſita in Servia regione. Muros ejus ſic refecit Juſtinianus, ut ab hoſtibus expugnari non poſſent.

EPISCOPI NAISSI.

I. GAUDENTIUS.

EPiſtolæ ſynodi Sardicenſis ad Eccleſias A ſubſcripſit *Gaudentius à Dacia de Naïſſo.*

II. MARCIANUS.

Innocentii Papæ I. epiſtola 28. inſcribitur *Marciano epiſcopo Naxitano:* emendant omnes *Naïſſitano*. In eâ agitur de preſbyteris & diaconibus, quos Bonoſus Sardicenſis ordinaverat, ut ſi, relicto damnatoque errore ejus, vellent eccleſiæ copulari, ultro ſuſcipiantur. Ipſe proinde eſt Marcianus ille qui poſtremus epiſcoporum Macedoniæ & Illyrici nominatur in ejuſdem Innocentii epiſtola vigeſima-ſecunda.

III. EUSTATHIUS.

Inter epiſcopos qui Neſtorii cauſam adverſus ſynodum Epheſinam tutati ſunt, & Orientalium ſynodi ad eccleſiam Hierapolis Euphratenſis epiſtolæ ſubſcripſerunt, legitur *Euſtathius Neutinæ*. Sed ex c. 13. collectionis ex ſynodico Irenæi legendum *Neſſenæ* vel *Naïſenæ, Naïſſitanæ.*

IV. DALMATIUS.

Synodicæ epiſtolæ epiſcoporum Dardaniæ ad Leonem Auguſtum ſubſcripſit *Dalmatius epiſcopus Neutinæ ſive Naïſſinæ*, ut ſupra.

V. GAIANUS.

Jam diximus ex Marcellini comitis chronico, Indict. IX. Petro ſolo coſ. Anaſtaſium Imp. præcipuos Illyrici præſules catholicos, in quibus Domnio Sardicenſis, *Gaïanus Naïſſitanus*, Conſtantinopolim duci ſuiſque obtutibus præſentari voluiſſe, quorum aliquos Illyriciani militis catholici metu remiſit præter Laurentium Lychnidenſem, quem exilio multavit, necnon Alciſſum & Gaïanum qui apud Byzantium vita functi, uno B ſepulcro reconditi ſunt.

VI. PROJECTUS.

Vigilius Papa Conſtantinopoli agens conſtitutum dedit de Tribus famoſis Capitulis, cui ſubſcripſit *Projectus epiſcopus Nuſſitanæ, ſive Naïſſitanæ civitatis;* qui à quintæ ſynodi Patribus actione 2. accerſitus ut cum illis de iiſdem capitibus judicaturus conveniret, reſpondit ſibi fas non eſſe quidquam hac in cauſa præſtare ſine archiepiſcopi metropolitæ ſui vel præſentia, vel aſſenſu; quodque ad Benenatum archiepiſcopum ſuum accederet, & ad eum reſponderet.

VI. ECCLESIA SINGEDUNI.

URbs Mœſiæ ſuperioris *Singedunum* fuit, *Singidonus* Hierocli Σιγγίδονος, Græcis aliis poſterioris ævi Σιγγίδων, *Singedon*, urbs Antonino, variiſque ſcriptoribus notiſſima, quam incolæ hodie *Zenderow*, & *Zenderim* dicunt, quaſi *S. Andreæ* oppidum. Sed & *Sigedin* quoque vulgo nuncupatur, haud procul Sirmio diſtans. Ibi ſub Licinio martyres duo paſſi ſunt, in Iſtrum flumen merſi, ex Martyrologio Romano die 13. Januarii.

EPISCOPI SINGEDUNI.

I. URSATIUS.

SINGEDUNI epiſcopus fuit famoſus ille C *Urſatius Arianus*, qui cum Valente Murſenſi tot negotia S. Athanaſio Alexandrino, reique catholicæ Conſtantio Imp. faceſſivit, qui quum junior eſſet, epiſcopali dignitate auctus anno 335. ſynodo Tyri habitæ interfuit, in qua ab Euſebianis delegatus fuit in Mareotem Ægypti, ut illic cum epiſcopis aliis ejuſdem factionis de criminibus inquireret, quorum reus Athanaſius agebatur. Antiocheno ſubinde concilio adfuit, & ad Sardicenſe poſtmodum venit, unde ſtatim cum ſuis Arianis Philippopolim ſeceſſit, quum à legitima ſynodo communione interim, & ſacerdotio amoveretur. Quocirca ipſe, ejuſque ſocius Valens à Julio Romanæ urbis epiſcopo

Digitized by Google

ECCLESIA SINGEDUNI.

Romam petiti veniam popoſcerunt, quod innoxium Athanaſium condemnaſſent, meritoque illum Sardicenſis ſynodi ſententia abſolutum profeſſi ſunt. Quin hoc adjecerunt, ſe nunquam cum Orientalibus jungendos abſque nutu & licentia Julii. Nihilominus datam fidem confeſtim abjecerunt, & in conciliis Sirmienſi, Mediolanenſi, & Ariminenſi nihil non adverſus catholicam fidem egerunt, ex quo ſibi damnationem alteram accerſiverunt, in ſynodo præſertim Romana ſub Damaſo Pontifice, de qua S. Athanaſius A cum Alexandrina ſua ſynodo in epiſtola ad Africanos hæc habet: *Scripſimus dilecto Damaſo epiſcopo magnæ Romæ contra Auxentium invaſorem Mediolanenſis eccleſiæ....... Gratias habemus & illius pietati, & cæteris qui Romæ convenerunt*, ὅτι καὶ τοὺς περὶ Οὐρσάκιον καὶ Οὐάλεντα, καὶ τοὺς τὰ αὐτὰ αὐτοῖς φρονοῦντας ἐκβάλλοντες, ἐσώσαν τὴν ὁμοψυχίαν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, *quod Urſacio & Valente cum ſociis ejuſdem ſententiæ ejectis, catholicæ eccleſiæ concordiam ſervaverint.* Quid Urſacio poſthac factum ſit, in obſcuro eſt.

VII. ECCLESIA CASTORIÆ.

CASTORIA eadem omnino civitas eſt, quæ *Caſtoria Caſtra* Antonino in Itinerario, hodieque nomen ſervans, cujus ſitum Anna Comnena lib. 6. initio ſic deſcribit: *Caſtoriæ ſolum palus quædam eſt, in quam terra tractus excurrit in promontorii modum, quod in ſcopuloſos tumulos deſinit, ubi turres, & mediæ turres in Caſtri morem exſtructæ, unde Caſtoria nominatur*, nimirum ad Lychnidum lacum ſtat, Prilappo & Achridæ, Edeſſæ quoque Berrhϙææque Macedoniæ vicina. Cantacuzenus Botiææ urbem eſſe ait. Ejus epiſcopus Bulgaricæ diœceſis metropolita eſt ſub Achridenſi archiepiſcopo, cujus Protothronus eſt.

EPISCOPI CASTORIÆ.

I. JOASAPH.

ANno 1564. Joaſaph Conſtantinopolitanus Patriarcha in ſuæ diœceſis ſynodo exauctoratus fuit, lataeque in illum ſententiæ ſubſcripſit *Joaſaph Caſtoriæ metropolita, & Protothronus Bulgariæ*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Καστορίας Ἰωασάφ, καὶ πρωτόθρονος πάσης Βουλγαρίας, ἑκὼν καὶ ἰδίᾳ χειρὶ ὑπέγραψα. Hiſt. Turco-Gr. lib. 2. pag. 175.

II. HIEROTHEUS.

Ex Leone Allatio lib. 3. de Conſ. cap. 11. *Hierotheus archiepiſcopus*, ſive metropolita *Caſtoriæ*, ante ſæculi decimi-ſeptimi medium Romam venit, Apoſtolicæ ſedis communionem initurus.

B

III. DIONYSIUS.

Nupero ſæculo Caſtoriæ metropolita ſedebat *Dionyſius Mantucas*, ut fert in ſuo de noſtri ævi eruditis Græcis opuſculo Demetrius Procopius; Διονύσιος ὁ Μαντοῦκας μητροπολίτης Καστορίας, cujus patria Moſchopolis Macedoniæ fuit, vir Latinæ Græcæque linguæ peritus, Philoſophiæ quoque & Theologiæ, Evangelici eloquii præco, qui in Italia viros doctrina inſignes auſcultaverat.

VIII. ECCLESIA MELESOBÆ.

MELESOBAM Bulgariæ fuiſſe civitatem comperimus ex epiſtola 32. Theophylacti, quæ *Triaditzæ*, ſive *Sardicæ epiſcopo* inſcribitur; ubi vero ſita eſſet, nuſquam apud Byzantinos ſcriptores reperi. Exſtat tamen hodieque.

EPISCOPI MELESOBÆ.

I. * * *.

THEOPHYLACTUS epiſt. 32. Triaditzæ epiſcopum à cenſuris ſolvens quibus innodatus erat, litteras dedit Pelagoniæ, Strombitzæ & Meleſobæ epiſcopis, καὶ τὸν Μελεσόβης, qui abſolutionem pronuntiarent.

C

II. NICOLAUS.

Demetrius Chomatenus Bulgariæ archiepiſcopus reſponſione ad interrogationem ſecundam Conſtantini Cabaſilæ metropolitæ Dyrrhachii, qua ille quæſierat an Latinorum Azyma conſecrata ſancta eſſent, an profana, tractatum appellat Theophylacti Bulgariæ olim archiepiſcopi, *ad Nicolaum diaconum & Caſtrenſem, qui poſthac Meleſobæ epiſcopus fuit*, πρὸς Νικόλαον διάκονον καὶ Καστρήσιον, τὸν ὕστερον Μελεσόβης ἐπίσκοπον· quo nempe & illos arguebat qui cum Latinis communicarent, illoſque rurſum qui eorum ſacra rejicerent. Jur. Græco-Rom. lib. 5. pag. 318. Leo

Allatius lib. 2. de conſenſ. cap. 10. meminit voluminis de erroribus Latinorum, quod Nicolaus diaconus & Caſtrenſis, deinde Meleſobæ epiſcopus ſcripſerat.

IX. ECCLESIA MOGLENORUM.

MOGLENA, Μόγλενα, vel Μόγλαινα, voce neutra plurali, urbs Macedoniæ eſt Caſtoriæ vicina, cujus Anna Comnena lib. 5. Alex. pag. 136. & 137. & Cedrenus pag. 709. & 710. meminere. Sedes eſt epiſcopalis Achridenſi archiepiſcopo ſubjecta, vulgoque *Moclonta* dicitur, quam Sophianus à Bodena non diſtinguit, quum diverſæ prorſus civitates ſint.

EPISCOPI MOGLENORUM.

I. NIPHON.

ANDRONICO ſeniore Imp. & Andronico A juniore mutuò diſſidentibus, ſenior ineunte menſe Octobr. Indict. x. Gregorium Clidam Dicæophylacem & *Niphonem Moglænorum epiſcopum*, καὶ Νίφωνα τὸν ἐπίσκοπον Μογλαίνων, ad nepotem miſit, mandans illi ne Byzantium accederet; non enim ſe permiſſurum ut urbem ingrederetur, quando initum prius fœdus nihil junior curaverat; unaque legatis dedit querelarum capita quibus ei ſuccenſebat. Joan. Cantacuz. lib. 1. hiſt. cap. 44. 47.

II. THEODORETUS.

Nuper ſedebat *Theodoretus Moglenorum*, *Theodoreto di Moclonta.*

DIŒCESIS SERVIÆ.

PETCIUM METROPOLIS.

SERVIA, ſive *Serbia*, regio dicitur Daciæ ſuperioris, Mœſiæ pars & Dardaniæ, quam *Serbi* vel *Servi* à Tanaï fluvio profecti, trajecto Iſtro incoluerunt. Hæc quoque *Raſcia* appellatur à Raſca amne, etſi non valde nobili, quod per illam fluit. Feruntur illuc ex Jazygia Sarmatica migraſſe, quo tempore Michael Ducas Græcis imperabat. Hos Byzantinorum copiæ Iſtrum denuo trajicere compulerunt, poſt vero fortiores facti ſedes ibidem poſuerunt. Chriſtianos illos tunc fuiſſe conjicere licet, quando nulla monumenta fidem faciunt, veram illis religionem ſubſequutis temporibus annuntiatam fuiſſe. Ut vero ea gens ſuipte juris erat, nulli alieni generis principi parens; ita ſui quoque juris archiepiſcopum habere voluit à Conſtantinopolitani præſulis juriſdictione immunem. Cæterum ut Latini ritus principes vicinos ſuos ſibi conciliarent, Neamanias Jupanus illorum [quo vocabulo regem deſpotamve ſuum appellitabant] ſeſe Frederici Germanorum Imperatoris anno 1187. tutelæ commiſit, à quo per Illyricum in Palæſtinam pergente, bello laceſſitus erat. Huic conceſſit Imperator ut Rex Serviæ nuncuparetur. Ejus filius, qui Stephani nomen ſumpſit, Romanam eccleſiam admodum coluit, litteris ad Innocentium Papam III. ſcriptis, eum uti patrem ſalutans, ad quem viciſſim exſtant ejuſdem Pontificis reſponſa.

Rainaldus ad annum 1220. n. 37. litteras quoque refert Stephani regis totius Serviæ, Diocliæ, Tribuniæ, Dalmatiæ & Ohblumiæ quas quoque Honorio Papæ dedit, quibus ſe Romanæ eccleſiæ fidelem filium declaravit, miſſa inſuper legatione, quam Methodius gentis illius epiſcopus obivit. Quocirca Conſtantinopolitanus Patriarcha Latini ritus vices ſuas per univerſum Illyricum paulo-poſt delegavit Sabbæ ejuſdem Stephani filio, totius regni Serviæ archiepiſcopo : quo factum eſt, ut recuperata à Græcis Conſtantinopoli, Patriarcha quoque Græcanici ritus, ut Serviæ aliarumque illarum regionum eccleſiam à Romana averteret, Serviorum archiepiſcopo conceſſit, ut ſui deinceps juris, & αὐτοκέφαλος eſſet, quemadmodum & Bulgariæ archiepiſcopus Achridenſis. Verum ſæculi decimi-quarti initio, anno 1308. Serviæ Rex Vroſcus inito fœdere cum Carolo comite Valeſii Philippi Pulchri Franciæ Regis fratre, unionem ſuæ ditionis iterum cum Romana Eccleſia ſpopondit, datis Clementi Papæ V. litteris, quum ſibi timeret ob apparatum belli quod ipſi ab Andronico Palæologo Imp. imminebat. Sed promiſſis non ſtetit Serviorum princeps; quin & ſe Romanæ Eccleſiæ infenſum hoſtem præbuit. Eodem vero ſæculo medio, *Raſciæ*, ſive *Serviæ* rex Stephanus, admodum laboravit, ut ſui regni homines ad Romanæ Eccleſiæ unionem redirent, atque Innocentius Papa VI. *Joannicio* Patriarchæ Serviæ, hanc in rem epiſtolam ſcripſit per Bartholomæum Traguriensem & Petrum Pactenſem Apoſtolicæ ſedis legatos, quam Wadingus recitat in Annalibus Minorum, ad annum 1354.

Regni Serviæ caput metropoliſque fuit *Pec*, ſive *Pecium*, eadem, nî fallor, quæ *Peſſium* Ptolemæo, qui in eadem regione *Picentios* ſtatuit. Ejus itaque Præſul totius gentis archiepiſcopus ac Primas, Sabbas ille de quo mox dicebam, quum Stephanum fratrem regni corona redimiſſet, epiſcopos duodecim per ejus ditionem inſtituit, qui in monaſteriis morarentur. Primum Zalumæ in monaſterio Panagiæ. 2. in terra Diocletiæ in Eccleſia S. Michaëlis Archangeli. 3. Tembre in S. Nicolai. 4. Butumliæ in S. Georgii. 5. Baraſii in SS. Apoſtolorum. 6. Rhoſnæ in Panagiæ in Studenitza. 7. Prizreni in Panagiæ. 8. Ugracianitzæ in Panagiæ. 9. Utonitzæ in S. Nicolai. 10. Ubranitzebi in S. Nicolai. 11. Belegradi in Panagiæ. 12. Moraviæ in S. Achillei. Hæc narrat Doſitheus lib. 8. de Patriarchis Hieroſolymitanis cap. 13. Cum verò Illuſtriſſimus Chryſanthus ſcriberet, Pecii archiepiſcopo ſuberant; primo quidem eorum qui Turcici Imperii erant, Metropolitæ, Scopiorum, Priſrenæ, Urſicii, Stariblachæ ſive Raſcæ, Boſnæ Saragii, Beligradii, Timiſvarii, Baliſti. Archiepiſcopi Samocabii, Ceſtentilii, Nyſſæ, Sebetii, & epiſcopus Tzetinæ. Qui vero Germanici Imperii; Metropolitæ, Buntumii, & Carlowitzæ & Stremii: archiepiſcopus Batzinæ; epiſcopi Enobi & Junopolis, Giulæ & Lipobi, Pozieræ.

ARCHIEPISCOPI

ARCHIEPISCOPI PECII & SERVIÆ.

I. Theodorus.

II. Sabbas.

IN vita S. Sabbæ epiſcopi Serviæ, quæ edita eſt inter acta SS. à Joanne Bollando die 14. Januarii, num. 5. dicitur ille *Theodoro Serviæ epiſcopo* ſuffectus.

Sabbas Simeonis Stephani Raſciæ ſeu Serviæ filius, ab adoleſcentia aulicis turbis evitatis, monaſticam in monte Atho vitam egit, ſubindeque Conſtantinopoli in monaſterio Chilantario. Urgentiſſimis populorum Regiſque & magni Jupani fratrum ſuorum precibus B exoratus, Serviæ archiepiſcopus ſæculo decimo-tertio deſignatus fuit, & ab Arſenio Patriarcha Conſtantinopolitano, ſi ſua ſit Doſitheo Hieroſolymitano fides, ordinatus anno M. 6726. ſeu Chr. 1218. Poſt vero quum Romanæ ſedis communionis conſors factus eſſet, Latini generis Patriarcha qui Conſtantinopoli ſedebat, vices illi ſuas in complures Illyrici provincias commiſit, ut deinceps inſtar Patriarchæ haberetur. Nimirum non ita pridem chriſtiana utriuſque principis induſtria Concilium nationale Innocentii Papæ IV. nutu celebratum erat, in quo præſi- C dentibus Joanne ſedis Apoſtolicæ capellano & Simone ſubdiacono legatis, ſaluberrima ſtatuta condita erant pro reformatione Eccleſiarum Dalmatiæ, Serviæ & Diocliæ, quibus ſubſcripſerunt Joannes Diocliæ & Antibari archiepiſcopus cum Dominico archipreſbytero Antibarenſi, necnon epiſcopi, Petrus Scutari, Joannes Polatii, Petrus Drivaſti, Dominicus Suacii, Natalis Dulcinæ, Theodorus Serviæ, applaudente Wkſano rege & Venciano principe. Quocirca Sabbas D per omnem diœceſim ſuam nullas optimi paſtoris partes omiſit. Montis Atho interim monachos identidem inviſebat, ad quos tandem eccleſiæ ſuæ vinculis ſolutus ſe recipiens, in monaſterio Mileſceno intra avitas ditiones ſtructo meritis plenus ad cœlos evolavit die 14. Januarii anno 1250. Vitam ejus Tomcus Marnavitius ſcripſit.

III. Joannicius.

Joannes Cantacuzenus Imp. Byzantio ejectus, quum ad Triballorum ſeu Serviorum E Dynaſtam ſe recepiſſet, inito cum illo fœdere, oportuiſſe ait Triballorum archiepiſcopum adeſſe, *ἔδει ϗ τὸν ἀρχιεπίσκοπον τῶν Τριβαλλῶν παρεῖναι*, in cujus præſentia ab ambobus juraretur. Mox ille adfuit; cui ad medium atrii princeps obviam procedens, frenum equi quo ille vehebatur, apprehendens, ad locum quo deſcendere ſolebat, eum duxit. Hunc A deinde ſalutans, fauſta ab illo benedictione donatus eſt. Imperatorem extra exire archiepiſcopus non permiſit; quin etiam, pro Romanorum ſeu Byzantinorum conſuetudine intra ædes illi occurrens fauſta quoque apprecatus eſt. Hæc Cantacuzenus lib. 3. c. 45.

Illis temporibus Serviæ archiepiſcopus *Joannicius* ſedebat; quumque circa annum 1354. Stephanus rex admodum cuperet, ut ſui ſubditi Romanæ eccleſiæ communionem admitterent, Innocentius Papa VI. litteras ei dedit inſcriptas *Joannicio Patriarchæ Serviæ.*

IV. * * *.

Martino Papa V. Pontificatum gerente, Græcis conſilia de capeſſenda communione cum Latina eccleſia agitantibus, Joſeph Conſtantinopolitanus Patriarcha è re ipſorum eſſe putabat, concilium in occiduis quidem partibus cogi, ſed in vicina, Illyrici ſcilicet, regione, ad quod adventare faciliùs poſſent epiſcopi cum marſupiis confertis, quibus ipſummet Imperatoris ærarium augeri poſſet. Multas ſiquidem pecunias allaturum Photium Ruſſiæ metropolitam; multas Catholicum archiepiſcopum Iberiæ, *Pecii præſulem* ad minimum viginti millia Aſprorum, *ἐλδώσεται ϗ ὁ Πεκίου, ϗ λήψεται ἐξ ἐκείνου ἀσπρεσὶ κ΄.*

Ex Syropulo hiſtor. Concil. Flor. ſect. 2. cap. 18.

V. Macarius.

Anno 1564. exauctorationi Joaſaph Conſtantinopoli adfuit epiſcopus Rhendinæ Damaſcenus, *ἔχων ϗ τὴν γνώμην τοῦ Σερβίων*, *ſententiam quoque ferens pro archiepiſcopo Serviorum.* Huic *Macario* nomen erat, ut fertur epiſtola ejuſdem Joaſaph Patriarchæ ad Theodoſium magnæ eccleſiæ rhetorem & notarium, quam illo anno ante deſtitutionem ſuam ſcribebat, in qua illius meminit tamquam archiepiſcopi ſui juris, & *ἀξιοκεφάλους· ϗ τοὺς μακαρίους ἀρχιεπισκόπους, τόν τε Ἀχριδῶν κύριον Σωφρόνιον, ϗ τὸν Πεκίου κύριον Μακάριον*, *& beatos archiepiſcopos, Achridenſem D. Sophronium, & Pecienſem D. Macarium*, ad quorum judicium à ſententia qua ad ordinem erat redactus, Joaſaph provocabat, ceu quæ injuſta eſſet ac non ex præſcripto canonum, lib. 4. Turco-Gr. pag. 290.

VI. Gabriel. Maximus *intruſus.*

Poſt ſæculi nuperi medium ſedebat *Gabriël* archiepiſcopus Serviæ, quo in Moſchoviam profecto, ſedem *Maximus* quidam arripuit, qui illum perduellionis reum egit apud Turcici Sultani Vezirum. Quocirca Veziri ſententia *Gabriël* Pruſæ laqueo occiſus eſt, poſt-

Digitized by Google

quam fruſtra tentatus erat ut Chriſti fidem ejuraret.

VII. ATHANASIUS.

VIII. CALLINICUS.

IX. MOYSES.

Illuſtriſſimus Hieroſolymorum Patriarcha Chryſanthus in libro *de Officiis Eccleſiæ*, pag. 88. ubi de Pecii archiepiſcopo accuratiſſime pro more ſcribit, qui metropolitæ, A qui archiepiſcopi, qui demum epiſcopi archiepiſcopo Pecii ſubeſſent, qui Germanici imperii, qui Turcici, à ſe aliquando interrogatos eſſe ait, *Moyſen Pecii archiepiſcopum*, ejuſque deceſſores *Athanaſium* & *Callinicum*, περὶ τούτου ἐξετάσαντές τόν τε νῦν πρόεδρον ταύτης τῆς ἀρχιεπισκοπῆς Πεκίου τὸν κῦρ Μωϋσῆν, καὶ τοὺς πρὸ αὐτοῦ Ἀθανάσιον, καὶ κῦρ Καλλίνικον. Hæc ſcribebat doctiſſimus Patriarcha anno 1717. à quo poſthac didici *Moyſen* in vivis adhuc ſuperſtitem fuiſſe anno 1721.

I. ECCLESIA SISANII.

EPISCOPATUS omnium primus ſub Achridenſi archiepiſcopo eſt Siſanienſis.

EPISCOPI SISANII.

I. * * *.

STEPHANUS Gerlachius Germanus Conſtantinopoli agens anno 1576. ab epiſcopis B quos inviſebat obtinuit, ut nomina ſua in chartis exarata ſibi traderent, quorum unus fuit *epiſcopus Siſanii*, ὁ ἐπίσκοπος Σισανίου. ζπς. Turco-Græciæ lib. 7. pag. 507.

II. ECCLESIA GREBENI.

BULGARICÆ diœceſis epiſcopatus fuit *Grebenus*, vel *Grebenum*.

EPISCOPI GREBENI.

I. JOANNES.

DOSITHEUS Hieroſolymitanus, lib. 3. *de Patriarchis Hieroſolymitanis*, cap. 2. §. 4. ex Acropolita Logotheta refert à Leone Bulgariæ archiepiſcopo *Joannem* Κοψόχειρον *Copſocheirum*, (Græca vox *manu truncatum* C ſignificat) qui diaconus eſſet, uno ſabbato preſbyterum eſſe ordinatum, & inſequenti dominica die epiſcopum Grebeni: Λογοθέτης ὁ Ἀκροπολίτης λέγει, ὅτι εἰς μίαν ἑβδομάδα ὁ Βουλγαρίας Λέων τὸν κοψόχειρον Ἰωάννην διάκονον ὄντα, τῷ σαββάτῳ ἐχειροτόνησεν ἱερέα, καὶ τῇ ἑξῆς κυριακῇ ἐπίσκοπον Γρεβενοῦ.

III. ECCLESIA BOSNIÆ.

FUIT olim pars Illyrici, quæ nunc dicitur Boſnia, contermina Serviæ atque Dalmatiæ; ſic dicta, inquiunt, à flumine cognomine per eam labente. Fuit quoque pars regni Hungariæ; atque in regnum ſubinde evecta reges proprios habuit. Nunc à quibuſdam ſæculis tota paret Turcis. Epiſcopum habet Latini ritus Coloczenſi archiepiſcopo ſubditum. Nulla ejus mentio in Notitiis.

EPISCOPI BOSNIÆ.

I. * * *.

GENNADIUS Conſtantinopolitanus, qui Georgius Scholarius olim, epiſtola ad Maxi- D mum monachum, *Boſniæ epiſcopum* admodum laudat, qui multos Latini ritus homines ad Græcam eccleſiam adduceret.

IV. ECCLESIA FOGARÆ.

FOGARAS caſtrum eſt & munimentum Tranſylvaniæ, non longè diſtans ab urbe quam Stephanopolim dixere Græci, Coronam alii; vulgò *Cronſtad*.

Digitized by Google

EPISCOPI FOGARÆ.

I. JOANNES.

ANno 1730. die 11. Septembris in Conſiſtorio Romano à Cardinale Cienfuegos A propoſitus eſt *Joannes Innocentius* ad epiſcopatum Græci ritus Fogaræ in Tranſylvania. Ex publicis nuntiis Pariſienſibus, ad prædictum diem.

V. ECCLESIA ISCHANII.

CONSTANTINOPOLITANÆ diœceſeos epiſcopatus eſt *Iſchanium*. Ubi vero gentium exſtet, & ad quam metropolim pertineat, hactenus fruſtra quæſivi.

EPISCOPI ISCHANII.

I. JOASAPH.

EX Martino Cruſio Turco-Gr. lib. 7. p. 506. *Joaſaph* Iſchanii Stephano Gerlachio Germano nomen ſuum honoris gratia in charta ſcripſit anno 1574. ὁ Ἰσχανίου Ἰωάσαφ.

II. MAXIMUS.

Lib. 3. Turco-Gr. p. 270. epiſtola affertur *Maximi* protoſyncelli, Theodoſio Zygomalæ magnæ eccleſiæ protonotario data, qua C gratias agit, quod apud ſanctiſſimum Deſpotam & Dominum Patriarcham egerit, ut ipſum Iſchanii pontificem deſignaret, ὅπως.... ἐὰν βουλήσειεν αὐτὸν ἕνεκεν τῆς ἡμετέρας εὐτελείας τοῦ χειροτονῆσαί με ἀρχιερέα Ἰσχανίου. Scripta epiſtola eſt Joanninis die 9. Decembr. anno B 1575. Quocirca Maximus hic Iſchanii mihi idem ille eſt, qui ſynodo adfuit, quam Hieremias II. Patriarcha coegit ad abolendam ſimoniam. Atqui ſynodus illa metropolitis conſtabat, inter quos poſt Laziceniem Iſchanienſis memoratur, καὶ τοῦ Ἰσχανίου. ibid. lib. 2. p. 179.

III. * * *.

Lib. 4. Turco-Gr. p. 282. litteræ exſtant Metrophanis Patriarchæ, qui Cæſareæ archiepiſcopus fuerat, quibus Joannem Paulio-tam Theodoſii Zygomalæ magnæ eccleſiæ protonotarii ſororis filium tabularium inſtituebat. Datæ ſunt anno Chriſti 1579. Iis ſubſcriptus legitur cum aliis *epiſcopus Iſchanii*, ὁ Ἰσχανίου.

VI. ECCLESIA NEUROCOPI.

NEUROCOPUS diœceſis Conſtantinopolitanæ civitas eſt, cujus epiſcopus inter metropolitas cenſetur.

EPISCOPI NEUROCOPI.

STEPHANO Gerlachio Germano nomen ſuum honoris gratia in charta ſcriptum dedit *Joaſaph* metropolita Neurocopi, ὁ μητροπ. Νευροκόπου Ἰωάσαφ. Turco-Gr. lib. 7. p. 507.

VII. ECCLESIA MELANGIORUM.

MELANGA locus circa Conſtantinopolim eſt Glycæ, ſed eſt & Melangia Μελάγγεια Arcadiæ oppidum Pauſaniæ, in Peloponneſo, cujus tamen nuſquam eſt in Notitiis aut Geographis veteribus mentio, etſi Melangiorum epiſcopus apud Pachymerem occurrit.

EPISCOPI MELANGIORUM.

I. CONSTANTINUS.

GEORGIUS Pachymeres in Michaële Palæologo lib. 2. cap. 8. narrat epiſcopos ægrè tandem aſſenſos eſſe, ut Michaël Im- D perator ſolus Auguſto puero prætermiſſo coronaretur, & *Conſtantinum* Melangiorum admodum contuliſſe, ut Scodrenſis metropolita ad aliorum ſententiam accederet, καὶ τοῦ Μελαγγίων Κωνσταντίνου.

Digitized by Google

VIII. # ECCLESIA PHLIUNTIS.


PHLIUS oppidum eſt Peloponneſi in Sicyoniâ, Ptolemæo Φλιοῦς; Straboni jacet in medio Sicyoniæ, Cleonarum & Stymphali circulo incluſa. Sequiori ætate vetus nomen paululum immutavit, & dicta eſt *Staphlica*, Σταφλικὰ, quaſi εἰς τὰ Φλικά. Nulla ejus in Notitiis eccleſiaſticis mentio, nec apud Hieroclem; vetus tamen quoddam monumentum, quod in columna marmorea albi coloris repertum eſt in eccleſia S. Sophiæ, à Græcis παλαιοεπισκοπὴ dicta, probare videtur ſedem fuiſſe epiſcopalem, Corinthi forſan metropolitæ ſubditam. Hæc in ea columna ad verbum inſcripta reperta ſunt ab illuſtriſſimo abbate Michaële Fourmont, è Regia Bonarum Litterarum Academia, quo tempore Peloponneſum veteres inſcriptiones eruendi cauſa perluſtrabat.

ΕΠΙΣΚΟΠΟΙ.	*EPISCOPI.*
Ιωαννης Δ	JOANNES. IV.
Φιλιππος Η	PHILIPPUS. VIII.
Ιωαννης ο Αθηναιος ΛΑ	JOANNES *Athenienſis*. XXXI.
Δημητριος ΚΒ	DEMETRIUS. XXII.
Δημητριος ο Τρικαρανιδης ΚΓ	DEMETRIUS *Tricaraneus*. XXIII.
Δημητριος ο Σπαρτιατης Α	DEMETRIUS *Lacedæmonius*. I.
Βασιλειος ο Καλανδρωδης Ζ	BASILIUS *Calandrenſis*. VII.
Βασιλειος ο Βερβινος Β	BASILIUS *Berbinæus*. II.
Παναγιος ο Λαβραιος ΚΖ	PANAGIUS *Lavræus*. XXVII.
Πετρος ο Καρβατης ΜΒ	PETRUS *Carbatæus*. XLII.
Ιωαννης ο Καρυαιος ΙΑ	JOANNES *Carvæus*. XI.
Ιωαννης ο Τανιδης ΙΒ	JOANNES *Tanienſis*. XII.
Ρομπερτος Γ	ROBERTUS. III.
Παυλος Δοξας ο Ξυλοκαστριωτης ΙΔ	PAULUS DOXAS *Xylocaſtrenſis*. XIV.
Παρθενιος ο Βασιλειωτης Ε	PARTHENIUS *Baſileotes*. V.
Πετρος ο Τριξενιωτης ΙΕ	PETRUS *Trixeniotes*. XV.

Quæ quidem epiſcoporum nomina, cum pontificatus annorum numero præter omnem ſuſpicionem ideo videri debent, quod ſingula non eodem tempore, ſed diverſo prorſus & diverſa manu columnæ inſerta ſint, ut probant diverſi caracteres quibus inſcribuntur. Unde mirari ſubit, quî factum fuerit, ut vel de ipſa ſede, vel de iis qui hanc tenuerunt epiſcopis, nihil alibi reperiatur.

Inter epiſcopos Græcos, qui nomen ſuum in charta Stephano Gerlachio Germano ſcripſere, legitur apud Cruſium Procopius epiſcopus *Mezarum* vel *Mezorum*, ὁ Μεζῶν Πεσκόπος; ſed potius legendum puto, ὁ Μιτρῶν *Metrorum*, de quo in provincia Europæ.

Digitized by Google



Digitized by Google



DE PATRIARCHATU ALEXANDRINO.

Alexandria Ægypti caput, Romanæ ditionis provincia.

I. **D**E ſecunda pridem Eccleſiæ Chriſtianæ ſede, ejuſque diœceſi dicturo mihi, de urbe Alexandria ejus metropoli & Ægypto pauca prælibare incumbit. Alexandria ab Alexandro conditore ſuo nomen habuit, ad quam exſtruendam loci ſitus, aëriſque temperies excitarunt. Hanc accurate ſatis deſcribunt Strabo lib. 17. nec non Ammianus Marcellinus lib. 22. c. 16. In Octaviani Auguſti poteſtatem cum tota ſimul Ægypto venit, victo ad Actium, fugatoque Antonio cum Cleopatra, poſtrema de genere Ptolemæorum, Ægypti regina. Tum B proinde Ægyptus Romani Imperii provincia facta eſt, cujus præfectus, ut pote qui Auguſtorum, Imperatorumve, non Romani Senatus nomine eam curaret, *Auguſtalis* vulgo audiebat. Qui de equeſtri dumtaxat ordine, non de ſenatorio, aſſumptus primum fuit, uti bene monet Dio Caſſius lib. 51. *Quum enim Auguſtus*, ait, *ad animum revocaſſet, quantam Ægyptus in urbibus & pagis aleret populi multitudinem, quamque inſtabiles incolarum animi eſſent, & quomodo Italiam frumento aleret, opibuſque polleret, non modo ex ſena-* C *torio ordine neminem præfecit, ſed ne morari quidem in ea paſſus eſt, niſi impetrata venia*, πρός τε γὰρ τὸ πολύανδρον καὶ τῶν πόλεων, καὶ τῆς χώρας, καὶ πρὸς τὸ ῥᾴδιον τό τε κοῦφον τῶν τρόπων αὐτῶν τήν τε σιτοπομπείαν, καὶ τὰ χρήματα, οὐδενὶ βουλευτῇ, οὐχ ὅπως ἐγχειρίσαι αὐτὴν ἐτόλμησεν, ἀλλ' οὐδὲ ἐνεπιδημεῖν αὐτῇ ἐξουσίαν. ἔδωκεν, ἂν μὴ ἐκεῖ αὐτὸς ὀνομαστὶ συγχωρήσῃ. Quod idem teſtatur Tacitus lib. 2. Annalium c. 9. Hinc fiebat, ut Auguſtalis ille provinciarum præſidibus non anteiret. Sed & quum Septimius Severus ſenatorem Ægypto tandem, D eodem Dione teſte ibid. præfeciſſet, in Conſtantiniana tamen Imperii diviſione Ægyptus nonniſi tertio loco numeratur, poſt Aſianam proconſularem, & Orientis diœceſim, cujus caput erat Antiochia. Atqui inſtitutum ab A Auguſto Ægypti regimen Strabo refert eo quem mox appellabam loco; illud autem hic recitare opus eſſe non puto, ſed mihi potius de varia Ægyptiacæ diœceſis partitione dicendum.

II. Ammianus Marcellinus lib. 22. c. 16. *Tres*, inquit, *provincias Ægyptus fertur habuiſſe temporibus priſcis, Ægyptum ipſam, & Thebaïdem, & Libyam: quibus duas adjecit poſteritas, ab Ægypto Auguſtamnicam, & Pentapolin à Libya ſicciore diſparatam.* Quæ quidem diſpoſitio provinciarum Ægypti Auguſto Cæſare recentior fuit, quum illius tempore & antehac tres potiores provinciæ, quas Ammianus primo loco memoravit, Ægyptus, Thebaïs & Libya, in triginta-tres præfecturas, quas *Nomos* vocitabant, diſtributæ eſſent. Poſt Marcellini ætatem, alia iterum facta eſt Ægyptiacæ quam vocabant diœceſis diviſio, ut ſubinde novem numeratæ ſint provinciæ; nempè Ægyptus prima, Auguſtamnica prima, Auguſtamnica ſecunda, Ægyptus ſecunda, Arcadia, Thebaïs inferior, Thebaïs ſuperior, Libya inferior, & Libya demum ſuperior. Quin Hierocles Synecdemi auctor, qui Ammiano Marcellino ſuppar at poſterior fuit, ſecundam Ægyptum à prima non diſcrevit, unicamque provinciam, quæ Ægyptus appellaretur, in ſua Notitia recenſuit.

Diviſiones Ægyptiacæ diœceſis variæ.

III. Quod Libyam attinet, quæ Cyrenaïca appellabatur, anno circiter ab Urbe condita DCLX. ſeu ante Chriſti natalem 94. Ptolemæus Ptolemæi Phyſconis, aliàs Evergetæ II. regis Ægypti tertius filius, cui cognomen Appioni fuit, Cyrenæ Rex è vita excedens, populum Romanum regni ſui hæredem teſtamento conſtituit, cujus civitates populus Romanus liberas eſſe juſſit. Atqui Cyrenaïca Africæ & Libyæ regio erat, Ægypto affinis, quam Auguſtus in provinciam redactam, Cretæ Inſulæ adminiſtrationi

Non idem olim Libyæ, qui Ægypti præfectus Romanus.

Digitized by Google

adjecit, Strabone & Dione locupletiſſimis A teſtibus. Unde Cyrenæ præſes Ægypti præfecto nequaquam erat obnoxius. Id quod nobis apprime notandum eſt, de eccleſiaſtico Alexandriæ diœceſis regimine dicturis. A

Idem ſub Conſtantino.

Conſtantino magno, nova illa quam ex Ammiano retuli, provinciarum Ægypti partitione facta, Auguſtali Ægypti utraque Libya, adeoque Cyrenaïca addita fuit. Subjecti namque illi fuere duces ambo Ægypti & Thebaïdis, & ex conſequenti præſides quinque, Libyæ ſuperioris, ſive Cyrenaïcæ, Libyæ inferioris, Ægypti & Arcadiæ, nec B non Auguſtamnicæ primæ corrector & Auguſtamnicæ ſecundæ præſes. Hanc diſpoſitionem Hierocles exhibet in ſua Orientalis Imperii Notitia. Atque hæc erat diœceſis Ægyptiacæ regiminis politici ratio.

Initia Fidei in Ægypto.

IV. Religionem Chriſtianam ab ipſis ejus primordiis in Ægyptum, atque Alexandriam fuiſſe illatam pro certo habeo propter ejus cum Palæſtina, ſeu Judæa affinitatem; quando inprimis Ægyptus inferior Judæis abundabat. Plane ipſa ſacratiſſimæ Pentecoſtes ſolennitate, qua Spiritus ſanctus in Apo- C ſtolos illapſus eſt, Chriſto nomen Hieroſolymis dederunt Judæi de Ægypto & Cyrenaïca, quos S. Lucas Act. 2. v. 9. & ſeqq. diſerte ſic teſtatos prodit: *Habitantes Meſopotamiam, Judæam.... Pamphyliam, Ægyptum & partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenem...., audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.* Cap. 8. Eunuchi Candacis reginæ Æthiopum, illorum utique quos Nubienſes appellarunt, aut qui fuerunt Nubienſibus vicini, per Ægyptum in patriam revertentis converſio & baptiſmus narrantur. Num in D regionem ultra Ægyptum poſitam, Ægypto conterminam, Fidei veritas, Ægypto prorſus omiſſâ, illata erit?

Chriſtiana religio in Cyrenen primitus invecta.

V. De Cyrenaïca vero, Cyrenenſis erat bonus ille Simon, qui coactus à militum cohorte fuit, uti crucem geſtaret Chriſti, quando illum ea morte plectendum ducebant; ſed & illum Alexandri & Rufi virorum utique, qui Chriſto nomen ſubinde dederunt, & fidelibus ſua ætate erant notiſſimi, patrem fuiſſe Marcus ipſe Evangeliſta declaravit, quum Romæ Domini geſta deſcriberet. E Quo etiam tempore Cornelius Centurio baptizatus à Petro fuit, viri Cyprii & Cyrenæi Antiochiam venerunt, qui Gentilibus Chriſti Fidem prædicare non dubitarunt. Quod Lucas iterum perhibet Act. cap. 11. v. 20. Rurſum cap. 13. v. 1. inter Prophetas & doctores qui Antiochiæ à Spiritu ſancto juſſi ſunt Paulo & Barnabæ ad Apoſtolatus officium manus imponere, Lucium memorat Cyrenenſem. Ita-ne vero illi averſo à patria ſua Cyrene animo fuiſſe putandi ſunt, quum regiones alias divina Fide locupletare ſatagerent, hanc gentilibus ſuis ut inferre minimè curaverint? At certe ſuos primis illis temporibus Chriſtianos habuit Cyrene; quin habuit quoque Alexandria, at numero pauciores, quique propter Alexandrinæ plebis erga Judæos, quam Philo Joſephuſque deſcribunt, inſaniam aliiſve de cauſis extra urbem in deſertioribus locis habitare ſatius duxerint, quò vitæ cœleſtis contemplationi facilius vacarent. Nec contemnenda forſan ea traditio eſt, qua fertur Simonem Apoſtolum Evangelium in Ægypto prius prædicaſſe, quàm ad alias gentes edocendas pergeret. Quidquid id eſt,

Aſcetica vitæ in Ægypto præludia.

VI. Extra Alexandriam, ad Nili partem Libycam ſive occidentale littus erat mons Nitriæ & Nitriotes Nomus, ſeu præfectura; in quo monte *Therapeutarum*, Θεραπευτῶν illorum, de quibus Philo Judæus in libro *de vita contemplativa* ſcripſit, domicilium fuit. Atqui Therapeutas illos fuiſſe Chriſtianos affirmat Euſebius lib. 2. hiſt. eccl. cap. 17. & ſubinde Hieronymus. Id quod monachorum Nitriæ certa traditione conſtare teſtantur Epiphanius, Palladius, Rufinus, Sozomenus, & Joannes Caſſianus, quorum teſtimonia viri noſtro ævo doctiſſimi adverſus moroſiores aliquot criticos graviſſimis rationum & auctoritatum momentis vindicarunt, inprimiſque eruditiſſimus & de re litteraria multiplici nomine bene meritus, D. Bernardus de Montfaucon, cujus de hoc argumento lucubrationes adiri debent. Profecto adverſus ſanctorum hominum, nec imperitorum prorſus, qui Nitriæ montem coluerunt repetita teſtimonia, traditionemque, quæ trecentos annos vix ſuperabat, præfractè exſurgere audacioris potiùs cenſoris fuerit, quam ſagacis, cordatique, & veritatis ſtudioſi. Eſto Marcus evangeliſta Alexandrinam eccleſiam ſeriùs ab apoſtolo Petro miſſus inſtituerit, ejuſque pontifex primus exſtiterit, num idcircò jure concludatur, nullos ante ejus adventum illic verſatos eſſe chriſtianos? Numquid non Antiochiæ copioſa chriſtianorum ſocietas erat, quando Apoſtolorum vertex Petrus, urbis hujus fidelium curam in ſe primus recepit? Numquid non item Romæ, quando Romanus Pontifex primus eſſe voluit? Paulus dudum poſt conditam Epheſi eccleſiam Timotheum ei tandem epiſcopum primum dedit. Sic certè pauci illi qui Alexandriæ, ejuſve in vicino Nomo agebant chriſtiani fideles, Marcum ſubinde evangeliſtam, aucto per ipſum fratrum ea in urbe numero, epiſcopum primum habere cœperunt.

Digitized by Google

Sententiæ variæ de S. Marci Alexandriam adventu.

VII. Alexandrina eccleſia, quæ cæterarum Ægypti caput & metropolis fuit, paſtorem primum atque inſtitutorem habuit ſanctiſſimum evangeliſtam Marcum, quem Petrus apoſtolus illuc hanc in rem delegavit. Ejus tamen in Ægyptum adventus annus alius atque alius, ab aliis & aliis auctoribus aſſignatur. Chronicon quod Paſchale vocant, & Alexandrinum, ut pote quod à Petro quodam Alexandrino Patriarcha videtur adornatum, Marcum in Ægyptum veniſſe fert anno Chriſti 40. ſeu tertio Caii Cæſaris Caligulæ, cui doctiſſimus Tillemontius ſuffragatur: Eutychius Alexandrinus alter Patriarcha, anno 49. Claudii Auguſti 8. Orientale Chronicon Arabicum, quod Abrahamus Ecchellenſis Latinè edidit, ſeptimo Neronis anno, Chriſti 60. quum ab anno 40. in Lybia Pentapoli, ſive Cyrenaïca prædicaſſet: Severus epiſcopus Aſchumin è Cophtitarum ſecta, non indoctus rerum Ægyptiacæ eccleſiæ ſcriptor, anno ab Aſcenſione Domini 32. Hieronymus vero in ſua Euſebiani Chronici tranſlatione Marcum circa annum 42. vel 43. (pro alia atque alia Chronici hujus editione, Pontaci vel Scaligeri) Alexandriæ prædicare cœpiſſe ſcripſit, quem in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum *octavo Neronis anno, Chriſti proinde 61. mortuum & ſepultum Alexandriæ aſſeruit.* Quod ſi ita eſt, Evangeliſtam ex Ægypto Romam ad Petrum Apoſtolum perrexiſſe oportet, unde poſtquam Evangelium Romanis fidelibus exigentibus, ediderat, Alexandriam redierit. Romæ ſiquidem, cum illic Petri interpretem ageret, Evangelium ab eo ſcriptum eſſe, eumque ſubinde Ægyptum petiiſſe Euſebius Cæſarienſis lib. 2. Hiſt. eccl. c. 15. & 16. rurſumque Hieronymus eo quem mox appellabam loco, ex veterum, Papiæ ſcilicet Hierapolitani & Clementis Alexandrini, monumentis perhibet. Quidni cum Arabico illo Annaliſta dicamus ſanctum Evangeliſtam circa Domini annum 40. in Cyrenaïca prædicaſſe, Alexandriam vero ſexageſimo circiter anno Roma veniſſe!

Marcus primus Alexandrinæ eccleſiæ inſtitutor & fundator.

VIII. Cæterum omiſſa hac adventus S. Marci obſcuritate, hoc unum ſtatui poſſit, Alexandrinam eccleſiam jure hactenus ab eo fundatam & inſtitutam ferri; quatenus licet ab aliis ſeu Chriſti ipſius, ſeu Apoſtolorum diſcipulis, ſalutaris doctrina invecta illò olim jam fuiſſet, ipſe tamen fideles qui illic agebant, quoſque docuerat, in unam eccleſiam proprie coëgerit, primus eorum factus paſtor & epiſcopus. Plane licet Paulus in Aſia prædicans Epheſinam eccleſiam, biennio illic commoratus condiderit, quin Timotheum diſcipulum ſuum ei præfecerit; nihilominus A Joannes Apoſtolus, qui Epheſum ſubinde appulit, hanc & cæteras Aſiæ eccleſias fundaſſe, rexiſſeque à veteribus paſſim cenſetur.

Petri apoſtoli partes in Alexandrina eccleſia condenda.

IX. Omnium porrò à primis retro ſæculis hæc una ſententia eſt, Marcum magiſtri ſui Petri nutu, juſſuque Chriſti religionem Ægyptiis tradidiſſe. Sunt qui Petrum ipſum epiſtola ſua priore cap. 5. v. 13. ſignificare aſſerant, ſe in Ægyptum profectum eccleſiamque Babylone in illa regione conflaſſe, ubi ait: *Salutat vos eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus*; ac ſi ex hac urbe epiſtolam ad Ponti & Aſiæ eccleſias B ſcripſerit. Quorum ſententiam admittere nequeo, uti potius Romam Babylonem ab eo vocari dicam. Sentiunt alii, Apoſtolorum principem, uti Romanæ, ita & Antiochenæ & Alexandrinæ potiorum trium orbis eccleſiarum proprie fundatorem habendum, ut tres illæ ſedes unius Petri vere ſint dicendæ.

Scriptorum hac de re teſtimonia.

X. Plane in Bethleemitica, ſeu Hieroſolymitana ſynodo, quæ nupero ſæculo ob Calvinianos errores anno 1672. celebrata eſt, col. 242. editionis poſterioris Conciliorum Pariſienſis, Joannis Damaſceni quarta ad C Africanos epiſtola, quam hactenus non vidi, ferri dicitur, *univerſam eccleſiam epiſcopis generatim fuiſſe commiſſam, neminemque non confiteri, Clementem primum Romæ epiſcopum, Evodium Antiochenæ, & Marcum Alexandriæ, Petri fuiſſe ſucceſſores.* Καὶ Κλήμης πρῶτος Ῥωμαίων ἐπίσκοπος, καὶ Εὔοδιος ἐν Ἀντιοχείᾳ, καὶ Μάρκος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Πέτρου διάδοχοι ὁμολογοῦνται. Theodorus Balſamon initio Meditati ſui prioris, *de Patriarcharum privilegiis* diſputans, Evodium Antiochiæ à Petro præſulem ante cæteros patriarchalium ſedium antiſtites D ordinatum ait, ac paulo poſt Marcum Alexandrinæ eccleſiæ datum ab eodem epiſcopum. Rem vero omnem cunctis luculentius Gregorius Magnus Papa declarat, epiſt. 40. lib. 7. Regeſti indict. XV. Eulogio Alexandrino ſcribens. *Quum multi ſint Apoſtoli*, inquit, *pro ipſo tamen principatu, ſola principis Apoſtolorum ſedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius eſt. Ipſe enim ſublimavit ſedem, in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decoravit ſedem in quam Evangeliſtam diſcipulum miſit. Ipſe* E *firmavit ſedem, in qua decem annis, quamvis diſceſſurus, ſedit. Quum ergo unius atque una ſit ſedes, cui ex auctoritate divina tres nunc epiſcopi præſident, quidquid ego de vobis audio, hoc mihi imputo.* Quibus verbis modeſtiſſimus atque ſanctiſſimus Pontifex Alexandrinæ eccleſiæ dignitatem extollit, quam vix Romana inferiorem cenſeat, ſed unum veluti Triumviratum adſtruit, quo catholicus orbis regatur, Romano ſcilicet, Alexandrino

Digitized by Google

& Antiocheno epiſcopis conſtantem, quem ab ipſomet Apoſtolorum principe Petro inſtitutum agnoſcat. Theodoretus epiſtola 83. quam Dioſcoro Alexandrino ſcribebat, illius ſedem appellabat *Apoſtolicam. Hæc enim,* inquit, *& à divina ſcriptura edocti ſumus, & à Patribus, qui eam ſunt interpretati, Alexandro & Athanaſio, clariſſimis illis veritatis præconibus, qui veſtrum apoſtolicum thronum nobilitarunt,* οἳ τὸν ἀποστολικὸν ὑμῶν θρόνον ἐκόσμησαν.

Alexandrinæ eccleſiæ cum Romana affinitas.

XI. Atque ſummam hanc eccleſiæ ſuæ cum Romana affinitatem, ac veluti cognationem jactitabant Alexandrini apocriſiarii in libello quem Anaſtaſii papæ II. legatis ſæculo quinto labente porrexerunt. Initio ſiquidem libelli hujus, quo Romanæ Sedis communionem ambiebant, utriuſque eccleſiæ ſingularem affinitatem ad hunc modum commendabant : *Venerabiles ſanctæ eccleſiæ Romanæ urbis atque Alexandrinæ, non ſolum fidem rectam & immaculatam, ex quo ſalutaris in eis prædicatus eſt ſermo, ſed etiam in divino miniſterio concordiam ſervaverunt. Quippe quum ab uno fuerit in utriſque jactum fidei fundamentum (Petrum memoramus beatum apoſtolum, cujus per omnia ſanctus evangeliſta Marcus exſtitit imitator) ita ut ſi quando contigerit, in rebus ambiguis quædam epiſcoporum concilia celebrari, ſanctiſſimus is qui Romanæ præſideret eccleſiæ, reverentiſſimum Alexandrinæ civitatis archiepiſcopum deligeret, ut ſui curam loci ſuſciperet.* Innuebant utique illi ſynodum præſertim Epheſinam priorem, cui Cyrillus Alexandrinus nomine Cæleſtini papæ præfuerat. Exſtat libellus ille tom. 2.° Concil. edit. novæ Pariſienſis col. 952. ſed Latinè dumtaxat, abſque Græco textu qui interiit.

Et in rebus gerendis ſocietas.

XII. Dudum ante ſæculi quarti exitum Alexandrinæ ſedis in Catholicæ eccleſiæ rebus gerendis ſocietatem commendaverant Aquileienſis ſynodi patres, epiſtola ad Gratianum, Valentinianum & Theodoſium Imperatores, qua rogabant, ut ad Antiochenæ eccleſiæ componenda diſſidia, quæ Paulini & Meletii cauſa perſeverabant, Alexandriæ catholicorum ſacerdotum omnium concilium fieri vellent, qui inter ſe plenius tractarent & definirent, quibus impertienda communio foret, quibus recuſanda : *Se namque Alexandrinæ eccleſiæ diſpoſitionem ordinemque tenuiſſe, & juxta morem conſuetudinemque majorum, ejus communionem indiſſolubili ſocietate ſervaſſe;* ut proinde Italiæ Ciſalpinæque Galliæ, & Illyrici præſules, qui Romanæ Sedi addictiſſimi erant, magni quoque facere non dubitarent Alexandrinæ communionem & auctoritatem. Synodus perinde numeroſiſſima Capuenſis ad abolendum illud ſchiſma vetus Antiochenum, Theophilum Alexa
A drinum judicem arbitrumque deſignavit, q negotium hoc cum Ægypti epiſcopis u conſidentibus dirimeret. Ejus vero judiciu Flavianus Antiochenus, Meletio ſucceſſ datus, abnuit. De quo queritur S. Ambroſi epiſt. ſua 56. eidem Theophilo Alexandrin claſſ. 1. *Cui bonæ pacis naufragio,* inquit, *ſa cta ſynodus Capuenſis tandem obtulerat portu tranquillitatis, ut omnibus per totum Oriente daretur communio Catholicam confitentibus dem, & duobus illis* (Flaviano & Evagric *tuæ ſanctitatis examen impertiretur fratrib*
B *& conſacerdotibus noſtris Ægyptiis parit conſidentibus ... ſed ſcribit ſanctitas tua, it rum fratrem noſtrum Flavianum ad precu auxilia & imperialium reſcriptorum ſuffrag remeaviſſe.* Quæ quidem quanta fuerit Al xandrinæ ſedis cum Romana ſocietas plan demonſtrant. Quocirca Theodoſius A guſtus ipſo imperii ſui initio, legem ded de tenenda fide quam Damaſus Romæ ep ſcopus, & Petrus Alexandriæ tenerent. Cuju legis meminit Sozomenus lib. 7. hiſt. cap. 4 Exſtat vero in codice Theodoſiano tit. *d*
C *Fide Catholica* tom. 6.

XIII. Enimvero à primævis Eccleſi chriſtianæ temporibus, Alexandrinæ ſedi prærogativa fuit, ut ſecundum à Roman locum teneret. Quam quidem ſecundæ ſedi dignitatem ei convenire ſignificarunt An tiocheni concilii ſecundi patres, qui Paulum Samoſatenum, Antiochenum epiſcopum hæreticum condemnaverunt, ſynodicam ſuam inſcribentes *Dionyſio Romano & Maximo Alexandrino,* ceu primariis duobus catholicæ eccleſiæ præſulibus, quam ad omnes
D provincias tranſmiſerunt, veluti narrat Euſebius lib. 7. hiſt. cap. 30. καὶ ἐπὶ πάσας διαπέμποντες τὰς ἐπαρχίας. Athanaſius è Galliis Conſtantis Auguſti opera ad eccleſiam ſuam redire permiſſus, per omnes Aſiæ & Orientis provincias epiſcopos ordinabat, tamquam ſecundæ ſedis antiſtes. Quod ejus facinus ei ſubinde crimini ab æmulis ipſius verſum eſt: de quo legendi Socrates lib. 2. cap. 24. & Sozomenus lib. 3. cap. 21. Timotheus itidem Alexandrinus pari jure ſua intereſſe putavit, Orientis eccleſiis, quas Ariana factio labeſ-
E que pervaſerat, reddita à Theodoſio magno pace, quamprimum conſulere. Ac Petrus quidem II. ejus deceſſor & frater Gregorium Nazianzenum Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præfecerat, miſſis ad ipſum præſulatus inſignibus, moxque, ceu facti pœnitens Maximum Cynicum pro eo ordinaverat, ipſo Gregorio teſte carm. 1. Ipſe vero inſuper Timotheus ordinationem ejus quantum valuit, adverſus Orientalium conatus tuitus eſt,

quoad

Digitized by Google

quoad Maximus Apollinaris ſuæ hæreſis reus peractus fuit.

XIV. Hanc Alexandrini præſulis auctoritatem ſtringere tentarunt ſynodi prioris Conſtantinopolitanæ, generalis ſecundæ, epiſcopi, canone 2. præcipientes, ut Alexandrinus eccleſias dumtaxat Ægypti curaret. Canone itidem 4. ſanxerunt *oportere Conſtantinopolitanæ civitatis epiſcopum habere primatus honorem poſt Romanum, propterea quod urbs hæc eſſet nova Roma*. Cui tamen canoni condendo Timotheus ipſe non intererat, nec ei ſubſcripſit prorſus, neque ratum hoc unquam decretum apud Ægyptios habitum fuit, niſi poſtquam Conſtantinopolitani Imperatores ab Alexandrinis Patriarchis, qui Melchitæ audiebant, impetravere, ut hac in parte ſuo jure cederent.

Alexandrini antiſtitis in Byzantinam ſedem jura.

XV. Aliquantis annis à celebrata illa Conſtantinopoli ſecunda ſynodo generali, Theophilus Alexandrinus Timothei ſucceſſor, Nectario Conſtantinopolitano defuncto, quum Iſidorum eccleſiæ ſuæ preſbyterum urbi regiæ epiſcopum dare non potuiſſet, Joannem Chryſoſtomum, quem Arcadius Imperator deſignarat, ſuis ipſe manibus conſecravit; quod certum argumentum erat illius in eam ſedem poteſtatis. Quin & ſubinde, coacta juxta Conſtantinopolim Chalcedone ſynodo, eumdem exauctoravit, inque illius locum Arſacium ordinavit. Cyrillus Theophili ſucceſſor, Neſtorium quoque Conſtantinopolitanum hæreticum pari jure primatus adortus eſt, ſumptaque poſthac Cæleſtini Papæ perſona, ad ordinem tandem redegit in Epheſina ſynodo generali. Quod diſerte Liberatus ſignificat in Breviario c. 4. *Quod audiens* (Neſtorium impietatem docere) *Cyrillus Alexandrinus epiſcopus, cui tunc dabatur primatus in talibus agendi, venerunt ad eum aliqui de populo Conſtantinopolitano, non communicantes Neſtorio, & ſuggeſſerunt ei quæ Conſtantinopoli acta fuerant*. Quis, quæſo, primatus ille fuit, cujus cauſâ à Byzantinis orthodoxis aditus Cyrillus fuit, niſi ſecundæ ſedis auctoritas, qua ad ipſum ſpectabat ſpecialis eccleſiarum Orientis ſollicitudo? Ex quo intelligimus quo jure Joannes etiam Hieroſolymitanus adverſus Epiphanium Cypri metropolitam Theophilum Alexandrinum convenerit. Ut vero ad Conſtantinopolitanos redeam, ſimilia iis quæ Petrus, Timotheus, Theophilus, Cyrillus apud illos admiſerant, ſimilia, inquam, in ſanctum Flavianum itidem Conſtantinopolitanum ſibi licere putavit Dioſcorus Alexandrinus; at temere prorsùs, nulla aliarum regularum ſervata ratione.

Byzantini clerici Alexandrinæ ſedis jura ſua vindicant.

XVI. Hoc certe Dioſcori facinus impium in cauſa fuit prorſus, cur Byzantinæ
A eccleſiæ clerici ab epiſcopis, qui ſoluta jam ſynodo Chalcedonenſi, generali quarta, in urbe regia remanſerant, impetrarint, ut Conſtantinopolitani concilii canon ille 4. de quò dictum eſt, inſtauraretur; quo nempe Byzantina ſedes ſecundo poſt Romanam loco potiretur. Sed adverſus hanc ſanctionem, quæ inter Chalcedonenſes 28. cenſetur, Romani Legati palàm intercefferunt; epiſcopi vero qui eam approbarant, confirmationem ejus à Leone papa poſtulandam duxerunt. Leo

Leo papa conatibus eorum repugnat.

B vero ſuâ omnino & totius eccleſiæ intereſſe noverat, Alexandrinæ atque Antiochenæ ſedium priſca jura ſarta tectaque tueri, crebriſque ad Marcianum Imperat. Pulcheriam Auguſtam, atque Anatolium Conſtantinopolitanum, litteris obtinuit, ut canon ille irritus fieret. Atque ut unum aliquid è multis ejus hoc de negotio epiſtolis proferam, audiendus præſertim, quum hæc Anatolio ſcriberet: *Epiſt. 80.*

Poſt illa ordinationis tuæ non inculpata principia, poſt ordinationem Antiocheni epiſcopi,
C *quam tibimet contra canonicam regulam vindicaſti; doleo etiam in hoc dilectionem tuam eſſe prolapſam, ut ſacratiſſimas Nicænorum canonum conſtitutiones conareris infringere, tamquam opportune hoc tibi tempus obtulerit, quo ſecundi honoris privilegium ſedes Alexandrina perdiderit* (ob Dioſcori præfractam temeritatem ſcilicet) *& Antiochena eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit*. Nonnullis interjectis, quæ lectu digniſſima ſunt, pergit: *Perſuaſioni tuæ in nullo penitus ſuffragatur quorumdam epiſcoporum ante ſexaginta, ut jactas,*
D *annos facta conſcriptio* (canonem illum 4. Concilii Conſtantinopolitani innuit) *cum quadam à prædeceſſoribus tuis ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſſa notitia, cui ab initio ſui caducæ, dudumque collapſæ, ſera nunc & inutilia ſubjicere fulcimenta voluiſti, eliciendo à fratribus ſpeciem conſenſionis, quam tibi in ſuam injuriam verecundia fatigata præberet. Memento quid Dominus ei qui unum de puſillis ſcandalizaverit, comminatur; & ſapienter intellige quale ſit judicium Dei ſubiturus, qui tot eccleſiis, tot ſacerdotibus ſcandalum inferre*
E *non metuit.* Rurſum ait: *Non convellantur provincialium jura primatuum, nec privilegiis antiquitùs inſtitutis metropolitani antiſtites fraudentur. Nihil Alexandrinæ ſedi ejus quam per S. Marcum Evangeliſtam beati Petri diſcipulum meruit, pereat dignitatis, nec Dioſcoro impietatis ſuæ pertinacia corruente, ſplendor tantæ eccleſiæ tenebris obſcuretur alienis. Antiochena quoque eccleſia, in qua primum prædicante Apoſtolo Petro, chriſtianum nomen exortum eſt, in paternæ conſtitutionis ordine per-*

ſeveret, & in gradu tertio collocata, nunquam ſe fiat inferior. Aliud enim ſunt ſedes, aliud præſidentes.

Proterio Alexandrino ſuum hac in re ſtudium explicat.

XVII. Sic quidem Leo verè magnus pro Alexandrinæ eccleſiæ dignitate pugnabat adverſùs Byzantinos; tum accepta ſubinde Proterii in Dioſcori locum ordinatione, ſuam illi quam impenderat in ſervandis ſedis ejus juribus ſollicitudinem data epiſtola ſignificavit. *Per omnia igitur,* inquit, *& in regula fidei, & in obſervantia diſciplinæ vetuſtatis norma ſervetur, & dilectio tua conſtantiam providè exerceat, ut proſit Alexandrinæ eccleſiæ quod improbæ quorumdam ambitioni, ſervato* B *verorum privilegiorum jure, ſollicitus obviavi, & metropolitanis omnibus illæſam manere volui dignitatem, ſicut epiſtolarum mearum, quas ad ſanctam ſynodum* (ſeu ſanctæ ſynodi Patres) *vel ad chriſtianum principem, ſive Conſtantinopolitanum epiſcopum miſi, tenore cognoſces: manifeſtèque percipies hoc ſpeciale eſſe ſollicitudinis meæ, ne quid à fidei regula in eccleſiis Domini devietur, neque de privilegiis aliquid cujuſpiam improbitate minuatur.* Ubi Pontifex eximius declarat quam indignè tulerit Conſtantinopolitanorum præſumptionem, quam C improbitatis iterum taxare non dubitat; ſed inprimis vetuſtatem perpetuo cauſatur in vindicando Alexandrinæ atque Antiochenæ ſedium jure.

Epiſt. 103.

XVIII. Hæc, aliaque ſanctiſſimus Papa ejuſque plurimi ſucceſſores Romani Pontifices, Gregorius Magnus, & alii adverſùs ambitioſa Byzantinorum tentamenta, pro Alexandrinæ ac ſimul Antiochenæ eccleſiæ juribus objecere. Quocirca Nicolaus I. ad Bulgarorum quæſita reſpondens c. 92. patriarchas tres dumtaxat verè nuncupandos & D habendos aiebat, Romanum ſcilicet, Alexandrinum & Antiochenum. *Deliberatis,* inquit, *noſſe quot ſint veraciter patriarchæ! Veraciter illi ſunt patriarchæ, qui ſedes apoſtolicas & per ſucceſſiones Pontificum obtinent....... Romanam videlicet, Alexandrinam & Antiochenam. Conſtantinopolitanus autem & Hieroſolymitanus antiſtites, licet dicuntur patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis, quantæ ſuperiores exiſtunt.* Quæ certè trium illarum ſedium præcellentia, quum ante Nicænam ſynodum rata pridem fuerit, nec ab ullo anteriore epiſcopo- E rum concilio conſtituta, non niſi Apoſtolos, eorumve præſertim principem Petrum auctorem habuerit, pro ea quam S. Auguſtinus non ſemel attulit, regula, illud apoſtolicæ traditionis eſſe, quod quum apud omnes receptum ſit, nulla poſt Apoſtolos eccleſiaſtica ſanctione inſtitutum reperitur.

Canon Chalcedonenſis fit irritus.

XIX. Contra Anatolii Conſtantinopolitani, quem diximus ambitum, pro Alexandrinæ ſedis juribus ſolus Papa Leo palam A pugnavit, Proterio Alexandrino, vel nondum electo, vel turbatiſſimis illis temporibus ad eccleſias Ægypti adverſùs Dioſcorianorum factionem componendas, ſibique conciliandas occupato; effecit tamen ſanctiſſimus Papa crebris ad varios epiſtolis ac monitionibus, ut Anatolius, prætenſis illis juribus ſuis, Marciano Imp. ſuadente, ceſſerit. Poſt verò, Zenone Imp. Acacius Conſtantinopolitanus canonem illum Chalcedonenſem inſtaurandum curavit; ſed Zenone pulſo à Baſiliſco tyranno, Timotheus Ælurus Alexandrini throni, quem, interfecto Proterio, invaſerat, dignitatem repetiit, nihilque non egit quo ſpurium illud decretum, ut & alia Chalcedonenſia quibus perinde infenſus erat, irritum fieret. Quocirca, quia canone illo Epheſina ſedes Byzantinæ ſubjecta fuerat, revocato Paulo Epheſino quem, quum antehac à provincialibus epiſcopis de more electus & ordinatus eſſet, Acacius Conſtantinopolitanus expulerat, *Epheſinæ eccleſiæ jus patriarchatus reddidit, quod ei concilium Chalcedonenſe ademerat,* inquit Evagrius l. 3. c. 6. ex Zacharia rhetore. Addit tamen Baſiliſcum, Zenonis perculſum metu reſcripto revocaſſe quæ Ælurus perpetrarat, reſtitutumque Acacio jus metropolitas ordinandi, quod canone illo ferebatur; ac certè adeo ſecundæ quoque ſedis prærogativam. Ex quibus Evagrii locis compertum ſit, canonem quem Byzantini Chalcedonenſibus epiſcopis ſubſcribendum præbuerant, non parum contuliſſe ad invidiam hujus ſynodi legitimis definitionibus per Orientis eccleſias conſtandam.

Reviviſcit gravi eccleſiæ detrimento.

XX. Cæterum quum Patriarchæ Alexandrini, qui rectam fidem tenebant, ſedis ſuæ dignitatem fœdè poſtmodum deſeruerint, ita ut ab epiſcopis Conſtantinopolitanis ordinari non dubitarent, quumque interim alii qui Cophtitæ audierunt & Jacobitæ, ab hæreſi minime deſciverint; hinc factum eſt ut Romani Pontifices Innocentius III. in Lateranenſi præſertim ſua ſynodo, & Eugenius IV. in Florentina demum conceſſerint, Byzantinum Patriarcham proximum poſt Romanum Papam locum tenere, atque Alexandrinum tertium dumtaxat.

Alexandrino Conſtantinopolitanus antiſtes prælatus, per Romanos Pontifices.

XXI. Rationem Petrus Apoſtolus habuerit ſplendoris & amplitudinis Alexandrinæ civitatis, ut ad illam Marcum diſcipulum ſuum & interpretem ſua vice delegaverit, ad eccleſiam ibidem inſtituendam, quæ reliquis Orientis præſtaret: at certe non ad normam diſpoſitionis Imperii Romani, politicique quod tunc vigeret regiminis, Alexandrina ſedes dignitate hac & totius Ægypti admi-

Alexandrinæ eccleſiæ dignitas & jura ad regiminis civilis normam inſtituta non ſunt.

Digitized by Google

niſtratione ornata fuit. Velut enim præmonuimus, inferiorem inter Imperii præfectos A locum obtinebat Auguſtalis Ægypti. Inſuper quum Ægyptus omnis ab Imperatore regeretur, atque interim Cyrenaïca provincia à Senatu Romano per Cretæ inſulæ præſidem procuraretur; utramque nihilominus provinciam Alexandrinus epiſcopus, eccleſiaſtica juriſdictione ſua continebat. Non enim, ut quidam ſibi finxerunt, priſcis illis temporibus in Oriente & per Romanum orbem ad inſtar ſæcularis ſtatus eccleſiarum ordo & diſtributio compoſita fuerunt. Quod certe variis demonſtrari exemplis poſſet: nunc autem B dixiſſe ſufficiat regimen eccleſiaſticum ad civile conformatum non eſſe, ante Concilium generale II. ſeu Conſtantinopolitanum quod ann. 381. & 382. celebratum fuit.

Cur Cyrenaïca Alexandrino præſuli obnoxia?

XXII. Atqui Cyrenaïca provincia, totaque Libya Alexandrino antiſtiti hac de cauſa obnoxia fuit, quod ſanctus Evangeliſta Marcus, tam in ſua priore hanc in regionem profectione, quam in poſteriore quum Alexandriam pergeret, Cyrenæis prius quam Alexandrinis prædicaverit, ut ejus vitæ acta ferunt, quæcumque Græcè Latinèque edita C ſunt, quæcumque item Arabicè extant. Dudum ſcilicet in Libya illa Pentapoli, viciniſque locis egiſſe narratur, multos ad Chriſti Fidem ex Judæis & ex gentibus tranſtuliſſe, tum ſubinde Alexandriam petiiſſe; unde poſt inſtitutam hac in urbe eccleſiam, Cyrenen rediit, in qua exacto biennio, poſt creatos illic epiſcopos & clericos, Alexandriam iterum martyrium obiturus remigravit. Syneſius epiſt. 67. ſcribit Hydracem & Palæbiſcum Cyrenaïcæ oppida, proprios primitus epiſcopos habuiſſe ab Erythrenſi diver- D ſos, idque patrum traditione conſtare, imò & Apoſtolicæ inſtitutionis fuiſſe, πατρῷον ἐςὶ καὶ ἀποςολικὸν, quod ſancti Marci ætatem omnino ſignificat. Hoc itaque nomine Libya Pentapolis, Ammoniaca & Marmarica, ut & Ægyptus omnis Alexandrino epiſcopo obnoxiæ factæ ſunt, quod curam earum Marcus Alexandriam profectus geſſit, quoad ſuperſtes in vivis fuit.

Cleri Alexandrini forma à S. Marco inſtituta.

XXIII. Sanctiſſimi Evangeliſtæ acta quæ Bollandi continuatores ad diem 25. Aprilis E ex duodecim codicibus manu exaratis ediderunt, Martyrologium Bedæ, Chronicon item Orientale & monumenta Cophtitarum teſtantur eum in Pentapolim Libyæ, ſive Cyrenaïcam iterum Alexandria profectum, illius civitatis eccleſiæ epiſcopum præfeciſſe Anianum ſeu Hananiam, tres inſuper preſbyteros creaſſe Meſium, Sabinum, & Cerdonem, Diaconos ſeptem & alios undecim ad eccleſiaſticum ordinem pertinentes; atque

poſt biennium, ut prædictum eſt, reverſum, martyrio functum eſſe. Quæ quum primam Alexandrinæ eccleſiæ formam repræſentent, ſat proinde inſinuant eam tunc temporis admodum numeroſam non fuiſſe; nam aliis priorum ſæculorum ſcriptis fertur, Petrum Apoſtolum per civitates in quibus eccleſias paſſim fundabat, duodenarium preſbyterorum numerum inſtituiſſe.

Eutychii narratio de priſca Patriarchæ Alexandrini inſtitutione. Tom. 1. p. 331.

XXIV. Quamquam Eutychius Alexandrinus ſæculo decimo medio Patriarcha, in Annalibus quos Arabicè ſcripſit, narrat *Marcum una cum Hanania* (ſive Aniano) *patriarcha duodecim preſbyteros deſignaſſe, qui cum patriarcha manerent; adeo ut quum patriarchatus vacaret, è duodecim preſbyteris unum eligerent, cujus capiti reliqui undecim manus imponentes, ipſi benedicerent, & patriarcham conſtituerent; deinde virum aliquem eligerent, quem ſecum preſbyterum crearent in locum illius qui factus eſſet patriarcha, quò duodecim ſemper forent.* Pergit Eutychius aſſerens, *non deſiiſſe Alexandriæ inſtitutum hoc de preſbyteris, ut ſcilicet patriarchas crearent, è preſbyteris duodecim, uſque ad tempora Alexandri patriarchæ Alexandrini, qui fuit unus è trecentis octodecim patribus,* (Nicænis ſcilicet) *qui vetuit ne deinceps preſbyteri patriarcham ordinarent: ſed decrevit, ut mortuo patriarcha epiſcopi convenirent patriarcham ordinaturi. Quin etiam ſtatuit uti patriarchatu vacante ex quacumque tandem regione, vel ex illiſmet duodecim preſbyteris, ſive ex aliis virum aliquem perſpecta probitate eximium eligerent, quem patriarcham conſtituerent, atque ita deſiiſſe inſtitutum illud antiquius, & morem creandi patriarchæ ex preſbyteris, & in ejus locum ſucceſſiſſe decretum de patriarcha ab epiſcopis conſtituendo.* Subdit denique: *ſed vero ab Hanania quem conſtituit Marcus Evangeliſta Patriarcham Alexandriæ, uſque in tempora Demetrii patriarchæ ibidem, (is fuit patriarcha Alexandrinus undecimus;) nullus erat in provinciis Ægypti epiſcopus, nec patriarchæ ante eum crearunt epiſcopos; ille autem factus patriarcha tres conſtituit epiſcopos. Et primus fuit hic patriarcha Alexandrinus, qui epiſcopos fecit.*

Auctus forſan à S. Marco preſbyterorum numerus.

XXV. Ex hac narratione Eutychii, quæ diligenti examine mihi penſanda eſt, obiter dicam apparere illum divino Evangeliſtæ duodecim illorum preſbyterorum inſtitutionem attribuere, cujus ſi vitæ illius actorum ratio habeatur, auctores potius fuerint ejus ſucceſſores: niſi ad poſtrema ejus tempora referatur; quando nempe ut eiſdem actis fertur, è Pentapoli regreſſus, fidelium numerum Alexandriæ admodum auctum reperit; ut idcirco preſbyterorum amplificare

Digitized by Google

cœtum opus fuerit, qui cum epiſcopo numeroſioris hujuſce gregis curam gererent.

Eutychii narrationis primæ parti favet Hieronymus.

XXVI. Quum vero multi noſtra ætate, ut epiſcoporum dignitatem facilius defenderent, propter hæreticorum quos Preſbyteranos dicunt, cavillationes, Eutychii narrationem falſi arguere conati ſint; nos illorum penſatis argumentis, hoc ſaltem fatendum agnoſcimus, ſimili S. Hieronymi teſtimonio illud conſtare, quod primo loco tradit Eutychius, nimirum à ſancto Marco, ſeu aliis primævæ ætatis ſucceſſoribus ejus inſtitutum eſſe, ut duodecim preſbyteri è ſuo cœtu unum aliquem in antiſtitis Alexandrini locum ſubrogarent. Sanctus quippe doctor epiſtola 85. ad Evangelum, ut preſbyterorum ordinem commendet, hæc ad verbum diſerte ſcribit: *Nam Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium epiſcopos, preſbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint, & archidiaconum nominent.* Quæ ſane hactenus ſolum ab Eutychii narratione diſcrepant, quatenus morem epiſcopi Alexandrini è duodecim preſbyterorum collegio eligendi, ad Alexandrum uſque patriarcham perſeveraſſe ille tradiderit; quippe qui accuratus ſatis ſcriptor non erat, ſequiorisque adeo & ignobilioris ætatis, ut paſſim in ſuis Annalibus veris falſa nullo diſcrimine miſcuerit. Hieronymus vero diligentiſſimus rerum eccleſiæ indagator, qui altero dumtaxat poſt Heraclam & Dionyſium Alexandrinos patriarchas ſæculo vivebat, ſummam, nî fallor, hac in cauſa meretur fidem.

Eutychii ſententia de preſbyterii autoritate refellitur.

XXVII. A viris Orientalis Eccleſiæ rerum peritia ſpectatiſſimis, Abrahamo Ecchellenſi primum, in *Eutychio vindicato*, ac nuperrime à doctiſſimo Abbate D. Renaudot, in *Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum;* & tomo 2. *Collectionis Liturgiarum Orientalium*, adverſus Joannem Seldenum Eutychii interpretem Preſbyteranum oſtenſum eſt, Eutychium, quum vera falſis involvat, Patriarchæ Alexandrini priſcum eligendi morem, quo preſbyteri, imo & laïci electo manus imponebant, pro vera ordinatione inſulſe accepiſſe; quod Ecchellenſis probat ex vetuſtiſſimis conſtitutionibus Alexandrinæ eccleſiæ Arabicè ſcriptis, cap. 4. *de epiſcopis.* Certo præterea conſtat ex patriarcharum Cophticæ eccleſiæ etiam antiquorum geſtis, penes Alexandrinæ eccleſiæ preſbyterium dumtaxat, epiſcopi electionem fuiſſe, quem ab illis deſignatum, & à populo approbatum epiſcopi Ægypti continuo conſecrarent. Severus quippe Aſchmoninenſis, qui patriarcharum Alexandrinorum vitas ex Cophticis A & Græcis monumentis Arabico idiomate conſcripſit, refert poſt obitum Coſmæ I. patriarchæ, prima die ortum epiſcopos inter & preſbyteros de ſucceſſoris ejus electione diſſidium, poſtera die conveniſſe epiſcopos, oraſſe & ſediſſe; tum preſbyteros adfuiſſe, quorum Πρῶτος, *Primus* dixit negotium hoc ab epiſcopis bene gerendum. *Cui Theodorus epiſcoporum unus reſpondit: Quemnam vos elegiſtis? ut illum quoque nos cognoſcamus. Tunc* πρῶτος, ſeu primus; *Talem*, inquit, *& hoc eſt nomen ejus ſcriptum. Quibus rurſum Theodo-* B *rus: ſi placet ſynodo, optimus eſt. Tunc illi* πρῶτος: *noſtrum eſt hoc negotium, non epiſcoporum, ad quos nihil aliud pertinet niſi impoſitio manus,* aut ordinatio; *noſtrum vero eſt eligere patriarcham. His reſpondit Abraham epiſcopus Phaïum. Epiſcopi quoque ordinabunt vobis quemcumque elegeritis; ſi dignum proponetis, ordinabimus illum; ſin vero, eum abigemus;* ut nempe preſbyteri meliorem deſignent. Affert inſuper Ecchellenſis ſcriptores Jacobitas Ægyptios duos eamdem hiſtoriam S. Marci & Hananiæ recitantes, qui totum C hoc negotium ad electionem redigunt; Georgium ſcilicet Homaïdium Almachinum, qui Erpenii Elmacinus eſt, & Benarrahebum chronographum, quorum primus parte prima in Nerone hæc habet: *Primo autem anno ejus Imperii occiſus eſt Marcus Evangeliſta in urbe Alexandria. Eò enim profectus erat, homines ad fidem convocaturus, adeoque ſeptem annorum ſpatio Ægyptum & Alexandriam peragravit, viſitans inſuper occidentales urbes,* (Libyæ ſcilicet) *crediderintque per illum gentes quàm plurimæ.* Tum narrata Hananiæ D converſione ſubdit: *confirmatum Hananiam in fide, conſtituit eum Marcus Evangeliſta Patriarcham Alexandriæ, fuitque primus Patriarcha, quem conſtituit ſuper illa Marcus. Fecit autem duodecim preſbyteros cum Hanania, & decrevit, ut mortuo Patriarcha ſubſtitueretur loco ejus unus ex duodecim illis preſbyteris, & ut eligerent ex fidelibus virum aliquem dignum, & ſufficerent eum in preſbyterum, pro illo, ut perpetuo eſſent duodecim. Adeoque preſbyteri proponere Patriarcham non deſierunt, uſque ad tempora trecentorum octodecim, qui decreve-* E *runt, ut, Patriarcha decedente, convenirent epiſcopi, & illum conſtituerent Patriarcham, in quem cadit electio: & perduravit mos iſte uſque ad hoc tempus.*

Quod ſubdit Eutychius ante Demetrium & Heraclam nullum epiſcopum in Ægypto extitiſſe præter Alexandrinum, teſtimonio convellitur Severi ejuſdem, qui Cerdonem quartum à B. Marco Patriarcham à fidelibus laïcis, ut & à preſbyteris, nec-non ab epiſcopis

Digitized by Google

promotum refert; quin etiam ſubinde Agrippinum & Julianum Demetrii alios deceſſores. Demum nihilo verius eſt quod Eutychius ſcripſit ex ſolo illo duodecim preſbyterorum collegio aſſumi ſolitum tunc temporis Alexandrinum pontificem; quando Severus etiam perhibet Primum qui Cerdoni proximè ſucceſſit, è laïcorum grege ad Marci ſedem eſſe provectum.

Alteri objectioni ſatisfit.

XXVIII. Si quis præfracte contendat Hieronymi ſenſum fuiſſe, imo & Eutychii & Almachini, non nudam promotionem Alexandrini præſulis à duodecim preſbyteris conſueſſe illis primis temporibus fieri, ſed veram ordinationem; non admodum reluctabimur, ſed & Abrahamo Ecchellenſi duce, denuo reponemus abſurdum non eſſe primos Alexandriæ antiſtites uſque ad Demetrium vel Heraclam, eccleſiam hanc rexiſſe cum duodecim preſbyteris adminiſtrationis ſuæ ſociis, ſed qui pontificali quoque poteſtate ornati eſſent, ad pontificalia munia hinc inde quò ab archiepiſcopo totoque collegio delegati forent, obeunda prout neceſſitas exigeret. Eo utique modo quo Apoſtoli per eccleſias præcipuas quas primitus inſtituerunt, præter primarium epiſcopum inferiores alios creabant, qui preſbyteri quoque dicerentur, quibuſcum epiſcopus princeps eccleſiam regeret ſuam, & fidelium greges qui in vicinis urbibus exſtarent, curaret. Quocirca Paulus epiſtolam ad Philippenſes inſcripſit, *Omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum epiſcopis & diaconibus ejuſdem eccleſiæ*. Quumque Epheſinæ eccleſiæ preſbyteros, τοὺς πρεσβυτέρους, Hieroſolymam pergens Miletum advocaſſet, hos in ſua alloquutione epiſcopos nuncupare non dubitavit: *Attendite vobis*, inquit, *& univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam Dei.* Hi preſbyteri ſeu ſeniores hactenus dicebantur, quatenus ubi de eccleſiæ negotiis agebatur, epiſcopi primarii aſſeſſores erant. Clementis Papæ I. ætate in eccleſia Corinthi plurimi ejuſmodi epiſcopi aderant, qui & preſbyteri dicebantur, quemadmodum in illius ad Corinthios epiſtola perſpicuè ſignificatur; eos admonet, ut præpoſitis ſuis ſubjecti omnino ſint, *honoremque congruentem preſbyteris ſuis impendant*, τοῖς παρ' ὑμῖν πρεσβυτέροις. Obſervat deinde Apoſtolos à Chriſto miſſos, cum Spiritus ſancti fiduciâ, per regiones & urbes verbum prædicantes, primitias eorum qui crediderunt probantes, epiſcopos & diaconos cæteris fidelibus conſtituiſſe; ſicuti multis retro ſæculis de epiſcopis & diaconis ſcriptum fuerat, *conſtituam eorum epiſcopos in juſtitia, & diaconos eorum in fide.* Propter ſimultates quæ in eorum eccleſia ortæ erant, Apoſtolos ait prænoviſſe contentiones futuras eſſe *de nomine epiſcopatus*, ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς. *Non leve peccatum eſſe, ſi repudientur illi qui ſancte & ſine reprehenſione epiſcopatus dona offerunt*, ἐὰν τοὺς ἀμέμπτως καὶ ὁσίως προσενεγκόντας τὰ δῶρα τῆς ἐπισκοπῆς ἀποβάλωμεν. Valde turpia de illis audiri, ſcilicet *antiquam & firmiſſimam Corinthiorum eccleſiam, unius aut duorum cauſa, in preſbyteros inſurgere*, πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους στασιάζειν. *Qui inter vos ſtrenuus eſt*, ait num. 54. *qui miſericors, qui caritate plenus, dicat: ſi propter me ſeditio, contentio & ſchiſmata orta ſunt, emigrabo, abibo quocumque volueritis, & quæ à plebe mandantur faciam, ſolum Chriſti ovile cum conſtitutis ſupra ſe preſbyteris, in pace degat.* Timotheus Pauli diſcipulus, & poſt ejus obitum Joannes Evangeliſta cum epiſcopis ſeptem, ſeu preſbyteris Epheſinam eccleſiam adminiſtravere, ut in ejus vitæ excerptis fertur apud Photium cod. 254. Sed & tribus primis eccleſiæ ſæculis familiare Chriſtianis erat, eos, qui eſſent epiſcopi, vocare preſbyteros; cujus quidem appellationis exempla frequentia ſuppetunt apud Euſebium in libris ſex hiſtoriæ eccleſiaſticæ prioribus. Ex quo apparet non peculiarem, ſed eamdem eccleſiæ veteris Alexandrinæ rationem fuiſſe, quæ cæterarum, in quibus epiſcopi pariter à preſbyteris eligebantur, aſſentiente plebe, quos deinceps provinciæ præſules conſecrabant.

Preſbyteri Alexandrini epiſcopali dignitate ornati primis temporibus.

Act. cap. 20. v. 17.

Ibid. v. 28.

Epiſt. 1. num. 1.

Num. 44.

Iſaiæ 60. 17.

Num. 47.

XXIX. Nihil quoque vetat, quin Eutychio concedamus ad Demetrium uſque Alexandrinum antiſtitem, qui annos quadraginta & amplius ſedit, nullos in Ægypti urbibus epiſcopos ſpeciales fuiſſe; ſed archiepiſcopum cum preſbyteris duodecim, qui pontificali poteſtate ornati eſſent diœceſim ſuam ita curaſſe, ut, ubi opus eſſet, quemdam ex illis ad varia loca civitateſque delegaret, ad pontificalia munia obeunda. Huc forſan ſpectat quod Euſebius Cæſarienſis lib. 6. hiſt. eccl. c. 2. ſcribit, Demetrium, Imperatore Severo, eccleſiarum Ægypti epiſcopatum, poſt Juliani obitum capeſſiviſſe, τῶν δὲ αὐτόθι παροικιῶν τὴν ἐπισκοπὴν νέωστι τότε μετὰ Ἰουλιανὸν Δημήτριος ὑπειλήφει. Annon enim hoc forſan innuit Ægypti parœcias, quæcumque tunc eſſent, unius Alexandrini Demetrii obnoxias regimini fuiſſe?

Nulli in Ægypto præter Alexandrinum epiſcopi.

XXX. Joannes Pearſonius de illorum in Anglia Proteſtantium grege, quos *Epiſcopales* vocant, libro, quo adverſus Seldenum, Blondellum, Dallæum, & alios Preſbyteranos epiſcoporum ordinem cum Ignatii Antiocheni epiſtolis ultus eſt, Eutychii narrationem multiplici vitio laborare contendit; fieri tamen potuiſſe fatetur, ut unus

Alexandriæ epiſcopus cum duodecim preſbyteris ſuis Ægypti eccleſias quotquot exſtarent, moderaretur, perinde atque deinceps, diu quoque poſt Nicænam ſynodum, Tomitanus Scythiæ cis Iſtrum poſitæ eccleſias ſolus epiſcopus regebat. Verum non ſatis penſavit vir eruditus, Alexandrinum Papam nulli antiſtiti ſubfuiſſe à quo ordinaretur, Tomitanum vero Heracleenſi, quum Scythia illa Europæa Thracicæ diœceſis eſſet, & à preſbyterorum ſuorum collegio non potuiſſe conſecrari. Quamquam Pearſonius quiddam hic ſuggerit, quod notatu dignum videatur. *Quicumque cogitaverit*, inquit ille, *quam ſuperſtitionibus gentilibus ea gens* (Ægyptiaca) *dedita fuerit, quot Judæorum millia Chriſtianæ religioni infenſa illic habitaverint; quantam ſeditionem ſub Trajano in Libya, Ægypto, & Alexandria, Cyrene & Thebaïde, teſte Euſebio, excitaverint: quamque tota Libya tunc interfectis cultoribus deſolata ſit, ut niſi poſtea Hadrianus Imper. collectas illuc aliunde colonias deduxiſſet, vacua penitus terra abraſo habitatore manſiſſet, ut refert Oroſius, facile conſentiet plures in provincia Scythia Chriſtianos fuiſſe ſub Valente Imper. quàm fuerint ante tempora Demetrii in Ægyptiaca Diœceſi.*

Nullus plane diffiteor Chriſtianam religionem in Ægypto, velut & in Cœleſyria contigit, primo ſecundoque ac tertio ſæculis parum creviſſe, cum propter idololatricas quæ illic præ aliis fere univerſis regionibus vigebant, ſuperſtitiones, tum propter innumerorum Judæorum efferatam proterviam, ut extra Alexandriam perpaucæ tunc eccleſiæ fundatæ ſint, ac non niſi circa Demetrii tempora, qui quadraginta-tres annos ſedit, fidelium numerus per Ægyptum & Thebaïden amplificatus ſit: nec proinde abnuero paucos admodum ab eo epiſcopos certis ſedibus & urbibus primum aſſignatos eſſe, tum alios ſubinde plures. Itaque quum Chriſti fides per varias Ægypti regiones, ſeu provincias, veluti in reliquis orbis partibus fiebat, diſſeminata ſtatim non ſit, ſed paulatim dumtaxat, inde factum eſt, ut unus ſoluſque Alexandrinus antiſtes in univerſam diœceſim Ægyptiacam metropoliticum jus ſartum tectumque ſervaverit. Hîc obiter ſubdam Athanaſii magni ætate Mareotim inferioris Ægypti regionem non ignobilem peculiari epiſcopo ſuo caruiſſe, ita ut à preſbyteris dumtaxat adminiſtraretur.

Pearſonius, quo adverſùs Eutychium evincat epiſcopos alios ab Alexandrino in Ægypto ſecundo quoque ſæculo ineunte extitiſſe, Hadrianum Imper. appellat anno Domini 132. ante igitur quam Demetrius ad Alexandrinam ſedem promoveretur, ſexaginta annis & amplius, Serviano conſuli

A ſcribentem, *Serapim colere, qui Chriſtiani ſunt, & devotos eſſe Serapi qui ſe Chriſti epiſcopos dicunt: neminem illic archiſynagogum Judæorum, neminem Samaritam, neminem Chriſtianorum preſbyterum... Serapidis cultui repugnare.* Ex quo teſtimonio infert, uti preſbyteros multos, ita complures etiam epiſcopos Hadriano Imperatore in Ægypto exſtitiſſe. Quæ conſequutio non ſatis mihi probatur, ſi de Catholicæ eccleſiæ præſulibus agatur. Nam multi tunc temporis Alexandriæ & in Ægypto hæretici Baſilidiani, aliique Gnoſtici verſa-

B bantur, qui quum Chriſtianos ſe eſſe dicerent, Serapim tamen, velut ipſorum quæ ſuperſunt hodie amuleta produnt, pro ipſo vero quod nos colimus numine venerarentur, indito quoque illi per ſummam impietatem ineffabili illo divinitatis nomine יהוה, ΙΑΩ, *IAO*, imo quibus Irenæo teſte, Clemente Alexandrino, Caſtore Agrippa apud Euſebium, Epiphanio, & aliis conteſtantibus, familiare & ſolemne eſſet Gentilium Deos colere. S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, ubi de *Agrippa cognomento*

C *Caſtore*, ſubdit, *mortuum eſſe Baſilidem, à quo Gnoſtici, in Alexandria temporibus Hadriani: qua tempeſtate & Cochebas dux Judaïcæ factionis, Chriſtianos variis ſuppliciis enecavit;* hoc eſt, ante annum Chriſti 130. De harum itaque ſectarum epiſcopis intelligendus venit Hadrianus, non de Catholicæ eccleſiæ paſtoribus; quum ille impuros Chriſtianos à ſanctis minime ſecerneret.

XXXI. Duodecim itaque preſbyteros illos quibuſcum Alexandrinus præſul Alexandriæ & Ægypti eccleſias primitus curabat, Singulis Alexandriæ eccleſiis ſinguli præſunt preſbyteri.

D epiſcopali poteſtate inſtructos fuiſſe non inficiabor; quibus in varias urbes ſedeſque diſtributis, preſbyteri ſimplices ſucceſſerunt, quorum unuſquiſque unam Alexandriæ regionem coleret, ſingulis civitatis eccleſiis aſſignati. Epiphanius ſiquidem multas hac in urbe exſtitiſſe eccleſias refert, præter potiorem illam, quæ, Conſtantio imperante, illo in loco conſtructa eſt, in quo Hadriani pridem, ac poſtmodum Licinii Auguſtorum Regia fuerat, quæque Cæſarea nominabatur; eccleſiam ſcilicet Dionyſii, Theonæ, Pierii, *Lib. de hæreſ. hæreſi 69. n. 2*

E Serapionis, Perſeæ, Dizyæ, Mendidii, Anniani, Baucalis, & alias, quæ anteactis temporibus erectæ ſunt. Harum porro eccleſiarum antiquiſſima Baucalis fuit, à S. Evangeliſta Marco juxta mare condita, & cui ſæculo quarto adulto Arius hæreticus præerat, quando impietatem ſuam prodere incæpit. *Quotquot*, inquit Epiphanius, *catholicæ communionis Alexandriæ ſunt eccleſiæ, uni archiepiſcopo ſubjectæ, ſuum quæque preſbyterum* *Ibid. n.*

Digitized by Google

præpoſitum habet, qui eccleſiaſtica officia, pro illis obeat qui circa ſingulas eccleſias ſuas degunt, & in proximis vicis quos Alexandrini Lauras appellant : ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ὑπὸ ἕνα ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι, καὶ κατ᾽ ἰδίαν ταύταις ἐπιτεταγμένοι εἰσὶ πρεσβύτεροι, διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκητόρων πλησίον ἑκάστης ἐκκλησίας αὐτῶν, καὶ ἀμφόδων, ἤτοι λαβῶν (legendum fortè λαυρῶν) ἐπιχωρίως καλουμένων ὑπὸ τῶν τὴν Ἀλεξανδρέων κατοικούντων πόλιν. Idem rurſum teſtatur Sozomenus lib. 1. hiſtoriæ c. 15. hunc videlicet *Alexandriæ morem fuiſſe, qui etiamnum per-* B *ſeverat*, inquit, *ut quum unus epiſcopus univerſis præſit, preſbyteri ſeparatim eccleſias obtineant, & populum ad ſingulas ſpectantem ad conventus cogant.* ἔστι γὰρ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἔθος, καθάπερ καὶ νῦν, ἑνὸς ὄντος τοῦ κατὰ πάντων ἐπισκόπου, πρεσβυτέρους ἰδίᾳ τὰς ἐκκλησίας κατέχειν, καὶ τὸν ἐν αὐταῖς λαὸν συνάγειν. Et hoc quidem in Alexandrina civitate fiebat, haud ſecus fere atque in Romana, in qua ſinguli preſbyteri per titulos diſtributi perinde erant. A priſca porro illa Alexandriæ preſbyterorum dignitate & poteſtate, conſuetudo deinceps per C Ægyptum derivata eſt, ut preſbyteri conſignarent, ubi præſens non aderat epiſcopus, hoc eſt, ſignaculum Spiritus ſancti ſacro unguento imprimerent; quod nos *Confirmationis Sacramentum* appellamus. Hoc teſtantur Hilarus Sardus in expoſitione cap. 4. epiſt. ad Epheſios, & auctor quæſtionum veteris & novi Teſtamenti inter opera S. Auguſtini, quæſtione 101. juxta novam editionem, quæ eſt Benedictinorum.

De electione Patriarchæ Alexandrini.

XXXII. Ab Alexandro, ut vult Eutychius, aut potius ab Heracla, vel Dionyſio, D ut ex Hieronymo conjector, inſtitutum eſt, ut qui à Clero electus Alexandrinus epiſcopus eſſet, is ab epiſcopis Ægypti ordinaretur, ac Marci throno imponeretur. Ac certe ad Ægyptiacæ diœceſis epiſcopos, qui Alexandriæ agerent, archiepiſcopi electionem quodammodo ſpectaſſe conſtat ex ſynodica epiſcoporum Ægypti totius, Thebaidis, Libyæ, & Pentapolis epiſtola, qui palam conteſtati ſunt, à ſe ſolis Athanaſium electum non fuiſſe, nedum à ſeptem dumtaxat, ut Euſebiani objectabant, antiſtitibus, non in loco E obſcuro, ſed coram urbis & diœceſis collecta multitudine. Quibus tamen nihil niſi electionis à Clero factæ approbatio ſignificatur. Nam Athanaſius ipſe in Apologia ſua contra Arianos, diſerte, ut videtur, innuit, Alexandrini præſulis electionem penes Alexandrinum clerum preſbyteriumve fuiſſe, nulla epiſcoporum adjecta mentione, ceu qui electum conſecrare tantummodo deberent, & in ſede S. Marci collocare. Gregorii ſiquidem qui

Eutych. tom. 1. pag. 331.
S. Hieron. Epiſt. 101. N. E.

A ipſi ab Arianis primum ſubrogatus fuerat, ordinationem præter regulas factam demonſtrans, *Etſi Athanaſius*, inquit, *objectorum criminum reus fuiſſet, nequaquam oportebat contra leges & contra eccleſiæ regulas Gregorium creari; ſed eccleſia præſente, à Clero electum ab epiſcopis provinciæ conſtitui*, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ αὐτῆς τῆς ἐκκλησίας, ἀπ᾽ αὐτοῦ τοῦ ἱερατείου, ἀπ᾽ αὐτοῦ τοῦ κλήρου, τοὺς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπους ἔδει καταστῆσαι, καὶ μὴ νῦν τοὺς τῶν Ἀποστόλων κανόνας παραλύεσθαι· *& nequaquam nunc Apoſtolorum canones violari.* Quod quidem poſteriori ævo B ab ipſiſmet etiam Cophtitis Jacobitiſve obſervatum poſtea narrabo, ubi de electione Theodori Patriarchæ, qui Coſmæ I. ſucceſſit, mihi ſermo erit. *num. 30.*

Atqui Athanaſius ait electionem Alexandrini præſulis debuiſſe fieri *præſente eccleſia*, ἐπ᾽ αὐτῆς τῆς ἐκκλησίας, hoc eſt, collecta plebe, quæ electioni ſcilicet ſuffragaretur, eam ſaltem approbando. Quod Ægypti epiſcopi epiſtola illa ſua ſynodica, cujus mox pauca retuli, in magni Athanaſii electione factum ſignificarunt, ut Euſebianorum criminationem C aliam retunderent, jactitantium eum populo non annuente ad epiſcopi dignitatem fuiſſe promotum. *Nos contra*, inquiunt, *omnem multitudinem, populumve catholicæ eccleſiæ, unius inſtar animæ & corporis convenientes, clamoribus, vociferationibuſque Athanaſium eccleſiæ epiſcopum poſtulaſſe, cum tota civitate & univerſa provincia teſtamur, idque eos publicis quidem vocibus à Chriſto expetiiſſe, nos vero ut faceremus, per multos dies & noctes jurejurando obteſtatos eſſe, quum nec ipſi interea ab eccleſia diſcederent, neque nobis diſcedendi* D *facultatem permitterent.* ὅτι δὲ πᾶν τὸ πλῆθος, καὶ πᾶς ὁ λαὸς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ὥσπερ ἐκ μιᾶς ψυχῆς καὶ σώματος συνεληλυθότες, ἀνεβόων, ἔκραζον, αἰτοῦντες Ἀθανάσιον ἐπίσκοπον τῇ ἐκκλησίᾳ.... μήτε αὐτοὶ τῆς ἐκκλησίας ἀφιστάμενοι, μήτε ἡμᾶς ἐπιτρέποντες ἀφίστασθαι τούτων· καὶ ἡμεῖς μάρτυρες τούτου, καὶ ἡ πόλις πᾶσα, καὶ ἡ ἐπαρχία.

In Apol. S. Athan. contra Arianos n. 4.

Ea fiebat continuo & ſine mora.

XXXIII. Cæterum Alexandrino pontifice defuncto, de ejus ſtatim eligendo ſucceſſore agebatur, ne protracta diutius electione, contentiones & jurgia acciderent. *Alexandriæ conſuetudo eſt*, ait Epiphanius E hær. 69. num. 11. *ut poſt epiſcopi obitum ſucceſſoris inſtitutio non differatur, ſed continuo fiat, pacis tuendæ gratia, ne aliis huic, aliis illi ſtudentibus, diſſidia & ſimultates in populo oriantur.* ἔθος δὲ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μὴ χρονίζειν μετὰ τελευτὴν ἐπισκόπου τοὺς καθισταμένους, ἀλλ᾽ ἅμα γίνεσθαι εἰρήνης ἕνεκα. τοῦ μὴ παρατριβὰς γίνεσθαι ἐν τοῖς λαοῖς, τῶν μὲν τόνδε θελόντων, τῶν δὲ τόνδε. Hoc itaque quum brevi intervallo perageretur, viciniorum urbium epiſcopis ad hanc electionem accedentibus,

Digitized by Google

conjicere licet inde ortum ſingularem quemdam hujus eccleſiæ ritum, quem Liberatus recitat. *Conſuetudo eſt Alexandriæ*, inquit, *illum qui defuncto ſuccedit excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo beati Marci pallium, & tunc legitimè ſedere.* Unde planum fit non prius ſepultum fuiſſe defuncti Patriarchæ corpus, quàm ejus ſucceſſor deſignatus eſſet.

Breviarii cap. 20.

Ritus Patriarchæ defuncti manum imponendi illius qui electus fuerat, capiti.

XXXIV. Atqui ritus ille defuncti archiepiſcopi manum ejus qui in illius locum ſufficeretur capiti imponendi, apud Ægyptios receptiſſimus fuit; uti iterum comprobatur Timothei preſbyteri Conſtantinopolitani teſtimonio, in ejus de variis hæreticis, quomodo recipiendi ſint opuſculo. In Eſaïanis narrat, Eſaïam quemdam quem Acephalorum pars epiſcopum ſibi tandem præpoſuerat, in Palæſtina fuiſſe ordinatum, impoſita Epiphanii neſcio cujus epiſcopi qui interierat, capiti ipſius manu. Quamquam apparet illum ab epiſcopo nemine qui vitam ageret ordinatum, quandoquidem Acephali ab omnium epiſcoporum communione ſe ſubſtraxerant.

Quoad pallium quod electus collo confeſtim ſuo imponebat, in Actis B. Petri Alexandrini, quæ Combefiſius noſter Græcè Latinèque edidit, perinde legimus, hujus ſanctiſſimi martyris corpore in ſede S. Marci à fidelibus collocato, detractum è collo ejus ſuperhumerale ὠμοφόριον, quod nos Pallium vocamus, Achillæ, qui ſucceſſor ejus deſignatus mox fuerat, impoſitum fuiſſe.

Obſolevit ritus ille. quare?

Hi vero ritus, quos Liberatus refert, ſæculo ſexto labente obſoleſcere cæperunt, ordinato Conſtantinopoli, uti pridem ſub Juſtiniano Imp. Paulo, ita & ſub Juſtino II. Joanne itidem Patriarcha Alexandrino catholico, quum interim Cophtitis ſeu Dioſcorianis, Jacobitiſve Patriarchis, qui Juſtiniano Juſtini ſecundi deceſſore imperante, in ſecretioribus monaſteriis latitabant, nec divini Marci Pallium apud ſe ſervabant, cæremoniæ illius factitandæ copia & facultas non eſſet. Unde nulla ejus mentio fit in ordine conſecrationis Patriarchæ Alexandrini, quo vir eximie doctus Euſebius Renaudotius tom. 2. Liturgiarum Orientalium rem litterariam locupletavit.

Electio Patriarchæ aliquamdiu poſt obitum deceſſoris differri incæpit, quando?

XXXV. Ex his demum quæ ex Liberato & S. Epiphanio allata ſunt, apparet, quocumque die Patriarcha Alexandrinus fatis concedebat, ei nulla mora deſignatum ſucceſſorem fuiſſe, ordinatumque & in ſedem Patriarchalem promotum, eamque conſuetudinem medio quoque ſæculo ſaltem ſexto perſeveraſſe. Quod iterum aliis Liberati verbis confirmatur. Narrat ſiquidem ille Theodoſium Patriarcham Alexandrinum, Timothei
A ſucceſſorem, qui fatis conceſſerat anno Chriſti 535. quum à clero electus eſſet, contradicentibus tamen populo & Monachis, nocte pertentaſſe quod & patravit Calotychii Cubicularii & Ariſtomachi Ducis, atque Dioſcori Auguſtalis ſtudio & opera. Manum ſcilicet dexteram Timothei defuncti capiti ſuo impoſuit, accepitque collo ſuo B. Marci Pallium, quò legitimè ſederet. *Quum autem cognoverunt populi & monaſteria quod eſſet factum veſpere in epiſcopio, mox Theodoſium perſequuti ſunt, ne colligeret funus Timothei:*
B *inthroniſaverunt autem Gaïanum, qui fuit archiepiſcopus ex parte aſſertorum incorruptibilitatis.* Hæc Liberatus; ex quibus manifeſtum fit nondum ceſſaſſe in Ægypto tunc temporis prædictam conſuetudinem. Ceſſavit autem poſtea apud Melchitas, quin & apud Jacobitas etiam poſtmodum. Quum enim anno 686. Joannes Semnudæus Patriarcha die 27. Novembris vivere deſiiſſet, epiſcopi habito cum preſbyteris conſilio, effecerunt ut Georgius diaconus eccleſiæ urbis Saca Patriarcha eligeretur, quem continuo preſ-
C byterum ordinarunt, & monaſtica veſte, de more, moxque Patriarchali indutum, die inſequenti in eccleſiam introducere proponebant; obſtitit vero Marcus archidiaconus, negans per eccleſiaſticam diſciplinam fas eſſe epiſcopum ullum alio die, quam Dominico conſecrare.

Breviarii cap. 20.

Qualis fuerit preſbyterii Alexandrini autoritas.

XXXVI. Magnam fuiſſe interim in eccleſia Alexandrina preſbyterii ejuſdem eccleſiæ autoritatem, ex hoc colligere quis poſſit, quod archiepiſcopus litteras ſuo eorumque nomine ipſo quoque ſæculo ſexto
D inſcribere pergeret. Enim vero conficta epiſtola exſtat tamquam à S. Dionyſio Alexandrino ad Paulum Samoſatenum ſcripta, qua impietas illius ſic arguitur, ut hæreticum dogma aliud ſimul ſtatuatur, ſcilicet Domini corpus nulli labi & corruptelæ obnoxium ante reſurrectionem ipſam fuiſſe. Quam epiſtolam ab Ægyptio quopiam de Aphthartodocetarum, ſeu Incorrupticolarum ſecta compoſitam fuiſſe in fine diſſertationis Damaſcenicæ ſecundæ oſtendi, imo ab ipſomet Gaïano Alexandrino eorum anteſignano:
E quum vero ad normam litterarum Alexandrini Patriarchæ adornata ſit, inſcriptionem iſtam præfert. Διονύσιος κ. τ. ε. *Dionyſius & compreſbyteri eccleſiæ Alexandrinæ in Domino ſalutem.* Quod argumento eſt Alexandrinos antiſtites eccleſiæ negotia non alio modo geſſiſſe, niſi collatis compreſbyterorum ſuorum ſuffragiis.

Jus ordinandi epiſcopos per omnem

XXXVII. Chriſtianam religionem duobus prioribus à Chriſto nato ſæculis, non niſi

Digitized by Google

Diœceſim, ad ſolum Patriarcham pertinet.

niſi ægrè & paulatim in Ægypto ob idolorum ſuperſtitionis tenebras, quibus ea regio offundebatur, fuiſſe propagatam dixi, adeoque perpaucos primitus hinc inde per civitates epiſcopos conſtitutos eſſe antehac dicebam. Id quod admodum contuliſſe arbitror, ut deinceps omnium univerſæ diœceſis illius epiſcoporum ordinationes ad Patriarcham ſolum ſpectaverint; quin & ſummo jure, ut olim vicinas Alexandriæ eccleſias, ſic & reliquas per Ægyptum & Thebaïdem atque Libyam rexerit. Et hoc eſt quod ſibi vult

Hær. 68. quæ eſt Meletianorum num. 1.

Epiphanius quum ait, *hunc eſſe morem archiepiſcoporum Alexandrinorum, ut per totam Ægyptum, ac Thebaïdem, Maræotidem, Libyam, Ammoniacam, Maræotidem & Pentapolim eccleſiaſtica negotia adminiſtrent.* τοῦτο γὰρ ἔθος ἐστὶ, τὸν ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ ἀρχιεπίσκοπον πάσης τε Αἰγύπτου καὶ Θηβαΐδος, Μαρεώτου τε, καὶ Λιβύης, Ἀμμωνιακῆς, Μαρεώτιδός τε, καὶ Πενταπόλεως, ἔχειν τὴν ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν. Nulli ſiquidem præter ipſum in omnibus & ſingulis Ægyptiacæ diœceſis provinciis erant epiſcopi, qui, ut alibi fiebat, metropoliticis juribus potirentur, ac per earum civitates epiſcopos conſecrarent, deque aliis cauſis eccleſiaſticis judicarent, niſi forſan ex archiepiſcopi delegatione. Id quod inductione aliqua juvat comprobare.

Juris illius exempla quædam.

XXXVIII. Theophilus Alexandrinus in fine cujuſque homiliarum ſuarum Paſchalium, quas Latine vertit Hieronymus, diœceſis ſuæ eccleſias omnes ad quas de more illas mittebat, certiores feciſſe legitur, de ordinatis à ſe per varias Ægypti & Thebaïdis provincias epiſcopis. Sozomenus lib. 8. hiſt. cap. 19. ſanctiſſimum Monachum Nilammonem multis precibus ab eodem Theophilo tandem adductum refert, ut Gerrhæ epiſcopus ab ipſo conſecrari annueret. Quo vero die Theophilus venerat, ut ei manus imponeret, Nilammon inter orandum animam efflavit, mortem à Deo deprecatus, ne epiſcopatus onera ſubire cogeretur. Atqui Gerrha Auguſtamnicæ provinciæ civitas Peluſio metropoli civili obnoxia erat. Huc ſpectat quod Iſidorus Peluſiota Cyrillo Alexandrino epiſtola quæ lib. 2. 127. eſt, ſignificabat Martinianum quemdam preſbyterum eccleſiæ Peluſii, quam Euſebius epiſcopus tunc adminiſtrabat, Alexandriam aurum miſiſſe, epiſcopatus neſcio cujus civitatis comparandi cauſa; qui nec Cyrilli minis, nec litteris deterritus fuit, quominus Alexandriam proficiſceretur, uti votorum compos fieret; alioqui Cyrilli famæ labem aſpergens, quaſi ſacras ordinationes pecunia conceſſurus eſſet.

Etſi in actis veteribus S. Marci Evangeliſtæ fertur, eum quum è Cyrenaïca Alexandriam proficiſceretur, epiſcopos in Pentapoli creaſſe; ut proinde hæc ſaltem provincia ante Demetrii tempora epiſcopos proprios habuerit, Alexandrino licet Antiſtiti ſubjectos; horum tamen ordinatio ad eum ſolum omnino ſpectabat, quemadmodum & totius Ægypti ac Thebaïdis. Id teſtatur Syneſius ipſe Ptolemaïdis, quæ provinciæ hujus metropolis erat, epiſcopus, Theophilum Alexandrinum certiorem faciens, de electo Olbiatæ civitatis antiſtite Antonio. Unum ſupereſſe ait, idque præcipuum, uti Theophilus ſacram illi manum imponat. ἑνὸς οὖν ἔτι δεῖ τοῦ κρατίστου μέντοι τῆς ἱερᾶς σου χειρός· ceu nimirum Syneſius agnoſceret ſui muneris non eſſe eum ordinare. Epiſtola 67. eidem Theophilo narrat à Philone Cyrenes epiſcopo ordinatum olim eſſe Siderium Palæbiſcæ, ſed velut à ſenioribus audierat, non ſervato canonum præſcripto, *ut pote non Alexandriæ, nec à tribus epiſcopis*, μήτε ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κατασταθέντα, μήτε παρὰ τριῶν ἐνθάδε. ſanctum vero Athanaſium peccatum hoc Philoni condonaſſe, propter temporum illorum, quibus Ariani in eccleſias impunè graſſabantur, injuriam & difficultatem. Ac certe canonicis ſanctionibus, à ſanctiſſimis quoque epiſcopis derogabatur, quibus potior hæc regula eſſet, *ſalus eccleſiæ, ſuprema lex eſto.* Eadem epiſtola Syneſius declarat, ſe non metropolitico ac ſuopte jure, ſed ex ſpeciali archiepiſcopi ſui Theophili delegatione Pentapolis negotia gerere. Quocirca Lamponiani preſbyteri, qui Jaſonem collegam ſuum injuria, imo, ut conjiciendum datur, plaga inflicta affecerat, facinus ad Theophilum, ejuſque ἱερατικὴν καθέδραν, *ſacerdotalem cathedram* à ſe relatum ait, ut non niſi à divina, humaniſſimaque anima indulgentiæ teſſeram ille ſperaret. καὶ παρὰ τῆς θεσπεσίας σοῦ, καὶ φιλανθρωποτάτης ψυχῆς περιμενέτω τῆς συγγνώμης τὸ σύνθημα.

Epiſt. 76.

Meletius Lycopolis in Thebaïde epiſcopus, à fidelium communione Petri Alexandrini auctoritate rejectus, per diverſas Ægyptiacæ diœceſis provincias multos hinc inde epiſcopos creavit, ſe Alexandrini antiſtitis vicarium eſſe jactitans. Hunc enim audacioris hujus facinoris colorem ſequaces illius attulerunt in libellis ſuis, quos Epiphanius eorum fraude non intellecta exſcribebat hær. 68. ἐδόκει δὲ καὶ ὁ Μελήτιος τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον προέχειν, καὶ δευτερεύων τοῦ Πέτρου κατὰ τὴν ἀρχιεπισκοπὴν, ὡς δῆθεν ἀντιλήψεως αὐτοῦ χάριν. *Ac Meletius quidem reliquis Ægypti epiſcopis præcellere videbatur, & ſecundo poſt Petrum Alexandrinum quod archiepiſcopatum ſpectat, loco potiri, tamquam illius adjutor.* Quinimo ſeſe pro Thebaïdis archiepiſcopo venditabat; ipſomet rurſum teſtante Epiphanio, ex

S. Epiph. hær. 68. n. 1.

Hær. 69.

Digitized by Google

Meletianorum aliis neſcio quibus monumentis: ὁ τῆς Αἰγύπτου ἀπὸ Θηβαΐδος δοκῶν εἶναι καὶ αὐτὸς ἀρχιεπίσκοπος. quam ei appellationem *archiepiſcopi* attribuere non dubitat, ubi addit illum, antequam factio illius in implacabiles adverſus eccleſiam catholicam inimicitias exarſiſſet, varias Arii molitiones Alexandro Alexandrino indicaſſe, ἀνήνεγκε τοίνυν εἰς τὰ ὦτα τοῦ ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξάνδρου ὁ ἀρχιεπίσκοπος Μελίτιος ὃς κατὰ τὴν Αἴγυπτον ὑπὸ δὲ χεῖρα Ἀλεξάνδρου ἐδόκει εἶναι. *Tum vero Meletius qui in Ægypto archiepiſcopus erat, ad Alexandri archiepiſcopi, cujus ditioni parebat, aures retulit, &c.*

Ibid.

Solus in tota diœceſi metropolitico jure fruebatur Alexandrinus Patriarcha.

XXXIX. Inverſæ Meletii auſu in Ægypto diſciplinæ Nicæna ſynodus certior facta quum eſſet, illius quidem ordinationes irritas eſſe pronuntiavit, data ad omnes Ægypti, Lybiæ & Pentapolis eccleſias epiſtola; ſexto inſuper canone ſancivit in illis provinciis mores antiquos eſſe ſervandos, ut Alexandrinus epiſcopus harum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ epiſcopo parilis mos eſt. τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν· ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν. Quod ſtatutum iſto ſenſu accipiendum docet locupletiſſimus teſtis Ruffinus preſbyter Aquilcienſis, ut Alexandrino epiſcopo poteſtas in eccleſias Ægypti, Libyæ & Pentapolis fuerit æqualis illi, qua Romanus epiſcopus ſuburbicarias ſuas moderabatur. Hæc verò in ſuburbicarias eccleſias Romani Papæ auctoritas erat, ut ipſe ſolus earum metropolita eſſet, ſoluſque adeo epiſcopos conſecraret per omnem à Gallia Ciſalpina Italiam, Siciliam, & Corſicam inſulam.

Hiſt. Eccl. lib. 1. c. 6.

Nec quiſquam opponat varios in Ægyptiaca diœceſi præter Alexandrinum metropolitas epiſcopos exſtitiſſe, eò præſertim quod Theodoſius junior in litteris ſuis, quibus Epheſinam ſynodum ſecundam cogebat, Dioſcoro Alexandrino ſcripſerit, uti decem ſecum metropolitas ad eum conventum adduceret. Verum enimvero epiſtola hæc Imperatoris non uni Dioſcoro ſcripta fuit, ſed aliis quoque magnarum eccleſiarum archiepiſcopis, Antiocheno ſcilicet, Cæſarienſi, Epheſino, Heracleenſi, &c. uti cum decem, ſi totidem ſibi ſubeſſent, metropolitis ad concilium ſinguli convenirent. Ac certe Ægyptiacæ diœceſis, pro civili ejus partitione, non decem, ſed novem dumtaxat provinciæ erant, quarum una ac primaria erat Ægyptus prima, cujus caput Alexandria, ut ex conſequenti ne novem quidem, ſed octo ſolum metropolitas Epheſum ducere potuerit, ſi totidem in Ægypto metropoles eccleſiaſticæ, quot civiles fuiſſent. Quinimo quum Dioſcorus ad ſynodum illam Epheſinam poſteriorem viginti-quatuor Ægyptiacæ diœceſis epiſcopos deduxerit, vix duos ex illis reperire ſit, qui civitatibus provinciarum primariis præfuerint, & metropolitæ cenſeri debuerint.

Relatis in act. 1. Conc. Chalced.

Non prorſus tamen inficias ivero, primarium quemdam in unaquaque Ægypti provincia epiſcopum, ſingularem ejuſdem regionis eccleſiarum ſollicitudinem geſſiſſe, modo non, ut prædixi, metropolitico jure. Syneſius quippe quum Ptolemaïdis, quæ Cyrenaïcæ ſeu Pentapolis caput erat, eccleſiam regeret, epiſtola 13. narrat ſe provinciæ ſuæ eccleſiis, datis litteris nuntiaſſe qua die anno illo Paſchalis ſolemnitas celebranda foret. Ait quoque, poſt ordinationem ſuam multorum epiſcoporum in eadem urbe ſua conventum habitum eſſe, ἐπεὶ καὶ τῆς ἐνθάδε συνόδου πλῆθος δὲ συχνὸν ἱερέων. Epiſtola inſuper 67. Ptolemaïdis ſuæ eccleſiam *metropoliticam* appellat, τὴν μητρόπολιν ἐκκλησίαν, inque ſuam urbem epiſcopos penè omnes ejuſdem provinciæ conveniſſe, ad negotium aliquod civile tractandum, κατά τινα σκέψιν πολιτικήν. Rurſumque ſubinde vicinarum urbium præſules, qui alia atque alia de cauſa venerant; quum una congregati eſſent, concordi ſententia judicaſſe, ad quem epiſcopum ſpectaret ea regionis illius portio, quæ Dardanitis dicebatur. Cæterum eadem epiſtola Alexandrino archiepiſcopo Syneſius declarat, ſe lege quaſi divina obſtrictum ad Alexandrinæ ſedis, adeoque Theophili mandatis obtemperandum. *Volo ego, ait, & divina penè mihi impoſita neceſſitas eſt pro lege habendi quidquid thronus ille ſtatuerit. Propterea lugubri abjecta occupatione, affectum corpuſculum ad laborem compellens..... Palæbiſcam & Hydracem perveni, Pentapolis vicos ſiticuloſæ Libyæ vicinos, &c.* ἐγὼ καὶ βούλομαι, καὶ ἀνάγκη μοι θεία, νόμον ἡγεῖσθαι πᾶν ὅ, τι ἂν ἐκεῖνος ὁ θρόνος θεσπίσῃ. διὰ τοῦτο καὶ πένθιμον ἀσχολίαν παραιτησάμενος, καὶ νοσοκομούμενον ἔτι τὸ σῶμα πρὸς τοὺς πόνους ἐκβιασάμενος.... γέγονα κατὰ Παλαιβίσκαν τε, καὶ Ὑδράκα. κῶμαι δὲ αὗται Πενταπόλεως, καὶ τῆς διψηρᾶς Λιβύης αὐτὰ τὰ μεθόρια. κ. τ. ἑ. ut ſcilicet quæ ſibi injuncta eſſent exequeretur, Alexandrina delegatione fungens. Scribit inſuper ſe ejuſdem archiepiſc. ſui juſſu cauſam inter Paulum Erythri & Dioſcorum Dardanitis, provinciæ itidem Cyrenaïcæ epiſcoporum, qui de loco quodam Deo conſecrato mutuò diſſidebant, diſceptandam ſuſcepiſſe: quam certè quivis metropolita ſuopte jure dirimere poterat. Quidni verò Ptolemaïdis epiſcopus, cujus provincia prolixæ ſolitudinis intervallo

Ibid.

Ibid.

Digitized by Google

ab Ægypto ſejuncta erat, ubi negotia eccleſiarum poſtularent, pari jure regionis ſuæ epiſcopos cogere, Alexandrino archiepiſcopo annuente, potuerit, quo Panormitanus Siciliæ præſul, tametſi Sicilia omnis uni, ut dictum eſt, metropolitæ Romano eſſet obnoxia! Harum Siciliæ ſynodorum non ſemel meminit in epiſtolis Gregorius magnus Papa, ut alios ejus deceſſores omittam.

Apud S. Athanaſium apolog. contra Arianos, num. 69.

Arſenius Meletianæ quondam factionis, Hypſeles in prima Thebaïde epiſcopus, cum ſuis preſbyteris & diaconis ad Athanaſium reverſus, ſcripta epiſtola profeſſus eſt, ſe non pacem modo & unionem amplecti cum eccleſia catholica, ſed velle quoque deinceps ejus eccleſiaſtico canoni *pro veteri inſtituto ſubjici*, κατὰ τὸν παλαιὸν τύπον ὑποτάσσεσθαι. *Scribimus tibi, dilecte Papa*, inquit, *promittimuſque in nomine Domini in poſterum nos nequaquam communicaturos cum ſchiſmaticis, ſeu iis quibus non eſt pax cum eccleſia catholica, ſive epiſcopi ſint, ſive preſbyteri, ſive diaconi, neque cum illis conſenſuros, ſi in ſynodo aliquid ſtatuere velint, neque litteras pacificas miſſuros, aut ab eis accepturos, neque ſine ſententia tua qui metropolis epiſcopus es, quamlibet definitionem de epiſcopis, aut decreto quovis eccleſiaſtico edituros; ſed obtemperaturos omnibus, quæ priùs ſancitæ ſunt regulis.* Γράφομέν σοι, ἀγαπητὲ Πάπα, ὁμολογοῦντες ἐν ὀνόματι Κυρίου τοῦ λοιποῦ μὴ κοινωνήσειν τοῖς ἐν σχίσμασι, καὶ μηδέπω εἰρηνεύουσι πρὸς τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν, ἐπισκόποις τε, καὶ πρεσβυτέροις, καὶ διακόνοις, μήτε συνθέσθαι αὐτοῖς βουλομένοις τι ἐν συνόδῳ, μήτε γράμματα εἰρηνικὰ ἀποστέλλειν, μήτε δέξασθαι παρ' αὐτῶν, μηδ' ἂν δίχα γνώμης σου τοῦ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπου, ὅρον τινὰ ἐκφέρειν περὶ ἐπισκόπων, ἢ περὶ δόγματος ἑτέρου κοινοῦ ἐκκλησιαστικοῦ· ἀλλ' εἴκειν πᾶσι τοῖς προτετυπωμένοις κανόσι. En Arſenius oppidi Thebaïdis epiſcopus alium metropolitam non agnoſcit præter Alexandrinum, cui per omnia ſeſe obnoxium pronuntiat.

Sine ejus auctoritate nihil ſibi licere profitebantur Ægypti epiſcopi.

Act. 4. col. 515. edit. Labb.

XL. In ſynodo Chalcedonenſi Ægypti tredecim epiſcopi palam ſignificarunt, quanta eſſet apud ſe Alexandrini antiſtitis auctoritas, citra cujus ſententiam nihil in quibuſvis conciliis ſe poſſe definire declaraverunt. Quum enim damnato jam proſcriptoque Dioſcoro, à numeroſo Patrum qui aderant, cœtu urgerentur, uti Leonis papæ ad Flavianum epiſtolæ ſubſcriberent, prolato canone 6. ſynodi Nicænæ, ſibi fas eſſe negaverunt, decretum eccleſiaſticum ratum facere, niſi archiepiſcopo ſuo ductore. *Exſpectetis*, aiebant, *noſtrum archiepiſcopum, ut ſecundum antiquam conſuetudinem, ſententiam illius ſequamur: quia ſi extra voluntatem præſidis aliquid facimus, veluti præſumptores, & non ſervantes canones, ſecundum antiquam conſuetu-*

A *tudinem, Ægyptiacæ nationes omnes conſurgent in nos.* ἀναμεῖναι τὸν ἡμέτερον ἀρχιεπίσκοπον, ἵνα κατὰ τὰ ἀρχαῖα ἔθη τῇ γνώμῃ ἐκείνου ἐξακολουθήσωμεν· ἐὰν γὰρ παρὰ τὴν τοῦ ἡγεμονεύοντος γνώμην ποιήσωμέν τι, ὡς ἀκανονίστοις ἐπέρχονται ἡμῖν οἱ ἀπὸ πάσης τῆς Αἰγυπτιακῆς διοικήσεως, καὶ ὡς ἀθετήσασι, καὶ μὴ φυλάξασι τὰ ἀρχαῖα ἔθη κατὰ τοὺς κανόνας. Quin & proni in terram Patrum Chalcedonenſium miſericordiam & clementiam depoſcebant, ipſum Anatolium Conſtantinopolitanum teſtem appellantes illius conſuetudinis à qua recedere ſibi fas non eſſe dicebant, promittentes inſuper ſe ſequuturos in
B omnibus ſuum archiepiſcopum, ſi à ſancta ſynodo eligatur unus & ordinetur. *Fiat hic*, inquiebant, *archiepiſcopus, & ſubſcribimus, & conſentimus: miſeremini canorum noſtrorum. Detur hic archiepiſcopus.* γενέσθω ὧδε ἀρχιεπίσκοπος, καὶ ὑπογράφομεν, καὶ συντιθέμεθα. τὰς πολιὰς ἡμῶν ἐλεήσατε· δοθήτω ὧδε ἀρχιεπίσκοπος.

Quam quidem ſubſcriptionis ipſorum in illud tempus differendæ cauſam eſſe legitimam cenſuerunt proceres concilii moderatores, eorumque precibus annuentes ad Patres dixerunt: *Quoniam reverendiſſimi epi-*
C *ſcopi Ægyptiorum, non tamquam catholicæ fidei repugnantes, ſubſcribere in præſenti diſtulerunt epiſtolæ ſanctiſſimi archiepiſcopi Leonis, ſed dicentes eſſe conſuetudinem in Ægyptiaca regione extra ſententiam, juſſionemque archiepiſcopi nihil tale fieri, poſtulant autem ſuſtineri ſe donec conſecretur epiſcopus magnæ civitatis Alexandrinæ: rationabile nobis & clementiæ eſſe apparuit, ut in eodem habitu exſpectent in regia civitate, & dilationem habeant uſque ad ordinationem archiepiſcopi magnæ civitatis Alexandrinæ.* ἐπειδὴ οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι τῶν Αἰ-
D γυπτίων οὐχ ὡς μαχόμενοι τῇ καθολικῇ πίστει, ὑπογράψαι τῇ ἐπιστολῇ τοῦ ὁσιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Λέοντος ἐπὶ τοῦ παρόντος ἀνεβάλλοντο, ἀλλὰ φάσκοντες ἔθος εἶναι ἐν τῇ Αἰγυπτιακῇ διοικήσει, παρὰ γνώμην καὶ διατύπωσιν τοῦ ἀρχιεπισκόπου μηδὲν τοιοῦτο ποιεῖν, καὶ ἀξιοῦσιν ἐνδοθῆναι αὐτοῖς ἄχρι τῆς χειροτονίας τοῦ ἐσομένου τῆς Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως ἐπισκόπου· εὔλογον ἡμῖν ἐφάνη καὶ φιλάνθρωπον, ὥστε αὐτοῖς μένουσιν ἐπὶ τοῦ ἰδίου σχήματος ἐν τῇ βασιλευούσῃ πόλει, ἔνδοσιν παρασχεθῆναι, ἄχρις ἂν χειροτονηθῇ ἀρχιεπίσκοπος τῆς Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως. Promiſſis quidem illi non ſte-
E terunt, electo in Dioſcori locum ſanctiſſimo Proterio; protelandæ tamen ſubſcriptionis quem obtenderunt colorem, minime falſum eſſe noverant proceres illi, evincitque illa quam modo recitabam Arſenii ad Athanaſium epiſtola.

Ibid. col. 518.

Per Ægyptum omnem, preſbyterorum facit ordinationes.

XLI. Ea profecto erat Alexandrini epiſcopi per Ægyptum omnem potentia, ut in omnibus diœceſis ſuæ provinciis & civitatibus preſbyteros ordinare non dubitaret. Socrates

Digitized by Google

enim lib. 2. hiſt. eccl. cap. 24. narrat Athanaſium, quum Peluſio Alexandriam pergeret, quibuſdam in eccleſiis ordinationes feciſſe, ἔν τισι τῶν ἐκκλησιῶν καὶ χειροτονίας ἐποίει, ordinationes utique clericorum, non epiſcoporum. *Lib. 6. cap. 7.* Plane eodem Socrate teſte, quum Theophilus itidem Alexandrinus Dioſcorum Hermopolis epiſcopum conſecraſſet, in hac ipſamet eccleſia monachos duos Dioſcori epiſcopi ſocios & fratres clericos ordinavit, moxque eccleſiæ Alexandrinæ, ut apparet, œconomos, ſive diſpenſatores conſtituit: δύο δὲ ἐξ αὐτῶν παρεκάλεσε συνεῖναι αὐτῷ.... καὶ τῇ τῶν κληρικῶν ἀξίᾳ τιμήσας, τὴν οἰκονομίαν τῆς ἐκκλησίας αὐτοῖς ἐνεχείρισεν. Henſchenius in notis ad vitam S. Pachomii ad eum locum ubi legitur Serapionem Tentyrorum epiſcopum, *Acta SS. t. 3. menſis Maii. p. 396.* » Athanaſium, qui Thebaïdem de more luſtrabat, rogaſſe ut Pachomium preſbyterum ordinaret, hæc obſervat, ſibi quidem videri » ad ſolius Patriarchæ officium pertinuiſſe, » non tantum epiſcoporum, ſed etiam preſbyterorum ordinationes, per omnes ſibi ſubjectas diœceſes; ita ut eos epiſcopi niſi ex ejus » licentia & mandato potuerint ordinare. Hoc » enim probat epiſcopi Tentyrani poſtulatio, » pro Pachomio ſuæ diœceſis monacho, cum » titulo preſbyteri, præficiendo. Satius vero dicendum, ut epiſcopis Ægypti ſingulis in ſuis eccleſiis, ita & Alexandrino patriarchæ jus fuiſſe per omnem ipſius ditionem preſbyteros, alioſque inferiores clericos ordinandi.

Quocirca Meletius ille Lycopolitanus, de quo ſupra, Alexandrini archiepiſcopi vices præfractè arripiens, pari qua hinc inde epiſcopos conſecrare præſumpſerat, eadem audacia & preſbyteros & clericos paſſim per eccleſias ordinavit. καθ' ἕκαστον τόπον διερχόμενος, καθίστη κληρικούς, ἐπισκόπους τε, καὶ πρεσβυτέρους, καὶ διακόνους, *Hær. 68. n. 3.* ait Epiphanius ex Meletianorum relatione. Quam ſane auctoritatem ipſimet Romani Pontifices, in ipſamet Italia nuſquam olim ſibi leguntur vindicaſſe. Atqui auctoritas hæc ſumma preſbyteros & clericos alios per Ægypti diœceſim omnem creandi, qua Alexandriæ antiſtites pollebant, quum ab aliarum eccleſiarum trito more & diſciplina diſcreparet, non aliunde originem duxiſſe putanda eſt, quam à prima Ægyptiacæ diœceſis inſtitutione & propagatione, qua Pontifex ille cum ſuo duodecim preſbyterorum ſenatu, cunctis & ſingulis quas primitus condebat eccleſiis preſbyteros præficiebat, epiſcopis aut nullis, aut paucis admodum, ob exiguum chriſtianorum numerum per civitates deſignatis.

Pari jure proinde (quod Antiochenum, Conſtantinopolitanum, nec-non Hieroſolymitanum Patriarchas habuiſſe ſuis locis oſtendimus) diœceſeos ſuæ eccleſias Alexandrinus quoque præſul viſitare conſueverat. In vita S. Pachomii n. 20. legimus magnum *Acta SS. Append. ad tom. 3. menſis Maii, p. 30.* Athanaſium, quum epiſcopatus ſui initio, ditionis ſuæ provincias & eccleſias viſeret, in ſuperiorem Thebaïdem Syenen uſque aſcendere ſtatuiſſe, ut eccleſias Dei in Fide confirmaret, ὁ δὲ ἁγιώτατος ἀρχιεπίσκοπος τῆς Ἀλεξανδρείας Ἀθανάσιος κατὰ τὸν καιρὸν ἀρχόμενος τῆς ἐπισκοπῆς, εἰς τὴν ἄνω Θηβαΐδα ἕως Συήνης βουλόμενος ἀπελθεῖν, τὰς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ στηρίζων. ubi nimirum cum à Serapione Tentyrorum rogatum eſſe diximus, uti divinum Pachomium ad preſbyteri gradum promoveret. Theophilum itidem patriarcham Alexandrinum monaſteria Ægypti, quæ Origeniani erroris ſuſpicione laborabant, norunt omnes paſſim adiiſſe, & quanta ſeveritate in monachos qui Origeni addicti videbantur, animadverterit neminem latet. Horum annuam memoriam Græci in Menæis recolunt die 10. Junii. τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, μνήμη τῶν ἁγίων μυρίων πατέρων, οὓς διὰ πυρὸς καὶ θανάτου βιαίου παρέδωκε Θεόφιλος ὁ ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας διὰ Ἰσίδωρον τὸν πρεσβύτερον. *Eodem die commemoratio plurimorum ſanctorum patrum, quos Theophilus Alexandriæ epiſcopus, igne & violenta morte, propter Iſidorum preſbyterum, enecavit.* Hæc *Halloix Orig. defenſ. p. 328.* Petrus Halloix ex veteri Menæorum Græcorum editione refert, quæ in recentioribus non reperiuntur. Qua igitur fronte potuerunt nonnulli ipſum Theophilum inter ſanctos numerare, quos publico cultu dignos *Petrus de Natal. & alii ad diem 5. Martii.* cenſuerit eccleſia!

XLII. *Patriarchæ Alexandrini etiam in rebus civilibus magna auctoritas.* Nec vero in eccleſias ſolum Ægypti, quantum ad res ſpirituales, ſumma erat Alexandrini epiſcopi auctoritas, verum & maxima quoque evaſit apud urbis & regionis illius plebem. Socrates lib. 7. hiſtor. cap. 7. narrat magnum Cyrillum, quum poſt triduum ab obitu patrui ſui Theophili, favente ſibi populi ſuffragio, & Abundantio præſidiariorum militum præfecto incaſſum obſiſtente, in Alexandrina ſede epiſcopali collocatus eſſet, majorem ſibi poteſtatem aſſumpſiſſe, quam Theophilus ipſe antehac exercuiſſet. Ex hoc quippe tempore epiſcopum Alexandrinum præter ſacri cleri principatum, rerum etiam ſæcularium dominatum quæſiviſſe. Quocirca Cyrillum nulla mora Novatianorum eccleſias, quæ Alexandriæ erant, clauſiſſe, ac non modo ſacra earum vaſa atque ornamenta abſtuliſſe, verum & epiſcopum illorum Theopemptum omnibus ſuis facultatibus nudaſſe. Hæc Socrates, in Novatianos alioqui propenſior, qui ſubinde cap. 11. Ruſticolam Novatianorum itidem epiſcopum queritur à Cæleſtino papa Romano, eorum pariter clauſis eccleſiis, clam in privatis ædibus

Digitized by Google

plebem colligere coactum, & ſubdit gravem inde invidiæ flammam in ſchiſmaticos illos tunc exarſiſſe, *quum epiſcopatus Romanus haud ſecus atque Alexandrinus, quaſi extra ſacerdotii fines egreſſus, jam olim in ſæcularem principatum eſſet delapſus* : τῆς Ῥωμαίων ἐπισκοπῆς ὁμοίως τῇ Ἀλεξανδρέων πέρα τῆς ἱερωσύνης, ἐπὶ δυναστείαν ἤδη πάλαι προελθούσης.

Idem auctor rurſum cap. 13. & ſeqq. ingentis hujus Cyrilli Alexandrini apud ſuos auctoritatis ſpecimina recitat : ac primum quidem ejus cum Oreſte præfecto diſſidium. Oreſti jampridem inviſam fuiſſe ait Alexandrinorum epiſcoporum dominationem, tum quod per illam poteſtas eorum qui ad regendas provincias ab Imperatore miſſi erant, plurimum imminuta eſſet, tum maxime quod Cyrillus in ejus edicta curioſiùs inquirere videretur. Subdit Cyrillum Judæos qui, excitato tumultu, in cauſa fuerant cur Hierax Chriſtianus, auditor ipſius aſſiduus, inflictis ſuppliciis cruciaretur, comminatum eſſe dignas laturos pœnas, niſi à Chriſtianis laceſſendis deſiſterent. Qui quum novas ſubinde in perniciem Chriſtianorum fraudes machinati fuiſſent, Chriſtianos quoque multos neci dediſſent, Cyrillus cum ingenti multitudine ad ſynagogas Judæorum profectus, ipſas evertit, Judæos vero urbe ejecit, fortunis interim ipſorum direptis. Quod quidem factum permoleſtè tulit præfectus Alexandriæ Oreſtes. Ibid. c. 14. Pergit idem Socrates quoſdam Nitriæ monachos, ut Oreſtem Cyrillo ſemper inſenſum intellexerunt, Alexandriam, agmine facto, profectos ipſum in curru procedentem præfectum contumeliis affeciſſe, quin & quemdam ex illis, Ammonium nomine, jacto lapide Oreſtem percuſſiſſe in capite. Quum autem nec tum ceſſaret Oreſtem inter & Cyrillum ſimultas, quidam Alexandriæ viri, Cap. 15. eodem Socrate teſte, ardentioribus animis præditi, quorum dux erat quidam Petrus lector, conſpiratione facta, Hypatiam Platonicæ philoſophiæ peritiſſimam feminam & Gentilem, propterea quod ipſam obſtare crederent, ne archiepiſcopus cum Oreſte reconciliaretur, è ſella, qua domum redibat detractam, ad eccleſiam rapuerunt, & veſtibus exutam, teſtis interemerunt, atque in fruſta diſcerptam igni tradiderunt.

Cyrilli ſucceſſor Dioſcorus, ſuam apud populos auctoritatem enormem magis oſtentavit, Breviarii cap. 10. *quem narrat opinio*, ait Liberatus, *civium ſuorum majorem habuiſſe dilectionem : opprimens Cyrilli hæredes & per calumnias multas ab eis anferens pecunias, dedit eas ſine fœnore artopolis & cauponibus civitatis, ut mundiſſimum panem & pretioſiſſimum vinum viliori pretio populis exhiberent*. Quæ ejus facinora fuſe

A recitata ſunt in concilio Chalcedonenſi; cujus Edit. Labb. col. 414. inſuper act. 3. narratur icones imagineſ-ve Marciani laureatas, quæ Alexandriam de more miſſæ erant, à Dioſcoro rejectas fuiſſe, *quippe qui Ægyptiacæ diœceſi dominari & imperare volebat, ſicut & geſta apud diverſos judices habita demonſtrabant*, ἑαυτὸν γὰρ μᾶλλον βασιλεύειν ἤθελε τῆς Αἰγυπτιακῆς διοικήσεως· καὶ τὰ πραχθέντα παρὰ διαφόροις ἄρχουσι δείκνυσι.

XLIII. Cæterum quum Alexandrinus Suæ tamen ſynodo erat obnoxius. antiſtes tanta apud ſuos potentia valeret, ſuæ tamen Ægyptiacæ ſynodo erat obnoxius. B Quod aperte ingenueque ſignificavit Theophilus ipſe Alexandrinus epiſtola, quam Joanni Chryſoſtomo aliquando ſcripſit. Hanc recitat Palladius dialogi auctor de vita ejuſ- Cap. 7. pag. 62. dem Chryſoſtomi. *Arbitror equidem*, ait Theophilus, *non ignorare te canonum Nicænorum decretum, quo ſancitur, ne epiſcopus litem extra fines ſuos judicet : ſin autem ignoras, diſce, & à libellis adverſus me vulgandis abſtine. Nam ſi judicari me oporteret, ab Ægyptiis epiſcopis judicandus ſum, non à te qui ſeptuaginta-quinque dierum itinere hinc abes.* οἶμαι C μέν σε μὴ ἀγνοεῖν τὸ διάταγμα τῶν ἐν Νικαίᾳ κανόνων, ὅπου διατάζουσιν ἐπίσκοπον ὑπερόριον μὴ κρίνειν δίκην· εἰ δὲ ἀγνοεῖς, μαθὼν ἀπόσχου τῶν κατ' ἐμοῦ λιβέλλων· εἰ γὰρ καὶ δέοι με κριθῆναι, παρὰ τῶν Αἰγυπτίων, καὶ οὐ παρὰ σοῦ ἀφεστῶτος ἑβδομηκονταπέντε ἡμερῶν ὁδόν.

XLIV. Summa illa Alexandrini Patriar- Alexandrini Patriarchæ auctoritas Ægypti eccleſiæ exitialis. chæ poteſtas, Ægypti eccleſiæ exitioſiſſima evaſit; quum enim, Dioſcoro in ſynodo Chalcedonenſi proſcripto, & Gangras in Paphlagonia, Marciani Auguſti juſſione deportato Proterius ſubrogatus eſſet, poſt annos D aliquot Alexandrina plebs, quam Dioſcorus dementaverat, audita ejus morte, Timotheum Ælurum magnis clamoribus epiſcopum poſtulavit, cui à duobus epiſcopis alterius diœceſis manus impoſitæ fuerunt. Hic paulo poſt, Marciano defuncto, populum adverſus Proterium commovens, majoris hebdomadis quinta feria, in Cæſareæ baſilicæ baptiſterio ipſum impiè interfecit.

Atqui ab iſto Timotheo Æluro, ait poſt auctorem Breviculi hiſt. Eutychianorum Liberatus, *duo Alexandrini epiſcopi cœperunt eſſe*, Cap. 15. Breviar. E *& quum Dioſcoriani eccleſias tenuiſſent, ſolverunt eam, quam habebant unitatem, expulſis quamplurimis epiſcopis, qui ſub Evangeliſtæ erant ſede beatiſſimi Marci*. Ac catholicæ quidem fidei alumni ſub Juſtino ſeniore Auguſto, ejuſque ſucceſſoribus ad Heraclium Imp. uſque Alexandriæ eccleſias quas inprimis à Timothei Soloſacioli obitu amiſerant, demum receperunt, ac tenuerunt. Sub Eulogio Scribone, & Joanne Eleemoſyn. patriarchis, qui rectam fidem colebant, Ægyptus

Digitized by Google

omnis monaſteriis abundabat catholicæ reli- A
gioni addictiſſimis: quemadmodum perhibetur in ejuſdem S. Joannis Eleemoſynarii vita, ac apud Joannem Moſchum paſſim in Prato ſpirituali. Verum ut orthodoxorum longe minor numerus erat, quam Dioſcorianorum, Saracenico bello graſſante, hæretici illi Monophyſitæ, qui & Jacobitæ audierunt, cum Benjamino Patriarcha ſuo ſeſe omnemque Ægyptum Mohammedano Califæ dedentes, eccleſias illas fere omnes ab illis impetravere, effeceruntque, ut qui ſynodum Chalcedonenſem profitebantur, affi- B
nitatis cum Byzantino imperatore ſuſpecti, ne quidem Patriarcham eligere ſibi potuerint totos octoginta & amplius annos; quo factum eſt, ut numerus eorum magis magiſque ſit imminutus.

In ea provincia Hæreſis Monophyſitarum dominatur.

XLV. Varius itaque fuit Alexandrinæ eccleſiæ pro variis temporibus ſtatus. Nam primum quidem ſanæ fidei tenaciſſima perſeveravit à S. Marco inſtitutore ſuo ad Dioſcorum uſque & Timotheum illum Ælurum; imo Marci ſedes orthodoxæ doctrinæ regula habebatur. Nihili ſiquidem putanda ſunt, C
quæ ſub Gregorio, Georgio & Lucio Arianis identidem hujus eccleſiæ tyrannis acciderunt; quum interim magnus Athanaſius ejuſque ſucceſſor Petrus ab omni Ægyptiaca diœceſi genuini ipſorum antiſtites primarii cenſerentur. A Timothei vero Æluri ordinatione Monophyſitarum ſucceſſio continua perſeveravit, non item vero eorum qui Chalcedonenſis ſynodi fidem retinebant. Quum enim Proterio catholico Timotheus alter Soloſaciolus ſuffectus eſſet, huicque ſubinde Joannes Talaïas, Petrus Mongus hæreticus D
poſt Ælurum Marci ſedem, Zenone Imperatore, arripuit, expulſoque Talaïa, à catholicis nullus ei datus ſucceſſor fuit, nec niſi Juſtiniano I. Imper. orthodoxus Patriarcha Alexandriæ denuò ſedere cœpit, promoto nimirum Paulo de Tabennenſium monaſterio, cui ſex alii ſucceſſere ad Cyrum uſque, qui Monophyſitas ſibi conciliandi vana ſpe deluſus Monotheliticum errorem in Ægyptum invexit, quem ejus ſucceſſor Petrus mordicus quoque tenuit. Hic deceſſoris ſui exemplum ſequutus Conſtantinopolim ſe- E
ceſſit, ſuſpectus factus Saracenis Mohammedanis, qui Ægypti provincias omnes occupaverant. Hi Jacobitis, ut pote qui Byzantinis Imperatoribus infenſi erant, cunctas Alexandriæ eccleſias tradidere, paucis dumtaxat minoribus exceptis, deincepſque prohibuere, ne qui Melchitæ audiebant, & catholicam Chalcedonenſis ſynodi fidem amplectebantur Patriarcham eligerent, uſque ad annum, ut oſtendemus, 729.

Catholico Patriarcha diu viduata manet Alexandrina eccleſia.

XLVI. Quam Alexandrinæ eccleſiæ viduitatem Eutychius ipſe Alexandrinus catholicæ communionis patriarcha, ad hunc modum deſcribit. *Accepit ergo Coſmas patriarcha à Jacobitis eccleſias, atque inter cæteras eccleſiam Cæſaream; ſiquidem ab eo tempore, quo Georgius patriarcha Alexandriæ Conſtantinopolim fugit, anno 3. Califatus Omari filii Elkitabi, donec conſtitueretur Coſmas Alexandriæ patriarcha anno 7. Califatus Hiſchami, fuit cathedra Alexandrina abſque patriarcha Melchita, ſpatio ſcilicet annorum nonaginta ſeptem: occupaverantque Jacobitæ omnes eccleſias, tam Ægypti quam Alexandriæ. Quumque opus haberent Nubii epiſcopis, ordinavit Patriarcha Jacobitarum ipſis epiſcopos; atque ex eo tempore Jacobitarum ſententiam amplexa eſt Nubia: & quotieſcumque moreretur in aliqua urbe Ægypti epiſcopus, alium ipſis conſtituit Jacobitarum Patriarcha. Adeoque facta eſt Ægyptus, tam ſuperior quam inferior, Jacobitica: excepta eccleſia Michaëlis, quæ eſt in Caſſar Elchema,* i.e. *in arce candelarum ſeu luminum. Hanc ſcilicet retinuerunt Melchitæ; quumque moreretur ipſis epiſcopus, ad Tyri metropolitam mittebant, qui ipſis epiſcopum ordinabat. Neque ita ſe habere deſiit Melchitarum in Ægypto & Alexandriæ ſtatus, uſque ad Coſmam patriarcham.* Ex quo teſtimonio apparet ſub catholicis principibus rectam fidem in Ægypti provinciis ſic redintegratam fuiſſe, ut diœceſis hujus eccleſiæ fere omnes ab orthodoxis præſulibus tenerentur. Verum Saracenorum tyrannide factum eſt, ut Jacobitis invaleſcentibus, Melchitarum eccleſia ad anguſtiſſimos limites redacta eſſet, neque ultra inferiorem Ægyptum alumnos haberet.

T. 2. pag. 385.

Ægyptum Monothelitica quoque hæreſis inficit.

XLVII. Eutychius narrat initio Saracenicæ dominationis ad Coſmam uſque patriarcham Melchitas epiſcopos ſuos ad Tyri metropolitam miſiſſe, à quo ordinarentur; quod ut facerent, in cauſa mihi videtur fuiſſe, quod quum Cyrus eos Monothelitica labe infeciſſet, quæ in Syria maxime vigebat, ad eos epiſcopi illorum ordinationis cauſa pergendum putarent, quos erroris ſui ſocios noverant. Alioqui non erat cur Tyrum potius Ægyptii illi ordinandi pergerent, quam in Palæſtinam, quæ Ægypto vicinior eſt quam Phœnicia, & in qua recta fides incolumis ſervabatur. Plane in ſexta ſynodo generali, quæ anno 680. celebrata fuit, non Macarius modo Antiochenus patriarcha, qui Conſtantinopoli lares fixerat, ob Monotheliticam hæreſim proſcriptus fuit, verum & act. 16. Conſtantinus preſbyter Apamenſis eccleſiæ ſecundæ Syriæ ab Abrahamio Arethuſæ epiſcopo ordinatus, ſe eodem errore imbutum teſtatus eſt, quem proinde in Syriæ

Digitized by Google

partibus edoctus fuerat. In cod. regio 2505. A S. Sophronii ad Sergium Conſtantinopolitanum epiſtola interpolata exſtat, præcipuorum Monothelitarum ſeriem continens, quorum agmen ducit Armaſius ſive Harmatius Alexandrinus, qui interpolatoris ævo, Alexandriæ veritatem adhuc impugnabat. *Macarius Antiochenus, & Stephanus ejus diſcipulus, ſimulque amentiæ magiſter Polychronius, novus Simon Magus,* καὶ ὁ κατὰ τὴν Ἀλεξανδρείαν μέχρι νῦν τῇ ἀληθείᾳ μαχόμενος Ἀρμάσιος τὸ κάθαρμα, *& qui nunc uſque Alexandriæ veritatem oppugnat Armaſius piacularis homo.* Quam interpolationem doctiſſimus Cotelerius edidit in B notis ad tomum primum Monumentorum eccleſiæ Græcæ. Quinimo Coſmas ipſe primus Alexandrinæ eccleſiæ poſt longam illam viduitatem Patriarcha, eamdem hæreſim pontificatus ſui initio tenebat; quam deinde cum ſuis ejuravit. Quamquam ſæculo quoque duodecimo deſinente, ac decimo-tertio ineunte Marcus Alexandrinus miſſis ad Theodorum Balſamonem quamplurimis quæſtionibus quarum ſolutionem poſtulabat, illi ſignificavit in ſua diœceſi ſuperſtites adhuc C eſſe Monothelitici veneni reliquias. Nimirum interrogatio XXV. eſt *de Monotheleta ſacerdote*, qui quum ad orthodoxam fidem rediiſſet, rurſum ad vomitum reverſus erat, ſubindeque facti pœnitens ſuſcipi poſtulabat. Μονοθελητὴς ἱερατικὸν ἔχων ἐπάγγελμα. Interrogatio XXXII. eſt, *An citra præjudicium infantium ſuſceptiones fiant à Latinis, Armenis, Monotheletis,* Μονοθελητῶν, *Neſtorianis & cæteris ejuſmodi.* Quæ argumenta ſunt Monotheliticam hæreſim in Ægypto perſeveraſſe ad decimum-tertium ſæculum uſque, nunc D vero prorſus interiit, & ipſa quoque Melchitica, ſeu Græca eccleſia ad pauciſſimos homines redacta eſt.

Chriſti religionem in Cyrenaïca Pentapoli à S. Marco inſtitutam, & ab eo epiſcopos hac in provincia prius creatos dixi, quam Alexandriam evangelium in ea prædicaturus pergeret; inſuper & Alexandria miſſos ſubinde prædicatores in Ægypti & Thebaïdis provincias, quas paulatim cæleſti doctrina imbuerunt. Supereſt ut dicamus de regionibus aliis, quæ per Alexandrinos archiepiſcopos ad fidem traductæ, ad ejus diœceſim E pertinuerunt.

De Æthiopica eccleſia Alexandrino Patriarchæ ſubjecta.

XLVIII. Athanaſio magno pontifice, Alexandrinæ ſedis juriſdictio ad Æthiopes uſque interioris Africæ, quos *Habeſſinos, Abyſſinoſ*-ve nominamus, prolata fuit; quum hæc gens per Frumentium, quem ſanctiſſimus archiepiſcopus ad evangelium prædicandum illò miſerat, Chriſto nomen dediſſet. Cujus quidem delegationis hiſtoriam litteris primus conſignavit Ruffinus Aquileïenſis preſbyter lib. 1. hiſt. eccl. cap. 9. atque ex eo deinceps Græcè deſcripſerunt Socrates lib. 1. cap. 19. & Sozomenus lib. 2. cap. 24. qui tamen omnes in eumdem errorem impegerunt, ut Indiam interiorem, ſeu Æthiopiam illam, quæ ſub Athanaſio in Chriſtum credidit, mediam eſſe putaverint inter Indiam Orientalem & Parthiam; quum hæc Ægypto ad Auſtrum exiſtat, in qua & Nili fontes ſcaturiunt.

S. Frumentius Æthiopes ad fidem convertit.

Abyſſini itaque Chriſto nomen dederunt beato Frumentio doctore. Is nempe quum puer adhuc eſſet, Meropium Tyrium philoſophum cum Ædeſio ſocio ſequutus, illuc primum appulit, ubi & veram religionem profeſſus eſt, faventibus ſibi regionis incolis. Quocirca Alexandriam poſtmodum veniens, Athanaſio, qui nuper ſacerdotium inierat, perſuaſit ut huic genti epiſcopum deſignaret. Tum ſanctiſſimus archiepiſcopus habito ſacerdotum conſilio, non alium illuc mittendum cenſuit, niſi Frumentium ipſum, quem continuò Indorum illorum pontificem conſecravit. Qui quum illuc perrexiſſet, *tanta ei data poteſtas dicitur,* ait Ruffinus, *ut ſigna per eum apoſtolica fierent, & infinitus populus barbarorum converteretur ad Fidem, ex quo in Indiæ partibus, & populi chriſtianorum, & eccleſiæ factæ ſunt, & ſacerdotium cœpit.* Nimirum Æthiopes Abyſſini à Frumentio ad noſtra uſque tempora ab Alexandrino throno, utinam non ſubinde hæreſi Severianorum infecto, gentis ſuæ metropolitas ſemper accepere, quibus Frumentius, quem uti ſanctum merito venerantur & colunt, *Fremenatos* dicitur.

In Æthiopiam Ariani fruſtra tentant irrumpere.

XLIX. Frumentii ætate furebat adverſus eccleſiam Ariana impietas, quibus grave moleſtumque fuit gentem haud prorſus ignobilem Athanaſii opera ſinceram Chriſti fidem amplexam eſſe. Quapropter, quantum ex hiſtoriæ eccleſiaſticæ Philoſtorgii excerptis, quæ Photius collegit conſtat, Theophilus quidam genere Indus, Conſtantio Auguſto, Georgii qui Alexandrinam ſedem Athanaſio eripuerat, conſilio ad Æthiopes eoſdem quorum metropolis erat Axuma, profectus eſt: unde confectis ibidem pro voto, ut jactabat, negotiis, ad Romanos reverſus, multis muneribus ab Imperatore donatus fuit. Hunc Ariani velut egregium quoddam virtutis ſimulacrum conſpexere. Atqui extra dubium eſt Theophilum ad Indos ſeu Æthiopes Abeſſinos à Conſtantio miſſum, ut gentis illius principes induceret ad Frumentium è ſua regione ejiciendum: quod Athanaſius ipſe confirmat in ſua ad eumdem Imperatorem Apologia, relata inſuper ipſamet

Num. 31. pag. 315.

Digitized by Google

Conſtantii Auguſti epiſtola ad illos Axumitarum gentis tyrannos ſive principes, qua eis gratulabatur, quod expulſo impoſtore illo & circulatore, viris gravibus, & omni admiratione majoribus adhæſiſſent, hortabaturque ut, ſpreto Athanaſio homine decem necibus digno, ad cæleſtia eveherentur, duce itineris reverendiſſimo Georgio, viro in hujuſmodi rebus omnium exercitatiſſimo. Frumentium ait in epiſcopatus gradum nequaquam promoveri potuiſſe ab Athanaſio ſexcentis criminibus obnoxio, quique cathedra excidiſſet; quapropter eum mitti quamprimum jubet Imperator ad Georgium, ut ab eo ordinatus iterum in Æthiopiam reverti poſſit, ſi ita voluerit. Verum fruſtra ſibi applaudebat Imperator de ejecto ex Æthiopia illa Frumentio, falſoque garrit Philoſtorgius cuncta apud Æthiopes Theophilum, ut Conſtantio arridebat, perpetraſſe. Nam Frumentius apud illos quietus manſit, eamque gentem in orthodoxæ fidei profeſſione confirmavit: ſed nec Theophilus ille reverſus eſt illuc, verum in Syria vitam ad obitum uſque duxit.

De Axumitis Æthiopum gente error Theophanis.

Pag. 188. & 189.

Non me fugit Theophanem ad annum 16. Juſtiniani I. imperatoris, narrare Adad regem Axumitarum, (vel Exumitarum, ut ipſe habet in editis) perinde atque Damianum regem Homeritarum, Judæorum religionem ſectatum eſſe; poſt vero Chriſtianam fidem amplexum, quum votis Chriſto nuncupatis victor de Homerita rediiſſet. Quocirca oratores ab eo miſſos ad Juſtinianum, qui epiſcopum & clericos poſtularent; deſignatumque ſtatim epiſcopum, eccleſiæ Alexandrinæ manſionarium, virum pietate & virginitate cuſtodita venerabilem, annos natum ſexaginta duos, qui gentem Axumitarum omnem chriſtianam reddidit. ὁ τῶν Ἐξουμιτῶν βασιλεὺς ἐνδότερός ἐστιν τῆς Αἰγύπτου, Ἰουδαΐζων .... καὶ ἦλθον εἰς ἔχθραν μεγάλην, καὶ συνέβαλον πόλεμον μετ᾽ ἀλλήλων (Ἀδὰδ Ἐξουμιτῶν καὶ Δαμιανὸς Ὁμηριτῶν.) καὶ ἐν τῷ μέλλειν αὐτοὺς πολεμεῖν, Ἀδὰδ ὁ τῶν Ἐξουμιτῶν βασιλεὺς ἐπεύξατο, λέγων· ὅτι εἰ νικήσω τὸν Ὁμηρίτην, Χριστιανὸς γίνομαι· καὶ ὅτι ὑπὲρ Χριστιανῶν πολεμῶ· καὶ τῇ τοῦ Θεοῦ ἐνεργείᾳ ἐνίκησεν κατὰ κράτος καὶ ἔλαβεν αἰχμάλωτον ζῶντα Δαμιανὸν τὸν βασιλέα αὐτῶν ..... καὶ εὐχαριστήσας τῷ Θεῷ Ἀδὰδ ἔπεμψεν πρὸς τὸν βασιλέα Ἰουστινιανὸν λαβεῖν ἐπίσκοπον, καὶ κληρικοὺς, καὶ διδαχθῆναι γενέσθαι Χριστιανούς.. καὶ οὕτως ἐπίστευσαν τῷ Χριστῷ, καὶ ἐφωτίσθησαν ἅπαντες αὐτοί.

Inſtituta apud Homeritas eccleſia.

L. Quæ Theophanis narratio, quam ejus interpretes & Simeon Logotheta integram deſcripſere, uti cum Athanaſii, Ruffini, aliorumque veterum monumentis aperte pugnat, ita nec cum Procopii hiſtoriis, aliiſque teſtimoniis quæ Theophanes ipſe non ignoravit, conciliari penitus poteſt. Ipſe ſiquidem Theophanes ad annum quintum Juſtini ſenioris retulerat, *nefarium facinus adverſus ſanctum Aretham, cæteroſque urbis Negræ incolas admiſſum eſſe, bellumque ab Eleſbaa Æthiopum rege contra Homeritas ſuſceptum, victoriamque demum ab ipſis reportatam*, τῷ δ᾽ αὐτῷ ἔτει (Ῥωμ. βασιλ. Ἰουστῖνος, ε.) καὶ τὰ κατὰ τὸν ἅγιον Ἀρέθαν καὶ τοὺς ἐν Νεγρᾷ τῇ πόλει ἐπεπράχθη ὑπὸ τῶν Ὁμηριτῶν, καὶ πόλεμος Ἐλεσβαὰ τοῦ βασιλέως τῶν Αἰθιόπων πρὸς τοὺς Ὁμηρίτας, καὶ ἡ νίκη αὐτοῦ. At certe Eleſbaas, ſive Eleſbaan ille Æthiopum Axumitarum monarcha erat, & Chriſto addictiſſimus, qui religionis ulciſcendæ cauſa bellum hoc adverſus Homeritas ſuſcepit, ſuperatoque & capto eorum tyranno Dunaan Judæo, ac rebus tum apud Homeritas, tum apud Axumitas ſuos compoſitis, monaſticæ vitæ ſeſe ad mortem uſque dedidit. Quod certe bellum Eleſbaæ cum Dunaan ex ſincerioribus actis S. Arethæ martyris Græcè deſcriptum in ſchedis habeo: illud autem martyrium revera eo quo Theophanes notavit anno quinto Juſtini Auguſti, accidit; non Aſterio, ut perperam apud Metaphraſtem & Surium legitur, ſed Timotheo Alexandrinam ſedem tenente. Nemo non ſentiat Theophanem quum oſcitantius hanc annalium ſuorum partem conderet, *Damianum* pro *Dunaan* legiſſe. *Damianum* Δαμιανὸν perinde habet Logotheta, ut & Anaſtaſius in Latina ſua tranſlatione.

Pag. 144.

Lib. 1. de bello Perſico, cap. 20.

Procopius longe accuratius bellum recitat *Helleſbæi* Ἑλλεσβαίου (ſic legendum prorſus, non *Helleſtiæi* Ἑλλεσθιαίου) cum Homeritis. Hunc vero Chriſtianæ fidei cultorem fuiſſe eximium ait, Χριστιανός τε ὢν, καὶ δόξης τῆσδε ὡς μάλιστα ἐπιμελούμενος. Homeritas magna ſtrage edita profligatos teſtatur, eiſque datum regem Chriſtianum *Eſimiphæum*, de ipſorum gente. Addit Eſimiphæum ſeditione in ipſum conflata, ſolio deturbatum paulopoſt fuiſſe, atque in caſtellum incluſum; regnum verò Homeritarum delatum eſſe Abramo, Chriſtiano illi quidem, at ſervo Romani cujuſdam inſtitoris, qui apud Æthiopes in urbe Adulide commercii maritimi cauſa morabatur. Quod ubi reſcivit Helleſbæus, illatæ Eſimiphæo injuriæ pœnas ſumere cupidus, exercitum adverſus Abramum ejuſque rebellionis participes comparavit; quum autem armis nihil proficeret, bellum Homeritis inferre deſiit, in patriam accepta clade magna reverſus. Cæterum Abramus pacto cum Helleſbæi ſucceſſore fœdere, regnum ſibi aſſeruit. Hæc Procopius; quibus ad nauſeam uſque evincitur Axumitarum regem qui Homeritarum tyrannum, non *Damianum*, ſed *Dunaan* primum ſuperavit, jam olim fuiſſe Chriſtianum.

LI.

Digitized by Google

Homeritæ petunt à Juſtiniano Imp. epiſcopum & clericos.

LI. Theophanis inſuper emendanda hiſtoria eſt ex Joanne Malala, qui in *Juſtiniano* A *ſolo Imp.* ſcribit Auxumitarum regem, *victo Dimno* (ipſe eſt Dunaan) *Homeritarum rege, Alexandriam miſiſſe proceres regni ſui binos, ducentis aliis viris ſtipatos, qui à Romano Imperatore impetrarent, concedi ſibi epiſcopum & clericos, à quibus Indi erudirentur & docerentur Chriſtianæ religionis myſteria, omniſque* pag. 164. *adeo Indica regio Romana evaderet*, ὥστε λαβεῖν αὐτὸν ἐπίσκοπον καὶ κληρικοὺς, καὶ κατηχηθῆναι, καὶ διδαχθῆναι τὰ τῶν Χριστιανῶν μυστήρια, καὶ φωτισθῆναι καὶ πᾶσαν τὴν Ἰνδικὴν χώραν ὑπὸ Ῥωμαίους γενέσθαι. Hæc eſſe Imperatori nuntiata pergit per Li- B cinium Auguſtalem, juſſiſſeque Juſtinianum uti ſecum quem vellent, epiſcopum acciperent: quamobrem oratores Indos elegiſſe manſionarium eccleſiæ S. Joannis Alexandrinæ, virum religioſum & virginem nomine Joannem, ὀνόματι Ἰωάννην, ſexaginta duos annos natum, *quem aſſumentes cum clericis quos ipſe ſelegerat, in Indicam regionem ad regem ſuum Andam deduxere*, καὶ λαβόντες τὸν ἐπίσκοπον, καὶ τοὺς κληρικοὺς, οὓς αὐτὸς ἐπελέξατο, ἀπήγαγον εἰς τὴν Ἰνδικὴν χώραν πρὸς Ἀνδὰν τὸν βασιλέα αὐτῶν. Quæ nihil aliud ſignificant, niſi C Alexandria miſſum epiſcopum Joannem & clericos ad Homeritas Indos, ut apud ipſum Theophanem vocantur, ad annum Juſtini junioris ſeptimum, τοὺς Ὁμηρίτας Ἰνδοὺς, quos Eleſbaas ſubjugarat, veluti fertur etiam in actis S. Arethæ martyris quæ ſuperiùs laudavi, in quibus Homeritarum rex, qui Dunaan necato, illi genti datus fuit, Abraham quoque dicitur perinde atque apud Procopium, non Adad, neque Andas.

Hæc, inquam, S. Arethæ acta ferunt à Timotheo illo Alexandrino epiſcopum or- D thodoxum ordinatum eſſe, ac miſſum ad Homeritas & Eleſbaam, qui conſecrata Negræ eccleſia, cunctos per civitates, perque vicinas regiones baptizavit in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti, conſtituens in ſingulis locis preſbyteros, diaconoſque & reliquos eccleſiarum miniſtros. Quamquam in illis actis, quemadmodum prædictum eſt, hæc omnia contigiſſe traduntur Juſtino ſeniore Imperatore, Alexandrinam ſedem tenente Timotheo Dioſcorianorum patriar- E cha, Hieroſolymitanam Joanne, Antiochenam Euphraſio: quæ tamen omnia, quando uno anno patrari non potuerunt, non male poſtrema pars eorum ad Juſtiniani tempora retrahenda eſt. Sed & de temporis nota, quæ illis actis præfigitur, ſuus rurſum incidet dicendi locus. Obſervaſſe nunc ſufficiat Alexandrinam diœceſim, ſummam rerum tenente Juſtiniano, auctam in Arabia peninſula fuiſſe, inſtituta apud Homeritas eccleſia, quæ ab epiſcopis Alexandriæ deſignatis & ordinatis deinceps adminiſtranda eſſet.

Alexandrinus Patriarcha deſignat & conſecrat Homeritarum epiſcopos.

LII. In hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, quam doctiſſimus Abbas Renaudotius edidit, ubi de Simeone Patriarcha quadrageſimo-ſecundo, ab Indis Alexandriam miſſus ſacerdos legitur, qui epiſcopum illis ordinari poſtularet. Negante Simeone id ſibi fas eſſe abſque principis ſeu præfecti Ægypti Mohammedani facultate, Gaïanitæ Legatum Indorum ad ſectæ ſuæ antiſtitem deduxerunt, qui nihil moratus quemdam eis ex Mareotide epiſcopum deſignavit. Id quod Pag. 184. ex Elmacino p. 68. Indis qui in Ægyptum cum ſacerdote venerant, male ceſſit, quemadmodum illo hiſtoriæ loco fuſe recitatur. Atqui hos Indos alios eſſe vix putaverim ab illis Aſiaticis, qui Sinus Arabici maritimas regiones colebant, Homeritas, inquam, illos quos à Theophane Indorum appellatione donatos dixi; ad ſeptimum nempe Juſtini junioris annum, quo renovatum Perſicum cum Romanis bellum refert, ob miſſam ab *Homeritis Indis* legationem ad Romanorum Imperatorem, διὰ τὸ πρεσβεῦσαι τοὺς Ὁμηρίτας Ἰνδοὺς πρὸς Ῥωμαίους, necnon ob delegatum Alexandria Julianum Magiſtrianum per Nilum fluvium & Indicum mare ad Arsham regem Æthiopum: ubi profecto Indico mari quo in Indiam pergebatur, Sinus Arabicus, ſeu mare Erythræum, Rubrumve prorſus ſignificatur. In cujus extrema parte Adula erat, Æthiopici & Axumitarum Imperii celeberrimus portus.

Homeritas erudierant olim Bartholomæus Apoſtolus, ac ſubinde Pantænus.

LIII. Ad Indos utique illos Homeritas miſſus ſæculo ſecundo labente, vel tertio ineunte Pantænus Alexandria quondam fuerat à Demetrio urbis hujus pontifice, quos ſcilicet Apoſtolus Chriſti Bartholomæus Salvatoris noſtri doctrina pridem imbuerat. De Pantæni porro ad hanc gentem profectione audiendus inprimis eſt Hieronymus ex ejus catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum. *Pantænus Stoicæ ſectæ philoſophus*, inquit, *juxta* num. 36. *quamdam veterem in Alexandria conſuetudinem, ubi à Marco Evangeliſta ſemper eccleſiaſtici fuere doctores, tantæ prudentiæ & eruditionis tam in ſcripturis divinis, quam in ſæculari litteratura fuit, ut in Indiam quoque rogatus ab illius gentis Legatis, à Demetrio Alexandriæ epiſcopo mitteretur, ubi reperit Bartholomæum de duodecim Apoſtolis adventum Domini Jeſu, juxta Matthæi Evangelium prædicaſſe, quod Hebraïcis litteris ſcriptum revertens Alexandriam, ſecum detulit.* Atqui Bartholomæus, Ruffino teſte in tranſlatione ſua Latina hiſtoriæ eccleſiaſticæ Euſebii, imo Lib. 5. cap. 1. ipſomet Origene antiquiore quem Ruffinus exſcribebat, in India citeriore prædicaverat, quæ alia non fuit ab illo Arabiæ tractu, quem

Digitized by Google

Homeritæ incolebant. *Thomas Parthos ſortitus eſt,* inquit, *Matthæus Æthiopiam, Bartholomæus Indiam citeriorem.* Ita perinde Sophronius qui Hieronymi librum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Græcum idioma convertit, ſcribit Bartholomæum Apoſtolum *Indis qui dicuntur felices* aut *fortunati*, Ἰνδοῖς τοῖς καλουμένοις εὐδαίμοσιν, *prædicaſſe Evangelium Chriſti, & Evangelium quod eſt ſecundum Matthæum eis tradidiſſe.* Homeritas, Indos fuiſſe dictos oſtendimus, & Arabiæ felicis partem habitaſſe. Quod quidem Philoſtorgii teſtimonio confirmatur, qui Photio teſte, ſcripſerat, interiores Indos Bartholo- B mæi Apoſtoli inſtitutione didiciſſe in Chriſtum credere. Hanc Indorum gentem *Saba quondam* Σάβα μὲν πάλαι, à Saba metropoli dictam fuiſſe addit, nunc vero Homeritas vocari, τὰ νῦν δὲ Ὁμηρίτας καλεῖσθαι. Ac certe Judæis hæc regio abundabat, quorum illi qui Bartholomæo prædicante Chriſti fidem ſuſceperant, Hebræum Matthæi Evangelium non abſurde legebant. Ex quibus apparet multiplici jure Indiam hanc ad Alexandrinam diœceſim pertinuiſſe.

Lib. 2. num. 6.

Atque hinc pariter eruere quiſque poterit, Juſtini aut Juſtiniani Impp. tempore non primitus invectam fuiſſe ſalutarem Evangelii doctrinam, ſed paulatim collapſam in illis regionibus ſuſcitatam fuiſſe Chriſti Fidem. Quod quidem expreſſe teſtatur Dionyſius Patriarcha Jacobitarum in Chronico, ex Joanne epiſcopo Aſiæ Jacobita qui ineunte ſæculo ſexto ſcribebat; hæc ſunt Dionyſii verba: *Quum hæc* (neces Chriſtianorum à Judæis perpetratas) *accepiſſet Rex Æthiopum, qui interfecto primo Homeritarum Rege, Chriſtianam Fidem amplexus fuerat, quumque Chriſtianæ rei excidium & Judæi tyrannidem comperiſſet, zelo incenſus, copias adverſus Tyrannum eduxit, captumque occidit: exercitum quoque ejus delevit, & univerſos Homeritidis Judæos funditus extirpavit: regem denique Chriſtianum, zeloque fidei præditum, Abraham nomine, Homeritis præfecit. Atque ita univerſis Chriſtianis, qui ob perſequutionem & Judæorum metum diſperſi diſſipatique fuerant, collectis, Chriſtiana religio in illa regione reſtituta eſt.*

Biblioth. Orient. tom. 2. p. 381.

Plurimæ hæreſes Homeritarum eccleſiam inficiunt.

LIV. Alexandrinorum pontificum cura & ſtudio ad Chriſtum traducti Homeritæ, illorum regimini ſubditi permanſerunt, uti modo dicebam; nihil mirum igitur, ſi ordinati & electi Alexandriæ ipſorum epiſcopi, Monophyſitarum hæreſim ex Ægypto ſecum detulerunt, in qua ortum habuerat & impunè graſſabatur; atque ita incautos greges ſibi commiſſos in hæreſim captivos deduxerunt & tenuerunt. Neque tamen contigit illud in prima eorum ad Fidem revocatione ſub A Juſtino Seniore, ut ineptè garriunt è ſecta Jacobitarum hiſtorici; non enim paſſus eſſet Juſtinus religioſus princeps, Chalcedonenſis Fidei ſtrenuus aſſertor, qui Homeritarum converſioni tanto ſtudio allaboraverat, è Monophyſitis epiſcopos ad eos mitti, quos ſemper infenſos habuit, quorumque patriarchas ipſos tam Alexandria, quam Antiochia ejecerat. Quin Procopio & Theophane locupletiſſimis teſtibus, tam Elesbaas Æthiopum, quam Abraham Rex Homeritarum Chriſtiani orthodoxi fuerunt. Verum poſt B obitum Juſtini Imp. Theodoſio Patriarcha Alexandrino in exilium acto propter hæreſim quam ejurare noluerat, quum Homeritæ à Juſtiniano epiſcopum petiiſſent, juſſit ille ut Catholicum epiſcopum acciperent: irrito tamen conatu, nullum enim alium niſi Monophyſitam admiſerunt. Quod quidem narrat Dionyſius Jacobita ſupra citatus. *Quum Homeritarum rex,* inquit, *invectum in Alexandrinorum urbem Chalcedonenſe concilium ejectumque propter fidem Theodoſium, ac ſede ſua, quod ſynodum amplecti detrectaret, deturbatum* C *comperiſſet; ipſe quoque ea re offenſus, epiſcopum ex urbe Alexandria recipere noluit.* Atqui profundiores poſtea radices egit hæreſis illa apud Homeritas, quam ut facile convelli potuerit, quamdiu ſcilicet, uti jam dixi, Alexandrina ſedes Melchita ſive orthodoxo præſule viduata manſit, eorum electionem non ferente temporum malitia & Saracenorum in Ægypto injuſta dominatione.

Nec ſola autem Monophyſitarum hæreſis Homeritas invaſit; ſi enim eidem Dionyſio fides, alius rurſus error ibidem obtinuit Mel- D chiſedechianorum, qui temere affirmabant Melchiſedecum eſſe Chriſtum; eò quoque confluxere Phantaſiaſtæ ex Juliani Halicarnaſſenſis & Gaïani ſecta, qui brevi tempore provincias illas ſuis erroribus infecerunt; regno etiam in duas partes diviſo, bella, ſchiſmata, ſeditioneſque regiones illas diu poſtea conturbaverunt. Cujus quidem detrimenti quo affectum fuit regnum Æthiopum, Homeritarum atque Indorum, cauſam aſſignat ibidem Dionyſius ex eodem Aſiæ epiſcopo Joanne auctore coævo, defectum ſci- E licet ſacerdotum. Quum enim ſingulis annis legatos cum muneribus ad Juſtinianum Imperatorem mitterent Indi illi, ab eo petentes epiſcopum qui Chalcedonenſem ſynodum nequaquam reciperet, precibus invictè reſtitit Imperator; hortatus eſt eos inſuper, ut illum epiſcopum acciperent, qui ſynodum amplectebatur & Alexandriæ degebat, quem ipſi pertinaciter rejecerunt; atque ita legati, re infecta, quotannis dimittebantur. Interim

Biblioth. Orient. tom. 2. p. 386.

pag. 385.

durante illa contentione, & extinctis pleriſque illorum ſacerdotibus, *eò tandem devenerunt*, inquit Dionyſius, *ut contra canonum ordinem congregati preſbyteri, evangelium capiti cujuſdam ex ſuo ordine imponerent, atque ita eum epiſcopum conſtituerent: hac enim ratione exiſtimabant ipſi, Chirotoniam epiſcopi perfici, quum ne in ordine quidem laïcorum jam locum haberent. Plerique tamen hujuſmodi Chirotonia offenſi, eamdem improbarunt, nec ut legitimam admiſere: indeque magna inter ipſos diſſidia exorta ſunt.*

De Eccleſia Nubiæ. *Dyn. 7. pag. 85.*

LV. Gregorius Abulfaragius in hiſtoria Dynaſtiarum, ubi de Conſtantino magno, ſcribit eo Romanis imperante, religionem Chriſtianam amplexas eſſe gentes quæ Ægypto, ſeu Thebaïdi ſuperiori affines erant, Cophtitas, aliosque vicinos populos, *Nigritas omnigenos ex Æthiopibus, Nubiis, cæteriſque*. Atqui Æthiopia hæc omnis inferior, ac præſertim Nubia, quæ ad occidentale Nili latus exſtat, non male cæleſti doctrina imbuta putanda eſt à monachis qui in Thebaïdis ſolitudine verſabantur. Ac certe non ab aliis quam ab Alexandrinæ diœceſis prædicatoribus Chriſti fidem acceperunt, ut proinde Alexandrino præſuli ſubeſſe debuerint. Quo factum eſt, ut poſtquam Melchitis Chriſtianis, qui Chalcedonenſe concilium colebant, à Saracenis tyrannis adempta facultas fuit Patriarcham Alexandrinum ſuum conſtituendi, Nubii Jacobitarum Patriarcham adeuntes, epiſcopos ab eo deinceps acceperint. Quod Eutychius Alexandrinus narrat ad annum ſeptimum Heſchami Califæ. *Fuit*, inquit, *cathedra Alexandrina abſque Patriarcha Melchita ſpatio nonaginta-ſeptem annorum, occupaveruntque Jacobitæ omnes eccleſias tam Ægypti, quam Alexandriæ. Quumque opus haberent Nubii epiſcopis, ordinavit Patriarcha Jacobitarum ipſis epiſcopos, atque ex eo tempore Jacobitarum ſententiam amplexa eſt Nubia.* Eutychio ſuccinunt Elmakinus & Macriſius Mohammedanus auctor. Geographus ille anonymus, qui Nubienſis vulgo nuncupatur, de Nubiorum religione ait: *dicuntur eſſe Græci, religionemque Chriſtianam profiteri à diebus Cophtitarum, ante exortam Muſlemanorum ſectam. Verum deficiunt à religione Chriſtiana: ſunt enim Jacobitæ.* Quibus innuitur eos poſt expugnatam à Saracenis Ægyptum, Romanorum ſeu Conſtantinopolitanorum fide relicta ad Jacobitas defeciſſe. Chriſtiana religio in Nubia perſeveravit ad decimum uſque à nativitate Domini ſæculum, quo labente quum Jacobiticæ eccleſiæ Alexandrinæ res in dies peſſum irent, penitus defecit, ob paſtorum penuriam, ita ut veterum eccleſiarum parietinæ dumtaxat hinc inde ſuperſint. Michaël Wanſlebius Nubiæ eccleſiarum notitiam evulgavit, quam ſuo loco huic meo operi inſeram.

Tom. 2. p. 386. *pag. 18.* *Ea defecit.*

Alia in Arabia Eccleſia.

LVI. Præter Homeritas Indos ſive Arabes, alia quoque Arabiæ gens Chriſti fidem amplexa, Ægyptiacam diœceſim auxit, Valente Romanorum Imperatore; quod tradunt Socrates lib. 4. hiſt. eccl. cap. 36. Theodoretus lib. 4. cap. 23. & Sozomenus lib. 6. cap. 38. « Mavia, inquiunt, Saracenorum Iſmaëlitarum regina Romani imperii fines depopulata, regionem mari Rubro vicinam ad Ægyptum uſque vaſtaverat, variis commiſſis præliis victrix. Quæ ſubinde pacto cum Romanis fœdere Chriſtianam religionem amplexa eſt. Quocirca Moyſem quemdam virum ſanctiſſimum, qui in finibus Ægypti & Palæſtinæ ſolitariam vitam agebat, epiſcopum genti ſuæ deſignari à Valente poſtulavit. Cujus ille votis obtemperans, Moyſem Alexandriam duci jubet à Lucio Ariano, qui legitimo paſtore Petro ejecto, Alexandrinam ſedem invaſerat, ordinandum. Renuit vero Moyſes, nec paſſus eſt imponi ſibi manus Chriſti fidelium cruore tinctas, noluitque ab eo ordinationem accipere, qui alienam à Catholica ſententiam profiteretur. Quocirca reginæ reverentia & metu ad montem quemdam deductus eſt, ut ab illis qui in eo Fidei cauſa exulabant, epiſcopus crearetur. » Quod factum putem circa annum 377. quo Valens Saraceni utique illius belli cauſa Antiochiam venit, ex qua urbe ad bellum Gotthicum pergere compulſus, *ſera pœnitentia epiſcopos de exilio revocavit*, ut ferunt Hieronymus in Chronico & Oroſius. Atqui Petrus Alexandrinus Roma ſtatim revertens, Damaſi litteras ſecum attulit, quibus & Moyſis fides, & ipſius Petri ordinatio confirmabatur. Ex quo magis apparet Alexandrinæ ſedi obnoxium factum fuiſſe Moyſem epiſcopum.

Oroſ. l. 7. hiſt. c. 33.

Conſpectus totius Alexandrinæ diœceſis.

LVII. Priſcam Ægyptiacæ diœceſis amplitudinem repræſentat inſcriptio iſta epiſtolarum Syſtaticarum Patriarchæ Jacobitarum: *Pater N. ſanctiſſimus archiepiſcopus magnæ urbis Alexandriæ, & Soſſati Babylonis, & Nomorum Ægypti, Thebaïdis, Pentapoliſque Thebaïdis, & Pentapolis Africanæ, regioniſque Æthiopiæ & Axumitarum, & Nubiæ & Macoureos & ſuperioris regionis,* de quibus multa pereruditè ſuo more docti Renaudotius diſputat, in diſſertatione ſingulari *de Patriarcha Alexandrino*. Fatetur tamen facile non eſſe divinare, qui ſint *Macuræi*, quod non magno periculo poteſt ignorari. Macoureos nomine ſignificari crediderim interioris Africæ regiones ultra Nubios & Habeſſinos poſitas, quæ aliquando Habeſſinorum regi paruerunt, ad oram uſque maris occidentalis.

Digitized by Google

Hujus tam amplæ quondam diœceſis vix exilia quædam ac triſtia rudera ſuperſunt, A etiam apud Jacobitas, quorum eccleſia vix quindecim epiſcopatibus conſtat, præter Alexandrinum & metropolitam Habeſſinorum. Hos numerat Wanſlebius noſter in *Hiſtoria eccleſiæ Alexandrinæ*, quam Gallicè edidit anno 1687. nimirum *1. Neggadei. 2. Girge. 3. Abuteg. 4. Siut, cui duo priores Girge & Abuteg conjuncti ſunt. 5. Monfallot. 6. Koſkam. 7. Melave, cum Minie civitate. 8. Behneſe. 9. Atfieh. 10. Tahha, & Iſchmunein*, vel *Aſchumim. 11. Fium. 12. Bilbeis. 13. Manſoura. 14. Damiata, cui perinde Bilbeis & Manſoura* B *unitæ ſunt. 15. Menuf. 16. Behetre, & 17. Alexandria emporium, qui tres epiſcopatus in unum coaluerunt.* Melchitæ vero ad numerum longe minorem redacti ſunt; quippe qui præter Alexandrinam quatuor dumtaxat ſedes apud ſe numerant, quas archiepiſcopatus titulo decorarunt, nempe 1. Libyenſem ſive Æthiopiæ, 2. Memphis ſeu veteris Cairi. 3. Peluſii ſeu Damiatæ, 4. & Mytilidenſem ſeu Rozetti. Horum diœceſis veterem notitiam conſulere licet, quam una cum aliis, quas hinc inde nanciſci potuimus, huic C Orienti Chriſtiano præmittimus, velut edita jam eſt à Beveregio in Annotationibus ad canonum collectiones varias, ex codice Arabico acceptam, qui Eutychii Alexandrini Annales complectitur. Quin & aliam huic non admodum abſimilem à Nilo Doxapatrio concinnatam.

Part. 1. c. 7. p. 26.

Palæſtina Alexandrino Patriarchæ nunquam ſubjecta.

LVIII. Ab illis nunc confutandis abſtineo, qui Palæſtinam Alexandrini præſulis ditionis fuiſſe affirmarunt: quam opinionem Nilus Doxapatrius in notitia ſtatuere non dubitavit. Cui confutandæ ſolus, ut alia teſ- D timonia omittam, nobis ſufficit Hieronymus, qui in epiſtola adverſus errores Joannis Hieroſolymitani oſtendit, cum fruſtra Theophili Alexandrini judicium, patrocinium-ve quæſiviſſe adverſus Epiphanium ob ordinationes quas Epiphanius in pago Hieroſolymitano patraverat; quando Palæſtina nulla ratione Alexandrino præſuli ſuberat, ſed Cæſarienſi dumtaxat aut Antiocheno, quem Nicæna ſynodus toti Orienti debere præeſſe confirmarat. *Tu qui regulas quæris eccleſiaſticas,* inquit, *& Nicænis canonibus uteris, & alienos* E *clericos cum ſuis epiſcopis commorantes tibi niteris uſurpare, reſponde mihi: ad Alexandrinum epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæſtinæ metropolis Cæſaria ſit, ac totius Orientis Antiochia.* Quo vero jure Alexandrini Palæſtinam ſibi vindicare potuiſſent, à quibus ea regio nec fidem unquam, nec ordinationem accepit? Habuerunt quidem aliquando Jacobitæ Ægyptii Hieroſolymis epiſcopum ſui ſchiſmatis, ſed ſub Saracenis principibus, ita concedentibus, ut ille Cophtitas ſolos curaret, qui ad urbem ſanctam ſacrorum locorum viſendorum cauſa pergerent; verum interim illic quoque ſedente legitimo Patriarcha Græco. Id quod etiamnum obſervatur. Ita quoque Chaldæis, Neſtorianis & Armenis, nec-non Jacobitis Syris ſuus eſt eadem in civitate epiſcopus, quum eorum Patriarchæ Palæſtinam nullo modo ad ſe ſpectare putent.

Ep. 38. ad Pammach.

nec Cyprus inſula,

LIX. Cyprum quoque inſulam ſuæ quondam diœceſis fuiſſe Cophtitæ fabulantur, quin & Carthaginem totamque adeo Africam veterem: ac Cyprum quidem, quoniam S. Marcum in ea prædicaſſe ferunt, Joannem Marcum ſanctorum Pauli & Barnabæ ſocium pro Evangeliſta Marco ſancti Petri diſcipulo, imperite accipientes. Carthaginem & Africam Alexandrino præſuli Nilus ipſe Doxapatrius conſulto abjudicat; quando conſtat Africam proconſularem, cujus caput Carthago fuit, à Romana eccleſia fidei elementa accepiſſe, & ab Ægypto tam quod res eccleſiaſticas, quam quod civiles attinet, diſcretam ex toto fuiſſe.

nec Africa.

Metropolitæ ſtatuuntur apud Melchitas.

LX. Ex iis quæ ſuperius allata ſunt, certo certius conſtat, Alexandrinum præſulem omnes Ægypti, Thebaïdis, Lybiæ, Pentapolis, aliaſque provincias pleno jure ſic olim adminiſtraſſe, ut nullus in illis alter metropolita exiſteret. Cujus moris tenaciores fuere Jacobitæ, quam Melchitæ ſeu orthodoxi. Hi enim ex quo tandem Patriarchas iterum ſuos receperunt, veteri conſuetudine relicta, diœceſim ſuam compoſuerunt ad normam aliarum, Conſtantinopolitanæ ſcilicet, Antiochenæ & Hieroſolymitanæ, quarum ſingulæ provinciæ à metropolita ſuo adminiſtrabantur: nam Notitia illa qua ex Annalium Eutychii codice accepta eſt, præter *Archiepiſcopos Mareotidis & Miſiæ ſeu Cahiræ* octo metropolitas recenſet, *Barca* ſcilicet *& Pentapolis Africanæ, Sindiæ & Indiæ, Habeſſiæ, Almaris, Nubiæ, Pharmæ, Tinnis & Libyæ,* ac demum *Damiatæ*. Octo perinde, ſed India, Habeſſia, & Nubia prætermiſſis, Nilus Doxapatrius numerat, *Peluſium, Leonto, ſeu Leontopolim, Oxyrinchum, Ptolemaïdem, Dario, Marico, & Tonneſim in ſeptimo Nili oſtio ſitam.*

In Annot. Beveregii pag. 148.

Atqui metropoles ab Alexandrinis illis Patriarchis inſtitutæ jam erant ante tempora Photii, ut colligitur ex epiſtola Michaëlis patriarchæ Alexandrini eidem Photio inſcripta, quæ lecta fuit in ea ſynodo, quæ Joanne Papa VIII. poſt S. Ignatii Conſtantinopolitani obitum, Photii ipſius reſtitutionem approbavit. Hic non diſputo, genuina ne ſit ac

Digitized by Google

ſincera epiſtola hæc, an à Photio conficta; attamen compoſita ſaltem fuit pro ea quæ hoc tempore recepta erat, Ægyptiacæ diœceſis diſpoſitione. Ait Michaël ſe Photium aperta voce proclamaſſe coram ſua ſynodo, ad quam convenerant quotquot ob temporum anguſtiam cogere potuerat, metropolitæ & epiſcopi, inprimis *Zacharias Tamianthi, Jacobus Babylonis, Stephanus Thebarum, & Theophilus Baris* (lego *Maris*) *ſelecti metropolitæ*: λέγω δὴ τοὺς περὶ Ζαχαρίαν Ταμιανθοῦ, καὶ Ἰάκωβον Βαβυλῶνος, καὶ Στέφανον Θηβῶν, καὶ Θεόφιλον Βάρη (emendo Μάρη, vel Μάρης) ἐκκρίτους μητροπολίτας.

Hard. coll. Concil. t. 6. parte I. col. 265.

Item apud Jacobitas.

Melchitas Jacobitæ imitati videntur, quando identidem nonnulli apud illos metropolitæ occurrunt. *Metropolitæ* ſiquidem titulo ornaverunt epiſcopum Habaſſiæ ſive Æthiopiæ, nec-non epiſcopum ſuum Hieroſolymitanum, quibus tamen epiſcopi nulli alii ſubſunt. Famoſus eſt in Patriarcharum Alexandrinorum hiſtoria Michaël metropolita Damiatenſis, qui circa annum 1174. hoc eſt, duodecimo ſæculo ad finem vergente, de Confeſſione apud ſuos abroganda, ſub Marco filio Zaraæ LXXIII. ſeu LXXV. Patriarcha Jacobitarum, abrogando cogitare cœpit. Non vero conſtat ei ſubjectos fuiſſe uti metropolitæ, ullos ullius Ægypti provinciæ epiſcopos. Alios apud Cophtitas, metropolitas ignoramus, nec ullum nobis in ſuis libris Michaël Wanſlebius indicat.

Patriarchæ Alexandrini munus, Paſchalem diem inveſtigandi.

LXI. Enarrata Ægyptiacæ diœceſis inſtitutione, & pro variis temporibus diſpoſitione, ac juriſdictione, dicere convenit de quibuſdam Alexandrini archiepiſcopi juribus & prærogativis, quæ hactenus non recenſui. Quum Alexandria ſub Ptolemæis principibus, ac ſub Romanis deinceps, viris ſcientiarum peritiſſimis abundaret, inprimiſque Mathematicis & Aſtronomis, inde factum eſt, ut hujus urbis antiſtiti injuncta olim provincia fuerit, cujuſque anni paſchalem diem inveſtigandi, de qua Romanum pontificem certiorem faceret, ut per eum reliquæ orbis eccleſiæ illum diſcerent. Quod quidem illius munus Leo magnus Marciano Imp. ſcribens, his verbis exponit: *Paſchale feſtum, quo ſacramentum ſalutis humanæ maxime continetur, quamvis in primo menſe ſemper celebrandum ſit, ita tamen eſt Lunaris curſus conditione mutabilis, ut plerumque ſacratiſſimæ diei ambigua occurrat electio, & ex hoc fiat plerumque quod non licet, ut non ſimul omnis eccleſia, quod non niſi unum eſſe oportet, obſervet. Studuerunt itaque Sancti Patres occaſionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino epiſcopo delegantes, quoniam apud Ægyptios hujus ſupputationis antiquitus tradita eſſe videbatur peritia, per quam qui annis ſingulis dies prædictæ ſolemnitatis eveniret, Sedi Apoſtolicæ indicaretur, ut hujus ſcriptis ad longinquiores eccleſias indicium generaliter percurreret.*

Epiſt. 94.

A

Cyrillus ipſe Alexandrinus in prologo quem ſcripſit pro Cyclo XCV. annorum, quos cum anno Chriſti vulgaris hodiernæ Æræ 437. & Diocletiani 153. inchoabat, ſatis innuit ritum hunc ſive conſuetudinem, ut Alexandrinus epiſcopus Romano proximum Paſchatis diem ſignificaret, à Patribus Nicænis probatum fuiſſe, quum ait: *Sanctorum totius orbis ſynodi conſenſione decretum eſt, ut quoniam apud Alexandriam ſatis reperta eſſet eccleſia, quæ hac ſcientia clareret, quota Kalendarum vel Iduum, quota Luna Paſcha debeat celebrari, per ſingulos annos Romanæ eccleſiæ ſcriptis litteris intimaret.* Eruditis nimirum omnibus compertum eſt Nicænam ſynodum ideo præſertim à Conſtantino coactam fuiſſe, ut litem de celebrandi Paſchatis die, quam Creſcentius quidam epiſcopus adverſus Alexandrum Alexandrinum iterum excitaverat, componeret. De quo legendus Epiphanius hær. 70.

Apud Bucherium pag. 481.

B

C

Leo ſubinde Marciano Auguſto Theophili Alexandrini canonem Paſchalem refert, quem vitiis quibuſdam laborare ait. Unde Imperatorem rogat, ut eum emendari curet ab Ægyptiis aliiſve qui certam hujuſmodi ſupputationis notitiam habeant. Poſt vero idem pontifex accepta à Proterio Alexandrino *de ratione Paſchali* epiſtola, Imperatori nuntiavit, ſecundum Theophili quidem diſpoſitionem, contra veterum obſervantiam proximam Paſchalem ſolemnitatem celebratum iri, *quum à paſſione Domini*, inquit, *in omnibus noſtris annalibus, decimus-quintus Kalendarum Maiarum dies legatur adſcriptus. Sed quum Ægyptiis alia ratio placeat*, (pergit pontifex) *conſenſum meum, ne qua diſcrepantia per provincias de obſervantia tam venerabilis feſti foret, commodavi.* Subdit acceptas à ſe litteras venerabilis & coëpiſcopi ſui Proterii, *quibus apud pietatem veſtram*, inquit, *de mea conſenſione reſpondit: non quia hoc ratio manifeſta docuerit, ſed quia unitatis, quam maxime cuſtodimus, cura perſuaſerit.* Quocirca Formatam Leo ad Galliarum & Hiſpaniarum epiſcopos dare non dubitavit, qua ſolemnitatem Paſchalem anno 455. octavo Kalendas Maias agendam edixit, quum mallet *pacis unitatiſque ſtudio Orientalium*, ſeu Alexandrinorum, *definitioni acquieſcere, quam in tanta feſtivitatis obſervantia diſſidere.* Verum hic error Occidentalibus noſtris diſplicuit; quibus Paſcha celebrandum videbatur, ex definitionibus Patrum, die quinto-decimo Kalendas Maias, non die octavo Kalendas

Ibid.

D

Epiſt. 108.

E

Epiſt. 109.

Digitized by Google

eaſdem, ut Alexandrinis. Quod S. Proſper in chronico ſignificat, ubi mentione facta epiſtolæ Leonis ad Marcianum Auguſtum, mox ſubjungit, finem chronico imponens: *Ex quibus Catholica Eccleſia inſtrui poteſt, quod hæc perſuaſio* (Alexandrinorum) *ſtudio unitatis & pacis tolerata ſit potius, quam probata, nunquam deinceps imitanda, ut quæ exitialem præbuit offenſionem, omnem in poſterum perdat auctoritatem.* Quibus Proſper innuit propter hunc errorem, non eam deinceps fuiſſe Alexandrinæ ſupputationis auctoritatem. Quocirca tum ipſe Proſper, tum Victorinus Africanus, alios atque alios canones compoſuerunt; at certe multis deficientes, ut veterem Cyclum obſervare ſatius forſan fuiſſet.

De Æra Martyrum.

LXII. Occaſione ſumpta ſupputationis Alexandrinæ diei Paſchatis, operæ pretium fortaſſe erit non nihil ſubjicere de receptiſſima apud Alexandrinos epocha, quam *Martyrum* appellant, ob Diocletianum cujus cauſa inſtituta eſt, qui ſæviſſimam quam omnes norunt in Chriſtianos perſequutionem movit, unde & *Diocletianea* quoque nuncupatur. Hujus initium arceſſunt ab eo anno quo Diocletianus ſummam rerum capeſſivit, Chriſti ſcilicet 284. Hujus Æræ ſtatuendæ cauſam quam viri doctiſſimi multo ſudore indagaverunt, diſcimus tandem ex Joanne Malala parte 1. Chronographiæ, ubi Ægyptiorum qui à Diocletiano ad Achilleum tyrannum deſciverant, rebellionem narrat. *Ægyptios, ait, in præfectos ſuos inſurgentes, illos intereniſſe: quocirca Imperatorem in eos arma moviſſe, magnamque Alexandriam obſidione cinxiſſe, & foſſis egeſtis, reſciſſoque, qui in urbis uſum ibi erat aquæ ductu, curſuque aquarum per aliam à Canopo viam averſo, urbem demum cepiſſe, captamque incendiis vaſtaſſe. Tum Imperatorem equo inſidentem urbem ingreſſum, equo interim occiſorum cadavera calcante. Exercitui vero in mandatis dederat, uti non prius à cædibus abſtinerent, quam ad equi cui inſidebat genua ſanguis occiſorum pertingeret. Urbem itaque dum ingrederetur, à portis ipſis non procul, equus ejus, dum per cadavera incedit, trunco hominis impegit, & equi ex caſu labeſcentis genu tinctum eſt. Quo viſo Imperator repreſſit militem, ac venia conceſſa, non amplius in Alexandrinos ſævire permiſit. Quamobrem Alexandrini equo ſtatuam æream grati erexerunt; iſque locus Diocletiani equus uſque adhuc appellatur. Inſuper eum primum ex tunc Alexandriæ annum nominari decretum eſt. Ex quo tempore in uſu eſt Æra civilis Alexandriæ.* καὶ ἐκ τότε ἐχρημάτισεν ὀνομάζεσθαι πρῶτον ἔτος Ἀλεξανδρείας. ἔστιν οὖν ἐξ ἐκείνου τοῦ χρόνου ὁ χρηματισμὸς τῆς πρὸς Αἰγύπτον Ἀλεξανδρείας. Hæc Malalas,

Pag. 409.

qui hoc ſolum non accurate ſatis ait, ab illa die vel anno quo Diocletianus Alexandrinis expugnata urbe pepercit, Æram illam Alexandrinam incepiſſe, hoc eſt anno Chriſti 296. Nam ut prædictum eſt, ab ipſomet anno quo Imperium arripuerat, Chriſti 284. initium ſumpſit. Quemadmodum ſcilicet Antiocheni quum novam ſuam Æram in Julii Cæſaris honorem anno Urbis Romæ conditæ 707. inſtituiſſent, illius principium eſſe ſanxerunt annum 705. quo Dictaturam Cæſar inierat. At Chriſtiani Alexandrini Æram illam, cujus auctores erant gentiles, de *Martyrum* nomine, qui plurimi Imperatore Diocletiano ac deinceps in urbe præſertim ſua necati erant, nuncupandam cenſuerunt. Cujus Æræ frequens nobis mentio erit, in aſſignandis Patriarcharum Alexandrinorum temporibus. De quorum titulis honorificis nunc mihi ſupereſt dicendum.

Patriarchæ Alexandrini tituli.

LXIII. Theodorus Balſamon Meditato ſuo primo, quo de *Patriarcharum privilegiis* diſputat, tum ex ſcriptura, tum ex traditione confirmat Romanum epiſcopum appellatione *Papæ* donari, quin etiam Alexandrinum, Conſtantinopolitanum, & Hieroſolymitanum archiepiſcopos nuncupandos ſubdit, Antiochenum denique, Patriarcham, quamlibet quinque illi pari honore fruantur, vicemque unius Chriſti, univerſi corporis capitis, obtineant. Id quod iſto modo ſubinde ediſſerit: *Apud Latinos Papa dicitur Pater; apud Judæos Patriarcha idem ſonat quod princeps ſeu parens patriarum vel familiarum. Similiter archiepiſcopus erit epiſcoporum pater. Quamobrem licet Papæ, Patriarchæ, & archiepiſcopi vocabula lingua tenus diverſa ſint, nequaquam tamen poteſtate differunt.* Quod Papæ nomen attinet, *ſimiliter*, inquit, *Alexandrinus propterea vocatus fuit Papa, quod ſanctus Cyrillus in tertia ſynodo privilegia Papæ Cæleſtini accepit.* ὡσαύτως καὶ ὁ Ἀλεξανδρείας ἐκλήθη Πάπας, διὰ τὸ λαβεῖν τὸν ἅγιον Κύριλλον κατὰ τὴν τρίτην σύνοδον τοῦ Πάπα Ῥώμης, τοῦ Κελεστίνου φημὶ, τὰ προνόμια. Hæc famoſus ille apud Græcos ſchiſmaticos canonum interpres, cui illi vulgo adſtipulantur, narrantque inſuper à Cæleſtino Papa miſſam Cyrillo mitram, qua ipſe ejuſque ſucceſſores in miſſarum ſolemniis Romanorum more operirentur. Nugæ.

Juris Græco-Rom. lib. 7. pag. 450.

Dicitur Papa.

Horum errorem, ut de mitra quoque taceam, operoſius refellere non vacat. Prolixa exſtat Abrahami Ecchellenſis lucubratio de *origine nominis Papæ*: quæ vox omnibus olim Latinæ eccleſiæ præſulibus communis erat. Legere ſufficiat Hieronymi & Auguſtini epiſtolas, ne plura congeram. Dicam ſolum ante ſæculi tertii medium Alexandrinum

Digitized by Google

antiſtitem Heraclam, qui ſtatim poſt Demetrium ſedit, nomine *Papæ* appellatum fuiſſe. Dionyſius ſiquidem Alexandrinus proximus ipſius ſucceſſor in epiſtola ad Philemonem eccleſiæ Romanæ preſbyterum *de baptiſmo*, quam Euſebius refert, regulam quam in hæreticis recipiendis ſervabat, ſibi traditam aſſeruit *à Beatiſſimo Papa noſtro Heracla*, παρὰ τοῦ μακαριωτάτου Πάπα ἡμῶν Ἡρακλᾶ παρέλαβον. Quocirca Arius ſubinde cum impietatis ſuæ ſociis Alexandrum archiepiſcopum Alexandrinum, ſua quæ apud Epiphanium hær. 69. habetur, epiſtola compellans, hunc quoque *beatum Papam* vocitavit; quibus verbis innuitur Alexandrinum præſulem eo ævo, ſæculo nempe tertio *Papæ* nuncupatione ornatum fuiſſe. Plura non addam, ne rem compertiſſimam probare velle videar.

Lib. 7. hiſt. cap. 7.

Quod vocem ſpectat *Archiepiſcopi*, hanc ex eodem Epiphanio hær. 68. Alexandrinis antiſtitibus poſt ſæculi quarti initia attributam jam oſtendimus, quin & à Meletio ſchiſmatis auctore uſurpatam, qui ſibi Alexandri pontificis Alexandrini vicarii titulum & dignitatem nullo jure arrogabat.

Item Archiepiſcopus.

Alexandrinus vero præſul nuſquam *Patriarcha* dictus reperitur ante magnum Cyrillum, quum id nominis jam inditum eſſet Antiocheno Archiepiſcopo, quo etiam Hieroſolymitanus Juvenalis, ac tandem Conſtantinopolitanus trium ampliſſimarum diœceſium compos factus, donari cœperunt.

Atque Patriarcha.

Poſterioribus hiſce ſæculis Alexandrinus quilibet Patriarcha Græcus, ſeu Melchita, *ſe judicem orbis univerſi*, ſingulari titulo, appellare non dubitat, κριτὴς τῆς οἰκουμένης. Cujus certe honorifici vocabuli quis primus auctor fuerit, nondum mihi aſſequi licuit. Nicephorus Calliſtus ſæculo decimo-quarto ſcribebat *famam eſſe Cyrillum Alexandrinum, tum mitram, tum Papæ nuncupationem, necnon ut judex univerſi orbis diceretur à Cœleſtino accepiſſe*, ὅτι ἐξ οὗ (τῆς Ἐφεσίων συνόδου) λόγος, καὶ τὸ τῆς μίτρας ἐπίθημα εἰληφέναι, καὶ τὴν τοῦ Πάπα προσηγορίαν λαβεῖν, καὶ τῆς οἰκουμένης κριτὴν ὀνομάζεσθαι. Sic igitur jam ante appellabatur: ſed vanam tituli hujus originem fingebant, quippe qui à nullo Alexandrinorum archiepiſcoporum ſexto, ſeptimo, octavo & nono ſæculis aſſumptus reperitur. Joachim Alexandrinus, qui poſt ſæculi decimi-ſexti medium ſedebat, *teſtimonium generoſo comiti D. Alberto Leuwenſtenio dedit*, quod ſacra Montis Sinaï loca viſitaverit, illudque ab his verbis incipit. ὁμολογῶ ἐγὼ Ἰωακεὶμ Πάπας καὶ πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας καὶ κριτὴς τῆς οἰκουμένης. *confiteor ego Joachim, papa & patriarcha magnæ civitatis Alexandriæ, & judex orbis terrarum.* Ita perinde Meletius Piga in ſuis epiſtolis, Geraſimus in litteris quibus anno 1629. obſtitit ne Calvinianorum ſchola Conſtantinopoli conſtitueretur, Cyrillus Lucaris, Joannicius Panagiota, & alii paſſim. Michaël Wanſlebius Alexandrinum Patriarcham ait apud Jacobitas hactenus judicem orbis univerſi ferri, quatenus ſi quod diſſidium in eccleſia oriatur de die ſolennitati Paſchali aſſignando, ipſius ſit negotium hoc dirimere. Cæterum melius ſecundæ olim ſedis antiſtiti convenerit, ut *judex univerſi orbis* dicatur, quam Conſtantinopolitano, ut œcumenicus Patriarcha. Martinus Cruſius Turco-Græciæ pag. 230. figuram expreſſit duorum ſigillorum quibus uti ſolent Patriarchæ Alexandrini, quorum unum ſanctæ Catharinæ, alterum ſancti Marci effigiem exhibet.

Demum Judex orbis univerſi.

Lib. 4. hiſt. c. 34. p. 512.

Turco-gr. pag. 229.

Hiſt. Alex. Eccl. parte 1. cap. 4. pag. 9.

LXIV. Alexandrinam eccleſiam tribus quatuor-ve, imo & quinque ſæculis prioribus ſpectatiſſimam reddidit *ſchola Chriſtiana*, cui viri doctiſſimi præfuerunt, ut ejus mentionem non omittendam exiſtimem. Admodum contulit ad veram religionem per Ægyptum vicinaſque regiones amplificandam. Scholæ hujus primordia Hieronymus accerſit ab ipſiſmet S. Evangeliſtæ Marci temporibus, ubi illi ſermo eſt de Pantæno, in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum. *Pantænus Stoïcæ ſectæ philoſophus*, inquit, *juxta quamdam veterem in Alexandria conſuetudinem, ubi à Marco Evangeliſta ſemper eccleſiaſtici fuere doctores, tantæ prudentiæ & eruditionis, tam in ſcripturis divinis, quam in ſæculari litteratura fuit.*

De Schola Alexandrina.

num. 36.

Henricus Dodwellus in diſſertationibus Irenaïcis Alexandrinæ ſcholæ magiſtrorum ſeriem ex codice Barociano 142. fol. 216. edidit, à Græco ſcriptore anonymo ex Philippi Sidenſis lucubrationibus contextam, in qua primus memoratur Athenagoras, qui Hadriani & Antonini Impp. ætate clariuſſe dicitur, decimus-tertius ac poſtremus eſt Rhodon Didymi ſucceſſor, qui ſcholam tranſtuliſſe Siden in Pamphyliæ civitatem in eodem laterculo fertur, ubi Philippum auditorem habuit; illum nempe quem Socrates Conſtantinopolitanæ eccleſiæ diaconum, & S. Joannis Chryſoſtomi familiariſſimum fuiſſe tradit. Hic inter alia ingenii ſui monumenta hiſtoriam condiderat, quam non eccleſiaſticam, ſed Chriſtianam inſcripſit, in qua nullum rerum aut temporum ordinem ſervaret. Photius hujus hiſtoriæ in bibliotheca meminit cod. 36. nec magni facit, eamque ab auctore ad illud tempus continuatam ait, quo Siſinnius Byzantinæ eccleſiæ præfectus fuit. Quæ anonymus de Alexandrinæ ſcholæ doctori-

Lib. 7. cap. 27.

Digitized by Google

bus ex Philippi, ut videtur, hiſtoria excerpſit, integra juvat hic inſerere; quippe quæ non admodum comperta ſint, ſed & nonnullis animadverſionibus indigeant.

Καί φησι Φίλιππος ὁ Σιδήτης ἐν τῷ λόγῳ κδ΄. τοῦ διδασκαλείου τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἀθηναγόρας πρῶτος ἡγήσατο, κατὰ τοὺς χρόνους ἀκμάσας [a] Ἀδριανοῦ καὶ Ἀντωνίνου, οἷς καὶ τὸν ὑπὲρ χριστιανῶν πρεσβευτικὸν προσεφώνησεν· ἀνὴρ ἐν αὐτῷ χριστιανίσας τῷ τρίβωνι καὶ Ἀκαδημαϊκῆς σχολῆς προεστάμενος· οὗτος πρὸ τοῦ Κέλσου κατὰ χριστιανῶν γράψαι προθυμηθεὶς, ἐντυχὼν ταῖς θείαις γραφαῖς εἰς τὸ ἀκριβέστερον ἀγωνίσασθαι, οὕτως εἵλετο τῷ παναγίῳ πνεύματι, ὥστε διδάσκαλον κατὰ τὸν μέγαν Παῦλον ἀντὶ διώκτου γενέσθαι τῆς πίστεως, ἧς ἐδίωκεν. τούτου μαθητὴν γενέσθαι φησὶν ὁ Φίλιππος τὸν Στρωματέα Κλήμεντα, καὶ Πανταῖνον τοῦ Κλήμεντος. [b] ὁ δὲ Πανταῖνος καὶ αὐτὸς Ἀθηναῖος ὑπῆρχεν, φιλόσοφος Πυθαγόρειος. Εὐσέβιος δέ φησι τοὐναντίον ὅτι Πανταῖνος τοῦ Κλήμεντος διδάσκαλος γέγονεν, οὗ καὶ ὡς διδασκάλου ἐν ταῖς Ὑποτυπώσεσιν μέμνηται. [c] οὗτος δὲ ὁ Πανταῖνος ἔσχεν μαθητὴν διάδοχον τοῦ διδασκαλείου, μετ' αὐτὸν προεστάμενον, κατὰ μὲν Φίλιππον Ὠριγένην, κατὰ δὲ Εὐσέβιον, Κλήμεντα, καὶ μετὰ Κλήμεντα, Ὠριγένην. πλὴν εἴτε οὗτος, εἴτε ἐκεῖνος, τέταρτος προέστη τῆς χριστιανικῆς διατριβῆς Ὠριγένης. Μετὰ Ὠριγένην [d] Ἡρακλᾶς· μετὰ τοῦτον [e] Διονύσιος· μετὰ τοῦτον [f] Πιέριος· μετὰ Πιέριον [g] Θεόγνωστος· μετὰ τοῦτον Σεραπίων· μετὰ τοῦτον Πέτρος ὁ μέγας ἐπίσκοπος, μάρτυς γενόμενος· μετὰ Πέτρον Μακάριος, ὃν πολιτικὸν ἐκάλουν οἱ ἐπιχώριοι· μετὰ τοῦτον Δίδυμος· μετὰ Δίδυμον Ῥόδων, ὃς καὶ μετήγαγε, κατὰ Φίλιππον τὴν διατριβὴν ἐν τῇ αὐτῇ πόλει τῇ Σίδῃ, κατὰ τοὺς χρόνους τοῦ μεγάλου

Inquit etiam Philippus Sidetes ſermone 24. ſcholæ præfuit Alexandrinæ primus Athenagoras, qui Hadriani floruit temporibus, atque Antonini, quibus etiam legatoriam pro Chriſtianis inſcripſit. Religionem Chriſtianam ſub ipſo quoque Pallio profeſſus eſt, & ſcholæ Academicæ præfuit. Hic quum in animo haberet Chriſtianos, ante Celſum ſcriptis oppugnare, luſtratis ea mente ſcripturis, ut ſuſceptam oppugnationem inſtitueret accuratius, ita captus à Spiritu ſancto eſt, ut ad exemplum magni Pauli, ex perſequutore Doctor effectus ſit illius fidei, quam perſequebatur. Hujus diſcipulum ait Philippus fuiſſe Clementem (cognomine) Stromatea, Clementiſque Pantænum. Pantænus vero ipſe etiam Athenienſis (civis) philoſophus erat Pythagoræus. Euſebius vero ex adverſo dicit Pantænum Clementis fuiſſe præceptorem, cujus etiam tamquam præceptoris meminit in Hypotypoſibus (Clemens). Cæterum Pantænus ille poſt ſe Scholæ præfectum habuit, diſcipulum ſuum, pro Philippi mente, Origenem, pro Euſebii vero Clementem, & poſt Clementem Origenem. Utcumque tamen (ſeu ſucceſſerit) hic vel ille, Chriſtianæ Scholæ quartus præfuit Origenes. Poſt illum Heraclas; poſt quem Dionyſius; deinde Pierius; poſt Pierium Theognoſtus; poſt hunc Serapion; quem excepit magnus ille Petrus epiſcopus, martyrio inclytus: Petrum Macarius, qui Politicus à conterraneis eſt cognominatus. Poſt illum Didymus, poſt Didymum Rhodon, qui etiam temporibus Philippi Scholam tranſtulit in illam ipſam (Philippi) civitatem Siden, Imperante magno

[a] Ἀδριανοῦ καὶ Ἀντωνίνου. Nequaquam ſub Hadriano & Antonino apologiam pro Chriſtianis obtulit Athenagoras, ſed *Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo*, Αὐτοκράτορσιν Μάρκῳ Ἀντωνίνῳ, καὶ Λουκίῳ Αὐρηλίῳ Κομμόδῳ, Marco-Aurelio Antonino Vero, inquam, & Lucio Aurelio Vero Commodo fratribus Augg.

Tillem. to. 3. p. 170. 171. — Cl. Alex. Strom. lib. 1. p. 274. — Lib. 11. cap. 13.

[b] Πανταῖνος Ἀθηναῖος. Pantænum Siculum clariſſimus Tillemontius putat, cui ab ipſo Clemente *Sicula apis* dictus cenſetur, Σικελικὴ τῷ ὄντι ἡ μέλιττα, *quæ ex prophetico & apoſtolico prato flores delibaret*: niſi Clemens ejus doctrinæ ſuavitatem melli Siculo ſimilem fuiſſe ſolummodo ſignificet. Plinius optima mella eſſe ait *Atticæ regionis & Siculæ Hymetto & Hybla ab locis*. Pantænus non Pythagoricæ ſectæ cenſetur Hieronymo, ſed Stoïcæ.

Hiſt. Eccl. lib. 6. c. 3.

[c] Οὗτος ὁ Πανταῖνος. Ex Euſebio diſcimus Pantænum quum Alexandriæ doceret, ad Indos Chriſtiana religione imbuendos profectum eſſe; imo à Demetrio Alexandrino epiſcopo miſſum fuiſſe: atque poſt reditum ſuum quum Clemens ejus loco doceret, ſcholæ iterum præfuiſſe, eoque defuncto, Clementem ſolum docendi munere functum eſſe. Cui ſucceſſit Origenes, ſed quum aliquandiu ſchola vacaſſet; quod innuit his verbis: *Quum nemo Alexandriæ ſupereſſet, qui tradendis fidei noſtræ rudimentis operam daret, cunctis ob perſequutionis metum pulſis & fugientibus, quidam ex gentilibus ipſum* (Origenem) *ſcholæ vacantem atque affixum, ut de ſe alicubi ſcribit, adierunt, verbum Dei ex eo audituri.* σχολάζοντι δὲ (Ὠριγένῃ) τῇ διατριβῇ, ὥς που καὶ αὐτὸς ἐγγράφως ἱστορεῖ, μηδενός τε ἐπὶ τῆς Ἀλεξανδρείας τῷ κατηχεῖν ἀνακειμένου, πάντων δ' ἀπεληλαμένων ὑπὸ τῆς ἀπειλῆς τοῦ διωγμοῦ, προσῄεσαν αὐτῷ τινὲς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν, ἀκουσόμενοι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ.

[d] Μετὰ Ὠριγένην Ἡρακλᾶς. Euſebio iterum teſte, Origenes, diviſa auditorum multitudine, Heraclam ex familiaribus ſuis, virum rerum divinarum ſtudioſum, & alioqui doctiſſimum, nec expertem Philoſophiæ, in dicendo ſocium ſibi adjunxit; cui inſtitutionem dedit eorum, qui primis rudimentis imbuerentur, ſibi vero perfectiores docendos reſervavit. Poſtquam vero Origenes Alexandria Cæſaream ſeceſſit, ſolus Heraclas ſcholam κατηχήσεων tenuit. Lib. 6. cap. 15. — Ibid. c. 26.

[e] Μετὰ τοῦτον Διονύσιος. Hieronymus rurſum in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum. *Dionyſius*, inquit, *Origenis valde inſignis auditor, ſcholam κατηχήσεων presbyter tenuit.* num. 69.

[f] Πιέριος. Hieronymus iterum ex Euſebio: *Pierius Alexandrinæ eccleſiæ presbyter, ſub Caro & Diocletiano principibus, eo tempore quo eamdem eccleſiam Theonas epiſcopus regebat, florentiſſime docuit populos, & in tantam ſermonis, diverſorumque tractatuum, qui uſque hodie exſtant, venit elegantiam, ut Origenes junior vocaretur.* Catal. ſcript. Eccl. num. 76.

[g] Achillam Philippus omiſit, cujus tamen Euſebius meminit: *ſub quo* (Theona) *Achillas*, inquit, *eodem quo Pierius tempore presbyterii honore decoratus, Alexandriæ claruit; cui etiam ſacræ fidei ſchola commiſſa eſt.* καθ' ὃν (Θεωνᾶν) ἐπὶ τῆς Ἀλεξανδρείας, ἐπὶ ταὐτὸ τῷ Πιερίῳ πρεσβυτερίου ἠξιωμένος Ἀχιλλᾶς ἐγνωρίζετο, τῆς ἱερᾶς πίστεως τὸ διδασκαλεῖον ἐγκεχειρισμένος. Theodoretus Ario hæretico ſacrarum litterarum interpretationem fuiſſe creditam ait, cui proinde Macarius ſucceſſerit, ut Macario Didymus. Euſeb. lib. 7. c. 32. — Theod. hiſt. eccleſ. lib. 1. c. 2.

Θεοδωρίτ

Θεοδοσίου. τούτου Ῥόδωνι λέγει μαθητεῦσαι ὁ Φίλιππος, ᾧ τινι καὶ πλεῖστα μαρτυρεῖ περὶ εἰδήσεως λόγων, τῶν τε καθ' ἡμᾶς, καὶ τῶν ἔξωθεν.

Theodoſio. Hujus Rhodonis ſe diſcipulum fuiſſe ait Philippus, cui etiam amplum perhibet teſtimonium, de ipſius tam noſtra (ſeu Chriſtiana) quam externa eruditione.

In eodem Barociano codice *quæ ſequuntur,* ait Dodwellus, *litteris miniatis concepta ſunt, quæ adeo librario potius quam auctori vel excerptori videntur imputanda;* nec certe ordinem doctorum Alexandrinorum qui in excerpto fertur, accurate repræſentant. In his enim Heraclas & Dionyſius, atque Origenes Clementi, & Origenes Heraclæ, poſtponuntur.

Οἱ Διδάσκαλοι.

Ἀθηναγόρας α'.	Θεόγνωστος η'.
Πανταῖνος β'.	Σεραπίων θ'.
Ὠριγένης γ'.	Πέτρος ὁ μάρτυς ι'.
Ἡρακλᾶς δ'.	Μακάριος ὁ πολιτικὸς ια'.
Διονύσιος ε'.	Δίδυμος ιβ'.
Κλήμης ς'.	Ῥόδων ιγ'.
Πιέριος ζ'.	

Magiſtri.

Athenagoras I.	Theognoſtus VIII.
Pantænus II.	Serapion IX.
Origenes III.	Petrus martyr X.
Heraclas IV.	Macarius Politicus XI.
Dionyſius V.	Didymus XII.
Clemens VI.	Rhodon XIII.
Pierius VII.	

Quum Hieronymus ſcriptorum eccleſiaſticorum catalogum abſolveret, anno, uti teſtatur, Theodoſii decimo-quarto, Chriſti 392. hacque ſua ætate in Pantæno magiſtrorum ſcholam Alexandriæ adhuc perſeverare ſignificet; imo & Didymum vitam adhuc agere, exacto octogeſimo-tertio anno; Rhodon nonniſi poſtremis Theodoſii temporibus Siden in Pamphylia ſcholam transferre potuit. Extinctum vero Alexandrinum magiſterium non puto, quando ſæculo quinto ſextoque Ammonium & Olympiodorum hac in urbe de priſco more docuiſſe reperio, viros, furentibus tunc per Ægyptum hæreticis Chalcedonenſis Fidei hoſtibus, apprimè catholicos. Quod comperimus ex Anaſtaſii II. Antiocheni patriarchæ homiliis myſtagogicis in Hexaëmeron. In prologo ſcilicet Ammonius diſerte dicitur probatiſſimus Alexandrinorum inſtitutor, ſacrarum litterarum expoſitor, ὁ δοκιμώτατος τῆς Ἀλεξανδρέων ἐξηγητής, cujus tractatus de opere ſex dierum Patrum ſententiis conſtans laudatur. Atqui Ammonius Juſtiniano ſeniore Imperatore Alexandriæ agebat, ubi Julianum Halicarnaſſenſem Aphtartodocetarum, ſeu Incorrupticolarum, cum Gaïano Alexandrino anteſignanum egregiè confutavit, quemadmodum narratur ab Anaſtaſio Sinaïta, in opere quod Ὁδηγὸς inſcribitur, cap. 14. Olympiodorum quoque *Alexandrinæ eccleſiæ diaconum & philoſophum* appellat homilia 6. *magnum item philoſophum & magiſtrum*; Ὀλυμπιόδωρος ὁ μέγας ἐστὶ φιλοσόφοις, καὶ διδασκάλοις· ὁ περιφρονηθεὶς φιλόσοφος, ὁ τῶν Ἀλεξανδρέων τοῖς λόγοις καταφωτίσας διάκονος. Olympiodorum Ammonio anteriorem fuiſſe mea conjectatio eſt.

Cæterum uterque Patriarcha Alexandrinus, hoc eſt qui Cophtarum, & qui Melchitarum ſive Græcorum Patriarcha nuncupatur, Saracenorum juſſu Caïrum ab aliquot ſæculis ſeceſſerunt; & Alexandriæ quatuor dumtaxat eccleſiæ ſuperſunt, nimirum 1. S. Georgii; 2. S. Marci, 3. S. Michaëlis, 4. S. Sabbæ, quam Latini tenent.

PATRIARCHÆ ALEXANDRINI.

I. S. Marcus *Evangeliſta.*

PRimum Alexandrinæ eccleſiæ præſulem *Marcum Evangeliſtam* fuiſſe diximus, à ſancto Petro Apoſtolo deſignatum. Roma ubi Evangelium ſcripſerat miſſum ferunt veteres Euſebius, Epiphanius, Hieronymus, chronici Alexandrini auctor, & alii etiam Jacobitæ; ejus vero acta, eo ipſo tempore quo Apoſtoli per orbem diſperſi ſunt. Eum iviſſe prius in Pentapolim Cyrenaïcam, cuncti perinde tradunt, ibique eccleſias fundaſſe, tum deinde Alexandriam, ubi ad ſutorem Anianum calceos reficiendi cauſa divertens, manum ejus quam ſubula perforaverat, vocato Chriſti nomine ſanavit. Quocirca Anianus ad Chriſtum converſus cum omni familia baptizatus fuit; quem aucto deinceps fidelium numero, in Pentapolim denuo profecturus, Alexandriæ epiſcopum ordinavit. E Pentapoli poſt biennium Alexandriam regreſſus, ipſa Dominica Paſchæ, menſis Pharmuthi Ægyptiaci 29. ſive 8. Kal. Maii, quo Gentiles Serapidis feſtum agebant, ab Idololatris tentus, poſtridie veſpere martyrium obiit, adeoque 7. Kal. Maii, ſeu 25. Aprilis, ipſo prorſus quo ejus memoria ab Eccleſia Latina & Græca, ut & ab Alexandrina quotannis recolitur. Hunc Hieronymus poſt Euſebium octavo Neronis anno mortuum tradit,

Digitized by Google

quod aliis tamen ratum non eſt, ut rem certo definire operoſum videatur.

II. Anianus.

Quem Euſebius, aliique Græci & Latini *Anianum* vulgo nominant, is Cophtitis Arabiciſque ſcriptoribus *Hananias* dicitur, cumque omnes biennio & amplius epiſcopatu prius functum concedunt, quam B. Marcus Alexandriæ mortem oppeteret. In actis Latinis S. Marci, quæ Wolfgangus Lazius Vienneſis ex vetuſtiſſimo codice edidit, *Anizanus* ſcribitur, librarii utique errore. Quum annus emortualis Beati Evangeliſtæ incertus omnino ſit, nihilo certior eſt annorum numerus quibus Anianus ſedit. Euſebius hunc Imperatoris Domitiani anno quarto fato functum ſcribit. Τετάρτῳ μὲν οὖν ἔτει Δομετιανοῦ, τῆς καθ' Ἀλεξάνδρειαν παροικίας ὁ πρῶτος Ἀνιανὸς, δύο πρὸς τοῖς εἴκοσιν ἀποπλήσας ἔτη τελευτᾷ· διαδέχεται δ' αὐτὸν δεύτερος Ἀβίλιος. *Anno Domitiani quarto, primus Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopus Anianus, duobus & viginti annis exactis, exiit è vita. Cui ſecundus ſucceſſit Abilius.* Atqui annus Domitiani quartus incidit in Chriſti 84. Anianus autem ab Euſebio primus Alexandriæ epiſcopus dicitur, ſecundus Abilius; quia nempe Marcus, qui urbis hujus epiſcopatum geſſerat, non tam epiſcopus, quam Apoſtolus cenſeretur, cujus muneris eſſet eccleſias per varias diſparataſque regiones inſtituere, epiſcopos creare, nulli proprie certæ ſedi addictus. Cæterum Euſebius ſcripſerat *octavo Neronis anno* Anianum poſt Marcum Evangeliſtam, Alexandriæ eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepiſſe, virum Deo acceptum, & omni ex parte mirabilem, ἀνὴρ θεοφιλὴς ὢν, καὶ τὰ πάντα θαυμάσιος.

Lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 14.

Lib. 2. cap. 24.

III. Abilius.

Euſebius in chronico ad quartum Domitiani annum, *ſecundus*, ait, *Alexandrinæ eccleſiæ conſtituitur Abilius, qui præfuit annis tredecim*, δεύτερος Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος καθίσταται Ἀβίλιος ἔτη ιγ. *Abilium* perinde, ut vidimus, idem Euſebius dixit in hiſtoria eccleſiaſtica: ſic Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 7. cap. 48. ubi eum à Luca Evangeliſta Aniano ſuffectum tradit, δεύτερος δὲ Ἀβίλιος ὑπὸ Λουκᾶ καὶ αὐτοῦ εὐαγγελιστοῦ. Hunc Arabici rerum Alexandrinæ eccleſiæ ſcriptores *Melianum* nominant, Cophtitæ *Miloï*. Sæpe nimirum uſu venit, ut M. pro B. ſcribatur, ob ſonorum ſimilitudinem, quo factum eſt, ut *Milium* pro *Bilium*, *Melium* quoque, dempta littera *A*, ac ſubinde Melianum alii atque alii protulerint. In actis S. Marci Latinis, Melium legimus unum è tribus preſbyteris fuiſſe, qui ab eo preſbyteri primitus ſunt ordinati. Annon ipſe proinde idem qui Abilius, & Melianus? Severus epiſcopus Aſchumin Cophtita, qui Alexandrinorum patriarcharum hiſtoriam Arabice edidit, de Meliano, ſeu Abilio hæc ſcripſit: « Congregata eſt multitudo orthodoxa, habitoque conſilio elegerunt virum nomine Melianum, quem ordinaverunt Patriarcham ſuper ſedem S. Marci Evangeliſtæ loco Hananiæ. Erat Melianus vir temperans & modeſtus. Confirmavit autem in fide eos qui in Chriſtum crediderant, atque eorum numerus multiplicatus eſt in Ægypto, Africa & Pentapoli, (nihil hic de Sahid ſeu Thebaïde) obiit 1. menſis Thoth, anno 15. Domitiani. Sub hoc Patriarcha tranquillus fuit eccleſiæ ſtatus. » Sic Severus diſcrepat ab Euſebio, cui Abilius anno primo Trajani obiit, decimotertio epiſcopatus. τῆς κατ' Ἀλεξάνδρειαν παροικίας Ἀβίλιον δέκα πρὸς τρισὶν ἔτεσιν ἡγησάμενον. In Chronico vero ipſo imperantis Nervæ anno; ſed leviſſima utroque loco diſcrepantia. In Martyrologio Romano Abilii Alexandrini memoria fit die 22. Februarii, alio proinde à prima menſis Thoth Ægyptiaci.

Lib. 3. hiſt. c. 21.

IV. Cerdo.

Euſebius in hiſtoria, loco quem mox appellabam, *Trajano*, inquit, *primum adhuc principatus annum agente, poſtquam Abilius tredecim annos Alexandrinam eccleſiam rexerat, ei ſucceſſit Cerdo*, διαδέχεται Κέρδων. In chronico autem: *Romanorum decimus præfuit Nerva, regnavit anno uno, menſibus quatuor. Alexandrinæ eccleſiæ tertius epiſcopus præfuit Cerdon ann. XI.* τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας τρίτος ἐπίσκοπος Κέρδων ἔτη ια. Cerdonem quemdam à Marco preſbyterum ordinatum eſſe legimus in illius Evangeliſtæ actis Latinis; quem poſt Abilium Alexandrinam ſedem tenuiſſe à vero non abhorret. Chronicon Orientale, quod Abrahamus Ecchellenſis ex Arabico idiomate Latine edidit, eccleſiam Alexandrinam poſt Abilii obitum tres annos vacaſſe narrat, cui nulli ſcriptores uſquam ſuffragantur. Quum Cerdo, Euſebio teſte, annos undecim ſederit, anno proinde Trajani XI. obierit oportet; quo nempe Primus ei ſubrogatus fuit. In hiſtoria eccleſiaſtica Euſebii, libri quarti initio, morte vitam commutaſſe legitur circa *duodecimum Trajani Imp. annum*, ἀμφὶ δὲ τὸ δωδέκατον τῆς Τραϊανοῦ βασιλείας ἔτος: atque adeo integros prorſus undecim epiſcopatus annos egerit oportet, duodecimo inſuper inchoato. Severus Aſchuminenſis undecim ei annos perinde attribuit, eum vero anno Domitiani decimo-quinto mortuum inſulſe tradit, errore manifeſto.

Digitized by Google

Ejus memoria fit à Cophtitis die 14. menſis Ægyptiaci Coltiac.

V. Primus.

Euſebius libri quarti hiſtoriæ initio ſubdit, anno Trajani duodecimo, quo Cerdo obiit, quartum ab Apoſtolis ejuſdem eccleſiæ miniſterium ſortitum eſſe *Primum.* τέταρτος δὲ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων τὴν τῆς αὐτόθι λειτουργίαν κληροῦται Πρῖμος. In Chronico vero ad *annum Trajani 9. Alexandrinæ eccleſiæ quartus ordinatur Primus, annis 12.* Τραϊανοῦ θ'. Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας ἐπίσκοπος καθίσταται Πρῖμος ἔτη ιϐ. B Hunc Cophtitæ & Arabici ſcriptores Obrimium & Ephræmium dixere, quem Severus de plebe fideli aſſumptum tradit. Hi quoque duodecim ei pontificatus annos aſſignant, ut proinde vivere deſierit anno Hadriani 3. quod die 27. Meſori, ſeu 20. Auguſti contigiſſe ferunt. Ejus itaque poſtremus annus incidit in Hadriani tertium, veluti memoratur in Euſebii chronico & hiſtoria.

Edit. Scaliger. p. 209.

VI. Justus.

Euſebius lib. 4. hiſt. cap. 4. aſſignato obitu Alexandri Papæ Romani ad annum Hadriani C tertium, pergit de Primo Alexandrino, *Eodem circiter tempore, mortuo Primo, anno epiſcopatus duodecimo, Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopatum Juſtus ſuſcepit.* καὶ τῆς Ἀλεξανδρέων δὲ παροικίας ἀμφὶ τὸν αὐτὸν χρόνον, Πρῖμον μεταλλάξαντα δωδεκάτῳ τῆς προστασίας ἔτει διαδέχεται Ἰοῦστος. Ita perinde in chronico, ſecundum Pontaci editionem (nulla quippe Juſti mentio eſt in Scaligeriana) anno Hadriani 3. *Alexandrinæ eccleſiæ 5. conſtituitur Juſtus annis XI.* Obiit igitur decimo-quarto ejuſdem Imperatoris, ſeu Chriſti 130. quo initium D ſucceſſoris ejus Eumenii conſignatur in eodem chronico. Hunc die 12. Bayni, ſeu 6. Julii defunctum Cophtitæ perhibent. In Synaxario Æthiopico à S. Marco unà cum patre & matre baptizatus dicitur.

VII. Eumenes ſive Eumenius.

Juſti ſucceſſor *Hymenæus* dicitur in chronico Euſebii, Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας ϛ'. προέστη Ὑμεναῖος ἔτη ιγ. *Alexandrinæ eccleſiæ ſextus præfuit Hymenæus annis 13.* quem in hiſtoria eccleſiaſtica Eumenem nominat, τῆς Ἀλεξαν- E δρέων παροικίας τὴν προστασίαν Εὐμένης ἕκτῳ κλήρῳ διαδέχεται, *Alexandrinæ eccleſiæ Eumenes adminiſtrationem ſextus ordine capeſſivit.* Rurſum cap. 11. Alexandriæ Marcus paſtor conſtituitur, *quum Eumenes totos tredecim annos expleſſet,* Εὐμένους ἔτη τὰ πάντα δέκα πρὸς τοῖν ἐκπλήσαντος. Eumenius Cophtitis dicitur, quem mortuum ferunt die 10. menſis Babæ ſeu Paophi, quæ eſt ſeptima Octobris

Lib. 4. cap. 5.

Romani. Pervenit igitur ad annum Antonini A Pii 6. ſeu Chriſti 143. tredecim enim annos completos ei ab Euſebio attributos mox narrabam. Unde in chronici ejuſdem Euſebii editione Scaligeriana, primus Marci II. qui ſequitur annus ſextus eſt Antonini.

VIII. Marcus II.

Eumenem excepit *Marcus II.* qui *Marcianus* Cophtitis dicitur, de quo Euſebius in chronico ad annum 6. Antonini Pii; *Alexandriæ ſeptimus epiſcopatum ſuſcepit Marcus annis 10.* Ἀλεξανδρείας τὴν ἐπισκοπὴν ζ'. παραλαμβάνει Μάρκος ἔτη ι. totidem ei annos aſſignat eo poſtremo hiſtoriæ ſuæ loco, quem in Eumene recitavi, τοῦ δὲ Μάρκου ἐπὶ δέκα ἔτη τῆς λειτουργίας ἀναπαυσαμένου, *Marco poſt decem annos epiſcopatus defuncto, Alexandrinæ eccleſiæ adminiſtrationem Celadion ſuſcepit.* Obiit 6. Tybi ſeu Tubæ, id eſt 1. Jan. anno Chriſti 154. ineunte, & 16. Antonini currente.

IX. Celadion.

Cophtitæ *Claudianum* vocant, qui Euſebio aliiſque Græcis *Celadion* nominatur. Ille in chronico ad annum 12. Antonini in utraque editione: *Celadion octavus Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopus præfuit annis 14.* τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας η'. προέστη Κελαδίων ἔτη ιδ. Qui chronologicus error ex his, quæ in Marco ſupputata ſunt, emendari debet. Capite quod illic modo appellabam undecimo lib. 4. hiſt. eccleſ. *Marco,* inquit, *à Pontificatus officio ceſſante, Celadion Alexandrinæ eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit,* Κελαδίων τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας τὴν λειτουργίαν παραλαμβάνει. Capite rurſum 19. Celadionem annos quatuordecim, τέτταρσιν ἐπὶ δέκα ἔτεσιν, apud Alexandriam epiſcopatum geſſiſſe ſcribit. In chronico Celadionis melius quam Marci obitum refert ad annum 6. Marci Aurelii Antonini Veri; qui tamen ſeptimo currente anno contigit, & Chriſti 167. Elmacinus diem mortis ejus fuiſſe prodit 9. Epiphi, quæ Julii tertia eſt.

X. Agrippinus.

Anno Marci Aurelii Veri ſexto, ſeu ſeptimo potius, *Agrippinus nonus Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopus præfuit annis 12.* ait in chronico Euſebius, eumque epiſcopatu functum innuit ad ultimum uſque Marci Imp. annum, ſive Commodi I. velut & in hiſtoria eccleſiaſtica lib. 5. c. 9. *Anno* [Commodi] *primo,* inquit, *Julianus Alexandrinæ eccleſiæ ſuſcepit ſacerdotium, expleto duodecimo regiminis Agrippini anno,* ἐπὶ δωδεκάδικα ἔτεσι τὴν λειτουργίαν ἀναπλήσαντος Ἀγριππίνου. Obiiſſe dicitur die quinta Amſchir ſeu Mechir, hoc eſt 30. Jan. adeoque an. Chr. 179. inchoato.

XI. Julianus.

Poſt Agrippinum, Euſebio teſte in chronico, anno Commodi Auguſti primo *Julianus decimus Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopatum ſortitur annos 10*. Id quod loco hiſtoriæ ſuperius laudato perinde aſſerit. οὗ κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς κατ' Ἀλεξάνδρειαν ἐκκλησιῶν Ἰουλιανὸς ἐγχειρίζεται τὴν ἐπισκοπήν· *cujus* [Commodi] *anno primo Julianus Alexandriæ eccleſiarum epiſcopatum recepit*. Severus hunc ſacerdotem fuiſſe ait in ſcripturis interpretandis peritiſſimum, prudentem, modeſtum, &c. Unde inferre liceat eum ſcholæ Alexandrinæ aliquando præ-
B fuiſſe, qui tamen à Philippo Sidenſi prætermiſſus eſt; quod ſi ita eſt, Pantæno præivit, Athenagoræ ſuccedens. Hunc Euſebius non in chronico ſolum, ſed etiam in hiſtoria eccleſiaſtica lib. 5. cap. 22. anno Commodi decimo, quum decimum annum pontificatus expleſſet, ἐν ᾧ καὶ Ἰουλιανοῦ δέκατον ἔτος ἀναπλήσαντος, obiiſſe ſignificat, an. utique Chriſti 179. Mortis diem Ægyptii ſcriptores fuiſſe dicunt 8. Barmathi ſeu Phanemoth, hoc eſt Martii 4. Severus Aſchuminenſis & Chronicon Orientale, quod Ecchellenſis Latinè
C edidit, addunt ab eo tempore epiſcopum Alexandriæ ab hac urbe receſſiſſe, utique propter perſequutionem Severi Auguſti ejuſque ſucceſſorum: quod ſane mirum. Nam Demetrium, qui anno Commodi 10. Juliano ſucceſſit, dudum ante quam Severus Imperii compos eſſet, Alexandriæ manſiſſe, multa quæ de eo narrat Euſebius diſertiſſime confirmant. Sub Commodo Chriſtiani exagitati non ſunt. Commodus interiit decimotertio Imperii à Marci patris obitu, anno Chriſti 192. nec Severus ante decimum Im-
D perii annum Chriſtianos inſectari cœpit.

XII. Demetrius.

Origenis hiſtoria notiſſimus eſt *Demetrius* Alexandriæ epiſcopus, quem Ægyptii ſcriptores uxoratum ante pontificatum fuiſſe, ſed virginem manſiſſe tradunt. An. Chriſti 189. Marci Evangeliſtæ thronum conſcendit. De quo Euſebius in Chronico ad Commodi annum 10. *Alexandriæ*, inquit, *undecimus conſtituitur epiſcopus Demetrius ann. 43.* Ἀλεξανδρέων ια' καθίσταται ἐπίσκοπος Δημήτριος ἔτη μγ'.
E Libro itidem hiſtor. Eccleſ. 6. cap. 26. ait: *Decimus erat annus jam dicti Imperatoris* (Alexandri) *quum Origenes ab urbe Alexandria Cæſaream migraturus, ſcholam ad fideles loci hujus inſtituendos Heraclæ reliquit. Nec multo poſt Demetrius Alexandriæ eccleſiæ epiſcopus fato functus eſt, quum per totos quadragintatres annos, miniſterium obiiſſet.* ἔτος δ' ἦν τοῦτο δέκατον τῆς δηλουμένης ἡγεμονίας, καθ' ὃ τὴν ἀπ'
Ἀλεξανδρείας μετανάστασιν ἐπὶ τὴν Καισάρειαν ὁ
A Ὠριγένης ποιησάμενος, Ἡρακλᾷ τὸ τῆς κατηχήσεως τῶν αὐτόθι διδασκαλεῖον καταλείπει. οὐκ εἰς μακρὸν δὲ καὶ Δημήτριος ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας ἐπίσκοπος τελευτᾷ, ἐφ' ὅλοις ἔτεσι τρισὶ καὶ τετταράκοντα τῇ λειτουργίᾳ διαρκέσας. Hunc annorum numerum Cophtitæ & Arabici ſcriptores tenent, in quorum calendariis obitus ejus aſſignatur 11. Babæ ſeu Paophi, ſeu Octobris 17. Quum Euſebius anno uno Antoninorum Auguſtorum primordia prævertat, recte Pagius cenſet anno 9. Commodi ſolius poſt parentis obitum imperantis, epiſcopatum
B ſumpſiſſe, Chriſti 188. & defunctum anno 230. Ejus pontificatus anno 15. Septimius Severus ſævire in Chriſtianos cœpit, & innumerabiles martyrio paſſim coronatos fert Euſebius, *ac præſertim Alexandriæ, quum ex Ægypto & Thebaïde lectiſſimi pugiles eo tamquam in ampliſſimum Dei ſtadium deducerentur, & omnis generis tormenta morteſque invicto animo perpeſſi, immortales à Deo coronas acciperent.* μάλιστα δ' ἐπλήθυον ἐπ' Ἀλεξανδρείας, τῶν ἀπ' Αἰγύπτου καὶ Θηβαΐδος ἁπάντων ἀριστίνδην αὐτόθι ὥσπερ ἐπὶ μέγιστον Θεοῦ παραπεμπομένων Lib. 6. c. 1. & 2.
C στάδιον, διὰ καρτερικωτάτης τε ποικίλων βασάνων καὶ θανάτου τρόπων ὑπομονῆς, τοὺς παρὰ Θεοῦ στεφάνους ἀναδουμένων. Pantænus Alexandrinæ ſcholæ præfectus in Indiam, rogatus ab illius gentis legatis, à Demetrio Alexandriæ epiſcopo miſſus fuit, ubi reperit Bartholomæum in ea provincia prædicaſſe. Pantæno in regenda ſchola ſuffectus fuit Clemens, Clementem excepit Origenes, Origenem Heraclas, qui omnes Demetrio pontifice docuerunt. Quæ Demetrius pro Origene, ac ſubinde adverſus Origenem geſſerit, pluribus
D paſſim recitat Euſebius toto fere lib. 6. hiſt.

XIII. Heraclas.

Origenis ſtudiorum ſocius fuit *Heraclas*, Plutarchi martyris, quem Origenes ad Fidem adduxerat, germanus frater. Hunc Origenes quo tempore Alexandriæ docebat, adjutorem & collegam habuit, ut-pote virum divinarum rerum doctiſſimum, nec philoſophiæ expertem. Atque ei quidem inſtitutionem illorum qui primis rudimentis eſſent imbuendi mandavit, perfectiores erudiendos
E ſibi reſervans. Hæc Euſebius lib. 6. cap. 15. deinde cap. 26. ait Origenem, quum Cæſaream Palæſtinæ decimo Imp. Alexandrini anno migraturus eſſet, Heraclæ ſcholam reliquiſſe; & cap. 31. narrat Julium Africanum illius eruditionis fama excitatum, Alexandriam ejus viſendi cauſa veniſſe. In Chronico ad nonum Alexandri Auguſti annum idem Euſebius ait; *Alexandrinæ eccleſiæ duodecimus ordinatur epiſcopus Heraclas annis 16.* &c.

Digitized by Google

Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας ἐπίσκοπος ιδʹ. καθίσταται Ἡρακλᾶς ἔτη ιϛʹ. qui Severo Aſchuminenſi & A aliis Arabicis ſcriptoribus *Hieracla* dicitur, Eutychio *Hercol.* Euſebius in hiſtoria lib. 6. cap. 26. hunc paulo poſt Origenis in Palæſtinam diſceſſum Demetrio ſucceſſiſſe dixit: capite autem 29. de ejus promotione in Alexandriæ antiſtitem iterum ſcribit: *Alexandriæ poſt mortem Demetrii, qui annos tres & quadraginta ſacerdotio functus erat, Heraclas ſuſcepit adminiſtrationem eccleſiæ, ſcholam vero ad homines qui confluebant erudiendos obtinuit Dionyſius, qui & ipſe unus è diſcipulis fuerat Origenis.* ἔν τε Ἀλεξανδρείᾳ μετὰ Δημήτριον ἐπὶ τεσσὶ καὶ τεσσαράκοντα ἔτεσι τὴν ἐπισκοπὴν ἐκτελέσαντα, Ἡρακλᾶς τὴν λειτουργίαν παρείληφεν· τῆς δὲ τῶν αὐτόθι κατηχήσεως τὴν διατριβὴν διαδέχεται Διονύσιος, εἷς καὶ οὗτος τῶν Ὠριγένους γνωρίμων φοιτητῶν. B Verum etſi Heraclas & Dionyſius Origenis diſcipuli fuerant, ejus tamen errores tenuiſſe minime putandi ſunt; quin potius latæ in eum à Demetrio ſententiæ ambo ſuffragati ſunt. Id quod affirmant varii ſæculorum quarti, quinti ſextique ſcriptores: in primis Theophilus Alexandrinus, Gennadio teſte cap. 33. catalogi virorum illuſtrium, C *ſcripſit adverſus Origenem unum & grande volumen, in quo omnia pene ejus dicta & ipſum pariter damnat, ſimul docens non à ſe eum primum, ſed ab antiquis Patribus, & maxime Heracla fuiſſe & à preſbyterio ejectum, & de eccleſia pulſum, & de civitate fugatum.* Cui concinit vitæ S. Pachomii ſcriptor in exemplari Græco quod Henſchenius edidit inter Acta ſanctorum ad calcem tom. 3. menſis Maii; in illa ſiquidem vita Origenes ab Heracla Alexandrinæ eccleſiæ archepiſcopo eccleſia ejectus dicitur, ὑπὸ Ἡρακλᾶ τοῦ τῆς Ἀλε- D ξανδρείας ἀρχιεπισκόπου τῆς ἐκκλησίας ἐῤῥίφη. Synodus item Alexandrina, cujus fragmentum Juſtinianus Imp. recitat in epiſtola ad Mennam tom. 5. Concil. edit. Labb. col. 660. *Heraclas beatæ memoriæ tum epiſcopus, ut ſtudioſus veritatis, arator ac vinitor eccleſiaſtici agri, eum è medio pulcræ ac lætæ ſegetis evulſit, quod revera è malo zizanio eſſet;* ὁ κατ' ἐκεῖνο μακαρίτης Ἡρακλᾶς ὁ ἐπίσκοπος ὡς ἀροτὴρ καὶ ἀμπελουργὸς φιλαλήθης τοῦ τῆς ἐκκλησίας χωρίου τυγχάνων, ἐκ μέσου τοῦ καλοῦ σίτου τοῦτον ἐξέτιλεν, ὡς τοῦ πονηροῦ ζιζανίου ὄντα ἀληθῶς. Cujus pro- E ſcriptionis nuſquam meminiſſe legitur Hieronymus. Secundum Euſebii chronologiam, Heraclas Demetrio ſucceſſit anno labente 130. ac ſexdecim annos Alexandriæ ſedit, vivere proinde deſiit anno 146. Philippi Imperatoris III. Ejus de Pœnitentia canones, quibus in fidelium cum hæreticis familiaritatem ſeverè animadvertebat, Dionyſius ejus ſucceſſor referebat epiſtola tertia ad Philemonem, de qua Euſebius lib. 7. hiſt. cap. 7.

XIV. Dionysius.

Philippi Imp. *anno tertio,* ait lib. 6. hiſt. cap. 35. Euſebius, *quum Heraclas poſt ſexdecim epiſcopatus annos è vita migraſſet, Alexandriæ eccleſiarum pontificatum Dionyſius ſuſcipit,* τὴν κατ' Ἀλεξάνδρειαν ἐκκλησιῶν τὴν ἐπισκοπὴν ὁ Διονύσιος ὑπολαμβάνει. In Chronico ejuſdem Euſebii, interprete Hieronymo, ad Philippi annum 5. legitur: *Alexandrinam eccleſiam decimus-tertius epiſcopus tenuit Dionyſius annos 17.* Totidem ei annos aſſignavit epiſcopatus lib. 7. hiſt. cap. 28. Quod Dionyſii epiſcopatum ad annum dumtaxat Philippi quintum refert Euſebius in Chronico, manifeſtus error eſt, ex ejus hiſtoria emendandus, niſi cum Ebnrahebo in Orientali Chronico fateamur poſt Heraclæ obitum Alexandrinam ſedem annum integrum vacaſſe, quod ob rei Chriſtianæ tunc temporis tranquillitatem à vero videtur abhorrere. Dionyſium Origenis fuiſſe diſcipulum, & poſt Heraclam Alexandrinæ eccleſiæ præfuiſſe jam in Heracla diximus: eum vero calamum in Origenem ſtrinxiſſe alicubi reperi. At Euſebius lib. 6. cap. ult. teſtis eſt Dionyſium ipſo tempore quo epiſcopatum gerebat, ad Origenem ſcripſiſſe librum *de Martyrio;* quod argumento eſt eum alieno in totum ab illo non fuiſſe animo. Poſt aliquot ab inito epiſcopatu annos, edicto Decii Imp. de Chriſtianis inſectandis Alexandriæ promulgato, ſaluti fuga conſuluit, Sabino Præfecto eum per Frumentarium requirente; apprehenſus tamen eſt poſt dies aliquot, ſed, Deo bene diſponente, à Chriſtianorum ruſticanorum turba liberatus fuit. Interim multi Alexandriæ Chriſti cauſa martyrium obierunt, quorum egregios agones Dionyſius ipſe recenſuit variis in litteris, quarum excerpta Euſebius recitat. Epiſtolas inſuper multas dedit ut Novatiani ſchiſma quod in Oriente augebatur, compeſceret. Anno 252. concilio interfuit Antiocheno, quod illius ſchiſmatis cauſa celebratum fuit. Circa annum 254. Millenariorum errorem quem Arſenoïtæ à Nepote quodam epiſcopo edocti erant, quin & Nepotem ipſum duobus libris confutavit. Anno 256. quo Stephanus Papa de hæreticorum baptiſmo à Cypriano Carthaginenſi & Firmiliano Cæſarienſi Cappadociæ diſſidebat, multas etiam ad multos ſcripſit epiſtolas, quibus eccleſiarum pacem conciliare nitebatur. Valeriano Auguſto Chriſtianos exagitante anno circiter 257. coram Æmiliano præfecto Chriſtum confeſſus Cephro, quod oppidum erat Libyæ Siticuloſæ, ire juſſus eſt, unde in Mareotidem reductus fuit, quæ

Euſeb. lib. 6. hiſtor. cap. 40.

cuncta refert in litteris ſuis apud Euſebium lib. 7. Epiſtolarum quas ad Paſchalem ſolennitatem annuntiandam ſcripſit, meminit perinde Euſebius, necnon ejus librorum in naſcentem Sabellii hæreſim, in quibus, quum nonnulla protuliſſet, quæ Verbi Divini conſubſtantialitati derogare quibuſdam viderentur, inuſtam exinde ſuæ famæ labem apud Dionyſium Romanum Papam purgavit altero volumine; de quo legendus Athanaſius in opere quod de Dionyſii deceſſoris ſui genuina ſententia propter Arianos exaravit. Valeriano à Perſis capto, pace Chriſtianis reddita, Alexandriam regreſſus eſt, ubi plebi B peſte, fame, belloque inteſtino laboranti auxilio fuit. Errores Pauli Samoſateni Antiochiæ epiſcopi, datis ad Antiochenam eccleſiam litteris revicit, quum ad ſynodum quæ in illa urbe cogebatur, propter affectam ætatem & valetudinem venire non poſſet. Ipſo quo ſynodus hæc habebatur tempore diem ſupremum obiit, exactis velut auctor eſt Euſebius, ſeptemdecim epiſcopatus annis ἔτεσιν ἑπτακαίδεκα, [Lib. 7. cap. 28.] Gallieni Imp. XII. Chriſti 265. die 13. menſis Barmahat, ut Arabes loquuntur, ſeu Phanemoth, hoc eſt Martii 9. non C 3. Toth, ſeu 31. Auguſti, ut apud Elmachinum falſò legitur, & in Chronico Orientali. Hieronymus in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum Dionyſium perinde obiiſſe fert *duodecimo Gallieni anno.*

XV. Maximus.

Euſebius lib. 7. cap. 28. narrat quo tempore Orientis epiſcopi Antiochiam primum, propter Pauli Samoſateni blaſphemias conveniebant, *Dionyſium defunctum, anno principatus Gallieni duodecimo, quum Alexandriæ epi-* D *ſcopatum ſeptemdecim annos geſſiſſet, ejuſque in locum Maximum eſſe ſubrogatum;* ἐν τούτῳ δὲ Διονύσιος τελευτᾷ, κατὰ τὸ δωδέκατον ἔτος τῆς Γαλλιήνου βασιλείας, προστὰς τῆς κατ᾽ Ἀλεξάνδρειαν ἐπισκοπῆς ἔτεσιν ἑπτακαίδεκα· διαδέχεται δὲ αὐτὸν Μάξιμος. In Chronico Maximi pontificatus initia attribuit anno XI. Gallieni, ſed completo utique, & duodecimo inchoato, *Alexandrinæ eccleſiæ,* inquit, *decimus-quartus ordinatur epiſcopus Maximus annis 18.* Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας ιδʹ. καθίσταται ἐπίσκοπος Μάξιμος ἔτη ιη. Ab his diſſentit Severus epiſcopus Aſ- E chumin, cui Maximus Alexandrinam ſedem obtinuit circa annum Gallieni & Valeriani decimum-tertium. Hunc deceſſor ipſius [Euſeb. lib. 7. cap. 11.] Dionyſius epiſtola ad Germanum illius temporis epiſcopum, & compreſbyterum vocat, & confeſſionis ſuæ ſocium, quando coram Æmiliano præfecto ſtetit; ἠκολούθησαν δέ μοι συμπρεσβύτερός τέ μου Μάξιμος, καὶ διάκονοι, Φαῦστος καὶ Εὐσέβιος καὶ Χαιρήμων. *me comitati ſunt Maximus compreſbyter meus, & Fauſtus,* A *& Euſebius, & Chæremon diaconi.* Atqui anno Chriſti 269. ſynodus altera, quæ ad Paulum Samoſatenum ex toto proſcribendum Antiochiæ coïvit, epiſtolam ſuam Dionyſio Romano primum, deinde Maximo Alexandrino, atque univerſis per orbem epiſcopis inſcripſit. Poſtremus Maximi annus fuit ſextus & ultimus Probi Imperat. Chriſti 282. die Dominica à ſcriptoribus Ægyptiacis fertur obiiſſe 14. Barmudæ ſeu Pharmuthi, quæ eſt 9. Aprilis.

XVI. Theonas.

Maximo *Theonam* ſucceſſiſſe refert Euſebius lib. 7. cap. ult. *Alexandriæ,* inquit, *quum Maximus poſt mortem Dionyſii, epiſcopus ſediſſet octodecim annos, Theonas ei ſucceſſit,* ἐπ᾽ Ἀλεξανδρείας δὲ Μάξιμον ὀκτωκαίδεκα ἔτεσι μετὰ τὴν τελευτὴν Διονυσίου ἐπισκοπεύσαντα Θεωνᾶς διαδέχεται. Quo autem anno id contigerit, in hiſtoria non explicat. In Chronico vero ad ſextum Probi Imp. annum; *Alexandrinæ eccleſiæ decimus-quintus epiſcopus præfuit Theonas annis 19.* Totidem ei quoque adminiC ſtrationis annos aſſignat in hiſtoria eccleſiaſtica, eodem quod mox appellabam capite, ἐννεακαίδεκα ἔτεσιν. quocirca obitum ejus in Chronico affert anno 18. Diocletiani. Hunc Ægyptii ſcriptores obiiſſe ferunt ſecunda die menſis Tybi, ſive 28. Decembris; non tamen ea die, ſed 23. Auguſti, magnis laudibus ejus memoria apud Latinos, in diverſis Martyrologiis celebratur. Ipſum ante annum Chriſti 300. mortuum evincunt quæ in ipſius ſucceſſore Petro dicenda ſunt. Chronicon Orientale & Indiculus Abulbircat AleD xandrinam ſedem annum integrum poſt Maximi mortem vacaſſe aſſerunt, at non Severus, neque Eutychius, neque alii, quorum potior eſt auctoritas, quando in primis per Romanos Principes Alexandrini fideles tranquilla pace fruebantur. Severus & Cophtitæ alii Sabellii hæreſim ſub Theona emerſiſſe perperam ſcribunt, quam à Dionyſio pridem confutatam & confixam omnes norunt. Sed proclive fuit illis auctoribus, ut nomina *Dionyſius* & *Theonas* permutarint.

XVII. S. Petrus, *Martyr.*

Euſebius lib. 7. hiſtoriæ capite ultimo de præcipuarum ſedium epiſcopis dicere pergens, ait: *Poſt Theonam, qui annos novemdecim miniſterio perfunctus eſt, epiſcopatum Alexandriæ ſortitus eſt Petrus, qui quidem omni tempore ſacerdotii ſui, totis duodecim annis eximiè claruit, & ante perſequutionem quidem tribus fere annis eccleſiam rexit, reliquum autem ætatis, arctiore diſciplina ſeipſum*

coercens, tranſegit: nec minus interim communi eccleſiarum utilitati magnificè proſpexit. Quam A *ob cauſam, anno perſequutionis nono, capite truncatus, corona martyrii ornatus fuit.* Μετὰ δὲ Θεωνᾶν ἐννεακαίδεκα ἔτεσιν ἐξυπηρετησάμενον, διαδέχεται τὴν ἐπισκοπὴν τῆς ἐπ' Ἀλεξανδρείας Πέτρος· ἐν τοῖς μάλιστα καὶ αὐτὸς διαπρέψας ἐφ' ὅλοις δυοκαίδεκα ἐνιαυτοῖς. ὧν πρὸ τοῦ διωγμοῦ τρισὶν οὐδ' ὅλοις ἔτεσιν ἡγησάμενος τῆς ἐκκλησίας, τὸν λοιπὸν τοῦ βίου χρόνον συντονωτέρᾳ τῇ συνασκήσει ἑαυτόν τε ἦγε, καὶ τῆς κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν ὠφελείας οὐκ ἀφανῶς ἐπεμέλετο. ταύτῃ δ' οὖν ἐνάτῳ ἔτει τοῦ διωγμοῦ τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς, τῷ τοῦ μαρτυρίου κατεκοσμήθη στεφάνῳ. Sic Petri epiſcopatus annos accuratè diſtribuit Euſebius, ut, dicendo illum non totis tribus annis ante perſequutionem eccleſiæ præfuiſſe, diſertè innuat integros fuiſſe omnes annos quibus Alexandrinam ſedem tenuit. In chronico ad annum 18. Diocletiani, ſeu Chriſti 300. *Alexandrinæ*, inquit, *eccleſiæ poſt Theonam ordinatur epiſcopus Petrus, qui poſtea nono perſequutionis anno glorioſum martyrium perpetravit.* Anno perſequutionis quarto canones pœnitentiales ſancivit, qui hodicque exſtant. Ipſo epiſcopatum gerente, Meletianorum ſchiſma contigit, quum ab eo Meletius Lycopolis in Thebaïde epiſcopus ob cultum idolorum, quem, fervente Chriſtianorum inſectatione admiſerat, ſacerdotio ejectus eſſet. Ejus acta quæ doctiſſimus Combefiſius Græcè Latinèque evulgavit, ſpuriis narrationibus infecta ſunt, quæ tamen Sozomenus legiſſe videtur lib. 1. hiſt. c. 14. quin etiam Severus Aſchuminenſis. Quum, Euſebio teſte, duodecimum epiſcopatus annum expleverit, pulſuſque ſit anno ab orta perſequutione nono, ſæviente in Alexandrinam eccleſiam Maximino, ejus proinde martyrium incidit in annum Chriſti 311. quod Ægyptii annuatim recolunt die 29. Athyr, ſeu Novembris 25.

XVIII. Achillas.

Achillam, quem Theonas preſbyterum ſimul atque Pierium ordinaverat, ſcholæ Alexandrinæ ſub Petro antiſtite præfuiſſe diſcimus ex Euſebio lib. 7. hiſt. eccl. cap. 32. *ſub quo* (Theona) *etiam*, inquit, *Achillas eodem quo Pierius tempore preſbyterio decoratus*, ἐπὶ ταὐτὸν τῷ Πιερίῳ πρεσβυτερίου ἠξιωμένος Ἀχιλλᾶς, *Alexandriæ claruit, ſuſcepto ſacram fidem docendi munere*, τ̃ ἱερᾶς πίστεως τὸ διδασκαλεῖον ἐγκεχειρισμένος. *Hic præ cæteris omnibus*, pergit Euſebius, *ſublimioris philoſophiæ & evangelicæ converſationis ſincerum ſpecimen operibus ipſis exhibuit.* Anno 7. Conſtantini, in Euſebii chronici editione Pontacena, non 6. ut in Scaligeriana, Chriſti, inquam, 311. ad finem vergente, *Alexandrinæ eccleſiæ decimus-ſeptimus ordinatur epiſcopus Achillas.* Epiſcopatus annos omiſit: ſed in utraque illa editione ſucceſſoris ejus Alexandri primordia cum anno Conſtantini 15. conjunguntur, ut Achillas ſeptem circiter annos ſederit. Petri deceſſoris ejus monitione Achillam ei ſuffectum ſcripſit Severus. Acta S. Petri perhibent, corpore martyris in epiſcopali Marci ſede collocato, epiſcopos qui convenerant, detractum è collo ejus ſuperhumerale, ſive Pallium ſacrum, Achillæ ſtatim impoſuiſſe, cumque mox ſolito more ordinatum eſſe epi- B ſcopum, οἱ μέντοι συνελθόντες θεόφιλοι ἐπίσκοποι ἔγγιστα τοῦ θρόνου τὸν Ἀχιλλᾶν ἀγαγόντες, καὶ τὸ ὠμοφόρειον τοῦ ἁγίου περιελόντες τι τῷ περιέθεσαν. His omnibus credendum potius eſt, quam Eutychio, qui Achillam quinto à Petri martyrio anno ordinatum ſcripſit, ſexque dumtaxat menſes ſediſſe, quem Elmakinus ſequi non dubitavit: potiùs rurſum quam Gelaſio Cyziceno actorum Nicænæ ſynodi conditori, quorum lib. 2. cap. 1. ait Alexandrinam eccleſiam epiſcopo poſt Petri martyris necem vacaſſe. Theodoretus quidem eam ab C Achilla exiguo tempore adminiſtratam ait. Ἀχιλλᾶς μὲν ὀλίγον χρόνον προέστη. Tres menſes Epiphanius hær. 69. eumque ſucceſſorem dat Alexandro errore manifeſto: quinque Gelaſius ille, ſex Severus aliique Ægyptii, ut proinde anno 312. Alexander epiſcopatum adierit. Achillam iſti obiiſſe ferunt decima nona Bunæ, ſive Bayni, hoc eſt 13. Junii feria tertia. Hunc Jacobitæ fabulantur inflicta à Deo plaga periiſſe, quod contra atque à S. Petro admonitus fuerat, Arium ex diacono preſbyterum fecerit. Quod à D vero abhorrere videtur, quandoquidem Athanaſius oratione 2. contra Arianos Achillam *magni* nomine commendat, καὶ μεγάλου Ἀχιλλᾶ, cui Meletiani infenſiſſimo animo eſſent; cujus proinde memoria Alexandrinis venerationi eſſet. Ejus memoria in Latinis martyrologiis colitur die 6. Novembris.

XIX. Alexander.

Achillæ itaque ſuffectus fuit *Alexander*, circa annum 312. cujus eximias virtutes Athanaſius aliique ſcriptores eccleſiaſtici ce- E lebrant, qui de Ariana hæreſi ſermonem habuerunt; quippe quæ eo ſedente exorta eſt anno 319. cum ipſe interim à Meletianis modis omnibus laceſſeretur, imo & à Creſcentio neſcio quo Syriæ epiſcopo computi paſchalis cauſa. Arium coacta ſynodo epiſcoporum Ægypti ferè centum, præter preſbyteros qui perinde convenerant, eccleſiæ communione excluſit: Epiſtolam ad Alexandrum & Arium magnus Conſtantinus

Digitized by Google

ſcripſit, quò ambos conciliaret, moxque anno 323. vel 324. ſynodum alteram Alexandriæ fieri juſſit, cui Oſius Cordubenſis adfuit, ut pacis ſequeſter eſſet: ſed rebus minimè compoſitis, anno 325. celebrata Nicææ in Bithynia ſynodus eſt prima generalis, in qua tum ſolemnitatis paſchalis dies definiretur, tum Arii cauſa judicaretur. In ea proſcriptus Arius fuit, & Meletiani juſſi ſunt Alexandri tamquam Ægyptiacæ diœceſis ſolius archiepiſcopi communionem adire, Meletii ordinationibus irritis factis. Quinto fere menſe, ex quo poſt ſuum Alexandriam reditum Meletianos ſuſceperat, ad vitam meliorem migravit, ipſo Athanaſio teſte Apologia 2. pag. 178. οὔπω γὰρ πέντε μῆνες παρῆλθον, ὁ μὲν μακαρίτης Ἀλέξανδρος τετελεύτηκεν. Quod quidem doctiſſimus de Montfaucon, in ſingulari quadam diſſertatiuncula declaravit, oſtendens Alexandrum obiiſſe die 22. Barmudæ ſeu Pharmuthi feria 2. Aprilis noſtri 17. anno proinde 326. altero poſt Nicænam ſynodum.

XX. Athanasius I.

Pistus, Gregorius, Georgius, Lucius, *Ariani, intruſi.*

Non tam multa dicam de magno Athanaſio, quem Ægyptii *Apoſtolicum* jure cognominarunt; quippe cujus geſta, noſtra præſertim ætate, à doctiſſimis ingeniis exarata ſunt, præſertimque à viro laudatiſſimo D. Bernardo de Montfaucon, à quo & ejus opera Græcè & Latinè edita fuere. Athanaſius ſtatim ab Alexandri obitu, ex diacono Alexandriæ, ut ille monuerat, epiſcopus factus eſt, invitus prorſus & quum fugam agitaret, veluti Sozomenus refert ex ipſomet Apollinari Syro. Quinimo ipſa quoque ſynodus Alexandrina epiſcopis Ægypti, Thebaidis, Libyæ & Pentapolis conſtans, Athanaſium ſuum ab Arianorum criminationibus & cavillis vindicando, ordinationem ejus ſic conſueto & legitimo more peractam teſtificata eſt: *Aiunt Ariani, poſt obitum epiſcopi Alexandri, quum pauciſſimi eſſent qui Athanaſii mentionem fecerant, ſex aut ſeptem epiſcopos clanculum & in loco obſcuro eum epiſcopum deſignaſſe. Quæ quidem illi, quibus nullum mendacii genus reformidandum videtur, Imperatoribus ſcripſere. Nos contra cum tota civitate, & univerſa provincia conteſtamur omnem multitudinem populumque catholicæ eccleſiæ in unum congregatum, poſtulaſſe Athanaſium eccleſiæ epiſcopum dari, idque publicis à Chriſto precibus exoraſſe, noſque ut faceremus, per multos dies noctesque, jurejurando obteſtatos, cum interim nec ab eccleſia diſcederent, neque nobis diſcedendi facultatem permitterent.* Athanaſii ordinationem Græci quotannis recolunt die A 18. Januarii, quæ tamen menſe Aprili facta eſt. Hic diaconus quum eſſet, ad Nicænum Concilium Alexandri archiepiſcopi ſui comes profectus, Arium impietatis convicerat, ex quo inviſus ſubinde Arianis factus eſt. Ab anno 334. quo ſynodus Cæſareæ adverſus ipſum haberi cœpit, atque rurſum ab anno inſequenti quo in Tyria damnatus primùm fuit, uſque ad obitum ſuum, miris modis ab hæreticis illis exagitatus fuit. Obiit non anno 371. veluti doctiſſimo Petavio viſum eſt, propter Socratis auctoritatem lib. 4. hiſtor. B c. 20. aſſerentis Athanaſium fato functum eſſe Gratiano & Probo Coſſ. ſed anno 373. menſe Maio; quod pluribus à clariſſimo de Montfaucon evictum eſt, in epiſtola ad *** edita anno 1710. in qua de quibuſdam agit ad ejuſdem Athanaſii ſui vitam ſpectantibus. Enimvero Cyrillus ipſe Alexandrinus illius poſt quadraginta circiter annos ſucceſſor, epiſtola ſua priore ad ſolitarios diſerte tradit, illum totis, integriſque & completis quadraginta ſex annis epiſcopatum geſſiſſe, ἐφ' ὅλοις ἔτεσι τεσσαράκοντα ἕξ. Qui certe ab C Aprili decima-octava die anni 326. deſinunt in ann. 373. Nec à Cyrillo diſſentit Socrates, quadraginta ſex annos Athanaſio perinde aſſignans. Quin etiam Proterius Alexandrinus itidem epiſcopus, Dioſcoro Cyrilli ſucceſſori proximo ſuffectus, epiſtola ad Leonem Papam de Cyclo Paſchali, ſuperſtitem in vivis Athanaſium aſſerit fuiſſe, *in octogeſimo anno ab Imperio Diocletiani, cum 14. Luna Paſchalis, 28. die menſis Phanemoth, id eſt 9. Kal. April. proveniente die Dominica, ſolemnitas paſcalis in ſubſequentem tranſlata eſt* D *Dominicam, ita ut quinta die menſis Pharmuthi, hoc eſt pridie Kalendarum Aprilium celebraretur Paſcha Dominicum.* Qui characteres chronologici annum 373. nec alium indicant. Addit vir pereruditus Hieronymum in Chronico, Cophtitarum Annales, Homilias paſchales quadraginta ſeptem ab Athanaſio miſſas, quibus proxima Paſchata quotannis de more nuntiavit: Athanaſium plus uno anno vitam produxiſſe ab ordinatione S. Baſilii magni, quæ non-niſi circa Septembrem, vel Octobrem, nondum cœpta hyeme E facta eſt anno 371. conſtare demonſtrat variis Baſilii ad ipſum litteris quas diligentiſſime percenſet. Demum Palladii hiſtoriam Lauſiacam affert, ex qua Melaniam Romanam matronam ovina pelle ab Athanaſio donatam conſtat; quod ante annum 372. contigiſſe minimè poſſit. Quæ vir doctiſſimus alter Euſebius Renaudotius multis confirmat in hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum.

Athanaſio

Digitized by Google

Pistus intruſus.

Athanaſio Arianorum factione & Conſtantii Imp. juſſu ſua ſede pulſo, ejus in locum complures ab illis intruſi fuere; quorum primus *Piſtus* fuit neſcio cujus civitatis Ægypti epiſcopus, quem Alexander Athanaſii deceſſor ac Nicæna ſubinde ſynodus communionis extorrem fecerant, qui quum præcipuus ſanctiſſimi archiepiſcopi in ſynodo Tyria fuiſſet accuſator, à Secundo Ptolemaïdis inſigni Ariano, qui à Nicæno quoque concilio proſcriptus erat, Alexandriæ antiſtes creatus fuit, Athanaſio licet ex urbe nondum egreſſo. Quod ut ab omnibus ratum haberetur Ariani miſſis Romam Macario preſbytero, & Martyrio, & Heſychio diaconis, à Julio Papa obtinere tentarunt, uti litteras ad Piſtum ſcriberet tamquam catholicæ eccleſiæ epiſcopum, quorum artes ab Athanaſii preſbyteris qui illuc paulo-poſt appulerunt, facile retectæ ſunt. Quod narrat Julius ipſe epiſtola ad Antiochenæ ſynodi epiſcopos. Atqui *Piſtum hunc*, ait Pontifex, *Athanaſii preſbyteri ſupervenientes Arianum eſſe declararunt, olim ab Alexandro & à Nicæna ſynodo ejectum, nihilominus à Secundo quem, ut pote Arianum, magna ſynodus proſcripſerat, conſtitutum.* Quam ob fraudem ſubjungit Julius: *Videtis igitur, vel ex hac cauſa, qui potius in culpa habendi ſint, nos qui perſuaderi non potuimus, ut Ariano Piſto litteras ſcriberemus, an illi qui conſilii auctores fuerunt, ut magna ſynodo contempta, ad impios hæreticos velut ad pios homines ſcriberem? Certe Macarius preſbyter, qui legatus ab Euſebio venerat, ubi audivit Athanaſii preſbyteros Piſto obſiſtere, noſque ejuſdem Athanaſii præſentiam præſtolari, una cum Martyrio & Heſychio, quamvis gravi valetudine eſſet, de nocte profectus eſt, ut non inconcinne divinaverimus eum, quod vereretur ne Piſtus reus perageretur, fugam maturaſſe.* Hæc apud Athanaſium Julius de Piſto, de cujus in Alexandrinum epiſcopum promotione intelligendus eſt Epiphanius hær. 69. ubi eos recitans qui Arii ad Alexandrum epiſtolæ ſubſcripſerant, ἐπίσκοποι, ait, Σεκοῦνδος Πενταπόλεως, Θεωνᾶς Λιβύς, Πιστὸς, ὃν κατέστησαν εἰς Ἀλεξάνδρειαν, *Epiſcopi Secundus Pentapolis, Theonas Libyæ, Piſtus quem Alexandriæ conſtituerunt.* Quæ per parentheſim Epiphanius his & aliis nominibus interjecit.

Gregorius.

Anno ſubinde 341. quum Athanaſius Romam tuendæ cauſæ ſuæ gratia profectus eſſet, Ariani epiſcopi Antiochiam denuò convenientes, Alexandrinæ ſedi Euſebium illum quem poſthac Emeſæ epiſcopum crearunt, imponere primùm voluerunt, quo renuente *Gregorium* quemdam deſignarunt, hominem è Cappadocia oriundum, quem hæreſi ſuæ addictiſſimum noverant. Hic Alexandriam venit, nullis Ægypti epiſcopis, aut preſbyteris, aut diaconis, ſed valida militum ſtipatus manu; quem univerſa plebs averſata eſt, cum Athanaſio ſuo qui Roma redierat, ſacros conventus agens. Nihilominus ille ad Julium Papam nuntios mittere non dubitavit, Romanam communionem ambiens, ſed caſſo conatu. Quod Athanaſius epiſtola ad omnes ubique orthodoxos refert, deſcribens inſuper quæ impia facinora à Gregorii militibus patrata eſſent, præſertim in eccleſia Quirini. Nihili faciendum quod in Philoſtorgii excerptis legitur, Athanaſio ſub Conſtantino Imp. in ſynodo Conſtantinopolitana exauctorato, ejus loco tunc ordinatum eſſe Gregorium Cappadocem, etſi ſimile quid Epiphanius innuit hær. 68. n. 9. Nam falſis uterque narrationibus utebatur. Gregorium lupi more in Alexandrinam eccleſiam irrepſiſſe, Sardicenſis Concilii Patres epiſtola ſua ad eccleſias declarabant anno 347. Ad quem interim Euſebiani qui Philippopolim ſeceſſerant, ſuam è contrario deſtinarunt, *Gregorio Alexandriæ epiſcopo, Amphioni Nicomediæ, &c.* At quo tempore Athanaſius Sardicæ innocens pronuntiabatur, Alexandrina plebs Gregorii furorem non ferens, hunc impetu facto occidit, ut narrat Theodoretus lib. 2. capp. 4. & 7. ubi ſex illi tyrannidis annos attribuit. Athanaſius vero epiſtola ad Solitarios teſtatur Gregorium interiiſſe poſt decem menſes à detecta fraude, qua Stephanus Antiochenus Euphratam Colonienſem epiſcopum, è Sardicenſibus legatis unum, infamare molitus erat, adeoque poſt initium anni 349. ut proinde octo annos Alexandriæ graſſatus ſit. Atqui Gregorius magnæ eccleſiæ Alexandriæ quæ *Cæſarea* nuncupata eſt, primus fundamenta jecit, quam S. Athanaſius abſolvit, ſed quum à Georgio altero, de quo mox dicetur, pervaſore, dedicata eſſet, ſub Juliano Apoſtata cremata fuit. Hanc vero Athanaſius mox reſtituit & conſecravit.

Georgius.

Conſtante Catholico principe mortuo, qui Athanaſium ſuæ ſedi reſtitui curaverat, Ariani iterum Antiochiæ congregati, *Georgium* Epiphania Ciliciæ ex patre fullone oriundum, ſi Ammiano Marcellino credimus, è Cappadocia vero, Athanaſio & Gregorio Nazianzeno teſtibus, imo è Tarbaſthena extrema Cappadociæ regione, Galatiæque finitima ſecundum Nyſſenum Gregorium, Γεωργίῳ δὲ Ταρβασθηνῶν, hominem omni parte viliſſimum, nequiſſimumque prædonem, Alexandriæ epiſcopum crearunt, dudum ante æſtatem anni 355. qua Theodorus Heracleæ mortuus eſt, quum unus fuiſſet epiſcoporum qui Georgium ordinaverant. Georgius ipſo Quadrageſ. tempore Alexandriam advenit,

Digitized by Google

in qua Sebaſtiani ducis Manichæorum impietatis alumni opera, peſſima quæque perpetravit. Epiſcopos ab Athanaſio conſecratos iterum ordinavit, in his Theodorum Oxyrynchi, alios exilio mulctavit. De quibus Athanaſius epiſtola ad Solitarios, & Apologia de fuga ſua; Lucifer quoque Caralitanus, Hilarius lib. in Conſtantium, & alii qui res Eccleſiaſticas illius temporis deſcripſerunt. Dicere ſufficiat concitatam plebem eum in eccleſia adortam eſſe; ille vero incolumis evadens ad Imperatorem properavit. Alexandriam poſtea rediit anno 359. quum Seleucienſi ſynodo interfuiſſet, in qua ſeſe cum ſuis Arianis, Acacio Cæſarienſi duce, à potiori parte Concilii ſegregans, vaferrimæ ſubſcripſit fidei formulæ, quam Epiphanius refert hær. 73. Socrates quoque lib. 2. hiſt. eccl. cap. 40. Mox Acacius cum ſuis Conſtantinopolim vadens, hac in urbe ſynodum habuit, in qua Aëtium Anomœorum principem, quem Georgius fovebat, quoque diacono uſus erat, condemnare non dubitarunt, quod ei ſignificarunt epiſtola, quam Theodoretus lib. 2. hiſt. cap. 28. integram recitat, hac inſcriptione. Ἡ ἁγία σύνοδος ἐν Κωνσταντινουπόλει συναχθεῖσα, κυρίῳ τιμιωτάτῳ ἐπισκόπῳ τῆς Ἀλεξανδρείας Γεωργίῳ χαίρειν. *Synodus Conſtantinopoli coacta Domino honoratiſſimo epiſcopo Alexandriæ Georgio, ſalutem.* Hic vero quum interim in catholicos nec-non in Gentiles ſævire pergeret, vetus quoddam delubrum, quod Mithræ Deo dicatum fuerat, quodque à Conſtantio Auguſto obtinuerat, expurgari juſſit; ubi quamplurimæ hominum omnis ætatis calvariæ repertæ ſunt, quos fama fuit à Gentilium ſacrificulis divinationum cauſa mactatos. Georgius eas ob omnium oculos quum expoſuiſſet, Gentilium adverſus ſe furorem adeo excitavit, ut ſtatim à Conſtantii interitu, qui die Novembris tertia, Chriſti anno 361. contigit, promulgata Juliani inauguratione, coïtione facta complures quidem è Chriſtianis necaverint, inprimis vero Georgium, quem Philoſtorgius lib. 7. incendio periiſſe dixit. Ejus necis Julianus Auguſtus Apoſtata Paganos auctores fuiſſe epiſtola ad ipſos teſtatus eſt, quam Ariani catholicis attribuere non dubitarunt. De quo legendi Socrates lib. 3. cap. 2. & Sozomenus lib. 5. cap. 7. Georgii itaque mors accidit circa finem anni 361. qua audita, quum Julianus exſulibus quibuſlibet ad ſuas ſedes reverti conceſſiſſet, Athanaſius Alexandriam remeavit. Interim vero Ariani qui Alexandriæ morabantur, quum in privatis obſcuriſque ædibus conventus ſuos agerent, *Lucium,* quem Georgius preſbyterum fecerat, eidem Georgio ſucceſſorem dederunt, ut fert Socrates c. 4.

LUCIUS.

ejuſdem lib. 3. quum interim Alexandrinus populus Chriſtianus de genuini paſtoris ſui Athanaſii reditu gratularetur; qui quum Juliani furorem declinans aliquamdiu iterum delituiſſet, Lucius eo regnante quietus egit. Juliano extincto Lucius Jovianum Imper. adiit, Alexandrinam ſedem ſibi concedi poſtulans, quem Princeps apprimè catholicus aſpernatus eſt, ejuſque juſſu Athanaſius eſt reſtitutus. Quocirca hæreticus ille Samoſata ſeceſſit, utinam non hujus civitatis eccleſiæ damno; nec niſi Valente Imp. Alexandriam regredi permiſſus eſt; ſed magno jam Athanaſio defuncto, à quo exagitando Valens conſulto abſtinuit. Tunc vero Euzoïus Antiochenus Auguſti Ariani nutu Lucium Alexandriam reduxit, magno Quæſtore comite cum Palladio præfecto & militaribus copiis, qui Petrum Athanaſio, ut regulæ ferebant, datum ſucceſſorem, cuſtodiæ confeſtim tradunt. Tum Lucius Ægyptiacæ diœceſis eccleſias devaſtare cœpit ad obitum uſque Valentis, qui contigit anno 378. quando Alexandrini inſaniæ illius & ſævitiarum pertæſi, recepto legitimo paſtore ſuo, hunc urbe ſua abegerunt, qui ſine mora Conſtantinopolim ſeſe recepit. Ejus ſolemnes de Paſcha epiſtolas Hieronymus memorat in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum.

XXI. PETRUS II.

Athanaſio defuncto, *Petrum* ei ſuffectum diximus, qui à Lucio Ariano & Imperatoris Valentis miniſtris carceri traditus fuit: unde quum evaſiſſet, Romam conſcenſa navi ad Damaſum Pap. contendit. Quocirca populus Alexandrinus, alteram ab ea quam ab Athanaſio ſuſceperat doctrinam averſatus, Lucium, cui Euzoïus eccleſias dederat, ſedulo evitans, conventus eccleſiaſticos deſeruit. Lucii tyrannidem Petrus deſcripſit epiſtola quam Theodoretus lib. 4. hiſt. cap. 22. recitat: Hieronymus Petri ordinationem in chronico refert ad decimum Valentiniani & Valentis Impp. annum, ſeu Chriſti 373. quo Athanaſium obiiſſe oſtendimus. *Alexandriæ,* inquit, *vigeſimus ordinatur epiſc. Petrus, qui poſt Valentis obitum tam facilis in recipiendis hæreticis fuit, ut nonnullis in ſuſpicionem acceptæ pecuniæ inciderit.* Baſilius magnus epiſtola 320. ejus promotionem approbavit. *Vet. edit. Par. 1518.*

Ruffinus lib. 2. hiſt. cap. 3. Theodoretus lib. 4. cap. 20. hunc ab Athanaſio indicatum aiunt ut ſibi ſuccederet. Alexandriam Petrus Roma rediens, litteras Damaſi retulit, quibus ei ſacerdotium confirmabatur, necnon Moyſi Saracenorum epiſcopo. Quæ nimirum litteræ datæ erant in magna illa ſynodo Romana, cui Damaſus præfuit anno

Digitized by Google

378. Statim à ſuo in patriam reditu Petrus,
ut erat ſecundæ ſedis antiſtes, Conſtantino-
politanæ eccleſiæ ſe ſollicitum præbens, Gre-
gorium Nazianzenum ei præfecit, miſſis ad
eum præſulatûs inſigniis. Mox facti pœni-
tens eam in urbem Ægyptios epiſcopos de-
legavit, qui Maximum philoſophiæ Cynicæ
ſectatorem pro illo ordinarent, anno utique
379. Theodoſio Imperatore, qui Maximum
admittere noluit, ut pote hæreſis non imme-
rito ſuſpectum. Sedit Petrus octo fere annos,
anno Chriſti 380. defunctus die 20. menſis
Mechir, ſeu Febr. 14. Cujus tamen memo-
riam Cophtitæ agunt ejuſdem menſis 11.
ſeu 5. Februarii: Theodoſius legem *de fide
catholica* Theſſalonicæ dedit 3. Kal. Martii,
Gratiano V. & Theodoſio coſſ. hoc eſt anno
380. qua tenendam eſſe fidem edixit, quam
Damaſus Romæ, Petrus Alexandriæ prædi-
cabant: nondum proinde audita morte Pe-
tri, quæ nuperrime contigerat.

XXII. Timotheus.

Petri frater & ſucceſſor fuit *Timotheus,*
Socrate teſte lib. 4. cap. 37. quo narrat Petro
Roma cum litteris Damaſi regreſſo, popu-
lum Alexandrinum illis confiſum expuliſſe
Lucium, Petrum vero ejus in locum intro-
duxiſſe, ſubditque: *Petrus ad exiguum tempus
vitam protrahens poſt reditum ſuum moritur,
ſucceſſorem fratrem ſuum Timotheum relinquens,*
τὸν ἀδελφὸν Τιμόθεον. Hic itaque anno 380.
ſedere cœpit ad annum uſque 385. quo diem
obiit, Ægyptiaci menſis Epiphi 26. ſeu 20.
Julii, ut fert Severus Aſchuminenſis. A cun-
ctis Ægypti ordinibus electum teſtatur Theo-
doſius reſcripto quod dedit ad Optatum præ-
fectum Auguſtalem, *de clericis ad judicium*
publicum non trahendis, quod tertium exſtat
in Appendice codicis Theodoſiani. Ejus
ſtatim-atque ordinatus fuit communionem
Occidentales omnes amplexi ſunt; quod ſy-
nodica ſua ſignificarunt Aquilegienſis Con-
cilii Patres Theodoſio Imp. rogantes Alexan-
driæ Concilium catholicorum ſacerdotum
omnium haberi, qui plenius inter ſe tracta-
rent utri eſſet impertienda communio Me-
letio, an Paulino, qui de Antiochena ſede
contendebant. Eodem anno Conſtantinopoli
cum epiſcopis Ægypti Concilio generali ad-
fuit, quod Imperator coëgerat, & Gregorii
Nazianzeni cauſam præter ipſius Gregorii
ſpem deſeruit: mox vero Orientales ſibi non
ſatis æquos putans, Alexandriam repetiit, nec
proinde anno inſequenti ad ſecundum epi-
ſcoporum conventum & Nectarii ordinatio-
nem rediit. Quo abſente Orientales ſtatue-
runt ad Alexandrinum epiſcopum ſpectare
ſolius Ægyptiacæ diœceſis regimen: tum
ſecundæ ſedis prærogativa Conſtantinopoli-
A tanam ſedem auxerunt, retracta ad tertium
locum Alexandrina, & ad quartum Antio-
chena. Ejus exſtat apud Facundum Hermia-
nenſem lib. 4. cap. 2. epiſtola ad Diodorum
Tyri; quin etiam altera canonica de Pœni-
tentia; ſcripſit & Monachorum aliquot hiſto-
riam. In Apophthegmatis Patrum ἀκτήμων ſeu
pauper cognominatur, Τιμοθέῳ ἀρχιεπισκόπῳ
Ἀλεξανδρείας τοῦ λεγομένου ἀκτήμονος. Sexto pontifi-
catus anno vivere deſiit, ut habet Chronicon
Orientale: imo ut teſtatur Socrates, Arcadio Socra. lib. 5. c. 15.
Aug. I. & Badione, ſive Baudone coſſ. adeo-
B que an. 385. quo & ſucceſſit Theophilus, τῇ δὲ
ἑξῆς ὑπατείᾳ, ἥτις ἦν Ἀρκαδίου Αὐγούστου τὸ πρῶτον
καὶ Βαύδωνος, τελευτήσαντος Τιμοθέου τοῦ ἐπισκόπου
Ἀλεξανδρείας, Θεόφιλος τὴν ἐπισκοπὴν ἐκδέχεται·
menſe, ut prædictum eſt, Epiphi, ſeu 20. Julii.

XXIII. Theophilus.

Timotheum itaque *Theophilus* Alexandri-
næ eccleſiæ archidiaconus excepit, multis
quæ ſubinde patravit, nominatiſſimus. Sin-
gula recenſere hujus operis non eſt, ſed po-
tiora dumtaxat, ac præſertim quæ tempora
C ſpectant indicare. Totos viginti-ſeptem an-
nos treſque menſes Alexandrinam eccleſiam
rexit. Anno 389. Serapidis templum demo-
litus eſt, & profani cultus idolorum reliquias
per Ægyptum delevit. In ipſo loco in quo
fanum illud exſtiterat, eccleſiam S. Joannis-
Baptiſtæ nomine dicatam exſtruxit, in qua
beatiſſimi præcurſoris ſacra pignora depoſuit.
Circa annum 392. Capuenſis Concilii ſan-
ctione provinciam accepit Antiochenum
ſchiſma vetus abolendi: cum vero judicem
admittere Flavianus Antiochenus noluit.
D Conſtantinopolitanæ ſynodo, quæ Arcadio
Auguſto III. & Honorio Aug. II. coſſ. 3. Kal.
Octobris celebrata eſt, hoc eſt anno 394.
in cauſa Agapii & Gabadii, qui de Boſtrorum
in Arabia epiſcopatu litigabant, Theophilus
legitur interfuiſſe, lib. 4. Jur. Græco-Rom.
pag. 247. Conſtantinopoli rurſum aderat,
quando Joannes Chryſoſtomus regiæ hujus
urbis antiſtes deſignatus fuit, quem & ipſe
ſacra manuum impoſitione ordinavit, anno
398. Quum de Origene in Ægypti monaſte-
riis diſputari cœpit, ejus memoriæ favere pri-
E mum viſus fuit, qui ſubinde contrariam ſen-
tentiam tenuit. Anthropomorphitas mona-
chos dure exagitavit, quorum tamen poſthac
opera quatuor fratres, quos *Longos* appellita-
bant inſectatus eſt, alioſque inſuper eremi in-
colas qui Origeniana doctrina imbuti vide-
bantur. Anno circiter 399. ac deinceps fre-
quentibus in ſynodis decrevit, *ne quis Orige-
nis libros haberet, aut legeret,* ait Sulpitius Se-
verus dial. 1. Joannes Chryſoſtomus Longos

Digitized by Google

fratres, qui Conſtantinopolim ſe receperant, cum eo conciliare ſtudens, in infenſiſſimum ejus odium incurrit. Quocirca Theophilus anno 403. in ſuburbio Chalcedonenſi quod Δρῦν, ſeu *Quercum* vocabant, coacta ſynodo ſanctiſſimum doctorem qui ipſum juſtiſſimis de cauſis judicem rejecerat, ſacerdotio privavit: unde Byzantinam in ſe plebem concitavit. Alexandriam regreſſus, Chryſoſtomum prolixo volumine quod atrocibus contumeliis intertextum erat, proſcindere conatus eſt. Lucubrationis hujus meminit Facundus lib. 6. cap. 5. Alia ſcripſit quorum aliqua hodie ſuperſunt, celebris ejus olim Paſchalis cyclus fuit. Lethargia obiit 18. menſis Paophi ſeu 15. Octobris, Honorio Aug. IX. & Theodoſio Aug. V. coſſ. quum ſediſſet annos 27. menſes 2. dies 24. hoc eſt anno 28. inchoato, juxta atque fertur in tabulis Theophanis & Nicephori laterculo patriarcharum Alexandrinorum. Epiſcopatus novos aliquot conſtituerat in Libya & Ægypto, utinam non in vicis & oppidulis contra præſcripta canonum. Quod Palladius narrat in dial. de vita S. Joannis Chryſoſtomi pag. 56. ubi de quinque monachis qui indigni eſſent, uti vel oſtiis præficerentur, horum unum viculi cujuſdam epiſcopum creatum refert, quum vacantem civitatem non haberet.

XXIV. Cyrillus.

Theophili patrui ſui ſucceſſor fuit magnus *Cyrillus*, quum Iſidoro teſte epiſt. 25. lib. 1. vitam monaſticam prius amplexus eſſet, eccleſiaſticiſque diſciplinis ſub Serapione monacho operam dediſſet. Theophilo defuncto die 15. Octobris ann. 402. non una omnium ſententia fuit, in ejus ſucceſſore deligendo, aliis Cyrillum, aliis, ac præſertim militum præfecto Abundantio, Timotheum archidiaconum poſcentibus, ac parum abfuit quin populus in ſeditionem concitaretur. Tandem poſt triduum die 13. Octobris feria hebdomadis ſexta Cyrillus archiepiſcopus renuntiatus, & ordinatus fuit, atque in epiſcopali throno collocatus. Quæ narrat Socrates lib. 7. cap. 7. ubi addit eum ſubinde majori principatu & potentia, quam Theophilus unquam, uſum eſſe; tunc enim Alexandriæ antiſtitem præter ſacri cleri dominatum, rerum quoque ſæcularium poteſtatem ſibi vindicaſſe. Quocirca Novatianorum eccleſias ab eo clauſas eſſe, ſacrum eorum theſaurum ablatum, epiſcopum ipſorum Theopemptum fortunis ſuis privatum. Alia à Cyrillo patrata exaggerat Socrates, quæ retexere non vacat. Ad annum uſque 417. Romanæ ſedis communionis exſors fuit, quum S. Joannis Chryſoſtomi nomen in diptycha ſacra referre obſtinatius abnueret. Tandem vero, Iſidoro

A præſertim Peluſiota ſuadente, de ſanctiſſimo illo pontifice meliora ſentiens, admiſſus fuit à *Zoſimo* Papa. Anno 419. Carthaginenſis ſynodi nuntiis, Nicænos viginti canones, quos illi petituri venerant, tradidit, data ad Africanos præſules epiſtola. Quum ann. 428. Neſtorius Conſtantinopolitanus impietatem ſuam prodidiſſet, ea apud Ægypti monachos evulgata, Cyrillus ut ſcandalo occurreret, epiſtolam quæ cæterarum prima habetur, ad eos ſcripſit die 7. Aprilis anno 429. tum duas ſubinde ad Neſtorium ipſum, quas

B Epheſina ſynodus, nec non Chalcedonenſis inprimis approbavere. Secundam dedit anno 430. coacta ante quadrageſimam inchoatam, Alexandriæ ſynodo; unde ab ipſomet Cyrillo eccleſiæ Alexandrinæ epiſtola dicitur, tom. 3. Concil. col. 398. παρὰ τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας. Synodum inſuper alteram habuit epiſcoporum Ægypti, qui Neſtorii hæreſim Romano Papæ Cæleſtino detulerunt. Quocirca Cyrillo cum ſynodo Romana Cæleſtinus reſcribens, vices ei ſuas hoc in negotio commiſit. *Quamobrem noſtræ ſedis auctoritate, vice & loco cum poteſtate uſus, ejuſmodi non abſque exquiſita ſeveritate noſtram ſententiam exequeris; nempe ut niſi decem dierum intervallo ab hujus noſtræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam ſuam conceptis verbis anathematiſet, noſtramque de Chriſti Dei noſtri generatione fidem in poſterum conſeſſurum ſe ſpondeat, quam & Romana & tua ſanctitatis eccleſia, & univerſa denique religio Chriſtiana prædicat, illicò ſanctitas tua illi eccleſiæ proſpiciat*, ſeu alterum pro Neſtorio Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præſulem ſufficiat. His acceptis litteris Cyrillus vocata rurſum ſynodo epiſtolam tertiam Neſtorio ſcripſit, tam ſuæ illius, quam Romanæ ſynodorum nomine, cum exauctorationis interminatione, admonens ut impietatem ejuraret: quin & anathematiſmos duodecim adjecit quibus ille ſubſcriberet. Neſtorius vero generale concilium Epheſum cogi impetravit à Theodoſio Imp. in proxima Pentecoſtes ſolemnitate celebrandum. Adfuit Cyrillus ad conſtitutum diem ann. 431. totiſque poſthac quindecim diebus epiſcopis Orientalibus cum Antiocheno Joanne fruſtra exſpectatis, Apoſtolicæ ſedis vices & locum tenens ſynodum auſpicatus eſt, in qua ducenti & amplius epiſcopi ſederunt. Neſtorius quum accedere ad concilium renuiſſet, depoſitus & communione ejectus fuit. Africani quoque Concilii hac in ſynodo vices & perſonam Cyrillus geſſit. Verum Joannes non niſi poſt tertium diem adveniens, auditis quæ acta erant, nulla mora in ipſomet diverſorio,

Edit. Labb.

Ibid. col. 349.

Digitized by Google

cum Orientalibus ſuis, & aliis quibuſdam, qui Neſtorio favebant, epiſcopis, Cyrillum & Memnonem Epheſinum anathemate perculit, irritamque declaravit Concilii ſententiam. Suos utraque ſynodus ad Imperatorem Oratores delegaverunt: vicit tandem Cyrillus, à quo Joannes communione disjunctus manſit ad annum uſque 433. quo pax inter ipſos ſancita fuit die 23. Aprilis. Interim Cyrillus poſtquam in gratiam redierat Imperatoris, Maximum pro Neſtorio Conſtantinopolitanæ eccleſiæ epiſcopum ordinavit. Multa ſubinde egit quò Neſtorianam hæreſim profligaret, in ejus auctores animadvertens, ac Theodorum præſertim Mopſueſtenum. Obiit, ut fert Liberatus cap. 10. Breviarii, trigeſimo-ſecundo epiſcopatus anno, octavo ante Concilium Chalcedonenſe, Chriſti 444. Quod confirmant ſcriptores Ægyptii, quibus emortualis ejus dies eſt tertia Abibi menſis, ſive Epiphi, ſive 27. Junii. Unde Græci minime curandi ſunt, qui in Menæis ſuis illius memoriam recolunt die 9. ejuſdem menſis Junii.

XXV. DIOSCORUS.

Cyrillo ſuffectus eſt *Dioſcorus*, ejuſdem *Cyrilli archidiaconus*, Liberato teſte in Breviario cap. 10. *qui neque uxorem, neque filios habuit: quem narrat opinio civium ſuorum majorem habuiſſe dilectionem. Siquidem opprimens Cyrilli hæredes & per calumnias multas ab eis auferens pecunias, dedit eas ſine fœnore artopolis & cauponibus civitatis, ut mundiſſimum panem & pretioſiſſimum vinum viliori pretio populis exhiberent.* Hæc quidem Liberatus. At in epiſtola epiſcoporum provinciæ Ponti Dioſcorus ipſe Alexandrinus ordinatus dicitur à duobus dumtaxat epiſcopis: quod hominem ejuſmodi indicat qui hujus eccleſiæ plebi primitùs acceptus non fuerat. Ipſo autem anno quo Cyrillus obiit, ſuffectus illi eſt Dioſcorus, Athanaſius enim Alexandrinus preſbyter act. 3. Concilii Chalcedonenſis, poſt recitatas injurias quas ab ipſo paſſus erat, totos ſeptem annos has ſibi illatas ſubjecit, adeoque ab anno 444. Ad eum, quum non ita pridem epiſcopatum iniiſſet, epiſtolam Leo magnus Papa ſcripſit de diaconis & preſbyteris ſabbato ordinandis, & epiſcopis continuato jejunio, die Dominica: utque in feſtis diebus, in quibus tanta multitudo conveniebat, ut eam baſilica ſimul continere non poſſet, ſacrificii oblatio iteraretur. Quam epiſtolam Leo per Poſidonium preſbyterum miſit, quem Cyrillus Romam ante obitum miſerat. Anno 448. quum Eutyches cujuſdam Conſtantinopolitani cœnobii præpoſitus, ob hæreſim quam mordicùs defendebat, unam in Chriſto naturam affirmando, à Flaviano re-

A giæ ejuſdem urbis epiſcopo damnatus eſſet, amicorum ſuorum de palatio opera à Theodoſio Aug. obtinuit, ſynodum generalem Epheſi congregari, quæ cauſam ſuam accuratiùs, ut jactabat, excuteret. Theodoſius futuræ ſynodi præſidem, agente Flaviani hoſte Chryſaphio Eunucho, Dioſcorum deſignavit, inquit Evagrius lib. 1. cap. 10. ἧς ἔξαρχος καθίστησι Διόσκορον, ὁ μετὰ Κύριλλον Ἀλεξανδρέων ἐπίσκοπος, πρὸς ἔχθρας Φλαβιανῷ τῷ πικράναντος Χρυσαφίου, τὴν βασιλείαν ἡνιοχοῦντα κρατοῦντος. Ac certe tractoriæ Principis lit-

B teræ Dioſcoro Alexandrino archiepiſcopo inſcribuntur, in quibus illi & aliarum diœceſium Patriarchis mandabat, ut decem ſecum metropolitas dumtaxat adducerent, ne epiſcoporum nimia multitudo conveniret. Dioſcorus coacta ſynodo, nihil non tyranni more egit, ut epiſcopi omnes qui aderant & Flaviani deſtitutioni, & Eutychis abſolutioni ſuffragarentur & ſubſcriberent. Nonnullos inſuper exauctoravit, in his Domnum Antiochenum, Theodoretum & alios; utinam non & Flavianum ipſum enecaverit. Soluto

C Concilio graviſſima ſciſſio eccleſiarum fuit, ad obitum uſque Theodoſii. Poſt vero Marcianus Imper. univerſi orbis Concilium Nicæam convenire juſſit, quò quum Dioſcorus appuliſſet, collecto ſuorum Ægyptiorum cœtu excommunicationis ſententiam in Leonem ferre auſus fuit, eos qui ſecum aderant, minis & fraudibus adigens, ut ſubſcriberent. Chalcedonem tranſlato Concilio, Romanis legatis exigentibus, proceribuſque quos Marcianus delegaverat annuentibus, in medio conſiſtere juſſus eſt, de iis quæ male geſſerat,

D cauſam dicturus. Adfuit & ſecundæ actioni, in qua proceres dixerunt, ut quando ex recitatis actione priori Epheſinæ illius ſynodi geſtis, & ex quorumdam qui illi ſynodo præfuerant, teſtimonio conſtabat Flavianum & Euſebium Dorylæi injuſtè damnatos eſſe, obnoxios eidem pœnæ fieri Dioſcorum Alexandrinum, Juvenalem Hieroſolymitanum, Thalaſſium Cæſarienſem, Euſebium Ancyræ, Euſtathium Beryti, & Baſilium Seleuciæ Iſauriæ, adempta eis epiſcopali dignitate. Act. 3. de Dioſcori depoſitione tractatum eſt, &

E reliquis veniam humiliter poſcentibus condonatum. Quatuor inprimis de Ægypto accuſatores ejus fuerunt, Theodorus & Iſchyrion Alexandrinæ eccleſiæ diaconi, Athanaſius Iſidoræ S. Cyrilli ſororis filius, Alexandrinæ item eccleſiæ preſbyter, & Sophronius laïcus, qui illum multis criminibus onerarunt, blaſphemiarum in ſanctam Trinitatem, intortæ in Leonem Romanum Papam ſententiæ, adulteriorum, expenſarum in ſcorta &

Digitized by Google

theatricas perſonas, ac præſertim in Panſophian Orinen meretricem, pecuniarum quæ monaſteriis & pauperibus legatæ erant, Origenianæ hæreſis, ſævitiæ in cognatos & amicos ſanctæ memoriæ Cyrilli, homicidiorum, incendiorum, exciſarum arborum atque domorum, frumenti quod Imperatores Libyæ ob nimiam regionis ſiccitatem, ad alendos in ea pauperes, & incruentam hoſtiam offerendam conſtituerant, ab eo largiſſimis pecuniis coëmpti, & epiſcopis adempti, quod tempore famis multi venderet, læſæ-majeſtatis Imperatoris, ejus ſacris laureatis ſive imaginibus è civitate, non ſine pecuniæ largitionibus, deturbatis, ut qui Ægyptiacæ ditionis imperium arripere vellet, ut & geſta apud diverſos judices demonſtrabant. His aliiſque ejuſmodi auditis, Dioſcorus ſacerdotio quidem abdicatus fuit, eique anathema dictum; ſed omiſſa prolixiori illorum criminum examinatione, hoc præſertim nomine, quod Apoſtolicæ ſedis Romanæ legatis poſthabitis Epheſinæ ſynodo ſecundæ præfuerat; Leonis papæ ad Flavianum epiſtolam legi non conceſſerat; eumdem ſanctiſſ. papam Leonem à communione excluſerat; quod denique vocatus, ad ſynodum venire contempſerat, præter illa quæ in prædatoria ſua ſynodo erga Flavianum & Euſebium, omni proculcato jure, perpetrarat. Quibus ſancitis, ab Imperatore Gangras Paphlagoniæ exulare juſſus eſt, ubi licet coram patribus pronuntiaſſet, ſe Eutychem nihil curare, ab ejus tamen hæretica amentia non deſcivit, ut mihi compertum eſt ex fragmento epiſtolæ ipſius ad Alexandrinos, quod ad calcem operis Nicephori Conſtantinopolitani contra Epiphanidem legi: in quo nempe aiebat, nihil eſſe quo Chriſti ſanguis à ſanguine vitulorum & hircorum diſcreparet, *niſi ſuapte natura Dei, ac non hominis ſit*, εἰ μὴ τὸ αἷμα Χριστοῦ κατὰ φύσιν Θεοῦ ἐστι, καὶ οὐκ ἀνθρώπου, hunc enim alioqui terrenum fore & corruptibilem. Verùm avertat Deus, inquit, ne dicamus Chriſti ſanguinem ejuſdem eſſentiæ & naturæ eſſe, atque alium quemlibet, qui natura corruptibilis ſit. Ἀλλὰ μὴ γένοιτο ἑνὸς τῶν κατὰ φύσιν φθαρτῶν λέγειν ἡμᾶς ὁμοούσιον τὸ αἷμα Χριστοῦ. Negabat igitur ille, perinde atque Eutyches, Chriſtum conſubſtantialem nobis eſſe ſecundum carnem & humanitatem. Id quod tamen Cophtitæ cæterique Jacobitæ, Timotheo ejus ſucceſſore duce, Severoque inſuper Antiocheno confiteri ſemper refugerunt, ut ab Eutychis errore procul abeſſe videantur. Sententiæ quam in Dioſcorum œcumenica ſynodus pronuntiavit, aſſenſi ſunt quatuor qui aderant Ægypti præſules, aliis interim tredecim, ulli ſynodi decreto ſubſcribere renuentibus. Hoc unum cauſabantur, quod Ægyptiacæ diœceſis epiſcopis minime liceret
A quidquam ſancire citra Alexandrini archiepiſcopi ſententiam. Quocirca juſſi ſunt in urbe regia conſiſtere, donec accepta alterius antiſtitis pro Dioſcoro ordinatione, ſynodi definitionem approbarent. *Depoſitus eſt ab epiſcopatu Dioſcorus*, ait Liberatus, *ſeptimo ordinationis ſuæ anno*, exacto ſcilicet. Obiit vero Gangris anno 454. ut colligitur ex Leonis magni epiſtola, hoc ipſo anno data die 6. Decembris ad Julianum comitem, qua illum extinctum ſignificat. Ex quo certum ſit Dioſcorum non-niſi annos decem integros egiſſe
B ab inito epiſcopatu, non quatuordecim, aut ſexdecim ut Jacobitæ ſcriptores ferunt: eo magis quod Timotheus Ælurus qui ſchiſmatis ejus propagator fuit, anno 457. inchoante, Alexandrinus epiſcopus à ſuis haberi cœpit, tertio à morte Dioſcori. Diem ejus obitus Cophtitæ fuiſſe tradunt quartam menſis Toth, ſeu primam Septembris: ſolus Macriſius ſextam, ſeu nonam ejuſdem Toth.

XXVI. PROTERIUS *Catholicus*. TIMOTHEUS ÆLURUS *hæreticus*.

C Obiter dicendum in collectione ſynodorum, quæ circa tempora octavæ concinnata eſt, ubi refertur profanus Timothei Æluri conventus Alexandrinus, in quo Chalcedonenſe concilium diris devotum fuit, hoc legi: *Proterius Alexandriæ factus eſt epiſcopus quo tempore Anatolius Byzantinorum pontificatum gerebat, quum Apollinaris, qui Dioſcori thronum obtinuerat, ad Dominum migraſſet*, καὶ Ἀπολλιναρίου τοῦ Διοσκόρου θρόνον ἐπέχοντος, καὶ πρὸς κύριον ἐκδημήσαντος, ceu Apollinaris vir catholicus Dioſcoro ſtatim ante Proterium ſuffectus
D fuerit. At nullum uſquam alium ſcriptorem reperire eſt in univerſis quæ ſuperſunt eccleſiæ monumentis, qui Apollinarem ante Proterium Dioſcoro ſucceſſiſſe tradat. Quatuor Ægypti epiſcopi, qui omnibus Chalcedon. concilii decretis ſubſcripſerant Alexandriam reverſi, Theodorum præfectum Auguſtalem adierunt cum ſacris litteris Marciani Imp. quibus mandabatur, ut archiepiſcopum quamprimum eligi curaret. Sic Theophanes, ſic Evagrius, ſic auctor breviculi hiſtoriæ Eutychianiſtarum, ſic Liberatus qui Proterii electionem & ordinationem ad iſtum modum
E factam narrat. *Collecti ſunt ergo nobiles civitatis, ut eum qui eſſet vita & ſermone pontificatu dignus, eligerent; hoc enim & imperialibus ſanctionibus jubebatur: quumque ſuper hoc multa dubitatio proceſſiſſet, volentibus civibus neminem penitus ordinare, ne adulteri viderentur, Dioſcoro quippe vivente, noviſſime in Proterium univerſorum ſententia declinavit, utique cui Dioſcorus commendavit eccleſiam, qui & eum archi-*

Digitized by Google

preſbyterum fecerat. Ordinatus ergo Proterius, præſentibus ſupra memoratis epiſcopis quatuor, qui ſynodo, ſicut dictum eſt, ſubſcripſerant, inthronizatur; ab aliis ſcilicet qui convenerant Ægypti præſulibus. Mox Proterius Romam miſit Neſtorium Phragoneos, è quatuor illis epiſcopis unum, qui ſynodicas Leoni papæ litteras de more ferret: quas ubi Pontifex accepit, communionis ei reſcripſit amantiſſimam epiſtolam, VI. Id. Martii, Aëtio & Studio vv. cc. coſſ. hoc eſt anno 454. Marciano quoque Auguſto gratulatus eſt de ſincera Proterii fide, qui ſtatim ab ordinatione ſua eraſo è ſacris tabulis Dioſcori nomine, Chalcedonenſis concilii memoriam iiſdem adjecit. Quod in cauſa fuit, cur Timotheus preſbyter, cognomento Ælurus, Petrus Mongus diaconus, aliique nonnulli de Dioſcori factione ejus communionem abjecerint. Diſſidium auxerunt epiſcopi illi tredecim qui Conſtantinopoli conſtiterant, ubi primum Alexandriam redierunt. Quod narrabat Eulogius ipſe Alexandrinus in operibus contra Severianos apud Photium cod. 230. Rebus deinde pacatis Proterius totius Ægypti ſynodo coacta, Timotheum cum ſuis damnavit, qui & imperiali juſſione exilio multatus eſt. Quod epiſcopi Ægypti in ſua de Proterii, quæ paulo poſt contigit, nece, ad Leonem Auguſtum epiſtola teſtati ſunt. Anno 454. Proterius Marciano mandante Leoni papæ ſcripſit de cyclo Paſchali Theophili deceſſoris ſui, Paſcha anno inſequenti celebrandum aſſerens die 25. Aprilis. Marcianus ad monachos Ægypti epiſtolam dedit, ut Chalcedonenſe concilium admitterent, nec ab archiepiſcopo ſuo Proterio diſſentirent.

Timotheus Ælurus, iterum.

Verum Ælurus, Marciano Imperatore defuncto, quum Dioſcorus Gangris jam obiiſſet, nulla mora Alexandriam regreſſus, aſſumpta ſeditioſorum hominum caterva epiſcopatum capeſſivit, à duobus epiſcopis quos Proterius damnaverat, ordinatus, Petro Ibero Gazenzi quondam præſule, & Euſebio Peluſii. Mox quæcumque epiſcoporum munia ſunt, exequutus eſt, baptizando, conſignando, diaconos, preſbyteros & epiſcopos ordinando, quos in varias Ægypti urbes & oppida mittebat, jubens ut quotquot à Proterio, vel à Cyrillo, vel etiam à Theophilo preſbyteri, aut epiſcopi conſecrati eſſent, hos procul abigerent. Horum impetus Dionyſius præfectus aliquamdiu cohibuit: poſt vero turbæ à Timotheo concitatæ, ipſa feria quinta majoris hebdomadæ, triduo ante Paſcha, Proterium in eccleſia Quirini adoriuntur & in baptiſterio, quò ſe contulerat, occidunt, cadaver laniant, foras projiciunt, ſuſpendunt, incendunt, cinereſque in ventos ſpargunt. Quæ fuſe recitant epiſcopi Ægypti ſuis ad Leonem Imp. Marciani ſucceſſorem & ad Anatolium Conſtantinopolitanum litteris, quibus Proterii mortem vindicare, & epiſcopali ſede Timotheum expelli rogabant. Quibus acceptis Leo ad omnes Orientis metropolitas ſcripſit, ut ſuarum regionum ſynodis coactis, ſibi ſignificarent, quid tandem ipſi de ſynodo, quid de Proterio ſentirent. Qui omnes ſynodum ad ſanguinem uſque vindicandam reſcripſere, Proterium iniquiſſime & impie occiſum, & Timotheum, ne Chriſtiani quidem, nedum epiſcopi appellatione donandum. Tum Leo Stilæ duci mandat, ut epiſcopatu Timotheum ejiciat, aliumque populi decreto conſtituat, qui ſynodum Chalcedonenſem amplectatur. Cui juſſioni Stilas obtemperans Ælurum comprehenſum Imperatori mittit, à quo in Cherſonam Ponti relegatus eſt. De his legendi Auctor Breviculi hiſtoriæ Eutychianiſtarum, Liberatus, Evagrius, Theophanes, aliaque præſertim monumenta, quæ ad Chalcedonenſem ſynodum ſpectant. Proterius, ex Auctore Breviculi & Liberato occiſus eſt, ante triduum Paſchæ quo Cœna Domini celebratur, adeoque 5. Kal. Aprilis, quum hoc anno 457. Paſcha incideret pridie Kalend. Quamquam Victor Tunnunenſis in Chronico Conſtantino & Ruffo coſſ. hunc interfectum ait, feria 6. ultima jejuniorum hebdomadæ, ſeu 4. Kal. April. Liberatus ex Breviculo addit, *à Timotheo illo* Æluro, *epiſcopos duos Alexandriæ eſſe cœpiſſe*. Sed catholicorum ſucceſſio aliquamdiu deſiit poſt Joannem Talaïam.

XXVII. Timotheus Salofaciolus *catholicus*.

Timotheus Ælurus *iterum*.

XXVIII. Petrus Mongus *hæreticus*.

Joannes Talaias *catholicus*.

Petrus Mongus *iterum*.

Alexandria procul abacto Timotheo hæretico, in Proterii catholici locum promotus eſt Timotheus alter, *cognomento Salofaciolus, ſive Albus,* inquit Liberatus, vel Baſilicus, ſecundum Evagrium, ὃν οἱ μὲν ἐκάλουν Βασιλικὸν, οἱ δὲ Σαλοφακίολον. Quamdiu vixit Auguſtus Leo, Alexandriæ Salofaciolus quietus egit, nec non ſub altero Leone, ac prioribus Zenonis Imp. annis. Sed ubi Baſiliſcus, Zenone fugato, tyrannidem arripuit, Ælurus accepta libertate, Conſtantinopolim veniens Concilium Chalcedonenſe abrogari, & damnatos hæreticos ſuis locis reſtitui impetravit. Hunc in exilio decem & octo annos egiſſe ſcripſit Evagrius lib. 3. cap. 4. ὀκτωκαιδέκατον ἔτος αὐτῇ

ἱεροσεία συγγενόμενον· qui decem & octo anni numerandi ſunt à 457. quo Timotheus ille A in Alexandrinam ſedem irrepſit, ad 475. quo Baſiliſcus Imperator renuntiatus fuit. Atqui aliquot annos à nece Proterii in Ægypti eccleſias graſſatus eſt, ejectis paſſim epiſcopis & clericis qui rectam fidem tenebant: treſque Elmakinus elapſos prius ait, quam exilio multaretur.

Timotheus itaque ille hæreticus, quum in urbe regia ageret, epiſcopos Aſiæ ſibi conciliare ſtudens, Epheſinæ eccleſiæ per Baſiliſcum jura reſtitui curavit, quæ canone Chalcedonenſi 28. ablata erant. Hi Paulum B Epheſi epiſcopum pro more priſtino conſtituerunt, recepto, ut Evagrius loquitur, Patriarchatu. Tum monachi Conſtantinopolitani qui errore Eutychis infecti erant, propere Timotheum adierunt, communionem ejus poſcentes; à quo quum ejuſmodi confeſſionem audiſſent, Dei filium eſſe conſubſtantialem nobis ſecundum carnem, & Patri ſecundum divinitatem, re infecta receſſerunt. Negare quippe Ælurus non poterat magnum Cyrillum Alexandrinum, cum Orientalibus paciſcendo prædicaſſe, Chriſtum cùm Patri, C tùm nobis propter duas naturas quibus conſtat, conſubſtantialem eſſe, quod & alii deinceps ſchiſmatis ejus ſectatores mordicùs tenuerunt, etſi naturam unam jactitarent. Ea narrat Evagrius lib. 3. cap. 5. cui Leontius concinit libro de ſectis act. 5. Ex quo diſcimus quo nomine Jacobitæ, etſi Dioſcorum admittant, Eutychi nihilominus anathema pronuntiant, quippe qui inprimis negaverit Dominum ejuſdem ac nos eſſentiæ aut naturæ eſſe ratione humanitatis. *Hic Timotheus,* ait Leontius, *pariter & ſynodum Chalcedonen-* D *ſem & Eutychem anathemate damnabat, hunc quidem, quoniam corpus Chriſti ejuſdem eſſe nobiſcum ſubſtantiæ negabat, ſynodum, quòd duas naturas negaret.* Alexandriam redux eccleſias iterum occupavit, Petro Mongo ejus facinorum ſocio & adjutore. Quocirca Timotheus catholicus in Canopi Caſtellum ſe recepit, & in monaſterio Tabenneſiotarum quod ibi ſtructum erat, latuit. Nimirum ex libello quem Athanaſius preſbyter Chalcedonenſi ſynodo adverſus Dioſcorum obtulit, comperimus ſuburbium quoddam Alexandriæ E fuiſſe, quod olim *Canobus*, vel *Canopus* dicebatur, ac ſubinde *Metanœa*, Μετάνοια, *quaſi pœnitentiæ locus, quod ſuburbium ab initio & ex antiqua conſuetudine ad refrigerium eorum qui illò confugiebant, paratum erat, totumque ſub tutela venerabilis monaſterii Tabenneſiotarum.* Baſiliſco vero tyranno proſtrato, poſtquam Zeno recepit Imperium, Ælurus Imperatoris erga ſynodum Chalcedonenſem

ſtudia pertimeſcens, *& illud perſeveranter* A *orans,* ait Liberatus, *ab humana vita hauſto veneno ſolutus eſt.* Hoc eſt quod ejus ſequaces dictitabant, eum mortis ſuæ diem præſciviſſe. Hunc Cophtitæ tradunt patriarchatum annos 22. geſſiſſe, obiiſſe 7. menſis Meſori, ſeu 31. Julii. Ipſo igitur anno interiit, Chr. 479. quo Baſiliſcus ad ordinem redactus fuit.

Petrus Mongus hæreticus.

Timotheo hæretico exſtincto, *Petrum Mongum,* ſive, ut Liberatus interpretatur, *Blæſum,* qui archidiaconus illius fuerat, ejus in locum ordinaverunt, quum interim Timotheus catholicus in Canopi Caſtello moraretur. Au- B ctor Breviculi refert manus illi impoſitas eſſe ab uno hæretico, nec pluribus utique epiſcopis, quod diſertè Felix Papa ſignificat epiſtola ad Zenonem Imper. unde inferas exiguo prorſus numero fuiſſe Ægypti epiſcopos qui ſchiſmati ſtuderent. Zeno autem, recepto Imperio, Anthemio Auguſtali præfecto mandavit, ut Petrum deturbaret, Timotheum catholicum reduceret, illoſque puniret, à quibus Petrus epiſcopatu donatus fuerat, imo Zenonem morti Petrum addixiſſe ait Evagrius, καὶ τὸν μὲν Ζήνωνα θανάτου C ζημίαν ἐπιτιμώμενον. Quod mortem evaſerit, manſuetudini tribuendum Salofacioli, *qui Imperatori ſcripſit, ut eumdem Petrum longius in exilium dirigeret, quia latitabat Alexandriæ, & inſidiabatur eccleſiæ,* inquit Liberatus, qui pergit, Timotheum *ſic mitiſſimum fuiſſe in epiſcopatu, ut etiam à ſuis communicatoribus accuſaretur Imperatori, tamquam nimis remiſſus, & circa hæreticos placidus, ita ut ei ſcriberet Imperator ut neque collectas, neque baptiſmata ſineret hæreticos celebrare, illo tamen manſuetè cum eis agente.* Quocirca Alexan- D drinos palam ei dictitaſſe ſubdit: *Vel ſi non tibi communicamus, tamen amamus te.* Et certè eo erga illos indulgentiæ, neſcio quo timore correptus, venit, ut Dioſcori nomen ſacris diptychis reſtituerit, cujus facinoris veniam ab ipſo mox petitam teſtatur Simplicius Papa, epiſtola 11. quam ad Acacium Conſtantinopolitanum dedit. *Frater & coëpiſcopus noſter Timotheus,* inquit, *perſequutione probabilior factus, priſtini non immemor inſtituti, per fratrem & coëpiſcopum Eſaiam & filios noſtros Nilum preſbyterum, & Martyrium diaconum* E *Alexandrinæ eccleſiæ ſolemnia ſcripta direxit, quibus & illud quod antè perterritus de Dioſcori nomine fecerat, ſe deſtruxiſſe memoravit, & remiſſionem ejus erroris expetiit.* Ex quo diſcimus, quo tandem jure Eutychius Alexandrinus patriarcha catholicus ſuis in Annalibus Timotheum hunc noſtrum fuiſſe Jacobitam prodiderit. Legationis Eſaïæ meminit Auctor Breviculi in hæc verba: *Scripſit ad Papam Simplicium Timotheus, dicens Petrum* olim

Timotheus Salofaciolus reſtitutus.

Digitized by Google

olim in diaconio eſſe damnatum, nunc etiam Chriſtiana ſocietate ſemotum; mandans per Eſaiam epiſcopum, rogans ut ſcriberetur Imperatori de Petro, qui latebat in Alexandrina civitate, & inſidiabatur eccleſiæ, ut in longinquum deportaretur exilium. Per fermè triennium ſanctæ memoriæ Papa Simplicius non deſiit ſcribendo ad Acacium epiſcopum, ut ageret cum Imperatore, & fieret de Petro quod Timotheus poſtulabat. Scriptum etiam eſt Principi, ſed nunquam inde reſcriptum eſt. Nimirum Acacius paulo poſt reſtitutum Zenonem ſtudia ſua in Mongum illum convertere cœperat, vel de ſuo erga rem Chriſtianam quem oſtentarat fervore remiſerat. *Poſt breve tempus,* ait Liberatus, *moritur Timotheus Saloſaciolus, anno epiſcopatus ſui vigeſimo tertio, menſe ſexto: obiit autem ſine moleſtia.* Ab anno igitur ineunte 460. ad 483. epiſcopatum Timotheus noſter produxerit, contra quam Victor Tunnunenſis refert, eum Alexandrinam ſedem capeſſiviſſe Magno & Apollonio coſſ. ſive anno illo 460. abſolviſſe vero poſt conſulatum Zenonis tertium, adeoque anno 480. Verum Simplicii ad Acacium epiſtola quæ data eſt Id. Julii, anno 482. Timotheum nuperrimè mortuum perhibet, ut credam Liberatum 22. ſcripſiſſe non 23. Tametſi Timotheus erga Dioſcoritas adverſarios ſuos ſe benevolum præbuiſſet, nihilominus Petrus Mongus, quem illi paſtorem ſeu ducem elegerant, in illius ſepulturam ſævire non dubitavit; quod à certiſſimis nuntiis ſibi relatum Felix Papa Acacio Conſtantinopolitano ſcribebat.

Joannes Talaia catholicus.

Timotheo defuncto, anno 7. Zenonis ordinatur ab illis qui catholicam communionem fovebant, epiſcopis, clericis & monachis Joannes cognomento *Talaia*, Alexandrinæ primum eccleſiæ S. Joannis œconomus, ut fert Evagrius lib. 3. c. 12. deinde monachorum Tabenneſiotarum preſbyter, qui poſtquam Conſtantinopoli quò miſſus erat, reverſus fuit, *factus iterum eſt œconomus habens cauſas omnium eccleſiarum,* ait Liberatus. Unde in Breviculo abſolute Timothei archiepiſcopi œconomus nuncupatur, adeoque magnæ eccleſiæ, quam Timotheus idem tenebat. *Hunc Joannem preſbyterum œconomum ſuum,* verba Breviculi ſunt, *Timotheus ad principem miſit, rogans, ut ſi quid humanitus ſibi contingeret, juberet pietas ejus catholicum à catholicis ordinari. Ad cujus petita reſponſum eſt, & tam ipſi, quam clericis ſcriptum, atque in iiſdem ſacris Joannes œconomus multis laudibus prædicatur, ut jam pene omnibus Alexandrinis putaretur officii epiſcopalis candidatus. Quamobrem defuncto Timotheo epiſcopo, Joannes œconomus catholicus à catholicis ordinatur epiſcopus.* Zacharias rhetor hæreticus, Evagrio teſte, A narrabat Joannem deprehenſum ab Imperatore ambire epiſcopatum, & ſacramento obſtrictum, *ſe nunquam Alexandriæ ſedem epiſcopalem quæſiturum,* καὶ ὅρκοις ἐπέχειν μή ποτε τὸν Ἀλεξανδρέων ἐπιζητῆσαι θρόνον. Eſto ſic juraverit, at non ſi ad eam eligeretur, recuſaturum. Aliud quippe eſt dignitatem non ambire, aliud nullo ſuo ambitu oblatam recuſare. Acacius itaque Conſtantinopolitanus cujus benevolentiam Joannes, quum in urbe regia verſaretur, fovere non ſatis curaverat, perjurii prætextu Alexandrino hunc throno indig- B num habuit. Id quod Imperator Zeno Simplicio Papæ, qui Joannem Alexandria expulſum querebatur, litteris ſuis ſignificavit, ut fert Evagrius lib. 3. c. 15. Zacharias addebat Joannem data pecunia viam ſibi ad epiſcopatum paraſſe; quod poſtremum, neque Zeno Auguſtus, neque Acacius uſquam prodidiſſe reperiuntur. In Breviculo fertur *Joannem de conſuetudine majorum ad Apoſtolicam ſedem ſynodica per Iſidorum preſbyterum, & Petrum diaconum ſcripta miſiſſe, ſuperveniente vero Uranio ſubadjuva, & contra Joannem jam* C *epiſcopum ſacra principis deferente, ab epiſcopatus illius confirmatione Papam eſſe ſuſpenſum. Et quia in iiſdem ſacris de reſtituendo Petro,* (Mongo ſcilicet) *quem ipſe damnavit, fecerat mentionem, hanc partem omnino eſſe abnegatam; unde viſus eſt clementiſſimus Imperator offenſus:* utrumque ſcilicet Acacius Zenoni ſuggeſſerat, ne Joannis ordinatio à ſede Apoſtolica admitteretur, utque Mongus reſtitueretur. Acacii odium augebat, quod Joannes nullas ipſi de ſua ordinatione litteras ſynodicas miſerat. Atqui Acacii conſiliorum particeps erat Gen- D nadius Hermopolis epiſcopus, Timothei Saloſacioli conſanguineus, qui Conſtantinopoli remanſerat, quum ipſe & Joannes prius ad Imperatorem miſſi eſſent. *Ambo Joannem apud Zenonem accuſabant,* ait Liberatus, *quod epiſcopatui opportunus non eſſet, eo quod, vivente Timotheo, tractaverit exire de eccleſia, & ab ipſo ſuaderetur idem Timotheus ſuſcipere Dioſcorum in diptychis poſt mortem:* addebant illi, *Petrum* (Mongum) *eſſe amabilem populo, & poſſe in communionem populum congregare.* Pergit Liberatus quoſdam à Petro adveniſſe, qui E unitatem cupere viderentur, quos jucundiſſimè ſuſcepit Acacius, & Imperatori perſuaſit ut Apollonio Auguſtali, & Pergamio duci ſcriberet, Joannem Alexandrina ſede ejiciendum, quaſi eam contra jusjurandum arripuiſſet; Petro autem Mongo cooperarentur ut ad ſedem remearet, dummodo Edictum Henoticon principis ſuſciperet, ſynodicas mitteret epiſtolas Acacio Conſtantinopolitano, Simplicio Romano, & reliquis archi-

Digitized by Google

epiſcopis: quod quum Petrus patraſſet, decretum eſt à Zenone, epiſcopatu Joannem expelli. Qui Alexandria egreſſus, Antiochiam perrexit ut Ellum videret; cujus conſilio Calendionem Antiochenum patriarcham inviſit, & ab eo interceſſionis litteris ſynodicis acceptis, Romanum Pontificem appellavit, ſicut olim Athanaſius fecerat. Verum poſtquam Simplicius ejuſque ſucceſſor Felix reſtitutionem illius ab Imperatore obtinere fruſtra tentaverunt, Nolanæ tandem in Campania, Latinæ proinde, non Græcæ, eccleſiæ præfectus fuit, in qua complures annos reſidens, in pace defunctus eſt. Hæc Liberatus. Illum tamen Nolanum epiſcopatum non admiſiſſe crediderim, niſi Zenone mortuo, & Anaſtaſio imperante. Nam Theophanes ad annum Anaſtaſii primum ſcribit Joannem Tabenneſiotam, ſic Talaiam cognominat, quum Romæ verſaretur, accepto inaugurationis Anaſtaſii nuntio, hunc memorem fore ſperaſſe officiorum quæ ei Alexandriæ impenderat, voluiſſeque adeo Byzantium proficiſci: quod ubi Anaſtaſius accepit, juſſiſſe eum in exilium agi: quo Imperatoris conſilio præſcito, Joannes Romam quantocius repedavit. Eutychius Alexandrinus Joannem hunc noſtrum quem *Ebu-Guſtum* cognominat, menſes ſex ſediſſe ſcribit: ac certe non tres annos Alexandriæ epiſcopus egit, quos habent Theophanis tabulæ & Nicephori laterculus. Nam Petrus Mongus anno 482. circa menſem Octobrem, Alexandrinum thronum denuò invaſit.

PETRUS MONGUS *iterum.*

Joanne itaque expulſo Zenonis Imperatoris juſſu, impius ille Petrus ejus locum occupavit, quum promiſiſſet ſe ſuſcepturum decretum unionis, quod Ἑνωτικὸν Henoticon, ſive unitivum appellabant, quodque Zeno ad epiſcopos & populos Alexandriæ, Ægypti, Libyæ & Pentapolis dederat. Adjecerat communionis ſuæ ſe participes facturum Timothei Salofacioli clericos, & ſynodicas litteras miſſurum Acacio Conſtantinopolitano & Simplicio Romano. Ejus exſtat apud Evagrium epiſtola, qua ſe non alienum profitebatur à Chalcedonenſi ſynodo admittenda, quam ſanctiſſimam & œcumenicam haberet, & in qua confirmata eſſent Nicænæ fidei dogmata. Poſthac autem mentem mutavit, defectionem ſuorum ſentiens, nec ejus communionem Acacius deinceps abnegavit, unde meruit à Felice tandem qui Simplicio ſucceſſit, & ſynodo Romana anathemate feriri. Interim ergo Petrus, qui Chalcedonenſe concilium approbare viſus fuerat, ab abbate Ammone cujus inprimis opera reſtitutus fuerat, à Joanne epiſcopo Magileos, & à monachis Ægypti inferioris concitata ſeditione, concilium Chalcedonenſe, & Leonis Papæ tomum ſive epiſtolam ad Flavianum anathemate damnavit. Tum alii qui à Timotheo Salofaciolo ſteterant, communionem Petri ejurarunt, quorum nonnulli Romam venientes cuncta Pontifici nuntiaverunt.

Acephalorum origo.

Velut igitur catholicis minime placuit, ita nec Chalcedonenſis concilii adverſariis arriſit admiſſum à Petro *unionis* Edictum, horumque plurimi ab ejus ſe ſocietate abſtraxerunt. Quamobrem, quoniam archiepiſcopum ſuum abjecerant, Ἀκέφαλοι, *Acephali*, audire cœperunt, veluti capitis expertes. Rem ita narrantem Leontium audire juvat, ex actione v. libri *de ſectis*. *Petrus*, inquit, *apud Alexandrinos in præcipuo honore erat, acceptoque unionis reſcripto, ſolio potitur Alexandrino, nec jam occultè, ſed palam erat epiſcopus. Quidam tamen nimio contra Chalcedonenſem ſynodum odio impulſi, ſeceſſionem à Petro faciunt, nec cum eo communicabant, quia Edicto unionis ſuſcepto, ſynodum anathemate manifeſto execratus non erat. Hique Acephali vocitati ſunt, quod Patriarcham ſuum minime ſequentes, ſeorſim communicarent.* Liberato ſatis convenit cum Leontio, illeque narrata ſeditione, quam abbas Ammon, Joannes Magileos, & alii excitaverant, quibuſdam interpoſitis, eorumdem Acephalorum initia ſic deſcribit c. 18. *Permanſit Petrus in epiſcopatu ſcribens Acacio, quia eſſet ſynodi communicator, & fallens Alexandrinos, quia non communicaret ſynodo; ita ut quidam communicatorum ejus clerici, monachi & laici, cognoſcentes ejus fallaciam, ſeparaverint ſe ab ejus communione, & eorum qui poſt eum epiſcopatum habuerunt Alexandrinum, eo quod Petri nomen haberent in diptychis.*

Eſaïas Acephalis datus epiſcopus.

Subjungit Liberatus, huic Alexandrinorum cœtui *à Palæſtina quemdam diaconum nomine Eſaïam ordinatum eſſe epiſcopum, & Alexandriam miſſum, ſed ab omnibus receptum non eſſe, atque ab illo Eſaïanos in Ægypto eſſe.* Atqui Eſaïas ille minime catholicus cenſendus eſt, uti quibuſdam viſum eſt, ſed prorſus hæreticus, ut pote Acephalorum antiſtes; cujus inſuper ordinationem præter ſanctiores leges factam comperimus ex Timotheo preſbytero Conſtantinopolitano, opere *de recipiendis hæreticis*, quod Poſſevinus latinè, græcè vero Joannes Cotelerius integrum edidit tom. 3. Monum. eccl. Græcæ. *Eſaïaniſtæ*, inquit, *qui propter Eſaïæ ordinationem, ſejuncti ſunt ab aliis Acephalis, qui affirmarent ab Epiphanio* (Turrianus apud Poſſevinum legebat, *ab Euſebio*, τοῦ Εὐσεβίου) *Pamphilo, qui Severum preſbyterum ordinavit, Eſaïam fuiſſe ordinatum, reliquis diſſentientibus* (Acephalis) *ſed eum à mortuo ordinatum dicentibus; cum mortua videlicet Epiphanii (vel Euſebii) manus ipſi appoſita eſſet.* Sanctus Sophronius

Digitized by Google

Hieroſolymitanus in prolixa epiſtola ſua ad Sergium Conſtantinopolitanum, quæ lecta eſt act. XI. ſextæ ſynodi generalis, Eſaïæ hujus meminit, quem cum Petro Ibero quondam Gazenſium epiſcopo, qui Timotheo Æluro manus impoſuerat, Acephalorum ſectam alteram inſtituiſſe ait. Πέτρος ἕτερος τὸ Ἰβηρικὸν καὶ φρενοβλαβὲς μίασμα. Ἡσαΐας ὁ παρόντος Πέτρου συνόμιλος, οἳ ἄλλην ἀκέφαλον ἐν Ἀκεφάλοις καταδείξαντες αἵρεσιν. *Petrus alter, Ibericum & barbari ingenii contagium: Eſaïas hujus Petri contubernalis, qui aliam Acephalam inter Acephalos ſectam ediderunt.* Quibus duobus adjungit Severum, qui Antiochenam ſedem ſubinde arripuit. Ac jure, quando archimandritæ Syriæ in libello, quem act. V. concilii ſub Menna habiti obtulerunt, hunc olim Severum Acephalicæ catervæ anteſignanum dixerunt exſtitiſſe, non admiſſo unionis Edicto, quod Petrus Mongus probaverat.

Barſanuphitæ Acephali.

Alias duas Acephalorum claſſes Timotheus Conſtantinopolitanus indicat, Anthropomorphitas, qui Deum humana forma præditum docerent, & Barſanuphitas à Barſanupho ipſorum epiſcopo dictos, *in quos inſurgere reliquos Acephalos ait, ceu ab eis contra regulas facta eſſet Barſanuphii ordinatio;* ut proinde nihilo legitima magis hæc exſtiterit, quam Eſaïæ. Nulla Cophtitis Eſaïanorum mentio, ſed Barſanuphitarum, quorum auctorem *Barcenupham* nominant, eoſque cum duobus epiſcopis ſuis Abrahamo & Georgio ſub Marco patriarcha, ut numerant, 42. ad eccleſiæ Jacobiticæ communionem rediiſſe tradunt, ſæculo nono ineunte.

Acephali, Semidalitæ.

Aliam Timotheus Acephalorum catervam indicat in altera ejuſdem temporis & regionis hæreticorum ſerie, eoſque Acephalos eſſe dictos ait, quia non haberent epiſcopos, διὰ τὸ μὴ ἔχειν αὐτοὺς ἐπισκόπους, qui proinde deficientibus apud ipſos ſacerdotibus, baptiſmum ſecundum eccleſiæ regulam non darent, ſed aquam in ſanctæ Theophaniæ, ſive luminum feſto hauſtam ſervantes, in ea baptizarent. Addit eos non facere oblationem, ſed quum ſervatam ab antiquioribus habeant communionem, in ſolemnitate Paſchali particulam ex ea ſumere. Particulas ſcilicet, ut ex Joanne Damaſceno diſcimus, ſymbolorum olim à Dioſcoro ſacratorum corraſas farinæ admiſcentes, confectum ex ea panem cunctis adſtantibus diſtribuebant, unde *Semidalitarum,* q. d. *Farinaceorum* nomine donati fuere. Anaſtaſius Sinaïta in ὁδηγῷ cap. 10. Monophyſitarum decem ſectis annumerat, Barſanuphianos & Semidalitas, hoſque Jacobitæ in ſuis hiſtoriis non prætermiſerunt, ut videre eſt in vita Alexandri patriarchæ 43.

Severus Aſchuminenſis Acephalorum alios

A auctores affert, quorum nulla mentio eſt in Græcis quæ ſuperſunt monumentis, *Jacobum epiſcopum Sa* ſeu *Sais*, & *Mennam epiſcopum Moniet-Tama.* Quæ fuerit illa *Moniet-Tama*, aſſequi non potui. Michaël Wanſlebius in indice epiſcopatuum Ægypti, quos ex vetuſto codice Cophtico recenſuit, parte prima hiſt. eccl. Alex. cap. 6. habet *Moniet-Tama*, Cophticè *Themonia*. Ad Petrum Mongum revertor, ſub quo omnes illæ ſectæ prodierunt.

Hujus Petri furorem omnem non recito, B quo in omnes per Ægyptiacam diœceſim catholicos, epiſcopos, clericos, monachos & laïcos graſſatus eſt; qui nec Coſmæ quem Imperator ſatellitum ſuorum unum Alexandriam miſerat, graviſſimis minis, nec Arſenii præſidis auctoritate coerceri potuit. Tandem moritur Acacius, quo patrono tot illa facinora perpetrarat, illique ſucceſſor Fravitas datur, qui ſynodicas ordinationis ſuæ litteras ad Felicem Papam miſit, & ad Petrum Alexandrinum, utriuſque communionem ambiens, ita tamen, Theophane teſte, ad 15. C Zenonis annum, ut in prolixis illis quas Petro ſcribebat, omnem ſocietatem cum Felice abnegaret; verum quarto epiſcopatus menſe exſtinctus eſt. Quem Euphemius excipiens, ſynodicas perinde Petro litteras dedit, cujus quum reſponſoriam ad Fravitam epiſtolam lectitaſſet, in qua Chalcedonenſis ſynodus ejurabatur, ab illius ſocietate deſcivit. Evagrius ait cap. 23. eo tempore quo ambo collectis utrobique ſynodis dimicaturi erant, Petrum è vivis exceſſiſſe poſt annos octo à reſtitutione ſua, & tredecim ab inauguratione. D Ejus obitum Theophanes aſſignat anno ſuo Alexandrino 492. Zenonis 16. qui initium ducebat à Kalendis Septembribus ſuperioris anni. *Hoc anno*, inquit, *Petrus Mongus deceſſit, & ejus in locum Athanaſius* cognomine *Celites promotus fuit*. Anno itaque vulgaris Æræ 490. periit ille Mongus, die 2. aut 4. menſis Athyr, ut ſcribit Elmakinus, adeoque 29. vel 31. Octobris.

XXIX. Athanasius II. *hæreticus*.

Nullus Joanni Talaiæ catholicus epiſcopus ſubrogatus fuit; at Petro Mongo hære- E tici *Athanaſium* ſubrogarunt, cognomento *Celitem* Victore Tunnunenſi & Theophane teſtibus, *Abinas* vero, Eutychio. Hunc Liberatus *in Edicto* unitivo Conſtantinopolitanæ, & Antiochenæ & Hieroſolymitanæ ſedium communionem foviſſe tradit, quumque ſcandaliſarentur & in ipſo populi, eo quod nomen Petri haberet in diptychis, Imperatorem adiiſſe quoſdam ex iis qui ipſi adverſabantur, quique ei communicabant.

Digitized by Google

Horum alii proponebant anathematiſari ab ipſo ſynodum, & ita communionem ejus adire: alii Edicto quædam addenda, quibus ſatisfieret illis qui communione Petro juncti fuerant. Imperator vero conſiderans Edicto quidpiam adjici non poſſe, quin in eccleſia tumultus excitarentur, nec conſultò fieri poſſe ut ſynodus anathemati ſupponeretur, perſuaſit tandem illis Edictum ſuum unitivum ſufficere, ut mutuò communicarent, ſicut & cæteri eccleſiarum epiſcopi. Qua Liberati narratione ſatis innuitur, Athanaſium unitivo illo Edicto ſuſcepto, non continuò anathema ſynodo dixiſſe; qui nempe, velut Evagrius refert, *omnem operam daret, quò partes diſſidentes reconciliarentur.* Poſt vero litteris de communione ad Palladium Antiochenum datis, ipſe perinde atque deceſſor ſuus Petrus Concilium diris devovere non dubitavit. Quapropter rectè Leontius ſcripſit Athanaſium hunc anathema dixiſſe Concilio, nec tamen ad ejus communionem Acephalos rediiſſe, quia Petri Mongi nomen in diptychis retineret. Brevi poſthac moritur ſeptimo epiſcopatus anno, die 20. menſis Toth, ſeu 17. Sept. adeoque anno Chriſti 496. Anaſtaſii Imp. anno 6. ut bene ſcripſit Theophanes. Cæterum memoria ejus apud Cophtitas recolitur die 9. Toth, ſeu 11. Sept. Alexandrinorum epiſcoporum catalogus apud Abulbircat annos dumtaxat duos habet, & menſes novem. Eutychius cum ſeptem quoque annos ſediſſe ſcribens, addit multas ab ipſo eccleſias exſtructas eſſe, aliaque monumenta.

XXXI. Joannes I. *hæreticus.*

Theophani ad annum 6. Anaſtaſii Aug. *Athanaſio Alexandriæ epiſcopo defuncto, ejus loco ordinatus eſt Joannes monachus, preſbyter, & œconomus, cognomento Hemula* Ημύλα. Hic perinde Victori Tunnunenſi Hemula cognominatur, *Mela* vero apud Liberatum: *Athanaſio hæretico,* inquit, *tempus epiſcopatus ſui complente, poſt eum ordinatur Alexandrinus epiſcopus, cognomento Mela, qui & ipſe ſequutus eſt Petrum & Athanaſium præceſſores: in Edicto unitivo communicavit aliis ſedibus, Conſtantinopolitanæ, Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ.* Plane Evagrius cap. 23. ait Flavianum Antiochenum, ubi Palladio defuncto ſuffectus fuit, Alexandriam miſiſſe Salomonem preſbyterum ad Joannem, cum litteris ſynodicis mutuæ communionis, Joannemque ſuas ad Flavianum. At certe in hiſce litteris, à ſynodo Chalcedonenſi damnanda Joannes abſtinuit. Leontius tamen de Athanaſio, Joanne Hemula, & Joanne Niciota, Dioſcoro juniore & Timotheo, qui alius poſt alium Alexandrinam ſedem tenuerunt, *hos omnes*
A *& unionis Edictum recepiſſe* ait, *& ſynodum diris devoviſſe.* Cæterum Joannis Hemulæ apocriſiarii, quos epiſcopatus ſui initio Conſtantinopolim delegaverat, cum Anaſtaſii Papæ II. nuntiis, de concordia cum Apoſtolica ſede redintegranda colloquuti, Libellum eis dederunt, qui Latinè integer exſtat tom. 4. Concil. col. 1283. Eo declarabant utriuſque eccleſiæ, Romanæ & Alexandrinæ, ſciſſionem natam eſſe ex prava epiſtolæ Leonis ad Flavianum Conſtantinopolitanum interpretatione Græca, cujus auctor fuiſſet Theo-
B doretus Cyri epiſcopus Neſtorianæ hæreſis ſtudioſus, ut ea oſtenderet Neſtorium à perverſa ſententia alienum fuiſſe. Id populum Alexandrinum graviter offendiſſe: quos Romanus Pontifex quum exiſtimaret contra fidem quam Apoſtoli tradiderunt conſpiraſſe, à communione ſuſpendit. Alexandrinam eccleſiam legatos Romam miſiſſe, qui de ejus fide rationem redderent; ibi vero Alexandrinum quemdam repertum, cujus artibus illi ſuſcepti non eſſent, (Joannem utique Talaiam ſignificabant) ſibi vero demum Pho-
C tium Theſſalonicenſis eccleſiæ diaconum affirmaſſe Anaſtaſium Papam Andreæ Theſſalonicenſi epiſcopo faſſum eſſe, in epiſtolæ tranſlatione errores animadverti: *Ipſam vero Latinam epiſtolam juxta fidem trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum editam conſtitiſſe: inſuper ex perſona ejuſdem antiſtitis narrata ſunt, quæ ad vituperationem eorum quæ in tranſlatione ſunt indita, pertinerent, illis eſſe attribuenda, qui ea confingere tentaverant.* Addunt fidei ſuæ confeſſionem, quæ orthodoxa prorſus foret, niſi duas naturas tacuiſ-
D ſent. Alexandrini porro apocriſiarii illi erant Dioſcorus preſbyter, & Chæremon lector: quidni Dioſcorus ille ſit, quem Joanni Niciotæ Joannis Hemulæ ſucceſſori ſuffectum dicemus? Anaſtaſium illum Papam de communione cum illis Chalcedonenſis ſynodi hoſtibus, Romano clero minime conſulto, ineunda cogitaſſe eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta produnt. Quod rurſum primarias Orientis ſedes ſpectat, ex vita S. Sabæ hoc comperimus, Eliam Hieroſolymitanum cum Romana quidem ſede non communicaſſe,
E quum Acacii nomen ſuis in diptychis retineret: neque cum Alexandrina, quæ ſynodum Chalcedonenſem rejiceret, & Dioſcorum jactaret: neque cum Antiochena propter Palladium, qui Chalcedonenſia decreta deteſtans, Alexandrinorum communionem foveret. Quod ſi verum eſt Joannem cum illis ſedibus aliquamdiu in edicto communicaſſe, hoc certe Hieroſolymitanus antiſtes non admiſit, niſi quia in ſynodicis ſuis à Concilio proſcri-

Digitized by Google

bendo ille ſibi temperaverat. Quidquid id eſt, Joannes anno Chriſti 507. mortuus eſt, & Anaſtaſii 15. quum annos novem ſediſſet, ſecundum Theophanis tabulas & Nicephori laterculum. Eutychius, ac ſubinde Elmakinus octo dumtaxat annos ei attribuunt, integros utique, ut nono inchoato obierit. Interiit, inquam, die quarta menſis Pachon quo memoria ejus apud Cophtitas recolitur, hoc eſt 29. Aprilis.

XXXII. Joannes II. *hæreticus*.

Joannem Hemulam excepit *Joannes* alter, non *Machiota*, ut apud Liberatum cognominatus legitur, ſed *Niciota*, ut Cophtitarum libri ferunt, à *Nicia* vel *Nicio* oppido Ægypti, cujus meminit Stephanus, cui habitator ejus Νικιώτης Niciota dicitur. Concinit fere Theophanes, qui *Niceotam* dixit Νικεώτης. Victor quoque Tunnunenſis in Chronico, *Victore v. c. coſ. Athanaſio Alexandrino mortuo*, inquit, *Joannes cognomento Hemula ſuccedit: quo occumbente, poſt paucos dies ei Joannes alius cognomento Niceta ſuccedit epiſcopus.* Rurſum: *Anaſtaſio Imp. coſ. Alexandrinæ eccleſiæ Joannes cognomento Niceta præſidebat.* Hunc quoque *Habis* Jacobitæ cognominant, q d. ἔγκλειστον *Recluſum*, ceu ejuſmodi vivendi normam ante Pontificatum inierit. At vero Joannes hic priorum ſuorum opinionem ſequutus, *unitivum* quidem Zenonis Edictum *ſuſcepit*, ait Liberatus, *non autem Chalcedonenſe Concilium & epiſtolam Papæ Leonis. Quamquam non communicaret Flaviano Antiocheno, & Eliæ Hieroſolymitano epiſcopis, & Timotheo Conſtantinopolitano. Dicebat enim imperfectè Edictum ſe habere, nec ad unitatem ſufficere, quod non in anathemate ſynodi eſſet factum.* Et hoc ipſum eſt quod aſſeruit Leontius, hunc quoque Joannem averſo à ſynodo animo fuiſſe. Pergit Liberatus, Imperatori Anaſtaſio volenti ut cum Conſtantinopolitano epiſcopo uniretur, Joannem reſcripſiſſe; *quia non ſufficeret ei ad perfectam unitatem, eo quod non anathematizaret ſynodum*, ac Theophane teſte ad annum Anaſtaſii 22. Chriſti 512. votorum tandem compos Joannes fuit, qui antehac, ducentas auri libras Imperatori ſe daturum ſpoponderat, ſi Chalcedone celebratum Concilium funditùs abrogaret. Nihilominus vero Dioſcoritas Acephalos qui Petrum Mongum rejicerent, ſeparatos ab eo manſiſſe. Expulſo ſubinde Antiochia ab Imperatore Flaviano, Severus ille Acephalorum olim anteſignanus ejus in locum anno 513. intruſus, ſynodicas litteras ad Joannem Alexandrinum miſit, qui illius viciſſim communionem amplexus, litteras illas per omnes Ægypti eccleſias legendas dedit, ac Severo reſcribens, erraticam ſuam A doctrinam expoſuit. Severi ad Joannem epiſtolæ fragmentum reperi in collectaneis Mſſ. contra Monophyſitas & alios hæreticos. Sedit Joannes II. annos undecim ſecundum Severi Aſchuminenſis & Eutychii hiſtorias, annales item & tabulas Theophanis & Nicephori laterculum, adeoque fato functus eſt anno Chriſti 516. ſed exeunte, quidni etiam 517. Anaſtaſio Imp. & Agapito coſſ. ut Tunnunenſis Chronico fertur. Obiit porro die 27. menſis Boſcinas ſeu Pachon, quæ 22. eſt Maii. Quum tam multa Joannes adverſus ſan- B ctiſſimæ ſynodi auctoritatem moliretur, ita ut nec Ægyptios ſuos Hieroſolyma ad feſtum S. Crucis pergere ſineret, anno epiſcopatus ejus, ſecundum Theophanem, decimo, virorum, mulierumque & puerorum quamplurimi à dæmonibus vexati per Alexandriæ compita frequentiùs cœperunt ululare. In ſomno quidam vidit horrendæ ſpeciei virum dicentem: *Execrationum in ſynodum cauſa hæc patiuntur.* Quæ pluribus narrat Tunnunenſis Venantio & Celere coſſ. Photius cod. 54. laudat Apologiam Joannis epi- C ſcopi Alexandriæ ad Gelaſium Papam, in qua non *ſolum Pelagianam hæreſim, ſed & Pelagium ipſum, Cæleſtium & Julianum qui eorum ſucceſſor fuit, anathemate feriret.* Ἀναθεματίζει δὲ Ἰωάννης ὁ Ἀλεξανδρείας ἐν τῇ πρὸς Γελάσιον τὸν Ῥώμης ἀπολογίᾳ, οὐ μόνον τὴν Πελαγιανὴν αἵρεσιν, ἀλλὰ καὶ Πελάγιον, καὶ Κελέστιον, καὶ ἔτι Ἰουλιανὸν, ὃς καὶ αὐτοῖς ἐγνώσθη διάδοχος.

XXXIII. Dioscorus II. *hæreticus*.

Theophanes ad annum 26. Anaſtaſii & Chriſti 516. *Hoc anno*, inquit, *Joanne Ni-* D *ceota Alexandriæ hæretico defuncto, Dioſcorus minor Timothei Æluri* ἀνεψιὸς (ſeu fratris filius, aut ſororis) *Alexandrinus præſul eſt conſtitutus, qui pro Alexandrinis civibus, ob filii Calliopii Auguſtalis necem legatione functurus Byzantium veniens, ab orthodoxis, qui eum adverſus rectæ fidei decreta profectionem ſuſcepiſſe arbitrabantur, publicè per vias conviciis excipiebatur. Obita itaque legatione qua memoratæ cædis gratia functus eſt, quantociùs diſceſſit.* Pergit recitans quæ in ejus electione & inauguratione acciderunt, addens & per- E petratæ cædis cauſam: *Dioſcoro ordinato*, χειροτονηθέντος, *oppidanorum multitudo à reliquo eccleſiæ cœtu ſegregavit ſe, dicens, non ſedet epiſcopus, niſi pro ut Apoſtolorum ſanctorum canones præſcribunt fuerit deſignatus. Nimirum ille à magiſtratibus in throno collocatus fuerat. Quocirca Dioſcoro ad S. Marci eccleſiam profecto, convenientes clerici veſtibus eum denuò induerunt, eique manus iterum impoſuerunt, atque ita ad S. Joannis progreſſus ſynaxim ſuorum*

Digitized by Google

obivit. Cum vero Calliopii Auguſtalis filius Theodeſius, & Acacius militum magiſter ea in urbe adeſſent, turbæ tumultuantes, Auguſtalem, quod Anaſtaſium Imp. laudaret, conviciis appetunt, & depoſito metu, quidam impetu facto Auguſtalis filium ſolio deturbatum interfecerunt. Magiſter autem militum, quos apprehendit, morte multavit. Quo nuntio accepto in Alexandrinos Imperator ſuccenſuit, cujus animum, legatione ad ipſum ſuſcepta, Dioſcorus pacavit. Dioſcorum hunc jam præmonui videri fuiſſe eum, quem Joannes Hemula deceſſor ejus ad eumdem Anaſtaſium reſponſalem miſerat. Hic vero perinde atque alii quibus ſucceſſit, Edictum Zenonis ſic recepit, ut ſanctæ ſynodo Chalcedonenſi minime parceret, quod Leontium in libro de ſectis ſcripſiſſe dicebam; imo Liberatus quoque: *Hic autem Dioſcorus*, ait, *proponente ipſi Socrate ſcholaſtico ante defenſorem, in ejectione ſynodi Henoticon ſuſcipere, in damnationem ſynodi unitivum ſuſcepit Edictum, ſicut ipſa oſtendunt geſta, quæ apud defenſorem civitatis coram eo confecta ſunt, in quibus teſtatus eſt, in expulſione ſynodi ſe ſuſcipere edictum.* Atqui narrat etiam Dioſcorum hoc pacto ſatisfeciſſe illis qui propter Petrum Mongum extra illam eccleſiam communicabant, ut ei tandem uniti ſint; *nam uſque ad iſtum Dioſcorum in diviſione erat Alexandrina eccleſia.* Ubi Acephalos innuit, quorum proinde magna pars ad Dioſcorum redierit. De hoc Dioſcoro juniore accipienda ſunt, quæ monachi Palæſtinæ Alcyſoni Nicopolitano ſcribebant, apud Evagrium lib. 3. cap. 3. Xenaïam Hieropolitanum, & Dioſcorum, quum multi epiſcopi eis adhærerent, adeo graves illis fuiſſe, qui proſcribere illos nollent quotquot ipſi anathemati ſupponere conſtituerant, ut cunctis intolerabiles fierent, quorum nonnullos fraudibus etiam adhibitis, relegari curaverunt. Alexandriæ ſedebat adhuc Dioſcorus, quando exſtincto Anaſtaſio Juſtinus ſummam rerum capeſſivit, qui ut rectæ fidei ſtudioſus erat, Severum hæreticum Antiochia confeſtim exegit. Qui in Ægyptum cum Juliano Halicarnaſſenſi epiſcopo hæreſis ſuæ ſocio fugit, ubi ambo epiſcopatum tenente Dioſcoro, ingentes tumultus excitaverunt, agitata de corporis Domini quæſtione, num ante reſurrectionem corruptioni obnoxium habendum eſſet, num ab ea immune! Quamquam Liberatus, ut Severi Alexandrinam profectionem, ita & diſputationem hanc ſub Timotheo Dioſcori ſucceſſore inchoatam refert, cap. 19. Cæterum ipſo Juſtini anno primo Æræ Diocletiani 144. Chriſti 518. menſis Paophi 17. ſeu 14. Octobris, è vivis exceſſit Dioſcorus cui tabulæ Theophanis, Nicephori laterculus, Severus Aſchuminenſis tres epi-
A ſcopatus annos aſſignant: Elmakinus & Macriſius, annos duos, menſes quinque; Chronicon Orientale, duos annos & dies 146. Abulbircat duos itidem annos & menſes quatuor, completos utique.

XXXIV. TIMOTHEUS III. *hæreticus.*

Dioſcoro hæretico ſucceſſit *Timotheus* & ipſe hæreticus; cujus epiſcopatus initium Victor Tunnunenſis refert ad annum illum, quo Valerius & Juſtinianus Conſules fuere, Chriſti proinde 521. ſed perperam prorſus,
B & contra reliquorum ſcriptorum fidem, etſi rerum geſtarum penè æqualis fuit. Liberatus de ejus promotione ait cap. 19. *Eo tempore Alexandriæ, mortuo Dioſcoro juniore, Timotheus eccleſiæ ipſius ſuſceperat epiſcopatum, à quo gratiſſime ſuſcepti Severus & Julianus ſedebant ad Labranum.* Mox ſubdit inter utrumque diſceptatum eſſe de corruptibili & incorruptibili, ac Timotheum Severi potiùs ſententiam ſequutum eſſe: Poſt vero Themiſtium diaconum ejus dixiſſe aliquando, *ſi corpus Chriſti corruptibile eſt, debemus dicere eum*
C *aliqua ignoraſſe*, veluti de Lazaro ubi poſitus eſſet: id vero negaſſe Timotheum, ita ut Themiſtius ab ejus communione deſciverit, cujus ſectatores *Themiſtiani* dicti ſunt, & *Agnoïtæ.* Quamobrem ſub Timotheo duæ ſectæ inter Monophyſitas ortæ ſunt *Incorrupticolarum*, Ἀφθαρτοδοκητὰς vocat, & Agnoïtarum. In quo Leontio in lib. *de ſectis* convenit cum Liberato, quum interim Victor Tunnunenſis Agnoïtas ſub Theodoſio Timothei ſucceſſore natos ferat. Hoc Timotheo Patriarcha, anno ſecundum Theopha-
D nem, Juſtini V. Dunaan rex Homeritarum Judæorum ſuperſtitionibus deditus, *Nagra* civitate capta S. Aretham ejus præfectum, & reliquos cives Chriſtianos impie trucidavit. Quamobrem ab Eleſbaa Æthiopum ſive Abeſſinorum rege Chriſtiano bellum contra Homeritas ſuſceptum eſt, quos cum deviciſſet, Dunaan interfecto, regem Chriſtianum huic genti dedit, ad quam erudiendam epiſcopus & clerici Alexandria à Timotheo miſſi fuerunt. Quæ fuſe narrantur in actis Græcis S. Arethæ martyris, quæ ex vetuſtis
E codicibus bibliothecæ Colbertinæ erui, quæque longe accuratiora ſunt quam apud Metaphraſtem. In his nulla *Aſterii* archiepiſcopi Alexandrini mentio, ſed Timothei, quem nonnulli orthodoxum præſulem fuiſſe jactarunt. Unde conſtat Simeonem Metaphraſtem quum hæc acta ſuo more componeret & interpolaret, pro Timotheo qui inter hæreticos cenſitus eſt, *Aſterium* finxiſſe, qui catholicus putaretur. Initio itaque genuinorum actorum

Digitized by Google

iſthæc leguntur. Ἔτους πέμπτου τῆς βασιλείας Ἰουστίνου τοῦ φιλοχρίστου βασιλεύοντος τῆς Ῥωμαίων πολιτείας, Ἰνδικτιῶνος δευτέρας, κατὰ δὲ Ἀντιοχείαν τῆς Συρίας ἔτους πέμπτου τριακοστοῦ ὀκτακοσιοστοῦ, μηνὸς Ὑπερβερεταίου, ὅς ἐστιν Ὀκτώβριος, ἐπισκοπεύοντος Ἀλεξανδρείας Τιμοθέου, Ἱερουσαλὴμ Ἰωάννου, Κωνσταντινουπόλεως Τιμοθέου, καὶ Ἀντιοχείας Εὐφρασίου: *Anno quinto Imperii Juſtini Chriſti amatoris, Romanæ reipublicæ Imperatoris, Indictione II. Antiochiæ Syriæ anno octingenteſimo trigeſimo-quinto, menſe Hyperberetæo, ſive Octobri, epiſcopatum Alexandrinum gerente Timotheo, Hieroſolymitanum Joanne, Conſtantinopolis Timotheo, & Antiochiæ Euphraſio.* Ubi tamen prætereire non licet Timotheum tunc temporis Conſtantinopolis epiſcopum non fuiſſe, cui jam ab annis quinque defuncto Joannes Cappadox ſucceſſerat. Sed quum catholicæ confeſſionis eſſet, nec Alexandrinorum qui hæreſi addicti erant, communionem curaret, nulla ejus apud illos mentio erat, ſed Timothei ſolius, qui Chalcedonenſis ſynodi adverſarius obierat. Cætera hujus narrationis, cum temporum & regionum ratione, aliiſque ejuſmodi circumſtantiis optime cohærent. In his Timotheus Alexandrinus ſæpe memoratur, nuſquam, ut dictum eſt, *Aſterius*. Quæ vero multa hac in hiſtoria congeruntur, non uno, ſed pluribus annis geſta ſunt, quibus Timotheus interim Alexandriæ ſedebat, ut & illis viginti tribus quibus Joannes Hieroſolymitanæ eccleſiæ præfuit. Non enim abſurde in fine actorum legitur Eleſbaam regem Æthiopum coronam ſuam auro lapidibuſque pretioſis conſtantem Hieroſolymam Chriſto dicandam miſiſſe; Joannem ſanctiſſimum archiepiſcopum ab eo rogatum ut eam coram Domini ſepulcro appenderet. Nec quiſquam indigne ferat hunc Principem, qui hæretico epiſcopo Alexandrino morem gereret, inter ſanctos ab utraque eccleſia catholica, Græca Latinaque jampridem habitum. Huic namque Chriſtianiſſimo regi hoc condonatum fuit, qui quum remotiſſimam à Romanorum imperio & ſocietate regionem incoleret, ſuperiorem alium archiepiſcopum neſciebat, præter illum qui Alexandriæ ſederet, ignorans, an reliquo orbe Chriſtiano hæreticus, an catholicus haberetur, quum perinde paratus eſſet catholicæ communionis alterum admittere. Epiſcopatum iniit Timotheus menſe Octobris die 8. anno 518. quumque ann. 17. eum Cophtitæ ſediſſe ferant, mortem anno 535. oportet obierit. Theophanes & Nicephorus totidem ejus epiſcopatus annos numerant: ſexdecim vero dumtaxat cum dimidio Abulbircat, ceu integri ſeptemdecim illi minime fuerint. Eutychium omitto qui, neſcio quo auctore, duos ſolummodo annos habet, eumque mox deſtitutum ait, quem tamen Alexandriæ ad mortem uſque quietum egiſſe conſtat. Victor Tunnunenſis id prorſus innuit *Juſtino Aug. & Apione coſſ.* ſeu anno 524. ubi varias refert epiſcoporum ſucceſſiones: *Alexandrinæ eccleſiæ adhuc ſuperfuit Timotheus*, inquit; quem ſubinde, non ſine gravi errore, defunctum narrat *Joanne v. c. coſ.* ſive anno 538. quo certe Paulus catholicus, exacto Theodoſio Timothei ſucceſſore, Alexandrinæ ſedis compos erat. Leontius teſtatur Timotheum, qui modo Severo, modo Juliano patrocinabatur, quum Imperatorem Juſtinianum aditurus eſſet, vivendi finem feciſſe. Accerſitus enim ab eo fuerat, uti vel ſynodum amplecteretur, vel removeretur ab officio. At vero Victor qui Timotheum anno 521. epiſcopum eſſe deſignatum tradidit, & 538. interiiſſe, hoc ſaltem ſignificavit ſeptem-decim annos epiſcopatu functum. Illum quidem capeſſivit anno, ut dictum eſt, 518. mortuus vero fertur in Calendario Cophtitarum 13. Mechir, hoc eſt 7. Februarii.

XXXV. Gaianus *hæreticus*.

XXXVI. Theodosius *hæreticus*.

Timotheo defuncto mox de ejus ſucceſſore eligendo actum fuit, & clero populoque in duas partes ſciſſo, *Gaïanus* ac *Theodoſius* uno eodemque die electi fuerunt. Quod ita narrat Victor Tunnunenſis, etſi biennii anachroniſmo peccet. *Joanne v. cl. coſ.* inquit, *Alexandrinæ eccleſiæ Timotheo mortuo, qui Dioſcoro ſucceſſerat, duo populi electione perverſi ordinantur uno die epiſcopi, Theodoſius ſcilicet & Gaïanus, quibus ordinatis, Alexandria in utriſque eſt Chriſti inimicis diviſa. A Theodoſio enim Theodoſiani, & à Gaïano Gaïanitæ voluerunt appellari: quamvis æqualiter ſynodum Chalcedonenſem non ſuſcipiant, & errores Eutychis & Dioſcori proprios faciant.* Sed rerum geſtarum ſeriem audire præſtat ex Liberato. *Defuncto Timotheo* Alexandrino epiſcopo, ſtudio & permiſſione Calotychii Cubicularii, qui à Theodora Auguſta pendebat, Theodoſium ordinatum ſcribit, qui etſi habebat cleri decretum, contradicere volentibus populis palam non obſtitit: cæterum monachos pro Gaïano, non pro Theodoſio ſtetiſſe. *Conſuetudo quidem eſt* Alexandriæ, pergit Liberatus, *illum qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo beati Marci pallium, & tunc legitime ſedere.* Hæc Theodoſius tentavit, egitque Calotychio, Ariſtomacho duce, & Dioſcoro Auguſtali ſibi faventibus; quod ubi monachi & populi

Digitized by Google

comperecrunt, mox Theodoſium inſectantes, urbe ſua expulerunt, ne Timothei funus colligeret; Gaïanum autem in throno collocarunt; quem ut apparet, Theodoſius nondum conſcenderat. Hinc eſt quod Gaïanus Theodoſio præmittitur in tabulis Theophanis & in laterculo Nicephori; eo maxime quod Gaïanus ante Theodoſium pluſquam tres menſes ſederit, donec Juſtiniani Imperatoris juſſu expulſus tandem fuit.

GAIANUS. Illis porro Gaïanus Alexandriæ præerat, qui cum Juliano Halicarnaſſenſi Chriſti corpus à corruptione immune ſemper fuiſſe adverſus Severum contendebant. *Alexandria ſiquidem,* ait Tunnunenſis, *Ægyptus & Libya in utriſque erat diviſa. Theodoſiani enim Severum, & Gaïanitæ Julianum ſequuti ſunt. Habebat Gaïanus aliquantos de clero ſibi conſentaneos, poſſeſſores quoque civitatis, corporatos, milites, omnemque provinciam: quo factum eſt ut in epiſcopatu dies centum tres egerit, hoc eſt menſes tres & fere dimidium: qui poſthac à judicibus pulſus abſceſſit.* Enim vero poſt duos menſes Narſes Cubicularius à Theodora Auguſta miſſus eſt, qui Theodoſium tandem in Alexandrina ſede collocavit, Gaïanumque exulare juſſit, qui Carthaginem abductus eſt, indeque in Sardiniam; quid poſthac illi factum ſit ignoratur. Quis ab ejus ſectatoribus ſucceſſor ipſi deſignatus ſit infra dicemus. Liberato concinit Leontius act. 5. libri de ſectis, à quo inſuper diſcimus Gaïanum, quem invitum factum eſſe epiſcopum ait, Timothei prius archidiaconum fuiſſe, Theodoſium vero λογογράφον, ſive à litteris & commentariis. Ex his emendandæ Tabulæ Theophanis, imo Theophanes ipſe ad annum Juſtiniani 14. & Nicephori laterculus, qui annum unum Gaïano attribuunt, etſi nec dimidium attigerit.

THEODOSIUS. Pulſo Alexandria Gaïano, Theodoſius ſedem tenuit annum unum & menſes quatuor, « ſed paucis ei communicantibus, ait Liberatus, » quum plurimi communicarent ad nomen Gaïani. Quin populi diebus multis pro » Gaïano pugnaverunt; quocirca à militibus » magna parte cæſi ſunt, majore tamen militum cadente numero. Ac Narſes, non armis, » ſed civitatis concordia vincebatur, mulieribus » in milites de ſuperioribus domorum jactantibus quidquid manibus occurriſſet. At ille » igne vicit, quod ferro non potuit, incenſa » utique urbe. » Diviſa itaque manſit civitas, in Gaïanitas ſeu Phantaſiaſtas, qui ſolam corporis ſpeciem Domino præbere viderentur, & Theodoſianos, ſive Corrupticolas, qui corpus corruptioni obnoxium colerent. Pacatis vero ſubinde rebus, quamplurimi eruditioribus, ut autumo, Severi Antiocheni lucubrationibus victi à Gaïanitis ad Theodoſianos tran- A ſiere, illorumque tandem dogma apud Cophtitas exſtinctum eſt. At vero Theodoſius ſede demum ceſſit, ſeditiones non ferens, quæ ſui cauſa in populo excitabantur. Ita quidem Liberatus, innuens eum ſponte diſceſſiſſe; verum Tunnunenſis hunc quoque exilio multatum perhibet, quemadmodum & Leontius eum à Juſtiniano amotum, & Conſtantinopolim deportatum. Pergit quoque Liberatus illum Conſtantinopolim miſſum cum honore, veluti Theodoræ ſcripta præcipiebant. Pollicebatur illa Imperatori conjugi B Theodoſium Chalcedonenſem ſynodum ſuſcepturum: quod quum ille obſtinato animo recuſaret, ipſa annuente, foras civitatem regiam, ad ſextum milliarium in exilium miſſus eſt juxta baſilicam *Ariſphocæ,* in via quæ ducit *ad ſtoma Ponti,* q. d. os Ponti Euxini; Victor Tunnunenſis exilii locum *Sycas* fuiſſe ait, quæ quum urbi vicinæ eſſent, magna illius pars, totumque pene palatium hæretici hujus doctrina maculata ſunt, indeque cunctæ hæreſes occaſionem & licentiam arripuerunt, ut non ſolum Theodoſiani, ſed Gaïanitæ mo- C naſteria & oratoria Conſtantinopoli exſtruerent. Hinc illi prodierunt, qui à Gondobaudo urbis loco Gondobauditæ ſunt appellati, qui quum Theodoſium primitùs ſequerentur, ab eo poſthac anathemate idcirco damnati ſunt, quod doctrinam ejus de Trinitate non admitterent, aſſerentes, unum quidem eſſe Deum numero, at Patrem, Filium & Spiritum ſanctum omnimoda æqualitate eumdem eſſe. Quæ diſſidia exinde nata ſunt, quod Theodoſiani, & cæteri Monophyſitæ, in ſuis de Verbo incarnato diſputationibus naturam D ab hypoſtaſi & perſona non ſecernerent. Quocirca alii eorum eò impietatis venerunt, ut tres in Deo ſubſtantias naturaſve juxta ac tres hypoſtaſes ponerent; unde Tritheïtarum nomen ſibi acciverunt. Horum ut Agnoïtarum meminit Victor Tunnunenſis in chronico, & utroſque ex Theodoſianis progenitos refert. *Agnoïtæ ſiquidem,* inquit, *perverſitati à qua exierunt, id adjiciunt, quod Chriſti divinitas,* ſeu natura illa una, quam divinam eſſe aiunt potiùs quam humanam, *ignoret futura, quæ ſunt ſcripta de die & hora noviſſima. Tritheïtæ* E *vero ſicut tres perſonas in Trinitate, ita tres quoque adſtruunt Deos eſſe, contra illud quod ſcriptum eſt: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.* Eadem quæ Victor, Leontius quoque refert, ac Tritheïtarum parentem fuiſſe tradit Joannem Philoponum, quemadmodum & Sophronius Hieroſolymitanus epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum, Timotheus item preſbyter in opuſculo *de receptione hæreticorum,* aliique veteres, quorum teſtimonio

Digitized by Google

teſtimonio ſcriptores Arabici ſequioris ævi refelluntur, qui Joannem Philoponum ad Mohammedanos Alexandria capta defeciſſe finxerunt. Atqui Tritheïtæ Alexandrini epiſcopum quoque ſibi conſtituerunt Cononem, à quo *Cononitæ* quoque dicti ſunt, eodem » Timotheo Conſtantinopolitano teſte. » Alii, » inquit, Severitæ ſeu Theodoſiani, qui & » Cononitæ, οἱ καὶ Κονωνῖται, qui una cum Theodoſio & Severo, *Cononem epiſcopum recipiunt*, καὶ σὺν αὐτοῖς Κόνωνα ἐπίσκοπον. Poſthac addit Cononem Joannis Philoponi ſcripta abjeciſſe, quæ & ab illo confutata diſcimus ex Photio in bibliotheca cod. 23. ſed & cod. 24. perhibet Joannem Conſtantinopolitanum, Juſtino II. Imperatore, adverſus illos calamum ſtrinxiſſe. Ex quo Cononis ætas, ut & Philoponi, apertè rurſum nobis innoteſcit. Cæterum Philoponiacos, à quibus Cononitæ defecerunt, alium ſibi epiſcopum deſignaſſe nomine Georgium, Timotheus nobis rurſum auctor eſt, λέγονται δὲ οἱ Φιλοπονιακοὶ ἐπίσκοπόν τινα Γεώργιον ὀνόματι, cujus proinde libros admittebant. Theodoſio itidem exulante, qui Alexandriæ ab ejus partibus ſtabant, ſacerdotes & laïci novam eccleſiam condiderunt, in latere urbis occidentali, in loco qui *Soüari* dictus eſt, tunc vero *Ingelium*, ubi ſanctus Marcus martyrio functus eſt; unde nomen ſectæ *Angelitarum*, ſeu *Ingelitarum* profectum eſt; de quibus Timotheus ille preſbyter legendus. Quum Liberatus Breviarium ſcriberet tempore quintæ ſynodi generalis, Theodoſium ait hac ſua ætate vivere. *Vivit adhuc*, inquit. Imo Victor iterum: *Vixit enim Theodoſius præfatus hæreticus uſque ad primum Juſtini junioris Auguſti conſulatus annum*; imperantis ſcilicet illius tertium, Chriſti 567. Quo auctoris coævi teſtimonio falſi convincitur Abulbircat, qui Theodoſio ſuo annos dumtaxat 22. cum menſibus duobus attribuens, eum exſtinctum ait anno Diocletiani 266. ſeu Chriſti 550. quarto fere priùs quam quinta ſynodus cogeretur. Epiſcopatum Alexandriæ geſſit à 7. Februarii qua Timotheus obiit anno 536. ad Septembrem uſque anni 537. triginta inſuper annos in exilio vixit, ex quibus in Sahid ſeu Thebaïde provincia quatuor egiſſe fertur à Jacobitis ſcriptoribus.

XXXVI. PAULUS.

Paulus qui Alexandriæ exacto Theodoſio hæretico, ſuffectus fuit, *plane orthodoxus*, ait Liberatus, *unus Abbatum Tabennenſium monachorum*. De eo Theophanes ad an. 14. Juſtiniani, *Paulum quemdam*, ait, *de fide rectè ſentire exiſtimatum, renuntiavit Juſtinianus Alexandriæ antiſtitem*. Conſtantinopoli ſcilicet, ubi Paulus ordinatus pontifex fuit à Menna patriarcha, contra priſcas Alexandr. eccleſiæ A leges, hoc vero temporum & rerum ratione poſtulante, propter illam quam aliàs attuli regulam, *eccleſiæ ſalus, ſumma lex eſto*. Sed neque Mennas cum auctoritate propria dumtaxat, ſed aliorum inſuper orbis Patriarcharum, quorum apocriſiarii cæremoniæ præſentes aderant, epiſcopum ordinavit. Quæ ordinatio omnino facta eſt anno 538. ad finem vergente, ubi nulla ſpes Imperatori & Auguſtæ affulſit Theodoſium ad ſanam mentem transferendi. Atqui Paulus paulo ante Conſtantinopolim venerat, Imperatoris opem B flagitaturus adverſus quoſdam monachos ſuos, à quibus ſpretim habebatur. *Qui divino nutu*, inquit Liberatus, *cathedram vacantem inveniens, meruit per Pelagium diaconum*, Vigilii Papæ apocriſiarium, Alexandriæ epiſcopatum, accepitque ab Imperatore poteſtatem pro ducibus & tribunis hæreticis orthodoxos alios creandi, quum populorum tumultus & ſeditiones per illos enormes evaſiſſent. Hic Alexandriam quum appuliſſet, timore ſui, ſuaque induſtria & ſagacitate civitatem omnem, cuncta monaſteria adduxerat, ut Chal- C cedonenſe concilium amplecterentur, ſed ingens hoc bonum diaboli artibus ſufflaminatum fuit. Cogitante Paulo Eliam magiſtrum militum deſtituere, Pſoïus ſeu Pſoes quidam diaconus & œconomus eccleſiæ, Eliæ quîcum amicitia junctus erat, per portitores litterarum velociſſimos pedeſtres, quos Ægyptii *Symmachos* vocant, omnia Pauli conſilia retegebat. Pſoii litteras Ægyptiaca lingua ſcriptas Paulum reperire contigit, qui veritus ne ſibi eadem quæ olim Proterio acciderent, Pſoïo præcepit ut rerum eccleſiæ quam gere- D bat rationem redderet: hunc inſuper judici tradidit, deque eo Imperatori retulit. Rhodo interim Auguſtalis eum cuſtodiendum accepit, dum Principis juſſa advenirent: ſed maleſano cujuſdam de primoribus civitatis, Arſenii nomine, inſtinctu, acceptis muneribus, inſcio, ut ferebatur, epiſcopo, clam illum nocte interfecit. Diaconi filii & affines ejus necem Juſtiniano ſignificant, à quo Auguſtalis alter Liberius Alexandriam mittitur. Hic, Rhodone accerſito, ab eo quærit, cur diaconum occidiſſet, qui juſſione epiſcopi id pa- E tratum eſſe reſpondit: habere ſe Imperatoris mandatum, ut quod juberet epiſcopus omnino exequeretur. Negante Paulo, ſeque inſcio facinus perpetratum clamitante, Arſenius necis auctor repertus, morte multatus fuit. Paulus tamen Gazam ſecedere juſſus eſt, Rhodo vero Conſtantinopolim ductus, lectis coram Juſtiniano quæ admiſerat, extra urbem interfectus eſt. Tum Imperator Antiochiam Pelagium diaconum cum ſacris litteris

Digitized by Google

ſuis miſit, mandans ut cum Ephræmio civitatis hujus antiſtite, Petro Hieroſolymitano, & Hypatio Epheſino, Gazam pergerent, & coacto ibidem concilio, ablato à Paulo pallio, pontificatu eum deſtituerent. Quibus ita geſtis, in Pauli locum ibidem Zoïlus ordinatus fuit. Hæc Liberatus recitat cap. 23. Breviarii, perinde vero narrantur à Procopio cap. 27. hiſt. Arcanæ, ubi hoc etiam addit, Juſtinianum poſthac comiter & perhonorificè Paulum Conſtantinopoli habuiſſe, quum is ei pondo ſepties centum auri obtuliſſet, quo ſacerdotium reciperet. Id ſe propediem facturum Princeps aſſerebat; quod tamen à Vigilio Papa obtinere nequaquam, etiam imperando valuit, qui licere ſibi negaret decedere à ſententia quæ per Pelagium reſponſalem ſuum lata erat. Cæterum Victor Tunnunenſis hunc idcirco deſtitutum prodit, quod *Dioſcori hæretici prædeceſſoris ſui depoſitionem celebraret.* Theophanes quoque ad decimum quartum Juſtiniani annum, *Hic in eccleſiaſticis precibus & ſacrificiis memoriam agens ſacrilegi Severi* (Severum utique pro Dioſcoro poſuit) *irati Imperatoris juſſu epiſcopatus honore motus, Hieroſolymam tandem profectus, ibidem moratus eſt.* Quæ ſi ita ſunt, hunc eſſe exiſtimo Paulum illum Melanum, cujus eſt in opuſculo Timothei Conſtantinopolis preſbyteri *de hæreticis recipiendis*, mentio, a quo ſectarii illi qui tunc temporis Paulianiſtæ dicti ſunt. Quem initio quidem Damianitæ tamquam legitimum epiſcopum indicarunt, poſt verò rejecerunt, ceu qui catholicæ eccleſiæ communicaſſet, tametſi ſubinde à ſancta catholica & apoſtolica eccleſia receſſerit, & Chalcedonenſe Concilium abnegaverit. In tabulis Theophanis, & Nicephori Chronico Paulus duos annos ſediſſe fertur, quos integros completoſque fuiſſe doctiſſimus Pagius oſtendit ad annum Chriſti 537. ex eo inprimis, quod Zoïlo ejus ſucceſſori, qui anno 551. perinde amotus fuit, ſeptem anni tribuantur, iique completi: unde Paulus qui anno 538. exeunte, aut 539. inchoato epiſcopatum iniit, non niſi anno 542. è ſede ejici potuit. Malim utroque loco Theophanem & Nicephorum aberraſſe, & plures annos alterutri aſſignandos fuiſſe. Plane Theophanes Zoïli epiſcopatus primordia refert ad annum ab Incarnatione 535. pro computo Alexandrinorum, qui anno Chriſti 342. cœptus erat. Quamobrem Paulus ultra duos annos ſedit, & plus ſeptem Zoïlus.

XXXVII. Zoilus.

Zoïlum pro Paulo à Patribus concilii Gazenſis Alexandriæ epiſcopum ordinatum vidimus. Dimiſſa ſynodo, monachorum Palæſtinæ Patres, Leontii Byzantini & eorum qui Origenis hæreſim fovebant malarum artium impatientes, quæcumque apud ſe jampridem gerebantur, Ephræmio Antiocheno retulerunt, qui in altera ſynodo Origenem damnavit: hinc Origeniſtæ illi apud Petrum Hieroſolymitanum egerunt, ut Ephræmii nomen è ſacris diptychis adimeretur, quod quum Petrus ad Juſtinianum retuliſſet, Imperator edictum in Origenem dedit, cui Mennas Conſtantinopolitanus cum ſua ſynodo ſubſcripſit. Idem mox edictum Vigilio Papæ miſſum fuit, Zoïlo quoque Alexandrino, Ephræmio Antiocheno, & Petro Hieroſolymitano, quibus illud *accipientibus & ſubſcribentibus, Origenes damnatus eſt mortuus, qui vivens olim fuerat ante damnatus*, ait Liberatus: latum eſt edictum anno 543. Sophronius Hieroſolymitanus in ſua ad Honorium Papam epiſtola Juſtiniani ejuſdem Imp. epiſtolam ad Zoïlum Patriarcham Alexandrinum, quæ *Theſaurus* inſcribebatur, appellabat: αὐτός τε Ἰουστινιανὸς ὁ εὐσεβὴς βασιλεὺς ἐν οἷς πρὸς Ζωΐλον, πατριάρχης Ἀλεξανδρείας οὗτος ἦν, τὴν ἐπιστολὴν Θησαυρὸν ἔγραψεν. In vita S. Sabæ legimus Georgium, quem vir ſanctus Alexandriam miſerat, à Zoïlo archiepiſcopo ordinatum eſſe Peluſii epiſcopum. Alia ejus geſta apud illius ævi ſcriptores obſcura ſunt. Ex Victore Tunnunenſi conſtat eum à Juſtiniano pontificatu amotum eſſe, quod tria Capitula damnare recuſaret; quod refert ad annum XI. poſt Conſulatum Baſilii, ſeu Chriſti 551. Anno inſuper 13. poſt Conſulatum Baſilii Apollinarium Alexandrinum, Zoïlo vivente, ſynodo Conſtantinopolitanæ generali, Quintæ ſcilicet, adfuiſſe ait.

XXXVIII. Apollinaris.

Victor itaque ad annum quem mox dicebam XI. poſt Conſulatum Baſilii, ait: *Apollinarius Zoïlo tria memorata Capitula damnare nolenti, Alexandrinæ eccleſiæ ſubrogatur.* Eodem anno menſe Septembri, Conſtantinopoli dedicationi eccleſiæ S. Irenes adfuit, Theophane teſte: *Sacræ reliquiæ*, inquit, *è magna eccleſia, Menna Conſtantinopolitano, & Apollinari Alexandrino patriarchis proceſſerunt. Sedebant illi in Imperatoris curru, ſacras reliquias genibus ſuis ſuſtentantes, quibus, ut ad Lemborum ſtationem venerunt, trajicientibus portum occurrit Imperator, ſolemnique deinde ritu eccleſiam ſanctæ Irenes aperuerunt.* Anno 553. Apollinaris in urbem regiam iterum venit ad Concilium generale Quintum, in quo de tribus Capitulis tractatum eſt, ipſeque biduo ante actionem ſecundam cum Eutychio Conſtantinopolitano, Domnino Antiocheno & novemdecim aliis epiſcopis ad Vigilium

Papam acceſſit, cum invitaturus, ut cum aliis conveniret. Hujus Concilii actis decretiſque ſubſcripſit. Cap. 114. Prati ſpiritualis fertur, monachos tres quos Abbas montis Sina Alexandriam miſerat, ab eo factos eſſe epiſcopos, unum Heliopolis, alterum Leontopolis, & Zoſimum qui hæc Joanni Moſcho Eucrati narrabat, Babylonis. Cap. 193. ejus eximia caritas commendatur erga juvenem pauperrimum factum ex divite. Sediſſe annos 19. in Theophanis tabulis & Nicephori laterculo legitur, ac proinde ad annum uſque 560. Quamquam ex his quæ mox ex Theophane dicturus ſum, certum eſt Apollinarem ad tempora Juſtini II. Aug. perſeveraſſe, adeoque ad annum ſaltem 565. exeuntem, quo Juſtinus inauguratus fuit die 14. Novembris. Theophanes ad annum ejuſdem Juſtini primum ſcribit Imperatorem hunc, quum de fide bene ſentiret, Photinum Beliſſarii Patricii privignum, poteſtate in quaſvis perſonas reſque omnes ei conceſſa, ad cunctas Ægypti & Alexandriæ eccleſias reconciliandas miſiſſe. Ad annum ſecundum, Abbatem Agathonem Apollinaris Alexandrini epiſcopi fratrem Alexandriam ad rationes exigendas profectum, Euſtochium monachum magnum eccleſiæ œconomum, malè geſti muneris reum, carceri tradidiſſe; qui tecto lapſus, Byzantium abiit, ac ſubinde pro Macario Hieroſolymitanus epiſcopus evaſit. Ad annum 3. addit Euſtochium, ubi Hieroſolymam venit, quo in Apollinarem, Agathonem & Macarium odio ferebatur, novæ lauræ monachos Origeniani dogmatis reos expuliſſe. Quæ omnia videntur innuere Apollinarem in vivis adhuc egiſſe anno 3. Juſtini, imo & quarto vertente, ac forſan integro, uti mox oſtendam. Omiſi quæ Jacobitæ, & Eutychius ipſe ex eorum, ut videtur, hiſtoriis & fabulis narrant, de cædibus ab Apollinari admiſſis quando Alexandriam advenit, deque Alexandrinorum erga eum pervicacia.

XXXIX. JOANNES I.
ELPIDIUS GAIANITA.
DOROTHEUS *hæreticus.*
PETRUS THEODOSIANUS.
JOANNES THEODOSIANUS.
DAMIANUS THEODOSIANUS.

Theophanes ad annum Juſtini junioris quartum Joannem Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopum eſſe ordinatum tradit; quam ordinationem Conſtantinopoli præter regulas factam prodit: *Eodem anno, quum magnus ille Anaſtaſius Antiochiæ epiſcopus in ſynodales epiſtolas Joannis Conſtantinopolitani, qui Joannem Alexandrinum conſecraverat, atque in ipſum quoque Alexandrinum Joannem, qui ordinatus erat, reſponſoriis litteris ſuis invectus eſſet, Juſtini mandato ſede ſua pulſus eſt.* Non ferebat Anaſtaſius Alexandrinæ eccleſiæ jura legeſque à Byzantinis, non ſine magno Ægyptiorum ſcandalo, proculcari. Joannem Alexandrinum undecim annos epiſcopatu functum perhibent Nicephorus & Theophanis tabulæ, ut anno proinde 578. vel 579. vivere deſierit. Totidem ei epiſcopatus annos dat Eutychius, qui *Joannem* alterum Apollinaris ſucceſſorem facit, eumque Manichæorum impietati deditum; quem nulla eccleſiæ monumenta indicant.

Elpidius Gaianitarum archiepiſcopus Alexandrinus.

Interim Theodoſiani & Gaïanitæ ſuos epiſcopos Alexandrinos habuerunt, ædificatis locis ad quæ convenirent: quin & Juſtino II. Imperatore, poſitis tantiſper odiis, mutuò coaleſcere viſi ſunt. Quæ diſcimus ex Theophane ad annum 38. & ultimum Juſtiniani. *Eodem pariter anno,* ait, *Theodoſiani & Gaïanitæ conventicula Alexandriæ exſtruere cœperunt. Gaïanitæ vero auctoritate & viribus prævalentes, Elpidium archidiaconum ſuum ordinaverunt epiſcopum,* Γαϊανῖται ἐπίσκοπον ἑαυτοῖς ἐχειροτόνησαν Ἐλπίδιον, τὸν ἀρχιδιάκονον αὐτῶν, *quem Imperator vinctum ad ſe adduci juſſit, in itinere autem ad Sigrin mortuus eſt. Theodoſiani vero clam noctu Dorotheum ſibi præfecerunt.* Θεοδοσιανοὶ δὲ Δωρόθεον κρυπτῶς ἐν νυκτὶ ἐπίσκοπον ἑαυτοῖς ἐχειροτόνησαν. *Tum convenientes in unum tam Theodoſiani quam Gaïanitæ, communem ſibi epiſcopum throno impoſuerunt & ordinaverunt, Joannem quemdam monachum: at Gaïanitæ fraudem ſibi factam arbitrati, monachi barbam cum cute excoriaverunt,* καὶ εἰς ἓν συνελθόντες, οἵ τε Γαϊανῖται, καὶ οἱ Θεοδοσιανοὶ, κοινὸν ἐπίσκοπον ἑαυτοῖς ἐνεθρόνισαν καὶ ἐχειροτόνησαν Ἰωάννην τινὰ μοναχὸν, ὃν οἱ Γαϊανῖται δόλον ὑπομεμενηκέναι νομίσαντες, τὸν πώγωνα τοῦ Ἀββᾶ σὺν τῷ δέρματι καὶ τῇ σαρκὶ ἐξέδειραν.

Dorotheus Theodoſianorum.

Joannes utrorumque.

Theophanis textum refero ut illum exſcripſit in Annalibus Symeon logotheta, quum in editis vitioſus videatur, quin & amplius in tranſlatione Anaſtaſii Bibliothecarii. Quo loco hæreticos tres epiſcopos Alexandrinos habemus, quos nulli Jacobitarum libri noverunt. Hos vero eodem Juſtiniani anno inauguratos à ſuis fuiſſe perperam quis exiſtimarit. Atqui Elpidium à Gaïanitis accepta Gaïani ſui morte, ordinatum, nullus dubito, ut Dorotheum à Theodoſianis, ſtatim atque Theodoſium obiiſſe didicerunt; cujus nempe interitum anno ſecundo vel tertio Juſtini II. accidiſſe oſtendi, ex Victore Tunnunenſi, horum temporum ſcriptore, qui & Alexandriæ exul agebat, hoc eſt 567. verum

Cophtitæ neutrum noverunt. Nec mirum, quando Dorotheus Gaïanitarum quoque hæreſi addictus fuit: quod quidem diſcimus ex epiſtola S. Sophronii ad Sergium Conſtantinopolitanum, in qua recenſens hæreticos qui eccleſiam ad ſuam uſque ætatem infeſtarunt, Juliano Halicarnaſſenſi, Feliciſſimo, & Gaïano Alexandrino, *à quibus Gaïanitarum ſive Julianiſtarum ſecta prodiit*, Dorotheum ſubjungit, *qui hanc eamdem impietatem impie pugnavit*, Δωρόθεον, ὁ τῆς αὐτῆς ἀθέως ὑπερμαχήσας αἱρέσεως. Quamobrem in illa Gaïanitarum cum Theodoſianis, quam Theophanes refert concordia, potiores B partes Gaïanitarum fuerunt, de quorum grege electus tunc epiſcopus Dorotheus fuit. Viciſſe tamen ſubinde videntur Theodoſiani, ſuffecto illi Joanne monacho, quem Gaïanitæ indigniſſime habuerunt. Hujus vero nulla mihi alibi mentio occurrit, ſed nec diſſimulandum Anaſtaſii tranſlatione Annalium Theophanis ſignificari Joannem, non epiſcopum, ſed purum-putum monachum fuiſſe: *Porro Theodoſiani Dorotheum occulti noctu epiſcopum ſibi ordinaverunt, & in unum convenientes tam Gaïanitæ quam Theodoſiani,* C *communem ſibi epiſcopum inthronizaverunt, cujuſdam autem abbatis barbam pelle & carne decoriaverunt.* Verum fatendum luxatum narrationis hujus textum videri, niſi ex Symeonis logothetæ excerptis & Theophane reſtauretur, quæ Joannem à Gaïanitis & Theodoſianis in communem ipſorum epiſcopum deſignatum produnt, qui Gaïanitis ſuſpectus factus, peſſime ab ipſis habitus fuit. Quæ non uno anno geſta ſunt, ut dixi, ſed una ſerie obiter à Theophane narrata ſunt. Gaïanitas deinceps iterum à Theodoſianis diviſos D fuiſſe extra dubium eſt, atque compertum amplius fit his quæ in aliis Jacobitarum patriarchis dicentur.

PETRUS THEODOSIANUS.

Poſt hos igitur *Petrus* Theodoſianorum epiſcopus Alexandrinus fuit, quem illis omiſſis, Cophtitæ Theodoſio defuncto ſuffectum, à tribus qui in inferiori Ægypto latebant, epiſcopis ordinatum tradunt, ex preſbytero aſceterii quod *Zejacie* vocabant. Is, inquiunt, quum Apollinaris Melchitæ metu urbem ingredi non poſſet, ſedem in loco novem milliaribus ab ea remoto conſtituit, E ubi à Jacobitis ſuppeditabantur quæ vitæ neceſſaria eſſent. Quam ordinationem ubi Apollinaris reſcivit, Juſtiniano Imp. hanc ſignificavit; ſed ipſe exſtinctus prius fuit, quam litteræ ejus ad aulam perveniſſent. Quæ ſi ita ſunt, ipſo quo Apollinaris obiit anno Petrus à Jacobitis promotus erit; anno proinde 567. Juſtino II. non Juſtiniano imperante. Sed Cophtitarum hiſtoriæ quod hoc omne tempus attinet, ad Benjamin uſque A ipſorum patriarcham, ambagibus obſitæ ſunt, nec Chronologiam integram referunt. Petrum porro obiiſſe tradunt poſt duos epiſcopatus annos, die 25. menſis Baïni, ſeu Bayni; hoc eſt 19. Junii. Canon chronologicus Abulbircat, decem dumtaxat ei menſes aſſignat, contra aliorum aſſertionem. Ab hoc Petro mihi videntur appellati *Petritæ*, ſive *Petriani*, quos Timotheus Conſtantinopolitanus à Damiano de quo mox ſuus ſermo erit, ob male ſanam de Trinitate doctrinam defeciſſe ait, Petrum utique deceſſorem B ejus oſtentantes. *Alii Severitæ*, inquit, *ſeu Theodoſiani, qui & Petritæ, qui poſtremum Petrum* (Petro ſcilicet Mongo, de quo dixerat, recentiorem,) *ſuſcipiunt: Theodoſium, Severum, & Petrum ſuſcipiunt, nequaquam Damianum, nec Paulum Melanum, quorum doctrinæ repugnant. Confitentur enim Deum, veritate, ſubſtantia, & natura quamlibet per ſe perſonam, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum: tres item hypoſtaſes ac tres perſonas, & unamquamque perſonam Deum eſſe, vere & ſubſtantialiter, naturaliter; unum Deum, unamque ſubſtan-* C *tiam ac naturam, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non numero, ſed perfecta æqualitate.* Quæ ſincera eſt eccleſiæ de Trinitate fides. *Hos*, pergit Timotheus, *Angelitæ, qui ab Angelio Alexandriæ loco, in quo S. Marcus olim martyrium obiit, & Paulianiſtæ Pauli Melani diſcipuli, Trithëitas nominant: illi vice verſa eos interdum Sabellianos, interdum Tetraditas.* Quando quidem Timotheus ait Petrum Petritarum auctorem Petro Mongo recentiorem fuiſſe, an non innuit eum quoque Alexandrinis Monophyſitis præfuiſſe!

DAMIANUS THEODOSIANUS.

D Petrus, *Damianum* diaconum, virum eccleſiæ canonum peritum, acciverat, qui ſyncellus ſuus & à ſecretis eſſet, aſcetam monaſterii Thabor in Ægypto. Quem Petro defuncto Jacobitæ, ſeu Theodoſiani patriarcham ſibi præſtituerunt. Ferunt anno patriarchatus ejus 8. Acephalos qui in Orientali Ægypti parte morabantur, ex illorum reliquiis qui à Petro Mongo defecerant, quum quatuor dumtaxat eis ſacerdotes ſupereſſent, unum eorum, qui aliis ætate provectior eſſet, epiſcopum creaſſe, ne prorſus interirent; E alios vero qui in Occidentali regione morabantur, indigne ferentes quod illi ſe inconſultis epiſcopum ſibi creaſſent, alium quoque epiſcopum ſuæ parti præfeciſſe. Sed quantum capio Ægypti ſcriptores poſterioris ætatis, rerum olim geſtarum ordinem non ſatis aſſequuti, ſub Damiano Petri ſucceſſore facta retulerunt, quæ ſub anterioribus Petri Mongi ſucceſſoribus acciderant, in Eſaïanitis & Barſanuphianis, ac Semidalitis. Damiani tempore

Digitized by Google

Severus Aſchuminenſis ait Mauricium Imperatorem inauguratum eſſe, Jacobitis infenſiſſimum: Petrum qui Theophilo Antiocheno Orientalium Jacobitarum patriarchæ ſucceſſerat, ſynodicam ad Damianum miſiſſe, cui novella quædam placita fidei Trinitatis contraria inſerta eſſent, unde magnum inter utramque illorum eccleſiam diſſidium exarſit. At certè Damianus ipſe, quum Severianorum more naturam eſſentiamque ab hypoſtaſi non diſtingueret, in exponenda catholicæ eccleſiæ de Trinitate doctrina laborans, in impietatem aliam impegit. Quod Timotheus Conſtantinopolitanus explicat in opuſculo toties laudato *de receptione hæreticorum. Alii Severitæ,* inquit, *qui & Theodoſiani, & Angelitæ, & Damianitæ, qui recipiunt memoratos Severum & Theodoſium, unaque Damianum, quique aiunt alium eſſe Patrem, alium Paracletum ſpiritum ſanctum: non eſſe autem horum quemque per ſe Deum natura, ſed communem habere Deum inexiſtentem, per cujus participationem indiviſam unuſquiſque ſit Deus. Appellant vero Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, hypoſtaſes; communem vero eorum Deum, ſubſtantiam & naturam. Porro Angelitæ ab adverſariis vocati ſunt, à loco Alexandriæ dicto Angelio, in quo collecta ædem habentes, qui primi inter eos ſunt, congregantur.* Alibi jam diximus ædem hanc in Angelio vel Ingelio à Theodoſianis exſtructam fuiſſe, quorum proinde pontifex erat Damianus. Pergit Timotheus de Damianitis: Appellant *vero eos adverſarii ipſorum Sabellianos & Tetraditas, qui Damianitæ audierunt, ab epiſcopo illorum Damiano.* Petri Antiocheni & Damiani Alexandrini de Trinitate diſſidium paucis indicat Sophronius in epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum, anathema dicens, primùm quidem *Petro Syro,* ſeu Antiocheno illi, *& Sergio Armenio, Tritheïæ minoris doctoribus, ſed qui nec vocibus, nec ſententiis mutuò conſentientes eſſent.* ἔστω δὲ σὺν αὐτῷ καὶ Πέτρος ὁ Σύρος ἀνάθεμα, καὶ Σέργιος ὁ Ἀρμένιος, οἱ μικρᾶς Τριθεΐας ἡγούμενοι, καὶ μηδὲ οὕτω πρὸς αὐτοὺς συμφωνήσαντες, μηδὲ τὰ αὐτὰ παραπλησίως δοξάσαντες. De Damiano ſubdit: Δαμιανὸς ὁ τούτων μὲν ὑπερβαλλόντως ἀντίπαλος, νέος φανεὶς ἐν ἡμετέροις χρόνοις Σαβέλλιος. *Damianus, horum quidem ſupra modum adverſarius, novus autem noſtra ætate Sabellius.* Nemo non intelligat Petrum illum Syrum Tritheïæ minoris doctorem, alium non eſſe ab illo Severianorum Orientis Patriarcha, cujus male ſanam de Trinitate doctrinam Damianus improbavit. Atqui Damianus hic, ſi Severo Aſchuminenſi, Macriſio & Elmakino credimus, gravi ætate confectus periit epiſcopatus anno 36. Chriſti proinde 605. Phocæ Imp. 4. die 18. menſis Bayni, ſeu A 12. Junii. Quamquam in canone chronologico Abulbircat ſediſſe dicitur annos tantummodo 24. & menſes 10. obiiſſeque anno Martyrum 309. ſeu Chriſti 593.

XL. EULOGIUS *catholicus.*
ANASTASIUS *hæreticus.*

In Annalibus Theophanis *Eulogii* Alexandrini archiepiſcopi qui Joanni ſucceſſit, annus primus apprime recte jungitur cum anno Incarnationis Alexandrino 572. à Kalendis Septembribus anni 579. inchoato. Quum B enim tam in tabulis Theophanis quam in Nicephori laterculo anni undecim Joanni tribuantur, qui ſedere cœpit anno 568. Eulogius proinde Alexandrinum inierit anno 579. vertente, qui Tiberii Auguſti, ab obitu Juſtini II. ſecundus erat. Leontium, Evagrium & alios omitto, qui Joanni Eulogium ſucceſſiſſe perhibent. Photius in Bibliotheca cod. 226. hunc Antiochenæ eccleſiæ preſbyterum prius exſtitiſſe prodit, & monaſterii Deiparæ quod Juſtinianus ædificaverat præpoſitum, ubi nempe ejus ad Eutychium C Conſtantinopolitanum epiſtolam memorat. Gregorius magnus ſtatim atque Romanus pontifex eſt conſecratus, anno 590. menſe Septembris, Eulogio Alexandrino, ut & aliis patriarchis epiſtolam ſcripſit quæ Regeſti ejus 25. eſt lib. 1. in recentiori operum ejuſdem Gregorii editione. Joannes Moſchus c. 147. Prati ſpiritualis Eulogium Alexandrinum Papam teſtem afferebat hiſtoriæ de epiſtola S. Leonis Papæ ad Flavianum, à principe Apoſtolorum Petro approbata, quam ſe accepiſſe aiebat, *à Domino Gregorio archidiacono Ro-* D *mano, ſummo ſingularique, omnibuſque virtutibus ornatiſſimo viro,* cujus contubernio Conſtantinopoli potitus erat. Alia idem auctor de Eulogio recitat capp. 146. & 148. Photius iterum cod. 227. alias ejus lucubrationes recenſet, cod. 182. 208. 225. 227. adverſus varii generis hæreticos. Inprimis cod. 230. illam refert, quam Romano Papæ ſcripſit, rationem reddens ſinceræ fidei ſuæ quam non accuratè in ſua ad illum ſynodica repræſentaverat, omiſſa ſcilicet mentione quatuor ſynodorum generalium, & epiſtolæ E Leonis Papæ ad Flavianum, quin nec diſertè ſatis enuntiata voce illa decantatiſſima *in duabus naturis,* quæ catholicæ doctrinæ teſſera erat. Ad eum rurſus Gregorius Papa, unaque ad Anaſtaſium Antiochenum anno 595. dedit epiſtolam, adverſus appellationem *Patriarchæ univerſalis,* quam Conſtantinopolitani præſules ſibi arrogabant, ambos adhortans ut ſuperbæ novitati obſiſterent. Habetur lib. 5. Indict. XIII. Aliam inſuper ad

Digitized by Google

ipſum ſolum de eodem argumento menſe Auguſto, Ind. XIV. anno 596. Alias rurſum cum ad utrumque ſimul, tum ad Eulogium ſolum, quarum poſtremæ ſunt 41. & 42. lib. 13. Indict. VI. quæ proinde ſcriptæ ſunt anno 602. Epiſtola 24. lib. 3. Indict. I. doctrinam ejus & eruditionem valde commendat. Epiſtola 30. de hæreticis Alexandriæ converſis, deque fidelium illius urbis concordia ei gratulatur: epiſtola 35. libro 10. Indict. III. epiſtolam quam ad ipſum adverſus Agnoïtarum hæreſim ſcripſerat, impenſè laudat, in qua Græcorum Patrum ſententiæ, à Romanorum dictis non diſcreparent. De ea mentio eſt apud Photium illo cod. 230. Libro quem Photius refert cod. 227. unionem quæ ſuo tempore à Theodoſianis, Gaïanitis, aliiſque Acephalis inita erat, uti minime durabilem πρόσκαιρον egregie perſtringebat. Non omittam opus ejus alterum adverſus Samaritanos, qui digladiabantur, propter Doſitheum quemdam Simonis Magi æqualem, quem prophetam eſſe à Moyſe, Deuteronom. 27. promiſſum contendebant, Judæis reclamantibus hunc locum eſſe de Joſue accipiendum. Photius ibidem meminit Concilii, quod ab eodem Eulogio Alexandriæ, ſeptimo Mauritii anno celebratum fuit, ad illam Samaritarum & Judæorum litem componendam. In hac ſynodo ſedebat judex Eulogius cum præſtantiſſimis & ſpectatiſſimis epiſcopis, ac penſatis utriuſque partis argumentis, definitum eſt illud Moyſis oraculum de Chriſto Jeſu Domino prolatum, non de quovis alio homine. In editis Græcis Bibliothecæ Photianæ perperam legitur ſynodum hanc habitam eſſe *ſeptimo Marciani anno*, atque emendandum omnino eſt *ſeptimo Mauritii anno*, ſicque legendum, Μαυρίκιος (non Μαρκιανὸς) δὲ τηνικαῦτα τοῖς Ῥωμαίοις ἐνίδρυτο σκήπτροις, ἕβδομον ἔτος ἦν τῆς βασιλείας. Adverſus Samaritas Eulogius inſuper de reſurrectione mortuorum ſcripſit. Anaſtaſius Sinaïta in libro qui Ὁδηγὸς *viæ dux* inſcribitur, narrat tempore beati Eulogii Papæ Alexandriæ Auguſtalem exſtitiſſe Severianorum hæreſi deditum, qui octodecim Calligraphos aleret, uti Patrum libros adulterarent. Communis omnium ſententia eſt, Eulogium obiiſſe anno 607. Phocæ Imp. 6. quum 27. annos, ex Theophanis tabulis, Nicephoro Calliſto lib. 28. cap. 56. aliiſque teſtibus epiſcopatu functus eſſet. Plane tum ex Evagrio cap. ult. hiſt. tum ex Gregorii Papæ epiſtolis apparet eum ultra 17. annos ſediſſe; quamobrem in laterculo Nicephori pro ιζ'. ſeu 17. emendandum omnino eſt κζ'. 27. κ. pro ι. In Martyrologio Romano die 13. Sept. legitur: *Alexandriæ S. Eulogii epiſcopi doctrina & ſanctitate celebris.* In Menologio vero Baſilii Imp. & aliis die 13. Februarii.

Eulogio catholicam Alexandriæ eccleſiam adminiſtrante, Damiano qui ſecundum communiores calculos anno Chriſti 605. obierat, ſucceſſor datus eſt Anaſtaſius, Alexandrinæ, ut aiunt, eccleſiæ preſbyter, cujus doctrinam ſcripturarum, & animi fortitudinem eo præſertim commendat Aſchuminenſis, quod Melchitis eccleſias obtinentibus, ipſe tamen in urbe multas ſacerdotum, imo epiſcoporum ordinationes fecerit: ſacerdotes præpoſuit duabus eccleſiis, Angeli & SS. Coſmæ & Damiani, quas Jacobitæ ſeu Theodoſiani ædificaverant, monaſteria quoque virginum, eccleſiam ſancti Michaëlis, aliaſque exſtruxit. Aiunt inſuper eum multa paſſum à Gaïanitis, quorum duo epiſcopi à Gaïano ordinati in vivis ſuperſtites erant. In primis vero ejus tempore ſciſſio perſeveravit Jacobitarum Alexandrinorum, & Antiochenorum ſeu Orientalium, ob Petri Antiocheni Patriarchæ Severiani ſententiam minime rectam de Trinitate. Ea vero redintegrata fuit adventu Athanaſii Severianorum Antiochenorum Patriarchæ, qui Anaſtaſii tempore in Ægyptum veniens, multo honore exceptus à Jacobitis fuit. Atqui Athanaſii in Ægyptum adventus circa annum ſaltem 614. quo Hieroſolyma à Perſis vaſtata fuit, omnino contigit. Quod adſtruitur Antiochi monachi teſtimonio, qui homilia 130. temporum ſuorum calamitates lugens, quodque Chriſtiani Chaldaïco ſeu Perſico flagello eruditi non eſſent, hoc aliud illis ingruere ait. Ηκούσαμεν γάρ τινα ἐληλυθέναι τῇ ἀνατολῇ πρόδρομον τοῦ Ἀντιχρίστου, θέλοντα τὸν θρόνον τῶν Ἀντιοχέων κατασχεῖν, Ἀθανάσιον μὲν προσαγορευόμενον, μᾶλλον δὲ θάνατον ἀθάνατον, τὰ δὲ Ἀπολλιναρίου καὶ Εὐτυχοῦς, καὶ Σεβήρου καὶ Ἰακώβου δόγματα κηρύττοντα. *Audivimus quemdam velle Antiochenum thronum occupare, Antichriſti præcurſorem, nomine Athanaſium, imo mortem immortalem, Apollinaris, Eutychis, Severi & Jacobi dogmata prædicantem. Qui rumor non parum nos, ſanctæque civitatis incolas terrefecit. Quoniam ergo mihi litteris ſignificatum eſt eum regiones, loca & inſulas percurrere, multaſque variis in locis hæreſes compingere; ne in quampiam earum incidatis, vobis ſectas omnes quæ ab adventu Chriſti ad hanc uſque diem fuerunt, recenſebo.* Atqui Theophanes ad annum dumtaxat Heraclii vigeſimum refert Athanaſium, habito cum Heraclio Imperatore colloquio, de Antiochena ſede catholica occupanda cogitaſſe, hoc eſt anno Chriſti 629. ſeu poſt annos quindecim à Perſica clade; quo proinde intervallo tot illa loca & regiones peragraverat. At vero concordiæ Jacobitas inter Orientales & Ægyptios

Anastasius *Jacobita.*

Digitized by Google

reſarcitæ ab Athanaſio & Anaſtaſio meminit ſanctus Sophronius epiſtola ad Sergium A Conſtantinopolitanum. *Anathema ſiet*, inquit, *& catathema Athanaſius Syrus & Anaſtaſius Apozygarius*, Ἀθανάσιός τε ὁ Σύρος, καὶ ὁ Ἀποζυγάριος Ἀναστάσιος, *& qui eorum inconvenientem convenientiam*, ἀσύμβατον σύμβασιν, *& indocte ſuſcipiunt, & nulla ratione jumentorum inſtar ab eis ſeducuntur, & quum invicem quaſi amice conjungantur, ſeſe tamen inimicis anathematis ſauciare dicuntur*, ὑπ' ἀλλήλων δὲ ταῖς ἀναθεματισμοῖς ἐχθρωδῶς τιτρωσκόμενοι, quibus ſignificatur reconciliationem hanc firmam prorſus non fuiſſe, nec integram. Obiter ob- B ſervavero Athanaſium Syrum à Sophronio Anaſtaſio præponi, velut ſcilicet antiquiorem. Quæ omnia non adeo repugnant chronologiæ Severi Aſchuminenſis, & aliorum Cophtitarum, quibus Anaſtaſius obiit anno Diocletiani 330. Chriſti 614. die 22. menſis Cohiac, ſeu 18. Decembris, quum ſediſſet annos 10. Non vero cohærent cum canone Abulbircat, ſecundum quem Anaſtaſius jam exſtinctus fuerit an. Diocletiani 320. Chriſti 604. Hunc Apozygarium eſſe cognominatum arbitror à loco quodam qui *Zyga* dice- C batur; quando apud Anaſtaſium Sinaïtam mentio fit Joannis Zygæ hæretici.

XLI. Theodorus *Scribo*.

Theodorus cognomento *Scribo*, Σκρίβων, qui S. Eulogio ſucceſſit dum Anaſtaſius Jacobitis ſuis præerat, ſolo nomine nobis compertus eſt ex laterculo Nicephori Conſtantinopolitani, tabulis Theophanis, Nicephoro Calliſto lib. 18. hiſt. cap. 56. Eutychii annalibus, apud quos omnes auctores epiſcopatu biennio functus dicitur. Inito igitur patri- D archatu anno 607. mortem obierit oportet anno 609. ut bene ſignificatur in chronico Alexandrino, ex quo diſcimus Theodorum fuiſſe ab adverſariis ſuis interfectum, quo anno Africa & Alexandria à Phoca Imperatore defecerunt: καὶ σφάζεται ὑπὸ ἐναντίων ὁ Πάπας Ἀλεξανδρείας.

XLII. Joannes *Eleemoſynarius*.

Andronicus *hæreticus*.

Theodoro Scriboni ſucceſſit *Joannes*, qui ab eximia erga pauperes caritate ἐλεήμων, E *miſericors* dictus eſt, vulgòque Latinis *Eleemoſynarius*. Cujus vitam Leontius Conſtantiæ in Cypro epiſcopus deſcripſit, ex relictis à Joanne Moſcho & Sophronio ſchedis, Anaſtaſius vero bibliothecarius Latinè convertit, & Nicolao papæ I. nuncupavit. Aliam non abſimilem, ſeu veterem illam Leontii Simeon Metaphraſtes ſuo more adornavit. Amathunte in Cypro Joannes natus erat, ex patre Epiphanio inſulæ rectore, cujus juſſioni A obtemperans, uxorem invitus duxit, qua ſine liberis defuncta, totum ſe egenis ſublevandis dedidit. Unde quum apud omnes celebratiſſimus eſſet, Alexandrina civitas hunc ab Imperatore paſtorem ſibi dari poſtulavit; atque reluctans licet epiſcopale onus ſubire coactus eſt. Fidei quæ ab hæreticis petebatur firmiſſimum ſe propugnatorem præbuit, ſimoniæ & pauperum calumniæ bellum perpetuum indixit, clericis & epiſcopis Ægypti ſumptus ad inopes alendos ſuppeditavit, imo Palæſtinos quos plus aliis Choſroes Perſarum B rex afflixerat, lautiſſime excepit, expenſas erogavit ad ſacra loca reſtituenda, aliaque ſexcenta miſericordiæ opera præſtantiſſima patravit, quibus non catholicorum modo, ſed & Jacobitarum hæreticorum corda ſibi conciliavit, qui nempe memoriam ejus Hagiologio ſuo inſerere non dubitarunt die 16. menſis Cohiac, ſeu 12. Decembris. Leontius vero diem ejus poſtremum fuiſſe ſcribit illum qui apud Alexandrinos S. Mennæ martyri ſacer erat, ac proinde 11. Novembris. Decem annos ſediſſe dicitur Nicephoro Con- C ſtantinopolitano, Theophani, Eutychio & Nicephoro Calliſto, ut proinde vivere deſierit anno 620. Heraclii Imp. 10. quo Perſæ Ægyptum occupaverunt. Horum enim impreſſionem veritus Cyprum petiit cum Niceta patricio, à quo rogatus ut Conſtantinopolim vaderet, in Rhodo inſula juſſus à Deo eſt in inſomnio in Cyprum regredi, ubi diem obiit in vico Aſutanata; unde corpus ejus Peſonium in Polonia tranſlatum eſt. Leontius in ejus vita tradit Joannem Heraclio agente, Alexandrinam ſedem capeſſiviſſe; D hæc proinde annum integrum ſine epiſcopo fuerit prorſus; quandoquidem Heraclius nonniſi anno 610. vergente imperio potitus eſt. Idque à vero prorſus non abhorret, propter iniquiſſima Phocæ tyranni tempora, quibus Alexandria & Africa adverſus eum rebellaverunt. Hoc vero conceſſo, non decem integros epiſcopatus annos inſumpſit, ſed novem dumtaxat.

Anaſtaſio Apozygario Jacobitarum Patriarcha defuncto ſuffectus eſt *Andronicus*, anno, ſecundum Aſchuminenſis & aliorum E chronologiam, Diocletiani 330. ſive Chriſti 614. cujus tempore accidiſſe ſcribunt illam de qua dictum eſt, Ægypti à Perſis vaſtationem, de quo fides ſit penes auctores. Hunc ex diacono eccleſiæ Angelii, quæ tunc Theodoſianorum primaria erat, patriarcham factum tradunt; quumque nobiliſſima proſapia ortus eſſet, conſanguineis ſuis Alexandriæ magiſtratum gerentibus, ab orthodoxis urbe pelli toto ſui epiſcopatus tempore non ANDRONICUS *Jacobita*.

Digitized by Google

potuiſſe. Eo ſedente Choſroen cognomento Previz, Perſarum regem, Ægyptum ingenti clade afflixiſſe ferunt, ſexcenta circa Alexandriam monaſteria deleviſſe, & monachos ſeptingentos, cum civium Alexandrinorum octoginta millibus trucidaſſe. Obiit anno 620. quum annos ſex ſediſſet.

XLIII. Georgius.

Joannes *hæreticus*.

Sanctiſſimo Joanni ab omnibus ſucceſſor datur *Georgius*, non ille adoleſcens, ὁ νέος, Joannis cognatus, uti putavit Baronius, nec enim tanto oneri ſuſtinendo par & idoneus erat. Ipſo tamen quo Eleemoſynarius obiit anno Georgium ei ſuffectum vix putaverim, ob nimiam Alexandrinarum rerum deſolationem. Ejus geſta nulla novimus, niſi quod S. Joannis Chryſoſtomi vitam conſcripſerit, ex dialogo Palladii defloratam, nonnulliſque fabulis intertextam, cujus Photius meminit in bibliotheca cod. 36. Huic Georgio Tabulæ Theophanis quatuordecim adminiſtrationis annos aſſignant, ut vivere deſierit an. 634. Ipſe vero Theophanes ad annum 20. Heraclii, qui ejuſdem à morte ſancti Joannis decimus fuit, & Chriſti 630. & Georgii exceſſum, & Cyri ſucceſſoris ejus promotionem refert. Nec certe Nicephorus in laterculo Patriarcharum Alexandrinorum plures quam decem annos Georgio tribuit. Non omittendus hîc Eutychius eſt, qui Georgium initio Califatus Omari conſtitutum eſſe patriarcham ſcripſit, & quatuor annos ſediſſe, audita autem Moſlemiorum è Palæſtina in Ægyptum profectione, conſcenſa navi in Palæſtinam ſeceſſiſſe, ac deinceps Alexandriam ſine patriarcha Melchita nonaginta-ſeptem annis manſiſſe. In quibus hic auctor vera falſis admiſcet, quæ nunc ſecernere non vacat, quem nec ſibi conſtare mox apparebit.

Joannes Jacobita.

Andronico Jacobitæ *Joannem* quemdam ſucceſſiſſe nulla Cophtitarum monumenta produnt, quem tamen Theodoſianorum Alexandrinorum antiſtitem hoc tempore fuiſſe reperio apud Anaſtaſium Sinaïtam cap. 15. τοῦ ὁδηγοῦ, quod nimirum inſcribitur, περὶ τῆς ἑορταστικῆς, μᾶλλον δὲ θρηνητικῆς ἕκτης ἐπιστολῆς τοῦ νῦν ἐπισκόπου τῶν Θεοδοσιανῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῆς πεμφθείσης ἐν Βαβυλῶνι, *De ſexta feſtali, ſeu flebili potius, epiſtola ejus qui nunc eſt Theodoſianorum epiſcopus, Babylonem miſſa.* Eodem rurſum Anaſtaſio teſte, quinque jam ſaltem annos egerat epiſcopatus. Ἰωάννης, inquit, ὁ ἐπίσκοπος Θεοδοσιανῶν πρὸ πεντε χρόνων εἰς τὰς δύο ἑορταστικὰς αὐτοῦ ἐξέθετο τὴν φωνὴν τὴν λέγουσαν, ὅτι πάντα τὰ ἐν τῷ Χριστῷ λεγόμενα, ταῦτα καὶ ἐπὶ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος λέγονται. *Joannes Theodoſianorum epiſcopus ante quinquennium in duabus feſtalibus epiſtolis vocem hanc effudit: omnia quæ de Chriſto dicuntur, dici etiam de Patre & Spiritu ſancto.* Atqui Theodoſianorum hic præſul Alexandrinorum Jacobitarum Patriarcha omnino erat, qui litteras feſtales ſeu Paſchales ſcriberet, de more veteri. Hic autem quo tempore in Ægypto diſputabat Anaſtaſius, quinque epiſcopatus annos egerat, ſexto jam incœpto, quo feſtalem epiſtolam ſextam Babylonem ad ſuos miſit. Ex antedictis ſatis conſtat, nec probatione hoc indiget, Jacobitarum Alexandrinorum Patriarchalem ſedem penes ſolos Theodoſianos perſeveraſſe, qui & Theodoſianorum nomen retinuerunt, quamdiu Gaïanitarum ſecta perſeveravit. Quocirca Chaïl Jacobitarum patriarcha, quem XLVI. numerant, conſenſionem circa eccleſias cum Melchitis initam, ad hunc modum inſcripſit: *Chaïl, per gratiam Dei, epiſcopus urbis Alexandriæ, & populus Theodoſianus dominis Imperatoribus circa eccleſiam S. Mennæ in Maræotide.*

XLIV. Cyrus *Monotheleta.*

XLV. Petrus *Monotheleta.*

Benjamin *Jacobita.*

Eutychius poſt Georgii quam dixerat, fugam *Cyrum patriarcham Alexandrinum eſſe conſtitutum* ait, *qui Maronita fuit* ſive Monotheleta, *ejuſdemque ac Heraclius Imp. religionis.* Theophanes vero inquit, *Georgio Alexandriæ epiſcopo è vivis erepto,* Γεωργίου Ἀλεξανδρείας τελευτήσαντος, *Cyrus Alexandriæ creatus epiſcopus illuc mittitur,* ἀποστέλλεται Κῦρος ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας. Heraclius nimirum Imperator, habito cum Athanaſio Jacobitarum Orientis Patriarcha colloquio, quum ab eo audiiſſet, eccleſiam Jacobiticam facile uniri poſſe cum catholica, admiſſa etiam ſynodo Chalcedonenſi, ſi utraque unam in Domino Jeſu voluntatem & operationem confitendas conſentirent, acceſſiit Cyrum Phaſidis epiſcopum, quumque hunc pro ea ſententia ſtare reperiſſet, eum Alexandriæ epiſcopum deſignavit, ſperans fore ut ille diſſidentes Ægypti eccleſias reconciliaret. Qui Alexandriam profectus, ſumpto ſecum Theodoro epiſcopo Pharam, inſulſam illam unionem commentus eſt, habita ſynodo anno 633. in qua novem capitulis ſeu anathematiſmis, bella illa doctrina ſancita fuit. His definitionibus Sophronius monachus, qui Alexandriæ agebat, totis viribus repugnavit; vehementiùs vero obſtitit, ubi Hieroſolymitanæ eccleſiæ ſolium conſcendit. Riſerunt interim Jacobitæ & Theodoſiani, quos Cyrus ad ſe reverſos paſſim jactabat, palamque dictitabant, ſe non cum Chalcedone, ſed ſecum Chalcedonem communicare

Digitized by Google

communicare, unaque admiſſa operatione, unam quoque Chriſti naturam prædicare. Sophronius vero Hieroſolymitanus cum ſua ſynodo Monotheleticum hoc dogma confixit: cujus litteris utinam aſſenſus eſſet Honorius Papa potius quam Sergii Conſtantinopolitani; cui hæreſis fautori præcipuo hoc annuit, ne duæ in Chriſto actiones & voluntates dicerentur, una vero etiam taceretur: quin & lecta Sophronii epiſtola ſynodica, quæ catholicorum ſenſuum confertiſſima erat, apertiſque ſanctorum Patrum teſtimoniis munitiſſima, legatos tamen illius, à quibus negotii ſtatum omnem audiverat, non ante dimiſit, quam polliciti eſſent, nec unam, nec duas operationes voluntateſve in Palæſtinæ eccleſiis confitendas, aſſerens idem Alexandriæ à Cyro præſtandum. Hæc Honorius ſuis rurſum litteris ſignificare non dubitavit Sergio Conſtantinopolitano, quo conſulente Heraclius Imper. edicto ſanxit, quod *Ecthesim* appellavit, ne una vel duæ operationes dicerentur. Cyrus vero Alexandriæ quietus agebat, capitulis ſuis minime retractatis. Qui Saracenis in Ægyptum invadere paratis, habito cum Mariano Cubicu- C lario, qui exercitus dux deſignatus erat, conſilio, Imperatori perſuadere conatus eſt, uti cum illorum principe Omaro de tributi cujuſdam penſitatione paciſceretur, Eudociam Auguſtam, aut filiarum ſuarum quampiam barbaro deſponderet: hoc pacto hominem haud dubie Chriſtianum futurum. Cyrum quippe Omarus ejuſque milites impenſe amare ferebantur. Hæc tamen Heraclio non arriſerunt; ſed & Mariano à Saracenis devicto, Cyrus Conſtantinopolim accitus, proditæ Ægypti accuſatus fuit, quod ille D crimen ſic diluere conatus eſt, ut accuſatores ipſe ſuos in jus vocaret. Verum Heraclius illum gentilem Deique hoſtem appellare non dubitavit, qui adverſus Chriſtianos conſpiraſſet, dediſſetque impium de Auguſti filia Saraceno deſpondenda conſilium. Mortem illi comminatur Imperator, eumque urbis Præfecto torquendum tradit. Quæ Pyrrho Conſtantinopolitanum epiſcopatum gerente contigiſſe fert Nicephorus ipſe Conſtantinopolitanus in hiſtoria. Theophanes Cyrum ab Heraclio in Ægyptum remiſſum ſcribit, ut E Saracenos ea cedere ſuaderet. Nicephorus vero Cyrum, non-niſi Heraclio, imo Conſtantino ejus filio Imperatoribus defunctis Alexandrinam ſedem ab Heraclio juniore repetere permiſſum affert, adeoque anno 641. quo ipſo Alexandriam Saraceni obſederunt, quæ poſt quatuordecim menſes expugnata fuit. Cyro Tabulæ Theophanis, Nicephori laterculus, aliique auctores, decem

epiſcopatus annos attribuunt, ut tamen poſt A Georgium Alexandrina ſedes aliquamdiu vacaverit, donec Cyrus ab Heraclio qui contra Perſas pergebat, eam in urbem miſſus eſſet, quo factum ſit, ut circa annum 642. diem obierit.

Eutychius Alexandrinus *Petri* qui Cyro ſuffectus fuit, annum primum fuiſſe ait Othmani Califæ quartum, hoc eſt 647. vel 648. *Anno quarto Califatus ejuſdem*, inquit, *creatus eſt Petrus patriarcha Alexandrinus, Maronita: quum annos novem ſediſſet, defunctus eſt.* Petri vero pontificatus primor- B dia doctiſſimus Antonius Pagi melius retrahit ad annum 643. quo Cyrum obiiſſe cenſet. Recte porro Eutychius Petrum fuiſſe *Maronitam* dixit, qua vulgo appellatione Orientales Monotheletam ſignificarunt; ac certe immeritò à quibuſdam orthodoxus cenſetur, quando à S. Martino Papa & ſynodo Lateranenſi rejectus fuit tamquam hæreſis hujus propugnator, una cum Macedonio Antiocheno. *Macedonium*, ait Pontifex in epiſtola ad Joannem Philadelphiæ, *catholica eccleſia nullo modo novit, non ſolum quod is præter canones in aliena regione, ſine conſenſu, & abſque ullo decreto hanc ſibi appellationem uſurpavit; ſed & quod conſentiat hæreticis, qui hæreſis ſuæ appendicem, electionem ejus per contemptum tumultuariè fecerunt, quemadmodum & Petri, qui ab aliis nominatus, effectuſque eſt epiſcopus Alexandriæ, ut per plures & adſcriptitias perſonas hæreſim ſuam munitiorem reddant.* Quibus ſignificatur, uti Macedonium ab Antiochenis qui hæreſim omnibus viribus adſtruebant, ita & Petrum ab Alexandrinis itidem hæreticis factum epiſcopum. Novem ei, ut vidimus, epiſcopatus annos attribuit Eutychius, decem vero Tabulæ Theophanis & Nicephori laterculus; at certe quum Petrus ſtatim Saracenis Ægypto potitis, inde receſſiſſet Conſtantinopolim verſus, ipſe tamen in vivis omnino non ſupererat anno 655. quo Conſtans Imperator ſynodum haberi voluit ad catholicum dogma de Domini operationibus & voluntatibus duabus proſcribendum. In hac quippe ſynodo cum Petro Conſtantinopolitano & Macedonio Antiocheno patriarchis ſedebat *Theodorus Alexandriæ vicarius*, Macario Antiocheno teſte in expoſitione fidei quam act. 8. ſextæ ſynodi coram patribus pronuntiavit, καὶ ὁ τοποτηρητὴς Ἀλεξανδρείας Θεόδωρος. Deinceps vero quum Jacobitæ ſeſe Byzantinorum odio, Saracenis dediſſent, ab illiſque viciſſim eccleſias omnes Alexandriæ & Ægypti recepiſſent, totos fere octoginta annos nullus Alexandriæ patriarcha extitit Melchitarum, ſeu qui Chalcedonenſem ſynodum utcum-

PETRUS.

que admitterent, ſed horum epiſcopi à Tyri metropolita, Eutychio teſte, ordinabantur: quum nempe Syria & Phœnicia perinde atque Alexandrini Monotheletica labe laborarent.

BENJAMIN *Jacobita.*

Quo tempore Cyrus Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopatu fungebatur, Jacobitarum, ſeu Theodoſianorum Patriarcha *Benjamin* erat, Joannis proinde circa annum ſaltem 625. ſucceſſor. Illius quoque meminit Sophronius in epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum. *Induantur cum eis*, ait, *& circumveſtiantur anathemate & catathemate*, καὶ Βενιαμὶν ὁ Ἀλεξανδρεὺς, *& Benjamin Alexandrinus, & Joannes, Sergius, Thomas & Severus Syri, qui vitam adhuc vivunt execrabilem, & crudeliter pietatem expugnant.* Addit & Mennam Alexandrinum Gaïanitarum hæreſis propugnatorem & protectorem, καὶ Μηνᾶς ὁ Ἀλεξανδρεὺς ὁ τῆς τῶν Γαϊανιτῶν προμαχῶν καὶ προασπίζων αἱρέσεως, quem conjicere licet horum ſectariorum epiſcopum fuiſſe. Atqui Benjamin parentibus divitibus natum ferunt, in cœnobio vero *Dirkirios* monaſticam vitam egiſſe, dein Patriarcham renuntiatum, imperante Romanis Heraclio. Quum vero Cyrus tunc Alexandrinam ſedem teneret, Benjamin urbe exire coactus, in variis Ægypti & Thebaïdis locis totos fere decem annos egit. Alexandria à Mohammedanis demum capta anno circiter Martyrum 360. Chriſti 643. vel 644. quum Patriarcha qui ab Heraclio miſſus pontificalem dignitatem, unàque præfecturam obtinebat, veneno, ut Cophtitæ narrant, vitam finiſſet, Amras filius Alhaſi Saracenorum dux, hujuſmodi litteras ſecuritatis dedit: *Omnis locus in quo erit Benjamin Patriarcha Chriſtianorum Cophtitarum, plenam habeat ſecuritatem, pacem & ſedem à Deo: veniat ipſe ſecurè & tutò, reſque eccleſiæ ſuæ & populi ſui liberè adminiſtret.* Quocirca eccleſias omnes quas ſub Romanis principibus Melchitæ occupaverant, Jacobitis tradi juſſit. Tunc porro temporis Ægyptii in factiones duas diviſi, qui Græcæ originis erant, præcipua militiæ, forique munia obeuntes Melchitarum religionem ſequebantur, nativi autem Ægyptii, qui Cophtitæ dicti ſunt, Jacobiticam. Quum autem Græci Saracenis totis viribus reſtitiſſent, Cophtitæ ſeſe illis dediderunt, pacis conditionibus ab Omaro Califa acceptis, à quo Benjamin Alexandriam regreſſus benigne acceptus eſt. Quocirca ejus ille ſubinde opera uſus eſt uti Libyam Pentapolim imperio ſuo ſubjiceret. Obiiſſe dicitur 8. Tybi ſeu 13. Januarii, qua memoria ejus recolitur à Jacobitis. Sediſſe vero fertur ab Severo Aſchuminenſi, Macriſio & aliis annos 39. vel ut Canon Abulbircat, annos 38. menſes 10. Quod idem Abulbircat ait eum fato functum A eſſe anno Martyrum 364. ſive Chriſti 648. ſtare nequit, alioqui ſedere cœpiſſet anno 325. & Chriſti 610. Melius itaque cum Elmakino aliiſque dicendum, eum interiiſſe anno 660. vel 661. in quibus ſex ſaltem anni numerandi veniunt, quibus deceſſorem ejus Joannem ſediſſe oſtendimus. In fine epiſtolæ S. Joannis Damaſceni de ſacris imaginibus excerptum exſtat ex ejuſdem Benjamini oratione *trigeſima quinta feſtali*, τοῦ αὐτοῦ ἑορταστικῷ τριακοστῷ πέμπτῳ. Ejus tempore in Æthiopia claruit inſignis monachus Teo- B laximanoth.

AGATHO *hæreticus.*

Poſt Benjamin abſque ulla vel triennii, vel unius anni, vel ſeſqui-anni vacatione electus à Jacobitis patriarcha fuit *Agatho* preſbyter, illiuſque diſcipulus, qui multum ſub Heraclio pro Jacobitica ſecta fovenda propagandaque laboraverat. In continendis ſubinde & revocandis Gaïanitis, & Barſanuphianis admodum inſudaſſe fertur, multaſque injurias patienter toleraſſe à Theodoſio C Melchita, cujus maxima auctoritas erat apud Yezid Califam Moaviæ filium: longa demum ægritudine abſumptus periit peracto 19. epiſcopatus anno, menſis Paophi die 19. ſive Octobris 16. quamquam Wanſlebio 18. annos & ſeptem menſes ſedit. Ejus obitum Elmakinus accidiſſe refert anno Hegiræ 58. Chriſti 677. Macriſius vero Hegiræ 56. ſexdecim ei dumtaxat pontificatus annos aſſignans.

JOANNES SEMNUDÆUS.

D Agathonem excepit *Joannes Semnudæus*, ſeu de civitate quæ *Sebennytos* olim dicebatur, in Ægypto inferiori, ſacerdos & archimandrita, quem ille ſibi ſucceſſorem dari poſtulaverat. Omitto injurias quas ei à Theophane quodam Melchita irrogatas Cophtitæ narrant. Eximiam ejus in pauperes beneficentiam celebrant, & eccleſiam S. Marci quam Perſæ pridem diruerant, ab eo inſtauratam ferunt: hæc proinde alia erat ab eccleſia majore S. Marci, quæ *Kamſcia* dicebatur, quam Iſaac Joannis ſucceſſor vetuſtate E collapſam reſtituit. Quamquam fatendum Jacobitas ſcriptores poſterioris ætatis non ſibi ſemper conſtare, ubi res anterioris ævi recitant. Alexandriæ Joannes obiit die 1. menſis Cohiac ſeu 27. Novembris, anno Hegiræ 67. J. C. 686. quum annos novem ſediſſet, ſepultuſque eſt in eccleſia S. Marci.

Hujus Joannis Semnudæi tempore anno 680. Conſtantinopoli celebrata eſt ſexta ſynodus generalis, in qua Monotheletarum dogma

Digitized by Google

hæreticum proſcriptum eſt. Aderat nomine *catholicæ eccleſiæ Alexandrinæ* Petrus preſbyter, qui cunctis ejus definitionibus ſubſcripſit, Πέτρος πρεσβύτερος, καὶ τοποτηρητὴς τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τῆς Ἀλεξανδρείας μεγαλοπόλεως, *Petrus preſbyter & locum tenens apoſtolicæ ſedis Alexandriæ magnæ civitatis.* Unde colligo Melchitas Alexandrinos ab hinc ejurare cœpiſſe Monotheleticum virus, quo à Cyro Patriarcha quondam ſuo imbuti erant.

ISAAC.

Poſt Joannis Semnudæi obitum convenientes epiſcopi cum Alexandrinis preſbyteris & laïcorum primoribus, conſenſerunt electioni *Georgii* diaconi eccleſiæ Saca, urbis ſcilicet epiſcopalis, cujus vetus nomen fuerat Ξοΐς. Hunc quum abſque aſſenſu Abdel-Azizi præfecti Ægypti jam ordinaturi eſſent, Marcus archidiaconus negavit moris eſſe, epiſcopum niſi die Dominico conſecrari. Præfectus vero Georgium & eos à quibus electus erat, venire Miſram juſſit, quibus variis modis comprobatum fuit Georgium non eſſe illum quem Joannes ſucceſſorem ſuum deſignaverat, ſed *Iſaacum*, quem præfectus confeſtim ordinari juſſit. Ex qua rurſum narratione hoc innuitur, Ægyptios conſueſſe illos ſibi epiſcopos præſtituere, quos ipſorum deceſſores indicaſſent, contra atque aliarum eccleſiarum canonibus ferebatur, quibus cavebatur ne quis epiſcopus de ſucceſſore ſuo ſe ſollicitum præberet. Alias vidimus Athanaſium magnum ab Alexandro indicatum qui ipſi ſufficeretur, Achillam item & Alexandrum à ſancto martyre Petro. Iſaac Alexandriam ductus, cunctis ſuffragantibus, ordinatus fuit. Poſt vero apud Emirum præfectumve delatus fuit, ceu litteras ad reges Nubiæ & Æthiopiæ dediſſet, quibus eos ad mutuam concordiam adhortabatur. Ex quo apparet Nubios illius jam tempore, quo nullos à Melchitis epiſcopos accipiebant, ſuppreſſo eorum patriarchatu Alexandrino, Jacobiticæ eccleſiæ ſeſe dediſſe, quemadmodum & aliis per Ægyptum orthodoxis factum eſt, ob catholicorum epiſcoporum penuriam. Annos duos ſedit Iſaac, menſes novem, Severo teſte: Macriſio, annos duos, & menſes undecim; Elmakinus eum obiiſſe refert anno 69. Hegiræ ſeu Chriſti 688. vel 689.

SIMON.

Iſaac defuncto, magna inter preſbyteros eccleſiarum S. Marci, & Angelii de ſucceſſore ejus eligendo contentio fuit, aliis Joannem Abbatem monaſterii *Elzejage* ſeu montis *Narron* aut *Nitriæ*; aliis Victorem cœnobii alterius præpoſitum, eligentibus. Re ad Abdel-

Azizum præfectum delata; omiſſis Joanne A & Victore, *Simon* quidam genere Syrus, qui in monaſterio agebat, in quo Severi Antiocheni loculus ſervabatur, epiſcopo quopiam indicante, juſſus eſt ordinari, quod magna omnium lætitia in eccleſia Angelii præſtitum fuit. Synodum habuiſſe dicitur epiſcoporum ſexaginta quatuor, eique è Melchitis aliquot interfuiſſe, quos Severus Aſchuminenſis Theophyletianos vocat, à Theophylacto neſcio quo ipſorum epiſcopo: quin etiam Gaïanitas, ac Theodorum Barſanuphianorum præſulem. In illo concilio agebatur B de quibuſdam Chriſtianis, qui legitimis uxoribus ſuis nulla cauſa dimiſſis, alias ducebant. Propter Theophyletianos illos, quorum meminit Severus, illorumque epiſcopum quem Theophylactum nominat, corrupto forſan utroque vocabulo, in mentem venit oratio ſingularis & pia prorſus, quæ inſcribitur *Theophili Alexandrini epiſcopi, cui hominis vita ſimilis eſt!* Hanc ſi Theophili cujuſdam ſit, illius eſſe conjecero, quem Aſchuminenſis *Theophylactum* appellat. Ac certè Theophilus Alexandrinus hujus ſermonis C auctor, non ille eſt priſcus Alexandriæ pontifex qui, ſæculo quinto vertente, ſedebat, ſed recentior alter, qui ſub Saracenorum tyrannide gemebat. Id quod ipſe hiſce verbis indicare non dubitavit, ἀφ' οὗ καὶ ἐπῆλθεν ἡμῖν ὁ βαρὺς ζυγὸς τῶν Ἰσμαηλιτῶν, *ex quo tempore nobis incubuit Iſmaëlitarum jugum.* Porro Theophilum hactenus nullum reperi patriarcham Alexandrinum expugnata à Saracenis Ægypto recentiorem. Unde Theophilum hunc Alexandrinam eccleſiam Melchiticam hujus urbis adminiſtraſſe dixero, non ita D pridem à Saracenici imperii initio, & quando Melchitæ Alexandrini archiepiſcopo proprio carebant. Verum in iis conjecturis vix eſt ut immoremur, quum prædictam orationem non Theophili, ſed Chriſtophori patriarchæ Alexandrini, qui eam ſedem nono ſæculo tenebat, ex Mſſ. codd. qui nomen ejus præferunt, pene conſtare videatur, ut ſuo loco dicemus. Simonis Jacobitarum patriarchæ tempore contigit, ut ex India, ſive ut alibi explicatum eſt, ex Homeritarum regione, legati de more veteri, epiſcopum petituri venerint. Quod quum inſcio Abdel-E Azizo præfecto patriarcha fieri poſſe negaſſet, *Theodorus* Gaïanitarum antiſtes, quemdam eis ex Maræotide epiſcopum ordinavit, quem quum in patriam ducerent, à Muſulmanis capti, in Ægyptum repedare coacti ſunt, ubi ſacerdos Indorum legatus carceri quidem traditus fuit, Theodorus vero ſuffixus cruci, tribus aliis manus & pedes amputati. Sub hoc Simone inſtaurata communio fuit

Theophilus Alexandrinus Melchita.

Theodorus Gaïanita.

Digitized by Google

Jacobitas inter Antiochenos & Alexandrinos, Juliano patriarchatum apud Orientales A gerente, quem jam pridem inierat, quo tempore Joannes Semnudæus Alexandrinis præerat. Obiit Simon, ſecundum Aſchumimenſis, Macriſii quoque & Abulbircat Chronologiam, anno Martyrum 416. ſive Chriſti 700. menſis Abib, vel Epiphi die 24. ſive Junii 18. quum ſediſſet annos 7. & menſes ſex. Qui calculi nulla ratione cohærent cum iis quæ ſinguli de deceſſoribus ejus ſcripſerunt; hinc apertiſſime evincitur obſcuriſſima eſſe horum Patriarcharum tempora, nec accuratè ſatis à Cophtitis auctoribus tra- B dita.

Nullus tunc Melchitarum patriarcha.

Quo tempore Abdel-Azizus Ægyptum adminiſtrabat, ejus Cubicularii duo Melchitæ erant, qui, annuente ſibi præfecto, Helüanæ parvam eccleſiam in honorem S. Joannis-Baptiſtæ exſtruxerunt, quæque *duorum cubiculariorum* nomen diu retinuit. Tunc nullus adhuc Alexandriæ Patriarcha Melchitarum erat, quod ex Theophane & Eutychio certiſſimè conſtat, quamlibet ſynodi Trullanæ ſeu Quiniſextæ canonibus anno 691. ſubſcriptus legatur Πέτρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Ἀλε- C ξανδρείας μεγαλοπόλεως, *Petrus indignus epiſcopus Alexandriæ magnæ civitatis.* Qui profecto Petrus idem ipſe eſt qui ejuſdem ſedis vices geſſerat anno 680. in ſexta ſynodo generali.

ALEXANDER.

Jacobitæ ſcriptores Alexandrinam ſedem ſuam per triennium ab obitu Simonis vacaſſe ferunt, Gregorio epiſcopo Kis eam interim adminiſtrante, ac tandem electum eſſe *Alexandrum,* monaſterii Elzegiage ſeu montis Nitriæ alumnum, quem ordinaverunt anno D 420. ipſo die feſto S. Marci, ſeu Chriſtianæ æræ anno 704. Verum Hegiræ Mohammedanæ annus 81. quo Elmakinus eum fuiſſe creatum refert, eſt Chriſti 700. Idem auctor anno Hegiræ 108. Chriſti 726. Alexandri obitum aſſignat, quem tamen ſupra viginti-quatuor annos ſediſſe aſſerit, ut vita functus ſit anno 724. vel 725. ſi anno 700. epiſcopatum auſpicatus fuit. Canon chronologicus Abulbircat illum interiiſſe prodit anno Martyrum 430. Chriſti 714. toto decennio ab aliis diſcrepare pergens. Quæ ſententiarum E diverſitas, turbatæ Cophtitarum chronologiæ novum eſt argumentum. Sub hoc Alexandro Jacobitæ à Mohammedanis graviſſimas perſequutiones perpeſſi ſunt, eorumque Patriarcha ad eam inopiam redactus fuit, ut pro calicibus aureis & argenteis vitreos ad Euchariſtiæ ſacrificium adhiberet. Cæterum quum diœceſim luſtraret in parochia Sa, ſeu Saïs, Gonatas, Agnoëtaſve, necnon Semidalitas hæreticos ad eccleſiam ſuam revocavit, quos denuò baptizavit. Quia nimirum, quum nullos preſbyteros & epiſcopos haberent, baptiſmus eorum minime probabatur, qui à laïcis datus eſſet; unde ſatius ducebant illis baptiſmum tacita conditione iterare, quam homines ſalutis periculo committere. Barſanuphianos quoque in parœcia Menæ, ſuæ communioni reſtituit, quin etiam Gaïanitas de valle Habib, & quotquot reperit in urbibus *Buſir, Panos, Semnud, Reſcid & Damiata.* Alexandri tempore Julianus ille Antiochenus, de quo dictum eſt, fatis conceſſit, & Valid Caliſa prohibente ne alter ejus loco patriarcha eligeretur, Severiani ſeu Jacobitæ Orientis Eliæ cuidam epiſcopo diœceſis ſuæ curam impoſuerunt, qui mox ſynodicas litteras ad Alexandrinum miſit; quæ tamen admiſſæ non ſunt, quod Elias ab altera ſede ad Antiochenam tranſiiſſe putaretur. Canones enim quibus ejuſmodi tranſlationes ab initio eccleſiæ vetitæ erant, ſanctè ſemper apud utriuſque tractûs Jacobitas obſervati ſunt. Poſthac Elia mortuo, Hiſcham Caliſa concedente, Syri Athanaſium patriarcham ſibi præſtituerunt, qui ſynodicam de more Alexandro miſit. Sedit porro Alexander, ejus vitæ auctore teſte, quem Severus excipiebat, annos 24. & menſes 6. quod etiam habet Macriſius: at canon chronologicus Abulbircat novem menſes ſupra viginti-quatuor numerat, cui favet calendarium Cophtitarum, in quo Alexandri hujus commemoratio notatur die 9. Tybi, ſeu 4. Januarii. Quum enim in feſto ſancti Marci ordinatus eſſet, nono proinde menſe interiit, poſt vigeſimum-quartum epiſcopatus ſui annum. Hunc miraculis claruiſſe fingunt. Nugari quoque mihi videntur Jacobitæ ſcriptores, inprimiſque Severus Aſchuminenſis, qui ferunt ſub Alexandro Melchitas, mille aureis Emiro ſeu præfecto Ægypti ſolutis ab Athanaſio ſcriba, medicum quemdam *Onos*... (integrum nomen doctiſſimus Renaudotius in ſuo codice non habuit) quod faciem aſini ſignificat, Patriarcham creaſſe; adverſus quem Jacobitica plebs infremuit: eum vero ad Alexandrum veniſſe, & Jacobitarum fidem profeſſum eſſe.

COSMAS.

Alexandro ſucceſſor invitus & reluctans datus eſt *Coſmas* Panopoli oriundus monachus ſancti Macarii; qui menſibus dumtaxat quindecim ſedit, vivereque deſiit ultima die menſis Payni, quæ 24. eſt Junii, anno ſecundum Elmakini annales, Hegiræ 109. ſive Chriſti 727.

Digitized by Google

THEODORUS.
XLVI. COSMAS *catholicus.*
CHAIL *Jacobita.*

Poſt Coſmam Jacobitarum Patriarcha fuit *Theodorus*, quem de monaſterio quodam Maræotidis prope Themmiam aſſumpſerunt: cujus tempore eccleſia illorum tranquilla fuit. Obiit quum ſediſſet annos 11. & menſes 6. die ſeptima Mechir, ſeu 1. Februarii, anno Hegiræ 120. Chriſti 738. ordinatus quippe fuit menſe Junio, anno Chriſti 727. Abulbircat in canone hunc ordinatum fert menſe Abib, ſeu Epiphi, qui incipit 27. Junii, an. Martyrum 432. Chr. 716. mortuum vero 7. Mechir an. 447. Ch. 728. continuato calculorum ſuorum errore, qui decennio aliorum ſupputationibus anteriores ſunt.

COSMAS *catholicus.* Quo tempore hæreticis illis Theodorus præerat, anno Califæ Hiſcham ſeptimo, ſecundum Macriſium & Eutychium, vel tertio, ut in hoc ſcriptore Elmakinus legebat, hoc eſt, pro lectionum diſcrepantia, Hegiræ 108. Chr. 727. vel Hegiræ 111. Chr. 729. *Conſtitutus eſt Coſmas Patriarcha,* (Melchitarum) *qui annos ſedit viginti-octo, dein mortuus eſt.* Hunc Catholici tandem Alexandrini obtinuerunt poſt longiſſimam eccleſiæ ſuæ viduitatem, quod etiam ultimo anno ejuſdem Califæ Hiſcham Antiochenis conceſſum tradit Theophanes ad annum 2. Conſtantini Copronymi. *Orabant,* inquit idem Eutychius, *Chriſtiani Melchitæ Alexandriæ ſolennes preces in eccleſia S. Sabæ, quum Jacobitæ jam omnes eccleſias occupaſſent. Coſmas autem qui Patriarcha conſtitutus eſt, idiota fuit, qui nec legere poſſet, nec ſcribere, quum illi ars eſſet acus conficere. Huic quum Damaſcum ad Hiſcham filium Abdelmelic profectus eſſet, conceſſæ ſunt ope quorumdam qui in aulico miniſterio ab actis & epiſtolis erant, eccleſiæ quas occupaverant Jacobitæ, ſcripſitque Hiſcham ad præfectum Ægypti ſuum, qui fuit Abdalla filius Gihani Sabienſis, ut eccleſias quæ in manu Jacobitarum erant, repetitas Coſmæ Patriarchæ traderet, & quodcumque earum nomine comprehenderetur. Accepit ergo Coſmas à Jacobitis eccleſias, atque inter cæteras eccleſiam Kaiſareæ. Si quidem ab eo tempore quo Georgius Patriarcha Alexandriæ Conſtantinopolim fugit anno 3. Califatus Omari filii Elkhabi donec conſtitueretur Coſmas Alexandriæ Patriarcha anno 7. Hiſcham, fuit cathedra Alexandrina ſine Patriarcha ſpatio annorum nonaginta-ſeptem.* Huc uſque Eutychius qui, ut alibi obſervatum eſt, pro *Georgio Patriarcha*, meliùs potuiſſet *Petrum qui Conſtantinopolim fugit:* verum duos Georgii ſucceſſores Cyrum ac Petrum pro genuinis Melchitarum Patriarchis idcirco non habuit, quod in Monotheliſmum impegiſſent: porro non abſurdè adeo Eutychius nonaginta-
A ſeptem annos numeravit ab eo tempore quo Georgius Arabum metu in Palæſtinam ſeceſſit, uſque ad Coſmam Patriarcham, ſive annum Chriſti 726. vel 729. Alio rurſum in loco diximus præcipuam Alexandriæ eccleſiam fuiſſe illam quæ *Cæſarea* vocabatur, quæ proinde Melchitis, Hiſchamo jubente, reddita eſt: quinimo Elmakinus conceſſam quoque illis fatetur eccleſiam *Angelii*, quam à Theodoſianis ædificatam diximus, ubi S. Marcus martyrium olim obierat. Eutychius pergit deſcribens ſtatum eccleſiæ ſuæ Melchiticæ,
B quæ toto illo quod Coſmæ ordinationem præceſſit tempore admodum imminuta erat. Nubios quum nullus eſſet Alexandriæ patriarcha, niſi Jacobiticæ ſectæ, Jacobitarum opinionem amplexos eſſe, & ab eis epiſcopos accepiſſe. Solam Melchitis ſuperfuiſſe Alexandriæ ſancti Michaëlis eccleſiam in qua orarent, in *Caſſer Elehema,* ſive *arce candelarum* aut luminum; eoſque quum moreretur ipſis epiſcopus, ad Tyri epiſcopum miſiſſe, qui ipſis epiſcopos ordinabat. Hæc Eutychius, qui Coſmæ idiotæ viginti-octo epi-
C ſcopatus annos, ut prædictum eſt, attribuit, ut ille vivere deſierit anno 754. vel 757. ſi anno 3. vel 7. Hiſcham creatus fuerit. Eum vero in vivis fuiſſe anno 764. conſtat ex Theophane ad annum 25. Copronymi, quo Theodorum Antiochiæ, Theodorum itidem Hieroſolymitanum, & Coſmam Alexandriæ patriarchas, unumquemque cum ſuffraganeis ſuis in ſua eccleſia, die ſanctæ Pentecoſtes, ſacro evangelio lecto concordibus animis & vocibus anathema dixiſſe refert Coſmæ epiſcopo Epiphaniæ Syriæ, qui, recta fide
D deſerta, ad Conſtantini Imperatoris adverſus ſacras imagines hæreſim transfugerat. Theodorus ille Hieroſolymitanus ſynodicam ad eumdem Coſmam, ut & ad Theodorum Antiochenum miſit, qua fidem catholicam profitebatur, & Iconomachorum impietatem perſtringebat; quam epiſtolam, quæ lecta eſt act. 3. ſynodi ſeptimæ, Coſmas Alexandrinus & Theodorus Antiochenus, uterque cum ſuis ſynodis approbaverunt, Romamque ad Paulum Papam tranſmiſerunt. Quod Hadrianus papa I. epiſtola ſua ad Carolum-Magnum
E pro Nicæna ſynodo II. teſtatur. *Iſte Theodorus Patriarcha Hieroſolymorum,* inquit, *cum cæteris præcipuis Patriarchis, videlicet Coſma Alexandriæ, & Theodoro alio Antiochiæ, dudum prædeceſſori noſtro ſanctæ recordationis quondam Paulo Papæ miſerat propriam rectæ fidei ſynodicam; in qua & de ſacratiſſimis imaginibus ſubtili narratione, qualiter una cum noſtra ſancta catholica & apoſtolica univerſali Romana eccleſia, & ipſi cæteri Orientales*

Digitized by Google

epiſcopi, & populus chriſtianus ſentiunt, & in earumdem ſanctarum imaginum veneratione ſincero mentis affectu ferventes in fide exiſtunt, ſtuduerunt intimandum. Plane enimvero Pauli Papæ I. qui anno 767. decimo ſui pontificatus diem obiit, epiſtola ſeptima Pipino regi data eſt, qua monachum ei à Coſma Patriarcha Alexandrino miſſum commendabat. Mox ſubdit Hadrianus, Stephanum Pauli proximum ſucceſſorem, epiſtolam illam Latine interpretatam in ſuo concilio, quod ipſe pro ſacris imaginibus una cum diverſis epiſcopis Franciæ & Italiæ fecit, ſuſcepiſſe & relegiſſe; ut non-niſi poſt Pauli obitum Romam allata fuerit, adeoque poſt annum 766. quo proinde Coſmas ſedebat adhuc. Quin & doctiſſimus Pagius ad 780. num. 13. hunc nonniſi anno 775. vita functum eſſe conjicit, ubi Athanaſium juniorem ei ſuffectum contendit, auctorem ſcilicet hiſtoriæ imaginis Chriſti crucifixi Berytenſis, quam Judæi perfodiſſe narrantur. Verum Athanaſium hunc Alexandrinum Eutychius ipſe Alexandrinus neſcivit, nec uſquam niſi in hiſtoriæ hujus inſcriptione reperitur, ut à multis olim errore altero magni Athanaſii, ac non junioris cujuſdam cenſita ſit. Theophanes ad an. 2. Conſtantini Copronymi ſcripſit Coſmam epiſcopatus ſui initio Monotheleticæ hæreſi deditum fuiſſe, quin & Alexandrinam omnem eccleſiam, quam illo anno ejuraverint. *Eodem etiam anno*, inquit, *Coſmas Alexandriæ Patriarcha cum ipſa civitate, Monotheletarum pravitate quæ eam obtinebat, à Cyri temporibus, qui ſub Heraclio vixit, abjurata, & errore cognito ad eccleſiam rediit.* Quæ non ſatis quadrare videntur cum actis ſynodi ſextæ generalis, in qua Monotheletarum hæreſis proſcripta fuit, conſentiente & ſubſcribente Petro Alexandrinæ ſedis vicario. Quamquam fatendum illomet tempore ſextæ ſynodi generalis, Harmaſium neſcio quem, hæreſim hanc Alexandriæ docuiſſe & propugnaſſe, cujus diſcipuli *Harmaſitæ* audierunt, quin nec Monotheletas ibidem defuiſſe uſque ad decimitertii ſæculi ſaltem initia. Sed Theophanis narrationi illud favere videtur, quod ex Eutychio modò dicebam, Melchitas Alexandrinos poſt Petri Monotheletæ Patriarchæ diſceſſum vel obitum, epiſcopos ſuos ad metropolitam Tyri ordinandos miſiſſe; quando nimirum Monotheletica hæreſis in Syria & Phœnicia præſertim perſeverabat. Alioqui faciliori negotio, ac breviori itinere per orthodoxos Palæſtinæ epiſcopos votorum compotes fieri poterant.

CHAIL *Jacobita.*

Coſma Melchitarum Patriarcha, poſt Theodori Jacobitæ mortem, obtenta ab Ægypti præfecto licentia eſt ſucceſſoris ejus eligendi. Congregatis itaque Miſram epiſcopis, protopreſbyter nomine collegii A preſbyterorum unum aliquem renuntiavit. Theodorus, neſcio cujus urbis epiſcopus, optimum illum fore dixit, modo concilii epiſcoporum conſenſus accederet. Protopreſbyter vero, preſbyterorum hoc eſſe negotium repoſuit, non epiſcoporum, quando ad ſe preſbyteros ſolos electio ſpectabat. Decem diebus ejuſmodi altercatione inſumptis, diaconus quidam Moyſi epiſcopo Wiſſim ſuggeſſit, ut monaſterii S. Macarii præpoſitum Chaïlem nominaret. Quod ubi factum eſt, univerſi conclamaverunt hunc dignum eſſe. Quocir- B ca, annuente præfecto, ordinatus eſt Chaïl ſive Michaël, die 17. Toth, ſive 14. Septembris, anno Martyrum 458. qui ab eodem menſe Toth incœperat, Chriſti 743. Hegiræ 124. Chaïl, inito patriarchatu, Athanaſio Jacobitarum Orientis patriarchæ ſynodicam de more ſcripſit. Narrant Cophtitæ, Chaïlis tempore ortam eſſe contentionem Melchitas inter & Jacobitas de eccleſia S. Mennæ, quæ in Mareotide exiſtebat; Melchitas tandem in concordiam cum Jacobitis venire voluiſſe, ita ut Conſtantinus epiſcopus Miſræ C Melchita confeſſus ſit, unicam ſe in Chriſto naturam agnoſcere; *unum Deum, unum Dominum, naturam unam quæ eſt Chriſtus Dominus; qui duas naturas poſt unionem in Chriſto uno confitetur, alienum eſſe à Patre, & Filio, & Spiritu S.* Et quum jamjam *communio* ſancienda eſſet, conditionibus obſtitiſſe Sahiditas ſeu qui de Thebaïde erant. Hæc vero tam abſurdis circumſtantiis in Cophtitarum libris obſita ſunt, ut vix fidem mereantur. Quæ ſi aliqua ſui parte vera ſunt, contigiſſe ea oportet quo tempore Monotheleticum dogma D apud Melchitas illos vigebat, eo errore nondum à Coſma ipſorum Patriarcha ejurato, quo parum à Monophyſitis, ſeu Jacobitis diſcrepabant. Obſervatione dignum eſt, Chaïlem in ſcripto quod Ægypti Emiro ſeu præfecto dedit, ad eccleſiam ſancti Mennæ ſibi vindicandam, ſe ſuoſque *Theodoſianos* diſerte nuncupaſſe. *Chaïl, per gratiam Dei, epiſcopus urbis Alexandriæ, & populus Theodoſianus.* Nec omittendum in illa narratione ferri Sahiditas ſeu Thebaïdis Melchitas, in cauſa fuiſſe cur ſanciendæ concordiæ conditiones irritæ fie- E rent: quod argumento eſt, hoc tempore non in inferiori ſolum Ægypto repertos fuiſſe, qui Chalcedonenſem ſynodum ſervatâ cum Byzantinis communione, colerent, verum & in ſuperioribus quoque regionibus, in quibus idioma Græcum non ſic familiare erat. Id quod amplius oſtendetur in Michaële, qui Photii ætate Melchitarum patriarchatum gerebat. Atqui ſedente Chaïle, interrupta iterum unio eſt Alexandrinorum Jacobitarum

Digitized by Google

cum Orientalibus, ob Iſaac Harranenſem epiſcopum, & Athanaſium, neſcio quem, aliosque duos, qui Antiochenorum Jacobitarum ſedem præter canones invaſerant. Sedit Chaïl annos 23. & menſes decem, ab anno 743. cujus proinde obitus incidit in annum 766.

XLVII. POLITIANUS.

MINAS *ſeu* MENNAS, *Jacobita.*

JOANNES IV. *Jacobita.*

MARCUS II. *Jacobita.*

Athanaſius junior Alexandrinus Melchitarum patriarcha nullus.

Athanaſium illum, de quo dictum eſt, omitto, cujus nomine inſcripta narratio exſtat de Berytenſi imagine: τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας λόγος εἰς τὸ θαῦμα τὸ γεγονὸς ἐν Βηρύτῳ, περὶ τῆς τιμίας καὶ σεβασμίας εἰκόνος τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ ἡμῶν· *ſancti patris noſtri Athanaſii archiepiſcopi Alexandriæ ſermo de miraculo Beryti edito, circa pretioſam & venerandam imaginem Domini & Dei noſtri.* Hiſtoriam hanc omnes magno Athanaſio abjudicant, etſi ejus cenſita ſit in ſeptima ſynodo: ac ſi cujuſpiam Athanaſii Alexandrini ſit, is alter non fuit ab Athanaſio ſecundo qui tempore Anaſtaſii ſedebat, ſed Chalcedonenſi ſynodo infenſus; vel forſan unus fuit ex illis, qui toto illo tempore vacantis ante Coſmam Alexandrinæ ſedis, eccleſiam hanc Melchiticam adminiſtrarunt, qualis fuerit Theophilus ille Alexandrinus, cujus lucubratiuncula antiquiori Theophilo perperam attributa fuit: qualis etiam fuerit Euſebius ille Alexandriæ epiſcopus, cujus nonnullæ orationes in codicibus manu exaratis occurrunt. Alioqui ſi hiſtoria illa imaginis Chriſti Athanaſio Alexandrino auctore ante ſeptimam ſynodum prodiit, hic non Alexandriæ Ægypti, ſed Syriæ potiùs epiſcopus cenſendus erit.

Politianus

Non alium itaque Coſmæ ſucceſſorem novimus præter *Politianum*, qui in annalibus Eutychii Arabicis *Balatianus* dicitur. Nimirum pag. 398. ait: Anno 4. *Califatus ejuſdem* (Abujafar Almanſur) *conſtitutus eſt Balatianus Patriarcha Alexandrinus, qui & medicus fuit; annos quadraginta ſex ſedit, & mortuus eſt.* Errat plane hic auctor, Politiani initia ſtatuens ad annum 4. Abujafar, hoc eſt Hegiræ 140. Chriſti 757. Oſtendimus enim Coſmam in vivis adhuc ſuperſtitem fuiſſe anno 766. ſic Eutychius decennii prochroniſmo peccaverit, uti Abulbircat in canone chronologico ſuo. Narrat inſuper Politianum, medicinæ peritus quum eſſet, Califæ Aron Raſchid benevolentiam ſibi conciliaſſe, curata puella quam ille deperibat, graviſſimo morbo laborante. Quocirca Raſchid patriarcham Bagdado, quò eum acceerſiverat, magnis muneribus donatum Alexandriam remiſiſſe, datis inſuper litteris, quibus eccleſias quas Jacobitæ Melchitis ademerant, reddi præcipiebat. Hæc quoque Elmakinus exſcripſit, ſed omiſſo Politiani nomine. Ejus tempore celebrata eſt Nicæna ſynodus ſecunda, ad quam Thomam monachum delegavit, qui ſedis ſuæ vices gereret in Iconomachorum hæreſi proſcribenda. Ita diſerte Ignatius vitæ S. Taraſii Conſtantinopolitani ſcriptor n. 19. *Taraſius quoque ex urbe regia Nicæam venit, de Apoſtolicis ſedibus aſſumens viros eximios præſtantiſſimoſque: nempe ab Hadriano Romano Papa Petrum primum preſbyterum, & Petrum monachum ac præfectum monaſterii: ab Apoſtolica autem diœceſi, à Politiano, inquam, ſacratiſſimo Papa Alexandrino Thomam monachum, & à Theodoreto patriarcha Antiocheno, &c.* In actis ejuſdem ſynodi, neſcio quo fato, nuſquam *Politiani* nomen occurrit. Hunc vero Eutychius iterum obiiſſe ſcribit, quum annos quadraginta-ſex patriarchatu functus eſſet, ad annum uſque Raſchidi decimum-ſextum, Hegiræ 185. Chriſti 801. quo ſucceſſor ei datus eſt Euſtathius.

Mennas Jacobita.

Mortuo Chaïle ſeu Michaële Jacobitarum, ejus in locum electus eſt *Minas*, ſeu *Mennas* monachus, qui à Petro quodam diacono apud Califam delatus, ceu Chimica arte eccleſias vaſis aureis & argenteis repleſſet, graviter exagitatus fuit, nefario illo diacono in ejus ſedem Abujafari juſſu per triennium intruſo. Quæ perſequutio in cauſa videtur fuiſſe, cur Cophtitæ adverſus Emirum tumultuati ſint anno Hegiræ 150. Chriſti 767. qui & Yeſidum Hacemi filium prælio fuderunt. Obiit Mennas completo epiſcopatus anno 9. ultima menſis Tybi, ſive Januarii 25. anno Hegiræ 158. qui à 10. Novembris inceperat, Chriſti vero 775. inchoato.

Joannes Jacobita.

Mennam ſequutus eſt *Joannes*, quem Cophtitæ quartum hujus nominis numerant, mihi quintus aut ſextus eſt. In ejus electione adhiberi ſortes cœperunt, quum ii qui convenerant in varias partes diviſi eſſent. Schedulis ſcilicet, in quibus candidatorum nomina deſcripta erant, ſuper altare poſitis, publiciſque precibus adhibitis, infans innocens, primam eam accepit, quæ Joannis œconomi eccleſiæ S. Mennæ preſbyteri & monachi S. Macarii nomen continebat. Id quod iterum atque iterum Dei, ut aiunt, nutu contigit. *Atque hoc primum exemplum eſt*, inquit doctiſſimus Renaudotius, *ſortis illius, quam vocant Heikeliet, hoc eſt, ad Sanctuarium ſeu altare factæ, quæ non modo in Ægypto uſurpata eſt, ſed etiam apud Neſtorianos, quamvis ſerius.* Eaque Wanſlebio teſte, etiamnum apud Jacobitas

Digitized by Google

Ægypti exercetur. Plura non addo quæ in *Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum* à præ- A ſtantiſſimo Renaudotio conſcripta, omnino legenda ſunt.

Joannes itaque die 16. Tybi, ſeu 11. Januarii anni 776. Patriarcha conſtitutus, ſtatim ab ordinatione ſua ſynodicam miſit ad Jacobitarum Antiochenorum Patriarcham Georgium, qui in carcere à Califa detentus quum eſſet, reſponſorias illi dare prohibitus, donec accuſatore ſuo, ſuæque ſedis invaſore defuncto, abſolutus ac dimiſſus eſt. Inter codices manuſcriptos Arabicos quos Joſephus Simonius Aſſemanus Maronita B ex Oriente Romam advexit, 23. parte 2. complures Patriarcharum Alexandrinorum ad Antiochenos Patriarchas itidem Jacobitas continet epiſtolas ſynodicas, inter quas Joannis Alexandrini epiſtola ſynodica reperitur ad Cyriacum Antiochenum, qui utique Georgio ſucceſſerat. Alexandriæ Joannes obiit 16. menſis Tybi, qua & natus & patriarcha conſtitutus erat; quum ſediſſet annos 25. Obiit, inquam, anno Martyrum 515. ſeu Chriſti 799. Quem Kircherus inſulſiſſime eſſe illum putavit qui ab inſigni erga pauperes C caritate *Eleemoſynarius* eſt appellatus, Melchita ſeu Orthodoxus ac non Jacobita, de quo ſuo loco dictum eſt.

MARCUS *Jacobita.* Joanni ſucceſſit *Marcus*, una omnium conſenſione electus, qui quum in deſertum S. Macarii fugiſſet, revocatus illinc quam primum fuit. Die ſecunda Mechir, 27. Januarii, quæ dominica erat, ordinatus eſt anno 799. Scripſit ſynodicam ad Cyriacum Patriarcham Antiochenum, de communione utriuſque eccleſiæ, quam per Marcum Taneos & Marcum Farma linguæ Græcæ pe- D ritos epiſcopos, & Georgium Alexandrinæ eccleſiæ diaconum miſit. Cyriacus viciſſim ad Marcum Alexandrinum ſynodicam dedit, quæ exſtat in illo codice Romam advecto, qui cum aliis in Bibliotheca Vaticana repoſitus eſt. Marco Cophtitarum Patriarchâ, accidit ut Abrahamus metropolita quidam Cyriaco Antiocheno ſubjectus, de Chriſti ſacramentis abſurda multa perverſaque protulerit, & epiſcopos complures in ſuam hæreſim traxerit, qui ab ipſo *Abrahamæi* nuncupati ſunt. Illius vero doctrinam ut Antio- E cheni, ita & Ægyptii proſcripſerunt. Marcus ad communionem ſuam Barſanuphianorum reliquias demum revocavit, quum epiſcopo ipſorum Abrahamo quem, ejuſque filium Georgium, Atribæ & Bekitæ epiſcopos conſtituit. Obiit anno Martyrum 535. qui eſt Chriſti 819. quum ſediſſet annos 20. menſes duos, dies decem, ſcripſiſſetque epiſtolas viginti & unam feſtales ſeu Paſchales. Ejus tempore Muſulmani de Hiſpania & Africa, quos à Vandalis qui has regiones occupaverant, Andaluſenos vocant, in Ægyptum, impreſſione facta, ſexcenta paſſim monaſteria deſtruxerunt.

XLVIII. EUSTATHIUS.

JACOB *Jacobita.*

Poſt Politianum *anno Califatus Raſchidi decimo-ſexto*, ait Eutychius, *conſtitutus eſt Patriarcha Alexandrinus Euſtathius*, hoc eſt anno Chriſti, ut in *Politiano* diximus, 801. *Fuerat autem*, pergit Eutychius, *Euſtathius iſte Linarius;* qui quum in domo in qua contundi linum ſolebat, theſaurum inveniſſet, monachus factus eſt in cœnobio Alkoſairi, ejuſque ſubinde monaſterii præpoſitus, in quo eccleſiam duorum Apoſtolorum condidit, ſed & epiſcopo cubiculum fabricavit. Alexandriæ ſubinde Patriarcha conſtitutus, quatuor annos ſedit, adeoque anno 805. diem obiit.

Diſperſis ſub Marco Jacobitarum Patriarcha monachis, quorum cœnobia ab Arabibus Andaluſenis vaſtata erant, *Jacob* monaſterii S. Macarii preſbyter è Thebaïde quò ipſe fugerat, ad cellam regreſſus ſuam, Marco defuncto ſubrogatus fuit. Qui in pontificali ſede collocatus, ſermonem habuit, in quo hæreſes omnes, atque inprimis tum Chalcedonenſis ſynodi profeſſores, tum Phantaſiaſtas, ſeu Gaïani ſectatores confutavit. Reus deinde peractus admiſſæ à diacono cædis, in vitæ diſcrimen apud Arabes venit, à quo tandem liberatus Thebaïdis eccleſias & monaſteria luſtraturus perrexit. Dionyſius Patriarcha Antiochenus, Jacobita ſcilicet, fama illius accitus, in Ægyptum profectus eſt ut eum viſeret, multoſque dies apud ipſum manſit. Eo Patriarchatum gerente, Macarius quidam ejus conſanguineus vir prædives, Hieroſolymis eccleſiam pro Cophtitis peregrinis qui illuc vaderent, ædificavit. Obiit 14. Mechir, ſeu 8. Februarii, quo die commemoratio apud illos hæreticos fit Severi Antiocheni, quum ſediſſet annos 10. menſes 8. ordinatus dicitur anno Hegiræ 211. id eſt Chriſti 826. ut Jacobitica ſedes Alexandrina annos ſeptem Patriarcha caruerit, illiuſque obitus incidat in annum Hegiræ 221. vel 222. ſeu Chriſti 836. vel 837. JACOB *Jacobita.*

Quod viris quibuſdam eruditis viſum eſt, Jacobum hunc Patriarcham cum Melchitis concordiam iniviſſe, & eccleſiæ utriuſque curam geſſiſſe, eumque Patriarcham illum eſſe Alexandrinum, qui cum *Chriſtophoro Antiocheno*, & Baſilio Hieroſolymitano epiſtolam Theophilo Imperatori ſcripſerit, pro ſacris imaginibus quam Combefiſius in *Manipulo*

Digitized by Google

Manipulo rerum Conſtantinopolitanarum ſancti Joannis Damaſceni nomine inſcriptam edidit, hoc nulla ratione ſtare poteſt, ut invicte demonſtratur à clariſſimo Renaudotio, in Marco ejus deceſſore patriarcha. Sed & difficultas omnis, ſi qua ſupereſt, evaneſcit, ſi Conſtantini Porphyrogenneti textus in quo tres Patriarchæ indicantur, à quibus vere ſcripta eſt epiſtola, ad hunc modum emendetur, ut pro Job Chriſtophorus Alexandrinus ponatur, & Job Antiochenus pro Chriſtophoro, ut ex Eutychii annalibus edocemur pag. 411. & 428. ubi tres iidem Patriarchæ memorantur Chriſtophorus Alexandrinus, Baſilas vel Baſilius Hieroſolymitanus, & Job Antiochenus. Enimvero Eutychio nonnulla eſt habenda fides, ubi deceſſores ſuos Alexandrinos patriarchas recenſet, quique à ſua ætate admodum remoti non erant.

XLIX. Christophorus.

Simon ſive Simeon *Jacobita.*

Juçab ſive Joseph *Jacobita.*

Eutychius itaque narrata morte Euſtathii pag. 411. ſubjungit; *Ipſi in eodem patriarchatu ſucceſſiſſe Chriſtophorum, anno Califatus Raſchidi vigeſimo,* Chriſti proinde 805. Addit eum ſubinde paralyſi arreptum, ita ut hominum manibus geſtaretur; quocirca Petrum quemdam ab eo conſtitutum epiſcopum, qui cathedræ patriarchali inſidens vice ipſius epiſcopos conſecrabat: ſediſſe autem Chriſtophorum annos triginta duos, ac demum functum eſſe. Atqui annus Chriſti 805. Nicephori Imp. quartus fuit, & Chriſti 836. quo Chriſtophorus diem poſtremum egit, Theophili Imp. octavus; cujus anno circiter 830. epiſtola de qua mox dictum eſt, eidem Principi à tribus patriarchis Chriſtophoro Alexandrino, Job Antiocheno, & Baſilio Hieroſolymitano ſcripta eſſe colligitur ex Conſtantini Porphyrogenneti Imperatoris oratione *De Imagine Edeſſena*, apud Combefiſium in *Manipulo rerum Conſtantinopolitanarum.* Leo Allatius in notis ad Euſtathii Hexaëmeron pag. 254. orationis illius cui titulus eſt, *Cui ſimilis eſt vita hominis,* quam Federicus Morellius ediderat olim tamquam *Theophili Alexandrini epiſcopi,* fragmentum retulit, velut operis *Chriſtophori patriarchæ Alexandrini.* Sic quoque vir pereruditus Joannes Albertus Fabricius eamdem orationem adhortatoriam Græcè Latinèque edidit ex Cæſareo codice, ita inſcriptam: τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Χριστοφόρου πατριάρχου Ἀλεξανδρείας παραίνεσις ψυχωφελής, φανεροῦσα τίνι ὁμοιοῦται ὁ βίος οὗτος, καὶ εἰς πόσον τέλος καταστρέφει. *R. P. N. Chriſtophori Alexandrini Patriarchæ adhortatio animis utilis, demon-*
A *ſtrans cuinam hæcce vita ſimilis eſt, & quis ejus finis.* Habetur etiam in cod. Colbert. 6749. Chriſtophori Alexandrini nomine dataque dicitur *epiſcopis & paſtoribus eccleſiæ.* Præterea in Abrahami Maſſad Maronitæ codice 7. qui in Vaticanam Bibliothecam tranſlatus fuit, habetur *Chriſtophori archiepiſcopi Alexandrini ſermo in parabolam ſerpentis & avari* (ſic).

Simon *Jacobita.*

Chriſtophori tempore Jacobiticæ eccleſiæ præfectus fuit *Simon,* ſive *Simeon,* patria Alexandrinus, ex monacho & diacono; qui men-
B ſes quinque & ſexdecim dies ſedit. Obiit 3. Paophi, adeoque 30. Septembris, ut non male ab Elmakino ſeptem ei menſes aſſignentur, ac ſane pluſquam ſeptem-decim dies, niſi multis diebus poſt Jacobi mortem Jacobitarum Alexandrina ſedes vacaverit. At Macriſius eum anno integro Patriarchatu functum apud aliquot ſcriptores reperit: ſed & omnes, quod permirum eſt, hunc ordinatum perhibent die 17. menſis Cohiac, ſeu 13. Decembris anno Hegiræ 222. Chriſti 336. Abulbircat tres annos epiſcopatus Simonis,
C & quatuor inſuper menſes numerat, contra cæterorum ſententiam. Crediderim ego illos qui annum integrum Simoni aſſignavere, ſimul computaſſe illud tempus quod ante ejus ordinationem tranſactum eſt, cum illi ad quos electio ſpectabat, diu inter ſe diſſenſiſſent, quod teſtatur ille qui Juçabi ſive Joſephi vitam ſcripſit.

Juçab ſive Joseph *Jacobita.*

Auctor vitæ Simonis narrabat, poſt mortem illius pari diſcordia ſufflaminatam eſſe ſucceſſoris ejus electionem; quoſdam voluiſſe Iſaacum filium Andunæ, cognomento
D *Cid,* ſive *Dominum,* virum nobilitate & divitiis præcipuum conſtituere, auctoritate Emiri qui Alexandriam adminiſtrabat, quum epiſcopi aliquot ei faverent, inprimiſque Jacharias Wiſſim & Theodorus Miſræ. Contra obnitebantur alii, qui canones violatum iri cauſabantur, nimirum Chaïl epiſcopus Belbais, Chaïl alter epiſcopus Sa, Joannes Bana ſive Panopolis. Tandem omnibus confidentibus *Juçabus* ſeu *Joſephus* præpoſitus S. Macarii in valle Habib à quodam indicatur, ad quem confeſtim miſſi, qui eum adducerent.
E Negavit præfectus Saracenus ſe permiſſurum ut ordinaretur, niſi mille aurei ſibi ſolverentur quos Iſaacus pactus erat. Epiſcopi vero ſe Foſſatum ſive Cahiram ituros dixerunt, ubi nulla ipſi poteſtas eſſet, eumque ab epiſcopis tractûs Orientalis illic ordinandum. Quamobrem nulla mora ordinari permiſſus eſt. Id quod patratum fertur die 21. Athyr ſive 17. Nevembris anno Hegiræ 226. Martyrum 547. Chriſti 831. Sed 21. Athyr

Digitized by Google

Dominica non fuit anno illo, ſed feria 6. littera Dominicali *A*. Natus erat Joſephus in civitate Menuf ſuperiori, & à diacono Marci Patriarchæ ſyncello eruditus, linguam Græcam didicerat, ſubindeque monachum induerat. Inito Patriarchatu, litteras ſcripſit ad Pſchammyritas, qui ob præfecti ſævitiam rebellaverant, adhortans eos ut arma ponerent. Quorum defectio in cauſa fuit, cur Almamon Califa in Ægyptum venerit, adducto ſecum Dionyſio Patriarcha Jacobitarum Antiocheno. Regi Nubiæ portatilis altaris uſum, qui antehac auditus non erat, conceſſit. Nubiæ & Æthiopiæ res curavit: epiſcopos multos creavit, miſitque in Africam, Pentapolim, Cyrenen, Tripolim, Ægyptum, Æthiopiam & Nubiam, ne greges paſtoribus deſtituti perirent. Quæ à Muhammedanis præfectis ſit perpeſſus, non refero. Anno Patriarchatus ejus 15. Martyrum 552. Chriſti 846. Dionyſio Antiocheno defuncto, ſucceſſor ejus Joannes ſynodicam ad illum de more miſit per Athanaſium metropolitam Euphemiæ, & Timotheum Damaſci, quos Joſephus honorificè excepit. Obiit Dominica die 23. menſis Paophi, ſeu 20. Octobris, anno Martyrum 566. Chriſti 859. Hegiræ 236. littera Domin. *F.* quùm ſediſſet annos 18. & menſes 11. Non omittendum canonem Abulbircat ad hanc chronologiam propius tandem accedere, qui annum Martyrum 567. morti Juçabi ſive Joſephi aſſignat.

L. SOPHRONIUS.

CHAIL *ſeu* MICHAEL *Jacobita.*

COSMAS II. *Jacobita.*

Chriſtophoro catholico Patriarchæ ſuffectus eſt *Sophronius*, ait Eutychius, *anno Chaliphatus Almotaſemi quarto conſtitutus, qui annos tredecim ſedit, philoſophus & ſapiens.* Annus quartus Almotaſemi fuit Hegiræ 236. vel 237. Chriſti 850. vel 851. Michaëlis filii Theophili Imper. Conſtantinopolitani 10. Quod ſtare nequit. Nam ab anno Hegiræ 222. vel 223. Chriſti 836. ſecundum Eutychii calculos, Chriſtophoro proxime ſucceſſerat: ipſeque rurſum Eutychius, quum Sophronio tredecim dumtaxat epiſcopatûs annos numeret, eum tamen anno 233. Hegiræ Chriſti proinde 847. fato functum diſerte ſcribit, quæ chronologia ne ipſa quidem accurata eſt. Enimvero narrat Eutychius Sophronium, audito Theophili Imp. edicto, quo imagines Chriſti & ſanctorum ab eccleſiis exterminabantur, orationem longam ei ſcripſiſſe qua legitimum earum cultum tuebatur, nonnulliſque ex ea recitatis, addit Theophilum lecta oratione ab imaginibus

A ſacris inſectandis ſibi temperaſſe. Atqui annus quartus Almotaſemi, ut prædictum eſt, decimus erat Michaëlis Imperatoris, ex quo parenti ſuo Theophilo ſucceſſerat. Sophronio Alexandrinum Patriarchatum gerente, Chalipha Jaafar Almotawacel, Almotaſemi filius Bactatiſvæ medico Chriſtiano iratus, per omnes provincias edixit, ut Chriſtiani zonaria geſtarent, veſtibus ſuis pannorum ſegmenta aſſuerent, à parte anteriori unum, & à poſteriori alterum, eos equis vehi prohibuit, juſſit uti in ſellis ſuis funibus non loris,

B quin & ligneis ſtapedibus uterentur, ad hæc dæmoniorum, vel porcorum, vel ſimiarum figuræ in ædium ipſorum januis pingerentur. Cophtitæ eccleſiæ ſcriptores ferunt, Sophronium arcta cum Juçabo ſeu Joſepho Jacobitarum Patriarcha amicitia junctum fuiſſe, & ad ejus quodammodo ſententiam acceſſiſſe, propter miraculum ipſorum ætate editum adverſus Chalcedonenſem quemdam, qui in Jacobitam artificem blaſphemaverat, quod Jacobita dixiſſet minime ſibi fas eſſe feriâ magnæ Paraſceves, *eo quod ipſa die Ver-*

C *bum Dei crucifixum erat.* Hæc illi: quaſi vero qui Verbum Dei ipſa die Paraſceves eſſe crucifixum confitetur, hic catholicorum fidei detrahere videatur, quando Chalcedonenſes omnes Deum crucifixum, Verbum aſſumta carne paſſum & cruci affixum prædicant, propter unam Verbi perſonam, ac non propter unam ejus naturam quam Jacobitæ fingunt. Qui id negaverit, Neſtorianus, non Chalcedonenſis fidei alumnus habendus ſit. Porro Sophronius, hydropiſi affectus, lacte mandragoræ ebibito, quod

D nihil ei profuit, exſtinctus dicitur Eutychio anno Hegiræ 233. Chriſti 847. Verum ex aliis monumentis conſtare videtur, eum perſeveraſſe uſque ad ea ſaltem tempora quibus Photius Conſtantinopolitanam ſedem, S. Ignatio expulſo, tyrannico more affectavit. Nam in breviario ſynodi VIII. generalis quod valvis eccleſiæ S. Sophiæ appoſitum fuit ſub Formoſo Papa, Photium cum Gregorio Syracuſano, ab Ignatio Conſtantinopolitano, Sophronio & Michaële Alexandrinis, proſcriptum legimus. Οὗτοι οὖν οἱ θʹ. καὶ ἄλλοι

E εʹ πατριάρχαι τῶν δʹ. καθολικῶν θρόνων, Ἰγνάτιος Κωνσταντινουπόλεως, Σωφρόνιος καὶ Μιχαὴλ Ἀλεξανδρείας, καὶ Νικόλαος Ἀντιοχείας, ἀναθεμάτισαν αὐτούς. *Hi ergo novem, & alii quinque Patriarchæ quatuor apoſtolicarum ſedium, Ignatius Conſtantinopolitanus, Sophronius & Michaël Alexandriæ, & Nicolaus Antiochiæ .... eos anathemati ſuppoſuerunt.* Atqui anno Michaëlis 18. & Chriſti 858. Photius Ignatium Byzantina ſede deturbavit. Cum igitur hoc

Digitized by Google

anno Sophronium in vivis adhuc fuiſſe dicendum omnino ſit, hunc ferme in modum arbitror horum temporum rationem eſſe diſponendam: qui Michaëli Sophronii ſucceſſori tribuuntur anni quatuor ſupra viginti, eos ipſi Sophronio eſſe tribuendos, qui hac vita demum anno 859. deceſſerit; Michaëli porro dandos eſſe annos tredecim, quot Sophronium ſediſſe Eutychius, ſive Eutychii amanuenſis tradidit. Atque ita ſe rem habere comperiemus, ſi hoc reputemus, ad Sophronii ætatem referri ab Eutychio perſequutionem illam de qua dixi; eam vero non niſi poſt annum 851. cœpiſſe conſtare ex Jacobitarum Annalibus, qui Coſmam II. de quo mox, eccleſiæ ſuæ tunc temporis præfuiſſe produnt. Cæterum ex Anaſtaſii Bibliothecarii præfatione tranſlationis actorum octavæ ſynodi non abs re erit adjicere, peſſimum Photii exemplum qui ex laïco & proto-ſpathario in Byzantinam ſedem irrepſit, *præſertim penes Alexandriam & Antiochiam in tantum radicem hujus peſtis exercuiſſe, ut à tempore promotionis crebrò dicti Photii hactenus evelli non potuerit.*

CHAIL II. *Jacobita.* Anno 850. labente, Jacobitarum patriarcha fuit *Chaïl* alter, ſeu *Michaël*, ex ſyncello Joſephi deceſſoris ſui preſbytero & præpoſito monaſterii S. Macarii in valle Habid; vir, ut aiunt, divinarum rerum peritus, qui ordinatus eſt Alexandriæ die 24. Athyr, ſeu Novembris 20. quum ſedes triginta dies vacaſſet. Nam Joſeph die 23. Paophi, vel 20. Octobris obierat. Chaïl poſtquam ordinatus fuit, profectus ad monaſteria vallis Habid de more luſtranda, initio Quadrageſimæ ægrotare cœpit, mortuuſque eſt Farmuthi 22. vel Aprilis 17. an. Martyrum 567. Chriſti 581. quum ſediſſet annum unum & menſes quinque. Quamquam alii codices habent eum ſediſſe annos duos & menſes quinque, quibus conſonat Abulbircat, in canone mortem illius aſſignans anno Martyrum 568. ſeu Chr. 852.

COSMAS II. Chaïli ſeu Michaëli ſucceſſit *Coſmas* à Semnuda, ſive Sebennyto, diaconus eccleſiæ ſancti Macarii, quem ordinatum ferunt anno Martyrum 567. Chriſti 851. die 14. Epiphi, ut totis 81. diebus ſedes vacaverit. Synodicam de more ſcripſit ad Joannem Antiochenum, quam per duos epiſcopos miſit. Ejus tempore novus Ægypti præfectus variis modis Chriſtianos exagitans, prohibuit tandem ne liturgiæ celebrarentur, atque ideo vetuit in omni Ægypto vinum præterquam Kahiræ vendi. Quocirca Chriſtiani uvas aqua maceratas exprimebant, earumque ſucco ad liturgiam utebantur: quod tamen canoniſtæ ipſi Orientales & Ægyptii legitime factum inficiantur. Addidit idem præfectus quod ex Eutychio in Sophronio Melchitarum patriarcha narravi, ut larvæ dæmonum porcis inſidentium, aliaque ſimilia foribus ædium Chriſtianorum & Judæorum appingerentur. Cavit inſuper ne albis veſtibus induerentur. Coſmas Cahira & Alexandria propter has anguſtias ſecedens, Demiræ ſedem fixit, obiitque tandem 21. Athyr, ſive 17. Novembris, anno ſecundum Severi computum Hegiræ 245. Martyrum 577. Chriſti 859. octennio tranſacto patriarchatus. At Elmakinus, Abulbircat & Macriſius, ſeptem dumtaxat annos numerant, menſes 5. ab anno 367. Martyrum, Chriſti 861. quo fuit ordinatus 14. Epiphi, ſeu 8. Julii, ad annum Martyrum 575. Ch. 859.

LI. MICHAEL I.
SANUTIUS I. *Jacobita.*

Eutychius Sophronio ſucceſſorem dat *Michaëlem*, qui catholicæ eccleſiæ patriarchatu functus eſt annos viginti-quatuor, quod quidem emendandum eſſe oſtendimus. Ait eum è filiis Bacami, ſive Pachomii fuiſſe Barenſem, nec plura de eo tradit. Bernardus monachus Francus qui ante annum 870. imo Nicolao I. Pontifice Romano, ſacra Palæſtinæ loca vicinaque alia adiit, in Itinerario ſuo quod exſtat tom. 2 ſæculi tertii Benedictini, teſtatur hoc ipſo tempore Michaëlem Alexandriæ patriarcham fuiſſe, catholicum utique; non enim Jacobitam illum Joſephi ſucceſſorem, qui anno 852. non ejuſdem nominis alterum Jacobitam, qui non-niſi anno 882. Sanutio ſuffectus fuit. Sin vero, Michaël alter erat qui anno 871. vel 872. Michaëli priori proximè ſuffectus fuit. Profectio hæc Bernardi inſcitè in chronico Alberici refertur ad annum 970. centum annorum metachroniſmo. Atqui anno 869. Michaël Alexandrinæ eccleſiæ catholicæ archiepiſcopus Joſephum archidiaconum Conſtantinopolim delegavit, qui in ſynodo octava generali vices ſuas expleret. Sic enim in actis Latinis quæ ſuperſunt hujus ſynodi, act. 9. & aliis ſequentibus legitur. *Et ſanctiſſimis loci ſervatoribus Orientis*, videlicet *Joſeph Dei amiciſſimo archidiacono Alexandrinorum magnæ civitatis, locum tenenti Michaëlis ſanctiſſimi patriarchæ Alexandriæ*. In libro ſynodico Græco pro Joſeph *Michaël diaconus chartophylax & ſyncellus, locum tenens Michaëlis papæ Alexandriæ*, ſcriptus eſt, librarii, nî fallor, oſcitantia, qui bis Michaëlem exaravit. Act. 9. ejuſdem ſynodi Leontius, qui Photii aſtu deceptus, perſonatum Alexandrinæ ſedis vicarium, in Photiana ſynodo tempore Nicolai Papæ I. egerat, ingenuè palam & gemebundus confeſſus eſt ſe, laïcus quum eſſet, Alexandria à Michaële patriarcha Conſtantinopolim miſſum ad eleemoſynas

Digitized by Google

colligendas. Ex quo manifeſtum fit Michaëlem patriarchatum iniiſſe ante illam ſynodum Photianam, quæ anno 867. coacta fuit. In octava ſynodo lecta epiſtola eſt ejuſdem Michaëlis ad Baſilium Imperatorem, cujus hæc inſcriptio eſt: τῷ εὐσεβεστάτῳ καὶ μεγαλοπρεπεστάτῳ βασιλεῖ νικητῇ Βασιλείῳ Αὐγούστῳ τροπαιούχῳ, καὶ Θεῷ ἀρεστῷ θεράποντι, Μιχαὴλ ὁ ἀχρεῖος δοῦλος τῶν παίδων τοῦ κυρίου μου, ὁ Ἀλεξανδρείας· *Piiſſimo atque magnificentiſſimo imperatori Victori Baſilio Auguſto triumphatori, & Chriſti famulo Deo accepto, Michaël inutilis ſervus puerorum Domini mei Alexandrinus.* Ea ſignificabat, ſe ex Imperatoris votis miſſo quopiam Alexandrinæ ſedis vicario annuere, ut in concilio tractetur *de diſſenſione quæ facta eſt duorum patriarcharum cauſa penes urbem regiam.* Joſeph itaque Michaëlis nomine ſententiam dixit, cognitis cauſis *quæ natæ erant inter ſanctiſſimum patriarcham Ignatium, & Photium, qui, more latronis & mœchi, in thronum inſiliit Conſtantinopolitanum.* Quam ſententiam Michaël poſtmodum ratam habuit, anathemate dicto in Photium, veluti teſtabatur breviarium octavæ ſynodi, quod tempore Formoſi Papæ valvis S. Sophiæ affixum fuit. Locum ſuperius attuli in Sophronio. Obitum ejus Eutychius refert ad annum 256. Hegiræ, qui eſt Chriſti 869. additque eum in civitate Barah ſepultum fuiſſe: ſed cum illi, ut diximus, anni ſint tribuendi tredecim, apparet eum non exceſſiſſe è vivis ante annum 871. aut 872. quo ejus deceſſorem eſſe inauguratum Eutychius ipſe teſtatur.

Sanutius I. Jacobita.

Coſmam II. Cophtitarum patriarcham excepit *Sanutius,* qui in eorum libris Cophticis Σινόδιος dicitur, in Arabicis *Chenuda.* Ejus deceſſore defuncto, clerici ad quos electio ſpectabat & epiſcopi Alexandriam convenerunt menſe Choiac, altero menſe à Coſmæ obitu, qui cum multis diebus minime conſenſiſſent, tandem ultima die menſis Sanutium monachum & œconomum eccleſiæ ſancti Macarii, qui in urbem venerat, omnes poſtulavere, quem fugientem apprehenderunt, ferreiſque, ne elaberetur, compedibus vinctum Alexandriam deduxerunt, ubi ordinatus fuit 13. menſis Tybi, anno Martyrum 575. & Chriſti 859. Synodicam mox per epiſcopos duos ad patriarcham Antiochenum miſit. Quæ Sanutius egerit, docuerit, ſtatuerit & ſuſtinuerit, fuſe perſequitur diligentiſſimus auctor hiſtoriæ Patriarcharum Alexandrinorum. Inprimis vero Elmakinus aliique ferunt, Sanutium ad ſuam eccleſiam revocaſſe illos qui Chriſti paſſionem negabant, Gaianitas utique ſive Aphthardocetas aut Incorrupticolas, quos baptizavit, inque eorum eccleſiis eſt concionatus: de quo certiorem fecit Antiochenum Patriarcham. Quamobrem horum hæreſim ejus tempore exſtinctam eſſe autumare licet. Cæterum hujus narrationis primarii auctores non eos eſſe vere baptizatos ferunt, ſed baptiſmi ſigillo, quod nos confirmationem dicimus, munitos. Obiit ille die 2. Farmuthi, ſive 19. Aprilis anno Hegiræ 268. Chriſti 870. quum ſediſſet annos 21. & menſes tres.

LII. Michael II.

Chail, *ſive* Michael III. *Jacobita.*

Eutychius pag. 471. narrata morte Michaëlis I. patriarchæ Melchitarum, ſubjungit: *conſtitutus eſt poſt eum Michaël natione Romanus* (alio exemplari fertur *Azzenſis, ſive Gazenſis) patriarcha Alexandrinus anno Califatus Motammedi tertio, qui eſt ducenteſimus quinquageſimus-octavus: annos triginta-quatuor ſedit, dein mortuus eſt, anno videlicet 292. atque Alexandriæ ſepultus.* Hæc ille: pro cujus chronologia Michaël patriarchatum iniit anno Hegiræ 258. ſeu Chriſti 871. vel 872. ac biennio proinde elapſo poſt ſynodum octavam generalem. Atqui in actis ſynodi illius, in qua de Photii in Conſtantinopolitanum thronum poſt S. Ignatii obitum reſtitutione actum eſt, *Coſmas* adfuiſſe illi legitur, *presbyter & apocriſiarius Michaëlis ſanctiſſimi papæ Alexandriæ,* cujus ad Imperatores & ad Photium, iiſdem in actis, act. 2. recitantur epiſtolæ his inſcriptionibus: τοῖς Θεοπροβλήτοις βασιλεῦσι Βασιλείῳ, Λέοντι καὶ Ἀλεξάνδρῳ, Μιχαὴλ ἀρχιεπίσκοπος Ἀλεξανδρείας. *A Deo provectis Imperatoribus Baſilio, Leoni, & Alexandro, Michaël archiepiſcopus Alexandriæ.* Itemque, τῷ τρισμακαριωτάτῳ συλλειτουργῷ ἡμῶν κυρῷ Φωτίῳ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως, Μιχαὴλ Ἀλεξανδρείας. *Ter beato collegæ noſtro Photio Patriarchæ Conſtantinopolis, Michaël Alexandriæ.* In his multa evomuntur adverſus Joſephum illum, qui in octava ſynodo legitima Alexandrini Patriarchæ Michaëlis vices geſſerat, ceu qui coram Imperatore Baſilio per ſummum mendacium ſeſe pro archidiacono Patriarchæ venditaſſet, adeoque meruiſſet ab eodem Michaële anathemate feriri; nec-non adverſus eos qui Photium uti genuinum Patriarcham non admiſiſſent, quem ipſe quemadmodum deceſſor ſuus Michaël amplecteretur. Ἡμεῖς δὲ, inquit in epiſtola ad Photium, ὦ ἱερὰ κεφαλὴ καὶ ἀρχιποίμην τῶν λογικῶν προβάτων τοῦ Χριστοῦ, ἀκολούθως τῷ πρὸ ἡμῶν Ἀλεξανδρείας ἱεραρχήσαντι μακαρίτῃ Μιχαὴλ, συναινοῦμεν καὶ συνευδοκοῦμέν σοι ἐν πᾶσι, καὶ ἀποδεχόμεθά σου τὴν ἀρχιερατικὴν τελειότητα. *Nos vero, o ſacrum caput, & paſtorum princeps ovium Chriſti, veſtigiis inſiſtentes illius qui ante nos Alexandriæ Pontifex fuit, beatæ memoriæ Michaëlis, tibi*

Digitized by Google

in omnibus concordes & conſentientes ſumus, tuamque ſuſcipimus pontificalem perfectionem. Subjungit & pœnitentiam Thomæ metropolitæ Tyri qui in octava ſynodo Antiochenæ ſedis vicarius fuerat, & omnia confirmaverat quæ contra Photium decreta erant; ac ſi Thomas hanc ipſi Michaëli Alexandrino tradidiſſet. Quocirca his verbis abſolvit. ἡ χάρις τοῦ Κυρίου διαφυλάξαι τὴν σὴν ἀρχιερατικὴν ἀδελφότητα, καὶ κατευοδώσαι τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σοῦ καὶ ἀποδώη σοι τὰ ἀγαθὰ ἀντιμισθίαν τῶν εἰς ἡμᾶς εὐεργεσιῶν πρεσβείαις τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Μάρκου ἀποστόλου. *Gratia Domini cuſtodiat pontificalem tuam fraternitatem, & dirigat opera manuum tuarum, reddatque tibi bona pro tuis erga nos beneficiis, interceſſionibus apoſtoli & evangeliſtæ Marci, amen.* Quaſi vero metropolita Tyri, Antiochenæ ſedis protothronus pœnitentiæ libellum dederit alieno Patriarchæ potiùs, quam ſuo. Quod vero Joſephum illum attinet, & Eliam qui Patriarchæ Hieroſolymitani in anteriori concilio perſonam ſuſtinuerat, uterque ſine pœnitentia defunctus dicitur, atque Elias lepra à Deo percuſſus. Hæc à ſe ſcribi declarat nomine ſuæ ſynodi, vocatis epiſcopis vicinis, quotquot per rerum & temporum infelicitatem licuerat, inprimis Zacharia Tamiathi, Jacobo Babylonis, Stephano Thebarum & Theophilo Baræ metropolitis. De quibus omnibus fides ſit penes auctorem Photium, à quo hæc omnia compoſita eſſe nemo non ſentiat. At certe ex his litteris apparet Michaëlem priorem ſynodo octavæ generali aliquamdiu ſuperſtitem fuiſſe. Quod Eutychius Michaëlem ſecundum Romanum fuiſſe ait, nihil aliud ſignificare videtur, niſi eum de Romania, ſeu ditione Conſtantinopolitani Imperatoris originem traxiſſe, vel aſſumptum eſſe. At vero codices aliqui Gazenſem hunc fuiſſe ferunt. Unde ſuſpicor eum diverſum non eſſe ab illo Joanne, quem Baſilius Macedo Imperator è Majumenſi epiſcopo Alexandrinum Patriarcham creaſſe legitur apud Nicephorum Calliſtum, lib. 14. hiſt. cap. 39. ſub eodem imperio Baſilii ſcilicet Macedonis, Βασιλείας τοῦ ἐκ Μακεδόνων ὑπάρχοντος, *Joannes Majumæ epiſcopus Alexandriam transfertur,* καὶ ὁ τοῦ Μαϊουμᾶ ἐπίσκοπος Ἰωάννης εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν μετάγεται. Norunt omnes Majumam emporium fuiſſe Gazæ civitatis. Quando Eutychius alium à Michaële ſecundo non novit qui Baſilio Byzantinis imperante, Alexandrinum patriarchatum inierit, fatendum omnino eſt ipſummet eſſe illum qui apud Calliſtum, & in cap. *de tranſlationibus epiſcoporum*, lib. 4. juris Græco-Romani Joannes nominatur, ceu nempe binominis fuerit. Nec certe veriſimile eſt Eutychium qui Michaëli ſuppar imo coævus fuit, aliquem è nuperrimis deceſſoribus ſuis omiſiſſe. Fatis porro Michaël conceſſit, Eutychio teſte, anno Hegiræ 292. ſeu Chriſti 903. vel 904. Sic enim rurſum Eutychius, *anno*, inquit, *Califatus ejuſdem Moctaſi ſecundo mortuus eſt Michaël Patriarcha Alexandrinus dominica die ſexta ante finitum menſem Ramadan an. 292. patriarchatus 34. annis functus.*

Sanutii Jacobitarum Patriarchæ defuncti loco *Chaïlem III.* ſeu *Michaëlem* ordinaverunt, anno Hegiræ 268. Chriſti 880. non ut fert Elmakinus Hegiræ 263. Chriſti 876. Hic ab impio epiſcopo Saca Pachomio, qui oblatam hoſtiam Patriarcha miſſam celebrante calcaverat, ad Ægypti præfectum delatus, quod maximas opes apud ſe haberet, in carcerem truſus fuit, ſpoponditque ſe viginti denariorum aureorum millia quotannis penſitaturum. Quam ſummam quia ſolvendo non erat, de primorum è Jacobitis ſententia, decem eccleſiarum quæ vacabant epiſcopos, non-niſi pacta pecunia ordinavit. Deinde ad ſynodum convenientes epiſcopi ſtatuerunt, ut quiſque à ſingulis parœciarum ſuarum alumnis auri *ceration* exigerent: quod Michaëlis ſucceſſores deinceps factitarunt invecta in eccleſiam ſuam ſimoniæ labe, cujus nullus neque modus, neque finis fuit. Quocirca ferunt eum ſe non Michaëlem, ſed Chaïa appellitaſſe, velut omnium ultimum & infimum. Obiit die 21. menſis Mechir, ſeu 15. Februarii, quum ſediſſet annos 27. vel 25. dumtaxat, ut Elmakinus ſcripſit; adeoque anno Hegiræ 295. Chriſti 906. vel 907. CHAIL. ſeu MICHAEL III. Jacobita.

LIII. CHRISTODULUS.

GABRIEL *Jacobita.*

COSMAS III. *Jacobita.*

Eutychius pag. 488. ubi recitat iterum Michaëlis II. Patriarchæ obitum, addit Alexandrinam ſedem annos quatuor vacaſſe. *Anno*, inquit, *Califatus ejuſdem Moctaſi ſecundo mortuus eſt Michaël Patriarcha Alexandrinus die Dominica .... vacavitque poſt ipſum cathedra annos quatuor*, quamobrem *anno quinto*, ſeu poſt annum quintum, *Califatus ejuſdem*, inquit, *Chriſtodulus Halepenſis conſtitutus eſt Patriarcha Alexandrinus. Creatus eſt Hieroſolymis die Sabbati magni, quinto menſis Niſan, Bermudæ* (ſeu Pharmuthi) *ſeptimo. Die autem Jomadæ prioris decimo nono conſecravit ipſum Elias filius Manſur Patriarcha Hieroſolymitanus, quumque Alexandriam veniſſet, dixerunt urbis illius incolæ: Nolumus hunc, niſi repetantur preces quibus conſecratur Patriarcha: Quare preces Patriarchales rurſum adhibuerunt, idque menſis Ramadani quarto, anno ducenteſimo nonageſimo quinto. Sedit annos viginti-ſex, & menſes ſex,*

Digitized by Google

dein obiit: ſepultuſque eſt in eccleſia Michaëlis Faſtati Ægyptiacæ. Idem nimirum Chriſto- A dulo catholico accidit, quod olim Dioſcoro II. cui etſi ab epiſcopis qui ipſum elegerant ordinatus erat, quia potiores in ejus inthroniſatione partes magiſtratus habuerant, manus iterum impoſitæ ſunt, quemadmodum ſuo loco narravi. Atqui annus quintus Moctafi Califæ, Hegiræ 294. in Chriſti 906. incidebat, & Pharmuthi ſeptimus, ſecundus erat Aprilis, vigilia Paſchæ, ſeu Sabbato ſancto, litt. Dom. *F.* Quocirca Chriſtodulus pontificatum Alexandrinum geſſerit, ad annum uſque Domini 932. imo 933. inchoa- B tum. Nam Eutychius pag. 524. Chriſtodulum Patriarcham ait *obiiſſe feria 4. undecimo die ante finem menſis Dilkaadæ anno trecenteſimo vigeſimo, qui eſt Tiſrin ſecundi vigeſimus quintus, anni Diocletiani ſexcenteſimi quadrageſimi noni* (completi utique) *ſepultus eſt Faſtati Ægyptiacæ in eccleſia S. Michaëlis, quum ſediſſet annos viginti-ſex & menſes ſex.* Pag. 502. ſcribit, ejus tempore conflagraſſe Alexandriæ magnam eccleſiam quæ *Cæſarea* appellabatur, quæ templum olim Saturni fuerat à Cleopatra regina exſtructum, vel, C ut anti uiores auctores habent, Hadriani & Licinii palatium. Quod incendium accidit anno trecenteſimo Hegiræ, Chriſti 912. tertia menſis Schanali die. Eccleſia hæc à Jacobitis diu occupata, reddita Melchitis fuerat ſub Coſma I. Patriarcha. Anno Hegiræ 311. Chriſti 913. Moſlemii Temiſæ, ſeu Tani Melchitarum eccleſiam quæ extra arcem poſita erat, & *Butur* ſeu Victoris appellata, diruerunt. Cujus nominis eccleſias varias per Ægyptum exſtitiſſe perhibet doctiſſimus auctor hiſtoriæ Patriarcharum Ale- D xandrinorum. Hanc vero quum Chriſtiani inſtaurare cœpiſſent, tumultuantibus licet Mohammedanis, Regi, ſeu Emiro qui regia poteſtate pollebat, præcipiente, opus abſolutum fuit. Cophtitæ ſcriptores in vita Gabriëlis ipſorum, de quo mox dicemus, Patriarchæ, narrant, ante ejus ordinationem vacaſſe Jacobiticam ſedem multos annos, interim vero Melchitas vacantis ſedis occaſione ordinato ſibi Patriarcha, inſolenter adverſus Jacobitas ſe geſſiſſe. Tum Pachomium epiſcopum Saca ſive Xois, qua ut pote qui E ditiſſimus erat, apud Hamarowium ſupremum Præfectum, ſeu regem aut tyrannum valebat auctoritate obtinuiſſe, ut cuncti juſſis ſuis obtemperarent, ſuggeſſiſſe vero interim Præfecto Melchitas, cum Romanorum Byzantinorumve doctrinam tenerent, eorum Imperatori ſi copias navibus in Ægyptum duceret, auxilio futuros. Quocirca Melchitarum Patriarcham Alexandriæ comprehenſum eſſe cum ſex communionis ſuæ epiſcopis, quorum, uti Patriarchæ, veſtes ſciſſæ ſunt, quin & Patriarchæ dexteræ manus digiti, quibus crucis ſignum formabat. Quæ fabula multis confutatur in hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, quippe quam nec Eutychius habet, nec Elmakinus, nec Macriſius, nec Chronicon Orientale.

Quod *Gabriëlem* Jacobitam ſpectat, poſt aliquot annorum vacationem, imo 14. Macriſio & Elmakino, aliiſque teſtibus, anno Hegiræ 301. Chriſti 913. ordinatus ille fuit Jacobitarum Patriarcha, quum à puero in monaſterio S. Macarii educatus fuiſſet, & in alio quod *Dorothei* dicebatur monaſticam vitam egiſſet. Hic ut tributum perſolveret, quo deceſſor ipſius ſe obſtrinxerat, ordinationes perinde non niſi ſoluto pretio fecit, confirmavitque denarii aurei à ſingulis Chriſtianis, viris & mulieribus exactionem. Vita functus eſt die 11. Mechir, ſeu 15. Februarii, atque ad S. Macarium ſepultus, cum ſediſſet annos undecim non integros, ſed ut fert canon Abulbircat, annos decem & menſes decem, ab anno 913. ad 923. Martyrum 639. Hegiræ 311. Quamquam in ejus annis putandis inter ſe diſcrepant Arabici ſcriptores.

GABRIEL *Jacobita.*

Gabriël Jacobitæ, quo tempore Chriſtodulus catholicus ſedebat, *Coſmas III.* ſucceſſit, circa annum Chriſti 923. Qui Æthiopibus Habeſſinis monachum quemdam Petrum nomine ordinavit metropolitam quo diu caruerant, ita ut Rex illorum ſacerdotis interim munere fungeretur. De quo legenda hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum. Sedit annos duodecim, at non certe completos, uſque ad Hegiræ 323. Chriſti 934. obiitque 3. Phanemoth, ſeu 27. Januarii.

COSMAS III. *Jacobita.*

LIV. EUTYCHIUS *catholicus.*

MACARIUS *hæreticus.*

Eutychius ipſe Alexandrinus Patriarcha catholicus, cujus Annales Arabicos hactenus exſcripſimus, Chriſtodulo proxime ſucceſſit; cujus vitæ compendium ex hiſtoria Medicorum Ebn-Abi-Oſaïbææ Arabicè Latinèque à Joanne Seldeno præmiſſum eſt Annalium ejus editioni. Huic à natalibus nomen fuit *Said Ebn-Batrich,* ſive *Said filius Patricii,* qui Patriarcha factus *Eutychius* maluit nominari, cum *Said* Arabicè idem ſignificet, quod *Eutychius* Græce & Latine *Fortunatus.* Patria ei Ægyptus fuit, natalium locus, ut ipſe teſtatur pag. 527. Faſtatus. In lucem editus eſt anno 8. Matemadis Billa Califæ Syriæ, & Achmodis Ebn-Tolon Ægypti Califæ anno Hegiræ 263. Chriſti 876. die Dominica, 27. menſis Dilhaggiæ, ſeu die 8. Septembris. Medicinæ ſcientia clarus fuit,

Digitized by Google

rerumque hiſtoricarum ſtudioſus, ac quod potiſſimum eſt Theologicarum, quod ex ejus concertationibus quas in varios hæreticos ſuis Annalibus intertexuit, compertiſſimum fit. Poſt obitum Chriſtoduli annos ſolares circiter quinquaginta octo annos natus, Alexandrinæ ſedi impoſitus fuit, anno Hegiræ 321. Chriſti 933. die 8. menſis Sephar, Februarii itidem 8. Sedit autem annos lunares 7. & menſes ſex Elmakino teſte lib. 3. Annal. cap. 1. vivereque deſiit Alexandriæ anno Hegiræ 328. die lunæ ac poſtrema menſis Rajebi, hoc eſt die Maii 12. ann. Dom. 940. anno circiter 63. natus, Califa Syriæ Arade Billa, Conſtantino VIII. Porphyrogenneto cum Romano Orientis Imp. atque Othone magno Occidentis. In fine Annalium Eutychius ipſe narrat anno Hegiræ 326. ſive Chriſti 937. & 938. *Theophylactum Conſtantinopolitanum Patriarcham, nuntium ad Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas miſiſſe, quo rogabat, ut ſui nominis in ipſorum precationibus & ſacris mentio fieret: quum hoc fieri deſiiſſet à tempore Ommiadum.* Libros alios Eutychius Arabicè ſcripſiſſe fertur, in quibus *Diſputatio inter hæreticum & Chriſtianum.*

Hactenus Alexandrinorum Patriarcharum accuratam ſeriem deſcripſi, qui illius urbis eccleſiæ catholicæ præfuerunt, quos ex certis monumentis colligere mihi licuit. Non ſic vero continua mihi ſucceſſio eſt illorum qui eam ſedem ſubinde capeſſiverunt. Quumque Cahira obtinuerim nomina illorum qui ab Eutychio ad hoc noſtrum tempus ſediſſe dicuntur, in multis tamen illum laterculum deficere ex eis quæ dicenda ſunt planum fiet.

MACARIUS *Jacobita.*

Eutychio Melchitarum Patriarcha, Coſmam Jacobitam *Macarius* monaſterii Vallis Habib alumnus excepit anno Martyrum 643. Chriſti 933. menſe Pharmuthi, quum ſedes menſe uno biduo minus vacaſſet. Qui ſtatim ab ordinatione ſua Alexandria ſeceſſit, quemadmodum deceſſores ipſius Gabriël & Coſmas, ob eccleſiæ poſſeſſiones à Michaële III. divenditas. Huic annos viginti completos aſſignant, fatiſque functum aiunt anno Hegiræ 343. Martyrum 669. Chriſti 954. & mortuum ferunt 24. Phanemoth, 20. Martii. In cod. Vaticano Arabico 23. quem Aſſemanus Maronita ab Oriente attulit, habetur epiſtola ſynodica *Macarii Patriarchæ Alexandrini ad Joannem Antiochenum*, Jacobitam ſcilicet.

LV. SOPHRONIUS.
LVI. ISAAC.
LVII. JOB.
THEOPHANIUS *Jacobita.*

Ex duplici laterculo Patriarcharum orthodoxorum ſive Melchitarum qui Cahira tranſmiſſus eſt Eutychio ſucceſſit *Sophronius*, mox *Iſaac*, ac ſubinde *Job*, de quibus nulla dicenda ſuppetunt. Interim Jacobitis poſt Macarium præfuit *Theophanius*, qui eodem quo deceſſor ſuus obiit anno, Hegiræ ſcilicet 343. Diocletiani 669. Chriſti 954. quum affectæ jam ætatis eſſet, Alexandrinæ eccleſiæ penſionem ſtatim ſolvit, quam minui vel remitti ab Alexandrinis non impetravit. Orta vero de ea re contentione, quum duo quidam objicerent, nihil eum amplius quam cæteros habere præter veſtem Patriarchalem, hanc ille humeris detractam pedibus proculcavit; ſed ab immundo ſpiritu arreptus, ferreis vinculis conſtrictus fuit, ac poſt horrendas voces quas evomuerat, ab epiſcopis & clericis qui aderant cervicali ejus ori appoſito ſuffocatus eſt, die 10. menſis Cohiac, 3. Decembris, quum ſediſſet annos 4. Elmakinus, Macriſius, & Abulbircat ſex menſes addunt, ut exſtinctus ſit 4. Phanemoth, anno Hegiræ 347. Diocl. 674. Chriſti 958.

THEOPHANIUS *Jacobita.*

LVIII. ELIAS.
MENAS II. EPHRÆM
& THEOPHILUS *Jacobitæ.*

Jobum in laterculo excipit *Elias*, qui Alexandrinam eccleſiam orthodoxam regebat, quo tempore Menas Jacobita, ut comperimus ex colloquio Joannis Jacobitarum Syriæ Patriarchæ, cum Conſtantinopolitanæ urbis archiepiſcopo Polyeucto, ad quam ille Imperatoris Nicephori Phocæ poſt Syriam Imperio reſtitutam juſſu ductus fuerat: quod quidem colloquium ſuum Mennæ Alexandrino Joannes ſcripta epiſtola recitavit, quæ à doctiſſimo Aſſemano Arabice edita exſtat Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 133. Nimirum Joannes Conſtantinopolitano Patriarchæ Alexandrini, quem appellabat, nomen ſciſſcitanti, reſpondit, *Dominus Menas. Ille vero hæreticus eſt*, ait Polyeuctus, *ſcripſit enim ad nos litteras inſulſas ejuſque confeſſio fidei prava eſt: habemus vero Alexandriæ Patriarcham orthodoxum nomine Eliam.* Plura de Elia utinam occurrerent.

Minas ſive *Mennas*, monachus Cœnobii S. Macarii, ex *Sandala* urbecula oriundus, ab uxore quam duxerat, & cui caſtitatem vovere ſuaſerat, jam pridem ſeparatus, invitus & gravem ætatem necquidquam objiciens, catenis vinctus Alexandriam, Theophanio mortuo, ordinandus ductus fuit. Ad eum Joannes Antiochenus Jacobita epiſtolam illam, de qua mox dicebam, ſcripſit de ſuo cum archiepiſcopo Conſtantinopolitano colloquio, quum in eam urbem Regiam vinculis conſtrictus miſſus eſſet. Quod conti- MENNAS II.

Digitized by Google

git anno Alexandri, ſive Seleucidarum 1289. Chriſti 968. Diſputationis ſummam legere A eſt in hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, cum aliis quæ ad eam ſpectant: litteras vero Joannis Aſſemanus edidit, Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 133. & ſeqq. Obiit Mennas 18. epiſcopatus anno; cui tamen Elmakinus & Macriſius undecim dumtaxat annos aſſignant, Abulbircat duodecim & menſes ſex: mortuum vero tradunt alii menſe Cohiac, alii 15. Athyr, ſive 11. Novembris. Quocirca Cophtitarum ſedem à Theophanii nece vacaſſe credidero aliquot annos qui in octodecim illis numerati ſint.

EPHRÆM *Jacobita.*

Menna Jacobita defuncto, Ægypti inferioris & ſuperioris epiſcopi & ſcribæ Divani Miſræ, qui plerique Chriſtiani erant, cum ſacerdotibus Alexandrinis convenientes, negotiatorem quemdam Syrum Jacobitam nomine *Ephram*, qui Abraham quoque dicebatur, virum pietate & munificentia in pauperes præclarum elegerunt, quem catenis ligatum & Alexandriam deductum ordinaverunt, anno Martyrum 693. Hegiræ 367. Chriſti 977. Tunc temporis claruit Severus filius Macfaf epiſcopus Aſchumin, qui Patriarcharum vitas deſcripſit, aliaque varia opera quæ recenſentur pag. 368. Patriarcharum Alexandrinorum. Obiit Ephræm veneno exſtinctus à quodam Divani ſcriba, quem reprehenderat, extorremque communionis fecerat, ob pellices quas alebat. Sedit annos 3. menſes 11.

PHILOTHEUS *Jacobita.*

Erpenius in ſua Elmakini annalium Arabicorum tranſlatione, pro *Philotheo* Jacobitarum Patriarcha *Philoponum* poſuit, Michaël vero Taneos, inverſis litteris, *Theophilum* vocavit. Quum itaque Cophtica ſedes menſes ſex vacaſſet, Ephræmio ſuffectus eſt ante Muazzi, qui Fatimidarum Ægypti Califarum primus fuit obitum, circa annum Hegiræ 371. Martyrum 697. Chr. 981. quum eodem Muazzo ejuſque filio Azzizo regnantibus ſumma pace Chriſtiani fruerentur. Hic vero Patriarcha Scania pro *Sartonia*, id eſt, χειροτονία, ſive ordinationibus accipiens, aliaque admittens epiſcopo indigna, à Deo percuſſus periit 2. Athyr, ſive 29. April. quum ſediſſet annos 24. menſes 8. Hegiræ ſcilicet anno 396. Martyrum 721. Chriſti 1005. Ejus tamen memoria colitur in Hagiologio Æthiopum, quippe qui, quum ſex Alexandriæ Patriarchæ nullam eccleſiæ ipſorum curam habuiſſent, metropolitam demum illis miſerat nomine *Daniëlem*. Synodicam ejuſdem Philothei ad Dionyſium Antiochenum, quin & aliam ejuſdem ad Athanaſium Dionyſii ſucceſſorem, exhibet Vaticanus codex ab Oriente allatus.

LIX. ARSENIUS. ZACHARIAS *Jacobita.*

Regnanti apud Ægyptios Azizo Billah Fatimidæ concubina Græca fuit, ipſaque Chriſtiana, ex qua Hakemum filium ſuſtulit: fratrem hæc habuit *Arſenium* nomine, quem Hakemus Melchitarum Patriarcham renuntiavit, ejuſque fratrem alterum *Hieremiam* nomine Hieroſolymorum. Arſenius ſororis auctoritate fultus, Jacobitarum eccleſias aliquot à Califa petiit, quarum unam dumtaxat obtinuit, B. Mariæ ſcilicet in vico Abulhuſ- B ſeim poſitam, quæ deinceps Patriarchalis eccleſia dicta eſt.

ZACHARIAS *Jacobita.*

Philotheo defuncto, Hakemo Azizi filio jubente, Abrahamus ditiſſimus mercator, Jacobitarum Patriarcha renuntiatus fuit, cui Alexandrini favebant, ſed epiſcopi domum potiùs redire propoſuerant, quum illi manus imponere. Mox vero *Zachariam* preſbyterum, & eccleſiæ S. Michaëlis œconomum, qui patria Alexandrinus erat, Alexandrinis in ſuam ſententiam adductis ordinaverunt menſe Tybi, ut fert Abulbircat. Qui ſeptem primis C annis eccleſiam tranquillè adminiſtravit, ſed propter ordinationum nundinationem, apud Principem accuſatus quod infinitas opes colligeret, in carcerem truſus fuit, ac poſt tres menſes leonibus devorandus objectus, incolumis ab illis evaſit. Hakemus Syriæ regni compos, Calvariæ templum aliaque Hieroſolymis evertit anno regni ſui 6. Hegiræ 398. Chriſti 1007. Interim Zacharias carcere dimiſſus, deſertum ſancti Macarii petiit, ubi novem annos quietus manſit, donec Hakemo non nihil de ſævitia remittente, Miſram D ſive Cahiram redire permiſſus eſt, & eccleſias inſtaurare. Quinetiam indulſit Princeps, ut Chriſtiani qui, furente perſequutione, lapſi erant, Mohammedanam ſuperſtitionem liberè relinquerent. Patriarcha è deſerto regreſſus, Hakemum ſalutaturus adiit epiſcopis plurimis ſtipatus. Quæſivit ab eo Califas, quanta ejus ditio & auctoritas eſſet; cui monachus Yemin pro Patriarcha reſpondit: *Per omnem Ægyptum, Æthiopiam, Nubiam, Africam, Pentapolim, aliaſque provincias, Chriſtianos omnes ei obtemperare, crucis ſigno inter litteras* E *impreſſo, nec opus eſſe ut militaribus copiis aut pecuniis continerentur.* Quærenti Califæ de epiſcopis qui aderant, ſuos hos eſſe vicarios reſpondit. Obiit Zacharias an. Hegiræ 424. Martyrum 748. Chriſti 1032. quum annos 28. ſediſſet.

LX. THEOPHILUS *ſive* GEORGIUS. SANUTIUS II. *Jacobita.*

Arſenio Melchitarum Patriarchæ catalogi noſtri

Digitized by Google

noſtri ſucceſſorem aſſignant *Georgium* : qui vix alius fuerit ab eo quem Doſitheus Hieroſolymorum Patriarcha Philotheum appellat, fortaſſe per incogitantiam. Ut ut ſit, is de quo Doſitheus ſermonem habet, ſub Hakemo Califa ſedebat, Baſilio Porphyrogenneto & Conſtantino Impp. & Sergio Conſtantinopolitanum patriarchatum gerente. De eo porro Doſitheus lib. 7. de patriarch. Hieroſolym. cap. 19. §. 9. narrat ex Epiphanio magno Logotheta, quod, dum in urbe regia ageret, & Sergius Patriarcha à principe Baſilio male vexatus in Baſilium aperto ore debacchatus eſſet, diſſidii illorum Philotheus Alexandrinus arbiter acceſſitus eſt. Is imagunculis cereis duabus acceptis, alteri earum linguam præcidit, alteri manum dexteram; nimirum Sergii procacem linguam caſtigans, nimiamque ſimul Imperatoris ſeveritatem; propter quod Alexandrini judicium conceſſum illi eſt ut *Judex orbis* diceretur, Κριτὴς τῆς οἰκουμένης, Κριτὴς οἰκουμενικὸς, quia Philotheus duarum perſonarum œcumenicarum, univerſalium, Imperatoris ſcilicet & Byzantini Patriarchæ allectus erat. ὅθεν ὁ Ἀλεξανδρείας κριτὴς τῆς οἰκουμένης ἐκλήθη. Quod contigiſſe videtur circa annum 1019. quo, patratis bellis quæ Baſilius cum barbaris gentibus geſſerat, Sergius eum adortus eſt, ut tributum quod Allelingium dicebatur, ſupprimeret, ſed caſſo inanique conatu.

SANUTIUS II. *Jacobita.*

Zachariam apud Cophtitas excepit *Sanodius, Senuda,* ſive *Sanutius II.* cujus electioni omnes ſuffragati ſunt, quum multi alioqui Patriarchatum obtinere contendiſſent; quod Taheri qui Hakemo parenti ſucceſſerat, & procerum opera & auctoritate confectum eſt; illumque, qui S. Macarii monachus & presbyter eſſet, è cella eductum ordinarunt. Sed magno Alexandrinorum ſcandalo ſimoniacas ordinationes aliaque ſordida admiſit. Interiit die 2. Athyr, ſive 29. Octobris anno Hegiræ 439. Martyrum 763. Chriſti 1047. quum ſediſſet annos quindecim & menſes aliquot. In ejus tamen emortuali die aſſignanda diſſident Arabici ſcriptores. Morienti aderat Michaël ejus ſcriba, qui poſthac epiſcopus Taneos fuit, Severi Aſchuminenſis hiſtoriarum continuator.

LXI. ALEXANDER II. *ſive* LEONTIUS.

LXII. JOANNES.

CHRISTODULUS *Jacobita.*

In ſchedis quas doctiſſimi Sammarthani fratres ad Orientalem eccleſiam deſcribendam paraverant, quæque Pariſiis apud presbyteros Oratorii Sammagloriani aſſervantur, Alexander Alexandrinus Patriarcha ſediſſe fertur anno 1059. adeoque Melchita non Jacobita. Utinam auctorem indicaſſent ex quo hunc acceperunt. Nobis catalogi Alexandri loco *Leontium* exhibent. Porro in iiſdem catalogis ſequitur *Joannes* deceſſor Sabæ, de quo mox.

CHRISTODULUS *Jacobita.*

Coacto de more poſt Sanutii obitum Concilio, *Chriſtodulus* monaſterii primi in valle Habib ſacerdos electus eſt, qui Alexandriæ ordinatus fuit anno Hegiræ 439. Martyrum 763. Chriſti 1047. Miſram profectus, proclamatus iterum fuit in eccleſia Muallaca S. Mariæ ab epiſcopis viginti; quum interim de conſuetudine veteri cæremonia iſta in eccleſia S. Sergii in Caſtro Elſema quæ *catholica*, ſive cathedralis dicebatur, peragenda eſſet. Id quod eccleſiæ hujus archidiaconus graviter adeo tulit, ut nomen ejus è Diptychis appellari prohibuerit, donec Chriſtodulus in ipſa liturgiam celebravit.

Hic Michaëlem qui Philotheo ab epiſtolis fuerat, epiſcopum Taneos creavit, quem cum Gabriële Saïtenſi ad Joannem Antiochenum cum ſynodicis ſuis litteris miſit, quibus eccleſiæ ſuæ calamitates narrabat, adjecta ſanctione quam edixerat de Euchariſtia conſervanda. Obiiſſe dicitur die Sabbati 14. menſis Cohiac, ſive 10. Decembris, anno Hegiræ 471. Martyrum 794. Chriſti 1078. Verum eo anno 10. Decembris Sabbatum non erat, littera Dominicali currente *A*, ſed undecima, unde mors ejus aſſignanda potius fuerit anno 1077. biſſextili ob litteram Dominicalem *B*.

LXIII. SABAS.

CYRILLUS II. *Jacobita.*

Joannem excipit *Sabas* orthodoxus in catalogis qui Cahira miſſi ſunt. Chriſtodulo Jacobitæ ſucceſſit *Cyrillus*, ex cujus hiſtoria comperimus electionem ejus, ut ad Alexandrinos, ita & ad clerum & primores Cahiræ tunc ſpectaſſe, quin etiam ad monachos S. Macarii, apud quos electio inchoaretur. Ibi menſes duo prius inſumti ſunt, quam in Patriarcha deſignando conſentirent. *Iſum* tandem ſive *Juſtum*, monaſterii Abucama alumnum ſanctitatis opinione celebrem poſtularunt, qui ſe libertinum eſſe oſtendit, adeoque muneri illi imparem: is vero Georgium monachum illis indicavit, quem Chriſtodulus ſibi ſucceſſurum dixerat. Quocirca Alexandriam deductus eſt, ſumtoque Cyrilli nomine conſecratus dicitur 22. Phanemoth, ſive 18. Martii, quæ tamen Dominica non erat ob currentem litteram Dominicalem *A*, anno Martyrum 794. Chriſti 1078. Errat

CYRILLUS *Jacobita.*

Digitized by Google

quoque Elmakinus, qui ordinationem ejus eſſe factam ſcripſit Dominica Palmarum, cum illo anno Paſcha non inciderit in 25. Martii. Cyrillo Thomas ſacerdos Syrus ſynodicam attulit à Dionyſio Jacobitarum Patriarcha Antiocheno, quæ lecta eſt in eccleſiis, ejuſque nomen Diptychis adjectum.

Cyrilli II. tempore Salomon rex Nubius, regno ad ſororis ſuæ filium tranſlato, monaſticam vitam amplexus eſt in valle Abunafer, ſive Onuphrii, quæ tridui itinere à Nubia diſtabat, ſepultuſque eſt in monaſterio S. Georgii in Khan. Cyrillus vero juvenem nomine Severum, doctrina inſignem, Æthiopum metropolitam inſtituit; à quo quum accepiſſet Æthiopes uxores multas ducere, illos à polygamia abſtinere data epiſtola monuit. Conſtitutionibus quoque ſuis ſimoniacas ordinationes proſcripſit. Illo ſedente, Gregorius Armenorum catholicus Conſtantinopoli Alexandriam navi appulit cum numeroſo famulitio, huncque Cyrillus communionis ſuæ conſortem fecit. In Ægypto Gregorius verſabatur adhuc anno Martyrum 834. Chriſti 1118. quo exequiis Sanutii epiſcopi Miſræ interfuit, diu poſt Cyrilli obitum, qui contigerat anno Hegiræ 485. Martyrum 808. Chriſti 1092. die Dominica, 12. menſis Payni, ſive Junii 6. littera Dominic. *C.* quum ſediſſet annos 14. menſes 3. dies 16.

LXIV. Theodosius.

Michael *Jacobita.*

Sabam excipit *Theodoſius* in catalogis, de quo plura non ſuppetunt.

Michael *Jacobita.*

Cyrillo defuncto, de electione Patriarchæ fruſtra ab Alexandrinis totos menſes quatuor agitatum eſt, donec facta mentione ſacerdotis cujuſdam incluſi in monaſterio prope Sinjarum, cui *Michaëli* nomen, omnes in eum conſenſerunt; ita tamen ut ſponderet, ſe penſionem annuam ſoluturum ad eccleſias inſtaurandas, ſumtus item ad officia ſacra & pauperum ſuſtentationem, & ſimoniam aboleret. Cæterum egredi è cella noluit, niſi Patriarchalibus ornamentis veſtitus ab epiſcopis mox ordinaretur, quum ordinatio Alexandriæ fieri deberet. Alexandriam vero deductus Patriarcha renuntiatus fuit die 12. Paophi, ſive 9. Octob. anno Martyrum 809. Chriſti 1093. Hegiræ 486. Nullis vero veterator ille pactis ſtetit, ſibique obſiſtentem epiſcopum Miſræ variis modis vexavit. Quum Nilus ejus tempore multum decreviſſet, Muſtanſirus Ægypti Princeps & Califa Michaëlem ad Æthiopiæ regem cum muneribus miſit, ut diverticulum aquarum fluminis clauderet; quod ejus precibus obtinuit. Metropolitam Æthiopiæ Michaël à Wiziro coactus deſignavit Georgium ſancti Macarii monachum, qui ob incompoſitos mores & avaritiam à rege expelli meruit. Ejus tempore, anno Hegiræ 492. Chriſti 1099. die veneris 13. menſis Arabum Sçabam, Hieruſalem à Francorum exercitu expugnata eſt. Quo factum eſt, ait vitæ Michaëlis ſcriptor, ut nobis Chriſtianis Jacobitis Cophtitis non amplius facultas ſit peregrinationis ad eam urbem inſtituendæ, nec eam adeundi. Notum enim eſt eorum erga nos odium quaſi in Fide erremus, adeo ut palam nos impietatis condemnent. Obiit Michaël Dominica Pentecoſtes die 30. menſis Pachon, ſeu 25. Maii anno Hegiræ 496. Martyrum 818. Chriſti 1102.

LXV. Cyrillus.

Macarius *Jacobita.*

Sæculo, ut arbitror undecimo, vel duodecimo vixit Alexandrinus archiepiſcopus ſive Patriarcha Græcus, adeoque Melchita & orthodoxus, nomine *Cyrillus,* artis medicæ peritus, ut comperimus ex codice Regio 2502. qui ſæculo decimo-quinto exaratus fertur, quo continentur confectiones Oxypororum, ſaliumque & aliorum remediorum ex Galeno, Jamblicho, Manethone, Pollota & Cyrillo Alexandriæ. Neminem Alexandriæ Patriarcham Jacobitam novimus qui remediis conficiendis operam dederit, ſed neque Jacobitæ Patriarcham ſuum *archiepiſcopum* nuncupabant. Codex Colbertinus 6708. volumen continet carminum Iambicorum *Cyrilli* Alexandrini. Coiſlinianus quoque 170. Lexicon archiepiſcopi Alexandriæ, quod Cyrilli nomen præfert in Colbertinò 2748.

Macarius *Jacobita.*

Poſt Michaëlis Cophtitarum Patriarchæ obitum, epiſcopi nonniſi ad feſtum S. Crucis die 17. Paophi, 14. Septembris convenerunt; èque duobus qui eo munere digni videbantur, Macario nempe cœnobii S. Macarii ſacerdote, & June ſive Joanne diacono in eccleſia Miſræ, lectis epiſcoporum litteris, *Macarius* electus eſt, qui invitus, ſeque ex ſecundo conjugio genitum fruſtra cauſatus, veſte patriarchali indutus eſt, moxque pontifex ordinatus die Dominica 13. Athyr, 9. Novembris, anno Hegiræ 496. Martyrum 819. Chriſti 1103. Quoſdam ritus hic mutavit, *ut puta, quum filii Cophtitarum prius baptizarentur, deinde circumciderentur, conſtituit eos ante circumcidi quam baptizari.* Item ut ſponſalia deinceps non in domibus, *ſed in eccleſiis fierent, ipſo tempore coronationis ſponſorum.* Quæ ſtatuta illi affingit Elmakinus, etſi nuſquam alibi occurrunt. Hunc ille obiiſſe refert anno Martyrum 845. Chriſti

Digitized by Google

1129. Hegiræ 524. vel 525. Abulbircat vero anno Martyrum 844. die 25. menſis Cohiac, Decembris 21. quum ſediſſet annos 26. menſes 8.

LXVI. Eulogius II.

Gabriel *Jacobita.*

Michael *Jacobita.*

Joannes *Jacobita.*

Sæculo undecimo adulto, Alexandriæ Patriarcha ſedebat *Eulogius II.* Melchita, cujus nomen deeſt in catalogis. *Hic de ſui temporis hæreſi Bogomilorum ſcripſit, narrationemque de impio Baſilio* eorum auctore, exſtatque liber illius in Biblioth. Medicea Plut. 59. cod. 13. Atqui hæreſis hæc agnita eſt Alexio Comneno Imp. Byzantino, à quo Baſilius impietatis convictus, nec pœnitens flammis perire juſſus eſt anno 1118.

Gabriel *Jacobita.*

Macario mortuo Cophtitarum ſedes diu vacavit, annos ſcilicet 2. totidemque menſes. Zaraa Gabriëlis, qui illi ſucceſſit, vitæ ſcriptor hunc ordinatum ſcripſit 9. Mechir, Febr. 3. an. Martyrum 847. Chriſti 1131. Diaconus erat eccleſiæ S. Sergii, vita & eruditione clarus. Quum in monaſterium S. Macarii iterum proclamandus rediiſſet, confeſſionem de Euchariſtia quam ante ejus perceptionem in miſſa recitant, hoc modo pronuntiavit. *Credo & confiteor hoc eſſe corpus Domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quod accepit ex Dei genitrice ſancta Maria Virgine, fecitque illud unum cum divinitate ſua.* Noluerunt monachi poſtremas haſce voces admittere, *fecit illud unum cum divinitate ſua*, quæ inauditæ prius erant. Eas tamen à ſe pronuntiatas aiebat, ſuggerentibus epiſcopis à quibus ordinatus erat, admiſſæ vero tandem fuere cum hac appendice *abſque diviſione, permiſtione & confuſione.* Sed confeſſionem ab omni adjectione puram mordicus tenuerunt eccleſiæ Sahid ſive Ægypti ſuperioris ac Thebaïdis. Canones complures edidit, non prorſus contemnendos, ejuſque memoriam Æthiopes celebrant, quòd tumultus ſedaverit qui in eorum regione orti erant. Obiit anno Hegiræ 541. Martyrum 862. Chriſti 1146. die Pharmuthi 10. ſeu 5. Aprilis. Hic Gabriël Wanſlebio filius Torrik.

Michael *Jacobita.*

Quatuor à Gabriëlis morte elapſis menſibus, quum epiſcopi quidam & laïci primores Joannem Kidarani filium illi ſucceſſorem dari poſtularent, omnibus demum placuit trium nomina in ſchedis ſcribi, Joannis filii Abulfetah monachi è cœnobio ſancti Joannis, Salomonis filii Dehiari è monaſterio Primi, & Michaëlis monachi S. Macarii. Tribus his adjecta quarta eſt Jeſu Chriſti A nomine inſcripta. Quibus in altari poſitis, liturgiaque per triduum celebrata, adductus infans, illam è quatuor ſuſtulit, in qua *Michaëlis* nomen legebatur. Qui mox ex diacono preſbyter, deinde hegumenus, ac tandem Alexandriæ antiſtes eſt ordinatus, die Dominica 5. Meſori, ſeu Julii 29. anno Hegiræ 541. Martyrum 862. Chriſti 1146. Fatis conceſſit nono pontificatûs menſe. In Chronico Orientali cognominatur *Ebn-Dakalti, filius Dakalti.*

Joannes *Jacobita.*

Multi quidem epiſcopi & laïci *Joannem* B filium Abulfetah diaconum cœnobii S. Joannis Michaëli defuncto ſuffici expetiverunt, ita ut è cella extractum, & Miſram adductum, ſacerdotem eum in eccleſia Muhallaca ordinaverint, ſubindeque hegumenum. Quominus vero Patriarcha conſecraretur, obſtitit primum Joannes ille, de quo in Michaële diximus, Kidarani filius, ambitioſus monachus, qui in aula Califæ muneribus erogatis magna valebat auctoritate; ſed accerſitis coram Principe & Divano ſive Senatu epiſcopis, unus Joannes Abulfetah libera voce C teſtatus eſt, non poſſe à Chriſtianis eum eligi Patriarcham, qui dignitatem hanc malis artibus ambiiſſet. Quocirca Mohammedani judices ab Alexandrinis quærendum pronuntiarunt, utrum è duobus mallent, qui auditis legatis, omnes clamaverunt, *Joannes filius Abulfetah Patriarcha noſter, ipſe eſt hoc honore dignus.* Quamobrem Cahiræ ordinatus eſt die Dominica inſequenti, quæ ſecunda erat quinque dierum Epagomenon, quibus Ægyptiacus annus in fine augetur poſt trigeſimum menſis Meſori, adeoque die 25. D Auguſti, an. Martyrum 863. Chriſti 1147. atque Alexandriam profectus ibidem Patriarcha renuntiatus fuit. Hic inſertam rurſum Euchariſticæ, de qua ſuperius eſt dictum, confeſſioni vocem iſtam, *vivificum corpus*, adverſus monachos quoſdam vindicavit. Obiiſſe fertur 4. menſis Pachon, ſeu 29. Aprilis, anno Martyrum 883. Chriſti 1167. & Hegiræ 563. qui à 16. Octobris anno præcedenti inceperat. Quia vero collatis calculis ejus ſucceſſor ordinatus fuit anno Martyrum 880. Chriſti 1164. Joannem ante E triennium mortuum eſſe apparet, nec proinde viginti annis ſedit, ſeu 19. cum octo menſibus, ut ſcripſit Wanſlebius. Miſræ ſepultus eſt in eccleſia S. Macarii juxta corpus Gabriëlis deceſſoris quondam ſui: ſed amborum corpora à Marco filio Zaraa Patriarcha tranſlata ſunt ad monaſterium S. Macarii, ut & aliorum Patriarcharum. Hic poſtremis vitæ ſuæ annis arcanam peccatorum apud ſacer-

Digitized by Google

dotes aut diaconos confeſſionem abolevit, edixitque ut ejus loco thuribulo fumante A quiſque apud ſe culpas ſuas Deo confiteretur, ceu hoc ſolo ritu eorum venia impetranda eſſet.

LXVII. Sophronius II.

LXVIII. Elias.

Marcus *filius* Zaara, *Jacobita*.

Circa finem anni 1166. Mariam Raymundi Antiocheni Ducis filiam Manuel Comnenus Imperator duxit, eorumque nuptiis adfuere, impoſitiſque manibus benedixere B Lucas Chryſoberges Byzantinus Patriarcha, *Sophronius* Alexandriæ, & Athanaſius Theopolis ſive Antiochiæ, Σωφρονίου Ἀλεξανδρείας. Hæc Joannes Cinnamus lib. 5. num. 7. Sophronii meminere noſtri catalogi, quos in hoc ſæculo quidem minus accuratos eſſe apparet, cum ab Alexandro ſive Leontio, qui anno 1050. ut diximus, ſedebat, tres Patriarchas dumtaxat, Joannem, Sabam & Theodoſium ad hunc Sophronium uſque numerent; ſed ii deinceps magno nobis adjumento erunt.

Elias. Sophronio utique proxime ſucceſſit *Elias*, quem in adverſariis meis olim ſcripſi Alexandrinam ſedem, Melchitarum ſcilicet, tenuiſſe anno 1180. Quod unde acceperim cum nunc ignorem, confirmari tamen poſſe mihi videtur auctoritate alterius è Catalogis Cahira miſſis, in quo Sophronium II. excipit *Alſierus*, nomine prorſus corrupto.

Marcus *Jacobita.* Anno Martyrum 880. Chriſti 1164. Hegiræ 560. Joanni Jacobitarum Patriarchæ defuncto ſuffectus eſt *Marcus* filius Zaraa, qui prius vocabatur etiam Abulfergius filius D Abuſaad. Ejus tempore Fatimidarum exſtincto in Ægypto imperio, regnavit Salahaddinus, cujus geſta accuratiſſime recitat doctiſſimus auctor hiſtoriæ Patriarcharum Alexandrinorum. Quum Marci deceſſor ſanctionem de omittenda confeſſione peccatorum dediſſet, Marcus quidam alter Elkonbari filius monachus & preſbyter ex adverſo ſurrexit, quo ejus neceſſitatem tueretur; hunc vero Michaël Damiatenſis metropolita non nullis voluminibus editis confutare conatus eſt. Atqui Elkonbari filium à Marco Patriarcha malè vexatum aiunt ad Melchitas cum E ingenti Pſameritarum, ſeu inferioris Ægypti incolarum turba ſemel atque iterum tranſiiſſe, demum facti pœnitentem, à Jacobitis rejectum eſſe. Defunctus eſt Marcus Patriarcha anno Hegiræ 585. Martyrum 905. Chriſti 1189. die ſexta Tybi, ſeu prima Januarii.

LXIX. Marcus.

Joannes VI. *filius* Abugaleb, *Jacobita*.

Anno 1195. Alexandriæ Patriarcha ſedebat *Marcus*, qui dubia ſua ad Theodorum Balſamonem miſit, eorum ab eo quærens ſolutionem. Horum iſthæc inſcriptio eſt, quam Latine recito: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Interrogationes ad quas reſponderi deſiderant Chriſtiani qui Saracenorum regionem & ſub eorum imperio habitant, factæ à Marco Patriarcharum Alexandrinorum minimo, παρὰ Μάρκου τοῦ ἐλαχίστου B ἐν τοῖς πατριάρχαις τῆς Ἀλεξανδρείας, in diebus piiſſimi & Chriſti amantiſſimi Imperatoris noſtri Domini Iſaacii Angeli, & tempore ſanctiſſimi & œcumenici Patriarchæ Georgii, quorum Deus augeat annos in longitudinem dierum. Menſe Februario Indict. XIII. anni poſt incarnationem *Domini & Dei, & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti 1203.* Μηνὶ Φεβρουαρίῳ ἐπινεμήσεως ιγ. καὶ ἔτους μετὰ τὴν σάρκωσιν τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ασγ' Qui annus Alexandrinus ab incarnatione Domini 1203. Indict. XIII. ultimus fuit C Iſaacii Angeli Imp. Georgii Xiphilini Patriarchæ Conſtantinopolitani tertius, vulgaris æræ noſtræ Chriſtianæ 1195. Primum Marci quæſitum obſervatione dignum eſt, ut & Balſamonis reſponſio. Rogabat ille, *num quæ in partibus Alexandriæ & Hieroſolymorum leguntur liturgiæ, & conſcriptæ dicuntur à ſanctis Apoſtolis Jacobo fratre Domini & Marco, recipiendæ ſunt à ſancta catholica eccleſia!* Negat orientalis juris canonici interpres Balſamon, vaniſſimis ductus argutationibus: inprimis *quia catholica ſanctiſſimi & œcumenici D throni Conſtantinopolis eccleſia nullomodo has liturgias agnoſcit. Nam omnes,* inquit, *eccleſiæ Dei ſequi debent morem novæ Romæ, nimirum Conſtantinopolis, & ſacra celebrare ſecundum traditiones magnorum doctorum & religionis luminarium S. Joannis Chryſoſtomi & S. Baſilii.* Sic Balſamon qui Antiochenus ſubinde Patriarcha renuntiatus fuit, vetuſtiſſimarum eccleſiarum præcipuos ritus immutandos & ad Byzantinæ eccleſiæ ritum cenſebat exigendos. Reſponſione 22. conſuetudinem aliam Alexandrinorum omittendam definit, E qua defunctorum epiſcoporum & preſbyterorum corpora ſacro chriſmate inungebantur. Quæſtione 18. Marcus rogat an omitti poſſit injectio ferventis aquæ in calicem conſecratum. Quia nimirum ejuſmodi ritus Byzantinorum apud Ægyptios non obſervabatur. Ex his colligas Alexandrinorum mores familiares Marco non fuiſſe, eumque proinde ex alia gente aſſumptum in Patriarcham.

Digitized by Google

Cæterum de hoc eodem ritu aquam ferventem in calicem conſecratum injiciendi Balſamon alio etiam loco, nimirum in Canonem 32. Concilii Trullani diſputat, moxque mentione injecta liturgiæ S. Jacobi Hieroſolymitanæ, & liturgiæ S. Marci qua Alexandrini ut plurimum utuntur, de iis ſe diſputaſſe prodit in ſynodo & coram Imperatore, quo tempore Alexandrinus Patriarcha, Marcus utique, in urbe Regia agebat: *Cumque ille nobiſcum, ait, & œcumenico Patriarcha in magna eccleſia ſacra celebraturus, Jacobi liturgiæ volumine uti vellet, à nobis prohibitus eſt, & ſe non ſecus ac nos ſacra celebraturum promiſit.* Dixi aliàs in his Marci quæſtionibus ſignificari ejus tempore Monotheletarum adhuc reliquias in Ægypto exſtitiſſe: niſi de Maronitis mercatoribus loquutus putetur, quando nempe vixdum Maronitæ tunc temporis priſcos errores ſuos ejuraverant.

JOANNES Jacob. Marco filio Zaraa Jacobitæ, die 11. menſis Mechir, ſeu 5. Februarii ejuſdem quo ille obiit anni, ſubrogaverunt Abulmeged filium Abulgaled, ſæcularem ſacerdotem, non monachum, qui *Joannis* nomen aſſumpſit. Ad eum Rex Æthiopiæ legatos miſit, metropolitam ſibi ordinari poſtulans; quibus Joannes annuens Kilum Molebaſi epiſcopum Fua illis deſignavit. Hic vero ob ſcelera quæ patraverat, à Rege ejectus fuit, ejuſque loco ordinatus eſt Iſaac monachus de Laura S. Antonii, anno Martyrum 926. Chriſti 1210. Obiit Joannes anno Martyrum 932. Chriſti 1216. Hegiræ 613. qui cœptus erat die 19. Aprilis. Obiit, inquam, 16. Ramadani, quem vitæ auctor componit cum 12. Tybi, ſeu 7. Januarii. De hoc *Joanne* vel *Jonne* accipienda veniunt quæ leguntur in Chronico quod Alberici monachi Trium-Fontium nomine inſcriptum editum eſt, ad annum 1205. de Jona Alexandrinæ eccleſiæ Patriarcha. *In partibus,* inquit, *Aſiæ majoris verſus Meſopotamiam & Armeniam quidam Jonas vir venerabilis Patriarcha erat in civitate Suſis. In hujus Jonæ manus, dum miſſam celebraret more ſuæ gentis, hoc eſt ſecundum conſuetudinem Surianorum, tale fertur accidiſſe miraculum, quod panis ille magnus fermentatus unde fiebat ſacrificium, in parvam & pulcram convertitur hoſtiam, in morem ſacrificii Latinorum, & calix ligneus annihilatur cum cochlearibus, reperto vero ſanguine in argenteo calice; & hoc accidit in feſto S. Joannis-Baptiſtæ hujus anni. Unde plures Surianorum eccleſiæ, Armenii, Georgiani, Sabieni, Nubiani, & Jacobitæ ad conſuetudinem ſanctæ Catholicæ & Romanæ eccleſiæ de die in diem per hoc miraculum cœperunt converti. Et iſte Jonas Patriarcha magno Concilio Romano, de quo ſuo loco tractabitur, interfuit, & poſtmodum in Patriarcham Alexan-* A *drinum eſt promotus.* In qua narratione non ad amuſſim accipienda omnia ſunt quæ referuntur. Nam illorum præſertim temporum ſcriptores latini accurati non ſunt, ubi res Orientalium ediſſerendas ſuſcipiunt. Non omittam quod eruditiſſimus ſcriptor hiſtoriæ Patriarcharum Alexandrinorum refert pag. 567. Joannis Jacobitarum Patriarchæ exequiis adfuiſſe ſectæ ipſius epiſcopum neminem, præter epiſcopum Melchitarum. Quod certè chronici Alberici narrationem confirmare putaverim.

B

LXX. NICOLAUS I.

Cophtitarum Alexandrina ſedes 20. an. vacat.

Poſt Marcum utique *Nicolaus* Melchitarum patriarchatum geſſit, cui Innocentius Papa III. anno 1210. x. Kal. April. epiſt. dedit lib. 12. Regeſti ſui 12. *Nicolao Alexandrino Patriarchæ* inſcriptam. Eum commendabat *quod in medio pravæ ac perverſæ nationis quaſi lilium inter ſpinas devotionis odorem emitteret, & ab uberibus ſanctæ Romanæ eccle-* C *ſiæ matris ſuæ ſe, & eos qui pro Chriſti nomine captivi tenebantur poſtulabat conſolari.* Id quod Innocentius iiſdem litteris præſtare ſatagit. Notanda veniunt quæ in earum fine leguntur. » Sperantes in eo qui diebus iſtis noviſſimis antiqua cœpit miracula innovare, « quod circa vos mirabiliter & miſericorditer « operabitur ad laudem & gloriam nominis ſui. « Num ad illud Innocentius alluſerit quod ex Alberici chronico in Joanne ſeu Jona Cophtitarum Patriarcha modo retuli? Epiſt. 146. lib. 14. Innocentius eidem Patriarchæ Ale- D xandrino concedit ut diaconum quemdam Latinum qui in Ægypto agebat, ad captivorum illorum ſolamen ſacerdotio initiet. Epiſt. 34. lib. 15. ei iterum gratulatur, *quod non ſolum ad ſacroſanctam Romanam eccleſiam, ſed & erga perſonam ſuam ſpecialiter devotionem habeat;* ſed & eum invitat ad concilium generale poſt biennium celebrandum; ſin vero ſaltem aliquem virum mittat, qui locum ipſius ſuppleat. Ejuſdem Nicolai ad Honorium Papam III. epiſtolam exhibet Od. Raynaldus ſcriptam anno 1223. quo Damiata à E Saracenis iterum capta eſt, qua Chriſtianorum calamitates graphicè deſcribebat, ejus inſuper ſubſidia poſtulans. *Reverendiſſimo patri & domino Honorio, Dei gratia, S. R. Ec. ſummo Pontifici, & univerſali Papæ, Nicolaus ejuſdem gratia Alexandrinæ ſedis humilis Patriarcha, tam promptam, quàm debitam reverentiam. Archiepiſcopi, epiſcopi, preſbyteri, clerici & laïci, & omnes Chriſtiani qui ſunt in terra Ægypti, veſtræ paternitati & ſanctitati ſupplicant cum*

Digitized by Google

ſuſpiriis & lacrymoſis vocibus. O quanta tribulatio & anguſtia, &c... Quod ſi aliqua eccleſia Chriſtianorum aliquo caſu ceciderit, de cætero nullo modo ſumus auſi eam readificare, & unuſquiſque Chriſtianus de Ægypto à quatuordecim annis inantea oportet dare Geliam (Latinè autem dicitur tributum) *Byzantium unum auri, & quatuordecim Karabbas: & ſi pauper erit, mittetur in carcerem, & non inde poterit exire donec reddat totam Geliam* (id eſt tributum) *Tot & tanti Chriſtiani ſunt in terra Ægypti, quod omni anno oportet reddere curiæ Soldani centum mill. Byzant. aureos Saracenatos de Babylonia. Quid plura vobis referam, cum ad omnia vituperabilia & ſordida opera, & etiam ad plateas civitatis mundificandum mittantur Chriſtiani, quod eſt dedecus totius chriſtianitatis... ſcitum eſt per univerſum orbem de facto Damiatæ qualiter vituperabiliter factum fuit, & non oportet per litteras aſſignare, quod turpiſſimum eſt dicere. Miſerere itaque Domine, miſerere noſtri, Pater noſter ſpiritualis. Sicuti Sancti ante adventum Chriſti exſpectabant redemptionem & liberationem à Chriſto Salvatore noſtro, ita exſpectamus adventum filii veſtri Imperatoris, & non ſolum nos exſpectamus hanc gratiam, ſed etiam relegati pluſquam decem millia, qui diſperſi ſunt per terras Saracenorum. Hoc non eſt omittendum, ſed ſemper in ore tenendum, qualiter cum venerit facere debeat Dominus Imperator. Hæc eſt via ſalvationis & ſanitatis, & ſine perditione, annuente Domino: ſcilicet galeæ & naves quantæcumque fuerint, per flumen Raſceti intrent, & ad villam quæ ſita eſt in inſula fluminis, quæ vocatur Foha, ubi applicent; & ſic, Domino concedente, habebunt totam terram Ægypti ſine perditione. Flumen Raſcetum eſt profundum, & altum & latum, & dicta inſula plena omnibus bonis, ſicut lator præſentium fidelis & familiaris noſter poterit vobis narrare. Cognovimus eum prudentem & diſcretum, & ob hanc cauſam vobis eum miſimus. Unum quod peſſimum factum fuit in terra Ægypti ad dedecus Chriſtianorum, ſcilicet pro facto Damiatæ, quod 115. eccleſiæ factæ fuerunt deſtructæ.*

LXXI. Gregorius I.

LXXII. Nicolaus II.

Cyrillus *Jacobita.*

Athanasius *Jacobita.*

Quo tempore Nicolaus I. è vivis exceſſerit ignoramus; ſed ex altero Patriarcharum catalogo diſcimus huic ſuffectum eſſe *Gregorium*, & Gregorio *Nicolaum II.* qui in vivis agebat anno 1260. quo, teſte Georgio Pachymere, Arſenii Conſtantinopolitani quem Michaël Palæologus à ſacerdotio amoverat, cauſam ita pervicaciter tuitus eſt, ut eos qui Arſenium damnaverant communionis ſuæ A eſſe participes ad obitum uſque noluerit: ὁ δὲ Ἀλεξανδρεὺς Νικόλαος, τοσοῦτον συναιρεῖν ἐδόκει, ὥστε καθάπαξ τῶν καταψηφισαμένων ἐσχίζετο, καὶ ἔμεινεν ἕως τέλους ἐν τούτῳ, μηδὲν μεταλλάξας τῶν ἐγνωσμένων.

Joanne Jacobitarum Patriarcha defuncto, Alexandrina ſedes viginti fere annos viduata manſit, quum illi in diverſa ſtudia diviſi eſſent, quamquam principes ipſimet Saraceni operam ſæpe ponerent ſuam, uti tandem Patriarcha ab ipſis eligeretur. Multis arridebat eligi Paulum Elbouchi ſacerdotem, aliis Davidem B Joannis filium Fiumenſem, aliis archidiaconum eccleſiæ Muhallacæ Abulkerimum. Qui pro Davide ſtabant, qua apud principes valebant auctoritate, effecerunt ne electio per ſortes eo quem alibi retuli modo, agitaretur. Obſtabat vero ne in Patriarcham promoveretur, quod non ex inferiori Ægypto, ſed ex Sahide ac Thebaïde oriundus erat. Quamobrem ejus qualiſcumque electio his aliiſque de cauſis rata non fuit. Interim Damiata à Francis anno 1218. obſeſſa, Mohammedani in utriuſque eccleſiæ Chriſtianos, Melchitas C & Jacobitas ſævierunt. Pace ſubinde ſancita à Frederico III. Imper. & Sultano Ægypti, electus à quibuſdam Jacobitis fuit anno Martyrum 949. Chriſti 1233. Joannes filius Mutmen, qui reliquis refragantibus, ordinatus non fuit. Demum Sultanus Kamelus harum diſcordiarum pertæſus, Davidem illum de quo diximus, Joannis filium, virum ambitioſiſſimum & turbarum incentorem præcipuum, Patriarcham fieri conceſſit, cui manus impoſitæ ſunt anno Martyrum 951. Chriſti 1235. Hegiræ 633. quique pro D Davide Cyrillus eſt nominatus. Qui ut promiſſam Sultano pecuniæ ſummam perſolveret, ordinationes non-niſi pretio ſibi dato fecit; quod ei ſubinde male ceſſit. Metropolitam Hieroſolymorum creavit, ex quo ortæ ſunt inter ipſum & Jacobitarum Patriarcham Antiochenum ſimultates, quæ compoſitæ ſunt ea lege ut novus ille Metropolita ultra Gazam auctoritate nulla polleret. Hamad quidam monachus à principe obtinuit, ut ſynodus haberetur quæ de Patriarchæ facinoribus judicaret, conveneruntque epiſcopi quatuor- E decim, qui ſe cum eo in concordiam redituros ſpoponderunt, modo ille certis capitulis ſubſcriberet: id quod ille ultro præſtitit. In codice Vaticano 3. quem Haſſemanus Maronita ex Oriente advexit, leguntur canones ejuſdem Cyrilli Laclachi, inprimiſque acta concilii ejus Cahirenſis, quod celebratum dicitur an. Martyrum 957. Chriſti 1241. Alii rurſum adverſus eum tumultus oborti ſunt, & quum nihilo melior poſt tot monitiones

Vacatio viginti annorum Jacobiticæ ſedis.

Cyrillus Jacobita.

Digitized by Google

nempe ſolatii aliquid acciperet. Ibid. c. 29. A Andronico, qui Michaëli patri ſucceſſit, imperante, Conſtantinopoli morabatur adhuc Athanaſius, præfuitque anno 1283. ſynodo ſeu conventui qui propter Joannem Beccum coactus fuit, quum ille ſuis in lucubrationibus Spiritus ſancti per Filium & in Filio proceſſionem æternam aſſereret. Ab Athanaſio poſtulatum eſt, ut aſſenſu ſuo approbaret damnationes epiſcoporum qui pacis & communionis cum Romanis cauſa ſuis ſedibus ejecti erant, utque irrita pronuntiaret quæ pro eccleſiarum conciliatione decreta fuerant. Hoc vero facere renuit, etſi ſui nominis e ſacris diptychis eraſione multandus eſſet. An. 1284. in lectulo podagræ cauſâ jacens, aderat colloquio, in quo coram Gregorio Cyprio Conſtantinopolitano tunc Patriarcha, cum Joanne Becco, ejuſque ſociis Georgio Melchita, & Conſtantino Melitiniota, de quibuſdam SS. Patrum ac Joannis præſertim Damaſceni dictis tractatum fuit. Anno inſequenti, tomo quo Gregorius Cyprius Joannis Damaſceni de Spiritus ſancti proceſſione locum enarrare conatus erat, ſubſcribere prorſus noluit, idem quod olim cauſatus peregrinum ſe & advenam eſſe. Sed & Cyprio illi perſuaſit ut epiſcopatum abdicaret. Ad eos revocandos, qui Arſenii factionis erant, multum ſed fruſtra laboravit. Athanaſio alteri in Gregorii locum ſuffecto Athanaſius noſter inviſus quum eſſet, multas ab eo injurias toleravit; quod in cauſa fuit, cur in Rhodum inſulam ſeceſſerit. Atqui diſſidiorum hæc præcipua ſeges fuit: monaſterio Laureæ Archi-ſtrategi, alio item Magni Agri, à Michaële Imp. Alexandrinæ ſedi in gratiam Athanaſii Alexandrini conceſſis, eaque donatione aureis bullis munita, ægerrime hoc tulit ille Conſtantinopolitanus, atque Magni Agri cœnobium Alexandrino ademit: in altero autem nomen ſuum, ac non Alexandrini adjecta certa nota qua dignoſceretur, inter ſacra memorari præcepit. Exauctorato ſubinde Athanaſio Conſtantinopolitano, in urbem regiam Athanaſius Alexandrinus regreſſus eſt, ubi ab Andronico Principe multo honore exceptus in Evergetæ monaſterio aliquamdiu egit; poſt vero ad Regem Armeniæ delegatus eſt ſponſam juniori Auguſto petiturus: verum circa Phocæam navi quam conſcenderat à piratis capta, & ad littus applicata, Patriarcha furtim ſe ſubducens Conſtantinopolim rediit. Ubi anno 1303. coacta ſynodo propter Joannem Coſmam Sozopolitanum, qui Byzantinum epiſcopatum dimiſerat, delegatus ad eum cum epiſcopis duobus fuit, ut abdicationis cauſas ab eo ſciſcitaretur. Deinde vero quum

Digitized by Google

Andronicum Imp. qui ad Athanaſium illum Conſtantinopolitanum revocandum pergebat, comitari recuſaſſet, & cum hoc Patriarcha reconciliari prorſus, è diptychis nomen ejus eraſum eſt, ſed & juſſus eſt Alexandriam quantocius repetere. Quum Cretam verſus navigans, Eubœam delatus eſſet, à monachis Latinis quæſitus quid de Euchariſtia ex azymo pane confecta cenſeret, parum abſuit quin in vitæ diſcrimen veniret, profana utique eis data reſponſione: porro diſputationem ſuam cum Latinis litteris exaravit, quam reperi in codice regio 2272. Inde Thebas declinans, ab urbis deſpota cuſtodiæ traditus eſt, mox vero dimiſſus, ab incolis Almiræ exceptus fuit. Quæ anno 1308. acciderunt. Alexandriam eum eſſe reverſum admodum veriſimile eſt. Interim vero Athanaſius ille Byzantinus ejus æmulus monaſteria quæ, ut prædictum eſt, dono Michaëlis Palæologi Alexandrinæ eccleſiæ ſuæ nomine poſſederat, Archi-ſtrategi & Evergetæ Chriſti, continuò invaſit, ut & alterum Hodegorum quod Antiochenis Patriarchis datum perinde fuerat. Hæc Pachymeres lib. 7. cap. 8. qui & ipſe libros Dionyſii quem Areopagitam dicunt, interpretatus eſt hortatu ejuſdem Athanaſii Alexandrini Patriarchæ, quo tempore Conſtantinopoli ille morabatur: ἐκ προτροπῆς τοῦ ἁγιωτάτου Πάπα καὶ πατριάρχου Ἀλεξανδρείας κυροῦ Ἀθανασίου ἐπιδημοῦντος τῇ Κωνσταντίνου, πρὸς ὃν καὶ τὸ προοίμιον. Atque rurſum ex Pachymeris præfatione diſcimus eum ante epiſcopatum monaſtica diſciplina informatum fuiſſe in monaſterio montis Sinaï; οἶδε ταῦτα τὸ Σίναιον ὄρος, καὶ ἡ ἐκεῖσε μεγαλώνυμος μάνδρα ὅπου κατ' ἀρετὴν μεμυηθεὶς, κ. τ. ε.

Nicephorus Gregoras lib. 7. c. 2. narrata Athanaſii Conſtantinopolitani nuper Patriarchæ in eam ſedem reſtitutione, quantique illum Andronicus Imp. ob neſcio quam prædictionem, faceret, ita ut cum Joanne Chryſoſtomo conferre non dubitaret; dicere pergit Alexandrinum Patriarcham, virum gravem, prudentem & honeſtum, quem Imperator ob eximias haſce dotes impenſe reverebatur quum eo tempore in urbe ageret, male de hirſuto illo agreſtique præſule ominatum eſſe, & magniloquentiam & oſtentationem ejus lepido apologo iſto taxaſſe. « Sutori cuidam, inquit, felis alba erat, unum » quotidie murem capiens, quæ aliquando in » medium vas quo coria tingi ſolent, lapſa & » vix eluctata, tota nigra evaſit. Proinde mures » eam carnibus monaſtico habitu ſumpto deinceps » abſtinere velle rati, ſine metu ullo vagantes » coria rodebant; illa vero tantam multitudinem » conſpicata, capere omnes, quamvis » averet, haudquaquam poterat: duos tamen comprehenſos devoravit. Reliqui om- « A nes ſalutem fuga quærentes, mirabantur quo « pacto fiebat ut illa monaſtico habitu ſuſcepto « crudelior evaſiſſet. Tum vereor, inquit, « ne & Athanaſius hic prædictionis ſuæ præ- « mium ſedem patriarchium conſequutus prio- « rem aſperitatem poſteriore deleat, propter « hanc quam de ſe nactus eſt opinionem. «

GABRIEL, JOANNES *Jacobitæ.*

Interim poſt Athanaſium alium, qui Jacobiticæ eccleſiæ præfuerat, quum nonnulli laïcorum Miſræ *Joannem* Abuſahid Sokareum, alii de Cahira *Gabriëlem* filium ſororis Petri epiſcopi Tamidenſis poſtularent, miſſa B ſorte nomen exiit Gabriëlis, qui mox hegumenus è more factus eſt. Ei vero Joannes cum ſuis ſic obſtitit, ut Patriarcha ordinatus fuerit die 6. Tybi, ſeu 1. Januarii, an. Martyrum 978. Chriſti 1262. ſed annis ſex & menſibus novem elapſis depoſitus tandem fuit, & Gabriël ordinatus die 24. menſis Paophi, ſeu 29. Octobris, anno Martyrum 985. Chr. 1269. ſeditque uſque ad 6. Tybi, ſeu 1. Januarii anni 987. Chriſti 1271. quo ſua ſede ejectus fuit, & Joannes Sultanorum juſſu reſtitutus, qui ad obitum uſque ſuam C dignitatem tenuit, Gabriële æmulo ejus ipſo deſtitutionis ſuæ anno intereunte. Quocirca Joannes quamlibet intruſus, locum etiam inter Patriarchas habuit: qui è vita migravit anno Martyrum 1009. Chriſti 1293. poſt viginti-novem annos dieſque ſeptem ex quo epiſcopatum prima vice arripuerat. Quæ omnia ſcitu digniſſima accuratiſſimus ſcriptor hiſtoriæ Patriarcharum Alexandrinorum accepit ex Regio codice canonis Abulbircat, quem Wanſlebius ex Ægypto attulit; ut permirum ſit in ejuſdem Wanſlebii catalogo D Patriarcharum Alexandrinorum, legi Gabrielem 77. Patriarcham ſororis epiſcopi Tamidi filium creatum fuiſſe die 24. Octob. anno Martyr. 985. obiiſſe vero 7. Januarii an. 987. quum ſediſſet annos duos, menſes duos, dies decem. Deinde Joannem 78. Patriarcham conſtitutum eſſe 6. Januarii anno 987. & obiiſſe 27. Aprilis an. 1009. ſeu Ch. 1293. poſt vigeſimum-nonum epiſcopatus annum cum diebus 7. quæ, ut apparet, non ſatis accurata ſunt. Perperam & immeritus Joannes hic laudatur in Hagiologio Æthiopum.

THEODOSIUS II. *Jacobita.*

E Joanni itaque, in vivis ſuperſtite Melchitarum Patriarcha Athanaſio, *Theodoſius* filius Zaabel, cui Franci cognomen addunt, Jacobitarum Patriarcha ſuffectus fuit, ordinatus an. Mart. 1010. Chr. 1294. die 10. Epiphi, ſeu 4. Julii, qui fatis conceſſit an. Mart. 1016. Chr. 1300. die 5. Tybi, ſive 31. Decembris, ſex epiſcopatus annis totidemque menſibus elapſis. Quem unde Francus ſit appellatus incertum. Annon quia è Syriæ partibus quam Franci

Digitized by Google

Franci tunc temporis tenebant, in Ægyptum migraverat; an quod parentes ejus ex illis Franciſ erant, qui capta primò ſecundòque Damiata, in Ægypto ſedem fixerant, & ad Coptitas hæreticos tandem deſecerant?

Theodoſio, vivente adhuc Athanaſio Melchita, *Joannes* alter ſucceſſit, ex Moniet Koufis, vel Koukis: ſic varie legitur in codice Abulbircat, non ut apud Wanſlebium *Buſis*, typographorum, ut puto, oſcitantia, qui *B* pro *K* legerunt. Ordinatus eſt anno Martyrum 1016. Chriſti 1300. die 14. Mechir, ſeu 28. Januarii. E vivis exceſſit anno Martyrum 1036. Chriſti 1320. Ipſo pontificatus ejus initio Chriſtiani Ægypti durè vexati ſunt à Saracenis; quam calamitatem ſibi accerſiverant nimio ſuo luxu, quem immodicis opibus ſuis ex vectigalium collectione auxerant. Quocirca eccleſiæ Mohammedicis temporibus recentiores deſtructæ ſunt, aliæ annum integrum clauſæ manſerunt, donec adveniens Laſcaris legatus regis Francorum, vel, ut Macriſius habet, domini Conſtantinopolitani, obtinuit ut Cahiræ aperirentur eccleſia Muhallaca Jacobitarum, & S. Michaëlis Melchitarum. Verum hoc tempore vel ſæculo decimo-quarto Laſcaris nullus Conſtantinopolitanis, nullus Francis quibuſvis, imperabat. Unde intulero in hanc ætatem ab imperitis ſcriptoribus rejecta eſſe quæ ante quinquaginta annos, ſub Theodoro Laſcari, ejuſ-ve filio Joanne Imperatoribus Byzantinis, contigerant.

LXXIV. Gregorius II.

Joannes *Jacobita.*

Athanaſio Melchitarum Patriarchæ, quem anno 1308. Conſtantinopoli Alexandriam eſſe reverſum dixi, ſucceſſit Gregorius, Nicephoro Calliſto teſte lib. 14. hiſt. eccl. c. 39. *Sed & Athanaſio Alexandrino*, inquit, *qui Nicolao ſucceſſerat, Gregorius epiſcopus Ægypti ſubrogatus fuit.* Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸν Ἀλεξανδρείας Ἀθανάσιον, ὃς τὸν Νικόλαον διεδέξατο, ὁ τῆς Αἰγύπτου ἐπίσκοπος Γρηγόριος διαδέχεται. In codice Vaticano x. ex iis qui ad domeſticam Pii II. Papæ bibliothecam nuper pertinebant, habetur *Gregorii Patriarchæ Alexandrini epiſtola carmine Iambico ad Theodorum Meſopotamiæ in Syria epiſcopum, qui feſtos totius anni dies Chriſti, Deiparæ, Apoſtolorum, & Præcurſoris non obſervabat, carnes præterea edebat feria quarta & ſexta, quando feſtivitates in illis occurrebant.* Atqui epiſtolam hanc Gregorio huic noſtro Alexandrino attribuendam puto, niſi forte alterius ſit Gregorii recentioris, qui verſus ſæculi decimi-quarti finem ſedebat. Jacobitis poſt Joannem ex *Moniet Kouſis* Patriarcha præfuit Joannes alter, electus anno Martyrum 1037. Chriſti 1320. vel 1321. ordinatus 1. Paophi, ſive 28. Septembris, mortuus anno Martyrum 1043. Chriſti 1326. die 2. Pharmuti, ſeu 27. Martii. Macriſius teſtatur ſub hoc Patriarcha anno Hegiræ 721. Chr. 1321. feria 6. menſis Rabieh poſterioris die 9. dirutas eadem hora fuiſſe omnes eccleſias in territoriis Miſræ & Cahiræ.

LXXV. Gregorius III.

Benjamin II. *Jacobita.*

Petrus *Jacobita.*

Marcus *Jacobita.*

Gregorio II. Athanaſii ſucceſſori ſuffectum eſſe *Gregorium III.* diſcimus ex altero catalogo qui Cahira ad nos miſſus eſt, quique ejus ſucceſſorem Niphonem exhibet, de quo mox. Ejus Gregorii mentio occurrit in Nicolai Bulgari catecheſi, quam eruditiſſimus vir Nicolaus Papadopoli laudat in Prænotionibus Myſtagogicis reſp. 6. ſect. 9. p. 163. Nicolaus ſcilicet Bulgarus narrabat beatam Virginem Dei-genitricem manu propria domeſtico Alexandrini Patriarchæ Gregorii nummum aureum, qui ſua ætate imagini Virginis in Laura montis Atho affixus conſpiciebatur, largitam eſſe, pretium decantati hymni, quem à Calliſto Patriarcha CP. decretum, Philotheus Calliſti ſucceſſor temerario plane auſu abrogaverat. Atqui Calliſto Philotheus ſubrogatus eſt anno 1354.

Benjamin II. Jacobita. Joanni Jacobitæ ſucceſſit *Benjamin* ex Democrad oriundus, ordinatus anno Martyrum 1043. Chriſti 1327. Sedit annos undecim, fatis concedens an. Martyrum 1055. Chriſti 1339.

Petrus Jacobita. Anno Martyrum 1056. Chriſti 1340. Hegiræ 741. ordinatus fertur *Petrus Jacobita*, qui obiit an. 1064. Ch. 1348. Hegiræ 749.

Marcus Jacobita. Petro ſuffectus eſt *Marcus* è Kelioub oriundus, cujus initia non aſſignavit Abulbircat, ſed mortem anno Martyrum 1079. Chriſti 1363. Eo ſedente anno Hegiræ 753. Chriſti 1352. graviſſima rurſum perſequutio in Chriſtianos exorta eſt, ob ſimilem ei quam ſuperius retuli, eorum erga Mohammedanos inſolentiam, ſi Macriſio Mohammedano ſcriptori fides ſua ſit. Ex qua vexatione res Chriſtianorum admodum attritæ fuerunt, eorumque numerus imminutus, quamplurimis eorum ad Muſulmaniſmum quotidie deficientibus.

LXXVI. Niphon.

Joannes *Jacobita.*

Eo circiter tempore quo Marcus Jacobiticæ eccleſiæ præerat, Melchitarum patriarchatum gerebat *Niphon*, ut conſtat ex epiſtola Urbani Papæ V. data anno 1367. ad Philotheum

Digitized by Google

Conſtantinopolitan. Lazarum Hieroſolymitanum, & hunc Niphonem Patriarchas, quam A Bzovius & Odericus Raynaldus referunt ad eum annum, ad hunc modum inſcriptam. *Prudentibus viris Philotheo Conſtantinopolitanam, Niſoni Alexandrinam, & Lazaro Hieroſolymitanam patriarchales eccleſias regentibus, gratiam in præſenti, per quam obtineant gloriam in futuro.* Eorum litteris reſpondet, quibus propoſitum ſuum ſignificaverant de reconciliatione Græcæ eccleſiæ ſuæ cum Romana eccleſia, Joanne Palæologo Byzantinis tunc imperante.

JOANNES *Jacobita.*

Anno Martyrum 1079. Chriſti 1365. B *Joannes* patria Damaſcenus, ordinatus fuit Jacobitarum Ægypti Patriarcha: atque in eo deſinit chronologicus canon Abulbircat, apud quem non ſignificatur quot annos ille ſederit. At vero proclive eſt conjicere ſcriptorem illum vix ultra hanc ætatem in vivis ſuperſtitem fuiſſe. Michaël Wanſlebius tot illis Alexandriæ Patriarchis recenſitis ex illo canone, eorum qui ſequuntur ad annum uſque 1673. indicem reperit in ora ſui codicis ejuſdem canonis, quem ſubinde depoſuit in Regia Bibliotheca.

LXXVII. MARCUS.
GABRIEL *Jacobita.*

Niphoni Melchitarum Patriarchæ ex catalogo ſucceſſit *Marcus,* de quo nihil inpræſentia quidem dicendum mihi ſuppetit.

GABRIEL *Jacobita.*

Poſt Joannem Jacobitarum Patriarcha fuit *Gabriël* Archimandrita monaſterii Moharrak, qui ſedebat anno 1378. ut colligo ex indice ejus codicis Arabici, qui decimumtertium locum obtinet inter eos quos Illuſt. Aſſemanus ex Oriente advexit. In eo namque vir doctus exſtare ait ſeriem Patriarcharum Alexandrinorum à S. Marco ad Gabriëlem octogeſimum ſextum illius ſedis Patriarcham, qui obiit anno Martyrum 1092. Chr. 1376.

LXXVIII. NICOLAUS III.
LXXIX. GREGORIUS IV.
MATTHÆUS *Jacobita.*
GABRIEL *Jacobita.*

Marcum Melchitarum Patriarcham excepit, ut in catalogo quidem habetur, *Nicolaus III.* hunc vero *Gregorius IV.* cui Philotheus, de quo mox, eſt ſubrogatus.

MATTHÆUS *Jacobita.*

Interea Jacobitis præfuit *Matthæus,* cujus nihil præter nomen ſupereſt: Matthæo verò ſucceſſit *Gabriël* alter, illc profecto qui Ritualem eccleſiæ ſuæ librum ſacramentorum emendavit, ſuaque authoritate munivit anno Martyrum 1127. Chriſti 1411. uti fertur in codice illius Ritualis qui in Bibliotheca Regia aſſervatur.

GABRIEL *Jacobita.*

LXXX. PHILOTHEUS.
JOANNES *Jacobita.*

Tempore ſynodi Florentinæ, quæ anno 1439. pridie Nonas Julii abſoluta eſt, ſedebat *Philotheus* Alexandriæ Patriarcha, cujus in ea vices geſſit Antonius Heracleenſis metropolita, qui proinde ſubſcripſit: ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἡρακλείας... τοποτηρητὴς τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου τῆς Ἀλεξανδρείας Φιλοθέου Ἀντώνιος. *Humilis metropolita Heracleæ.... Philothei ſanctiſſimæ ſedis Apoſtolicæ Alexandrinæ Patriarchæ locum tenens Antonius.* Idem Philotheus unus è tribus B Patriarchis fuit qui Metrophanem CP. archiepiſcopum, initæ cum Romana eccleſia unionis aſſertorem, proſcripſerunt an. 1443. Quorum epiſtolam Leo Allatius edidit lib. 3. de conſenſ. cap. 4. num. 1. Et verò Philotheus idem ſubſcriptus legitur ſynodo Conſtantinopolitanæ neſcio cui, in qua Florentinam ejurarunt ſchiſmatici circa ann. 1450. Φιλόθεος Ἀλεξανδρείας, teſte Allatio eodem in add. col. 1380.

JOANNES *Jacobita.*

Græcis Florentia egreſſis, ad Concilium acceſſit legatus *Joannis* Alexandrinorum Ja- C cobitarum Patriarchæ, cujus litteræ adjectæ ſunt illius ſynodi actis, hocce titulo inſcriptæ: *Littera Joannis Jacobitarum Patriarchæ ad Eugenium IV. ſummum Pontificem.* Sic verò incipiunt. *Joannes humilis ſervus ſervorum Chriſti, & miniſter ſedis S. Marci, magnæ ſcilicet Alexandriæ, & totius Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ, Pentapoleos occidentalis, Africæ, totiuſque prædicationis Apoſtoli Marci.* Data porro hæc epiſtola eſt, *Cahiræ duodecima Septembris, ſexto millenario nongenteſimo quadrageſimo* D *ſecundum Græcos; ſecundum Jacobitas milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo à tempore Martyrum, à computatione Incarnationis Domini 1440.* Ubi æram à mundi exordio, Græcorum, non Byzantinorum quidem, ſed Alexandrinorum affert, Dominicæ vero Incarnationis noſtram prorſus. Allata porro eſt epiſtola ab Andrea Abbate monaſterii ſancti Antonii, atque ea Joannes Eugenio Papæ reſpondet, à quo per Albertum Minoritam invitatus fuerat ut ad Romanæ ſedis communionem rediret. Ille autem Joannes Gabriëlis ſucceſſor, in Wanſle- E bii catalogo *Joannes de Mako* dicitur, adeoque idem eſt qui anno Martyrum 1154. Chriſti 1438. Michaëlem Elbouchi Æthiopiæ metropolitam conſecravit.

LXXXI. ATHANASIUS.
MATTHÆUS *Jacobita.*

Philotheum in utroque catalogo Cahiræ miſſo *Athanaſius* excipit, qui nobis quidem aliunde eſt plane ignotus.

Matthæus Jacobita.

Joanni autem Jacobitæ *Matthæus* ſucceſſit, ex Sahide ſeu Thebaïde oriundus, contra quam priſci mores ferebant, quibus nempe cautum erat ne quis ex Ægypto ſuperiori in Patriarcham promoveretur. Hunc Bollandi continuatores aiunt ultimum fuiſſe Jacobitarum Patriarcham à quo ſanctum Chriſma confectum conſecratumque ſit ad annum uſque 1703. quemadmodum ad eos ſcripſit ſodalis ipſorum Bernatus. Codex Arabicus Vaticanus 40. in catalogo quem Cl. Aſſemanus tom. 2. Biblioth. Orient. evulgavit, Matthæi hujus ætatem nobis indicat; nam ſcriptus dicitur *à Moyſe preſbytero Hadethenſi Jacobita, anno Græcorum 1766. Chriſti 1454. die 24. Novembris ſub Patriarchis Ignatio Antiocheno & Matthæo Alexandrino, & Baſilio Maadani Maphriano, &c.*

LXXXII. Marcus.

Gabriel *Jacobita.*

Michael *Jacobita.*

Anaſtaſio Melchitæ ſucceſſit, ut in utroque catalogo legitur, *Marcus,* nobis perinde ignotus.

Gabriel Jacobita.

Poſt Joannem Jacobitarum Patriarcha fuit *Gabriël,* ex Archimandrita monaſterii Occidentalis: Gabriëlem autem excepit Amba *Michaël,* Semelouti filius.

Michael Jacobita.

LXXXIII. Philotheus.

Joannes *Jacobita.*

Marco ſucceſſit, ut in noſtris quidem catalogis habetur, *Philotheus:* ille verò ſi Odericum Raynaldum audias, *Theophilus* vocitabatur, qui anno 1523. Hadriano VI. Romano Pontifici epiſtolam ſcripſit, qua illum catholicæ eccleſiæ ſummum antiſtitem appellabat, ſeque illi obnoxium profitebatur. Has litteras, addit Raynaldus, Hieronymus
» Aleander Vaticanæ Bibliothecæ curator, &
» poſtea archiepiſcopus Brunduſinus, nec non
» S. R. E. Cardinalis, in latinum ſermonem
» convertit.

Joannes Jacobita.

Michaëlem Coptitarum Patriarcham excepit *Joannes* ſive *Yunes* Nekaddi.

LXXXIV. Gregorius V.

Joannes *Jacobita.*

Philotheo ſucceſſit *Gregorius V.* cujus præter nomen quidem nihil hodie ſupereſt, cuique ſucceſſit Joachim.

Joannes Jacobita.

Poſt Joannem autem *Joannes* alter Coptitarum Patriarcha fuit, Miſra oriundus.

LXXXV. Joachim.

Gabriel *Jacobita.*

Anno 1561. Alexandrinorum Melchitarum Patriarcha ſedebat *Joachim,* uti fertur in epiſtola Joaſaphi CP. ad Theodoſium Rhetorem hoc anno ſcripta τὸν τῆ Ἀλεξανδρείας κύριον Ἰωακεὶμ, lib. 4. Turco-Gr. pag. 290. Quin etiam hoc eodem anno teſtimonium dedit *generoſo Comiti Alberto Lewenſtenio,* peregrinationis ejus ad ſancta Palæſtinæ loca & montem Sinaï. Quod teſtimonium Martinus Cruſius profert in Annotat. ad lib. 3. Turco-Gr. p. 229. cum ſigillis Patriarchicis duobus, ſic autem incipit: Ὁμολογῶ ἐγὼ Ἰωακεὶμ παπᾶς καὶ πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας, καὶ κριτὴς τῆς οἰκουμένης. *Confiteor ego Joachim Papa & Patriarcha magnæ civitatis Alexandriæ, judex orbis terrarum.* Cruſius ad hoc teſtimonium ſubjungit: *Audio hunc Joachimum tunc temporis 120. annos natum fuiſſe, & 80. annos carnium eſu abſtinuiſſe, ſatis tunc adhuc valentem corpore, & perhumanum.* De eo Nectarius Hieroſolymitanus in libro Græco de Primatu Romæ circa annum 1520. edito narrat, aliique perinde tradiderunt, propinatum huic olim à Mohammedanis fuiſſe venenum quod innoxie hauſerit, præmiſſo Crucis ſigno, ut Chriſtianæ religionis veritatem adverſus Judæorum blaſphemias vindicaret. Anno 1564. aut vivebat adhuc, aut de ejus morte nondum certior factus erat Joaſaph CP. quandoquidem ſede ſua dejectus illo anno, epiſtolam ſcripſit magnæ eccleſiæ Rhetori, Theodoſio item Rhetori Notario, ac cæteris Notariis, qua adverſus ſententiam in ſe latam provocabat ad judicium Joachim Patriarchæ Alexandrini, Joachim Antiocheni, Germani Hieroſolymitani archiepiſcoporum, aliorumque qui nullo erga ipſum odio flagrarent.

Gabriel Jacobita.

Joannis ſucceſſor *Gabriël,* qui *Minſcianenſis* cognominatus legitur apud Wanſlebium, in cod. Regio Gabriël *Monſchari* ſcribitur. Ad eum Chriſtophorus Rodericus è ſocietate Jeſu, Sacchino teſte, Pii IV. juſſu legationem ſuſcepit, ut eum ad eccleſiam catholicam revocaret, ſed infelici ſucceſſu, nuntiis deluſis à vaferrimo ſene, qui obedientiam Romano Pontifici duabus litteris ſuis ſponderat. Gabriël alter ejus ſucceſſor in litteris ſuis ad Clementem Papam VIII. docet nos legationis hujus principem fuiſſe Ambroſium epiſcopum Aurienſem, cujus proinde nonniſi comes fuerit Rodericus.

LXXXVI. Silveſter.

Joannes *Jacobita.*

Joachimum excepit *Silveſter,* quem anno Chr. 1574. ſediſſe teſtatur Martinus Cruſius in Annotat. ad lib. 7. Turco-Gr. pag. 506. ubi tradit Silveſtrum nomen ſuum, Stephano Gerlachio rogante, in charta ſic exaraſſe: Σίλβεστρος παπᾶς καὶ πατριάρχης Ἀλεξανδρείας, ἐν μηνὶ Ὀκτωβρίῳ τῇ ζ, πγ΄. *Silveſter Papa &*

BIBLIOTECA ... DERECHO
Digitized by Google

Patriarcha Alexandriæ, menſe Octob. an. 7083. Chriſti 1574. Exhibet etiam Cruſius epiſtolam à Stephano Gerlachio ſcriptam ad Cancellarium die 26. Novembris 1575. ubi hæc leguntur: *Nomina Patriarcharum quatuor ſunt, Hieremias Conſtantinopoleos, Silveſter Alexandriæ, Joachimus Antiochiæ, & Germanus Hieroſolymæ; pro quibus etiam nominatim in liturgia preces clara voce ſiunt.* Idem Silveſter anno 7087. Chriſti 1578. aut 1579. Hieroſolymis ſedebat in ſynodo in qua Germanus ſanctæ ſedis Pontifex Patriarchatu ceſſit, eique ſuffectus eſt cognatus ejus Sophronius. Item cum Pachomius Leſbius, Batiſtas cognominatus, Hieremiæ Byzantinam ſedem eripuiſſet, Patriarchæ, Silveſter Alexandriæ & Joachim Antiochiæ, hunc ſynodo coacta depoſuerunt, diriſque devotum expulerunt.

JOANNES *Jacobita.*

Ipſo Silveſtri Melchitæ tempore Jacobitis Patriarcha præerat *Joannes* Monfallutenſis, quem Gregorius Papa XIII. datis litteris hortatus eſt ut Romanam fidem communionemque amplecteretur, miſſo ad eum quodam Joanne-Baptiſta, qui Romam regreſſus Patriarchæ epiſtolam obtulit Sixto V. Gregorii ſucceſſori. De quo Joanne legenda eſt epiſtola Gabriëlis qui illi ſucceſſit, ad Clementem VIII. mox recitanda.

LXXXVII. MELETIUS: GABRIEL *Jacobita.*

Meletius Piga, Πηγᾶς, Silveſtro in Alexandrina Melchitarum ſede ſuffectus eſt. Is in Creta inſula natus, & Patavii in Italia litteris eruditus eſt. Quum Alexandriam petiiſſet, à Silveſtro Patriarcha ſacerdos eſt ordinatus, deinde factus Protoſyncellus ante an. 1582. uti conſtat ex Cruſii litteris hoc ipſo anno ſcriptis, quæ pag. 531. Turco-Græc. editæ ſunt. Silveſtro defuncto ſuffectus Meletius eſt, interim vero Conſtantinopolitanæ eccleſiæ exarchus erat, & controverſias ad Byzantinam ſedem ſpectantes, cauſaſque judicabat. Quocirca ſæpe identidem Conſtantinopolim venit. Anno 1593. cum tribus Patriarchis aliis ſedit in Concilio Conſtantinopolitano, in quo Patriarchalia jura quæ Hieremias CP. Moſcovienſi antiſtiti conceſſerat, confirmata ſunt. Anno 1595. Matthæo II. Patriarcha CP. in exilium ejecto, & Gabriële Theſſalonicæ ac Theophane Athenarum, qui Matthæo ſuffecti fuerant, intra breviſſimum tempus vita functis, eccleſiam CP. per annum rexit, donec Matthæus reſtitueretur, imo per totos decem annos illius Patriarchatum adminiſtravit, pro jure ſuæ ſedis, ſi fides ſit auctori alterius ſeriei Patriarcharum CP. quam Ill. Bandurius edidit; ſic enim in ea legitur: Μελέτιος Ἀλεξανδρείας ἐπιτροπικῶς χρόνους δέκα, καὶ ἐξεβλήθη. Scilicet quum frequentibus eccleſia illa mutationibus obnoxia eſſet, vix ab illa adminiſtranda Meletius ceſſaviſſe viſus eſt. Quo anno ſit ordinatus, quo defunctus, mihi quidem incompertum eſt. Joannes Leunclavius in Pandect. Hiſt. Turc. cum ſignificat Patriarcham fuiſſe ante annum 1585. quo Theolepto CP. cum Michaële Antiocheno manus impoſuit; ſed hoc à vero quantum abhorreat inde colligas, quod Pachomio Leſbio à Silveſtro Alexandrino & Joachimo Antiocheno Patriarchis ſubmoto, Theoleptus Conſtantinopolitanam ſedem ſtatim occupavit, ac proinde non à Meletio eſt, ſed à Silveſtro ipſo ordinatus, aut potiùs admiſſus; qui enim Philippopolis metropolita jam erat, ut diſcimus è catalogo Patriarcharum CP. quem Philippus Cyprius adornavit, huic profecto nova ordinatione opus nequaquam erat. De hoc Meletio multa eruditè, pro ſuo more, Cl. Renaudotius, qui poſt Gennadii ſeu Georgii Scholarii homilias, Meletii Pigæ epiſtolas duas Græcè Latinèque edidit. Doſitheus quoque Hieroſolymitanus in ſuo contra Calvinianos Enchiridio, ejuſdem ad Edwardum neſcio quem Anglum epiſtolæ fragmentum amplum, de vera Chriſti in SS. Euchariſtiæ Sacramento ſub panis ac vini ſpeciebus præſentia, recitavit. Ejuſdem multas epiſtolas, ac libros non paucos, præſertim contra Latinos, Leo Allatius memorat lib. 3. de conſenſ. cap. 7. num. 12. ubi narrat ſe puero, Meletium hunc frequenti comitatu & cum inſolenti oſtentatione Chium veniſſe, ibique quum in Romanam eccleſiam multa in concionibus deblateraret, Græcos ſimul & Latinos qui rebus præerant, veritos ne populus in varia ſtudia ſcinderetur, Magiſtratum adiiſſe, à quo juſſus eſt homo turbarum incentor ſub pœna capitis lembo ſtatim abſcedere. Cæterum inter cætera ingenii ſui monumenta, epiſtolas duas reliquit annis 1593. & 1594. ſcriptas, quibus ſanam eccleſiæ de Euchariſtia doctrinam, ac μετουσιώσεως, hoc eſt *tranſſubſtantiationis* vocem confirmavit.

GABRIEL *Jacobita.*

Joanni Jacobitarum Patriarchæ ſuffectus eſt *Gabriël*, qui ſedebat anno 1593. ut ex ejus ad Clementem VIII. litteris conſtat, quas Baronius Latine evulgavit in appendice ad tomum 6. Annalium Eccleſiaſticorum, quæque præterea ſeorſim prodierunt Coloniæ anno 1598. Ab his verbis incipiunt: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti unius Dei. In nomine Dei miſericordis & miſeratoris. Gloria Deo, ſempiterna ſalus à Domino. O Deus, da ſalutem. Humilis Gabriël Dei gratia famulus ſedis S. Marci in Alexandria Ægypti, & in omnibus locis aliis ſibi conjunctis auſtra-*

Digitized by Google

libus, maritimis & Æthiopicis nonageſimus-ſeptimus Patriarcharum, &c. In epiſtolæ ſerie, A Joannis & Gabriëlis alterius deceſſorum ſuorum meminit: *Certiorem te facimus, Pater ſpiritualis, olim veniſſe filium benedictum Joannem-Baptiſtam cum litteris Domini Patris Papæ Gregorii XIII..... ad Patrem Patriarcham Amba Joannem in Patriarcharum numero nonageſimum-ſextum....* Rurſum: *Certiorem etiam reddimus Patris Papæ ſanctitatem, quod tempore Patriarchæ Amba Gabriëlis in Patriarcharum numero Alexandrinæ regionis nonageſimi-quinti..... venit ad eum Nuntius Patris Papæ urbis Romæ vir doctus & virtute prædi-* B *tus, nomine Ambroſius, epiſcopus Aurienſis, &c.* E quibus epiſtolæ locis integra ſeries aſſeritur Patriarcharum qui Joanni alteri Damaſco oriundo ſucceſſerunt; in quo nempe deſinit Chronologicus Canon Abulbircat. Datæ litteræ ſunt, *die decima-ſexta menſis Athyr benedicti, anno à SS. Martyribus milleſimo trecenteſimo-decimo,* id eſt, die duodecima menſis Novembris anno Domini 1593. Georgium Douzam viri docti jam ante confutarunt, qui haſce litteras falſi inſimulavit in itinerario ſuo CP. hoc nomine, quod eodem C anno 1593. Patriarchalem Alexandriæ ſedem teneret Meletius Piga, quem CP. viderat. Scilicet vir ille audacior ignorabat, à mille circiter annis duos Alexandriæ nunquam non ſediſſe Patriarchas, quorum alter Melchitarum iis præerat qui Chalcedonenſem ſynodum amplexi erant, Jacobitarum alter iis qui ſynodum eamdem averſabantur. Cæterum conſtat à Gabriële miſſum Romam fuiſſe Barſum, archidiaconum Patriarchalis eccleſiæ S. Marci, cum preſbyteris ac monachis duobus, qui coram Clemente Pontifice D integram catholicæ fidei profeſſionem nomine Gabriëlis Patriarchæ pronuntiavit, eique cum ſociis ſubſcripſit die 15. Januarii anno 1595.

LXXXVIII. Cyrillus Lucaris.
Marcus *Jacobita.*
Joannes *Jacobita.*

Meletii Pigæ proximus ſucceſſor fuit *Cyrillus* cognomento *Lucaris,* vir ille famoſus, quem Calviniſtæ tanti fecerunt, atque inter martyres habent. Ejus hiſtoriam paucis ita E ſcripſit Leo Allatius, ut nullum omiſerit eorum ſcelerum quæ ab ipſo perpetrata fuiſſe
» in vulgus ſparſum eſt. « Cyrillus Lucaris,
» inquit lib. 3. de Perpet. Conſ. cap. 11.
» Cretæ obſcuris & miſerrimis natus parenti-
» bus, puer adhuc Alexandriam adnavigabat,
» & Patriarchæ Meletio ex eadem inſula pro-
» gnato operam collocavit; à quo inſtitutus &
» imbutus, quum eſſet ingenioſus & ſolers, ad
ſacerdotium promovetur. Hinc Patavium «
profectus, melioribus doctrinis excolitur. «
Reverſus Alexandriam, ab eodem Meletio «
creatus Archimandrita, in Blachiam mitti- «
tur, indeque in Saxoniam penetrans, capiti- «
bus contra catholicam religionem, quingentis «
nummis aureis avita fide divendita, ſubſcrip- «
ſit: qua ditatus pecunia, rurſus Alexandriam «
revertitur, & ad Cretam ablegatur, ut pro «
Patriarcha ſtipem cogeret. Ita per Conſtan- «
tinopolim & Parum in Cretam appellit. De- «
functo Meletio, Alexandriam repetiit, & «
quum omnium vota Geraſimum Spartaliotam «
reſpicerent, ipſe muneribus collocupletatus, «
ſtipe quam pro Patriarchatu collegerat in «
electores erogata, Patriarchale ſolium occu- «
pat. Tum, vivente adhuc Neophyto, By- «
zantium petiit: quo demortuo, licet ipſe «
ſedem ambiret, & variis artibus ſibi procu- «
rare ſtuderet, epiſcopi, eo ob cauſas ſibi bene «
notas rejecto, Timotheum à Marmora eli- «
gunt, cui quum non ceſſaret tum abſtruſas «
tum patentes inſidias continue moliri, plena «
ſynodo pellitur, & fuga ſibi conſulens, ad «
montem ſanctum, Athum veteres dixere, «
confertur. Nec multo poſt de eo præfocan- «
do mandatum Turcicum adjicitur; quod ubi «
montis accolæ vitam ſolitariam profeſſi per- «
ſenſerunt, ſub ementito habitu aliò eum «
amandant: ubi latuit donec, ſuæ factionis «
hominibus procurantibus, inter Patriarcham «
& eumdem gratia compoſita eſt, illis condi- «
tionibus, ut ſacrum Cyrillus faceret, & quo- «
cumque vellet, uno excepto Byzantio, liber «
abiret. Sic ille poſt breve tempus relicto «
monte, per Ænum & Hadrianopolim in «
Poloniam abiit. Mox Timotheus mortem «
obiit, veneno apertiſſimo, ut fama fuit, ſu- «
blatus.... Timotheo... defuncto, Cyrillus «
à ſuis Patriarcha Conſtantinopolitanus eligi- «
tur.» Hæc Allatius, qui ſane in crimen vertere non debuit quod Neophyto adhuc vivente Cyrillus Conſtantinopolim petiit, quum ille Patriarcha tunc temporis exularet, adeoque ad Patriarcham Alexandrinum unum ſpectaret illius eccleſiæ regimen. Cæterum quo tempore Patriarcha Alexandrinus inauguratus ſit, nemo adhuc aperuit: hoc unum tradunt, ſediſſe Alexandriæ, cum Meletio primum, deinde ſolum per novemdecim annos ac totidem dies, donec anno 1621. die 5. Novembris Regiæ urbis Patriarcha renuntiatus eſt.

Marcus *Jacobita.*

Gabrieli Jacobitæ ſucceſſit *Marcus V.* ex Biad vel Beijadt, die 18. menſis Toth, ſeu Septembris 15. anno Martyrum 1319. Chriſti 1602. Eum Bollandi continuatores ſediſſe aiunt annos ſexdecim, ut proinde non-niſi anno 1618. vivere deſierit.

Digitized by Google

Joannes Jacobita.

Huic vero, ut ex dicendis in Matthæo conſtabit, ſuffectus eſt *Joannes* Melawani, qui fuit nonageſimus-nonus Patriarcha. Ex quo difficultas oritur in eo quod ſpectat ad annum quo Marcus V. vita exceſſit. Nimirum Bucherius Minorita, qui anno 1610. die 5. Auguſti Alexandriam appulit, hoc ipſo anno tradit novum Patriarchæ depoſito ſuffectum eſſe, Baſſa jubente, Patriarcham. Sic ille lib. 4 Itinerarii ſui, cap. 7. *Devant que laiſſer nos Cophites, je raconteray l'hiſtoire d'un cas qui arriva l'année même que j'entray dans l'Egypte, qui eſt tel. Le Patriarche des Cophites nommé Anthoine, excommunia l'Evêque de Damiette, d'autant qu'il vouloit introduire dans ſon egliſe la pluralité des femmes, & le libelle de repudiation. Il s'accoſta d'un des principaux de la nation Cophite, nommé Abdelmeſſia, qui eſt en credit au grand Caire, l'obligea d'aller trouver le Bacha, & d'accuſer devant luy le pauvre Patriarche, &c.* Criminum capita deinde recitat Bucherius, cujus narratio hiſce verbis concluditur. *Il luy fit donner deux cens baſtonnades, & le depoſa de ſon office, au grand dommage de l'egliſe de Dieu. Car ſi cela ne fuſt point arrivé, ce bon Patriarche eſtoit ſur le point de ſe ſoûmettre, luy & tous ſes ſubjects, à l'obeïſſance du S. Pere. Celuy qui eſt maintenant en ſa place, s'appelle Jean de S. Macaire : mais c'eſt un bois verd, qui fait peu de feu & beaucoup de fumée.* Atqui erratum eſſe à Bucherio in nomine Patriarchæ depoſiti, ac pro Antonio Marcum in ejus narratione reponendum eſſe ultro conceſſerim; ſed cur ejus narrationem in dubium revocem nullam hactenus rationem video.

LXXXIX Gerasimus I.

Matthæus *Jacobita.*

Cyrillo Lucari ad Conſtantinopolitanam ſedem tranſlato ſucceſſit anno 1623. in Patriarchatu Alexandrino *Geraſimus* Spartaliota: cui quum Cyrillus litteras ab Antonio Leger, Doctore Gebenneſi, & Cornelio Hagio Batavorum apud Turcicam aulam oratore ſcriptas miſiſſet, quibus collegiorum erectionem, Patrum editiones, aliaque multa in gratiam Græcorum pollicebantur, modò cum Calviniſtis communionem admittere non gravaretur, exhorruit vir fidei catholicæ addictiſſimus, ac ſtricto calamo, litteras elegantes admodum ſcripſit, quas Leo Allatius publici juris fecit lib. 3. de conſ. cap. 8. n. 4. Datæ dicuntur ἐν Αἰγύπτῳ κατὰ τὸ ,αχκθʹ ἔτος τῆς σωτηρίας, Ἰουλίου ὀγδόῃ. *In Ægypto anno ſalutis 1629. die octava Julii.* Eidem Geraſimo, perinde atque aliis Patriarchis nuncupata eſt collectio quorumdam opuſculorum contra Latinos, quæ Græcis typis prodierunt Lon-

A dini. Eum impenſe laudat Doſitheus Hieroſolymorum Patriarcha lib. 12. c. 1. §. 10. quod eccleſiam ſanctæ civitatis, quæ ære alieno laborabat, anno pontificatus ſui primo ſublevarit; ſed audiendus maxime de eo Demetrius Procopius, qui in recenſione Græcorum qui nupero ſæculo claruerunt, eum ait in Creta natum, Γεράσιμος Κρὴς Πατριάρχης Ἀλεξανδρείας, philoſophum fuiſſe, theologum, divinarum ſcripturarum interpretem doctiſſimum, & linguarum Græcæ, Hebraïcæ, Latinæ callentiſſimum : ab eo varia ſcripta opuſcula, præſertim *decreta, dilucidationeſque in ſacram ſcripturam :* B præfuiſſe eum Alexandrinæ eccleſiæ ultra viginti annos, ὑπὲρ τὰ εἴκοσι ἔτη, ac ſponte throno ſe abdicaſſe, παρῃτήθη δὲ ὁ ἅγιος ἀνὴρ τοῦ θρόνου οἰκείᾳ θελήσει, ut reliquum vitæ, quod quidem breviſſimum fuit, ſibi ac Deo intentus exigeret. Hæc ille: quæ profecto non omnino erroris immunia ſunt, quod ſpectat ad ſpatium temporis quo Alexandrinæ eccleſiæ Geraſimus præfuit; nam ab anno 1623. quo Cyrillus patriarchatu Alexandrino ceſſit, haud plures annis decem ac ſeptem numerantur ad annum 1638. quo C Metrophanes Geraſimi ſucceſſor adfuit ſynodo Byzantinæ, in qua primum Cyrillo Lucari anathema dictum eſt.

Matthæus Jacobita.

Matthæum Joannis Melawani ſucceſſorem omiſit Cl. Wanſlebius, ſecutus notam codici ſuo adjunctam, quæ poſt Joannem illum alterum Joannem, dictum *el Touki,* exhibebat. Wanſlebio verò adhæſit Illuſtriſ. Renaudotius, qui præterea ſibi haud ſatis conſtare ait cur hoc loco Matthæum reponi velint recentiores. Scilicet, vir doctus in memoriam ſibi non revocabat, à ſe olim lectum D in Leone Allatio lib. 3. de Conſ. cap. 8. pag. 1002. fragmentum litterarum quas Matthæus ille ad Urbanum Papam ſcripſerat, anno 1637. quibuſque ea Patriarcharum Jacobitarum ſeries quam hactenus exhibuimus, eximie confirmatur. » Quemadmodum etiam antiquitus (verba ſunt Matthæi Patriarchæ) noſtri Patres ambulabant in obedientia S. ſedis Romanæ & ſedis S. Marci ad hæc uſque tempora, cum obſequio ſpirituali & vera charitate; ita nos quoque eorum veſtigiis inhærentes, ambulamus. Quoniam ergo ipſe E pauperculus vidi meorum anteceſſorum epiſtolas, & amorem quo ſeſe invicem proſequebantur; inter quas quum aſpexiſſem P. noſtri Gabriëlis qui numero nonageſimus-quintus eſt Patriarcha Alexandriæ, & P. Joannis, qui nonageſimus-ſextus eſt, & P. Gabriëlis, * & P. Joannis, qui nonageſimus-nonus ante me exceſſit è vita, & ipſe pauperculus poſt eum ordinatus ſum, &c.

* *Marcum omiſit quod nullæ eſſent ejus litteræ ad ſummos Pontifices.*

Digitized by Google

XC. Metrophanes.

Geraſimo ſuffectus eſt *Metrophanes*, de quo hæc pauca reperi, Protoſyncelli munus illum obiiſſe apud Patriarcham Conſtantinopolitanum, tum deinde aſſumptum in Alexandrinum Patriarcham, affuiſſe anno 1638. ſynodo illi Conſtantinopolitanæ, de qua mox dicebam, ac ſubſcripſiſſe definitionibus omnibus quæ in ea adverſus Calvinianos errores ac Lutheranorum placita haud abſimilia, ſancitæ ſunt. His, inquam, ſubſcripſit: Μητροφάνης ἐλέῳ Θεοῦ πάπας καὶ πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας, *Metrophanes miſeratione divina Papa & Patriarcha magnæ civitatis Alexandriæ*. Si tamen Proteſtantes hæreticos audimus, nulla mora erit quin eum agnoſcamus auctorem Lutheranæ illius confeſſionis quæ Helmenſtadii edita eſt, cum mendaci titulo *confeſſionis Orientalis eccleſiæ*. Eumdem Thomas Smith Anglus in ſuo de *ſtatu hodierno eccleſiæ Græcæ* opuſculo Oxonii litteris inſtitutum aſſerit. Denique Græcorum doctiſſimus D. abbas Papadopoli Metrophanem hunc *Lutheranum* appellare non dubitat, & Alexandrinæ *ſedis Lutheranorum auro pretioſiſſimum emptorem*. Quibus omnibus hoc unum ſignificatur, Metrophanem hunc Patriarcham confundi, jure ne an injuria, cum Metrophane illo Critopulo qui Proteſtantium è grege olim fuit.

XCI. Nicephorus.

Metrophanem excepit Nicolaus Clarontzanes cognominatus, vir litterarum divinarum peritus, quas ſuos Græcos docebat; quamobrem in actis ſynodi Hieroſolymitanæ anni 1672. in qua Calviniani errores proſcripti ſunt, *Magnæ Eccleſiæ Theologus* appellatur pag. 182. Νικόλαος ἱερεὺς Κλαρόντζάνης καὶ Θεόλογος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. καὶ ἔτος ἐγένετο πατριάρχης Ἀλεξανδρείας. Nimirum quo tempore factus eſt Patriarcha, nomen mutavit, ac *Nicephorus* appellari voluit. Conſtantinopoli ordinatus eſt, poſt Metrophanis obitum, anno ipſo 1638. die 29. Maii, ut Nectarii ad Païſium unum ex ejus ſucceſſoribus epiſtola fertur. Eccleſiam Alexandrinam haud ultra quadriennium tenuit.

Joannem *el Touki* Matthæi ſucceſſorem in patriarchatu Jacobitarum Alexandrino hic exhibent clariſſimi Wanſlebius ac Renaudotius. De eo tamen ſuſpicio eſt nunquam fuiſſe Patriarcham; quum enim Matthæus, ut vidimus, centeſimus ſit in ordine Patriarcharum, Joannes hic centeſimus-primus fuerit; atqui duos deinde reperimus, Marcum & Matthæum, quos patriarchatu functos eſſe in dubium verti non poteſt; his vero ſuffectus eſt anno 1675. Joannes *el Touki*, qui in litteris Cahira ad nos tranſmiſſis anno ſuperiori
A 1730. dicitur centeſimus-tertius.

XCII. Joannicius.
Marcus *Jacobita*.
Matthæus *Jacobita*.

Poſt Nicephorum *Joannicius*, qui tum Berrhœæ in Macedonia metropoliticam eccleſiam regebat, Patriarcha Alexandrinus renuntiatus eſt: vir magni apud ſuos nominis, eximiæ in rebus gerendis ſolertiæ, & ſapientiæ laude conſpicuus. Quum Berrhœenſi eccleſiæ præeſſet, an. 1638. ſynodo illi CP.
B de qua ſæpe jam diximus, adfuit, eique ſubſcripſit, ὁ Βεῤῥοίας Ἰωαννίκιος. In iiſdem actis à ſynodo Hieroſolymitana regeſtis, hæ voces è regione appoſitæ ſunt, ἔτος ἐχρημάτισε πατριάρχης Ἀλεξανδρείας, *hic fuit Alexandriæ Patriarcha*. Edita anno 1643. *confeſſione orthodoxa catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ Orientalis*, Parthenii II. Conſtantinopolitani litteris, quibus hic liber commendabatur tamquam genuinam Orientalis eccleſiæ fidem repræſentans, ſubſcripſit, Ἰωαννίκιος πάπας καὶ πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας, καὶ
C κριτὴς τῆς οἰκουμένης. Graves ſimultates exercuit cum Sinaïtis, quos in monaſterio ipſorum Alexandrino ſacra facere prohibuit. Quorum cauſam Nectarius Montis Sinaï tunc aſceta ut tueretur, Baſilium Moldoblachiæ principem adiit, ibique tunc agebat anno 1661. quo ipſe poſt Païſii Hieroſolymitani Patriarchæ obitum ſanctæ civitatis antiſtes renuntiatus eſt. Non ante annum 1664. Joannicius mihi quidem extinctus videtur.

Marcus Jacobita.

Joannem ex Touk, Jacobitarum Patriarcham, excepit an. Martyrum 1362. Chriſti
D 1645. die 17. Aprilis, *Marcus* de Bahgiura, monaſterii S. Antonii aſceta ac preſbyter; huic vero ſuffectus eſt poſt quindecim annos, hoc eſt, an. ſalutis 1660. ac Martyrum 1377. *Matthæus* ex Mir, è monaſterio S. Mariæ in Eremo, qui quidem vivebat adhuc an. 1673. quo clariſſ. Wanſlebius Cahiræ degebat. Ejus ampliſſimum exſtat tomo 3. de Perpet. Fidei pag. 763. diſertiſſimumque teſtimonium de perenni Orientalis eccleſiæ doctrina circa SS. Euchariſtiæ ſacramentum alioſque fidei catholicæ articulos.

Matthæus Jacobita.

E XCIII. Joachim.

Joachimum Joannicii ſucceſſorem omittunt catalogi noſtri. Fuit ille olim Coi inſulæ antiſtes, eoque nomine adfuit toties decantatæ illi ſynodo Conſtantinopolitanæ anni 1638. cui ſubſcripſit, ὁ Κῴου Ἰωακείμ. In actis illius ſynodi à ſynodo Hieroſolymitana anni 1672. recenſitis e regione ſubſcriptionis ejus appoſitum eſt, ἔτος ἐγένετο πατριάρχης Ἀλεξανδρείας.

Anno 1665. patriarchatum iniit Conſtantinopoli, ad eam ſedem evectus à Parthenio Mogilalo, cui ordinationem illam vitio vertit Doſitheus in ſuo de Patriarchis Hieroſolym. opere lib. 11. cap. 11. §. 4. *Parthenius*, inquit, *ſanctiſſimum Dionyſium ejecit anno 1665. quo & Alexandriæ Patriarcham Joachim deſignavit, & mala alia nefandaque perpetravit.* Τὸν μέντοι ἁγιώτατον Διονύσιον ὁ Μογίλαλος εἰρημένος Παρθένιος ἐξέβαλε ἐν ἔτει χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ ἑξηκοστῷ πέμπτῳ, ὅτε ὁ αὐτὸς Παρθένιος τῆς Ἀλεξανδρείας προέβαλε τὸν Ἰωακεὶμ, ὡς εἴρηται, καὶ ἄλλα κακὰ καὶ ἄθεσμα ἐποίησε. Quæ Joachim indignum patriarchatu fuiſſe ſignificant, ut & alia quæ ſubdit, ſocium eum appellans malorum, quibus idem Parthenius Conſtantinopolitanam eccleſiam & complures epiſcopos ac proceres afflixit.

XCIV. Paisius.
Joannes *Jacobita.*

Alexandriæ patriarchatu fungebatur *Païſius* anno 1671. quo Nectarius Hieroſolymitanus ad eum ſcripſit epiſtolam de fide Orientalis eccleſiæ circa SS. Euchariſtiæ myſterium, quæ Gallice exſtat tomo 3. de Perpetuit. Fid. pag. 653. Conſtantinopoli verò agebat anno 1672. quo ſubſcripſit reſponſioni Dionyſii Conſtantinopolitani ſuper Calvinianorum erroribus. Sedebat quoque anno 1678. Ricalto Anglo teſte, in libro quem Anglico idiomate ſcripſit *de præſenti ſtatu eccleſiæ Græcæ.*

Joannes Jacobita. Eruditiſſimi Actorum SS. editores obſervant ultimum ſuo tempore fuiſſe Jacobitarum Patriarcham *Joannem* dictum el Touki, litteris edocti ſodalis ſui Bernati, qui ab eo ſacrum Chriſma anno 1703. confici denuo cœpiſſe ſcribebat, quum à ducentis jam annis ille ritus eſſet omiſſus. Nos ex litteris Cahira ad nos tranſmiſſis anno ſuperiori diſcimus Joannem vivere deſiiſſe menſe Junio anni 1718. quum tres & quadraginta annos ac menſes præterea duos eccleſiæ Jacobiticæ præfuiſſet: ex quo apparet eum Matthæo ſucceſſiſſe menſe Aprili anni 1675. Hunc Gabriël Eva Maronita Clementis Papæ XI. juſſu inviſit, ut narrat quidem Cl. Aſſemanus in Præf. Biblioth. Orient. tom. 1. quum Romæ jactaretur parato illum eſſe animo ad catholicam communionem amplectendam. Quod quidem ille negavit, propterea quod carceres ſibi in urbe Cahira parati eſſent, ſi à Dioſcori ſecta deſciſceret; nimirum de catholicæ fidei veritate nunquam à ſe eſſe dubitatum, ſed ab ea admittenda Cophticæ gentis anteſignanos eſſe quam aleniſſimos.

XCV. Parthenius.

Païſio defuncto, Alexandriæ ſedem ſubiit Prochorus Monachus, epiſcopus tunc temporis Nazareth, Paiſii Hieroſolymitani itinerum in variis Europæ regionibus quondam ad ejus obitum uſque ſocius. Anno 1685. Patriarcha renuntiatus, priſco nomine ſuo repudiato, *Parthenius* vocari voluit. Smyrnæ periit anno 1689. terræ motu obrutus.

XCVI. Gerasimus II.

Parthenio ſuffectus eſt *Geraſimus* cognomento *Palidas*, vir, ut aiunt, eximie doctus, quem anno 1706. aut ſequenti Conſtantinopoli egiſſe, & Neophyti urbis illius Patriarchæ electioni, inaugurationique interfuiſſe legimus in illa Byzantinorum Patriarcharum ſerie quam doctiſſimus D. Anſelmus Bandurius Græcè Latinèque edidit in Annotationibus ad Imperium Orientale, καὶ τοῦ Ἀλεξανδρείας Γερασίμου.

XCVII. Samuel.
Petrus *Jacobita.*

Poſt Geraſimum Alexandrinam ſedem capeſſivit *Samuel* genere Cius, ut ait Demetrius Procopius in recenſione eruditorum hujus ſæculi Græcorum. Vivebat adhuc anno 1721.

Petrus Jacobita. Joanni in Jacobitico Patriarchatu ſuffectus eſt anno 1718. die 20. Auguſti *Petrus* dictus *el Siouty*, è monaſterio S. Pauli verſus mare Rubrum, qui ſtatim ab ordinatione ſua Chriſtodulum Hieroſolymorum epiſcopum Jacobitam depoſuit, eumque deinde metropolitam Æthiopiæ eſſe juſſit. Sedem Patriarchalem tenuit menſes ſex & 14. dies ſupra annos ſeptem, ac vita functus eſt anno 1726. die 4. Martii. Vacavit deinde aliquamdiu ſedes, deficiente pecunia quæ Præfecto ſive Baſſæ Cahiræ ſolvenda erat pro licentia novum Patriarcham eligendi & ordinandi.

XCVIII. Cosmas.
Joannes *Jacobita.*

Samuele vita functo, *Coſmas* Chalcedonius, ac primum montis Sinaï archiepiſcopus, deinde Byzantinus Patriarcha, quum in montem Sinaï ſeceſſiſſet, ibique divinarum ſcripturarum meditationi operam daret, ſe induci denique paſſus eſt ut Alexandrinæ eccleſiæ regimen in ſe ſuſciperet.

Joannes Jacobita. *Joannes* dictus *el Mellaouy* Petro ſucceſſit in Jacobitica ſede die 16. Februarii anno 1727. quum eſſet Præfectus monaſterii ſancti Pauli verſus mare Rubrum. Eum in litteris ad nos Cahira tranſmiſſis anno 1730. adhuc vivere aiunt, ac centeſimum quintum numerant Jacobiticæ ſectæ Patriarcham.

I. PROVINCIA

Digitized by Google

I. PROVINCIA ÆGYPTI PRIMÆ.

I. ECCLESIA HERMOPOLIS PARVÆ.

QUemadmodum in Thebaïde, ſic in inferiori quoque Ægypto *Hermopolis* dicta civitas fuit, quam *parvam & inferiorem* cognominabant, Liberato teſte cap. 8. Breviarii. Unde Plinio lib. 5. cap. 12. Nomus Hermopolites inferioris Ægypti cenſetur, atque in notitiis Græcis proxima poſt Alexandriam Hermopolis eſt. Hanc Strabo ad flumen ſeu Nilum ac circa Batum collocat, cui vicinus erat Mons Nitriæ, à Nitri fodinis appellatus, Nitriumque oppidum & deſertum ultra lacum Mareotim exiſtens, Nitrioticuſque nomus. Atqui Nitriæ mons vetuſtiſſima aſcetarum ſanctorum manſio fuit, quæ Hermopolis epiſcopo ſuberat. Quod quidem Hieronymus in epitaphio Paulæ ſignificat, ubi narrat eam oppidum Nitrium adiiſſe ut commorantes illic monachos viſeret. *Oppidum Domini Nitrium venit, in quo puriſſimo nitro ſordes lavantur quotidie plurimorum; quod quum vidiſſet, occurrente ſibi ſancto & venerabili epiſcopo Iſidoro confeſſore, & turbis innumerabilibus monachorum, ex quibus multos ſacerdotalis & leviticus ſublimabat gradus, lætabatur quidem ad gloriam Domini, ſed tanto ſe indignam honore fatebatur. Quid ego narrem Macarios, Arſenios, Serapiones, & reliqua columnarum Chriſti nomina!* Hæc certe Hermopolis eccleſiam illius ætatis admodum commendant, in cujus ditione natus primitus ſit, Ammone auctore, imo Ammone ipſo priùs monaſticus ordo, quin ut viri docti cenſent, ab ipſiſmet chriſtianæ religionis in Ægypto primordiis. Wanſlebio, aliiſque *Hermopolis parva* eadem eſſe putatur, quæ recentiori ævo *Demenhur* vocatur; nunc vero epiſcopali ſede, ſeu Melchitica, ſeu Coptica caret. In hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum pag. 516. in Michaële Patriarcha 71. fertur, ſedem *Chebra Demenhur* toto deceſſoris ejus Gabriëlis tempore Coptici generis epiſcopo vacaſſe, quum conſuetudo hactenus fuiſſet, ut nemo qui virgo non eſſet, illi eccleſiæ præficeretur. Id quod ſcilicet propter ſacrorum Nitriæ monaſteriorum honorem inſtitutum erat. In Dioſcoro Hermopolis hujus noſtræ præſule dicam, à Theophilo Alexandrino, eo ſua ſede pulſo, ſuppreſſum aliquamdiu fuiſſe hujus urbis epiſcopatum; ſed ſubinde reſtitutum evincit epiſcoporum ſeries quam mox exhibebo, quorum unus tempore ſecundæ ſynodi Epheſinæ ſedebat.

EPISCOPI HERMOPOLIS.

PHASILEUM hîc omitto Meletianum, qui Hermopolis majoris potius quam minoris, epiſcopus à Meletio Lycopolis ordinatus videtur.

I. AMMON.

Mox dicebam, *Ammone* auctore, monaſticum ordinem in Nitriæ deſerto pullulaſſe, quem non alium fuiſſe reor ab illo Ammone, cujus memoriam Græci in menologio die 5. Decembris agunt. Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἅγιος Ἀμμοῦν ἐπίσκοπος Νιτρίας. *Eodem die ſanctus Ammûn Nitriæ epiſcopus,* adeoque Hermopolis. De quo proinde canunt, Ἀμμοῦν πατρὸς κατεῖδε Νιτρίαν, κόσμου φυγὴν, ἄσκησιν, ἔξοδον βίου. *Patris Ammûn conſpexit, Nitria, mundi fugam, exercitationem, vitæ exitum.* Cæterum neque Palladius in Lauſiaca hiſtoria, neque Socrates A lib. 4. hiſt. cap. 23. neque Sozomenus lib. 1. cap. 14. Ammonem Nitriæ monachorum parentem, epiſcopatum geſſiſſe produnt. Sed quum juvenis uxorem duxiſſet, & per annos decem & octo ſeorſim ab illa in lectulo dormiiſſet, una cum illa in deſertum Nitriæ ſeceſſiſſe, ubi cæleſtem vitam viginti-duos annos egit. Ammonem Nitriæ monachorum pa- B rentem dixi, ut pote aſceticæ vitæ in ea regione propagatorem; quum tamen Palladius innuere videatur aliquot prius illic exſtitiſſe monaſteria, etſi perpauca prorſus. οὔπω γὰρ ἦν ἐκεῖ συνεχῆ μοναστήρια. *non enim tam frequentia illic erant monaſteria.*

II. DRACONTIUS.

Circa annum 354. vel 355. *Dracontius*

ECCLESIA HERMOPOLIS PARVA.

Hermopolis parvæ electus eſt epiſcopus, quam dignitatem veritus, fuga ſe proripuit, juniores cauſatus annos, impeditioremque linguam, & id genus alia. Cujus reluctamen vicit tandem magnus Athanaſius, data illi de capeſcendo munere epiſtola quæ exſtat. Poſt, Conſtantii Auguſti juſſu, Georgio Alexandrinæ eccleſiæ tyranno agente, anno 356. relegatus eſt in ſolitudinem Clyſmati, Rubroque mari vicinam, Athanaſio teſte epiſt. ad ſolitarios. Ibi eum à S. Hilarione viſitatum perhibet Hieronymus in ejuſdem Hilarionis vita. Anno 362. Conſtantio defuncto, ad eccleſiam reverſus ſuam, ſynodo adſuit Alexandrinæ, cujus ad Antiochenos epiſtolæ ſubſcripſit, Δρακόντιος Ἑρμουπόλεως μικρᾶς, *Dracontius Hermopolis parvæ*. In epiſtola de SS. Pachomio & Theodoro, quæ exſtat in actis SS. ad 14. Maii, & cujus mox nonnulla in *Dioſcoro* recitabo, mentio ſit *Dracontii beatiſſimi epiſcopi Hermopolis:* ac Palladio hiſt. Lauſ. cap. 10. Origenes S. Pambonis diſcipulus, ſitius fuit Δρακοντίου ἀνδρὸς ἐνδόξου καὶ θαυμαστοῦ, *Dracontii viri illuſtris & admirabilis*.

III. Isidorus.

Hermopolis epiſcopus fuit *Iſidorus*, de quo martyrologium Romanum ad diem Januarii 3. hæc habet. *Nitriæ in Ægypto ſancti Iſidori epiſcopi & confeſſoris*, qui Dracontio ſucceſſiſſe dicitur in epiſtola quam mox appellabam, de SS. Pachomio & Theodoro. Nitriæ monachus, Palladio teſte cap. 10. preſbyterque ac Xenodochus fuerat. Sanctiſſima Paula Romana, Hieronymo comite, an. 384. Nitriæ deſertum ſubiit, *occurrente ſibi ſancto & venerabili epiſcopo Iſidoro confeſſore*, ut narrat Hieronymus in ejuſdem Paulæ epitaphio. Palladius cap. 9. dixerat Iſidorum quindecim poſt annos quam in Ægypto ipſum ſeptuagenarium viderat, in pace quieviſſe, adeoque octogeſimum-quintum ætatis annum agentem.

IV. Dioscorus.

Inter epiſcopos qui ſynodo Conſtantinopoli, in cauſa Agapii & Bagadii de Boſtrorum epiſcopatu contendentium anno 394. habitæ adfuerunt, *Dioſcorus* Hermopolis memoratur Διοσκόρου Ἑρμουπόλεως. Hujus porro ſynodi præſes fuiſſe Nectarius Conſtantinopolitanus legitur. Ex Palladio cap. 13. Dioſcorus ex montis Nitriæ preſbytero & abbatis Pambonis quondam diſcipulo, factus eſt epiſcopus, quem Socrates lib. 6. cap. 7. per vim ex monaſterio avulſum, ordinatumque ait à Theophilo Alexandrino, qui illum ejuſque fratres impenſe diligeret. Illos vero ſubinde quum erga Origenem propenſiores

A comperiſſet, ſede Dioſcorum expulit, qui in Palæſtinam ſecedens, mox Conſtantinopolim, à S. Joanne Chryſoſtomo regiæ tunc urbis antiſtite humanè cum ſuis fratribus exceptus eſt, at peregrina dumtaxat communione donatus, donec negotium omne ipſorum certis documentis notum fieret. Theophilus interim, qua per omnem Ægypti diœceſim poteſtate valebat, Hermopolitanam parœciam ſibi totam, nemine illic ſuffecto epiſcopo vindicavit. Id quod Palladius alter, dialogi de vita ſancti Joannis Chryſoſtomi B ſcriptor, his verbis p. 57. ſignificat, λαβὼν αὐτοῦ τὴν παροικίαν, ἣν ἀπὸ τῆς παρουσίας τοῦ Χριστοῦ εἶχεν ἡ Διοσκόρου πόλις, *ejus parœciam occupans, quam Dioſcori civitas habebat ab adventu Chriſti*, ſive à prima illic inſtitutione Chriſtianæ religionis. Atqui Dioſcorum poſt Theophili ex regia urbe diſceſſum, ſeu prorſus fugam, anno circiter 403. fato functum eſſe perhibet Socrates lib. 6. hiſt. cap. 7. ex eodem Palladio, qui addit eum in martyrio quod eſt ante portam, ſuburbii utique, ἐν τῇ Δρυΐ, *in Quercu*, ſepultum, ut fert Georgius Ale- C xandrinus in ejuſdem Chryſoſtomi vita. De Dioſcoro, nec-non de deceſſoribus ejus Iſidoro & Dracontio audiendus hic venit auctor illius de qua dixi epiſtolæ de SS. Pachomio & Theodoro, quam Henſchenius dedit inter acta SS. die 14. Maii: *Ipſamque epiſtolam accepit à me*, inquit, *ſecundum Heraclidis juſſionem, Eſaïas qui & Chryſogonus, id quidem temporis in Nitria monachum agens, & ad extremum ſub ſanctiſſimo epiſcopo Iſidoro in minori Hermopoli diaconus conſtitutus, beatiſſimo Dracontio mittendam, quam frater Deo* D *cariſſimus, & conſacerdos noſter Dioſcorus ſancti Iſidori ſucceſſor, perquirens, haud difficulter reperiet*. Quæ poſtrema verba indicant Dioſcorum tunc temporis epiſcopatum geſſiſſe, quo epiſtola illa ſcripta eſt.

V. Esaias.

Poſt Theophili obitum Hermopolitana ſedes epiſcopalis reſtituta fuit. Nam act. 1. concilii Chalcedonenſis, in qua ſecundi concilii Epheſini geſta recitantur, epiſcoporum Ægypti poſtremus memoratur *Eſaïas epi-* E *ſcopus Hermopolis parvæ*, καὶ Ἡσαΐας Ἑρμουπόλεως μικρᾶς. Qui rurſus poſt biennium ad Chalcedonenſe concilium venit, Ἡσαΐας Ἑρμουπόλεως, & ut Latina tranſlatio vetus habet, *Eſaïa Hermopolis minoris*, ubi ſe Dioſcori Alexandrini partibus addictiorem præſtitit.

VI. Gennadius.

Ejuſdem Hermopolis epiſcopus poſtmodum fuit *Gennadius*, Timotheo Salofaciolo Alexandrino archiepiſcopo orthodoxo,

Digitized by Google

ſanguine conjunctus: Qui primùm à Timotheo Æluro Alexandrinæ ſedis pervaſore A catholicæ fidei cauſa pulſus, à Salofaciolo cognato ſuo reſtitutus eſt. A quo ad Zenonem Imp. cum Joanne Talaïa miſſus, ut vice ipſius de recepto Alexandrino epiſcopatu Principi gratias referrent, Conſtantinopoli remanſit, *ut cum aliis reſponſa faceret archiepiſcopi*, ait cap. 16. Liberatus, qui ſubdit, Gennadium à Talaïa ſpretim habitum eſſe. Quocirca eodem Talaïa ad Alexandrinam ſedem paulò poſt promoto, Acacio Conſtantinopolitano & Petro Mongo, qui à Chalcedonenſis Fidei hoſtibus Timotheo B Æluro ſubrogatus erat, inſtigantibus & adjuvantibus, Talaïam tamquam hominem epiſcopatui minus idoneum Imperatori detulit, ceu qui Salofaciolo in vivis agente, exire de eccleſia aliquando propoſuerat, illique ſuaſerat ut Dioſcorum defunctum in ſacris diptychis reſtitueret. Hæc Liberatus cap. 17.

VII. ZACHARIAS *Jacobita.*

Quo tempore Joannes Semnudæus Jacobiticum, Copticumque Patriarchatum gerebat, poſt annum 679. Hermopolis epi- C ſcopatum *Zacharias* obtinebat; à quo ille petiit Iſaacum ad ſe mitti monaſterii S. Macarii alumnum, doctrina & pietate inſignem, cujus in negotiis eccleſiæ gerendis ope conſiliiſque uteretur. Hiſtoria Patriarcharum Alexandrin. p. 176.

VIII. MENNAS *Jacobita.*

Philotheo Jacobitarum Patriarcha, circa annum 981. Macarius epiſcopus Menuf ſuperioris, Patriarchalis ſynodi ſcriba, vacante ſede *Demoroüa*, ſive *Demenhur*, olim Hermopolis, cum illo tranſegit, ut frater ſuus *Mennas* epiſcopus *Tana*, ſive *Tanevs*, illò transferretur, ubi nempe domum ille propriam habebat, id quod contra regulas in eccleſia Coptica receptas patratum. Ibid. p. 374.

IX. GABRIEL *Jacobita.*

Ortis in eccleſia Copticarum diſſidiis propter aliquos *Cyrilli* Patriarchæ familiares, quorum ille male ſanis conſiliis morem gerebat, epiſcopi Miſram convenerunt, inter quos memoratur *Gabriël* epiſcopus Demenhur. Ibid. pag. 458.

X. * * *

Anonymus ille qui Michaëlis IV. Patriarchæ vitam ſcripſit, teſtatur ſedem Chebra Demenhur, toto tempore Gabriëlis deceſſoris illius epiſcopo vacaſſe. Sedebat Michaël anno 1147. Ib. p. 516.

Anno Martyrum 954. ſeu Chriſti 1288. Cyrillus Jacobiticæ ſedis Alexandrinæ Papa, peculatûs apud Divani Saracenici judices accuſatus, in carcerem conjectus eſt, quò mox adducti ſunt *epiſcopi Demenhur & Fuæ*, aliique, quorum teſtimoniis eum facile convictum iri confidebant. Ib. p. 580.

II. ECCLESIA METELIS.

UTi Plinio, ſic Ptolemæo lib. 4. cap. 4. inter magnum Ægypti fluvium qui & Agathodæmon dicebatur, & amnem Tali, ad Orientalem ejuſdem magni fluvii ripam *Metelites nomus* eſt Μετηλίτης νομὸς, cujus civitas *Metelis* Ægypti primæ cenſetur in Notitia Hieroclis, & in eccleſiaſtica altera. Cæterum apud Hieroclem corrupte legitur Μιλετῆς, & in altera illa ὁ *Μίλεως*, pro Μετήλεως, *epiſcopus Metelis*. Wanſlebio, quæ priſcis olim *Metelis*, hodie *Meſſil* dicitur, quæ & *Fua* appellata eſt, ſeptem horarum ſpatio Roſetta diſtans. Ampla civitas eſt in fertiliſſimo ſolo poſita, quod lectiſſimis fructibus abundat.

EPISCOPI METELIS.

I. CRONIUS *Meletianus.*

METELIS epiſcopum Meletius Lycopoli- D tanus ordinavit *Cronium*, cujus nomen reperitur in Breviario ſeu Libello quem ille Alexandro archiepiſcopo Alexandrino dedit epiſcoporum qui factionis ſuæ erant, juxta atque à Nicæna ſynodo ſtatutum erat: Κρόνιος ἐν Μετέλῃ, ſeu Μετήλι, *Cronius in Meteli.*

II. MACARIUS.

In Concilio Epheſino primo ſedit & ſubſcripſit, Μακάριος ἐπίσκοπος Μετηλιτῶν, *Macarius epiſcopus Metelitarum.* Quidam Latini codices habent, *Metelenſium Ægypti.* Hic eſt, nî fallor, Macarius ille inferioris Ægypti epiſcopus, ad quem tres exſtant Iſidori Peluſiotæ epiſtolæ.

III. THEODORUS *Jacobita.*

Ex hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, ubi de Joanne Semnudæo, morienti illi cum epiſcopis aliis aderat *Theodorus Melituſæ*, adeoque Metelis. Vid. p. 176.

IV. ISAAC *Jacobita.*

Chriſtodulo Jacobitarum Patriarcha, *Iſaac epiſcopus Meſſilæ*, ſeu *Metelis*, cum aliis

ECCLESIA METZIS.

Ægypti præſulibus à Veziro Saraceno carceri traditus, poſt varia quæ toleravit tormenta, A periit, cujus acerbiſſimæ vexationis Chriſtodulus ipſe conſors fuit, pag. 439.

V. Mercurius *Jacobita.*

Electioni Cyrilli Patriarchæ qui Chriſtodulo anno 1078. ſuffectus eſt, ejuſque adeo conſecrationi aderat, *Mercurius Meſſilæ*, qui proinde Iſaaci proximus ſucceſſor fuit. Poſthac Mercurius idem Miſram cum epiſcopis aliis convenit ad ſynodum quæ Cyrilli familiarium male moratorum cauſa habita eſt. Ibid. p. 450. & 458.

VI. Bissoras.

Hoc loci memorare mihi liceat *Biſſoram epiſcopum Metzis*, vel ni fallor *Meſſilæ*, cujus memoria fit in Kalendario Æthiopum, die 9. Toth, Sept. 6. *Amba Baſſora epiſcopi Metzis* cum ſociis. *Beſſarionem* dixeris.

VII. Christodulus *Jacobita.*

Electioni & ordinationi Michaëlis IV. Patriarchæ aderat *Chriſtodulus* Fuæ. Ibid. pag. 516.

VIII. Kilus *Jacobita.*

Sub initium ſæculi decimi tertii *Kilus epiſcopus Fuæ* à Patriarcha Joanne metropolita factus eſt Æthiopiæ, pag. 560.

IX. Josephus *Jacobita.*

In indice codicum Arabicorum, qui à Clemente Caracciolo exarati, in Vaticanam Bibliothecam tranſlati ſunt, ſextus numeratur Joannis Damaſceni *Paradiſus intellectualis de virtutibus & vitiis, in fol.* B è Græco in Arabicum idioma converſus, *à Joſepho epiſcopo Fuæ*, anno Martyrum 951. ſive Chriſti 1235. Exſcriptus eſt ex autographo Joſephi, quod in Bibliotheca Montis Aurei ſervatur. Atqui Æra Martyrum à Jacobitis potius, quam à Melchitis uſurpatur, quod mihi argumento eſt Joſephum Jacobitis annumerandum eſſe. Ac certe Jacobitas ſancti Joannis Damaſceni dicta quæ ſuam hæreſim non feriebant, admiſiſſe ſuaque feciſſe mihi aliunde compertum eſt.

III. ECCLESIA COPRITHIS.

NOtitia Græca antiqua epiſcopatuum, in Ægypto prima habet *Coprithis vicum*, ἡ Κοπρίθεως κώμη, quam Hierocles omiſit. Sunt qui illam eamdem eſſe putant ac *Canam* ſive *Banam*, inferioris Ægypti civitatum unam.

EPISCOPI COPRITHIS.

I. Silvanus.

INter epiſcopos Ægypti, qui Epheſino ſacro Concilio cum Cyrillo Alexandrino interfuerunt & ſubſcripſerunt, *Silvanus Coprithis epiſcopus* legitur, Σιλβανὸς ἐπίσκοπος Κοπρίθεως.

IV. ECCLESIA SAIS.

NOtiſſima veteribus eſt *Saïs* Ægypti civitas, *Saïtici* nomi caput, cujus reges aliquot priſcæ ætatis Manetho in Annalibus recenſebat. Saïtæ præ aliis Minervam Deam colebant, hinc, Platone in Timæo, Diodoroque Siculo teſtibus, ſe Athenienſium conſanguineos jactabant. Notitiæ Græcæ *Saïn* in Ægypto prima ſtatuunt, eamque *inferioris Ægypti metropolim* dicit Strabo, à flumine Nilo ſchœnis duabus diſtantem. Sedes itaque epiſcopalis fuit, quæ hodieque *Sa* dicitur.

EPISCOPI SAIS.

Hermæon Meletianus.

MEletius Lycopolitanus inter epiſcopos quos ordinaverat, Alexandrini communionem amplexuros, ſuo in libello memoravit *Hermæonem Saïs*, ἐν Σαῒ Ἑρμαίων.

I. Paphnutius.

Anno 362. poſt Conſtantii Imp. obitum, ſynodo Alexandrinæ aderat, ejuſque ad Antiochenos epiſtolæ ſubſcripſit *Paphnutius epiſcopus Saïs*, Παφνούτιος Σάεως. Annon Paph- C nutius ille, qui à Georgio Ariano ſua ſede pulſus, exilio fidei catholicæ cauſa mulctatus fuit, ut & Præſules alii quos Athanaſius ἀρχαίους ἐπισκόπους, *veteres epiſcopos* dicit in epiſtola ad ſolitarios! Sed & trium Paphnutiorum qui Sardicenſis ſynodi decretis ſubſcripſere, unus profecto cenſendus fuerit.

Digitized by Google

ECCLESIA METALIS.

II. Adelphius.

Adfuit ſubſcripſitque ſynodo Epheſinæ primæ *Adelphius epiſcopus Saïs*, Ἀδέλφιος ἐπίσκοπος Σάεως, qui act. 1. ſententiam palam expoſuit ſuam pro magni Cyrilli ad Neſtorium epiſtola, quam Nicænæ fidei conſonam eſſe dixit.

III. Jacobus *Monophyſita*.

Saïticam ſedem obtinebat *Jacobus*, Petro Mongo Alexandriæ eccleſiam tenente, à quo propter receptum Zenonis Edictum Henoticum, Ἡνωτικὸν ſive *Unitivum*, cum aliis ſui ſimilibus defecit: unde illi abnegata archiepiſcopi communione *Acephali* audierunt. Hiſt. Patr. Alex. pag. 123.

IV. Basilius *Jacobita*.

Poſt captam à Saracenis Alexandriam & Ægyptum, ſedebat *Baſilius* epiſcopus Saïs, Theodoſianus ſive Jacobita, qui Benjami-
A num Patriarcham ſuum ad eccleſiam S. Macarii conſecrandam accedentem cum ſacerdotibus & monachis feſtivus excepit. Celebrem hunc fuiſſe doctorem fert Severus epiſcopus Aſchumin in *Benjamino*. Ib. p. 165.

V. Chail *Jacobita*.

Chaïl, ſive *Michaël epiſcopus Sa*, intererat electioni Juçab ſeu Joſeph Jacobitarum Pa-
B triarchæ, obſtititque ne quidam Iſaac Andunæ filius ad eam dignitatem eveheretur. Ibid. pag. 277.

VI. Gabriel *Jacobita*.

Zacharia filio Zaraa, ejuſque ſucceſſoribus Ignatio & Chriſtodulo Patriarchis, claruit *Gabriël epiſcopus Sa*, quem Chriſtodulus ad Patriarcham ſuæ communionis Antiochenum cum litteris ſynodicis delegavit, adjuncto ei ſocio Michaële Taneos. Ib. p. 407.

V. ECCLESIA LATOPOLIS.

Latopolis urbs Ægypti mediterranea, quæ Ptolemæo Λατοῦς πόλις, *Latonæ* civitas, Straboni ſimpliciori voce Λατὼν *Latum* dicitur, à piſce quodam qui in Nilo flumine naſcitur. Caput Nomi fuit, qui ab ea Latopolites dictus eſt, Plinio & Ptolemæo teſtibus, haud procul Memphi diſtans, ut fert Stephanus Byzantinus, cujus & pars ditionis eſſet, ἔστι δὲ μοῖρα τῆς Μεμφίδος. Urbem iſtam hodie *Dorooen* appellari nonnullorum aſſertio eſt. Atqui fuit & Latopolis altera in Thebaïde, quæ *Aſna*, Wanſlebio teſte, nuncupatur.

EPISCOPI LATOPOLIS.

Isaac *Meletianus*.

Inter epiſcopos quos Meletius Lycopolitanus creaverat, in Meletii ejuſdem Breviculo ſeu Indice cenſebatur *Iſaac Latus* Ἰσαὰκ ἐν Λατοῦς. Idem ipſe profecto qui cum Euſebianis è Sardicenſi Concilio Philippopolim ſecedens, epiſtolæ eorum ad eccleſias ſubſcriptus legitur *Iſaac à Lueto*, ſive *à Lato*.

I. Paulus.

Athanaſius in epiſtola ad Dracontium, *Paulum* ei in exemplum adhibet qui ex monacho Lati epiſcopus factus fuerat: καὶ
C δύνασαι μαθεῖν περὶ Παύλου τοῦ Λατοῦ: Cujus Pauli nomen legitur inter eos qui Sardicenſi Concilio ſubſcripſerunt.

II. Timotheus.

III. Apelles.

Theophilus Alexandrinus homilia ſua Paſchali tertia *Apellem Timotheo* epiſcopo Lati ſuffectum, & à ſe ordinatum perhibet. *In oppido Laton, pro Timotheo Apellem.*

VI. ECCLESIA NAUCRATIDIS.

Naucratim civitatem habet Ptolemæus in Nomo Saïtico poſitam ad magni fluvii Occidentale latus, à qua Nili oſtium *Naucraticum* appellatum eſt, quod Plinio teſte lib. 5. cap. 10. *Heracleoticum* etiam dicebatur, quin etiam *Ceramicum* Athenæo, cujus patria Naucratis fuit, à vaſis fictilibus quæ ibidem fabricabantur. Ibi nempe ejuſmodi fictiles calices fiebant, qui ita tingebantur ut argentei apparerent. Straboni, Naucratidis conditores fuere Mileſii, *qui Cyaxaris Medorum & Pſammitichi Ægypti regum ætate, contra hunc navibus triginta navigantes & in Bolbiticum oſtium appellentes, murum qui Mileſiorum dictus eſt exſtruxere, deinde in Saïticum Nomum ſeu præfecturam ingreſſi, Inaro navali prælio ſuperato, Naucratim urbem ſupra Schediam condiderunt.* Quamobrem Græca urbs Naucratis fuit, non Ægyptiaca, quam rurſum Strabo *ad ſiniſtram in ipſo Delta* collocat *ad fluvium*

Digitized by Google

Ecclesia Naucratidis. ſeu fluvii ripam Orientalem. Atqui Naucratim in Ægypto prima habet Hierocles, habet & notitia alia eccleſiaſtica.

EPISCOPI NAUCRATIDIS.

I. Harpocration.

INter Nicæni Concilii Patres de Provincia Ægypti cenſetur *Harpocration Naucratis.*

II. Isaias.

Epiſtolæ ſynodi epiſcoporum Ægypti ad Leonem Imp. qua Proterii Alexandrini necem nuntiabant, ſubſcripſit *Iſaias epiſcopus civitatis Naucratenæ:* qui & ſubſcriptus legitur decreto Gennadii Conſtantinopolitani adverſus Simoniacos. Hunc ſubinde, ut pote catholicæ fidei ſtudioſiſſimum, Timotheus A Salofaciolus Alexandriæ epiſcopus ad Simplicium Papam delegavit, quantum conjicere licet ex Simplicii ejuſdem epiſtola ad Acacium Conſtantinopolitanum, ubi ait, *Timotheum Alexandrinum per fratrem & coëpiſcopum Iſaiam, & Nilum preſbyterum, & Martyrium diaconum Alexandrinæ eccleſiæ ſolemnia ſcripta direxiſſe:* ante annum utique 478.

VII. ECCLESIA ANDROPOLIS.

PTOLEMÆUS Andropolim & Andropolitem Nomum ad Occidentalem Nili partem cis Delta ſtatuit, quæ Athanaſio in epiſt. ad Antiochenos *Andro* dicitur, Ἀνδρῶ. Hierocli Ægypti primæ civitas eſt *Andropolis.* Notitia Græca altera habet Ἀνδρωνικύς, errore Librarii, qui duarum urbium nomina in unum compegit. Quocirca legendum Ἀνδρῶν, Νικύς. Nimirum urbis *Nicius* mox erit mentio.

EPISCOPI ANDROPOLIS.

I. Zoilus.

ALEXANDRINÆ ſynodi, quæ Athanaſio præſide anno 362. habita eſt, ad Antiochenos epiſtolæ ſubſcripſit *Zoïlus Andron,* Ζωΐλος Ἀνδρῶ.

VIII. ECCLESIA NICIUS.

NICIUS ſive *Niciu* vicum habet Strabo, ἡ Νικίυ κώμη, ſed Ptolemæo nomi Proſopitæ metropolis eſt, καὶ μητρόπολις Νικίυ. Hierocli Νικίους *Nicius* ſcribitur, ut & in Meletii Breviario, voce indeclinabili, ἐν Νικίους. Jacebat ad Orientale littus magni fluvii, ſive Agathodæmonis amnis, Wanſlebio Nikiùs ſeu *Nicium* aliud poſitum eſt in Saïd, ſive Thebaïde.

EPISCOPI NICIUS.

Heraclides *Meletianus.*

INter epiſcopos quos Meletius Lycopolitanus ordinaverat, in Breviculo quem Alexandro Alexandrino dedit *Heraclides Niciûs* numeratur, Ἡρακλείδης ἐν Νικίους. Hic cum Iſaac Lati, & Iſaac Cleopatridis, ejuſdem Meletianæ factionis Iſchyram inflictis plagis adegit, ut Athanaſio magno calumniam strueret. Athan. apol. 2. p. 182. 189.

I. Dionysius.

Circa Theodoſii magni tempora Niciûs epiſcopus ſedebat *Dionyſius,* quem Palladius hiſt. Lauſ. cap. 47. à famulis navis, qua Pœmena virgo Alexandriam vehebatur, male habitum, aliosque itidem oppidi incolas, quin & in flumen projectum narrat, quum illi neſcirent eum urbis hujus Pontificem B eſſe. Διονύσιον δὲ τὸν ἅγιον ἐπίσκοπον, καὶ εἰς τὸν ποταμὸν ἔβαψαν, ὅμως ἀγνοήσαντες.

II. Theodosius.

III. Theopemptus.

Theophilus in fine homiliæ Paſchalis 2. epiſcopos indicans quos illo anno ordinaverat, *Theodoſio Theopemptum* in ſede Niciûs ſuffectum perhibet: *In urbe Nichium pro Theodoſio Theopemptum.*

C IV. Plusammon.

Synodo Chalcedonenſi adfuit, catholicoque prorſus animo ſubſcripſit *Pluſammon epiſcopus civitatis Nicii,* Νικίυ; qui ſubſcriptus itidem legitur epiſtolæ ſynodi Ægypti ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini, rurſumque decreto Gennadii Conſtantinopolitani de ſimoniacis, Πλυσάμμων ἐπίσκοπος τῆς Νικιωτῶν ὑπέγραψα.

V. Petrus *hæreticus.*

Cyro Monotheletarum auctore Alexandrino Patriarchatu fungente, quum Ægypti præfectus Auguſtalis Jacobitas exagitaret, ut ad illius communionem accederent, duo præſertim ex illorum grege epiſcopi Chalcedonenſem ſynodum ad novæ hujus hæreſis ſenſum amplexi feruntur, *Petrus Nicius*, & Victor Fium, ſive Arſinoës. Hiſt. Patriarc. Alex. p. 161.

VI. Joannes *Jacobita.*

Sedebat ſub Joanne Semnudæo Jacobitarum Patriarcha *Joannes* epiſcopus Niciûs, A quem ob canonum & diſciplinæ eccleſiaſticæ peritiam Simon Patriarcha ſubinde monaſteriis curandis præfecit; à quo tamen officio necnon epiſcopatu, quum monachum ſcortationis reum acerbe adeo vapulare juſſiſſet, ut decimo poſt die animam efflaverit, à Patriarcha eodem, epiſcoporum votis annuente, amoveri meruit. Ibid. p. 176. 177. 182.

VII. Mennas *Jacobita.*

Joannis in locum Simon Patriarcha cum ſua ſynodo *Minam* ſeu *Mennam*, ex monacho S. Macarii Niciûs epiſcopum ordinavit. Ibid. pag. 183.

IX. ECCLESIA ONUPHIS.

Onuphitæ Nomi metropolis eſt Onuphis Ptolemæo. Nomi meminit omiſſa urbe, Plinius. Ea vero ad dextram Niliaci rivi partem exſtabat, qui in Pſeudoſtoma Dioleon influebat. Notitia utraque hanc habet; in ſubſcriptionibus vero epiſtolæ Athanaſii, ejuſve Alexandrinæ ſynodi, ad Antiochenſes *Onuphis Lychnorum* appellatur, Ὄνυφις τῶν Λύχνων. *Nuph* hodieque dicitur.

EPISCOPI ONUPHIS.

I. Adelphius I.

Synodo illi Alexandrinæ cui Athanaſius anno 362. præerat, ſubſcripſit *Adelphius epiſcopus Onuphis, quæ eſt Lychnorum*, Ἀδέλφιος ἐπίσκοπος Ὀνύφεως τῶν Λύχνων. An-non ipſe eſt Adelphius ille, qui Athanaſii archiepiſcopi ſui necnon catholicæ fidei cauſa ſub Conſtantio exulavit in Ptinabla Thebaïdis, ut fert Athanaſius ipſe epiſt. ad ſolitarios? Qui nempe ad Athanaſium adverſus B Arianos ſcripſit, cuique Athanaſius reſcripſit epiſtolam quæ exſtat. Iterum porro exulavit Valente Imp.

II. Adelphius II.

Synodo Epheſinæ primæ adfuit ſubſcripſitque *Adelphius epiſcopus Onuphitarum*, Ἀδέλφιος ἐπίσκοπος Ὀνυφιτῶν: qui rurſus ad ſecundam ſynodum Epheſinam venit, cunctaque pro Dioſcori Alexandrini votis præſtitit.

X. ECCLESIA TAUÆ.

Taua Ταύα, Ptolemæo Nomi Phthemphuthi ſive Phthembothi metropolis eſt. Hanc habet Hierocles in Ægypto prima: in Notitia altera pro Σαυὶ, legendum ſaltem Ταυὶ vel Ταυά. Poſita erat juxta Pharmuthiacum Nili oſtium Orientem verſus. An-non quæ hodie *Taſcha*, in qua Jacobita epiſcopus ſedet?

EPISCOPI TAUÆ.

I. Isaac.

Ad Epheſinam ſynodum cum Cyrillo Alexandrino venit eique interfuit *Iſaac epiſcopus Taüæ*, vel *Taüorum*, qui in codicibus Græcis Librariorum errore ſcribitur Ἰσαὰκ ἐπίσκοπος Ταύλων, *Iſaac epiſcopus Tautorum.* Cæterum *pro eo ſubſcripſit Adelphius* epiſcopus Onupheos rogatus *ab ipſo cum male ſe haberet.* Anno 449. ad Epheſ. ſynodum convenit cum Dioſcoro archiepiſcopo ſuo, cui in omnibus morem geſſit: rurſumque poſt biennium quum ad Chalcedonenſe Concilium acceſſiſſet, nec Dioſcori depoſitionem act. 4. nec epiſtolam Leonis Papæ ad Flavia- C num Conſtantinopolitanum approbare voluit, cum duodecim ſociis ſuis aliis Ægypti epiſcopis, malo utique, ut Liberatus ait, animo.

II. Harpocras.

Epiſtolæ epiſcoporum Ægypti ad Leonem Imperat. qua S. Proterii necem nuntiabant, ſubſcriptus legitur *Harpocras epiſcopus Ganæorum*, legendum prorſus *Taüæorum.* Ipſe eſt qui in ſubſcriptionibus ſynodici decreti contra ſimoniacos quod Gennadius Conſtantinopolitanus dedit, *epiſcopus Taneos* corrupta voce dicitur, Ἁρποκρᾶς ἐπίσκοπος Τάνεως.

Digitized by Google

XI. ECCLESIA CLEOPATRIDIS.

STRABO lib. 17. pag. 804. ſcribit haud procul ab Heroum civitate, *ad foſſam quæ in mare rubrum & Sinum Arabicum influebat, poſitam fuiſſe Arſinoen, quam nonnulli Cleopatridem dicerent*, καὶ πόλιν Ἀρσινόην, ἣν καὶ ἔνιοι Κλεοπατρίδα καλοῦσι. Mox vero Arſinoen à Cleopatride ſecernit. *Prope vero Arſinoen*, inquit, *eſt Heroum civitas & Cleopatris in Arabici maris receſſu, verſus Ægyptum:* πλησίον δὲ τῆς Ἀρσινόης καὶ ἡ τῶν Ἡρώων ἐστὶ πόλις, καὶ ἡ Κλεοπατρὶς ἐν τῷ μυχῷ τοῦ Ἀραβικοῦ κόλπου, τοῦ πρὸς Αἴγυπτον. Cleopatridem Plinius neſcit, hunc vero Arſinoïtem nomum aliis accenſet, & Arſinoen Trogloditicen appellat, nomenque illud ei inditum eſſe ab Arſinoe Philadelphi regis ſorore & uxore ait, tum ex Agrippa tradit à Peluſio Arſinoen rubri maris oppidum per deſerta 125. mill. paſſ. diſtare. Arſinoen in inferiore Ægypto neſciunt notitiæ Hieroclis & Græca altera vetus, ſed *Cleopatridem* habent, quæ hodie *Serſene* vel *Serſia* vocari fertur. Cæterum non capio quo jure Cleopatris ad mare rubrum exiſtens, Ægypti primæ cenſita ſit. Græci in Menologio die 24. Januarii memoriam recolunt SS. Pauli, Pauſirionis, & Theodorionis Martyrum Cleopatride in Ægypto ſub Diocletiano & Maximiano Impp. & Ariano præſide.

EPISCOPI CLEOPATRIDIS.

ISAAC *Meletianus*.

IN breviario Meletii, ſeu indice epiſcoporum quos creaverat, legitur *Iſaac Cleopatridis*. Ισαὰκ ἐν Κλεοπατρίδι, qui ſubinde Euſebianis ſe junxit adverſus Athanaſium. Iſchyras in libello quem eidem Athanaſio dedit, teſtabatur ſe ab Iſaac Cleopatridis, aliiſque ejus ſociis verberibus adactum fuiſſe, ut ejus famæ detraheret. Athan. apol. 2.

I. OPHELLUS.

Theophilus Alexandrinus homilia ſua Paſchali 3. *Ophellum* à ſe ordinatum Cleopatridis epiſcopum monet, *In Cleopatride Offellum.*

II. ALEXANDER.

In Epheſina ſynodo prima ſedit & ſubſcripſit *Alexander epiſcopus Cleopatridis* Ἀλέξανδρος ἐπίσκοπος Κλεοπατρίδος.

III. THEOPHILUS.

Anno 449. Epheſinæ ſynodo alteri adfuit, & ſententiam pro Eutyche dixit *Theophilus Cleopatridis epiſcopus;* qui poſt biennium ad Chalcedonenſe concilium quum veniſſet, neque Dioſcori Alexandrini depoſitioni, neque epiſtolæ Leonis Papæ ſubſcribere prorſus voluit, ſed nec Eutychem condemnare. In tranſlatione Latina geſtorum hujus ſynodi dicitur act. 1. epiſcopus *Cleopatridis, quæ & Arſinoë*.

IV. RAPHAEL *Jacobita*.

Quo tempore Cyrillus II. Jacobitarum Ægypti Patriarchatum gerebat, epiſcopi quamplurimi, ſimul apud ipſum convenerunt, ob familiarium ejus quorumdam male compoſitos mores. Aderat porro cum aliis *Raphaël Serſiæ* ſive *Serſenæ*. Hiſt. Patr. Alex. pag. 458.

XII. ECCLESIA MENELAITIDIS & SCHEDIÆ.

MENELAI civitas, Canopus & Schedia, Menelaïtæ nomi civitates vicinæ erant, ad foſſam Nili Occidentaliorem, quæ Canopitica dicta eſt. Atqui Menelaï civitas ipſa utique eſt, quæ parva Tapoſiris Straboni, eo in loco ſtructa in quo Thonis olim exſtiterat, eo dicta nomine quo Rex ille qui Menelaum & Helenam hoſpitio excepit. Quidquid id eſt, ſubinde ſcribit à Nitriotico nomo non parum diſtaſſe Menelaï civitatem, ad cujus ſiniſtram in ipſo Delta foſſa eſſet Naucratica. *Canobus* vero, ſive *Canopus*, inquit, *centum viginti ſtadiis Alexandria abeſt itinere pedeſtri pergentibus. Dicta de nomine Canobi, qui Menelaï claſſem gubernabat, ibique diem obiit.* Schedia ad eamdem foſſam jacens, *quatuor ſchœnis Alexandria diſparata eſt*, ait rurſus Strabo, *quæ habitatio urbis ſpeciem refert.* Alexandria itaque centum & viginti ſtadiis diſtabat, quando Plinio teſte lib. 5. cap. 10. ſchœnus triginta ſtadiorum in longitudinem menſura fuit. Schedia itaque Strabonis ævo civitas non erat; quin & Canopum Caſtellum dumtaxat fuiſſe Liberatus ſignificat cap. 16. ubi narrat Timotheum Salofaciolum Alexandriæ epiſcopum, quo tempore Baſiliſcus tyrannidem arripuerat, & Timotheus Ælurus in Alexandrinam eccleſiam graſſabatur, *in Canopi Caſtellum* fugiſſe, & in monaſterio latuiſſe. Imo Athanaſius preſbyter Alexandrinus, in libello quem in Concilio Chalcedonenſi act. 3. obtulit, ſuburbium Alexandrinæ civitatis, quod antehac

Canopus

Digitized by Google

Canopus dicebatur, ætate ſua vocitatum eſſe *Metanœan*, Μετάνοιαν addit, τὴν Μετάνοιαν, προάςειον δὲ τῦτο τῆς μεγίςης Ἀλεξανδρείας, ὁ ποτὲ Κάνωπος.

EPISCOPI MENELAITIDIS & SCHEDIÆ.

I. Atlas.

INter Patres Nicænæ ſynodi de provincia Ægypti legitur *Atlas epiſcopus Schedia Thebaïdis*. Sed Schedia nulla in Thebaïde erat.

II. Agathodæmon.

Epiſtolæ Athanaſii & ſynodi Alexandrinæ ad Antiochenſes ſubſcripſit *Agathodæmon Schedia & Menelaïtæ epiſcopus*, Ἀγαθοδαίμων Σχεδίας καὶ Μενελαΐτυ.

XIII.

ECCLESIA PHTHENOTHI.

P*Linio* nomus *Ptenetu* inferioris Ægypti regio eſt, Ptolemæo Φθενόθης νομὸς καὶ μητρόπολις Βῦτος, *Phthenothes nomus, cujus metropolis Butus*. Straboni, *poſt Canobum ad oſtium eſt Nili Bolbiticum, hinc Sebenniticum & Phatnicum, quod magnitudine tertium eſt, præter duo prima quibus Delta terminatur*. Ad mare igitur Phthenoth poſita erat, juxta Nili oſtium quod ab ea Phatnicum, ſeu Phthenoticum dictum fuit. Qui vero in ſynodorum geſtis aliiſque monumentis epiſcopi Buti appellantur, hi Phthenothi quoque cenſendi ſunt, ac viciſſim. *Butum* habet notitia Hieroclis non Phthenoth; neutram Græca altera, niſi ea ſit quæ *Paphua* ſcribitur. Atqui Buti meminit Plinius lib. 5. cap. 10. Strabo quoque, *Poſt Mileſiorum opus*, ſeu murum de quo in Naucrati dictum eſt, *in Sebenniticum procedenti*, inquit, *ſunt lacus, quorum alter Buticus à Buto urbe nominatur*. Mox: *Circa Butum Hermopolis eſt. In inſula Buto eſt Latonæ oraculum*, quæ inde Buto quoque dicebatur. De quo & urbe ipſa legendus Herodotus lib. 2. cap. 15.

EPISCOPI PHTHENOTHI.

Pininuthes *Meletianus*.

IN Breviario Meletii ſeu indice epiſcoporum Meletianorum habetur Πινινύθης ἐν Φθενεγὺ, *Pininuthes in Phthenegy*, lege Φθενέθη, *Phthenethe*: qui ut alii ſocii ipſius, ante Nicænam ſynodum creatus erat.

I. Caius.

Interim ſedebat *Caïus Phthenuthis*, qui in indice Patrum Nicænorum reperitur.

II. Ammon.

Concilio generali Epheſino adfuit & ſubſcripſit *Ammon epiſcopus Buti*, Ἀμμων ἐπίσκοπος Βυτῦ, τῆς Βυτῶν.

III. Theonas.

Decreto ſynodico Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis ſubſcriptus legitur Θεωνᾶς ἐπίσκοπος Βυλιτῶν, *Theonas epiſcopus Butitarum*. Ex quo emendanda ſubſcriptio quæ Latine dumtaxat ſupereſt, epiſtolæ epiſcoporum Ægypti ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini, *Theonas epiſcopus Vantenæ civitatis*, ut legatur *Butenæ*.

IV.

ECCLESIA MAREOTIDIS.

REgio lacui *Mareæ* vicina *Mareotis* appellatur, ac Plinio quidem Libyæ cenſita eſt; poſt vero Ægypto à Conſtantino attributa fuit. Marea vero lacus medius eſt inter Alexandriam & montem Nitriæ, Ruffino teſte. Straboni *latitudinem habet ſupra centum ſtadia, & longitudinem circa trecenta. Inſulas habet octo, & loca circumpoſita omnia bene habitata, in quibus maxima vini copia eſt, ut etiam Mareoticum vinum ad vetuſtatem perduret*. Mareotis in notitia Hieroclis primæ Ægypti cenſetur, ut in veteri Græca eccleſiaſtica altera epiſcopatuum: ſed Athanaſio magno teſte apolog. 2. nullus in ea epiſcopus, nec chorepiſcopus fuit, ſed ſinguli vici qui plurimi erant, à ſingulis presbyteris adminiſtrabantur. Nihilominus Euſebiani Iſchyram calumniæ adverſus Athanaſium impudentem architectum, qui nec presbyter nec diaconus erat, pro epiſcopo Mareotæ venditarunt, ita ut epiſtolæ ipſorum, quam poſt ſuam à Sardicenſi Concilio ſeceſſionem ad eccleſias dederunt, ſubſcriptus reperiatur, *Iſchyrion epiſcopus à Mareote*. Patres vero ſynodi Sardicenſis hunc epiſcopum eſſe ſua in ſynodica inficiati ſunt, velut & ſæpe Athanaſius. Obtinuit tamen ut in loco qui *Secontaturus* dicebatur, eccleſia ſibi à Conſtantio Auguſto ædificaretur. Cæterum nullus deinceps Mareotæ epiſcopus fuit.

Digitized by Google

II. PROVINCIA AUGUSTAMNICÆ PRIMÆ.

I. ## ECCLESIA PELUSII.

PELUSIUM Ægypti civitas ad Orientale Nili oſtium primum poſita, Herodoto lib. 2. & alibi notiſſima, nomen ἀπὸ τῦ Πηλῦ, *à Luto* nomen habuit, Strabone teſte, *propter paludes circum circa vicinas, quas nonnulli Bathra vocant*. Ammianus vero Marcellinus lib. 23. *In Auguſtamnica*, inquit, *Peluſium oppidum eſt nobile, quod Peleus Achillis pater dicitur condidiſſe, luſtrari Deorum monitu juſſus in lacu, qui ejuſdem civitatis alluit mœnia, cum poſt interfectum fratrem Phocum horrendis furiarum imaginibus raptaretur*. In notitia Hieroclis, & veteri altera eccleſiaſtica Auguſtamnicæ primæ attribuitur: atque illic olim ſtetiſſe fertur, ubi hodieque *Belbeis* exſtat. Id quod Willelmo Tyrio placet lib. 20. hiſt. cap. 3. ſed Damiatam hodiernam eam eſſe multi affirmant.

EPISCOPI PELUSII.

CALLINICUS *Meletianus*.

IN Breviario Meletii ſeu indice epiſcopo- A rum quos per Ægyptum conſtituerat, *Callinicus Peluſii* legitur, Καλλίνικος ἐν Πηλουσίῳ. Uti confeſſor habebatur à Meletianis Epiphanio teſte hær. 63. n. 5. Poſt Nicænam ſynodum ſimulatoriè catholicam communionem amplexus eſt, ſubinde vero ſeſe Athanaſii adverſariis junxit, quum ab eo jam ſacerdotio amotus eſſet, atque in Tyri præſertim concilio, in quo Sozomenus lib. 2. cap. 25. eum ſe catholicæ eccleſiæ epiſcopum dixiſſe refert, aſſeruiſſeque ſe ideo fuiſſe ab Athanaſio depoſitum, quod ejus communionem B detrectaſſet, niſi ſibi de fracto calice ſatisfieret. Alias inſuper calumnias cum Iſione & Eudæmone ſociis ſuis in eum ſparſit, quæ falſi convictæ ſunt coram Conſtantino Imp. Nihilominus in malis perſeverans ſub Conſtantio, cum Euſebianis Sardica Philippopolim ſeceſſit, quorum epiſtolæ ſubſcriptus legitur, *Callinicus epiſcopus à Peluſio*.

I. DOROTHEUS.

Synodo Nicænæ adſuit genuinus Peluſii epiſcopus *Dorotheus*, quod ex indice Patrum C hujus concilii conſtat.

II. MARCUS.

Ab Athanaſio Peluſii epiſcopus ordinatus *Marcus* fuit, quocirca à Callinico Meletiano in concilio Tyrio anno 335. Athanaſius accuſatus eſt, quod ei Marco qui preſbyterio abdicatus eſſet, eccleſiæ Peluſianæ regimen commiſerat, ipſumque interim Callinicum à militibus cuſtodiri, verberibus cædi, & in judicium adduci effecerat. Sozomenus lib. 2. cap. 24. Hic proinde alter è Marcis illis duobus fuit, quos Athanaſius ſui cauſa exulaſſe refert in apologia de fuga ſua.

III. PANCRATIUS.

Exulante Marco, à Georgio Alexandrinæ eccleſiæ tyranno *Pancratius* ordinatus fuit; quippe qui, Socrate teſte lib. 2. hiſt. c. 29. Sirmienſi concilio cum eodem Georgio intererat anno 351. Γεώργιος τε ὁ Ἀλεξανδρείας.... Παγκράτιος Πηλουσίου. *Georgius Alexandriæ ... Pancratius Peluſii*. Eumdem Georgium & Acacium Cæſarienſem perinde ſequutus eſt anno 359. in Seleucienſi ſynodo, quorum formulæ fidei hæreticæ ſubſcripſit. Epiphanius hær. 73. n. 26. Germinius quoque Sirmienſis in 14. fragmento ſancti Hilarii.

IV. AMMONIUS.

In dialogo Palladii de vita ſancti Joannis Chryſoſtomi pag. 200. fertur, epiſcopum Ancyræ, & *Ammonium Peluſii*, καὶ Ἀμμώνιος ὁ τῦ Πηλουσίου, partim donis, partim minis, milites eorum qui Joannis cauſam tuebantur in exilia deductores adverſus illos exaſperaſſe, ut ne à laïcis quidem exciperentur. Cæterum Iſidoro Peluſiotæ monacho, magno alioqui S. Doctoris Chryſoſtomi admiratori, epiſt. 127. lib. 2. Ammonius idem *vir præclarus, divinæque ſapientiæ plenus celebratur*, ὡς ὁ ἀοίδιμος καὶ θείας σοφίας ἐμπλέως

Digitized by Google

Ἀμμώνιος, ὁ πρῶτος ἐπίσκοπος. Eumdem laudat iterum lib. 3. epiſt. 245. Theodoſio Imp.

V. Eusebius *hæreticus.*

Multis Iſidori Peluſiotæ epiſtolis notus nobis eſt *Euſebius* Ammonii ſucceſſor, cujus ille arrogantiam & incompoſitos mores acri paſſim ſtylo perſtringit, epiſt. 39. lib. 2. & epiſt. 127. rurſum epiſt. 178. lib. 3. necnon epiſt. 245. quam Theodoſio Juniori Auguſto ſcripſit, *hunc ſceleſtam, peregrinamque, & monſtro ſimilem belluam humana dumtaxat forma* præditam appellat: Inſuper ejuſdem lib. 3. epiſt. 270. & 407. quæ omnino legenda eſt, lib. item 5. epiſt. 564. & alibi. Cæterum Euſebius hic ſynodo Epheſinæ generali priori interfuit cum archiepiſcopo ſuo Cyrillo. Timotheum Ælurum, Dioſcoro Alexandrino Gangris defuncto, Alexandriæ epiſcopum Euſebius Peluſii, unà cum Petro Ibero Majumenſi præſule ordinare auſus fuit, ut Evagrius narrat lib. 2. cap. 8. Qui proinde alius cenſendus non eſt ab illo de quo tot querelas ſparſit Iſidorus. Ambos hos Æluri ſacratores *ſub indignatione factos eccleſiæ à ſede Alexandrina eccleſiæ, nullamque communionem habere cum ſancta catholicaque eccleſia*, ſcribebant epiſcopi Ægyptiacæ diœceſis ad Anatolium Conſtantinopolita-
A num, poſt necem S. Proterii Alexandrini, à quo Euſebio proinde ſacerdotium abrogatum eſſe apparet.

VI. Georgius.

Miſſus Alexandriam *Georgius* S. Sabæ diſcipulus & monachus ob negotia quædam, à Zoïlo Alexandrino antiſtite catholico Peluſii epiſcopus conſecratus fuit. Quod refertur in vita S. Sabæ num. 37. Atqui Zoïlus anno 538. Alexandriæ thronum capeſſiverat, illoque dejectus eſt anno 551. poſt S.
B Sabæ exceſſum.

VII. Abraham *Jacobita.*

Quando Peluſium ab Arabibus *Belbeis* dictum communis fert opinio, Peluſii proinde epiſcopus cenſendus venit *Abraham*, qui anno 743. electioni Chaïl ſeu Michaëlis Patriarchæ aderat. Hiſt. Patr. Alex. p. 207.

VIII. Chail *Jacobita.*

Sæculo nono medio ſedebat *Chaïl* ſeu Michaël epiſcopus Belbeis, vir apud ſuos pietate & ſcientia commendatiſſimus, qui electioni interfuit & ordinationi Juçab ſive Joſeph Patriarchæ Jacobitarum. Ib. p. 277.

II. ECCLESIA SETHRŒTÆ.

Sethrœtem, ſeu *Sethroïtem* nomum Plinius circa Peluſium collocat, ejuſque meminit Strabo, unumque eſſe ait è decem qui in Delta erant. Habet & Ptolemæus, cui *metropolim* aſſignat *Herculis civitatem minorem*, καὶ μητρόπολις Ἡρακλέους πόλις μικρά. Quocirca Stephanus *Heracleopolim ſecundam Peluſio* vicinam eſſe ait. In notitia Hieroclis Auguſtamnicæ primæ civitatum una eſt *Sethroïtes*. Hanc hodie ab Arabibus *Neſterowan* dici ferunt.

EPISCOPI SETHROITÆ.

I. Theon.

In Epheſina ſynodo priore ſedit ſubſcripſitque *Theon epiſcopus Herculis civitatis Sethroïtæ*, Θέων ἐπίσκοπος Ἡρακλέους Σεθροΐτου, cujus ſuffragium de Cyrilli ad Neſtorium epiſtola refertur act. 1. In codicibus Latinis quibuſdam male ſcribitur *Theon Athriſti*, pro *Sethroïti*, vel potiùs *Sethroïtæ*. Ad hunc Theonem Iſidori Peluſiotæ epiſt. 92. lib. 5. datam doctiſſimus Tillemontius exiſtimat, qua admonebatur, ut mores meliùs componeret, & à viris qui virtuti ſtuderent, inſectandis ſibi temperaret.

II. Isidorus.

Ad Chalcedonenſe concilium cum Dioſcoro Alexandrino venit *Iſidorus* Sethroïtæ, unuſque fuit è tredecim illis Ægypti epiſcopis qui act. 4. illuſoriam fidei formulam Patribus obtulerunt, cui poſtremus ſubſcripſit: Ἰσίδωρος ἐπίσκοπος Σεθροϊτῶν, *Iſidorus epiſcopus Se-*
C *throïtarum.* Sed nec ipſe cum ſuis ſociis ſubſcribere prorſus voluit Eutychis & Dioſcori damnationi; quum ſibi fas eſſe negarent quidquam ſine archiepiſcopo ſuo Alexandrino ſtatuere.

III. Georgius *Jacobita.*

Ex diacono eccleſiæ Jacobiticæ Alexandrinæ, vel Miſræ, *Georgius* epiſcopus Neſrat factus eſt, adeoque Sethroïtæ, ut conjicio, Chaïle Patriarchatum gerente; cujus cauſa à Marwani Califæ filio in carcerem cum
D epiſcopis quibuſdam & preſbyteris truſus fuerat. Hiſt. Patr. Alex. p. 227.

IV. Joannes *Jacobita.*

Vivebat *Joannes* epiſcopus Neſterowæ

ECCLESIA [illegible]

anno 1086. quo Miſram coram Veziro cum aliis epiſcopis convenit, ad corrigendos exceſſus familiarium aliquot Cyrilli Patriarchæ. Ibid. pag. 458.

V. Ephræm *Jacobita.*

Cyrillo III. Jacobitarum Patriarcha *Ephræm* Neſterowæ epiſcopus ab Emiro ſeu A Ægypti præfecto Saraceno vocatus eſt cum decem aliis, ut ſuam ſententiam de Cyrillo promeret. Atque ejus quidem ordinationem ſubſcriptione ſua approbavit, mox autem verum eſſe dixit ſimoniæ crimen quod ipſi impingebatur. Ibid. p. 590.

III.

ECCLESIA TANEOS.

TANIS Ægypti civitas fuit vetuſtiſſima, ſeptem annis poſt Hebron Palæſtinæ condita, ut obſervatur Num. 13. v. 23. Erat plane tunc Ægypti caput, & Pharaonum ſive Regum ſedes, cujus frequens alibi in ſcripturis mentio. Ad Nili oſtium poſita erat, quod *Taniticum* vocitatum fuit, Tanitæ nomi caput, cujus meminere Ptolemæus & Plinius. Strabo quoque maximam fuiſſe civitatem teſtatur, καὶ πόλις δὲ αὕτη μεγάλη Τάνις. Tanes vel Thennes hodieque Arabibus nominatur.

EPISCOPI TANEOS.

Eudœmon *Meletianus.*

IN Breviario Meletii inter factionis ejus epiſcopos quos creaverat, quique poſt Nicænam ſynodum Alexandri Alexandrini communionem amplexi ſunt, *Eudæmon Tanis* legitur Εὐδαίμων ἐν Τάνει, qui ſubinde cum duobus aliis falſum crimen Athanaſio intulit, ceu lini tributum ab Ægyptiis exigeret; qui mendacii coram Imperatore Conſtantino convicti ſunt, ut comprobat Athanaſius apologia ſua 2. Nihilominus inter epiſcopos qui Philippopolim à Sardicenſi concilio ſeceſſerunt, & eorum ad eccleſias epiſtolæ ſubſcripſerunt, occurrit etiam *Euthemon epiſcopus à Thaneos. Euthemon* pro *Eudæmon.*

I. Hermion.

Anno 362. *Hermion* Taneos epiſcopus catholicus ſedebat, ſubſcripſitque epiſtolæ ſynodi Alexandrinæ ad Antiochenſes Ἑρμίων Τάνεως, aliàs Ἑρμαίων *Hermæon.*

II. Apollonius.

Spuriæ ſynodo Epheſinæ ſecundæ adfuit, ejuſque profanis decretis ſubſcripſit *Apollonius epiſcopus Taneos* Ἀπολλώνιος Τάνεως. Poſthac rurſum ad Chalcedonenſe concilium reverſus illuſoriæ fidei formulæ ſubſcripſit, eamque & cum ſociis ſuis Patribus obtulit, renuitque catholicam fidei definitionem & S. Leonis Papæ ad Flavianum epiſtolam amplecti, latæque in Dioſcorum ſententiæ ſuffragari.

III. Paulus.

Apollonio turbarum adverſus Chalcedonenſem ſynodum cum duodecim aliis auctori ſuffectus fuit à Proterio Alexandrino *Paulus epiſcopus Taneos*, qui ſubſcripſit epiſtolæ ſynodi Ægyptiacæ ad Leonem Au- B guſtum, de ejuſdem Proterii nece.

IV. Marcus *Jacobita.*

Marcus Jacobitarum Ægypti Patriarcha ſynodicas de ordinatione ſua litteras Cyriaco Antiocheno miſit per *Marcum epiſcopum Taneos*, & Marcum alterum epiſcopum Farmæ, viros doctos & Græci ſermonis peritos. Hiſt. Patr. Alex. pag. 247.

V. Isaac *Jacobita.*

C Poſtquam Juçab ſeu Joſeph Patriarchatum Jacobiticum inierat, poſt annum Chriſti 831. adverſus *Iſaacum epiſcopum Tanis* & Theodorum Miſræ delatæ querelæ ſunt ad Patriarcham: Tanitis minitantibus ſe à Jacobitica fide diſceſſuros, niſi epiſcopus ſuus deponeretur: quos ut placaret, Joſeph ad epiſcopos ſcripſit concilium petens: atque deinceps ambo illi epiſcopi amoti fuerunt; qui Aſchinum præfectum adeuntes Patriarcham defectionis accuſaverunt. Sed falſum D crimen Patriarcha diluit, impetravit vero ne digna ultio de illis ſumeretur. Hiſtoria Patr. Alex. pag. 279. 280.

VI. Demetrius *Jacobita.*

Iſaaco ſuffectus fuit *Demetrius* à Joſepho Patriarcha. Ibid. pag. 281.

VII. * * *.

Quo tempore Eutychius Patriarcha Alexandrinus ſedebat, ante annum 945. quum inter *Tenniſi* ſeu *Tannis epiſcopum* & ple- E bem odia fervérent, Mohammed Aſchidus filius Taagi, Ægypti & Syriæ Dominus, quemdam nomine Abulhaſen cum militibus illuc miſit, qui templa Melchitarum fiſco addixit, & quæcumque in ipſis eſſent, ad

Digitized by Google

Aſchidum advexit. Sed epiſcopus Tenniſi per ſcribas quoſdam impetravit ab Aſchido, A ut pro quinque millibus aureorum ſupellex ei ſua reſtitueretur. Quocirca de facultatibus eccleſiæ tantumdem venditum eſt, quantum ad ſummam conficiendam opus eſſet. Aſchidus vero quum intellexiſſet poſſeſſiones illas viliori quam par eſſet pretio veniiſſe, Tenniſum mittens, ab emtoribus repetiit quidquid juſto pretio deerat. At Chriſtiani, quia diſſidia ſua horum malorum eſſe cauſam ſenſerunt, his compoſitis in unam eccleſiam coaluerunt. Elmac. lib. 3. pag. 209.

VIII. Mennas *Jacobita.*

Philotheo Jacobitarum Patriarcha Alexandrino *Mennas* fuit epiſcopus Tanæ, ſeu Tanis, qui fratre ſuo epiſcopo Menuf agente Denmerowam tranſlatus fuit, in qua domum poſſideret. Avaritiæ porro hic inſimulatur, quin etiam jurgii cum Semnudæ ſeu Sebennyti epiſcopo. Hiſt. Patr. Alex. pag. 374. & 388.

IX. *** *Jacobita.*

Menna Denmerowam tranſlato, Philotheus monachum quemdam *epiſcopum Tanæ* creavit. Ibidem pag. 374.

X. Simon *Jacobita.*

Ex Sacerdote eccleſiæ S. Macarii *Simon epiſcopus Tanæ* factus fuit à Chriſtodulo Jacobitarum Patriarcha; poſt annum proinde Martyrum 763. Chriſti 1047. Ib. p. 419.

XI. Michael *Jacobita.*

Poſt Severum epiſcopum Aſchumin *Michaël epiſcopus Tanis,* Patriarcharum Alexandrinorum Coptitarum ſeriem deſcripſit, cum ſæculo undecimo floreret Zacharia, Sanutio B ſecundo, & Chriſtodulo Patriarchis. Hunc Chriſtodulus cum Gabriële epiſcopo Sa ad Jacobitarum Antiochenorum Patriarcham delegavit anno Martyrum 765. Chr. 1049. quum nempe à Zacharia diaconus, à Sanutio preſbyter, & à Chriſtodulo epiſcopus eſſet ordinatus. Ibid. p. 420.

XII. Samuel *Jacobita.*

Inter epiſcopos qui coram Veziro propter male moratos familiares Cyrilli II. Patriarchæ Miſram accerſiti ſunt, aderat *Samuël Tanæ,* anno Martyrum 802. Chriſti 1086. Ibid. pag. 458.

IV.

ECCLESIA THMUIS.

INter maximas Ægypti urbes, Ammiano Marcellino teſte lib. 22. *Thmuis* fuit, Mendeſii nomi metropolis Ptolemæo, apud quam Pan hirci ſpecie colebatur: unde non-niſi *Mendes* nominatur apud Strabonem, qua voce Ægypti hircum ſignificabant. Notitia utraque in Auguſtamnica prima Thmuim habet, Θμοῦις. Hodie eſt *Themmi* vel *Themoï,* ſeu potius *Themowia* vicus ignobilis.

EPISCOPI THMUIS.

I. Phileas *Martyr.*

SAncti *Phileæ* epiſcopi Thmuis & Martyris acta à Gregorio coævo ſcripta Ruffinus recognovit, in quibus Diocletiani perſequutio, Phileæ captivitas, epiſtola ad Thmuitas narrantur. Ea Græcè Latinèque Combefiſius noſter edidit Pariſiis anno 1660. in 8°. Memoria ejus fit in Martyrologio Romano die 4. Februarii. *Thmui in Ægypto paſſio B. Phileæ ejuſdem civitatis epiſcopi, & Philoromi Tribuni militum, qui in perſequutione Diocletiani, quum à cognatis & amicis ſuaderi non poſſent ut ſibi parcerent, ambo datis cervicibus palmas à Deo meruerunt: cum quibus etiam innumera multitudo fidelium ex eadem urbe paſtoris ſui ſequens exemplum martyrio coronata eſt.* Habent eadem die ſuis in martyrologiis Beda & Adon. Euſebius Cæſarienſis lib. 8. hiſt. Eccl. cap. 9. Phileam Thmuitarum, *virum* ait *fuiſſe cum in civilibus patriæ inſtitutis & eccleſiæ miniſteriis valde præſtabilem, tum* A *philoſophicis diſciplinis eximium.* Sed & c. 10. Phileæ ad Thmuitas de martyribus Alexandriæ paſſis epiſtolæ partem recitat. Martyrium ejus ac Philoromi Baronius refert ad ann. 1. Diocletianeæ perſequutionis; his tamen prius, ut vel ex ipſa Phileæ epiſtola conſtat, multi alii Alexandriæ præſertim mortem pro Chriſto obierant. Meliùs proinde Phileas paſſus dicendus eſt Maximiani non Diocletiani temporibus, Hieronymo præſertim duce in catalogo ſcript. Eccleſiaſt. *Phileas,* inquit, *de urbe Ægypti quæ vocatur Thmuis,* B *nobili genere, & non parvis opibus, ſuſcepto epiſcopatu elegantiſſimum librum de martyrum laude compoſuit, & diſputatione actorum habita adverſum judicem, qui eum ſacrificare cogebat, pro Chriſto capite truncatur, eodem in Ægypto perſequutionis auctore, quo Lucianus Nicomediæ.* Phileam patria Thmuitam fuiſſe ejus geſta teſtantur, τῆς Θμουϊτῶν πόλεως θρέμμα καὶ

ECCLESIA THMUIS.

οἰκείτερ· provectæ item ætatis quando martyrio functus eſt, quippe cui judex dixerit, A φείδω τοῦ γήρως τῆς ἡλικίας καμπτόμενος, ſenioris ætatis indulgentia flexus. Alexandriæ demùm, non Thmui paſſus eſt. Legendus Bollandus Act. SS. 4. Febr.

II. S. Donatus *Martyr.*

Proximus S. Phileæ ſucceſſor fuiſſe traditur *S. Donatus*, qui ex Iſtriæ urbecula oriundus Aquileïam venit, unde in Ægyptum profectus eſt errorum qui ibi ſcatebant confutandorum cauſa. Ibi presbyterii gradu auctus Diocletiano eccleſiam inſectante, confeſſor B evaſit cum Macario itidem presbytero & Theodoro diacono. His ſociis aſſumtis Thmuim appellens, in S. Phileæ locum qui martyr occubuerat, epiſcopus ordinatus fuit. Sub Licinio demum membratim pro Chriſti confeſſione conciſus eſt. Cujus mentio fit in Act. SS. Bollandi die 22. Maii: ἔπειτα εἰς Θμοῦιν (male Τίθμουλον) ἀφικνοῦνται ἧς ἐπίσκοπος ἦν Φιλέας ὃς τῆς στάλης τοῦ διωγμοῦ κινουμένης, ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τοῦ δεσπότου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ διαμείνας, τὸν στέφανον τοῦ μαρτυρίου διὰ τῆς ἀφαιρέσεως τῆς κεφαλῆς ἀνεδήσατο. εἰσελθόντος τοίνυν τοῦ ἁγίου Δο- C νάτου ἐν τῷ κυριακῷ, περιστερὰ οὐρανόθεν ἐμφανεῖσα τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ ἐπεκάθισεν· ἣν θεασάμενοι οἱ παρόντες, τοῦτον ἄξιον ἐπισκοπῆς εἶναι τῇ τοῦ θεοῦ κρίσει ἐψηφίσαντο, καὶ εὐθέως ἐνθρονίσαντες αὐτὸν τελείᾳ ἱερατείᾳ καθίδρυσαν. *Inde Thmuim perveniunt, cui tunc urbi præerat Phileas; qui exorta deìu perſequutione, in confeſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti perſiſtens, coronam martyrii capite minutus retulit. Quum autem Donatus ingrederetur eccleſiam, demiſſa è cœlo columba capiti ejus inſedit: quam ut qui aderant conſpexerunt, hunc epiſcopatu digniſſimum pronuntiarunt, Deo* D *videlicet ipſo ita indicante. Ac continuo in eum dignitatis gradum evehentes advenam, ſupremo ſacerdotio decorarunt.*

III. Caius.

Inter Nicænæ ſynodi Patres de provincia Ægypti, legitur *Caïus Muethos*, dubium non eſt quin inverſis litteris emendandum ſit *Thmueos*.

IV. Serapion.

De S. Serapione Hieronymus in ſcriptori- E bus eccleſiaſticis ait: *Serapion* Θμούεως *Ægypti urbis epiſcopus, qui ob elegantiam ingenii cognomen ſcholaſtici meruit, carus Antonii monachi, edidit adverſus Manichæum egregium librum, & de pſalmorum titulis alium, & ad diverſos utiles epiſtolas, & ſub Conſtantio Principe etiam in confeſſione inclitus fuit;* adverſus Arianos ſcilicet, & in cauſa Athanaſii, à quo impetravit ut libris tribus qui ipſi inſcripti ſunt, Macedonianos ſpiritus ſancti Deitatis detrahentes expugnaret. Prius monachus, & monaſterii præfectus fuit, quam epiſcopus, Athanaſio teſte in epiſtola ad Dracontium. Vix dubium eſt quin cenſendus ſit ille Serapion, qui anno 347. Sardicenſi concilio interfuit, & ex epiſcopis catholicis qui, Georgio Alexandrinæ eccleſiæ tyranno graſſante, in exilium abacti ſunt. Sarapion vocatur à Photio in Epitome de Manichæis repullulantibus, Σαραπίων ὁ τῆς Θμούεως; à quo etiam numeratur inter illuſtres illius ævi præſules, qui adverſus Manem & illius hæreſis ſequaces Manichæos calamum cum laude ſtrinxerunt, ut Fidem catholicam ab eorum inſaniis & calumniis vindicarent. *Bibl. Cod. pag. 354.*

V. Ptolemæus.

A Georgio Alexandrino Thmuitanæ ſedi impoſitum atque intruſum puto *Ptolemæum*, qui in concilio Seleucienſi, ſubſcripſit confeſſioni fidei Arianæ ejuſdem Georgii & Acacii Cæſarienſis, Πτολεμαῖος ἐπίσκοπος Θμούεως Αυγουστονικῆς, lege Αυγουσταμνικῆς, *Ptolemæus epiſcopus Thmuis Auguſtamnicæ*. Epiphanius hær. 73. n. 26.

VI. Aristobulus.

Epheſino concilio priori interfuit & ſubſcripſit *Ariſtobulus epiſcopus Thmuis*, Ἀριστόβουλος ἐπίσκοπος Θμούεως.

VII. Mennas *Jacobita.*

Menna I. Patriarchatu Jacobitico Alexandriæ fungente ſedebat *Mennas epiſcopus Tambowa* ſeu *Tamonowa*, ante ſæculi octavi medium. Nimirum quum Petrus diaconus quidam Patriarchalem dignitatem adverſus genuinum Patriarcham Mennam ambiiſſet, & Pontificalia ornamenta ab Abujafar Almanſore accepiſſet, eccleſiam Miſræ ingreſſus Liturgiam inchoaturus, à Menna Tammowa & Moſe Wiſſim epiſcopis cidari nudatus & ex altari ejectus fuit. Quamobrem ambo epiſcopi in carcerem truſi ſunt, ex quo paucis poſt diebus educti ſunt, id quod contigit anno 760. Hiſt. Patr. Alex. p. 238.

VIII. Elias.

Sæculo undecimo ſub Chriſtodulo Patriarcha *Elias* fuit *epiſcopus Temowia* ſeu *Thmueos*, cui ut aliis epiſcopis Ægypti nata ſuſpicio eſt Chriſtodulum ritè ordinatum non fuiſſe. Cujus ſuſpicionis primarius auctor erat Jacobus epiſcopus *Saca*, Patriarchæ æmulus. Ibid. p. 428.

IX. Daniel *Jacobita.*

Inter epiſcoporum conventum qui Emiro

Digitized by Google

Ægypti jubente Miſræ habitus eſt ob familiares male moratos Cyrilli Patriarchæ anno 1086. adfuit *Daniel Temowia* ſeu *Thmueos.* Ibid. pag. 458.

ECCLESIA RHINOCORURÆ.

V. RHINOCORURA Phœniciæ potius veteribus cenſebatur, quam Ægypti, Strabone teſte lib. 16. *Ex Petra Rhinocorura, quæ civitas in ipſa Phœnicia eſt Ægypto vicina, merces aſportantur,* εἰς Ῥινοκόρουρα, τῆς πρὸς Αἰγύπτῳ Φοινίκης τὰ φορτία κομίζεται. Quod nomen urbi idcirco inditum narrat, quod Æthiopum Rex, qui Ægyptum invaſerat, non necibus, *ſed naſi amputatione,* ἀποτέμνων τὰς ῥῖνας, maleficos coerceret, illucque relegaret, ut propter oris deformitatem redire domum non auderent. Huic Stephanus Byzantinus adſtipulatur, qui tamen urbem Ægypto attribuit, πόλις Αἰγύπτου, velut & Ptolemæus. At Plinius Palæſtinæ, ſeu proinde Phœniciæ, ut pote quæ ad littus maris jacebat, haud procul Raphia & Gaza. Nihilominus Alexandrini præſulis regimini obnoxia ſemper fuit. Sozomenus lib. 6. cap. 31. refert hujus eccleſiæ clericis communes ædes fuiſſe, communem menſam, alia denique omnia communia. Ammianus Marcellinus hanc Auguſtamnicæ civitatibus accenſet, ac primæ quidem Hierocles velut & notitia vetus altera. Hodie *Farma* dicitur; abeſt vero procul à monte *Formo,* quod vaſtæ ſolitudinis initium eſt Palladio Hiſt. Lauſ. cap. 23. & Sozomeno lib. 6. cap. 30.

EPISCOPI RHINOCORURÆ.

I. DARIUS.

IN codicibus Regiis Arabicis habentur nomina epiſcoporum multorum, qui Nicænæ ſynodo adfuerunt, quorum quintus eſt *Darius epiſcopus Farmæ.* Quanquam mihi minime placet nomen *Darius,* nec dubium quin corruptum ſit, legeroque potius, *Dorotheus.*

II. MELAS.

Martyrologium Romanum die 16. Januarii memoriam habet *S. Melæ epiſcopi Rhinocoruræ, qui ſub Valente exilium & alia gravia pro fide catholica paſſus, in pace quievit.* Urbis hujus alumnum hunc fuiſſe teſtatur Sozomenus lib. 6. hiſt. cap. 31. καὶ Ῥινοκόρουρα δὲ, οὐκ ἐπήλυσιν, ἀλλ᾽ οἴκοθεν ἀνδράσιν ἀγαθοῖς ἐξ ἐκείνου διέπρεψεν. *Atqui Rhinocorura per illud tempus, non viris piis adventitiis, ſed apud ſe natis claruit, quorum facile optimos vitæ monaſticæ ſe dedidiſſe accepi. Novi tum Melanem eccleſiæ ejuſdem epiſcopum, & Dionyſium, qui à parte urbis ad Septentrionem vergente monaſterium habuit:* Narrat ſubinde ſatellites qui ad eum, ut alios epiſcopos rectæ fidei tenaces, ſede pellendum venerant, lautè domi ab ipſo exceptos; illiſque ab ipſo ſciſcitantibus, ubinam epiſcopus ageret, tum ſe illis ultro indicaſſe, ut idem pœnæ genus ſubiret, quod epiſcopi doctrinæ ſuæ orthodoxæ ſocii.

III. SOLON.

Sozomenus eo loci quem recitavi, mox ſubdit, *Novi & Solonem Melanis fratrem, & in epiſcopatu ſucceſſorem,* καὶ Σόλωνα τὸν Μέλανος ἀδελφὸν, καὶ τῆς ἐπισκοπῆς διάδοχον. De A quo hæc quoque recitat: *Solon autem factus ex mercatore monachus, non parum ipſe quoque inde percepit utilitatis. Fratre ſiquidem Melane, & monachis qui ſapientiæ ſedulo ſtudebant, præceptoribus, tum Dei cultui ſumma animi alacritate incubuit, tum erga vicinos optimum ſe præſtitit. Quare eccleſia Rhinocorurenſis ejuſmodi ab initio antiſtites nacta, deinceps ad noſtram uſque ætatem eorum inſtitutis uti, viroſque bonos ferre non deſtitit. Quocirca illius eccleſiæ clericis ædes communis, communis menſa, cætera denique communia ſunt.* Hæc ſcri-
B bebat Sozomenus medio fere ſæculo quinto.

IV. POLYBIUS.

S. Epiphanii Salaminæ in Cypro epiſcopi diſcipulus primùm & aſſectator fuit Polybius epiſcopus Rhinocorurorum, qui ejus vitæ ſupplementum ſcripſit. Πολυβίου ἐπισκόπου πόλεως Ῥινοκορούρων εἰς τὰ λοιπὰ τοῦ βίου τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Ἐπιφανίου ἐπισκόπου πόλεως Κωνσταντίας. *Polybii epiſcopi Rhinocorurorum, reliqua vitæ S. P. N. Epiphanii epiſcopi civitatis Conſtantiæ.*

C

V. HERMOGENES.

Epheſinæ ſynodo generali priori adfuit ſubſcripſitque *Hermogenes epiſcopus Rhinocorurorum,* Ἑρμογένης ἐπίσκοπος Ῥινοκορούρων. Cujus & pro Cyrilli Alexandrini ad Neſtorium epiſtola ſuffragium, rurſumque adverſus Neſtorium exſtat in actis ejuſdem ſynodi. Mox à Cyrillo Romam miſſus eſt, qui cuncta Cæleſtino Papæ exponeret. Sed non-niſi poſt Cæleſtini obitum eam in urbem appulit, quocirca ordinationi ſucceſſoris ejus Xyſti ipſe ejuſque ſocius interfuerunt. Quod ipſe

Digitized by Google

ECCLESIA RHINOCO-RURÆ.

Xyſtus ſecunda ſua ad Cyrillum epiſtola ſignificavit. *Nam per ſanctos conſacerdotes* A *noſtros Hermogenem & Lampetium aſſiſtentes noſtræ ordinationi, has litteras viſum eſt mittere ad religionem tuam, quales utique ad ſanctam ſynodum miſimus de ſectatoribus Neſtorii.* Ipſe profecto eſt Hermogenes, ad quem complures habentur Iſidori Peluſiotæ epiſtolæ, quæ virum fuiſſe ſanctiſſimum teſtificantur, eique idcirco amicitia conjunctiſſimum. Quæ lib. 1. 419. eſt ad Cyrilli magni contra Neſtorianos aſſerta quædam videtur ſpectare, propter quæ magnus ille doctor in Apollinariſtarum hæreſis ſuſpicionem apud multos B incurrerat, ac forte etiam ad illius ad Succeſſum epiſtolas, quibus *unam Dei verbi naturam incarnatam* pronuntiaverat. Vide lib. 1. epiſt. 21. 51. lib. 3. epiſt. 358. 378. 448. 466. & alibi.

VI. ZENO.

Hermogenis utique ſucceſſor fuit *Zeno*, qui cum Dioſcoro Alexandrino ad Epheſinam ſynodum ſecundam venit, & pro Eutyche ſuffragium dixit Ζήνων ἐπίσκοπος Ῥινοκορούρων, *Zeno epiſcopus Rhinocorurorum.*

VII. ALPHIUS.

Rhinocorurorum epiſcopum fuiſſe *Alphium* comperimus ex Bibliotheca Photii cod. 52. qui nempe Lampetii Maſſaliani, ejuſque hæreſis ſuſcepto patrocinio deponi meruerit. Ἀλφεῖος μέντοι τις ἐπίσκοπος Ῥινοκορούρων ὑπεραπολογεῖται Λαμπετίου. Lampetium porro Maſſalianorum ſectæ in Ægypti principem, illum eſſe arbitror ad quem Iſidorus Peluſiota epiſtolam dedit lib. 1. 52. in qua hunc Marcionitarum & Manichæorum impietatis inſimulatum perhibet, ad quorum nempe portenta Maſſaliani ſatis accedebant.

VIII. PTOLEMÆUS.

Alphius alter, non epiſcopus, ſed presbyter ejuſdem erroris Maſſalianorum reus, agente *Ptolemæo epiſcopo Rhinocorurorum*, gradu dejectus fuit, à Timotheo Alexandriæ archiepiſcopo, Æluro ne, an Salofaciolo incertum. Id quod Photius loco mox appellato compertum fieri ait, ex ejuſdem Ptolemæi Rhinocorurorum relatione ad Timotheum, E ὡς ἡ τοῦ Πτολεμαίου τοῦ Ῥινοκουρούρων ἐπισκόπου πρὸς Τιμόθεον τὸν προειρημένον ἀναφορά.

IX. GREGORIUS.

In vita S. Joannis Eleemoſynarii apud Metaphraſtem, mentio fit *Gregorii epiſcopi Rhinocorurorum*, qui una cum Theodoro Amathuntis in Cypro, & Anaſtaſio præpoſito magni montis S. Antonii à ſanctiſſimo Patriarcha miſſus dicitur ad excipiendos Chriſtianos de Palæſtina, qui tempore Perſicæ incurſionis Alexandriam ſe conferebant.

IX. MOYSES.

In Kalendario Æthiopum die 30. menſis Naaſſe, ſeu Mellori Ægyptiaci, hoc eſt Auguſti 25. memoria fit, *Moyſis epiſcopi Farmæ.*

XI. EPIMACHUS *Jacobita.*

Chaïl I. ſeu Michaële Patriarcha Jacobitarum, *Epimachum Farma* claruiſſe ferunt Coptitæ, virum doctrina inſignem, in confutandis præſertim hæreticis ſolertem. Cui fictam Jacobiticæ fidei confeſſionem Melchita quidam ſacerdos exhibuit, ubi vero oleo è corpore Severi Patriarchæ inunctus eſſet, à dæmone ſtatim correptus fuit. Hiſt. Patr. Alex. pag. 231.

XII. JOANNES *Jacobita.*

C Yunes ſive *Joannes* ſacerdos habitans in cella S. Macarii epiſcopatum ambiens, epiſcopi ſaltem habitum à Zacharia Patriarcha petiit, ſed repulſus præſertim à Chaïle epiſcopo Saca, libellum de fœda quam ille exercebat ordinationum nundinatione Sultano dedit: quamobrem à Chaïle in puteum ſiccum projectus eſt, à quo tamen liberatus, Califæ Hakemo cuncta detulit, quod graviſſimam Chriſtianis calamitatem accerſivit. Sed poſt Zachariæ obitum, Joannes tandem ab illius ſucceſſore Sanutio II. epiſcopus Far- D mæ conſtitutus eſt, hac conditione, ut quia epiſcopatus Farmæ quæ eſt in finibus Ægypti omni reditu carebat, triginta aureorum penſio illi quotannis à Patriarcha penderetur, ipſiuſque frater epiſcopus inſuper crearetur. Quam ſummam quia Patriarcha ſolvendo non erat, ſimoniam plus ſolito exercere cœpit. Ibid. pag. 388. 411. & ſeq.

XIII. MICHAEL *Jacobita.*

Conventui epiſcoporum qui Miſram ab Emiro vocati ſunt, ut ſententiam ſuam dicerent de Patriarcha Chriſtodulo qui ſimoniæ accuſabatur, aderat *Michaël epiſcopus Farmæ*, qui cum electionem ejus legitimam fuiſſe ſubſcripſiſſet, mox veram quoque accuſationem eſſe probavit. Ibid. p. 500.

Digitized by Google

VI. ECCLESIA OSTRACINES.

OSTRACINE urbs Ægypti maritima, ultimaque Palæſtinam atque Arabiam verſus Plinio lib. 5. cap. 12. Ptolemæo in Caſſiotide poſt Caſſium & Sirbonidis paludis eruptionem, ſequitur Oſtracine, deinde Rhinocorura. Hanc Ammianus Marcellinus Auguſtamnicæ attribuit, utraque notitia, Primæ: atque à recentioribus *Stragiani* nominari dicitur.

EPISCOPI OSTRACINES.

I. THEOCTISTUS.

IN Seleucienſi ſynodo Georgium Alexan- A drinæ eccleſiæ tyrannum ſectatus eſt, ejuſque formulæ fidei hæreticæ ſubſcripſit *Theoctiſtus epiſcopus Oſtracines*, Θεόκτιστος ἐπίσκοπος Ὀστρακίνης; quem pro epiſcopo orthodoxo exulante à Georgio creatum augurari licet. Epiphan. hær. 73. n. 26.

II. SERAPION.

Palladius in dialogo de vita S. Joannis Chryſoſtomi, *Serapionem Oſtracines epiſcopum*, eximii hujus Pontificis communionem, invito proinde Theophilo Alexandrino, coluiſſe refert, etiam exulantis & ſua ſede pulſi, quum epiſcopatus quadrageſimum-quartum annum ageret, ut nempe paulo-poſt Seleucienſe concilium, pro Theoctiſto hæretico ab Athanaſio magno conſecratus fuerit, καὶ Σεραπίωνα τὸν Ὀστρακίνης, τεσσαρακοστότεταρτον ἔχοντα ἐν τῇ τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίᾳ.

III. ABRAHAM.

In concilio Epheſino generali priori, ſedit & ſubſcripſit *Abraham epiſcopus Oſtracines*, Ἀβραὰμ ἐπίσκοπος Ὀστρακίνης. An-non ipſe epiſcopus ille Abraham fuit, ad quem exſtat Iſidori Peluſiotæ epiſtola 30. lib. 5.

VII. ECCLESIA PHACUSORUM.

PHACUSA Ptolemæo Arabiæ nomi metropolis eſt; vicum dumtaxat dixerat Strabo. *Foſſæ autem in mare rubrum emittentis*, inquit, *initium eſt à vico Phacuſa*, ἀπὸ κώμης Φακούσης, *cui contiguus eſt Philonis vicus*. Hanc urbem vel oppidum neutra notitia exhibet. Sed neque Phacuſis epiſcopum exſtitiſſe reperimus præter Moyſem Meletianum, quem cum aliis Meletius in breviario ſeu indice ſuo retulit. Μωϋσῆς ἐν Φακούσαις, *Moyſes in Phacuſis*. Vide Athan. apol. 2.

VIII. ECCLESIA CASSII.

CASSIUM in Auguſtamnica prima habent notitiæ duæ, & Ptolemæo caput eſt Caſſiotidis regionis. Præter Caſſium Syriæ montem in cujus ora Orontes fluit, Herodoto lib. 2. Caſſius mons alter *Ægyptum ab Syria diſterminabat*, de quo Strabo lib. 16. *Caſſius eſt mons quidam*, ait, *accumulatus in promontorii modum, aquarum inops. In eo magni Pompeii corpus jacet, & Jovis Caſſii fanum, & non procul inde magnus ille jugulatus eſt, & ab Ægyptiis dolo interemtus*. Plinius montis Caſſii meminit lib. 5. cap. 12. *A Peluſio Chabriæ caſtra; Caſſius mons, delubrum Jovis Caſſii, tumulus magni Pompeii, Oſtracine*. Ammianus Marcellinus de Auguſtamnica dicens, *Caſſium oppidum* diſerte memorat, *ubi ſepulcrum Pompeii magni, & Oſtracine, & Rhinocorura*. Hodie non ſupereſt.

EPISCOPI CASSII.

I. LAMPETIUS.

EPHESINÆ ſynodo primæ adfuit, & ſenten- B tiam pro Cyrilli archiepiſcopi ſui epiſtola ad Neſtorium dixit *Lampetius epiſcopus Caſſii*, Λαμπέτιος ἐπίσκοπος τοῦ Κασσίου. Mox Romam miſſus eſt à Cyrillo cum Hermogene Rhinocorurorum, qui cuncta Cæleſtino Papæ referrent, quæ in cauſa Neſtorii geſta eſſent. Sed quum Cæleſtinum vita functum reperiſſent, Xyſti ſucceſſoris ejus ordinationi interfuerunt, quod Xyſtus epiſtola ad Cyrillum teſtatus eſt. Verba exſcripſi in Hermogene Rhinocorurorum. Ad Lampetium Caſſii ſpectare nullus dubito epiſtolas nonnullas Iſidori Peluſiotæ quæ *Lampetio epiſcopo* inſcribuntur, quibus conſtat hunc boni rectique tenaciſſimum fuiſſe.

IX.

ECCLESIA APHNÆI.

APHNÆUM Ἀφναῖον in Auguſtamnica habet notitia Hieroclis, Græca altera Ἀφθαῖον, *Aphthæum*, errore, ut apparet, librarii. An-non ipſum oppidum eſt quod in Itinerario Antonini *Daphnis* dicitur, non longe à Peluſio?

EPISCOPI APHNÆI.

I. HIERACES.

INter epiſcopos qui Epheſino concilio primo interfuerunt & ſubſcripſerunt, reperitur *Hierax*, vel etiam *Hieraces*, Ἱερακὴς ἐπίσκοπος Ἀφναϊτῶν. Qui poſt annos viginti ad concilium Chalcedonenſe quum veniſſet, A act. 4. illuſoriam formulam fidei cum duodecim ſociis ſuis epiſcopis Ægypti obtulit, eique ſubſcripſit, inſuper & renuit ulli ſynodi decreto ſubſcribere. His in actis paſſim epiſcopus Ἀφναϊτῶν, *Aphnaitarum* ſcribitur.

X.

ECCLESIA HEPHÆSTI.

APud veteres ſcriptores *Hephæſti* nulla mentio, niſi in notitia Hieroclis, veterique alia. Vulcano fuiſſe ſacram nomen ipſum indicat.

EPISCOPI HEPHÆSTI.

I. JOANNES.

EPheſinæ ſynodo Joannes Hephæſti interfuit, unuſque fuit è quatuor epiſcopis, quos Patres ad Neſtorium accerſendum tertia vice delegaverunt. Sententiam dixit pro Cyrilli ad eumdem Neſtorium epiſtola, ſubſcripſitque Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ἡφαιστιωτῶν, *Joannes epiſcopus Hephæſtiotarum*. Anno 449. cum Dioſcoro Alexandrino ad Epheſinam ſynodum alteram venit, ubi peſſimis ejus conſiliis ſuffragatus eſt, atque in actis dicitur Hephæſti B epiſcopus *Auguſtamnicæ provinciæ*, Αὐγουσταμνικῆς ἐπαρχίας.

II. PETRUS.

Inter ſubſcriptiones decreti Gennadii Conſtantinopolitani contra Simoniacos, legitur *Petrus epiſcopus Hephæſti*, Πέτρος ἐπίσκοπος Ἡφαίστου ὑπέγραψα.

XI.

ECCLESIA PANEPHYSI.

PANEPHYSUS Πανέφυσος in utraque notitia Auguſtamnicæ primæ civitas eſt, nomi *Neut* metropolis Ptolemæo, inter Buſiriticum & Bubaſticum amnes, ſeu Nili rivos poſita, apud quem & Πανέφυσις *Panephyſis* ſcribitur. Nullus dubito quin ipſa ſit quam Coptitæ Arabico ſtylo *Bana* vocitant. Nam Bana à Panopoli Thebaïdis diverſa fuit, ut pote inferioris Ægypti, ut in ejus epiſcoporum ſerie patebit.

EPISCOPI PANEPHYSI.

I. PHILIPPUS.

IN indice Patrum ſynodi Nicænæ de provincia Ægypti cenſetur *Philippus Panephyſi*.

II. ARCHEBIUS.

Caſſianus collat. XI. cap. 2. narrat ex anachoretarum cœtu raptum eſſe *Archebium*, & ad Panephyſi epiſcopatum promotum, tanta diſtrictione omni ævo ſuo propoſitum ſolitudinis cuſtodiviſſe, ut nihil de præteritæ humilitatis tenore laxaverit, aut de adjecto honore ſibi blanditus ſit. Addit ſe ab eo deductum ad ſanctiſſimos alios Ægypti anachoretas inviſendos, inprimiſque Chæremonem.

III. AMMONIUS.

C Synodo Epheſinæ adfuit, ſubſcripſitque *Ammonius epiſcopus civitatis Panephyſi provinciæ Auguſtamnicæ*, Ἀμμώνιος ἐπίσκοπος πόλεως Πανεφύσου ἐπαρχίας Αὐγουσταμνικῆς.

IV. JOANNES *Jacobita*.

Panephyſi utique, non Panopolis ſecundæ Thebaïdis epiſcopus fuiſſe cenſendus eſt *Joannes Bana*, qui in notitia Patriarcharum Alexandrinorum Simonis II. Jacobitarum Patriarchæ ſucceſſorem Yuçabum, ſeu Joſephum ordinandum cenſuit, pro Iſaac Andunæ filio, viro prædivite, ſed uxorato. Vide pag. 277.

Digitized by Google

V. Simon *Jacobita.*

A Sanutio I. Patriarcha ordinatus quoque A fuit *Simon epiſcopus Bana*, qui ſubinde illi reconditarum pecuniarum à neſario quodam monacho apud Ægypti præfectum accuſato, maleque vexato individuus fidusque comes adſuit cum Macario diacono. Ib. p. 316.

VI. Raphael *Jacobita.*

Sanutius II. Patriarcha de epiſcopatu Bana cum *Raphaële* quodam, pro ſexcentis aureis tranſegit; quam ille pecuniam à Mohammedanis fœnore accepit, pag. 411.

VII. Macarius *Jacobita.*

In conventu epiſcoporum, qui apud Vizirum habitus eſt in cauſa aliquot Cyrilli Patriarchæ II. familiarium, quorum mores compoſiti non erant, ſedebat *Macarius Bana*, inter inferioris Ægypti præſules. Ib. p. 458. quod certo argumento eſt Bana à Panopoli diverſam fuiſſe.

VIII. Joannes *Jacobita.*

Joannes epiſcopus Bana unus fuit ex illis novem, qui Cyrilli III. Patriarchæ ſui electionem legitimam fuiſſe ſubſcriptione ſua conteſtati ſunt coram Emiro ſeu Ægypti præfecto: mox vero inſuper & accuſationem approbarunt, qua ille Patriarcha exactæ ordinationum ergò pecuniæ reus agebatur. Ib. pag. 590.

XII. ECCLESIA BARÆ.

Bara, ſeu *Baera, Buera, Bura*, inferioris Ægypti civitas eſt Damiatæ proxima, & in Occidentali ripa foſſæ, qua Nilus Damiatæ in mare influit. Illic olim ſæculo nono ſaltem epiſcopalis ſedes Melchitica erat, ut comperimus ex actis ſynodi Photianæ, ſub Joanne Papa VIII. qui & metropoliticis honoribus ornatus videtur fuiſſe.

EPISCOPI BARÆ.

I. Theophilus.

Michael Patriarcha Melchitarum Alexandrinus, epiſtola ad Photium quæ lecta eſt in ſynodo quæ poſt S. Ignatii Conſtantinopolitani exceſſum, ob ejuſdem Photii reſtitutionem habita eſt, coëgiſſe ſe ait ſuæ diœceſis, quos per temporum injuriam potuit, B epiſcopos & metropolitas, inprimis Zachariam Thamiathi, Jacobum Babylonis, Stephanum Thebarum, & *Theophilum Baræ*, καὶ Θεόφιλον Βάρη, qui omnes Photii ſacerdotium approbaſſe feruntur, anathemate illis pronuntiato, qui huic ſuæ ſententiæ ex adverſo ſtarent.

XIII. ECCLESIA THENNESI.

Thennesum præter *Tanim*, in Auguſtamnica prima ponit notitia vetus Græca, Θέννησος. *Tenneſum* vero dixit Caſſianus collat. XI. cap. 2. qui luſtrata Thebaïde, Nilique ſubinde emenſa navigatione, ad eam pervenit: *cujus accolæ*, inquit, *ita vel mari, vel ſtagnis ſalſis undique circumluuntur, ut ſolis, quia terra deeſt, negotiationibus dediti, opes & ſubſtantiam navali commercio parent, ita ut ædificiis conſtruendis quum voluerint, terra non ſuppetat, niſi de longinquo navigiis adſportetur.* Cap. 3. refert Archebium Panephyſi epiſcopum ſe ſuoſque ſocios Thenneſi excepiſſe, quum eam in urbem cum epiſcopis aliis eligendi epiſcopi cauſa accerſitus eſſet.

EPISCOPI THENNESI.

I. Heron.

Unus è tredecim illis Ægypti epiſcopis, qui in ſynodo Chalcedonenſi damnationi Dioſcori ſuffragari noluerunt, *Heron epiſcopus Thenneſi* fuit, qui & illuſoriæ ſuorum fidei formulæ ſubſcripſit, Ἥρων ἐπίσκοπος Θεννήσου.

XIV. # ECCLESIA GERRHÆ.

GERRHA, Γέῤῥα, nomine feminino ſingulari, vel plurali neutro, maritima Ægypti civitas fuit, ubi Ptolemæus Γέῤῥον ὅριον *Gerrhum terminum poſuit*, poſt Nili oſtium verſus montem Caſſium. A Caſſio monte & Pompeii ſepulcro *via Peluſium fert*, ait Strabo, *in qua Gerrha*, ἐν ᾗ τὰ Γέῤῥα, *& qui Chabriæ ager dicitur*. Hunc habent Hieroclis, aliaque notitia vetus in Auguſtamnica.

EPISCOPI GERRHÆ.

I. EUDÆMON.

II. PIROSUS.

THEOPHILUS Alexandrinus in fine homiliæ ſuæ Paſchalis tertiæ, quæ inter Hieronymi opera Latinè cum duabus aliis ſupereſt, *in oppido Geras pro Eudæmone Piroſum* à ſe ordinatum epiſcopum teſtatur.

III. NILAMMON *electus*.

Sozomenus lib. 8. cap. 19. *Nilammonem* nobis indicat Gerrharum epiſcopum. Refert ſcilicet Theophilum quum Conſtantinopoli propter ortam adverſus ipſum Joannis Chryſoſtomi cauſa populi ſeditionem fugeret, Alexandriam verſus navigaſſe; ſed urgente maris procella, *Geras* ſeu *Gerrhas* appuliſſe, *quæ civitas eſt puſilla, plus minus quinquaginta ſtadiis Peluſio diſtans. Hujus urbis epiſcopo vita defuncto, cives, ut accepi, elegerant eccleſiæ ſuæ antiſtitem Nilammonem, virum bonum, & qui ad vitæ monaſticæ faſtigium conſcenderat. Is habitabat ante civitatem in domuncula, in qua ſe ipſe concluſerat janua lapidibus obturata, eo propoſito ut ſacerdotium evitaret.* A *Theophilus itaque veniens hortabatur ut ordinationem admitteret, apud quem ille frequenter ſe excuſans nihil obtinuit. Tandem inſtanti, cras ait, o Pater, ſi placet, ut res meas ante diſponam. At cum Theophilus poſtridie ex condicto veniſſet, atque eum fores aperire juſſiſſet, age vero*, inquit *Nilammon, oremus primum. Quo laudato Theophilus quidem oravit, ſed Nilammon inter orandum vitam hanc reliquit. Quem mortuum repertum publica ſepultura dignati ſunt, ac templum ſuper illius ſepulcrum indigenæ conſtruxerunt, ubi magna ſolemnitate diem* B *mortis ejus celebrant.*

IV. STEPHANUS.

In Chalcedonenſis ſynodi primis actionibus ſedit *Stephanus Gerrhæ*, Στέφανος Γέῤῥας. Poſt vero damnato Dioſcoro Alexandrino, latæ in eum ſententiæ ſuffragari renuit, ſubſcripſitque vafræ fidei formulæ quam ipſe ſuique ſocii Patribus obtulerunt, Στέφανος ἐπίσκοπος Γεῤῥῶν, *Stephanus epiſcopus Gerrarum.*

XV. # ECCLESIA SELÆ.

SELA, Σίλα, quæ Antonino in Itinerario *Sila* dicitur, in utraque notitia abeſt. Auguſtamnicæ tamen cenſetur in actis ſynodi Epheſinæ.

EPISCOPI SELÆ.

I. ALYPIUS.

SYnodo Epheſinæ primæ generali adfuit & ſubſcripſit *Alypius epiſcopus Selæ provinciæ Auguſtamnicæ*, Ἀλύπιος ἐπίσκοπος Σίλης, ἐπαρχίας Αὐγουσταμνικῆς.

III. PROVINCIA AUGUSTAMNICÆ SECUNDÆ.

I. ECCLESIA LEONTOPOLIS.

LEONTOPOLIS, Λεοντόπολις, alias Λεόντων πόλις, *Leonum civitas*, non *Leontorum*, ut Latini veteres Epheſinæ ſynodi actorum interpretes inſulsè ſcripſerunt, Auguſtamnicæ ſecundæ cenſetur in utraque notitia. Hierocles vocem dumtaxat ſimplicem habet Λεοντῶ. Atqui Leontopolitæ nomi caput eſt Ptolemæo & Plinio. Strabo lib. 17. ejus ſitum indicat. *Poſt Mendetem*, inquit, ſive *Thmuim, eſt Dioſpolis, & lacus ſuper eam, & Leontopolis.*

EPISCOPI LEONTOPOLIS.

AMOS *Meletianus.*

IN Breviario Meletii, *Amos Leontopolis*, cenſetur inter factionis ejus epiſcopos, Ἀμῶς ἐν Λεόντων.

I. ISCHYRION.

Legationi Eugenii Ancyranæ eccleſiæ diaconi ad Athanaſium Alexandrinum pro ipſorum epiſcopo Marcello ſubſcripſit *Iſchyrion epiſcopus Leonto*, ſeu *Leontopolis*, Ἰσχυρίων ἐπίσκοπος Λεοντῶ.

II. METRODORUS.

In Epheſina ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Metrodorus epiſcopus Leontum*, Μητρόδωρος ἐπίσκοπος Λεόντων, qui & ſententiam dixit pro Cyrilli Alexandrini ad Neſtorium epiſtola.

III. JANUARIUS.

Ad Chalcedonenſe concilium venit *Ja*-A *nuarius epiſcopus Leontopolis*, ubi cum aliis Ægypti epiſcopis Dioſcori Alexandrini damnationi ſubſcribere renuit, & actione 4. mendacem formulam fidei exhibuit, cui ſubſcriptus legitur, Ἰαννουάριος ἐπίσκοπος Λεόντων, *Januarius epiſcopus Leontum.*

IV. THEODORUS.

Ab Apollinari Alexandrino Patriarcha catholico ordinatus fuit *Theodorus epiſcopus Leontopolis*, quum in monte Sina monaſticæ vitæ ſtudens, Alexandriam à Præpoſito ſuo
B miſſus eſſet. Quod Joannes Moſchus in Prato ſpirituali teſtatur c. 123. & 125. Deinde ad quintam ſynodum venit, & actione 1. delegatus à Patribus fuit cum aliis præcipuis epiſcopis, ut Vigilium Papam invitaret ad conveniendum cum aliis ad concilium. Subſcripſit *Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Leontopolis.*

II. ECCLESIA ATHRIBIS.

ATHRIBIS, Ἄθριβις, una è potioribus Ægypti civitatibus fuit, Ammiano teſte lib. 22. cap. 16. Nomi Athribitæ caput Ptolemæo, cujus præfecturæ Plinius quoque meminit lib. 5. cap. 9. quin etiam Strabo: in medio Delta poſita erat juxta Nili fluminis præcipuum alveum, qui ab ea Athribiticus eſt appellatus. Hanc habent utraque notitia, & *Athrib* hodieque dicitur.

EPISCOPI ATHRIBIS.

ISION *Meletianus.*

IN Breviario ſeu indice quem Meletius Alexandro Alexandrino, poſt Nicænam ſynodum dedit epiſcoporum quos conſtituerat, legitur *Iſion Athribi*, Ἰσίων ἐν Ἀθρίβει. Sed etſi Alexandri communionem tunc amplecti
C viſus eſt, ipſe tamen cum Iſaaco Cleopatridis & aliis factionis ſuæ ſociis Athanaſio crimen impingere non dubitavit, ceu lini tributum ſibi vindicaſſet, quod ab Alexandriæ presbyteris coram Conſtantino falſum eſſe evictum fuit.

Digitized by Google

ECCLESIA ATHRIBIS.

I. Theodorus.

Sardicenſi concilio adfuit & ſubſcripſit A *Theodorus epiſcopus Athribis*, necnon Alexandrino quod Conſtantio defuncto habitum eſt anno 362. cujus ſynodicæ quoque epiſtolæ ad Antiochenſes ſubſcripſit, Θεόδωρος Ἀθρίβεως, *Theodorus Athribis*.

II. Isidorus.

III. Athanasius.

Theophilus Alexandrinus homilia ſua Paſchali III. quam Latinè vertit Hieronymus, epiſcopos recenſet quos anno anteriore ordinaverat, atque in his, *in Athribi pro Iſidoro* B *Athanaſium*.

IV. Strategius.

Synodo Epheſinæ priori adfuit & ſubſcripſit *Strategius epiſcopus Athribis*, Στρατήγιος ἐπίσκοπος τῆς Ἀθριβιτῶν πόλεως, atque actione 1. Cyrilli ad Neſtorium epiſtolam orthodoxam eſſe confirmavit. Ad hunc Iſidori Peluſiotæ epiſtolam eſſe datam nullus dubito 12. lib. 1. quæ inſcribitur Στρατηγίῳ ἐπισκόπῳ νεωστὶ κατασταθέντι, *Strategio epiſcopo recens conſtituto*, qua illum admonet, quod in omni vitæ curriculo C tum præſertim, quando non principatum, ut æſtimaverat, ſed miniſterium aſſequutus erat, cupiditates ſuas coërcere deberet; ne ulli ſuccumberet vitiorum quibus ſubditi laborant. Turpiſſimum ſiquidem fore, ſi illis qui ſibi ſubeſſent, imperare cupiens, ita eſſe affectus reperiatur, ut ne ſibi quidem præeſſe queat. Ab epiſtola integra recitanda abſtineo, quæ hominem ab ambitu non ſatis alienum repræſentat.

V. Eulogius.

Ad concilium Chalcedonenſe cum Dioſcoro Alexandrino venit, & act. 4. cum aliis Ægypti epiſcopis formulæ fidei illuſoriæ quam Patribus dederunt, ſubſcripſit *Eulogius epiſcopus Athribis*, Εὐλόγιος ἐπίσκοπος Ἀθριβιτῶν, atque Dioſcori depoſitionem, ac Leonis Papæ ad Flavianum epiſtolam admittere cum ſuis ſociis detrectavit.

VI. Apollonius.

In ſubſcriptionibus decreti ſynodici Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis legitur *Apollonius epiſcopus Athribis*, Ἀπολλώνιος ἐπίσκοπος Ἀθρίβεως. Nimirum anno priori 458. ipſe cum orthodoxis aliis Ægypti epiſcopis Conſtantinopolim Timothei Æluri furorem fugiens ſeceſſit, quod ex S. Leonis Papæ epiſtolæ ad ipſos inſcriptione comperimus.

VII. Chail *Jacobita*.

Electioni Chaïlis ſeu Michaëlis I. Jacobi- B tarum Patriarchæ, cum multis aliis aderat *Chail* ſeu *Michaël Athribis*. Hiſt. Patr. Alex. pag. 207.

VIII. Zacharias *Jacobita*.

Chaïl idem Patriarcha quum in ſuſpicionem veniſſet apud Abdalla Merwani Califæ filium defectionis ad Abaſſidas qui Orientis Imperium occupaverant, in carcerem miſſus eſt cum multis aliis Jacobiticæ ſectæ epiſcopis, in quibus erat *Zacharias Athribis*: nec niſi poſt interfectum Merwanum liberi abi- C erunt. Ibid. pag. 227.

IX. Mennas *Jacobita*.

X. Abrahamus *Jacobita*.

Marcus II. Jacobitarum Patriarcha *Menna Athribæ* vel *Athribis* epiſcopo defuncto, *Abrahamum* ejus in locum ordinavit. Ibid. pag. 248.

XI. Joannes *Jacobita*.

D Cyrilli II. Patriarchæ electioni aderat *Joannes epiſcopus Athribis*. Ib. p. 450.

XII. Theodorus.

Conventui epiſcoporum qui anno circiter 1086. habitus eſt coram Viziro ob incompoſitos mores quorumdam familiarium Cyrilli Patriarchæ II. aderat *Theodorus Athribæ*. Ibid. pag. 458.

III. ECCLESIA BABYLONIS ÆGYPTI.

PTOLEMÆUS, *in finibus*, inquit, *Arabiæ & Aphroditopolis Babylon, per quam Trajanus amnis fluit*, Nili foſſa ſcilicet, quæ id nominis habuit. Ejus meminit Strabo, non item Plinius, Marcellinus, aut notitiæ. Diodorus vero Siculus lib. 1. hiſt. hanc Seſoſtris regis tempore exſtructam refert: *Aiunt captivos è Babylonia à Seſoſtri deductos laborum pertæſos defeciſſe, locum validum juxta fluvium occupaſſe, cum vicinis bellum Ægyptiis intuliſſe, tandem impunitate conceſſa, locum inhabitaſſe, quem à patriæ nomine Babylonem dixerunt.* Sed nec ejus infrequens eſt memoria apud alios auctores. Nonnulli affirmarunt Petrum Apoſtolum de Babylone Ægypti in fine epiſtolæ ſuæ prioris ſcripſiſſe: *Salutat vos eccleſia quæ eſt in Babylone*

Digitized by Google

coëlecta: quod melius alii de Romana Eccleſia dictum cenſent. Civitas epiſcopalis erat ſæculo quinto & deinceps, quæ quum temporum injuria deſolata eſſet, ex ejus ruderibus Cahira vetus ſub Romanis Principibus excitata eſt, factaque Emirorum, atque Sultanorum Ægypti ſedes: quam incolæ Meſram vel Miſram vocant, de priſco Ægyptiacæ gentis nomine, cujus parens Meſraim fuit filius Cham. Cæterum Coptitæ ſcriptores tradunt quo tempore Saraceni in Ægyptum incurſionem fecerunt, anno ſcilicet 641. quum Memphim obſiderent, Romanos fugiſſe in Caſtrum inter Sahid & Thebaïdem ſcilicet, & Eltif Ægyptum-ve inferiorem, quod *Babylon* & *Foſtat* vocabatur, ac certè erat Memphi vicinum. Atqui epiſcopus ejus Melchita ſequiori ævo metropoliticis honoribus auctus fuit.

ECCLESIA BABYLONIS ÆGYPTI.

EPISCOPI BABYLONIS ÆGYPTI.

I. Cyrus.

AD ſynodum Epheſinam ſecundam cum Dioſcoro Alexandrino venit, cunctaque ad illius nutum approbavit, ſubſcripſitque *Cyrus epiſcopus Babylonis*, Κῦρος ἐπίσκοπος Βαβυλῶνος. Imperitè in codicibus quibuſdam latinis ſcriptum erat *Babulenæ*, quando hujus nominis civitas in omni Ægypto non fuit.

II. Photius.

In ſubſcriptionibus decreti Gennadii Conſtantinopolitani contra Simoniacos legitur *Photius epiſcopus Babylonis*, Φώτιος ἐπίσκοπος Βαβυλῶνος.

III. Zosimus.

Zoſimus genere Cilix, & in monte Sina monachus, à monaſterii præfecto Alexandriam miſſus eſt ob negotia quædam; à Papa vero Alexandrino Apollinari Babylonis epiſcopus eſt ordinatus: poſt relicto epiſcopatu ad cellam ſuam rediit. Joannes Moſchus, Prat. Spirit. capp. 123 & 124.

IV. Macarius *Jacobita.*

Inter epiſcopos Jacobitici gregis qui ad Chaïlis ſeu Michaëlis I. Patriarchæ ſui electionem ordinationemque convenerant, *Macarius Miſræ* ſeu *Cahiræ* memoratur Hiſt. Patr. Alex. pag. 207.

V. Theodorus I. *Jacobita.*

Miſræ ſub Alexandro & Chaïle I. Jacobitarum Patriarchis, epiſcopus fuit *Theodorus*, ex archidiacono eccleſiæ S. Macarii. Huncque Patriarcha ille itineris ſocium aſſumſit, quando ad Sultanum in Perſidem perrexit. Ibid. pag. 204. 214. & 234.

VI. Constantinus *Melchita.*

Quo tempore Chaïl ille Jacobitis Patriarcha præerat, ferunt *Conſtantinum Miſræ* epiſcopum Melchitam invitaſſe Jacobitas ad mutuam unionem ineundam. Rem penè quidem ex voto ſucceſſiſſe, hoc nimirum pacto, ut Coſmas Melchitarum Patriarcha Ægyptum metropolitæ jure adminiſtraret, ſuperiores vero regiones Chaïl Jacobita. Ubi autem epiſcopi qui ex Thebaïde venerunt, Conſtantinum inter Jacobitas alios ſedentem
A viderunt, parum abſuit quin ab ipſis necaretur: quamobrem concordia illa ex toto ſoluta fuit. Hiſt. Patr. Alex. pag. 216.

VII. Georgius *Jacobita.*

VIII. Marcus *electus Jacobita.*

Sub Menna I. & Joanne ejus ſucceſſore Patriarchis Jacobitis, poſt ſæculi octavi medium *Georgius Miſræ epiſcopus* fuit. Quo defuncto electus ejus in locum fuit *Marcus*, quem Joannes continuo ſacerdotem fecit: ſed eo epiſcopatum detrectante, alter pro
B ipſo conſtitutus eſt. Ibid. p. 243.

IX. Chail *Jacobita.*

Pro Marco itaque Miſræ epiſcopus conſtitutus fuit *Chaïl*, à quo epiſcopi & Jacobiticæ eccleſiæ primores Marcum illum Patriarcham ordinandi licentiam petierunt; quibus Chaïl ultro annuit, ipſeque cum aliis Præfectum adiit, verbaque fecit, ut ſibi liceret Marcum ordinare, quem communibus ſuffragiis omnes expetebant; quod & impetravere. Marco vero fugiente, Chaïl qui mo-
C naſteriorum omnium curam gerebat, epiſcopos cum ſacerdotibus miſit qui eum, ſi opus eſſet, catenis vinctum, Alexandriam deducerent. Ibid. pag. 246.

X. Theodorus II. *Jacobita.*

Mortuo Simone Patriarcha Coptitarum *Theodorus epiſcopus Miſræ*, & Zacharias Wiſſim quum Iſaacum Andunæ filium in Patriarcham promovere ſtuderent, increpati ab aliis epiſcopis fuerunt, cœptoque deſiſtere admoniti: quocirca cum aliis qui convene-
D rant, Juçab ſeu Joſeph præpoſitum S. Macarii ordinaverunt. Poſt Miſræ cives, adverſus ipſum, neſcio quibus de cauſis, apud Patriarcham expoſtularunt. Ib. p. 277. & 279.

XI. Jacobus *Melchita.*

In actis ſynodi illius in qua Photii in ſedem Conſtantinopolitanam reſtitutio poſt S. Ignatii obitum approbata eſt, lecta epiſtola eſt Michaëlis Patriarchæ Alexandrini Melchitæ, in qua fertur eum ad ſynodum coëgiſſe

Digitized by Google

quotquot poterat ſuæ diœceſis metropolitas, in quibus erat *Jacobus Babylonis*, καὶ Ἰάκωβον Βαβυλῶνος, qui definierunt, inquit, Photium ſemper habendum fuiſſe uti legitimum Patriarcham.

XII. Isaacus
Miſrenſis eccleſiæ adminiſtrator *Jacobita.*

Poſt Theodori obitum Juçabus Patriarcha Miſræ eccleſiam aliquamdiu paſtore vacuam reliquit, adminiſtrandamque commiſit *Iſaaco* illi filio Andunæ, quem eccleſiæ Wiſſim epiſcopum dederat. Hic porro epiſcopatum Miſræ ad finem uſque vitæ retinuit, quum nemo ei ob ipſius apud Principes auctoritatem obſiſtere valeret. Hiſt. Patr. Alex. p. 281.

XIII. Joannes I. *Jacobita.*

Iſaaco epiſcopo Wiſſim defuncto, Miſræ epiſcopum proprium Juçabus conceſſit *Joannem* diaconum, Miſræ civium precibus annuens. Ibid. pag. 289.

XIV. Philotheus *Jacobita.*
XV. Gabriel *Jacobita.*

Cyrillo II. Patriarcha defuncto congregati ad ſucceſſoris ordinationem epiſcopi, conditiones quaſdam illi qui eligendus eſſet proponendas duxerunt, in quibus hæc erat, ut Miſræ eccleſiam B. Mariæ Muhallaca dictam & B. Mariæ in vico Græcorum quas Chriſtodulus Patriarcha occupaverat poſt obitum *Philothei epiſcopi* & *Gabriëlis* ſucceſſoris ejus, Miſrenſi ſedi reſtitueret. Ibid. pag. 473.

XVI. Jacobus *Jacobita.*

Sedebat Miſræ epiſcopus Jacobita *Jacobus*, quo tempore Cyrillus II. Patriarcha ordinatus fuit, quem ad Divani præſidem, necnon ad Emirum exercitus deduxit. Poſt veroquum epiſcopi coram Viziro Begermalo, propter Cyrilli quoſdam familiares immorigeratos prorſus conveniſſent, cum eis adeſſe noluit. Obiit anno Martyrum 804. Chriſti 1088. quum ſediſſet annos 24. ſepultuſque eſt in monaſterio ſeu cœmeterio Abyſſinorum dicto prope Miſram: qui ante epiſcopatum archidiaconus fuerat monaſterii S. Joannis, in Valle Habib. Ibid. p. 450. & 457.

XVII. Sanutius *Jacobita.*

Poſt Jacobi obitum congregati Chriſtianorum primores, ſtatuerunt ut epiſcopum eligerent *Sanutium* diaconum eccleſiæ ſancti Biſchoï, aut Veminum archidiaconum eccleſiæ S. Joannis. Et quum Sanutius fugiſſet in monaſterium, ibique latitaret, repertus, Miſram adductus eſt, & in eccleſia S. Sergii ordinatus, pag. 462. Hic Cyrillo Patriarcha defuncto, obſtitit ne Samuël quidam anachoreta Gaïanitarum doctrina imbutus, in Patriarcham aſſumeretur. Tum Chaïle ſeu Michaële III. electo & ordinato, hunc Sanutius interpellavit, ut ea quæ ante ordinationem ſuam ſpoponderat expleret, ut pote quæ ad eccleſiæ bonum conferrent, in quibus præſertim erat duarum eccleſiarum reſtitutio & ſimoniæ abolitio. Quæ Patriarcha præſtare recuſans, Sanutium ab eccleſiæ adminiſtratione & liturgiæ celebratione ſuſpendit: qui ne ulteriorem illius ſententiam ſubiret, Miſra egreſſus in monaſterium S. Philemonis prope Fiumam ſeceſſit. Michaël illum variis modis vexare conatus eſt omni vitæ ſuæ tempore, ad annum uſque Martyrum 818. Chr. 1102. Poſthæc Sanutius eccleſiam ſuam reverſus, magna civium lætitia ſuſceptus eſt. Obiitque anno Martyrum 833. Chriſti 1117. ſub Macario II. Patriarcha. Ibid. p. 473. 491.

XVIII. Joannes II. *Jacobita.*

Sanutio ſuffectus fuit *Joannes*, quo tempore multorum ſuſpicio erat, moliri Patriarcham Macarium Miſræ ſedem cum Alexandrina in unum conjungere. Plane Macarii ſucceſſor Gabriël, Joanne ſive Yune defuncto, neminem Miſræ epiſcopum ordinavit. Ibid. pag. 503.

XIX. Paulus *Jacobita.*

Michaël Wanſlebius in catalogo ſcriptorum eccleſiæ Jacobiticæ, quem Relationi de eccleſia Alexandrina ſubjecit, ſeptem ſermones in ſolennitates B. Virginis memorat, ab Abba *Paulo de Buſch* epiſcopo *Miſræ* editos. *Buſch* eſſe vicum ait Beneſuof proximum in media Ægypto.

IV. ECCLESIA BUBASTI.

Bubastus Βούβαστις, Herodoto Βούβαστις, quæ Hebraïce פיבסת *Phibeſeth* Ezechielis 30. v. 17. dicitur, hodieque *Baſta*, civitas eſt in Delta, à qua Bubaſtites nomus, cujus meminit Plinius, Ptolemæus quoque ac Strabo. Hanc Herodotus lib. 2. ætate Sabachonis Æthiopiæ regis ſive *Suæ* illius cujus mentio eſt lib. 4. Reg. cap. 17. v. 4. conditam refert. *In qua templum Bubaſtis*, inquit, *quæ lingua noſtra dicitur Diana, omnium maxime memorabile.* Stephanus Byzantinus auctor eſt, ab Ægyptiis *felem Bubaſtum* appellari: οἱ δὲ Αἰγύπτιοι Βούβαστιν τὴν αἴλουρον φασι. *Baſta* & *Khandek* vicina oppida ſunt, quæ in epiſcopatum

Digitized by Google

ECCLESIA BUBASTI.

epiſcopatum unum coaluere. Khandek vero quod Cahiræ ſuburbium fuit, hodie non extat.

EPISCOPI BUBASTI.

HARPOCRATION *Meletianus.*

INter epiſcopos quos Meletius Lycopolitanus ordinaverat, in ejus breviario quod Alexandro Alexandrino poſt Nicænam ſynodum dedit, legitur *Harpocration in Bubaſto*, Ἁρποκρατίων ἐν Βουβάστῳ.

I. HERMON.

Tempore S. Athanaſii Bubaſti epiſcopus fuiſſe *Hermon* fertur in epiſtola Ammonii epiſcopi ad Theophilum Alexandrinum de SS. Pachomio & Theodoro, num. 23. quam Henſchenius edidit inter acta SS. die 14. Maii. *Poſtquam*, ait, *beatus pontifex Athanaſius me omnium minimo, aliiſque Alexandriæ eccleſiæ clericis præſentibus, ad magnam veniſſet eccleſiam, beatæ memoriæ Ammonio qui fuit epiſcopus Elearchiæ, & Hermoni epiſcopo Bubaſtenorum*, καὶ Ἑρμῶνι τῷ τῶν Βουβαστηνῶν, *dixit aliquid de Theodoro, quod quidem exiſtimo ſanctitatem tuam ibidem præſentem audiviſſe.*

II. JULIANUS.

Inter Bubaſti epiſcopos *Julianum* porro ex actis ſecundæ ſynodi Epheſinæ quæ act. 1. concilii Chalcedonenſis relecta ſunt, in quibus legitur *Julianus Moſtinæ civitatis* epiſcopus, pro *Bubaſtenæ*, ni fallor, quando hoc nomen in textu Græco deſideratur. Plane Ægypti præſulibus annumeratur.

III. GEORGIUS *Jacobita.*

Sub Chriſtodulo Patriarcha Jacobitarum ſedebat, poſt ſæculi XI. medium, *Georgius epiſcopus Khandek*, qui quum Patriarchæ ſui cauſa perinde atque ille in carcerem conjectus eſſet, variiſque tormentis vexatus, vitam
A demum efflavit. Hiſt. Patr. Alex. p. 439.

IV. GABRIEL *Jacobita.*

Cyrilli II. qui Chriſtodulo ſuffectus fuit electioni atque ordinationi aderat *Gabriel epiſcopus Baſta, quæ & Khandek.* Qui rurſum coram Viziro multorum Ægypti epiſcoporum conventui adfuit, qui habitus eſt propter nefarios quoſdam illius Patriarchæ familiares. A Viziro ſubinde juſſus eſt eccleſiam vacuam in monaſterio El Khandek Syrianis Jacobitis concedere. Poſt vero reus peractus fuit,
B quod in bello civili Viziri hoſtium partes ſequutus eſſet, & pecunias apud ſe reconditas ſervaſſet. Ibid. pag. 450. 458. 465.

V. JOANNES *Jacobita.*

Inter epiſcopos qui Macarium II. Patriarcham ordinaverunt *Joannes epiſcopus Khandek* cenſetur. Ibid. p. 482.

VI. * * * *Jacobita.*

Cyrillus III. Jacobitarum Patriarcha, audito Ignatii Antiocheni Hieroſolymam ad-
C ventu, *epiſcopum Khandeka* ad eum delegavit, cum uno è ſacerdotibus Miſræ. Poſt vero ab eodem Cyrillo epiſcopus Khandekæ variis de cauſis, præſertimque propter ſimoniam excommunicatus fuit. Ibid. p. 579.

Vocato autem in jus Cyrillo, concordia inter ipſum & Ægypti epiſcopos certis conditionibus inita eſt, in quibus hæc una fuit, ut quamprimum Miſræ & Khandekæ epiſcopos ordinaret, quas ſedes proprii compendii gratia vacuas relinquebat. Ibid. p. 589.

V. ECCLESIA PHARBÆTHI.

PLINIUS *Pharbæthitem* nomum & urbem Pharbæthum memorat, quæ apud Hieroclem amanuenſis errore Φάρζιθος, & in notitia veteri Κάρβεθος. Strabo, *ſupra Mendeſium*, inquit, *& Taniticum oſtium eſt magnus Lacus & Mendeſius nomus, & Leontopolitanus, & Aphroditopolis, & Pharbetites nomus.* Pharbeith Arabibus quoque dicitur.

EPISCOPI PHARBÆTHI.

I. ALBERION.

IN indice Patrum Nicænorum de provincia Ægypti legitur *Alberion Pharbæthi*, quamquam in editione Pithœi dicitur epiſcopus Paretonii, Libyæ ſcilicet.

VI. ECCLESIA HELIOPOLIS.

HELIOPOLIS Arabiæ cenſetur Straboni, utpote Arabiæ deſertis proxima, ac certe antiquiſſima civitas fuit, cujus priſcum nomen Ægyptiacum fuit *On*. Urbis hujus ſacerdos erat Putiphares ille cujus filiam Joſephus Patriarcha uxorem duxit. Non omittam Gen. cap. 41. v. 45.

Digitized by Google

ECCLESIA HELIOPOLIS

quod in editione latina Geographiæ Ptolemæi, quæ Joannis Antonii Magini opera prodiit, pag. 102. habetur: *Heliopolis nomus & metropolis Onii, aliter Eli, ſeu potius Heli*, quod ſolem ſignificat. Ac ſi in ſuo Græco contextu repererit Ὀνίς, quum in editis Græco-Latinis feratur dumtaxat Ἡλίου, quemadmodum in utraque notitia, hoc eſt Ἡλίου πόλις civitas ſolis. Deſtructa pridem eſt, ejuſque in loco exſtare vicum aiunt, qui *Matarea* vocitatur: illicque Dominum Jeſum quum in Ægyptum infans apportatus eſſet, commoratum tradunt.

EPISCOPI HELIOPOLIS.

I. HELENUS.

IN actis S. Eugeniæ Martyris, quæ exſtant in Vitis Patrum, & apud Surium die 25. Decembris, *Helenus Heliopolis epiſcopus* fertur Eugeniæ virgini cum decem millibus virorum, monachorum utique, qui pſalmos Deo canebant, occurriſſe; deinde, cum Zarea mago congreſſum, rogum ardentem ſine uſtulatione pervaſiſſe, Eugeniæ permiſiſſe, ut aliquamdiu virili veſte induta lateret. Quæ mendacii exinde arguuntur, quod eadem acta Philippum Eugeniæ parentem Alexandriæ epiſcopum electum dicant: nullus vero inter Alexandrinos epiſcopos Philippus ſediſſe reperiatur, nedum Commodi & Severi Auguſtorum ævo, ſæculo, inquam, ſecundo & tertio. In his porro actis miracula nonnulla ab Heleno patrata feruntur, quæ Evagrius & Palladius S. Copre anachoretæ attribuunt.

MELAS *Meletianus*.

A Meletio Lycopolis *Melas* in Arſenoïte nomo & in Heliopolitano ordinatus epiſcopus fertur in Breviario ſeu libello quem Alexandro Alexandrino poſt ſynodum Nicænam dedit. Μέλας, ἐν Ἀρσενοΐτῃ, ἐν Ἡλίου; ſive Ἡλίου. Arſenoïtæ nomo proximus erat Heliopolis.

II. MARINUS.

In Epheſina ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Marinus epiſcopus Heliopolis*, Μαρῖνος ἐπίσκοπος Ἡλιουπόλεως.

III. * * *.

Apollinaris archiepiſcopus Alexandrinus monachum cœnobii montis Sinaï, qui à præpoſito ſuo Alexandriam miſſus fuerat *Heliopolis epiſcopum* creavit. Prat. Spirit. c. 125.

VII. ECCLESIA SCENARUM MANDRARUM.

SCENAS *Mandras* Antoninus in Itinerario habet Aphroditen inter & Babylonem, ac proinde in Auguſtamnica, itemque *Scenas veteranorum*. Apud Hieroclem legitur Σκῆναι *Scenæ*. Utras ſignificaverit, incertum; neutras habet notitia altera.

EPISCOPI SCENARUM MANDRARUM.

I. PETRUS.

IN epiſtola quam Ægypti epiſcopi ad Leonem Imp. de nece S. Proterii archiepiſcopi ſui ſcripſerunt, ſubſcriptus legitur *Petrus Scinorum Mandrorum*, emendandum omnino, *Scenarum Mandrarum*, Σκηνῶν Μανδρῶν.

VIII. ECCLESIA ARCHÆ.

ARCHA una eſt è civitatibus Ægypti inferioris Anonymo Ravennati, quam ipſam eſſe crediderim Archæorum civitatem, cujus epiſcopus Cyrus ſynodo Epheſinæ primæ interfuit; ita tamen ut quum in editis Græcis & Latinis legatur Κῦρος ἐπίσκοπος Ἀχαιῶν, *Cyrus epiſcopus Achæorum*, cum Philippo Labbæo emendetur Ἀρχαίων *Archæorum*.

EPISCOPI ARCHÆ.

I. APOLLO.

II. MUSÆUS.

THEOPHILUS Alexandrinus homilia ſua Paſchali 3. in fine ſignificat à ſe ordinatum eſſe *in Achæis pro Apolline Muſæum epiſcopum*.

III. CYRUS.

Muſæum ſequutus eſt *Cyrus* ille quem ſynodo Epheſinæ generali priori interfuiſſe dixi.

IV. PROVINCIA ÆGYPTI SECUNDÆ.

I. ECCLESIA CABASORUM.

IN notitia veteri Græca *Cabaſa Ægypti ſecundæ* prima civitas eſt: Hierocles vero unam dumtaxat Ægypti provinciam novit, in qua habet Κάβασα *Cabaſſa*. Ptolemæo *Cabaſidæ* nomi metropolis eſt *Cabaſa*, Κάβασα. Plinio in regione Peluſio non remota *Capatites*, ſeu certe *Cabaſites* nomus exſtabat.

EPISCOPI CABASORUM.

I. Theopemptus.

SYnodo Epheſinæ priori interfuit & ſubſcripſit *Theopemptus epiſcopus Cabaſorum*, Θεόπεμπτος ἐπίσκοπος Καβάσων, itemque Καβάσης *Cabaſſæ* legitur. Qui unus fuit epiſcoporum quos Patres ad Neſtorium vocandum delegarunt, & actione 1. ſententiam dixit pro Cyrilli ad Neſtorium epiſtola. Anno inſuper 449. ad Epheſinam ſynodum alteram venit, ubi cuncta pro Dioſcori Alexandrini votis patravit.

A

II. Macarius.

Dioſcorum Alexandrinum ad concilium Chalcedonenſe ſequutus eſt *Macarius epiſcopus Cabaſſorum*; adverſus quem pro fide catholica ſtetit, ſynodi definitioni & epiſtolæ Leonis ad Flavianum Conſtantinopolitanum ultrò ſubſcribens, Μακάριος ἐπίσκοπος πόλεως Καβάσων. Alexandriam reverſus cum aliis tribus ſociis ſuis egit, ut Proterius in Dioſcori locum eligeretur. Liberatus c. 14. Breviarii.

II. ECCLESIA PHRAGONEOS.

IN veteri notitia Græca ſecundæ Ægypti civitas eſt Φραγώνης, *Phragones*, quæ librariorum errore Φραύωνις *Phraynes* ſcribitur in notitia Hieroclis, lego Φράγωνις *Phragonis*. Non certe ipſa eſt quæ Phragoriopolis Straboni, maris Rubri receſſui vicina, nam eccleſiæ Phragoneos Elearchiæ pars obnoxia erat, pars eccleſiæ Pachnamunis, circa foſſam Canopicam, haud ita procul Alexandria.

EPISCOPI PHRAGONEOS.

I. Agathus.

IN inſcriptione & ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodi Alexandrinæ, quæ Athanaſio præſide habita eſt anno 362. legitur *Agathus Phragoneos & Elearchiæ Ægypti*, Ἀγαθὸς Φραγώνεως καὶ Ελεαρχίας τῆς Αἰγύπτου. Hic eſt, nî fallor, Agathon ille ſpectatiſſimæ virtutis monachus, quem ſumma humilitate epiſcopatui collum ſuppoſuiſſe Dracontio ſcribebat Athanaſius.

B

II. Paulus.

Epheſinæ ſynodo generali primæ adfuit & ſubſcripſit *Paulus epiſcopus Phragoneos*, Παῦλος ἐπίσκοπος Φραγώνεως.

III. Nestorius.

Catholicæ fidei tenaciſſimus fuit *Neſtorius epiſcopus Phragoneos*, qui in concilio Chalcedonenſi ſententiæ quam Dioſcorus in S. Flavianum tulerat palam act. 1. refragatus eſt: ejuſdem Dioſcori damnationi, epiſtolæ S. Leonis ad eumdem Flavianum aliiſque ſubſcripſit Νεστόριος ἐπίσκοπος πόλεως Φραγώνεως. Electionis S. Proterii magna pars fuit; ſubſcripſit quoque epiſtolæ præſulum Ægypti de ejus nece ad Leonem Imp. Hunc Proterius ſtatim ab ordinatione ſua ad Leonem Papam miſerat. Proterio interempto, Conſtantinopolim Timothei Æluri furorem fugiens cum aliis perrexit.

Digitized by Google

III. ECCLESIA PACHNAMUNIS & ELEARCHIÆ.

PACHNAMUNIM Ægypti civitatem habet Ptolemæus *Sebennytæ regionis inferioris* metropolim. Inter Pharmuthiacum nomum & Athribiticum amnem Σεβεννύτης, τῆς κάτω τόπων μητρόπολις αὐτοῦ Παχνάμυνις. Quam urbem Strabo & Plinius omiſerunt, at non Hierocles, neque notitia vetus. Eccleſiæ ejuſdem urbis aliquando adjecta fuit altera pars regionis Elearchiæ.

EPISCOPI PACHNAMUNIS & ELEARCHIÆ.

I. AMMONIUS.

INter epiſcopos qui anno 362. concilio Alexandrino adfuerunt, ſubſcripſeruntque ſynodicæ ad Antiochenſes epiſtolæ, legitur *Ammonius Pachnemunis & partis Elearchiæ Ægypti.* Ἀμμώνιος Παχνεμύνεως, καὶ μέρους Ἐλεαρχίας τῆς Αἰγύπτου, qui ſub Conſtantio Auguſto in ſuperiorem Oaſim exulatus fuerat, ut fert Athanaſius epiſt. ad Solit. Sede rurſum, urbeque ſua ſub Valente pulſus fuit. Hunc Sardicenſi concilio interfuiſſe conjicere licet, ex multis Ammoniis unum, qui epiſtolæ ejus ad eccleſias ſubſcripſiſſe reperiuntur. De hoc Ammonio mentio fit in Ammonii alterius epiſtola ad Theophilum Alexandrinum de vita ſanctorum Pachomii & Theodori, quæ exſtat inter acta SS. 14. Maii, ubi Ammonius noſter Elearchiæ epi-A ſcopus nudè dicitur: *Beatæ memoriæ Ammonio, qui fuit epiſcopus Elearchiæ,* τῷ μακαρίῳ ἐν μνήμῃ ἐπισκόπῳ γενομένῳ τῆς Ἐλεαρχίας, nec deinceps ullus Pachnamunis epiſcopus uſquam nuncupatus occurrit, ſed Elearchiæ ſolum.

II. ISAAC.

Concilio Epheſino priori interfuit *Iſaac Elearchiæ,* Ἰσαὰκ Ἐλεαρχίας, qui pro Cyrilli ad Neſtorium epiſtola ſententiam dixit, cunctiſque ſynodi decretis ſubſcripſit.

III. PAPAS.

Synodico decreto Gennadii Conſtanti-B nopolitani de Simoniacis ſubſcriptus inter Ægypti epiſcopos legitur, *Papas epiſcopus Eleitarum,* Πάπας ἐπίσκοπος Ἐλειτῶν.

IV. ECCLESIA CYNOPOLIS *inferioris*.

CYNUM, ſive *Cynopolis*, ſecundæ Ægypti cenſetur in notitia veteri Græca. Straboni *Cynoſpolis in Buſiritico nomo eſt, perinde atque Buſiris.* Eſt altera Cynopolis in Thebaide, cujus omnes Geographi meminere. Minorem indicat Plinius lib. 5. cap. 10. ubi præcipuas Ægypti inferioris urbes recenſens, Buſiri Cynopolim ſubjungit.

EPISCOPI CYNOPOLIS *inferioris*.

HERMÆON *Meletianus*.

IN breviario, ſeu libello quem Meletius C Lycopolis Alexandro Alexandrino dedit epiſcoporum quos paſſim per Ægyptum conſtituerat, legitur *Hermæon in Buſiri & in Cyno,* Ἑρμαίων ἐν Κυνῷ καὶ Βουσίρει. Ibidem habetur quoque Colluthus Cynopolis ſuperioris.

I. ADAMANTIUS.

In indice Patrum Nicænorum de provincia Ægypti legitur *Adamantius Cynopolites*, aderat & Harpocration Cynopolis ſuperioris.

II. MARION.

Synodico decreto Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis ſubſcripſit *Marion epiſcopus Cynum,* Μαρίων ἐπίσκοπος Κυνῶν. Ex quo intelligimus ipſummet eſſe qui ann. 458. epiſtolæ epiſcoporum Ægypti ad Leonem Aug. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcripſerat, *Marion epiſcopus Cynopolitanus* non *Cotenopolitanus*, ut edita ferunt.

III. SERGIUS.

Synodo quintæ generali interfuit, ſubſcripſitque *Sergius epiſcopus Cynom ſecundæ Ægypti.*

Digitized by Google

V. ECCLESIA BUSIRIS.

BUSIRIS, à qua Buſirites nomus Straboni, Plinio, Ptolemæo & aliis, civitas ſat antiqua eſt, in qua Herodotus lib. 2. *quotannis Ægyptios conventum egiſſe* ait, *in honorem Iſidis, cujus hac in urbe maximum templum eſſet. In medio Delta Ægypti poſitam fuiſſe* ſubdit. In Buſiride nomo Demetrius Phalereus à Ptolemæo Philadelpho relegatus interiit. Hanc habet notitia utraque & hodieque *Buſir* dicitur. Unum fuiſſe Buſiris & Cynopolis epiſcopum indicat breviarium Meletii, qui Hermæonem in Cyno & in Buſiri à ſe conſtitutum ſcripſit. Act. 1. concilii Chalcedonenſis Athanaſius epiſcopus Βουσίρεως Τετπόλεως κατ' Αἴγυπτον, *Buſiris Tripolis Ægypti* appellatur, ut regio in qua Buſiris exſtabat, tres urbes complexa ſit, ipſam Buſirim, Cynopolim, & aliam cujus nomen me fugit. Imo quoque Athanaſius magnus in vita S. Antonii virginem quamdam ex Buſiri Tripolitanæ regionis ἀπὸ Βουσίρεως τῆς Τετπόλεως, ab eo ſanatam refert.

EPISCOPI BUSIRIS.

HERMÆON *Meletianus.*

IN breviario Meletii Ερμαίων ἐν Κυνῷ καὶ Βούσει, *Hermæon in Cyno & Buſiri.* A

I. ATHANASIUS.

In Epheſina ſynodo ſecunda ſedit, & profanis Dioſcori Alexandrini conſiliis ſuffragatus eſt & ſubſcripſit *Athanaſius epiſcopus Buſiris*, Ἀθανάσιος ἐπίσκοπος Βουσίρεως. Poſt vero ad Chalcedonenſe concilium reverſus, ipſa actione 1. deincepſque à Dioſcoro defecit, Flavianum injuſte damnatum pronunciavit, ac Fidei catholicæ cauſam amplexus, Leonis Magni Tomo ſubſcripſit, & poſt ſuum in Ægyptum regreſſum, Proterium in Dioſcori locum eligi cum tribus aliis ſociis curavit. De quibus legendus Liberatus in Breviario cap. 14. B

II. JACOBUS *Jacobita.*

Theodoro Jacobitarum Patriarcha defuncto anno 737. convenerunt ad ſucceſſoris ejus electionem epiſcopi, quorum unus fuit *Jacobus Buſiris.* Hiſt. Patr. Alex. p. 207.

III. PETRUS *Jacobita.*

Buſiris epiſcopus erat ſub Chaïl Patriarcha Theodori ſucceſſore circa annum Hegiræ 126. Chriſti 746. *Petrus,* qui cum aliis epiſcopis ipſoque Patriarcha ab Abdalla Merwani Califæ filio ſemel atque iterum carceri traditus eſt, quum apud ipſum in ſuſpicionem veniſſent defectionis ad Abbaſſidas principes qui Orientis imperium Merwano & Ommiadis eripuerunt. Ibid. p. 227.

IV. SEVERUS *Jacobita.*

Sub Philotheo Jacobitarum Patriarcha, undecimo ſæculo ineunte, *Severus epiſcopus Buſiris* Coptita fuit, quo miſſam cum illo celebrante, lethali morbo Patriarcha percuſſus fuit. Ibid. p. 380.

V. CHAIL *Jacobita.*

Epiſcoporum conventui, qui Miſræ coram Viziro habitus eſt ob incompoſitos mores quorumdam Cyrilli Patriarchæ familiarium, aderat *Chaïl* ſeu *Michaël epiſcopus Buſiris.* Ibid. p. 458.

VI. MOHNA *Jacobita.*

Quo tempore Joannes Patriarcha vivere deſiit, antiquior Ægypti epiſcoporum erat *Mohna Buſiris.* Ibid. p. 569.

VI. ECCLESIA PARALI.

PARALIUS vel *Paralus* provinciæ Ægypti poſtrema civitas eſt in notitia Hieroclis, in veteri Græca dicitur Ρηγιὼν Πάραλος, *Regio Paralus,* ſive maritima; Arabes Albarlas dixerunt.

EPISCOPI PARALI.

I. ATHANASIUS.

EPHESINÆ ſynodo generali adfuit, & ſubſcripſit *Athanaſius epiſcopus Parali,* Ἀθανάσιος ἐπίσκοπος Παράλου.

II. PASMEIAS.

Ad alteram ſynodum venit *Paſmeias epiſcopus Parali,* & Dioſcori ſui nutibus in omnibus obſecundavit; ſed & poſt biennium

Digitized by Google

ECCLESIA PARALIS.

in concilio Chalcedonenſi unus fuit ex illis Ægypti epiſcopis, qui illuſoriæ fidei formulæ A ſubſcripſerunt Πασμείας ἐπίσκοπος Παραλεωτῶν, *Paſmeïas epiſcopus Paraleotarum.*

III. JOANNES *Jacobita.*

Jacobitæ Alexandrini in vita Damiani Patriarchæ ſui, ejus tempore claruiſſe ferunt epiſcopos multos ſuæ factionis virtute inſignes, in quibus *Joannes Borleſita* ſive *Paraloi,* aut *Parali,* Calliſtus & alii. Hiſt. Patr. Alex. pag. 146.

IV. CHAIL *Jacobita.*

Cahiram cum multis aliis, Viziro jubente, venit *Chaïl epiſcopus Parales* ſeu *Parali,* ad quoddam ſynodi genus, quæ habebatur propter male moratos familiarium Cyrilli Patriarchæ mores; ſed propter valetudinem non adfuit. Ibid. p. 458.

VII.

ECCLESIA SEBENNYTI.

PTOLEMÆUS *Sebennytem nomum ſuperiorem* habet, & *Sebennytum civitatem ejus metropolim,* Σεβεννύτης ἄνω τόπων καὶ μητρόπολις Σεβέννυτος. A nomo, ſeu civitate potius Sebennyticum Nili oſtium, lacuſque dicta ſunt, quorum etiam, ut & nomi, civitatiſque, ceu quibus Delta finitur, Strabo & Stephanus Byzantinus meminere. Oſtii, nomique Plinius; laci Scylax. Hierocles *Sebennytum* ponit in provincia Ægypti, notitia vetus in Ægypto ſecunda. Hodie *Semmenut* oppidum eſt in quo vectigalia ſolvuntur eorum quæ Cahiram adſportantur.

EPISCOPI SEBENNYTI.

SOTERICHUS *Meletianus.*

MELETIUS Lycopolis epiſcopus Sebennyti quoque epiſcopum creavit *Soterichum,* B ut compertum ſit ex breviario ſeu libello quem Alexandro Alexandrino poſt Nicænam ſynodum dedit, Σωτήριχος ἐν Σεβεννύτῳ.

I. AUSONIUS.

Epheſinæ quidem ſynodo ſecundæ cum Dioſcoro adfuit *Auſonius Sebennyti,* Αὐσόνιος Σεβεννύτου, *epiſcopus,* ejuſque impiis decretis ſuffragatus eſt; errorem vero poſt annos duos correxit in concilio Chalcedonenſi, Dioſcori C & Eutychis damnationem, S. Leonis Papæ ad Flavianum epiſtolam, & ſynodi definitionem fidei approbans cum Athanaſio Buſiris, Macario Cabaſorum, & Neſtorio Phragoneos, quorum opera Proterius in Dioſcori locum electus fuit. In codicibus Græcis & Latinis identidem ſcribitur Αὐξόνιος *Auxonius,* ut apud Liberatum in Breviario cap. 14.

II. PAULUS.

Decreto ſynodico Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis ſubſcripſit *Paulus epiſcopus Sebennyti,* Παῦλος ἐπίσκοπος Σεβεννύτου. D

III. ISAAC *Jacobita.*

Anno 743. ad ſynodum Alexandrinam venit *Iſaac Semmudæ,* in qua actum eſt de eligendo Patriarcha qui Theodoro ſuccederet, & tandem Chaïl ſeu Michaël renuntiatus fuit. Multum laboraſſe fertur, ut Barſanuphianos ad eccleſiæ ſuæ communionem revocaret. Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum pag. 207.

IV. * * * *Jacobita.*

Sanutio I. Patriarchatum gerente, epiſcopi duo inferioris Ægypti cum aliquibus de Sahide, ſive Thebaide, expoſitionem fidei improbavere quam ille ſecundo pontificatus anno ad diœceſis ſuæ eccleſias miſerat, in qua nempe divinæ naturæ mortem adſcribebat. Hi erant *epiſcopus Semnudæ & epiſcopus Moniet Tama.* Ibid. pag. 306.

V. THEODORUS *Jacobita.*

Semnudæ ſive Sebennyti, ſæculo undecimo labente, epiſcopus erat *Theodorus* Sanutii II. Patriarchæ ſororis filius, qui cum Chriſtodulo itidem Patriarcha & aliis epiſcopis à Viziro improbo in carcerem conjectus, duris vexatus tormentis interiit. Ibid. pag. 439.

VI. MARCUS.

Inter epiſcopos qui à Viziro Miſram accerſiti ſunt, ad corrigendos familiares male moratos Cyrilli Patriarchæ, aderat *Marcus Semmudæ epiſcopus,* frater Joannis epiſcopi Saca. Ibid. p. 458.

VII. MACARIUS *Jacobita.*

Circa annum 1147. *Macarius* fratris Joannis Patriarchæ filius ejuſque alioqui frater ſpiritualis in vita monaſtica, Semnudæ epiſcopus fuit, qui quum multos ob rerum mundanarum & gloriæ cupiditatem nimiam monachos offendiſſet, ipſe viciſſim vocem

Digitized by Google

vivificum corpus, quam illi Confeſſioni Euchariſtiæ conſuetæ interjecerant, criminatus eſt. Sed re ad epiſcoporum conventum delata, vox orthodoxa cenſita eſt, nec rejicienda. Ibid. pag. 526.

VIII. Joannes I. *Jacobita.*

Agitata coram Viziro quæſtione de Cyrillo Patriarcha II. ritè-ne electus fuiſſet, ex epiſcopis undecim qui electionem canonicam fuiſſe ſubſcripſerunt *Joannes Semnudæus* A fuit. Ibid. p. 590.

IX. Joannes II.

Joanne illo I. recentiorem puto illum Amba *Joannem epiſcopum Semnudæ*, cujus Lexicon & Grammaticam Copticam Michaël Wanſlebius memorat in fine Hiſtoriæ ſuæ de Alexandrina eccleſia, pag. 335.

ECCLESIA XOIS.

VIII. XOITÆ nomi metropolis eſt ipſa Xoïs Ptolemæo, quam habent notitiæ, Hieroclis quidem in provincia Ægypti, altera in ſecunda Ægypto. Stephano Byzantino *Xoïs inſula mediterranea eſt, ad Sebennyticum & Phatnicum oſtium.* Atqui Straboni concinit, qui ait: ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ τῇ ὑπὲρ τοῦ Σεβεννυτικοῦ καὶ Φατνικοῦ στόματος Ξόϊς ἐστὶ καὶ νῆσος καὶ πόλις ἐν τῷ Σεβεννυτικῷ νομῷ. *In mediterranea vero parte ſupra Sebennyticum & Phatnicum oſtium, Xoïs inſula & civitas eſt in Sebennytica præfectura.* Hodie *Saca* dicitur, quibuſdam *Achſa.*

EPISCOPI XOIS.

I. Paulus.

CONcilio Conſtantinopolitano, in quo, A præſide Nectario, Agapii & Bagadii qui de Boſtrorum epiſcopatu contendebant, cauſa judicata eſt, cum Theophilo archiepiſcopo ſuo ſedebat *Paulus epiſcopus Xoïs*, Παῦλος Ξόϊος ſeu Ξόεως.

II. Macedonius.

Epheſinæ ſynodo generali priori adfuit ſubſcripſitque *Macedonius epiſcopus Xoïs*, Μακεδόνιος ἐπίσκοπος Ξόεως ὑπέγραψα.

III. Athanasius.

Decreto ſynodico Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis ſubſcripſit *Athanaſius epiſcopus Xoïtarum*, Ἀθανάσιος ἐπίσκοπος τῆς Ξοϊτῶν ὑπέγραψα. Ex quo emendatur Latina tranſlatio ſubſcriptionum epiſtolæ epiſcoporum Ægypti ad Leonem Imp. de nece Proterii Alexandrini, in quibus legitur Athanaſius epiſcopus Toïcenæ civitatis pro *Xoïtenæ*. Ejuſdem Athanaſii nomen legitur in inſcriptione epiſtolæ quam Leo Papa inſequenti anno dedit: *Ad epiſcopos & clericos catholicos ex Ægypto apud Conſtantinopolim conſtitutos.*

IV. Joannes I. *Jacobita.*

Joanni Semnudæo Jacobitarum Patriarchæ morienti, ejuſque ſucceſſoris Iſaac electioni anno 686. aderat *Joannes epiſcopus Saca*. Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, pag. 176.

V. Zacharias.

Simon Iſaaci Patriarchæ ſucceſſor epiſcopos duos ordinavit, litterarum ſacrarum doctrina conſpicuos, *Zachariam Saca*, & Ptolemæum Menuf. Ibid. p. 185.

VI. * * * *Jacobita.*

Chaïle II. Jacobitarum Patriarcha, *epiſcopus Saca* ſedebat vir improbus, cujus nomen ſil tur. In ejus diœceſi quum eccleſia S. Ptolemæi Martyris dedicanda eſſet, Patriarcha cum aliis invitato, hora qua celebranda B liturgia erat, ille parando hoſpitibus convivio occupatus ad eccleſiam venire diſtulit. Liturgia vero inchoata, jamque donum ſive oblata altari impoſita erat, quando epiſcopus adveniens, quæſivit, cur ille in eccleſia ſua, ſe abſente, abſque licentia ſua tale quid præſumſerat, inſilienſque oblatam arripuit, eaque comminuta & projecta, eccleſia egreſſus eſt. Patriarcha oblata alia accepta liturgiam perfecit, populoque communionem diſtribuit. Poſtridie congregatis epiſcopis, ſacerdotio C ille depoſitus fuit, alterque ejus in locum conſtitutus. Ibid. p. 323.

VII. Pachomius *Jacobita.*

Impio illi ſuffectus videtur *Pachomius ille epiſcopus Saca*, qui eodem Chaïle Patriarcha Hamarowiæ principi Ægypti gratiſſimus fuit, quum ſervos pluſquam trecentos jaculandi peritos haberet, qui non modo ab eccleſiæ poſſeſſionibus, verum & à provinciæ finibus Arabes prædones arcebant. Auctor inſuper

Digitized by Google

ECCLESIA XOIS.

Hamarowiæ fuiſſe fertur, ut Melchitas male vexaret. Ibid. p. 327.

VIII. Chail *Jacobita.*

Zachariæ Patriarchæ Jacobitarum fratris filius fuit *Chaïl epiſcopus Saca*, anno 1002. qui quum Joannem quemdam, virum ambitioſum, è medio tollere molitus eſſet, ingentem calamitatem Chriſtianis accerſivit. Ibid. pag. 388. 394.

IX. Jacobus *Jacobita.*

Chriſtodulo Jacobitarum Alexandriæ Patriarchatum gerente, *Jacobus epiſcopus Saca* auctor fuit ſuſpicionis eum rite non fuiſſe ordinatum. Unde, Viziro jubente, epiſcopo-
A rum multorum conventus factus eſt, qui cauſam hanc judicarent. Ibid. p. 428.

X. Joannes II. *Jacobita.*

Electioni Cyrilli Patriarchæ qui Chriſtodulo ſucceſſit aderat *Joannes Saca, Ebn Talem.* Ibid. pag. 450. Miſram venit ad conventum epiſcoporum, quem propter nefarios quoſdam homines Cyrilli Patriarchæ
B familiares habere opus fuit, pag. 458. Sed & rurſum adfuit electioni Chaïl ſeu Michaëlis II. Patriarchæ, quo tempore epiſcoporum ſenior erat, pag. 474.

Digitized by Google

V. PROVINCIA ARCADIÆ, QUÆ HEPTANOMUS.

I. ECCLESIA OXYRYNCHI.

ULtra Nilum Orientem verſus, ἐν τῇ περαίᾳ *Oxyrynchum* ponit Strabo, de piſcis cujuſdam qui in ea colebatur nomine vocatam, metropolimque nomi Oxyrynchitæ, cujus meminit & Plinius, quemadmodum & nomi & urbis Ptolemæus. Magna civitas eſt Ptolemæo, quam eo in loco fuiſſe tradunt, ubi nunc vicus *Benheſe*. Hanc habent & notitiæ in provincia Arcadiæ, cujus metropolis eſt in veteri Græca. In vitis Patrum Ruffino Aquileïenſi auctore cap. 5. hæc de Oxyryncho leguntur non omittenda: *Venimus & ad civitatem quamdam Thebaïdis, in qua tanta religionis reperimus bona, ut nemo ea digne valeat enarrare. Repletam namque eam monachis intrinſecùs vidimus, & extrinſecus omni ex parte circumdatam. Ædes publicæ (ſi quæ in ea fuerant) & templa ſuperſtitionis antiquæ, habitationes erant monachorum, & per totam civitatem multo plura monaſteria quam domus videbantur. Sunt autem in ipſa urbe, quæ eſt ampla valde & populoſa, duodecim eccleſiæ, in quibus publicus agitur conventus populi, exceptis monaſteriis, in quibus per ſingula orationum domus ſunt. Sed nec ipſæ portæ, nec turres civitatis, aut ullus omnino angulus ejus monachorum habitationibus vacat, quique per omnem partem civitatis die ac nocte, hymnos & laudes Deo referentes, urbem totam quaſi unam Dei eccleſiam faciunt. Nullus ibi invenitur aut hæreticus, aut paganus; ſed omnes cives Chriſtiani, omnes catholici, ut nihil omnino differat, ſi epiſcopus in platea orationem, aut in eccleſia faciat. Ipſi quoque magiſtratus & principales civitatis & reliqui cives ſtudioſe per ſingulas portas ſtatuunt qui obſervent, uti ſicubi apparuerit peregrinus aut pauper, certatim ab eo qui occupaverit adductus, quæ ſunt neceſſaria conſequatur.*

EPISCOPI OXYRYNCHI.

PELAGIUS *Meletianus.*

IN breviario Meletii *Pelagius in Oxyryncho*, A Πελάγιος ἐν Ὀξυρύγχῳ.

APOLLONIUS *item Meletianus.*

Oxyrynchi epiſcopus alter *Apollonius* fuit itidem Meletianus, ut fertur in libello Fauſtini & Marcellini ad Imperatores Valentinianum, Theodoſium & Arcadium, in quo aiunt Theodorum de quo mox dicetur, *ſedere & communicare in una eademque civitate cum Apollonio Meletianorum epiſcopo, conſentiente impietatibus Georgii Alexandrini, &c.* B Adfuerat idem Apollonius Seleucienſi ſynodo cum Georgio Alexandrinæ eccleſiæ tyranno, cujus formulæ fidei hæreticæ ſubſcripſit Ἀπολλώνιος ἐπίσκοπος Ὀξυρύγχου, *Apollonius epiſcopus Oxyrynchi.* Epiph. hær. 73. num. 26.

I. THEODORUS.

II. HERACLIDES.

Orthodoxus Oxyrynchi epiſcopus fuit *Theodorus* à catholicis epiſcopis conſecratus: poſt vero Georgii Alexandrini communione ſeſe fœdavit, à quo inſuper ſe iterum ordinari permiſit, *ſedens & communicans cum Apollonio Meletianorum epiſcopo.* Verum *pars plebis, ut vidit epiſcopum Theodorum in impiam prævaricationem collapſum, ut non ſolum fidem integram condemnaret, neque ut tantummodo impiè ſubſcriberet, ſed ut ſe laïcum fieri ab impio Georgio pateretur, & denuò ab ipſo hæretico epiſcopum ordinari, execrata eſt ejus communionem, habens ſecum preſbyteros & diaconos illius illibatæ ſedis, per quos fruebatur divinis ſacramentis una cum beatiſſimo Paulo. Sed poſtea etiam epiſcopum ſibi per tunc temporis epiſcopos catholicos ordinavit ſanctum Heraclidam.* Hæc illi Luciferiani in libello precum ad Impp. Atqui Theodorus hic idem ipſe omnino eſt atque Theodulus Oxyrynchi epiſcopus qui anno circiter 372. cum Athanaſio & aliis catholicæ eccleſiæ præſulibus ſubſcriptus legitur expoſitioni fidei, quam Eugenius diaconus Ancyranus pro Marcello Ancyræ epiſcopo exhibuit, ut Θεόδουλος, pro Θεόδωρος ſcriptum ſit. Fauſtinus & Marcellinus ſubdunt Imperatores, quos per

Digitized by Google

ECCLESIA OXYRYNCHI

libellum conveniunt, Apollonii Meletiani baſilicam Theodoro tandem tradidiſſe, quod ſinceræ hujus fidei argumentum eſt, ut ambo Luciferiani iniquiores proinde Theodoro fuerint, quippe quem uti probe catholicum Athanaſius ipſe admiſerit.

HERACLIDES.

Quod Heraclidam attinet, quem illi à catholicis pro Theodoro ordinatum ferunt, *in vita*, inquiunt, *perſpicuus erat, à prima ætate Deo deſerviens, contemtis bonis ſæcularibus, & in fide & doctrina perfectus exiſtens. Unde pro Apoſtolica fide, & pro doctrina Evangelica, pro converſatione cæleſti apud cunctos illic venerabilis eſt, ſolis tantummodo hæreticis & prævaricatoribus diſplicens.* Hunc ab Apollonio & Theodoro variis afflictum modis ſubjungunt, everſam ejus eccleſiam, dirutis undique parietibus. Quæ indicant Heraclidam à Lucifero, quum in Ægypto ageret, ordinatum fuiſſe, atque adeo Luciferianorum factionis: quippe cujus cauſam duo inſignes hujus ſectæ alumni tuerentur. Cæterum Theodoſius Imp. reſcripto ad Cynegium dato, Heraclidam ſuæ ſedi reſtitui præcepit. At vero inter Patres Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis prioris de provincia Ægypti anno 381. ſediſſe legitur *Dorotheus Oxyrynchites;* qui idem profecto eſt atque *Theodorus* Heraclidæ æmulus, inverſis, ut aliàs ſæpe contigit, *Theodori* nominis ſyllabis; ut non niſi defuncto Theodoro juſſerit Imperator illi ſedi Heraclidam reddi. Ruffinus in vitis Patrum cap. 5. ubi narrat ſe cum Melania ab epiſcopo ſancto Oxyrynchi humaniſſime exceptum, didiciſſeque illic viginti millia virginum exſtare, & decem millia monachorum; alterutrum epiſcopum innuit Theodorum vel Heraclidam, imo certe Theodorum, quandoquidem illuc Valente Imp. advenit.

III. APPHY.

Oxyrynchi epiſcopum *Apphy* nobis ſuppeditat liber cui titulus, *Apophthegmata Patrum,* quem Græce Latineque Joannes-Baptiſta Cotelerius edidit tom. 1. Monum. Eccl. Gr. ubi *de Abbate Apphy. Narraverunt de epiſcopo Oxyrynchi, qui vocabatur Apphy,* τοῦ καλουμένου Ἀπφοῦ, *quod quando erat monachus,*
A *duriore vita plurimum ſeſe macerabat; quum verò epiſcopus factus eſt, voluit etiam in ſæculo idem vivendi genus ſectari, nec valuit. Itaque proſtravit ſe coram Deo dicens: Num ob epiſcopatum gratia receſſit à me! Et in revelatione dictum eſt, non receſſit: ſed tunc ſolitudo erat, & quum deeſſet homo Deus opem ferebat; nunc mundus adeſt & homines ei opitulantur.* Eadem leguntur in ſimili opere cui titulus *Verba ſeniorum,* interprete Pelagio.

IV. PETRUS.

B In Epheſina ſynodo prima ſedit & ſubſcripſit *Petrus epiſcopus Oxyrynchi,* Πέτρος ἐπίσκοπος Ὀξυρύγχου. Qui paſſim in actis ſynodi Chalcedonenſis *Joannes Pſynchi epiſcopus* legitur, hunc Lucas Holſtenius *Oxyrynchi* epiſcopum fuiſſe cenſet, eo magis quod nuſquam apud auctores in Ægypti diœceſi Pſynchus civitas occurrit. Verum ſynodo Epheſinæ interfuit *Theonas epiſcopus Pſynchi,* cum *Petro Oxyrynchi.*

V. MARCUS *Jacobita.*

C Sæculo undecimo ineunte Benheſe epiſcopus erat *Marcus.* Philotheus Jacobitarum Patriarcha cum eo & Severo Buſiris ſacra faciens, lethali morbo perculſus fertur. Hiſt. Patr. Alex. pag. 380.

VI. PETRUS *Jacobita.*

Electioni & ordinationi Cyrilli II. Patriarchæ Jacobitarum adfuit *Petrus Benheſe,* quin & ſubinde conventui epiſcoporum qui coram Viziro habitus eſt, propter illius Patriarchæ parum religioſos familiares. Ibid.
D pag. 450. 458. Exſtat in codicibus Mſſ. Canon præſcriptus à S. Amba Petro epiſcopo Bahneſæ, pro conſecratione novi baptiſterii.

VII. CYRIACUS.

E novem liturgiis Æthiopicis ſeptima inſcribitur nomine *Heriacos,* ſive *Cyriaci archiepiſcopi Banhſa.* Quo tempore vixerit ille Cyriacus nullo monumento indicatur.

II. ECCLESIA HERACLEÆ *ſuperioris.*

HERACLEA ſuperior ſive magna, *Heracleotæ* nomi caput eſt Ptolemæo: *Poſtea,* inquit, *juxta eam partem qua ſcinditur fluvius, inſulam faciens Heracleotam nomum, & in inſula mediterranea civitas Nilopolis,* καὶ μητρόπολις πρὸς τῷ δυσμικωτέρῳ τμήματι τοῦ ποταμοῦ Ἡρακλέους πόλις μεγάλη, *& metropolis ad Occidentaliorem diviſionem fluvii Herculis civitas magna.* Heracleotem nomum perinde memorat Plinius, quem Strabo quoque in inſula eſſe ait; in urbe vero Ichneumones coli, qui crocodilis & aſpidibus perniciem inferant. Hanc in Arcadia collocant notitiæ ambæ. Sozomenus quoque lib. 1. hiſt. cap. 13. ubi de S. Antonii patria, *Erat hic quidem,* inquit, *nobili genere ortus ex Coma (vicus eſt prope Heracleam) apud*

Digitized by Google

Arcades Ægyptios. Κώμη δὲ αὕτη ὁμοῦ Ἡρακλείας τῆς παρ' Αἰγυπτίοις Ἀρκάσι. Heracleenſis igitur eccleſiæ alumnus fuit vir poſt Apoſtolos ſanctiſſimus.

ECCLESIA HERACLEÆ *ſuperioris.*

EPISCOPI HERACLEÆ *ſuperioris.*

I. POTAMON.

IN indice Patrum ſynodi Nicænæ legitur *Potamon Heracleotes,* eximius fidei confeſſor ſub Maximino, à quo effoſſo oculo, ſucciſoque poplite, ad metalla Phœnorum damnatus fuerat. Athanaſium magnum in ſynodo Tyria egregie defendit, Euſebii Cæſarienſis pervicaciam frangens. Quod narrat Epiphanius hær. 68. Rurſum à Philagrio Ægypti præfecto, urgente Georgio Alexandrinæ, ut ſæpe dictum eſt, eccleſiæ tyranno, aliiſque Arianis flagris cæſus fuit, ex quo ſupplicio paulo-poſt martyr obiit. Athanaſius epiſt. ad Solitarios.

PETRUS *Meletianus.*

Interim quum Potamon Heracleæ eccleſiam regeret, Meletius ejuſdem urbis epiſcopum ſuæ factionis creaverat, ut ejus breviario fertur: Πέτρος ἐν Ἡρακλείᾳ, *Petrus in Heraclea.*

II. HYPATIANUS *Arianus.*

Potamoni à Georgio illo Alexandrino ſuffectum eſſe *Hypatianum,* mihi dubium non eſt, quippe quem ad varia concilia cum Georgio properantem reperimus. Præſertim vero adfuit cum illo & Pancratio Peluſii ſynodo Sirmienſi, Socrate teſte lib. 2. cap. 29. καὶ Ὑπατιανὸς Ἡρακλείας· Non certe Thraciæ, cujus tunc epiſcopus erat Theodorus itidem Arianus. Formulæ fidei Georgii ſui, quæ ſubinde expoſita eſt in Seleucienſi ſynodo ſubſcripſit, καὶ Γεώργιος ὁ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, καὶ Παγκράτιος καὶ Ὑπατιανός. Epiph. hær. 74. num. 26.

III. HERACLIDES.

Heracleæ ſuperioris epiſcopus *Heraclides* Epheſinæ ſynodo interfuit anno 431. ſubſcripſitque Ἡρακλείδης ἐκκλησίας τῆς αὐτοῦ Ἡρακλείας. An-non ipſe eſt Heraclides ille epiſcopus ad quem multæ litteræ exſtant Iſidori Peluſiotæ ?

III. ECCLESIA ARSINOES.

IN ambabus notitiis Arcadiæ provinciæ civitas cenſetur *Arſinoë,* quam *Arſinoïtam* nominant, Ἀρσινοΐτης. *Arſinoëtem* nomum duplicem habet Plinius, unum Strabo Heracleotæ vicinum. Addit, à Pyramidibus præternaviganti ad centum ſtadia eſt civitas Arſinoë, quæ priùs Crocodilorum civitas dicebatur. *In hoc nomo mirum in modum colitur Crocodilus, & eſt ſacer apud eos in lacu quodam ſeorſum nutritus, ſacerdotibus manſuetus, quibus* Σοῦχος *Suchus vocatur. Nutritur autem pane, carne & vino quæ à peregrinis afferuntur, ad ejuſmodi ſpectaculum venientibus,* Arſinoïtem hunc nomum non omiſit Ptolemæus, nec ejus metropolim Arſinoen; quam Joannes Moſchus, Prat. Spirit. cap. 62. Thebaïdi attribuit πόλις δέ ἐστιν αὕτη τῆς Θηβαΐδος, & Arſinoïtem nominat, Ἀρσινοΐτην. Millenariorum dogma in nomo Arſinoïte, Nepote epiſcopo Ægypti invaluiſſe ſæculo tertio medio querebatur Dionyſius Alexandrinus in libris duobus quos adverſus Nepotem ſcripſit, & quorum pauca quædam Euſebius delibavit, lib. 7. cap. 24. *Quum eſſem,* inquiebat, *in Arſinoïtica præfectura, in qua jam pridem, ut noſti, increbuit hæc opinio, adeo ut ſchiſmata & integrarum diœceſium defectiones fierent, convocatis preſbyteris & doctoribus fratrum qui in vivis agebant, hortatus ſum illos, ut ea doctrina palam in concione examinaretur.* Tum illorum conſtantiam, ardens cognoſcendæ veritatis ſtudium, docilitatem & intelligentiam laudat, ejuratum errorem à præcipuo ejus doctore Coracione. Nepotem vero dudum antehac diem obiiſſe ſignificat. Quæ ſatis innuunt Arſinoës eccleſiam tunc recentem non fuiſſe: niſi quis hæc in nomo altero Arſinoïtico inferioris Ægypti accidiſſe arbitretur. Atqui civitas Arſinoë Arcadiæ jam pridem interiit, nec procul ab ejus loco altera exſtat quæ *Fium* dicitur, Coptitæ epiſcopi ſedes.

EPISCOPI ARSINOES.

I. NEPOS.

NEPOTEM illum epiſcopum Millenariorum dogmatis aſſertorem, & in Arſinoëtica præfectura ſeu nomo propalatorem, Arſinoës præſulem fuiſſe ſatis veriſimile; quem Euſebius epiſcoporum Ægypti unum fuiſſe ait, Νέπως ἦν ἐπίσκοπος τῶν κατ' Αἴγυπτον. De quo Dionyſius Alexandrinus lib. 11. ſcribebat: *In plurimis aliis rebus laudo Nepotem, & diligo, cum propter fidem, tum ob diligens ſtudium ſcripturarum; poſtremo ob pſalmorum cantus multiplices, quibus plerique è fratribus ad hoc uſque tempus,* μέχρι τοῦ νῦν *delectantur.*

Magno honore hominem proſequor, vel maxime quum è vita migraverit, ſed magis veritatem diligo, &c.

Melas *Meletianus.*

Meletius in breviario, *Melas in Arſenoïte*, Μέλας ἐν Ἀρσινοΐτῃ.

II. Andreas.

Synodo Alexandrinæ anno 362. adfuit, & epiſtolæ ad Antiochenam eccleſiam ſubſcripſit *Andreas Arſinoïtæ*, Ἀνδρέας Ἀρσινοΐτου, catholicus proinde epiſcopus.

III. Calosyrius.

Epheſinæ ſynodo ſecundæ aderat *Caloſyrius epiſcopus Arſinoïtæ*, & ſententiam pro Eutyche hæretico dixit, diacono ipſius Elia interpretante, Καλοσίριος ἐπίσκοπος Ἀρσινοΐτου, ἑρμηνεύσαντος αὐτὸν διακόνου αὐτοῦ; ceu nimirum Ægyptiacè non Græcè loquutus eſſet, vel impeditiori lingua balbutiret. Ad eum Cyrillus Alexandrinus ſcripſerat epiſtolam de monachis quibuſdam Anthropomorphitis, qui in monte Calamone haud procul à deſerto Nitriæ agebant.

IV. Sergius.

Theodorus Pharanis epiſcopus, Monotheleta inſignis librum ſcripſit ad *Sergium epiſcopum Arſinoïtæ, provinciæ Ægypti*, πρὸς Σέργιον ἐπίσκοπον Ἀρσινοΐτου τῆς Αἰγυπτιακῆς ἐπαρχίας, cujus fragmenta lecta fuere à Secretario tertiæ ſynodi Lateranenſis ſub Martino Papa I. Quinti proinde ſæculi circiter initium vivebat, & Monotheletam fuiſſe licet conjicere. S. Maximus in dialogo cum Pyrrho docet nos Sergium Macronæ, ut videtur, filium Arſinoës epiſcopum ſcripſiſſe, miſiſſeque libellum qui Mennæ Conſtantinopolitani eſſe ferebatur, παρὰ Σεργίου τοῦ Μακρωνᾶ, τοῦ Ἀρσινόης ἐπισκόπου.

V. Victor.

Cyro Monotheleta Alexandrinum epiſcopatum gerente, *Victor Fiumenſis* ſeu *Arſinoïtæ epiſcopus* Jacobita Chalcedonenſem fidem ad illius ſenſum amplexus eſt. Hiſtoria Patr. Alex. pag. 161.

VI. Mennas *Jacobita.*

Tempore Agathonis Jacobitarum Patriarchæ poſt ſæculi VII. medium *Fiumenſis* epiſcopus erat *Minas* ſeu *Mennas*, ad quem ille epiſtolam ſcripſit, qua Joannem Semnudæum ad ſe accerſebat. Ibid. p. 173.

VII. Abraham.

Poſt Theodori Alexandrini Jacobitarum Patriarchæ obitum, longa Alexandrinæ eccleſiæ preſbyteros inter & Ægypti epiſcopos diſceptatio fuit de ſucceſſoris ejus electione an. 743. atque *Abraham Fiumenſis* declaravit, *epiſcopos ordinaturos quem illi eligerent, dummodo dignus fuerit, ſin vero indignus, rejectum iri.* Quocirca Chaïl ſeu Michaël à preſbyteris electus, ab epiſcopis ordinatus fuit. Ib. pag. 207. 208.

VIII. Matthæus *Jacobita.*

Conventui epiſcoporum qui propter Cyrillum Patriarcham II. ejuſque familiarium irreligioſos mores habitus eſt, aderat *Matthæus Fiumæ*. Ibid. p. 458.

IX. Petrus *Jacobita.*

Anno Martyrum 899. Chriſti 1183. *Petrus Fiumenſis epiſcopus* conſecravit eccleſiam monaſterii quod Neſtorianorum antehac fuerat. Poſt, Joanne Patriarcha defuncto, David, Joannis Laklaki filius, quum nihil non moveret, ut ejus in locum ſufficeretur, à Petro Fiumenſi qui eum ſacerdotem fecerat, abſtentus eſt ob confeſſionem abrogatam aliaſque controverſias, quibus Fiumenſem eccleſiam turbaverat. Ibid. p. 553. 568.

X. Ur *Jacobita.*

Michaël Vanſlebius in relatione de Ægypto, quam Gallicè Pariſiis edidit, narrat eccleſiam monaſterii *Caſciabe* ædificatam fuiſſe ab *Ur* filio Straſcie, qui quum magicas artes à patre didiciſſet illis nuntium remittens, aſceticæ vitæ operam dedit, ſubindeque ad Fiumenſem epiſcopatum promotus fuit.

XI. Michael *Jacobita.*

Anno 1673. Michaël Vanſlebius, quum in Ægypto peregrinaretur apud Amba *Michaëlem epiſcopum Fiumenſem* divertit, virum optimum & eruditum, à quo multa didicit de Coptitarum eccleſia. Ipſe Vanſlebius relatione Gallica de Ægypto, pag. 253.

IV. ECCLESIA APHRODITOPOLIS.

Aphroditopolis ſeu Veneris civitas, nomi *Aphroditopolitæ* caput poſt Memphim & Acanthum ponitur à Strabone: ad Orientalem vero partem inſulæ Heracleoticæ, à Ptolemæo. Nomi ejuſdem meminit Plinius; urbem in Arcadia ponunt notitiæ. Cæterum

Digitized by Google

tres ejuſdem nominis urbes fuerunt in Ægypto, una juxta Athribem, ſecunda juxta Latopolim ad Nilum flumen in Thebaïde: tertia ad Nilum quoque in Arcadia, ſeu Heptanomia: hæcque ſequiori ævo Atfia dicta eſt.

ECCLESIA APHRODITOPOLIS.

EPISCOPI APHRODITOPOLIS.

I. CHRYSAORIUS.

CONcilio generali Epheſino inter Ægypti A epiſcopos ſedit & ſubſcripſit *Chryſaorius epiſcopus Aphroditarum*, Χρυσαόριος ἐπίσκοπος Ἀφροδιτῶν.

II. JACOBUS *Jacobita.*

Anno 1086. vocatis à Viziro Saraceno Miſram epiſcopis, ut ſententiam dicerent de quibuſdam Cyrilli Patriarchæ amicis, quorum mores religioſi non eſſent, in hoc conventu ſedebat *Jacobus Atfiæ*, quæ olim Aphroditopolis. Hiſt. Patr. Alex. p. 458.

III. MICHAEL *Jacobita.*

Macario Jacobitarum Patriarcha, Joannes epiſcopus Miſræ, à tribus epiſcopis iſtis eſt ordinatus, Menna Melichæ, *Michaële Atfiæ*, & Joanne Khandekæ. Ibid. p. 492.

IV. GABRIEL *Jacobita.*

Epiſcopus Atfiæ erat *Gabriël* quo tempore poſt Joannis Patriarchæ obitum Alexandrina ſedes vacabat anno 1216. quumque exequiarum illius officium cum epiſcopis aliis quatuor celebraret, à præfecto urbis Cahiræ ea quantocius excedere juſſi ſunt. Hic à ferenda in Davidem ſacerdotem filium Joannis Laklaki, qui Patriarchatum ambiebat, excommunicationis ſententia ſolus ex aliis Ægypti epiſcopis abſtinuit. Ibid. pag. 568. 569.

V. ECCLESIA MEMPHIS.

ÆGYPTI urbs antiqua fuit *Memphis*, quam Herodoto teſte lib. 2. à Mene gentis auctore conditam ferebant, ignota tamen Homero. At urbe Roma vetuſtior fuit; ut quæ temporibus Oziæ regis Juda celebratiſſima jam eſſet, uti patet ex Ozeæ 9. v. 4. & Iſaïæ 19. v. 13. quibus in locis ut apud Hieremiam & Ezechiëlem נף *Noph* vocitatur, velut hodie *Menuph*, veteri ut puto nomine. *Arx fuit Regum Ægypti* Plinio ſupra Delta poſita ad Occidentalem Nili fluminis ripam. Stetit ſub Perſis, Macedonibus & Romanis, deletis Thebis à Cornelio Gallo. Straboni, Memphis magna, *populoſaque & ſecunda poſt Alexandriam*, dirutis tamen regiis. Maxima item erat Ammiani Marcellini ætate. Ptolemæus Memphitem nomum primum eſſe ait Heptanomis, ſive Arcadiæ, ut pote juxta Delta proximum. Palladius hiſt. Lauſ. cap. 76. Ruffinus lib. 2. de vit. PP. cap. 5. aiunt ſe vidiſſe in regionibus Memphis & Babylonis innumeras multitudines monachorum, apud quos & diverſæ virtutum gratiæ, & morum ornamenta fulgebant.

EPISCOPI MEMPHIS.

JOANNES *Meletianus.*

IN breviario Meletii poſtremus ponitur *Joannes Archaph in Memphi* qui cum aliis Alexandri Alexandrini communionem petiit, velut à Nicæna ſynodo decretum erat. Quin à Conſtantino Auguſto imperatum fuit, uti cum archiepiſcopo, Alexandro ſcilicet, deinceps maneret; ἐν Μέμφει Ἰωάννης κελευσθεὶς παρὰ τοῦ βασιλέως εἶναι μετὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου. Verum Alexandro defuncto ad Euſebianos cum multis aliis tranſivit, Athanaſium fracti calicis, & necati Arſenii accuſavit. Sed fraudibus ejus C in concilio Tyri relectis, juſſus iterum eſt eccleſiæ communicare, ut tum ipſe, tum ipſius ſocii honorem ſuum quem Nicæna ſynodus eis conceſſerat, in clero capeſſerent. Quod quia præſtare noluit, exilio ab Imperatore, invitis Arianis, proſcriptus fuit. Athanaſius apol. de fuga ſua, apol. contra Arianos, & Sozomen. lib. 2. cap. 31. Rurſum B Athanaſius epiſt. ad Solitarios, litteras Conſtantini ad Joannem refert, quibus ſignificabat, ſibi gratiſſimum accidiſſe, quod eum tandem calumniarum quas confinxerat, pœniteret, eique ad ſe veniendi copiam indulgebat.

I. ANTIOCHUS.

Inter Nicæni concilii Patres cenſetur *Antiochus Memphites.*

II. PTOLEMÆUS *Jacobita.*

Simone Jacobitarum Patriarcha ſæculo 7. labente, vel octavo inchoato, *Ptolemæus* ordinatus epiſcopus fuit Menuf ſuperioris, ob ſacrarum litterarum peritiam. Hiſt. Patr. Alex. p. 181.

III. MACARIUS *Jacobita.*

Synodi in qua Philotheus Jacobitarum

Digitized by Google

ECCLESIA MENPHIS.

Patriarcha electus fuit, ſcriba erat *Macarius epiſcopus Menuf ſuperioris*, qui Philotheo A poſthac ſuggeſſit, uti fratrem ſuum Mennam Demerowam Tana transferret. Ib. p. 374.

IV. ABRAHAM *Jacobita.*

A Zacharia Jacobitarum Patriarcha conſtitutus Menuf ſuperioris epiſcopus fuit, *Abraham* filius Bakeri mercator ditiſſimus, qui quum apud Aulicos magna auctoritate valeret, Patriarchatum ambierat. Ib. p. 387.

V. CHAIL *Jacobita.*

Conventui epiſcoporum qui Cahiræ coram Viziro habitus eſt propter compeſcendam quorumdam Cyrilli Patriarchæ familiarium proterviam, aderat *Chaïl epiſcopus Menuf.* Ibid. p. 458.

VI. ECCLESIA CLYSMATIS.

IN interiori receſſu ſinus Arabici fuit *Clyſma præſidium*, Κλύσμα φρύειον, quod Hierocli *Clyſma Caſtrum* dicitur Κλύσμα κάςρον, ſed Auguſtamnicæ ſecundæ cenſetur; Arcadiæ vero in notitia altera; quod certe admitti nequit, propter loci diſtantiam. Hodie *Kolzum* Arabes dicunt, à quo *mare Kolzum* appellant, quod nos *Rubrum mare.* In quo oppido ſub Principibus Romanis qui Idolorum cultui addicti erant, Chriſtiana nihilominus religio radices egit, ut comperi ex martyrio S. Athanaſii qui illic ſub Diocletiano occubuit.

EPISCOPI CLYSMATIS.

I. PŒMEN.

INter ſubſcriptiones epiſtolæ epiſcoporum B Ægyptiacæ diœceſis ad Leonem Imper. de nece S. Proterii Alexandrini, legitur *Pæmen epiſcopus Eleſinatos*, emendandum omnino eſt *Clyſmatis*, ob ſubſcriptionem aliam ejuſdem quæ ad calcem exſtat decreti ſynodici Gennadii Conſtantinopolitani contra Simoniacos, Ποιμὴν ἐπίσκοπος Κλύσματος, *Pæmen epiſcopus Clyſmatis*, necnon propter codices latinos illius epiſtolæ, in quibus doctiſſimus Baluzius reperit vocem *Clyſmatos.*

II. STEPHANUS.

Quintæ ſynodo generali cum Apollinario Alexandrino adfuit & ſubſcripſit *Stephanus epiſcopus Clyſmatis*, qui unus fuit ex epiſcopis quos Patres ad Vigilium Papam delegaverunt actione 1.

III. ATHANASIUS.

In Kalendario Æthiopum die 12. Julii memoria notatur *Athanathei* ſive *Athanaſii Clyſmæ*, vel *Clyſmatis.*

VII. ECCLESIA NILOPOLIS.

IN notitia utraque *Nilopolis* Arcadiæ civitas eſt, quam Ptolemæus exſtitiſſe ait in inſula Nili, qua Heracleoticus nomus conſtabat, καὶ ἐν τῇ νήσῳ πόλις μεσόγειος ἡ Νειλούπολις. Sæculo eccleſiæ tertio medio epiſcopum habuit. Sub Saracenis principibus *Melicha* dici cœpit, ſeu potius urbs nova, ex ejus ruderibus ad Occidentalem Nili partem exſtructa.

EPISCOPI NILOPOLIS.

I. CHÆREMON.

TEmpore Decianæ perſequutionis ætate C jam grandævus erat *Chæremon* Nili civitatis epiſcopus Χαιρήμων τῆς Νείλου καλουμένης ἐπίσκοπος, qui unà cum conjuge in Arabiæ montem fuga elapſus, ultrà reverſus non eſt, quorum nec cadavera reperta à fratribus qui loca ſingula diligentiſſime perſcrutati ſunt. Hæc Euſebius lib. 6. hiſt. cap. 41. In hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, quam doctiſſimus Renaudotius ex Coptitarum monumentis compoſuit, fertur multos tunc temporis Chriſtianos deſertorum latebras adiiſſe, quorum non pauci à barbaris captivi abducti ſunt, & ex illorum numero fuiſſe ſanctiſſimum epiſcopum Melichæ, ſeu Nilopolis ad Occidentalem Nili ripam.

THEON *Meletianus.*

Meletius Lycopolis Nilopoli quoque epiſcopum ſuæ factionis conſtituit *Theonem*, Θέων ἐν Νειλουπόλει, ut fert ejus breviarium ſive indiculus, quem poſt Nicænam ſynodum Alexandro Alexandrino tradidit. Athanaſ. apol. de fuga ſua.

II. ADELPHIUS.

In libro cui titulus eſt *Apophthegmata Patrum*, qui exſtat To. 1. Monum. Eccl. Græc.

Digitized by Google

mentio ſit Abbatis *Adelphii* epiſcopi Nilopolis, narrantis quæ ſibi cum Abbate Siſoë A in monte Abbatis Antonii acciderant. Quo tempore Adelphius & Siſoës hic vixerint, certo definiri non poteſt. Atqui Siſoës Thebæus hic videtur ſignificari potius, quam Siſoës alter, utique recentior, qui Petræ in Arabia circa Palæſtinæ fines morabatur. Vivebat Siſoës Thebæus quando Ariani ſuperérant adhuc in Arſinoïtica regione. Vid. pag. 671. 675. 677. ſimilia habentur, ſed alio ordine digeſta in *verbis ſeniorum*, interprete B Pelagio.

III. Euſebius.

Concilio Epheſino generali interfuit & ſubſcripſit *Euſebius epiſcopus Nilopolis provinciæ Arcadiæ*, Εὐσέβιος Νειλουπόλεως Ἀρκαδίας ἐπαρχίας ἐπίσκοπος.

IV. Petrus.

In hiſtoria Patriarcharum Alexandrino- C rum, ubi de Cyrillo Patriarcha pag. 461. ex Abulbircat narratur *Petrum epiſcopum Melichæ*, ſeptemdecim capita diſciplinæ Armenorum damnaſſe circa annum 1082. de quo rurſum pag. 509. Hic eſt, nî fallor, Petrus Melichæ epiſcopus, qui Vanſlebio teſte, librum ſcripſit de hæreſibus, quo Melchitarum, Neſtorianorum, Syrianorum & aliorum Chriſtianorum mores carpebat, inprimiſque reſpondere conabatur iis quæ à Melchitis ſive orthodoxis contra Jacobitas objiciuntur.

V. Michel.

Inter Jacobiticæ eccleſiæ ſcriptores clarus eſt *Michaël epiſcopus Melichæ*, qui *Reſponſiones Juridicas*, ſive *Canonicas* edidit, ubi negabat vinum ex maceratis uvis expreſſum adhiberi poſſe ad Euchariſtiam. Hiſt. Patr. Alex. p. 298. Ejus incerta ætas.

VI. Mennas.

Anno Martyrum 833. Chr. 1115. Joannes Miſræ epiſcopus ordinatus de more à tribus epiſcopis fuit, *Menna epiſcopo Melichæ*, Michaële Atfiæ, & Joanne Khandekæ. Ibid. pag. 492.

VII. Marcus.

Joanne Jacobitarum Patriarcha, ut numerare ſolent, 74. defuncto, quum nullus ejus ſucceſſor deſignaretur, quinque epiſcopi interim convenerunt ad exequiarum ejus officium celebrandum, qui poſtridie ab Emmoddino Cahiræ præfecto ea urbe quamprimum excedere juſſi ſunt. Horum poſtremus memoratur *Marcus Melichæ*. Ibid. pag. 569.

VIII. ECCLESIA TAMIATHÆ.

SOla notitia vetus Græca *Tamiatham* habet inter urbes provinciæ Arcadiæ. Ταμίαθις *Tamiathis*, Stephano Byzantino dicitur, qua vero in provincia extiterit, non prorſus edidit. Hanc eamdem eſſe atque Damiatam, quæ in ora mediterranei maris poſita eſt, aſſerere non auſim propter locorum diſcrimen nimium, eo magis quod Willelmo Tyrio Damiatam ab Arabibus *Bilbaim* nominari aſſerit, quod Peluſii veteris recens eſſe nomen fertur. Michaël Vanſlebius in ſua *de Ægypto relatione* Italico idiomate ſcripta, in *Fiumenſi* ſeu *Arſinoëtica* regione, quæ ad Arcadiam olim ſpectabat, ad extrema deſerti poſitum eſſe ait vicum magnum *Tamieh* vocitatum. In Melchitarum notitiis Arabica & Græca Tamiathenſis epiſcopus metropolitæ titulo ornatur, quem Jacobitæ ſuæ ſectæ epiſcopo ejuſdem urbis conceſſerunt. Hodie vero quum Damiata Ægypti urbium ampliſſima opulentiſſimaque poſt Cahiram civitas ſit, vix octo Coptitarum ſeu Jacobitarum in ea familiæ ſunt, ducentæ vero & amplius Melchitarum, quibus metropolita Græcus præeſt.

EPISCOPI TAMIATHÆ.

I. Heraclius.

IN Epheſina ſynodo generali ſedit & ſub- D ſcripſit *Heraclitus epiſcopus Tamiathis*, Ἡράκλειτος ἐπίσκοπος Ταμιαθίδος, Ταμιάθεως.

II. Helpidius.

Gennadii Conſtantinopolitani decreto de Simoniacis ſubſcripſit *Helpidius epiſcopus Tamiathis*, Ἐλπίδιος ἐπίσκοπος Ταμιάθεως; qui nempe poſt Proterii Alexandrini necem, ob Timothei Æluri tyrannidem Conſtantinopolim ſeceſſerat, ut apparet ex epiſtola S. Leonis Papæ ad epiſcopos & clericos catholicos ex Ægypto apud Conſtantinopolim conſtitutos, quorum ultimus in inſcriptione Helpidius nominatur.

III. Baſſus.

Quintæ ſynodo generali adfuit cum Apollinario Alexandrino *Baſſus epiſcopus Tamiathenſis*.

Digitized by Google

ECCLESIA TAMIATHÆ.

IV. Zacharias.

In epiſt. Michaëlis Patriarchæ Alexandrini A quæ lecta eſt in ſynodo Photiana ſub Joanne Papa VIII. mentio fit *Zachariæ metropolitæ Tamiathenſis*, ceu convenerit ad ſynodum ejuſdem Michaëlis, in qua Photio ſacerdotium aſſertum & confirmatum fuerit, συναθροισθέντων δηλονότι τῶν ἄγχιστα ἡμῶν μητροπολιτῶν καὶ ἐπισκόπων, ὅσους ἡ ταλαιπωρία ἡμῶν τέως ἠδυνήθη συναγαγεῖν, λέγω δὲ τοὺς περὶ Ζαχαρίαν Ταμιάθης καὶ Ἰάκωβον Βαβυλῶνος, καὶ Στέφανον Θηβῶν, καὶ Θεόφιλον Βάρη. *Congregatis ſcilicet metropolitis & epiſcopis, quot per temporis iniquitatem licuit, Zachariam dico Tamiathæ,* B *Jacobum Babylonis, Stephanum Thebarum, & Theophilum Bare.*

V. Ephræm.

Mota in Ægypto à Saracenis in Chriſtianos perſequutione ſub Jacobitarum Patriarcha Zacharia, *Ephræm Tamiathenſis epiſcopus* in Syriam fugit, quem divinitus quum in monachorum turba deliteſceret, à Joanne filio Abdoun Antiocheno Jacobitarum itidem Patriarcha agnitum ferunt. Hiſt. Patr. Alex. pag. 407.

VI. Misael *Jacobita.*

Numeroſo epiſcoporum conventui qui Cahiræ habitus eſt anno 1036. ad coërcendam Cyrilli Patriarchæ familiarium proterviam, aderat *Miſaël Damiatæ*, inter inferioris Ægypti præſules. Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, pag. 458.

VII. Michael *Jacobita.*

Celebris fuit & famoſus apud Jacobitas *Michaël epiſcopus* ſeu *metropolita Damiatæ*; qui ſuis auctor fuit ut confeſſionis peccatorum neceſſitatem abnegarent Marco II. eorum Patriarchatum Alexandrinum gerente, quo de argumento tractatus edidit. Vivebat circa annum 1174. Ibid. p. 552.

VIII. * * *

Bucherius in ſuo Itinerario Ægypti memorat epiſcopum Damiatæ, qui ab Antonio, ſeu potius Marco Jacobitarum Alexandrino Patriarcha diris devotus eſt anno 1610. propterea quod πολυγαμίας ac libellum repudii in eccleſiam ſuam introducere voluerat, quique Patriarcham illum apud Baſſam calumniatus eſt.

IX. ECCLESIA CYNOPOLIS.

SUa quoque ſuperiori Ægypto *Cynopolis* fuit, quæ Hierocli Arcadiæ metropolis eſt, abeſt vero in Græca veteri notitia. Hanc poſt Heracleotem nomum Strabo collocat. *Deinceps eſt Cynopoliticus nomus*, inquit, *& Canum civitas*, Κυνῶν πόλις (Cynopolis) *in qua Anubis colitur, & honor, & ſacer quidam cibus canibus eſt conſtitutus.* Ptolemæus Cynopolim juxta inſulam quamdam poſitam ait poſt Oxyrynchitem nomum. Similiter nomus Cynopolites Κυνοπολίτης, *& metropolis ab occaſu fluvii Co*, ᾗ ἀντίκειται τῇ νήσῳ Κυνῶν πόλις cui *è regione inſulæ Cynon*, ſeu *Canum civitas opponitur.* Plinio non multum à Thebaïdis montibus aberat. In ea Mercurius ſub canis effigie colebatur, *Anubis*, & Ἑρμάνουβις, *Hermanubis* appellatus.

EPISCOPI CYNOPOLIS.

Colluthus *Meletianus.*

COLLUTHUS Cynopolis ſuperioris inter C Meletianos epiſcopos legitur in breviario Meletii Κόλλυθος ἐν τῇ ἄνω Κυνῷ, *Colluthus in Cyno ſuperiori.*

I. Æglon.

S. Maximus in excerptis Patrum quibus duas Chriſto voluntates & operationes aſſeruit To. 2. operum ipſius p. 155. epiſtolam appellat *S. Alexandri Alexandrini ad Æglonem Cynopolis epiſcopum contra Arianos* ſcrip- D tam, πρὸς Αἴγλωνα τὸν Κυνοπόλεως ἐπίσκοπον. Scripta proinde fuit ante Nicænam ſynodum cui interfuere Adamantius Cynopolis & Harpocration itidem Cynopolis.

II. Harpocration.

Inter præcipuos epiſcopos qui Nicæno concilio claruerunt, *Harpocrationem* Κυνῶν *Cynon*, ſive *Cynopolis* memorat Socrates lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 18. *Ex libello*, inquit, *Athanaſii epiſcopi Alexandriæ, qui ſynodicus inſcribitur.* Libellus hic interiit, quo nomina Patrum hujus ſanctæ ſynodi recenſebantur. Quidni Harpocration iſte idem ipſe ſit, qui ad Tyri ſynodum venit, & cum multis aliis Sardicenſi decreto ſubſcripſit?

III. * * * *Jacobita.*

Anaſtaſius Sinaïta in libro qui Ὁδηγὸς ſeu *via dux* contra hæreticos inſcribitur, p. 200. & 202. ſuum cum Theodoſianis congreſſum narrans, advocatos ab illis eſſe ait nonnullos epiſcopos ſuæ factionis, quos ſcripturarum peritos arbitrabantur, *quorum unus erat Cynopolitanus*, ἐν οἷς ἦν καὶ ὁ Κυνοπολίτης· nomen ejus omiſit.

PROVINCIA

Digitized by Google

VI. PROVINCIA THEBAIDIS PRIMÆ.

I. ECCLESIA ANTINOES.

URBIS *Antinoës* ſive *Antinoi*, quæ ad Orientalem Nili partem in Thebaïde condita eſt, auctorem Hadrianum Imp. fuiſſe omnes norunt, eamque de ejus amaſii, qui illic in flumine merſus periit, nomine appellatam. Ammianus Marcellinus lib. 22. *Thebaïs*, inquit, *multas inter urbes clariores aliis Hermopolim habet & Copton, & Antinoon quam Hadrianus in honorem Antinoi ephebi condidit ſui.* Victor Tununenſis Antinoopolim primariam fuiſſe Thebaïdis civitatem ſcribebat ad annum XIV. poſt V. C. Baſilii conſulatum; imo Palladius Hiſt. Lauſ. cap. 47. τῆς Ἀντινόυ μητροπόλεως τῆς Θηβαΐδος. Cui proinde concinit notitia vetus Græca; non item Hieroclis, quæ primas Hermopoli tribuit; quamvis lib. 2. de vitis Patrum Ruffino interprete cap. 12. *Antinoo civitas Thebaïdis metropolis* dicitur. Frequentiſſimam Diocletiani Imp. ævo fuiſſe Antinoi eccleſiam oſtendunt tot illi martyres qui in Uſuardi, aliiſque Martyrologiis & Menologiis recenſentur. Hodie Michaële Vanſlebio teſte *Inſine* vocitatur.

EPISCOPI ANTINOI.

I. TYRANNUS.

IN indice Patrum Nicænæ ſynodi legitur *Tyrannus Antinoæ*. An Tyrannus ille ſit quem Arſenius Hypſelæ antiſtes Meletianus ſchiſma ejuraſſe narrabat, incertum. A

LUCIUS *Meletianus.*

Suæ quoque factionis epiſcopum *Lucium Antinoi* conſtituit Meletius ſchiſmaticus, qui in ejus breviario, ſeu libello ad Alexandrum Alexandrinum primus occurrit.

II. AMMON.

Synodo Conſtantinopolitanæ, in qua anno 394. actum eſt de cauſa Bagadii & Agapii qui de Boſtrorum epiſcopatu contendebant, aderat *Ammon Hadrianopolis*, Ἀμμῶνος Ἀδριανοπόλεως, cum Theophilo Alexandrino & aliis Ægypti præſulibus. Atqui Antinoopolim alio nomine à conditore ſuo *Hadrianopolim* dictam eſſe teſtatur Stephanus Byzantinus, & nomen *Ammon* Ægyptiacum eſſe certum eſt. Ad hæc Theophilus Alexandrinus ad *Ammonem Thebaïdis epiſcopum* epiſtolam ſcripſit canonicam de *illis qui cum Arianis communicarent*, & de Piſto preſbytero. Quæ hoc adſtruunt, Ammonem qui Hadrianopolis, & qui Thebaïdis epiſcopus dictus eſt, Antinoopolis epiſcopum cenſendum eſſe. B Michaël Vanſlebius, in ſua relatione de Ægypto, quam Gallico idiomate evulgavit, in urbe *Inſine* ſeu *Antinoë*, ab ipſis quoque Mohammedanis coli ait Ammonem religioſum hujus urbis epiſcopum. Vide p. 389.

III. PROCOPIUS.

In quinta ſynodo generali ſedebat *Procopius Antinoü*, ſive *Antinoi* epiſcopus.

IV. MENNAS *Jacobita.*

Quo tempore Abaſſidæ Saraceni Merwano Califæ Omniadarum ultimo Orientis Imperium eripuerunt, anno ſcilicet 751. Chaïl Jacobitarum Ægypti Patriarcha variis ſuppliciis maceratus eſt, ceu Abaſſidis faveret; epiſcopi quoque multi in carcerem ſunt truſi, in quibus fuit *Mennas epiſcopus Tinua*, forſan Antinoï. Hiſt. Patr. Alex. p. 227.

V. ISAAC *Jacobita.*

Conventui qui coram Viziro ann. 1086. Miſræ celebratus eſt Cyrilli Patriarchæ cauſa, ejuſque familiarium, qui pravis moribus ſuis omnes offenderant, interfuit *Iſaac Anſnæ*. Ibid. pag. 458.

II. ECCLESIA HERMOPOLIS *magnæ*.

HERMOPOLIS major Thebaïdis prima civitas eſt Hierocli, quam Ammianus Antinoo præponit. *Oppidum Mercurii* Latine vocat Plinius, à Mercurio profano numine, quod in ea colebatur canino capite, κυνοκέφαλον, ait Strabo; qui & in Hermopolitana cuſtodia exactum vectigal ſubdit eorum, quæ ex Thebaïde deferebantur. Cæterum Palladius Hiſt. Lauſ. cap. 52. ex Chriſtianorum Ægypti traditione refert, *Hermopolim Thebaïdis Salvatorem veniſſe cum Maria & Joſeph: illic quoque viſum à ſe templum, in quo, urbem ingreſſo Domino, omnia ſimulacra in faciem ceciderunt in terram.* In notitia Græca altera veteri ſecunda urbium eſt Thebaïdis primæ. Hodie *Aſchumin* vocari aiunt, in qua ſedet Copticæ eccleſiæ epiſcopus.

EPISCOPI HERMOPOLIS *magnæ*.

I. CONON.

Ad *Cononem* Hermopolis epiſcopum Dionyſius Alexandrinus, Euſebio teſte lib. 6. hiſt. cap. 46. librum de pœnitentia nuncupavit. Cujuſnam autem Hermopolis epiſcopus fuerit, majoris-ne an minoris, nuſquam explicat Euſebius, καὶ πρὸς Κόνωνα, τῆς Ἑρμουπολιτῶν δὲ παροικίας ἐπίσκοπος ἦν. Dubium ſolvit doctiſſimus Abbas Renaudotius ex Severo Aſchumin, ſive hujus Hermopolis majoris epiſcopo, ubi narrat Dionyſium ſingularem de pœnitentibus recipiendis epiſtolam dediſſe *Cononi epiſcopo Aſchumin*, atque adeo Hermopolis majoris.

PHASILEUS *Meletianus*.

In breviario Meletii nude legitur *Phaſileus in Hermopoli*, ordinatus à Meletio Lycopolis, Φασιλεὺς ἐν Ἑρμουπόλει. In Hermopoli, inquam, Thebaïdis, quæ Lycopolis vicina erat, unde à Meletio proxime poſt Lucium Antinoï nominatur.

II. ANDREAS.

Synodo generali Epheſinæ primæ adfuit & ſubſcripſit *Andreas epiſcopus Hermopolis Thebaïdis*, Ἀνδρέας ἐπίσκοπος Ἑρμουπόλεως τῆς Θηβαΐδος.

III. GENNADIUS.

Venit ad Epheſinam ſynodum ſecundam *Gennadius epiſcopus Hermopolis magnæ*, & peſſimis Dioſcori Alexandrini archiepiſcopi ſui facinoribus obſecundavit, Γεννάδιος ἐπίσκοπος Ἑρμουπόλεως μεγάλης.

IV. EUGENIUS.

Joannes Moſchus cap. 182. Prat. Spirit. *Eugenium* ex monaſterio prope Bethleem, quod *Xeropotamus* dicebatur, epiſcopum
A Hermopolis in Thebaïde conſecratum refert, à quo accepit quæ eo in capite narrat de Abbate Alexandro Cilice.

V. PAULUS.

Regius codex Arabicus 379. Apocalypſim Joannis continet cum commentario ex Hippolyto Papa Romano (ſic Orientales vocant *Hippolytum Portuenſem*, ſive *à Portu Romano*, & aliis concinnatum à *S. Paulo El Bouſci* epiſcopo Aſchumin in Thebaïde. Codex chartaceus eſt, ſed minime recens, &
B perita manu exaratus.

VI. SEVERUS *Jacobita*.

Quo tempore Ephræm filius Zaraæ Syrus Jacobitarum Alexandrinorum Patriarchatum gerebat, in Ægypto clarus erat *Severus epiſcopus Aſchumin*, quem ille Muazzo Califa annuente deſignavit, uti cum Judæo quodam Moyſe diſputaret. Multos præterea tractatus edidit, ac præſertim hiſtorias Patriarcharum Alexandrinorum, ex monumentis Copticis in monaſterio S. Macarii aſſervatis.
C Hiſtoria Patriarc. Alexand. pag. 367. 368. & alibi paſſim.

VII. CHAIL *Jacobita*.

Inter epiſcopos Ægypti quos Vizirus Cahiram coëgit, ut ſententiam ferrent de familiaribus quibuſdam Cyrilli Patriarchæ male moratis, aderat *Chaïl Aſchumin*. Ib. p. 458.

VIII. *** *Jacobita*.

Duodecim epiſcopis ad Cyrilli III. Patriarchæ Jacobitarum, qui ſimoniæ reus habebatur, cauſam diſcutiendam coactis, unus eorum fuit *epiſcopus Aſchumin*. Ib. p. 590.

III. ECCLESIA CUSARUM.

CUSÆ Thebaïdis civitas, quam Antoninus in Itinerario vocat *Chuſis*, niſi Librariorum errore ſcriptum ſit *Chuſis*, pro *Cuſas*. Notitia vetus Græca habet Κῶσος *Coſus*, Hierocles Ἀκύασα *Acuaſa*. Ubi quidam nihilo melius legendum cenſent *Phacuſa*. At vero Cuſas

Digitized by Google

in Ægypto, imo in Thebaïde extitiſſe diſcimus ex indiculo Meletianorum epiſcoporum, ſeu breviario quod Meletius Alexandro Alexandrino tradidit, in quo ſtatim poſt Phaſileum Hermopolis ponitur Achilles Cuſarum ἐν Κεύσαις. Hodieque in *Sahide*, ut loquuntur Arabes, ſive Thebaïde exſtat oppidum *Kis*, quod idem eſſe cenſetur ac veteres illæ Cuſæ; in eo quippe ſedes fuit epiſcopalis, vicinumque eſt Behneſæ, ſive Oxyrynchi. ECCLESIA CUSARUM.

EPISCOPI CUSARUM.

ACHILLES *Meletianus.*

MELETIUS in breviario ferebat, ut modo dicebam, *Achillem* à ſe ordinatum in Cuſis, ἐν Κούσαις.

I. THEONAS.

Catholicus Cuſarum epiſcopus fuit *Theonas,* qui inter ſynodi quintæ generalis Patres cenſetur: *Theona reverentiſſimo epiſcopo Cuſſon,* ſive Cuſarum, Græcè Κυσῶν.

II. GREGORIUS *Jacobita.*

Joanni Jacobitarum Alexandrino Patriarchæ vulgo XL. morienti adfuit, necnon electioni Iſaac ſucceſſoris illius *Gregorius epiſcopus Kis.* Hiſt. Patr. Alex. pag. 177. Abdel-
A azizo Ægypti præfecto Saraceno ſub Abdelmeleco Califa Chriſtianis præcipiente, ut duas Holuanæ eccleſias ædificarent, harum ſtructuræ curam geſſit idem Gregorius. Ibid. pag. 184.

III. THEODORUS *Jacobita.*

Sub Chriſtodulo Patriarcha Jacobitarum epiſcopatum Kis gerebat *Theodorus,* qui poſthac adfuit electioni & ordinationi ſucceſſoris
B ejus Cyrilli II. tum ſubinde conventui epiſcoporum Ægypti quos Vizirus anno 1086. Cahiram coëgit, ad cohibendam Cyrilli Patriarchiæ familiarium proterviam. Ib. p. 486. 450. & 458. In quo conventu ſedebat quoque Mercurius Kuſæ.

IV.

ECCLESIA LYCOPOLIS.

LYCOPOLIS, ſive Λύκων πόλις, *civitas Luporum,* quæ ſimplici voce, ut aliæ ſimiles, Λύκων vel Λύκω, *Lycon, Lyco,* ſcribitur, Thebaïdis primæ fuit; imo ipſius initium verſus Septemtrionem teſte Plinio lib. 5. cap. 9. Alterius quoque Lycopolis inferioris Ægypti meminit Stephanus, quam in Sebennytico nomo mari vicinam facit. Lycopolim Thebaïdis habet Strabo, Lycopolitanoſque Luporum cultui deditos teſtatur: quam Vanſlebius *Siut* hodie vocari aſſerit & *Oſiut,* epiſcopalem etiamnum urbem. Epiphanius hær. 68. Meletii Lycopolitani hiſtoriam ex neſcio quibus Meletianorum monumentis texens, Meletium *inter Ægypti præſules eminuiſſe* dicit, *ſecundumque locum in archiepiſcopatu habuiſſe poſt Petrum Alexandrinum,* τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον προήκων, καὶ δευτερεύων τοῦ Πέτρου τοῦ τῆς Ἀλεξανδρείας κατὰ τὴν ἀρχιεπισκοπήν. Quin etiam hær. 69. *Meletium habitum eſſe Thebaïdis Ægypti provinciæ archiepiſcopum,* Μελίτιος, ὁ τῆς Αἰγύπτου ἀπὸ Θηβαΐδος δοκῶν εἶναι καὶ αὐτὸς ἀρχιεπίσκοπος. Quo id jure non capio prorſus: ut certe mera Meletianorum jactantia erat, quando Lycopolis nulla prærogativa in Thebaïde nitebatur, ſoluſque Alexandrinus totius Ægypti diœceſis archiepiſcopus erat. Lycopoli oriundus fuit admirabilis ille Joannes monachus, qui Theodoſio magno imperante prophetiæ dono clarus erat.

EPISCOPI LYCOPOLIS.

I. ALEXANDER.

LUculentum adverſus Manichæos tractatum habemus *Alexandri Lycopolis,* quem hujus urbis epiſcopum fuiſſe Photius diſerte teſtatur in ſuo de Manichæis opere, quod Græcè Latinèque prodiit in Bibliot. Coiſl. cod. 270. pag. 354. Ibi namque Photius auctores recenſens qui contra illos hæreticos accurate ſcripſerant, Alexandri hujus meminit, urbis Lycorum pontificis, ὅτι τῆς πόλεως Λύκων Ἀλέξανδρος τοὺς ἀρχιερατικοὺς ἐγκεχειρισμένος νόμους. Atqui Alexander ſuo in opere aſſerit ſe ab illis qui Manem noverant
C accepiſſe quæ de ejus hæreſi traderet, ἀπὸ τῶν γνωρίμων τοῦ ἀνδρός; ut proinde verſus ſæculi tertii finem id negotii ſuſceperit.

II. MELETIUS *ſchiſmaticus.*

Alexandro utique *Meletius* ille ſucceſſerit, qui pernicioſiſſimi in Ægypto ſchiſmatis auctor fuit, cujus crimina amoliri videtur Epiphanius hær. 68. & 69. ex commentitiis ſcriptis quibus nimiam fidem adhibuit, ſed quæ contrariis Athanaſii, aliorumque eorumdem temporum teſtimoniis profligantur. Paucis itaque iſtis Athanaſii magni verbis Meletii

Digitized by Google

ECCLESIA LYCOPOLIS.

crimen & ſchiſma panduntur: *Petrus*, inquit apol. contra Arianos, *apud nos ante perſequutionem epiſcopus & in perſequutione martyr inauguratus Meletium, qui ab Ægypto epiſcopus dicitur,* Μελέτιον τὸν ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου λεγόμενον ἐπίσκοπον, *multis criminibus convictum, & inprimis quod idolis ſacrificaſſet, in communi epiſcoporum ſynodo depoſuit.* Qua de cauſa ille ſe ab eccleſiæ catholicæ communione ſegregans, varios per Ægyptum, quin & ipſomet Epiphanio teſte, in Palæſtina epiſcopos ordinavit. De ejus ſchiſmate & epiſcopis quos conſtituerat, Nicæna ſynodus ſententiam tulit, juſſuſque ille eſt à Conſtantino Auguſto ad Alexandri archiepiſcopi ſui communionem cum ſuis reverti. Id quod præſtitit dato breviario, ſeu indiculo epiſcoporum quos promoverat, quem Athanaſius in ea quam mox appellabam, apologia ſua ſecunda refert. Quod ſimulatè prorſus egerunt illi; quum enim paulo-poſt Meletius diem obiiſſet, Joannes factionis ejus epiſcopus Memphis ſchiſma prorogavit, ſeque Euſebianis in Athanaſio inſectando incentorem præbuit. De Meletio plura paſſim Athanaſius in ſuis operibus.

III. Volusianus.

In indice Patrum Nicænorum *Voluſianus Lycopolites* legitur, Thebaïdis epiſcoporum tertius, qui Meletio proinde ſuffectus fuerit.

IV. * * * *Jacobita.*

Sanutius II. Patriarcha Jacobitarum archipapam, ſeu archipreſbyterum urbis Oſiut, epiſcopum hujus eccleſiæ ordinavit, pacta ingenti pecunia, quod ſacrilegium urbis homines deteſtati eum triennio urbis ſuæ ingreſſu prohibuerunt: unde à Patriarcha de conſilio epiſcoporum in pago quodam hujus diœceſis epiſcopus eſt conſtitutus. Hiſtoria Patr. A Alex. pag. 412.

V. Antonius *Jacobita.*

Chriſtodulo Jacobitico Patriarchatu fungente circa annum Martyrum 797. Chriſti 1081. *Antonius epiſcopus Oſiut* ſedebat, qui cum Theodoro epiſcopo Kus de antiquitate & præcellentia contentionem habuit, quippe quum ante Baſilii, qui Theodori deceſſor erat, obitum ordinatus eſſet. Quæ contentio duravit ad tempora uſque Cyrilli qui Chriſtodulo ſucceſſit. Vicit vero Theodorus, B quum ſibi prius à Chriſtodulo impoſitas manus oſtendiſſet, quam Antonius Oſiutæ epiſcopus crearetur. Anno 1086. Antonius conventui epiſcoporum interfuit, qui coram Viziro Cahiræ coacti fuerunt, ad coërcendam familiarium Cyrilli Patriarchæ petulantiam. Ibid. p. 436. & 458.

VI. Joannes I.

Abraham Ecchellenſis lib. de origine nominis Papæ Acta Martyrum Ægypti Arabice à *Joanne epiſcopo Oſiut* ſcripta memorat, ejuſ- C que volumen Pariſiis extare ait in Bibliotheca viri doctiſſimi Gilberti Gaulmin.

VII. Joannes II. *Jacobita.*

Anno 1673. quo Michaël Vanſlebius in Ægypto verſabatur, *Joannes* alter epiſcopus Siut ſeu Lycopolitanus erat, vir optimus, apud quem hoſpitio receptus fuit, uti refert in *relatione de Ægypto,* quam Gallico idiomate Lutetiæ Pariſiorum edidit anno 1677. pag. 363. ubi addit ſe Joannis opera vidiſſe, virum annoſum, qui ſolus ex Ægyptiis Coptitarum linguam noverat, & quo defuncto idioma illud interiit.

V. ECCLESIA HYPSELES.

PTOLEMÆUS *Hypſeliotem* nomum habet Ὑψηλιώτης, cujus metropolis eſt *Hypſele* Ὑψηλή; quam habent etiam Hierocles & notitia vetus Græca. Ad Nili lævum latus poſita erat. *Sciotb* Coptitis Vanſlebio teſte dicitur.

EPISCOPI HYPSELES.

I. Arsenius.

HYPSELES epiſcoporum ſolus nobis occurrit *Arſenius* ille, quem Meletius ſchiſmaticus ordinavit; ac poſt Nicænam ſynodum, nam ejus nomen abeſt in breviario ſeu indiculo ejuſdem Meletii, quem ſtatim ab ea celebrata ſynodo dedit Alexandro Alexandrino. Arſenium porro Hypſeles epiſcopum ab Athanaſio magno necatum in vulgus ſparſerunt Euſebiani, quorum mendacium compertum fuit in ſynodo Tyria ann. 334. Ibi nihilominus Arſenium Athanaſii amo- D tioni conſenſiſſe ſcripſit Socrates lib. 1. cap. 32. ut cui ab Athanaſio illata mors ferebatur, vivus ipſe Athanaſium proſcripſerit. Id quod vero prorſus ſimile non eſt; quandoquidem Arſenius Athanaſio deinceps addictus fuit, ita ut etiam apud Julium Papam affirmando declaraverit, ea quæ ab Euſebianis in Mareote adverſus Athanaſium quæſita erant, ſuſpectiſſima eſſe, quando alterius partis

Digitized by Google

nullus adſuerat, ac Macarius inprimis preſbyter, qui fracti calicis accuſabatur, ejuſque A epiſcopus Athanaſius. Et quum in ſubſcriptionibus epiſtolæ Concilii Sardicenſis *Arſenius* Ægypti epiſcopus legatur, dubium non eſt quin ipſe ſit Arſenius Hypſeles, qui Roma Sardicam ad ſynodum venerit, ubique Athanaſii famam vindicans. Vide Athan. apol. 2. quæ & *contra Arianos* inſcribitur.

ECCLESIA HYPSELES.

VI. ECCLESIA ANTÆOPOLIS.

ANTÆUM ſive *Antæopolis* Ανταίου πόλις, Antæopolitæ nomi caput fuit, Ptolemæo teſte, urbs mediterranea, quam notitiæ Thebaïdi primæ aſſignant; ipſam eſſe puto quæ *Antou* hodie dicitur, vel *Antowa*. At ſub Antowa Nili brachium in duas partes dividitur, quarum una tendit in plagam Occidentalem, alia in Orientalem, & inſula utrique interjacet. Ita Nubienſis Geographus pag. 100.

EPISCOPI ANTÆOPOLIS.

I. MACARIUS.

EPheſinæ ſynodo primæ interfuit & ſubſcripſit *Macarius epiſcopus Antei*, Μακάριος ἐπίσκοπος Ανταίου.

II. GEORGIUS *Jacobita.*

B Inter duodecim epiſcopos à quibus Cyrillus II. Alexandrinus ordinatus fuit, legitur *Georgius Antowæ*. Hiſt. Patr. Alex. p. 450.

VII. ECCLESIA PANOPOLIS.

PANOPOLIM, ſeu *Panis* civitatem non obſcuram in Thebaïde prima notitiæ ambæ collocant; cujus meminit Plinius, necnon Strabo antiquam eſſe refert habitationem hominum, qui linum & lapides operarentur, λινουργῶν καὶ λιθουργῶν κατοικίαν παλαιάν. Ex ea oriundus fuit Nonnus poëta Dionyſiacorum libris & Paraphraſi Evangelii Joannis clarus. Hodie *Echmin* appellatur, ex veteri ſuo nomine Χέμμις *Chemmis*, de qua Diodorus Siculus lib. 1. cap. 18. Plutarchus & alii, qui de Ægypti rebus ſcripſere. *Pan*, inquit Diodorus, *apud Ægyptios in ſumma eſt veneratione, cui non tantum ſimulacra ponuntur in omni templo*, κατὰ πᾶν ἱερόν; *verum & urbs eſt ejus nominis in Thebaïde, quam Chemmin vel Chemmo vocant, & Panopolim interpretantur*; Χέμμιν ἢ Χέμμω, μεθερμηνευομένην δὲ Πανὸς πόλιν. Eam à Bana ſecernendam ex eo docemur, quod in Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, pag. 458. ubi recenſentur epiſcopi inferioris Ægypti, qui coram Viziro Cyrilli Patriarchæ II. familiarium cauſa Miſram convenerunt, Macarius Banæ legitur, & inter epiſcopos Sahid, ſeu Thebaïdis Claudius Echmimæ. Bana proinde inferioris Ægypti civitas fuit, non Thebaïdis, eamque eſſe Panephyſum puto, uti jam ſuperius monui.

EPISCOPI PANOPOLIS.

I. ARIUS.

IN vita S. Pachomii num. 51. narratur, C ſanctiſſimum hunc virum *Arii epiſcopi Panopolis* litteris evocatum eſſe, ut prope civitatem ipſius monaſteria extrueret: ἐπίσκοπός τις δὲ τῆς πόλεως Πανὸς Ἄρειος μὲν λεγόμενος, ὀρθόδοξος δὲ τῇ πίστει, καὶ ἀσκητὴς, καὶ ὑπηρέτης Χριστοῦ· *Epiſcopus quidam civitatis Panis, Arius quidem nomine, ſed orthodoxus fide, aſceta quoque & Chriſto famulans.* Cujus votis Pachomius annuit. Perperam in veteri D tranſlatione Latina pro Ario *Varus* ſcribitur.

II. SABINUS.

In Epheſina ſynodo generali prima ſedit & ſubſcripſit *Sabinus epiſcopus Panis, provinciæ Thebaïdos*, Σαβῖνος ἐπίσκοπος Πανὸς, ἐπαρχίας τῆς Θηβαΐδος.

III. MENAS.

In Kalendario Æthiopum die 16. Zacatit ſeu Amſchir Ægyptiaci, Febr. XI. memoria exſtat *Menæ epiſcopi Aſchmin*.

IV. PAULUS *Jacobita.*

Chaïle I. Jacobitarum Patriarcha ſedebat *Paulus epiſcopus Echmimæ*. Hiſt. Patr. Alex. pag. 232.

V. CLAUDIUS *Jacobita.*

Conventui qui propter Cyrilli II. Patriarchæ familiares coram Viziro Cahiræ habitus eſt, aderat cum aliis de Thebaïde epiſcopis, *Claudius Echmimæ*. Ibid. p. 458.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

ECCLESIA PANOPOLIS.

VI. Theonas *Jacobita.*

Michaël ſeu Chaïl III. Patriarcha Copti- A tarum *Theonam* Sahiditam ſeu de Thebaïde ordinavit epiſcopum Echmimæ. Ib. p. 516.

VII. *** *Jacobita.*

Anno 1240. coactis ab Emiro Ægypti epiſcopis plurimis, ut ſententiam ferrent de accuſationibus contra Cyrillum III. Patriarcham Jacobitarum latis, aſſuerunt paulo-poſt undecim inter quos novem electionem Patriarchæ ſubſcriptione ſua comprobaverant; duo non ſubſcripſerant, epiſcopi Fuæ & *Aſchmounæ.* Omnes tandem iſti & alii qui advenerant poſt illos, ſubſcripſerunt veram eſſe accuſationem inſtitutam adverſus Cyrillum, exceptis duobus, metropolita ſcilicet Damiatenſi & epiſcopo Aſchmoumæ, de iis non liquere ſibi ſignificantibus. Ibid. p. 590.

VIII. ECCLESIA OASIS *magnæ.*

Oasim parvam magnamque habemus apud Ptolemæum, & Thebaïdis primæ civitas decima eſt Hierocli, Οὔασις μεγάλη, deeſt in notitia altera. Illic immane circumjacens deſertum Ouaſis perinde dictum, cujus frequens in veterum libris mentio; nec in ea deerant monachorum manſiones, tametſi Mazicum aliorumque barbarorum incurſionibus paterent. Epiſcopum vero Ouaſis quæ Coptitis *Ouach* dicitur, vix unum reperio, quamlibet in Actis ſynodi Chalcedonenſis anxiè quæſierim Patricium, quem huic urbi Carolus à S. Paulo aſſignat. Videtur Patricium Arraſſi in Lycia præſulem pro epiſcopo *Ouaſis* accepiſſe.

EPISCOPI OASIS *magnæ.*

I. ***.

Ex capite 112. Prati Spiritualis Mazices barbari in Oaſim venerunt, abbatem Joannem Conſtantinopolitanæ eccleſiæ rectorem vinxerunt cum Euſtathio Romano & Theodoro Cilice. Deduci Joannes petivit ad *epiſcopum* à quo ſperabat numiſmata obtinere, quibus redimeretur cum ſociis. Apud epi- B ſcopum octo dumtaxat numiſmata reperta ſunt; quocirca abbas Leo genere Cappadox barbarum rogavit, ut acceptis octo numiſmatibus, dimiſſis illis tribus, captivus ipſe teneretur; quod quidem ita factum eſt, atque Leo non multo poſt ab illis capite minutus eſt.

IX. ECCLESIA APOLLINIS CIVITATIS.

Duplex in utraque Thebaïde civitas *Apollinis* reperitur; ambarumque meminit Ptolemæus, ac minorem ponit in Coptite nomo ad Orientalem proinde Nili plagam. Parvam hodie vocari *Coſſie* ferunt, eſtque vicus juxta Nilum poſitus. An-non quæ & Cuſa paſſim dicitur in Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, à *Cuſis,* de quibus prædictum eſt, diverſa!

EPISCOPI APOLLINIS CIVITATIS.

I. Pabiscus.

In Epheſina ſynodo inter Ægyptiacæ diœ- C ceſis epiſcopos ſedit & ſubſcripſit Παβισκὸς ἐπίσκοπος Ἀπολλωνείας, *Pabiſcus epiſcopus Appollonia.*

II. Mercurius *Jacobita.*

Conventui qui familiarium Cyrilli II. Coptitarum Patriarchæ cauſa Cahiræ habitus eſt anno 1086. intererat *Mercurius Kuſa;* quin etiam Theodorus Kouſæ.

VII. PROVINCIA THEBAIDIS SECUNDÆ.

I. ECCLESIA PTOLEMAIDIS.

PTOLEMAIS urbs in *Thebaïde ſecunda* fuit. *Ptolemaïca civitas*, inquit Strabo; *omnium eſt maxima quæ in Thebaïde ſunt, Memphi non minor, Græco more inſtitutam habens Rempublicam;* Πτολεμαϊκὴ πόλις μεγίστη τῶν ἐν τῇ Θηβαΐδι, ἐ οὐκ ἐλάττων Μέμφεως, ἔχουσα καὶ σύστημα πολιτικὸν ἐν τῷ Ἑλληνικῷ τρόπῳ. Prima Thebaïdis Secundæ Hierocli cenſetur, imo metropolis in notitia veteri Πτολεμαΐς μητρόπολις, cujus Plinius quoque meminit l. 5. c. 9. Ptolemæus item hanc Ptolemaïdem Hermii vocat Ἑρμίου Πτολεμαΐς, Thinitæ nomi caput, ad Nili latus ſiniſtrum ſive Occidentale poſitam; ut priſcum Ptolemaïdis hujus nomen, *Thinis* vel *This* fuerit. Quocirca Ptolemaïdi Thebaïdis aſſignandos epiſcopos cenſeo, qui *Thyneos* dicuntur in actis Conciliorum, eo magis quod in notitiis nulla Thinis reperiatur. Urbs quidem *This* legitur apud Stephanum: Θὶς, inquit, πόλις Αἰγυπτία πλησίον Ἀβύδου. ὁ πολίτης Θινίτης, *This urbs Ægyptia prope Abydum. Oppidanus Thinites.* A cæteris vero abeſt ſicut à notitiis.

EPISCOPI THINEOS *ſeu* PTOLEMAIDIS.

AMMONIUS *Meletianus.*

MELETIUS in breviario *Ammonium in Dioſpoli & in Ptolemaïde* à ſe conſtitutum epiſcopum ſcripſit, Ἀμμώνιος ἐν Διοσπόλει, Α ἐν Πτολεμαΐδι.

I. HERACLIDES.

Inter ſynodi Epheſinæ primæ patres ſedit & ſubſcripſit *Heraclides epiſcopus parœciæ Thyneos.* Ἡρακλείδης ἐπίσκοπος παροικίας Θινέως.

I. ISAAC.

Epiſtolæ epiſcoporum Ægyptiacæ diœceſis ad Leonem imperatorem de nece ſancti Proterii Alexandrini ſubſcripſit *Iſaac epiſcopus Thineos:* qui ſubcripſit quoque decreto ſynodico Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis Ἰσαὰκ Θινέως, *Iſaac Thyneos.*

II. ECCLESIA COPTI.

COPTOS, Plinio lib. 5. cap. 9. Indicarum Arabicarumque mercium Nilo proximum emporium; de qua Strabo lib. 16. *Arabicæ merces*, inquit, *in Muris portum, poſtea camelis Coptum Thebaïcam tranſcendunt, inde Alexandriam per Nili foſſam.* Rurſum lib. 17. prope Tentyra eſt *foſſa quæ Coptum defert, in communem & Ægyptiorum & Arabum urbem. Deinceps eſt iſthmus* (ſeu ſtrata molibus aggeribuſque via) *in mare Rubrum porrectus, juxta Berenicen urbem, quæ etſi ſine portu eſt, tamen ob opportunitatem iſthmi idonea diverſoria habet. Aiunt Philadelphum primo viam hanc exercitu aperuiſſe, quum ſicca eſſet, ac manſiones conſtituiſſe, tam iis qui pedibus iter agerent, quam camelis: idque effeciſſe, quoniam mare Rubrum difficulter navigaretur, ex Arabico receſſu præſertim. Enimvero experientia magnam utilitatem ejus demonſtravit, nuncque totum Indicum & Arabicum vectigal, quod Arabico ſinu advehitur, Coptum defertur, quæ ejuſmodi mercium emporium eſt. Non procul à Berenice eſt Muris ſtatio, ſeu portus maris Rubri è regione Copti.* Multa hæc exſcripſi quibus Coptus civitas admodum commendatur, quæ Coptitæ nomi caput eſt Ptolemæo, inter clariores Thebaïdis cenſita Ammiano. Hanc in ſecunda Thebaïde habet Hierocles, necnon notitia vetus altera, in qua & Juſtinianopolis appellatur. Κοπτὼ (ſive potius Κόπτω) hodie *Kefi* dicitur, circa quam multa virorum & mulierum monaſteria decimo quoque tertio ſæculo exiſtebant, ut doctiſſimus mihi Renaudotius auctor eſt in diatriba de Patriarcha Alexandrino p. 454.

EPISCOPI COPTI.

THEODORUS *Meletianus.*

IN breviario Meletii comperimus ab eo ordinatum epiſcopum eſſe *Theodorum in Copto*, Θεόδωρος ἐν Κόπτῳ.

I. PHŒBAMMON.

Synodo Epheſinæ interfuit *Phœbammon epiſcopus Copti Thebaïdis*, Φοιβάμμων ἐπίσκοπος Κόπτου τῆς Θηβαΐδος, ſententiamque dixit adverſus Neſtorium.

II. SABINUS.

Epiſcoporum Ægypti, qui in concilio Chalcedonenſi damnationi Dioſcori, epiſtolæ Leonis Papæ ad Flavianum, definitionique fidei ſuffragari detrectarunt, & illuſoriæ fidei ſuæ formulæ ſubſcripſerunt, unus fuit A *Sabinus Coptitarum epiſcopus*, Σαβῖνος ἐπίσκοπος Κοπτιτῶν.

III. VINCENTIUS.

Coptitæ Chriſtiani *Vincentium* Copti epiſcopum multi faciunt, uti canonicorum quæ Arabice apud eos exſtant, auctorem & Mohammediſmo anteriorem, Renaudotio clariſſimo iterum teſte lib. 4. de Perpetuit. fid. B Euchariſt. t. 4. p. 138. & Diſſert. de Patriarcha Alexandrino. p. 454.

IV. MOSES.

Inter codices Copticos qui à Joſepho Simonio Aſſemano Maronita Romam nuper advecti ſunt, decimus-quintus, eodem Aſſemano teſte, continet *Moſis urbis Copti epiſcopi* in *Biſentium* ſeu *Vincentium* ejuſdem urbis epiſcopum encomium.

****

III. ECCLESIA TENTYRORUM.

TENTYRA Τέντυρα, quin etiam Τέντυρις *Tentyris*, Thebaïdis civitas & Tentyritæ nomi caput Ptolemæo & Plinio. Secundæ cenſetur in utraque notitia, ad Nili lævam partem jacebat, ultra Abydum & Dioſpolim parvam. Tentyritæ inimiciſſimi Crocodilis fuerunt, quos Ægyptii alii ceu numen quoddam venerarentur; Venerem vero colebant. Quæ pluribus Strabo proſequitur. In ea regione celebre fuit S. Pachomii Tabennenſe monaſterium. Arabibus *Dendera* dicitur.

EPISCOPI TENTYRORUM.

PACHYMES *Meletianus.*

MELETIUS in breviario *Pachymem in Tentyris & in Maximianopoli* à ſe ordinatum C epiſcopum ſcripſit, Παχύμης ἐν Τεντύραις, ἐν Μαξιμιανουπόλει.

In indice epiſcoporum qui Nicæno concilio interfuerunt, de provincia Ægypti, ſed non de Thebaïde, legitur in quibuſdam codicibus *Tiberius Temerytes*, in aliis *Tarichites*, in quibuſdam *Teucirenſis*, quam lectionem eſſe potiorem puto, quia *Teuchira* Cyrenaïcæ D civitas epiſcopalis fuit, aliàs Arſinoë appellata, de qua ſuo loco dicetur.

I. SAPRION.

Quo tempore S. Pachomius angelicam ſuam vivendi rationem inſtituit, *Aprion Saprion*-ve, ſeu potius, ut mox oſtendam, *Serapion* auctor illi fuit, ut in deſerto loco intra Tentyrenſis parœciæ fines eccleſiam cum cœnobio conſtrueret; inſuper & Athanaſio Thebaïdis eccleſias & monaſteria luſtranti ſuggeſſit, ut eumdem Pachomium presbyterum crearet. Quod fertur in Pachomii vita num. 20. Aprionis ſeu Saprionis epiſcopi meminit Athanaſius in apologia de fuga ſua; atque à quibuſdam Aprianus ille exiſtimatur, qui Sardicenſi concilio interfuit. Cæterum in textu Græco vitæ S. Pachomii non *Aprion*, nec *Aprianus*, nec *Saprion* ſcribitur, ſed *Serapion*. Eccleſiam conſtruxit S. Pachomius, *non ſuopte conſilio*, inquit vitæ illius ſcriptor, *ſed Serapionis Tentyrorum eccleſiæ epiſcopi*, τοῦτο δὲ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐκ ἐποίησεν, ἀλλὰ γνώμῃ τοῦ Σεραπίωνος τοῦ τῆς Τεντύρων ἐκκλησίας ἐπισκόπου.

II. JOANNES *Jacobita.*

Anno 1086. in conventu epiſcoporum, qui Cahiræ coram Viziro propter Cyrillum II. patriarcham Jacobitarum, ejuſque familiares habitus eſt, ſedebat *Joannes Dendera*. Hiſt. Patr. Alex. p. 458.

ECCLESIA

IV. ECCLESIA MAXIMIANOPOLIS.

MAXIMIANOPOLIM in Thebaïde ſecunda habet utraque notitia, à Maximiano utique Galerio Imper. dictam. Nulla mihi ejus apud alios auctores mentio, niſi in breviario Meletii, quo perhibuit ſe Tentyris & Maximianopoli Pachymen ordinaſſe. Παχύμης ἐν Τεντύραις, ἐν Μαξιμιανόπολι.

V. ECCLESIA LATOPOLIS.

LATOPOLIM in Thebaïde nobis exhibet Ptolemæus πόλις Λάτων, *civitas Latorum*; atque in Hermonthide nomo collocat, ad ſiniſtram ſive Occiduam Nili ripam, ultra Tentyra. Straboni poſt Crocodilorum urbem, ſive Arſinoën, Aphroditopolim, ſeu Veneris civitatem ſequitur *Latopolis quæ Palladem & Latum colit*, Λατόπολις τιμῶσα Ἀθηνᾶν ϗ τὸν Λάτον. Eſt autem *Latus* ille piſcis quidam qui eximiæ magnitudinis in Nilo invenitur circa Latopolim præ cæteris locis, teſte Athenæo lib. 7. c. 17. Thebaïdis ſecundæ cenſetur Latopolis in utraque notitia, & in Græca veteri ſcribitur Ἀπὸ *Leto*. Hodie Arabibus *Aſna* dicitur, civitas quoque epiſcopalis.

EPISCOPI LATOPOLIS.

ISAAC *Meletianus.*

IN breviario Meletii legitur Ισαὰκ ἐν Ἀπῶ, *Iſaac in Leto*, vel *Latona*, qui & Euſebianos ad Philippopolitanum conventum ſequutus eſt, eorumque epiſtolæ ad Africæ epiſcopos A ſubſcripſit. Utri Latopoli ſit aſſignandus, incertum prorſus eſt. De eo dictum in Latopoli altera. Quinetiam de Paulo, Timotheo & Appelle, qui alterutrius Latopolis epiſcopi fuerunt.

I. AMMONIUS.

Diocletiano vel Maximino Chriſtianos inſectante, *Ammonius epiſcopus Aſnæ*, ſive Latopolis Thebaïdis ſedebat, cujus dictum quoddam ad Arrianum Ægypti præfectum Joannes epiſcopus Oſiut recitabat in actis Martyr. quæ Arabicè conſcripſit. Abraham Ecchellenſis horum actorum exemplar Pariſiis in bibliotheca Gilberti Gaulmini à ſe viſum ait in lib. de origine nominis Papæ pag. 483.

II. THEODORUS *Jacobita.*

Inter epiſcopos Thebaïdis qui Cahiram convenerant propter Cyrilli II. patriarchæ Jacobitarum familiarium proterviam cohibendam, *Theodorus Aſnæ* ſive Latopolis cenſetur. Hiſt. Patr. Alex. pag. 458.

VI. ECCLESIA HERMONTHIS.

HERMONTHIS Thebaïdis ſecundæ civitas eſt in notitia veteri, non ignota Straboni, cui *Hermuthis* dicitur, quamquam in Latina ejus tranſlatione *Hermonthis* etiam ſcribatur: *Poſt Thebas*, inquit, *eſt Hermonthis civitas, in qua Apollo & Jupiter coluntur: hic etiam bos alitur*, Apis ſcilicet; μετὰ δὲ Θήβας Ἑρμωνθὶς πόλις ἐν ᾗ ὅ τε Ἀπόλλων τιμᾶται, καὶ ὁ Ζεύς· τρέφεται δὲ καὶ ἐν ταύτῃ βοῦς. Hermonthitem nomum & Hermonthim habet quoque Ptolemæus, quæ hodie *Harment* dicitur, ſedes olim epiſcopalis.

EPISCOPI HERMONTHIS.

CALES *Meletianus.*

IN breviario Meletii *Cales in Hermethi*, B Κάλης ἐν Ἑρμεθὶ ab eo conſtitutus epiſcopus legitur, poſt Theodorum Copti & in Thebaïde. Ubi Ἑρμεθὶ ſcriptum pro Ἑρμονθί.

I. PLENES.

Expoſitioni fidei clericorum Ancyranæ eccleſiæ quam Eugenius diaconus Athanaſio magno obtulit, ſubſcripſit Πλήνης ἐπίσκοπος Ἑρμοθιὲ, lego Ἑρμοθὶς vel Ἑρμονθὶς, *Plenes epiſcopus Hermothis.*

II. BASILIUS *Jacobita.*

III. PAMON *Jacobita.*

Pamon neſcio quis ad Chriſtodulum Patriarcham Emiri ſeu Præfecti Ægypti litteras attulit, jubentis ut eum epiſcopum crearet, falſum addens nuntium, epiſcopum Arment

ECCLESIA HERMONTHIS

Baſilium diem obiiſſe, ad quam eccleſiam cum Chriſtodulus deſignavit. Ille ad urbem Arment veniens in vivis cum adhuc ſuperſtitem reperit, caritate apud cives ſuos commendatiſſimum. Quocirca *Pamon* cum epiſcopo Batu, ſive Buti, in Nubiam perrexit, unde reverſus in Ægyptum, in pago quodam civitati Arment vicino quem Dimocrat appellabant, habitavit. Baſilio ſubinde mortuo, ea in eccleſia Pamon receptus demum fuit anno Martyrum 797. Chriſti 1081. Poſt de antiquitate & præcellentia contendit cum Theodoro epiſcopo Kus, à quo Pamon ipſe in epiſcopali ſede poſt Baſilii obitum collocatus erat. Duravit jurgium uſque ad tempora Cyrilli qui Chriſtodulo ſucceſſit, qui prærogativam honoris epiſcopo Arment adjudicavit, quia à Chriſtodulo pontifex factus fuerat ante Theodorum, ex quo tempore nomen ejus in epiſcoporum albo deſcriptum erat. Obiit itaque Baſilius anno Chr. 1081. Pamon vero adfuiſſe legitur illi conventui qui anno 1086. coram Viziro habitus eſt ad coërcendam quorumdam Cyrilli Patriarchæ familiarium proterviam. Hiſtor. Patr. Alex. pag. 436. & 458.

VII. ECCLESIA THEBARUM, *ſive* DIOSPOLIS *magnæ.*

THEBIS Ægyptiacis nihil veteribus notius, quarum centum portæ erant, unde ἑκατόμπυλοι dictæ ſunt. Civitas hæc priſcorum Ægypti regum ſedes fuit, quam Cambyſes Perſarum rex primum mutilavit, Cornelius vero Gallus poſt pugnam Actiacam diruit; ita ut Strabonis ætate *vicatim habitaretur; ac pars quidem eſſet in Arabia,* ſive *Memnonium oraculum ad Nili latus dextrum, pars etiam in ulteriore regione,* ubi Dioſpolis ſeu civitas Jovis appellata eſt, Ammonis ſcilicet qui in ea præſertim colebatur; hinc Dioſpolites nomus. In notitia veteri Græca Thebaïdis ſecundæ civitas eſt *Thebaïs* Θηβαΐς ſeu *Theba*, quæ Arabibus *Hou* nominata fuit. Sæculo nono ejus epiſcopus Melchiticæ eccleſiæ metropoliticis honoribus ornabatur.

EPISCOPI THEBARUM.

I. MELETIUS *Arianus.*

NICETAS Choniates lib. 5. Theſauri orthodoxæ fidei cap. 7. inter epiſcopos Ægypti qui Ario adhæſerunt, ex Philoſtorgio numerat *Meletium ex Thebis Ægyptiis.*

II. HERON.

Philoſtorgius lib. 7. Theophanes & chronicon Alexandrinum narrant ſub Juliano Apoſtata *Herouem* Thebaïdis epiſcopum Ἥρων ἐπίσκοπος Θηβαΐδος, quum Antiochiæ ageret à Chriſtiana religione impiè defeciſſe, paulo-poſt vero diſſolutis putreſcentibuſque, ulciſcente Deo, membris in plateam projectum, cunctis ſpectantibus exſpiraſſe.

III. STEPHANUS *Melchita.*

In epiſtola Michaëlis II. Patriarchæ Melchitarum Alexandrini ad Photium, quæ lecta eſt in ſynodo in qua de ejuſdem Photii reſtitutione poſt S. Ignatii Conſtantinopolitani obitum tractatus habitus eſt, mentio fit Stephani metropolitæ Thebarum, quem ille ad ſuam ſynodum accerſiverat, καὶ Στέφανον Θηβῶν.

IV. KALTA *Jacobita.*

Anno 1086. conventui qui Cahiræ habitus eſt coram Viziro Cyrilli Patriarchæ Jacobitarum ejuſque familiarium cauſa, aderat *Kalta Houæ.* Hiſt. Patr. Alex. p. 458.

VIII. ECCLESIA TERENUTHIDIS.

TERENUTHIS ſecundæ Thebaïdis oppidum fuit, cujus in vitis Patrum ſua mentio eſt, ut quod Mazicum barbarorum excurſionibus pateret, Sceti deſerto vicinum in Occidua & Libyca proinde Nili parte. Τριμύθων, *Trimuthon* ſcribitur in veteri notitia Græca; apud Hieroclem vero pejori errore Ἐρέσβυθος, *Ereſbythos.* Vanſlebio hodie *Tarane,* Coptice *Taramut* dicitur, eſtque viculus ad Occidentale fluvii latus in regione Behiræ, viginti quatuor leucis Cahira diſtans, ubi è navibus exſcendunt illi qui ad monaſteria viſenda pergunt.

EPISCOPI TERENUTHIDIS.

I. ARSINTHIUS.

THEOPHILUS Alexandrinus in fine homiliæ ſuæ Paſchalis tertiæ *Arſinthium* à ſe in Terenuthide ordinatum perhibet. Quidni Arſenium legamus?

Digitized by Google

II. Eulogius.

Epheſinæ ſynodo primæ adfuit & ſubſcripſit *Eulogius epiſcopus Terenuthidis*, Εὐλόγιος ἐπίσκοπος Τερενουθίδος, vel Τερενούθεως; *Terenuthis*.

ECCLESIA TERENUTHIDIS.

IX. ECCLESIA PHILARUM.

PHILAS Ptolemæus ſtatuit ultra Syenen in *Dodecaſchœno*, Strabo aliquantùm ultra catarractem; *communemque Æthiopum & Ægyptiorum habitationem, ſtructam quemadmodum Elephantinam, & pari magnitudine, in qua accipiter colebatur à noſtris & Ægyptiacis diverſus. Nos Philas*, ait idem Strabo, *ex Syene in plauſtro venimus per campum valde planum centum ſtadiorum ſpatio*. Heliodorus quoque lib. 8. Æthiopicorum initio, *urbem Philas ad Nilum ſitam eſſe teſtatur paululum ſupra minores catarractas, à Syene vero & Elephantina centum circiter ſtadiis diſtare*. Seneca lib. 4. quæſt. natur. cap 2. Philas inſulam eſſe ait. *Nilus magnas ſolitudines pervagatus, & in paludes diffuſus, gentibus ſparſus circa Philas primum ex vago & errante colligitur. Philæ inſula eſt aſpera & undique prærupta: duobus in unum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur & ejus nomen ferunt. Urbem totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis quam violentus, egreſſus Æthiopiam, arenaſque per quas iter ad commercia Indici maris eſt, prælabitur. Excipiunt eum catarractæ nobilis inſigni ſpectaculo locus.* Hierocles in notitia habet Φίλαι pro Φίλαι. Melius ex Herodoto legendum puto Φίλα *Phila*, ut Ægyptiaca vox ſit potius quam Græca: atque inſulam eſſe ait in medio paludis magnæ Tritonidis. Lib. 4. cap. 178.

EPISCOPI PHILARUM.

I. Marcus.

Synodo Alexandrinæ quam Conſtantio Imp. mortuo, anno 362. celebravit Athanaſius, adfuit & epiſtolæ ad Antiochenos ſubſcripſit *Marcus Philarum epiſcopus* Μάρκος Φιλῶν.

A

X. ECCLESIA OMBORUM.

SYENEN verſus, *Ombros* ponit Ptolemæus, Ὄμβροι, Hierocles in Thebaïde ſecunda Ombros quoque habet Ὄμβροι. Ombitem vero nomum inter Thebaïdis præfecturas recenſet Plinius, & Antoninus in Itinerario *Ombos* ſcripſit; quo ſpectat lectio mendoſa Ἰάμβων *Iamborum* in notitia altera veteri Græca pro Ὄμβων; Vanſlebius hanc eſſe ipſam ait quæ Arabibus *Adfa* dicta eſt.

EPISCOPI OMBORUM.

I. Silvanus.

II. Verres.

Binos Omborum epiſcopos nobis indicat Theophilus Alexandrinus in fine Homiliæ ſuæ Paſchalis 1. *In Omboes* (ſic) *pro Silvano; Verrem.*

XI. ECCLESIA SYENES.

QUam veteres *Syenen*, hanc Arabes *Aſowanam* dixere, quæ Strabone teſte, in Æthiopiæ & Ægypti finibus fuit, utriuſque ſcilicet regionis terminus, quod etiam perhibet Plinius. Turris Syenes meminit Ezechiël, cap. 29. v. 10.

EPISCOPI SYENES.

I. Ammonius *Martyr*.

ANTINOI in Ægypto paſſus eſt *S. Ammonius epiſcopus Syenes*, illicque ſepultus, ubi exſtat ejus nomine eccleſia, quam Mohammedani Chriſtianis abſtulerunt. Ex Sicardi Jeſuitæ epiſtola ad Sereniſſimum principem comitem Toloſanum ſcripta die prima Junii anno 1716. pag. 246.

B

II. Befam *Jacobita*.

Sæculo undecimo labente anno 1086. inter epiſcopos Sahid ſive Thebaïdis, qui Miſram Viziro præcipiente propter Cyrilli Patriarchæ familiares convenerant, ſedebat *Beſam Aſowanæ*. Hiſt. Patr. Alex. p. 458.

Digitized by Google

XII.

ECCLESIA PSYNCHUS.

PSYNCHUM urbem diœceſis Ægypti epiſcopalem repræſentant nobis ſynodorum Epheſinæ & Chalcedonenſis acta, quam in nulla notitia, nec apud auctores alios reperire potui. Ipſa tamen mihi fuiſſe videtur Thebaïdis interioris civitas vel oppidum, quod Antonini Itinerarium *Pſelcim* nominat. *Contra Thmuim, contra Ombos, contra Suenen, Parembolem, Tzitzi, Taphis, Talmis, Tutzis, Pſelcim, Corte, Hieraſycaminon.* Rurſum ubi iter per partem Arabicam: *Contra Nilum, contra Pſelcim, contra Talmis.* In tabulis Peutingerianis *Spelci* ſcribitur.

EPISCOPI PSYNCHUS.

I. THEON.

ADfuit ſynodo Epheſinæ priori inter epiſcopos Ægypti *Theon epiſcopus Pſynchûs*, Θεὼν Ψυσχῦς, qui Theonas nominatur in ſubſcriptionibus, Θεωνᾶς ἐπίσκοπος Ψυσχῦς, *Theonas epiſcopus Pſynchûs*.

II. JOANNES.

Ad ſynodum Chalcedonenſem cum Dioſcoro Alexandrino venit *Joannes epiſcopus Pſynchæorum* ſive *Pſynchûs*, Ἰωάννης Ψυσχαίων.
A Act. 4. libellum fidei parum ſinceræ Patribus cum duodecim ſociis ſuis exhibuit, cui ſubſcripſerat Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ψυσχῦς, *Joannes epiſcopus Pſynchûs*. Nec latæ in Dioſcorum ſententiæ, nec epiſtolæ Leonis Papæ ad Flavianum Conſtantinopolitanum, nec definitioni veræ fidei quam concilium edidit, ullo pacto ſubſcribere aut ſuffragari voluit.

Digitized by Google

VIII. PROVINCIA LYBIÆ PENTAPOLIS.

I. ECCLESIA SOZYSÆ.

SOZYSA Hierocli & in veteri notitia Libyæ prima civitas eſt : non vero metropolis eccleſiaſtica, uti nec Ptolemaïs, quando in tota diœceſi Alexandrina ſolus Alexandrinus Pontifex metropoliticis juribus utebatur. Nec Syneſius Ptolemaïdis epiſcopus rerum ſuæ provinciæ aliquando curam habuit, niſi ſpeciali Theophili Alexandrini delegatione fungens. Id quod apertè ſignificabat epiſtola 67. ubi accepta Alexandrini throni juſſione Palæbiſcum & Hydracen ſe perveniſſe Theophilo ſcribebat, ubi epiſcopus erat ordinandus. Cæterum Sozyſæ Libyæ rariſſima eſt apud auctores mentio.

EPISCOPI SOZYSÆ.

I. HELIODORUS.

ARIANÆ factionis epiſcopus fuit *Heliodorus epiſcopus Sozuzæ Pentapolis*, qui ſubſcripſit formulæ hæreticæ Georgii Alexandrini, & Acacii Cæſarienſis in concilio Seleucienſi, Ἡλιόδωρος ἐπίσκοπος Σωζύσης Πενταπόλεως. Unde quum Conſtantinopolim veniſſet, habita illic Acacianæ factionis ſynodo proſcriptus ab ipſis fuit cum Sera Parætonii & Stephano Ptolemaïdis, quod ſententiæ quam in Aëtium Anomœum tulerant ſuffragari noluiſſet. Vide infra in Sera Parætonii.

II. ZOSIMUS.

A Inter Ægyptiacæ diœceſis epiſcopos in ſecunda ſynodo Epheſina ſedit, impiiſque Dioſcori conſiliis annuit & ſubſcripſit *Zoſymus Sozyſæ*, Ζωσίμου Σωζύσης; qui & Soſias ſcribitur Σωσίας ἐπίσκοπος Σωζύσης, *Soſias epiſcopus Sozuſæ*.

II. ECCLESIA PTOLEMAIDIS.

PTOLEMAIDIS Cyrenaïcæ nomen aliud fuit Barce, ut Strabo & Plinius ferunt. Ille quidem : *Poſt Berenicen & Barce*, inquit, *quæ poſtmodum Ptolemais audivit* : Hic vero, & deinde (ab Arſinoe) *Ptolemaïs antiquo nomine Barce, XXII. M. paſſ.* At Ptolemæus in coſmographia Barcen à Ptolemaïde disjungit, & in mediterranea ſeptimam collocat, non in maritima, ubi Arſinoë, quæ & Teuchira, *Ptolemaïs inſignis civitas*, ἐπίσημος Πτολεμαΐς. Poſt à claritudine ſua deſcivit, inſtaurata à Juſtiniano, Procopio teſte lib. 6. de Ædif. c. 2. *Ptolemaïs*, inquit, *beata quidem olim & frequens, ſed progrediente tempore ad infrequentiam ob aquæ penuriam redacta eſt, civibus ſiti jampridem aliò abſcedere compulſis. At nunc Imperator noſter reſtaurato urbis aquæ-ductu, priſtinam felicitatis faciem ei reſtituit.*

EPISCOPI PTOLEMAIDIS.

I. BASILIDES.

PTOLEMAIDIS eccleſiæ epiſcopum fuiſſe B Irenſeo *Baſilidem, cui parœciarum Pentapolis antiſtiti*, Βασιλίδῃ τῷ τῶν κατὰ Πεντάπολιν παροικιῶν ἐπισκόπῳ, Dionyſius Alexandrinus epiſtola ſignificavit ſe commentarium in Eccleſiaſten ſcripſiſſe. Euſeb. lib. 7. Hiſt. cap. 26.

II. THEODORUS *Martyr.*

Martyrologium Romanum poſt alia vetera, Hieronymianum, Uſuardi, Adonis & Bedæ die 26. Martii ſic habet : *Pentapoli in Libya natalis SS. Martyrum Theodori epiſcopi, Irenæi diaconi, Serapionis & Ammonii*, qui Ptolemaïdenſi eccleſiæ perinde aſſignandi ſunt, atque Secundus ille de quo modo dicetur, qui quum Ptolemaïdis epiſcopus eſſet Arianus, *Pentapolitanus, & Pſeudopentapolitanus* à Catholicis eſt appellatus.

III. SECUNDUS *Arianus.*

E præcipuis Arii impii patronis *Secundus*

ECCLESIA PTOLEMAIDIS.

fuit Ptolemaïdis Pentapolis epiſcopus, qui ob hæreſim ab Alexandro arch. exauctoratus fuit A cum Theona Marmaricæ, quæ ſententia à Nicæna ſynodo confirmata fuit, quum formulæ fidei quæ in ea edita fuit, ſubſcribere renuiſſet, à qua pertinacia ſua nunquam deſcivit. Unde indignis laudibus extolli meruit à Philoſtorgio Ariano. In indice Patrum hujus ſanctiſſimi concilii legitur ejus nomen *Secundus Ptolemaïdis*. Eum ſedi ſuæ ab Euſebianis reſtitutum tradit Athanaſius orat. 1. contra Arianos, *cui enim ignotum*, inquit, *Secundum Pentapolitam ſæpe jampridem proſcriptum ab eis admiſſum eſſe*, ὅτι διὰ τὴν τῆς Ἀρείου μανίαν, Σέκουνδος μὲν ὁ Πενταπολίτης, ὁ πάλαι πολλάκις καθαιρεθεὶς, ἐδέχθη παρ' αὐτῶν. B Epiſtola ad ſolitarios truculentæ hominis indolis ſpecimen affert, preſbyteri cujuſdam, cui Secundo perinde nomen eſſet, necem recitans. *Secundus ille per omnia nequiſſimus Pentapolites*, Σέκουνδος ὁ παγκάκιστος Πενταπολίτης, *ejuſque conjurationis ſocius Stephanus non ignari ſe de quavis injuria, ob hæreſis gratiam excuſationem nacturos, Barcæ in quemdam preſbyterum offendentes, Secundo quidem cognominem, ſed fide diſſimillimum, ipſiſque non obtemperantem, calcibus obtrivum C interfecerunt. Qui quum occideretur, ſanctum imitatus, ſic loquutus eſt: nemo me apud judicem vindicet: habeo vindicem Dominum Jeſum pro cujus nomine iſta patior.* Quod facinus in ipſa quadrageſima patratum ſubdit, quo tempore Georgius Alexandrinæ eccleſiæ tyrannus per Ægyptum graſſabatur. Secundum hunc *Pentapolitem* perinde appellat Epiphanius hær. 69. Catholicum Ptolemaïdis à Nicæni concilii tempore epiſcopum neſcimus.

IV. STEPHANUS *Arianus*.

Secundo illo Ariano defuncto, ſuffectus illi fuit *Stephanus* à Georgio Alexandrino, cui comes adfuit in ſynodo Seleucienſi, ejuſque formulæ fidei hæreticæ ſubſcripſit: Στέφανος ἐπίσκοπος Πτολεμαΐδος Λιβύης, *Stephanus epiſcopus Ptolemaïdis Libyæ*. Epiph. hær. 73. Nec dubium quin ipſe ſit Stephanus ille in preſbytero Barcæ interficiendo Secundi pridem ſocius, quem Athanaſius in epiſtola de ſynodis Arimini & Seleuciæ à Secundo per maximam ſynodum (Nicænam ſcilicet) exauctorato ſacerdotem factum perhibet, & E cum Acacianis poſtea in Seleucienſi concilio ſediſſe, *ex Libya quidem Stephanum, & Seiram, & Polydeucem*, ἀπὸ μὲν τῆς Λιβύης Στέφανον, καὶ Σείραν, καὶ Πολυδεύκην, *diverſorum criminum reos*. Mox vero ab iiſdem exauctoratus Stephanus fuit in conciliabulo Conſtantinopolitano cum Sera illo Paratonii, & Heliodoro Sozuſæ, quod damnare Aëtium nollent.

V. SIDERIUS.

Ptolemaïdis Pentapolitanæ circa hæc tempora epiſcopus fuit *Siderius*, ex Hydrace & Palæbiſca ab Athanaſio tranſlatus; poſt tamen ad utrumque vicum ſuum adminiſtrandum rediit. De hoc plura ubi de Hydrace & Palæbiſca, ex Syneſio Ptolemaïdis.

VI. SYNESIUS.

Ptolemaïdis à Theophilo Alexandrino epiſcopus creatus fuit *Syneſius*, Cyrene ex altera Pentapolis civitate oriundus, religione primum gentilis, ſubinde philoſophus Platonicus, qui patriæ ſuæ nomine ad Arcadium Imper. legatione functus eſt. Ut epiſcopale munus evitaret, alienum à fide reſurrectionis animum obtendit, aut ſaltem ſimulavit. Sed jam epiſcopo ordinato Theophilus ſæpe vices ſuas per Libyam ſecundam commiſit, propter eximiam ejus ſapientiam. Atqui anno 407. tertio ab obitu ſancti Joannis Chryſoſtomi, Ptolemaïdis epiſcopatum iniit, uti demonſtrat Petavius, ex ipſius 13. & 66. epiſtolis. Priore ſiquidem, quam anno 412. ſcripſit, ſignificat ſe nuper pontificatu donatum. Altera vero Theophilo ſcribebat, tertium jam annum agi, ex quo Joanni Chryſoſtomo, τοῦ μακαρίτου, *felicis memoriæ*, ejuſque fautoribus, à præcipuis orbis epiſcopis communio reddita erat. Liberos, ducta ante ſacerdotium uxore, procreaverat, nullus vero eorum in vivis ſupererat quo anno eccleſiæ ſuæ clavum ſuſcepit. Quo vivere deſierit anno, incerta res eſt. Varia reliquit ingenii monumenta, quæ doctiſſimus Petavius Græcè Latinèque edidit, & pereruditis annotationibus illuſtravit. Hunc D magni faciebat Iſidorus Peluſiota, quod litteris ad illum datis teſtificatus eſt. De Syneſio præter Photium & Suidam, legendi Evagrius lib. 1. Hiſtor. cap. 15. & Joannes Moſchus Prat. ſpirit. cap. 195.

VII. EVOPTIUS.

Syneſio frater & ſucceſſor fuit *Evoptius*, qui inter Epheſinæ ſynodi prioris patres ſedit, Εὐόπτιος ἐπίσκοπος Πτολεμαΐδος Πενταπόλεως, *Evoptius epiſcopus Ptolemaïdis Pentapolis*, qui bis ſententiam pro fide & contra Neſtorium dixit. Ad eum quoque Iſidorus Peluſiota epiſtolam ſcripſit 215. lib. 2. ſed & Cyrillus ipſe Alexandrinus eidem Evoptio nuncupavit duodecim capitulorum ſuorum contra Theodoretum defenſionem, quum ipſe Cyrillo antea miſiſſet Theodoreti in illa capitula tractatum. Id quod Liberatus perhibet c. 9. Breviarii: *Tunc & Evoptius Ptolemaïdis Pentapoleos regionis epiſcopus, accipiens exemplar litterarum Theodoreti, quas ſcripſerat contra*

duodecim capitula Cyrilli, direxit illud Cyrillo, ut reſponderet ad ea, & ſua capitula exponeret. Quod gratiſſimè ſuſcipiens Cyrillus, fecit interpretationem duodecim capitulorum ſuorum, &c. Quæ Liberatus refert ad tempora reconciliationis Cyrilli cum Joanne Antiocheno & Orientalibus, eruditi vero Epheſino concilio anteriora cenſent.

VIII. Georgius.

Quintæ ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit *Georgius epiſcopus Ptolemaïdis*, at non ſat certum, an Pentapolis: ac nequaquam, ut
A videtur, Ptolemaïdis Thebaïdis appellat.

IX. Gabriel.

Symeon Theſſalonicenſis reſponſiones complures ſcripſit ad quæſita *Gabriëlis Pentapolis archiepiſcopi*, quas Leo Allatius ſæpe in tractatu *de Miſſa Præſanctificatorum* appellat. Pentapolis Cyrenaïcæ præſulem fuiſſe Gabriëlem mihi certum eſt; quippe quæ archiepiſcopatus eſt ſub Melchitarum Patriarcha Alexandrino.

III. ECCLESIA CYRENES.

Ammianus Marcellinus, *In Pentapoli Libya*, inquit, *Cyrene poſita urbs antiqua, ſed quam Spartanus condidit Battus;* cujus nomen proprium Ariſtoteles fuit. De quo & Cyrenes exſtructione legendus Herodotus lib. 4. Strabo quoque. Item Plinius lib. 5. c. 5. *Cyrenaïca eadem Pentapolitana regio illuſtratur Ammonis oraculo, quod à Cyrene abeſt 400. M. paſſ. fonte ſolis: urbibus maxime quinque, Berenice, Arſinoë, Ptolemaïde, Apollonia, ipſa Cyrene*, Strabonis ætate inſignis maximaque erat Cyrene, ſed Ammiani ævo deſerta, velut & ſubinde Ptolemaïs. In campo poſita fuit qui menſæ formam referret, haud procul à mari. Quod Chriſtianam regionis & urbis religionem attinet, conjicere licet, eam initio prædicati Evangelii illuc invectam fuiſſe. Nam inter Judæos qui in feſto Pentecoſtes quo ſpiritus ſanctus in Apoſtolos illapſus eſt, Hieroſolymis in Chriſtum crediderunt, *qui habitabant partes Libyæ quæ eſt circa Cyrenen.* Inter prophetas & doctores Antiochenæ eccleſiæ quibus ſpiritus ſanctus præcepit uti Saulum & Barnabam ad prædicandum gentibus deſignarent, Lucius Cyrenenſis. Simonem Cyrenenſem patrem Alexandri & Ruſſi, qui crucem bajulare poſt Jeſum coactus eſt, ejus fide imbutum cum filiis fuiſſe extra dubium eſt. Marcus Evangeliſta ibidem prius concionatus eſt, quam Alexandriæ, quin & epiſcopos Cyrenaïcis dedit. Cyrene Arabibus *Cirwam* dicitur.

EPISCOPI CYRENENSES.

I. Lucius.

Quem modo dicebam Saulo & Barnabæ manus ad Evangelii prædicationem impoſuiſſe *Lucium* Cyrenenſem, in Martyrologiis Cyrenes epiſcopus fuiſſe fertur die 6. Maii. Romanum quidem habet: *Cyrenæ S. Lucii epiſcopi, quem S. Lucas in Actibus Apoſtolorum commemorat.* Adonis vero: *Item beati Lucii Cyrenenſis, qui apud Cyrenen primus epiſcopus à ſanctis Apoſtolis inſtitutus eſt, quem S. Lucas in Actibus Apoſtolorum commemorat.* Quo hæc auctore, incertum.

II. Theodorus.

Martyrologium Romanum, ex Menologio utique Græcorum, die 4. Julii hæc habet: *Cyrene in Libya S. Theodori epiſcopi, qui in perſequutione Diocletiani ſub Digniano præſide plumbatis cæſus, & lingua abſciſſa in pace tandem quievit.* Menologia memoriam ejus etiam recolunt die 20. Auguſti. At vero Theodorus hic idem omnino videtur eſſe, cujus mentio alibi quoque eſt in eodem Martyrologio Romano die 26. Martii in hæc verba:
B *Pentapoli in Libya natalis ſanctorum martyrum Theodori epiſcopi, Irenæi diaconi, Serapionis & Ammonii lectorum.* Eutychius Alexandrinus Patriarcha Theodorum martyrem ab epiſcopo ſecernit, quos ſub Licinio paſſos refert. *In diebus ejus* (Licinii) martyrio *functi ſunt Theodorus miles, & metropolita Barcæ.* tom. 1. pag 427.

III. Philo I.

Syneſius epiſtola 67. refert Siderium à *Philone* Cyrenes Palæbiſcæ & Hydracis conſtitutum fuiſſe Ariana hæreſi tunc furente,
C epiſcopum, nullis ad ordinationem adhibitis epiſcopis aliis, contra quam eccleſiæ leges ferunt, ac abſque Alexandrini præſulis nutu. Id quod ob iniquas temporis rationes Athanaſius magnus condonandum duxerat.

IV. Philo II.

Philonis illius prioris ſucceſſor *Philo* alter fuit, fratris illius filius, Syneſio teſte epiſtola 67. De ordinatione ſiquidem Siderii, quæ præter regulas patrata erat, verba faciens, hæc addit: *Μόνον γὰρ φασι δὴ τὸν μακάριον Φίλωνα*

ECCLESIA CYRENES.

θαρσῆσαι τῆς σωτηρίας ἀναῤῥήσειν. Φίλων ἐγένετο Κυρηναῖος, ὁ μὲν παλαιότερος, ὁ τοῦ νεωτέρου θεῖός τε καὶ ὁμώνυμος. *Etenim ſolus beatæ memoriæ Philo auſus eſt ſacerdotii ſui collegam (Siderium) conſtituere. Cyrenenſis Philo fuit antiquior, junioris patruus & cognominis. Cæteris quidem rebus ex præſcripto chriſtianæ diſciplinæ vivens, quod autem ad regendum attinet, audacior quam legum obſervantior. Verum enimvero ſermonis iſtius veniam à ſacra ſenis anima poſtulo. Hunc ſolum Siderium quum huc veniſſet, creaſſe & in throno collocaſſe ferunt. Sed formidoloſis temporibus ſummum jus prætermitti neceſſe eſt. Ideo magnum illum Athanaſium id tempori indulſiſſe audimus, &c.* Hæc Syneſius de utroque Philone epiſt. 67.

V. RUFUS.

A Tametſi Ammianus Marcellinus Cyrenen ſua ætate deſertam dixerit, ejus tamen epiſcopus *Rufus* Epheſino conciliabulo cum Dioſcoro Alexandrino adfuit, cunctis quæ ab eo inique geſta ſunt conſentiens. Ῥοῦφος ἐπίσκοπος Κυρήνης, *Rufus epiſcopus Cyrenes.*

VI. LEONTIUS.

Cyrenes ſæculo ſexto labente vel ſeptimo ineunte epiſcopus *Leontius* fuit ſub Eulogio Alexandrino vir catholiciſſimus, qui Joanni Moſcho Eucrati narravit, qua ratione Syneſius Ptolemaïdis Evagrium philoſophum ad fidem olim converterat, aliaque inſuper ad eumdem Evagrium ſpectantia. Quæ legenda cap. 193. Prat. ſpirit.

IV. ECCLESIA TEUCHIRORUM.

TEUCHIRA Hierocli & veteri notitiæ Græcæ Pentapolis Libyæ civitas, eadem quæ Arſinoë Ptolemæo. Sic & Strabo lib. 17. *Poſt Berenicen eſt urbs Teuchira quam Arſinoen vocant.* Plinius quoque lib. 5. cap. 5. *Abeſt ab ea* (Lepti) *Arſinoë Teuchira vocitata, 43. mill. paſſ.* Ammianus itidem: *Ptolemaïs & Arſinoë eadem quæ Teuchira.* Hanc Juſtinianus validiſſime munivit. Syneſius epiſtola 3. *Teuchira* dicit nomine plurali neutro, nec-non epiſtola 126.

EPISCOPI TEUCHIRORUM.

I. SECUNDUS.

PHILOSTORGIUS, Niceta Choniata teſte in Theſauro lib. 5. cap. 7. in hiſtoria inter illos qui ab Ario ſteterunt, ex ſuperiore Libya, præter Secundum Ptolemaïdis *Secundum Teuchirorum* numerabat: quem nullus dubito eum ipſum eſſe qui in indice Patrum Nicænorum *Secundus Tautinatenſis* mendosè prorſus ſcribitur inter epiſcopos Libyæ.

B

II. ZENO.

Synodo generali Epheſinæ adfuit & ſubſcripſit *Zeno epiſcopus Teuchirorum*, Ζήνων ἐπίσκοπος Τευχείρων.

V. ECCLESIA BERENICES.

BERENICE notiſſima civitas Pentapolis eſt, quam notitia utraque habet. Ptolemæus hanc *Heſperides* quoque dictam ait: Βερενίκη, ἡ καὶ Ἑσπερίδες. Ex quo apud Ammianum legendum puto, *Darnis & Berenice, quam Heſperidas appellant,* non *quas*. Plinius perinde ait: *Berenice in Sirtis extimo cornu eſt, quondam vocata Heſperidum ſupra dictarum vagantibus Græciæ fabulis.* Clarius Scylax, Ἑσπερίδες πόλις καὶ λιμὴν, *Heſperides urbs & portus*; ut à portu & urbe plurale nomen *Heſperides* natum ſit. Nam Pomponio Melæ urbs ſingulari vocabulo *Heſperis* dicitur. Ejus mœnia à fundamentis Juſtiniani Imp. juſſu refecta ſcribit Procopius lib. 6. de ædifi. cap. 6. Addit inſuper eumdem Principem in extremis finibus Pentapolis, qui ad Auſtrum vergunt, bina monaſteria, Agrilodem & Dinarthion, firmaſſe munitionibus adverſus Barbaros, ne clam irrumpentes regionem incurſarent de improviſo. Hodieque *Bernich* nominatur.

EPISCOPI BERENICES.

I. AMMON.

EUSEBIUS Cæſarienſis lib. 7. cap. 26. refert Dionyſium Alexandrinum in Sabellium Pentapolitanum hæreticum epiſtolam ſcripſiſſe *Ammoni epiſcopo Berenices*, πρὸς Ἀμμῶνα τὸν κατὰ τὴν Βερενίκην ἐκκλησίας ἐπίσκοπον, aliamque rurſum ad eumdem Ammonem & Euporum. Quibus Dionyſii litteris Ariani ſubinde peſſime abuſi ſunt. Sed legendus

C

Athanaſius

Athanaſius in ſua de ſententia *Dionyſii Alexandrini* epiſtola.

II. Dathes.

Inter epiſcopos qui Nicænæ ſynodo adfuerunt, occurrit *Dathes Berenices*, quem uti Secundum Ptolemaïdis, Secundum item Teuchirorum Arianicæ factionis fuiſſe Nicetas lib. 5. Theſ. cap. 7. ex Philoſtorgio prodit. A

III. Probatius.

Synodo quæ Conſtantinopoli habita eſt anno 394. in cauſa Agapii & Bagadii qui de Boſtrorum epiſcopatu contendebant, cum Theophilo Alexandrino aderat *Probatius Berenices*, Προβάτιος Βερενίκης.

VI. ECCLESIA BARCES.

BARCEN à Ptolemaïde disjungendam ſuperius, ubi de Ptolemaïde, diximus, propter Ptolemæi auctoritatem, qui Barcen in mediterraneis, & Ptolemaïdem ad mare collocat. Cui jam olim Scylax præiverat: *A portu Cyrenes*, inquit pag. 109. *ad Barces portum ſtadia quadringenta ſunt: Urbs vero Barcenſium à mari abeſt ſtadiis centum.* Ut proinde portus Ptolemaïs poſthac dictus ſit, Barce procul à mari in intimo receſſu poſita. Quid plura! Iiſdem ſynodis interfuerunt epiſcopi Barces & Ptolemaïdis.

EPISCOPI BARCES.

I. Zephyrius.

INter Patres Nicænos cenſetur *Zephyrius* vel *Zephyrus Barces*. Nicetas Choniates Zopirum ſcripſit, quem inter Arii ſectatores cenſet ex Philoſtorgio. Ex quo apparet Secundum Ptolemaïdis in hæreſim ſuam alios Pentapolis epiſcopos traxiſſe.

II. Zenobius.

Adfuit ſubſcripſitque Epheſinæ ſynodo generali priori *Zenobius epiſcopus Barces* B *Pentapolis*, Ζηνόβιος ἐπίσκοπος Βάρκης Πενταπόλεως.

III. Theodorus.

Ad alteram ſynodum Epheſinam venit; & pro Dioſcori votis Eutychem hæreticum abſolvit *Theodorus epiſcopus Barces*, Θεόδωρος ἐπίσκοπος Βάρκης.

VII. ECCLESIA ERYTHRI.

PTOLEMÆO teſte, in Pentapoli extitit Ερυθρὸν τόπος, *Erythron locus*, ad mare poſitus, ut civitas ejus ævo non fuerit: quæ tamen epiſcopi ſedes fuit, imo Apoſtolica ſancti Marci utique, inſtitutione, ſi Syneſio credamus, qui epiſt. 67. ſcribit Hydracem & Palæbiſcam vicos binos paterna & apoſtolica inſtitutione Erythrenſi eccleſiæ contributos eſſe, πατρῷον εἶναι καὶ ἀποστολικὸν, Ερυθρεῶδας εἶναι καὶ πάντας τὰς ἐκκλησίας. Valentis vero Imperatoris tempore epiſcopum illæ proprium nactæ ſunt, quamlibet ſynodi Sardicenſis ſtatuto ſexto prohibitum erat ne epiſcopi in vicis crearentur. Sed & alii quoque vici epiſcopalibus thronis in Pentapoli fruebantur, ut puta Zygri, Zogylis, Antiphra. Id quod in diœceſi Aſiana factum reperi, quin & in Africa.

EPISCOPI ERYTHRI.

I. Orion.

ERYTHRI ſæculo quarto epiſcopus erat C *Orion*, qui quum multos annos vixiſſet, ſeque propter affectam ætatem facilem nimis præberet, in Palæbiſcæ & Hydracis incolarum contemtum venit, qui hominis obitum non præſtolantes, epiſcopum ſibi Siderium dari obtinuerunt. Hæc Syneſius epiſt. 67. ubi & *Orionem beatum* appellat, πρὸς Ορίωνα τὸν μακάριον· qui addit Hydracis & Palæbiſcæ cives Pontifici ſuo Orioni convitiatos fuiſſe, quum putarent ſacerdotium humanis etiam in rebus ſibi præſidio & patrocinio eſſe oportere, & in negotiorum ſæcularium actis verſari.

II. Sabbatius.

III. Paulus.

Theophilus Alexandrinus ad calcem epiſtolæ ſeu homiliæ paſchalis 1. quam Hieronymus Latinè tranſtulit, *in Erythro pro Sabbatio Paulum* à ſe ordinatum ſcripſit. Atqui Syneſius epiſt. 67. Paulum hunc Theophili decreto Erythri datum epiſcopum refert, duobus illis vicis Hydrace & Palæbiſca, qui epiſcopum nuper Siderium habuerunt, Erythrenſi eccleſiæ reſtitutis. Addit ortam inter

Digitized by Google

627

ECCLESIA ERYTHR.

Paulum Erythritem, & Dioſcorum Dardanitem controverſiam de loco quodam edito, A quem Hydraci Dioſcorus ademerat, compoſitam à ſe fuiſſe; ut Paulus qui locum altari erecto conſecraverat, de ſententia epiſcoporum qui ob negotia particularia Ptolemaïde aderant, cauſa prorſus ceciderit. Hic vero Paulus Hydracis & Palæbiſcæ clerum & populum ſibi adeo devinxerat, ut proprium ſibi epiſcopum alterum à Syneſio deſignari noluerint. Quæ circa annum 411. contigiſſe videntur, ſub ipſis Syneſii epiſcopatus primordiis.

IV. Theophilus.

Ad concilium Chalcedonenſe venit cum Dioſcoro Alexandrino *Theophilus epiſcopus Erythri*, datoque cum duodecim aliis ejuſdem diœceſis antiſtitibus, ſubſcriptoque ambiguo fidei libello, latæ in Dioſcorum & Eutychem ſententiæ, epiſtolæ Leonis Papæ ad Flavianum Conſtantinopolitanum, & rectæ fidei definitioni ſubſcribere perinde cunctatus eſt.

VIII.
ECCLESIA HYDRACIS & PALÆBISCÆ.

HYDRAX, Ὕδραξ Ptolemæo nota fuit, qui Palæbiſcam omiſit, niſi ipſa ſit, quæ Ἀλίβακα *Alibaca* apud eum ſcribitur, quamque Hydraci ſubjungit; ſed non niſi vicos cenſet. In his Philo Cyrenes epiſcopus, tempore Arianicæ tyrannidis ſub Valente, epiſcopum præfecit ſolus, nullo, ut diximus alias, conſorte altero epiſcopo velut leges ferebant, Siderium, catholicus catholicum, cujus ſucceſſor ſubinde alius non fuit. Quod Syneſius epiſtola 67. Theophilo Alexandrino recitat: *Electus ab Hydraeis & Palæbiſcæ preſbyteris civibuſque Siderius, juvenis tunc eſſe videbatur, qui à Valentis Imp. exercitu veniebat, ut agros quos poſtulaverat adminiſtraret; ejuſmodi vir, qui & inimicis nocere, & amicis prodeſſe poſſet. Per id tempus hæreſis dominabatur. Hic proinde unus ſoluſque Palæbiſcæ creatus eſt epiſcopus; ſed nec ipſe legitime, imo contra jura omnia, quantum à ſenioribus accepi; quum neque Alexandria ſit, nec à tribus hic conſtitutus, quamvis illinc ordinandi facta poteſtas eſſet. Etenim ſolus beatæ memoriæ Philo auſus eſt collegam ſuum epiſcopum renuntiare. Cyrenenſis hic Philo fuit antiquior poſterioris patruus & cognominis. Cæteris quidem in rebus ex præſcripto Chriſtianæ diſciplinæ vivens; quod autem ad regendum & parendum attinet, audacior quam legum obſervantior. Verum enim vero ſermonis hujus veniam à ſacra ſenis anima poſtulo. Ab hoc ſolo quum huc veniſſet, beatum Siderium creatum ferunt, & in throno collocatum: ſed formidoloſis temporibus ſummum jus prætermitti neceſſe eſt. Ideo magnus ille Athanaſium id tempori dedit, ac non multo poſt, quum exiguam adhuc orthodoxæ fidei ſcintillam, quæ in Ptolemaïde erat, fovere magiſque ac magis oporteret accendere, hominem illum majoribus rebus gerendis idoneum eò commigrare juſſit, ut metropolitanam eccleſiam gubernaret. Sed illum ſenectus ad paganas eccleſias reduxit, ubi è vita diſcedens ſucceſſorem non habuit, qui ne ipſe quidem in locum alterius ſucceſſerat, Palæbiſca & Hydrace in antiquam formam redactis, & Erythro contributis, tui, ut aiunt, venerandi capitis decreto.* Quocirca Paulus, ut diximus, Erythrenſis, Hydracis & Palæbiſcæ eccleſias ſedi ſuæ Erythrenſi ſubjectas habuit, velut horum oppidorum clerici & incolæ poſtulaverant.

IX.
ECCLESIA BOREI.

BORIUM *Boreum*-ve promontorium, Βόρειον ἄκρον Ptolemæo, aliiſque Syrtis terminus eſt. Sunt qui Βορεῖον *Boræum* legant, quaſi Boreale. Ejus meminit Strabo, *ultra Berenicen eſt parvum promontorium nomine Borium* Βόρειον, *quod & Syrtis oſtium ad Cephalas facit.* Illic & Plinius lib. 5. cap. 4. *Promontorium quod majorem Syrtim includit, Borion appellatur.* Illic & urbs quam Procopius ſic deſcribit lib. 6. de ædif. cap. 2. *Eſt Borium urbs ultima Pentapolis ad Occidentem, ubi montes ita coëunt, ut ſibi invicem annuere videantur, & anguſtiis illis muniti hoſtem aditu excludunt. Urbem hanc mœnibus nudam munimento cinxit firmiſſimo Imperator* (Juſtinianus) *& cum omni circum regione ſecuriſſimam reddidit.... Urbs Borium Mauris barbaris vicina, ad hanc diem immunis fuit, neque ulli tributorum aut vectigalium exactores eo ivere poſt hominum memoriam. Judæi Borienſium veteres accolæ, templum habebant antiquum, quod apud ipſos in honore erat, conditum, ut ferunt, à Salomone Hebræorum rege. Illis omnibus ad Chriſtianam religionem traductis, Juſtinianus Imperator templum in eccleſiæ formam mutavit.*

Digitized by Google

EPISCOPI BOREI.

I. Sentianus.

NICETAS Choniates lib. 5. Theſ. cap. 7. A ex Philoſtorgio inter epiſcopos Libyæ Pentapolis qui Arii cauſam primitùs defenderant, *Sentianum* Borei numerat.

X. ECCLESIA OLBIÆ.

OLBIA, Syneſio teſte epiſt. 76. vicus Pentapolis fuit. Ὀλβιάτης, οὗτοι δὲ δῆμός εἰσι κωμῆτης, epiſcopali ſede honeſtatus, cujus curam Syneſius in ſe receperat.

EPISCOPI OLBIÆ.

I. Athamas.

II. Antonius.

DUos nobis Olbiæ epiſcopos repræſentat B Syneſius epiſtola ſua 76. Theophilo Alexandrino, cui ſcribit vico Olbiæ opus fuiſſe epiſcopi creatione, *quum beatiſſimus pater Athamas longa vita & ſacerdotio functus eſſet*, τοῦ μακαριωτάτου πατρὸς Ἀθάμαντος τὸν μακρὸν βίον τὴν ἱερωσύνην συγκαταλύσαντος· ſe vocatum pergit ad ſucceſſoris ejus inſtitutionem, atque hominibus illis gratulatum, quod unum è multis iiſque bonis omnibus elegiſſent; *ſed* C *multo magis Antonio, quod bonis melior judicatus eſſet*, πολὺ δὲ πλέον Ἀντωνίῳ συνῄδειν τῆς καλοκαγαθίας, ὃν ἐκ καλῶν ἔδοξεν εἶναι καλλίων: duos religioſiſſimos epiſcopos multitudinis ſententiæ adhæſiſſe, quibuſcum hic educatus, & quorum alterius manu presbyter creatus erat; ſibi vero nequaquam ignotum fuiſſe Antonium, quem de quibuſcumque noverat verbis & factis, de omnibus laudaſſet. Quocirca ſibi pergratum fore ſi hunc in epiſcopatu collegam habeat. *Unum igitur*, inquit, *opus eſt, ſacra tua ſcilicet manus*, ἑνὸς οὖν ἔτι δεῖ τοῦ χειροτονήσοντος μὲν ἔτι, τῆς ἱερᾶς σου χειρός.

III. Publius.

Epheſinæ ſynodo generali primæ adfuit inter Ægyptiacæ diœceſis pontifices, *Publius Olbiæ*, καὶ Πουβλίου Ὀλβίας, ut acta Græca ferunt, Latina quoque apud Marium Mercatorem. Quin etiam in ſubſcriptionibus Latinis novæ collectionis Conciliorum clar. Baluzii *Publius epiſcopus Olbiorum* legitur.

XI. ECCLESIA DYSTHIS.

DYSTHIS quam nonnulli eamdem eſſe autumant, quæ *Thintis* Ptolemæo ſcribitur, Libyæ Pentapolis cenſetur in actis Epheſinæ ſynodi, etſi in notitiis abeſt, ut augurari liceat merum fuiſſe vicum, ut Olbia, Hydrax, Palæbiſca, &c.

EPISCOPI DYSTHIS.

I. Samuel.

IN ſynodo Epheſina priori ſedit ſubſcripſit- D que *Samuël epiſcopus Dyſthis Pentapolis*, Σαμουὴλ ἐπίσκοπος Δύσθεως Πενταπόλεως.

II. Petrus.

Decreto ſynodico Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis ſubſcriptus fertur *Petrus epiſcopus Dyſthis*, Πέτρος ἐπίσκοπος Δύσθεως. Cujus utique Petri mentio fit in inſcriptione epiſtolæ 103. S. Leonis Papæ *ad epiſcopos Ægypti Conſtantinopoli conſtitutos*.

Digitized by Google

IX. PROVINCIA
LIBYÆ SECUNDÆ *ſeu* MARMARICÆ.

I. ECCLESIA DARDANIDIS.

PTOLEMÆO maritimarum Pentapolis urbium poſtrema poſt Zephyrum promontorium eſt Dardanis Δάρδανις, quam Ammianus Pentapoli attribuit, perinde atque Bereniceen, ac Darnidem vel Darnim vocat, *& Darnim & Bereniceen.* In veteri autem notitia Græca ſecundæ Ægyptiacæque Libyæ cenſetur, ſeu Marmaricæ, primaque ponitur: quinta quoque Darnis eſt Hierocli in eadem provincia. Ex epiſtola Synefii 67. ad Theophilum Alexandrinum, qua litem Pauli Erythrenſis cum Dioſcoro Dardanidis ob clivum apud Hydracem ſitum exortam, à ſe diremptam ſignificat, apparet eam ad Pentapolim quocumque modo pertinuiſſe.

EPISCOPI DARDANIDIS.

I. PISO.

EPiſtolæ Euſebianorum conventus Philippopolitani ad eccleſias Africæ ſubſcriptus legitur *Piſo epiſcopus à Vanis,* emendandum conjicio, *à Darnis,* dum melior altera lectio reperta erit. A

II. DIOSCORUS.

Dardanidis epiſcopum fuiſſe ſæculi quinti initio *Dioſcorum* comperimus ex Synefii epiſtola 67. Theophilo Alexandrino, in cujus parte ſecunda illius cum Paulo Erythri controverſiam de clivo apud Hydracem ſito, B quem quum Paulus ſibi comparaſſet, altare in eo erexerat, & eccleſiam exſtruxerat, ne ulla ſpes affulgeret Dioſcoro ejus unquam repetendi. Re ad epiſcopos qui Ptolemaïde aderant delata, Paulo ſibi à convitiis non ſatis temperante, Dioſcoro clivus eſt adjudicatus; qui ut adverſarium munificentia vinceret, clivo, vineiſque & olivetis quæ illic erant, in totum Paulo ceſſit.

III. DANIEL.

Epheſinæ ſynodo adfuit, epiſtolamque Cyrilli archiepiſcopi ad Neſtorium approbavit *Daniël epiſcopus Darnis,* Δανιὴλ ἐπίσκοπος Δάρνεως. In actis Latinis collectionis Baluzianæ dicitur *epiſcopus Dardaneorum & Dardaniæ.* Unus è quatuor epiſcopis fuit qui à ſynodo delegati ſunt ut tertiò Neſtorium convenirent, vadimoniumque ei denuntiarent; quique inſuper concilii nomine Maximiani in Conſtantinopolitanæ eccleſiæ Neſtorii loco epiſcopum promotioni interfuerunt.

IV. THEODORUS.

Joannes Moſchus Prati ſpirit. cap. 148. *Theodorum* Cellulanum Syncellum-ve ut Græci loquuntur, Eulogii Alexandrini, *Darnæ ſeu Darnis* epiſcopum eſſe factum refert, à quo nonnulla didicit ad Leonis Magni Papæ vitam ſpectantia.

II. ECCLESIA PARÆTONII.

PARÆTONIUM Παραιτόνιον, Hierocli Libyæ inferioris prima civitas, Strabone teſte maritima. *A Catabathmo,* inquit (magno ſcilicet Libyæ Pentapolis) *Paratonium uſque recta navigatione curſus eſt ſtadiorum 900. Civitas eſt & portus ingens 40. ſtadiorum. Hanc alii Paratonium, alii Ammoniam vocant.* Pomponio Melæ notus *Paratonius portus.* Parætonium bis nominat Plinius inter municipia parva & brevia. Hirtius Panſa de bello Alexandrino cap. 8. Florus Romanus lib. 4. cap. 11. duo Ægypti cornua eſſe ait *Paratonium & Peluſium.* Ammianus in ſicciore Libya tres iſtas civitates habet, *Paratonium, Chereclam & Neapolim,* quæ tamen Cyrenaïcæ attribuuntur à Ptolemæo. Hanc à Juſtiniano munitam refert Procopius lib. 6. de ædificiis cap. 2. *Magna Libyæ pars deſerta, quamvis nullo unquam numero habita ſit, attamen provida mente Imperator proſpiciens, ne quid detrimenti caperet ex Maurorum vicinorum*

Digitized by Google

excurſibus, geminas arces cum præſidiis ſtatuit, quarum alteram Paratonium appellant, alteram Antipyrgum, haud procul à Pentapoli ſitam. Cæterum Hieronymus in vita ſancti Hilarionis dixerat, eum quum Palæſtinorum honores fugeret, emenſo ſolitudinis itinere, *ad maritimam urbem Paratonium* perveniſſe.

ECCLESIA PARÆTONII.

EPISCOPI PARÆTONII.

I. TITUS.

INter Nicænæ ſynodi patres cenſetur in indice *Titus Paratonii* Libyæ inferioris.

II. SERAS *Arianus*, vel SIRAS.

A Georgio Alexandrinæ eccleſiæ pervaſore creatus *Seras* videtur, qui quum ad Seleucienſem ſynodum veniſſet Arianæ ejus fidei formulæ ſubſcripſit, Σέρας ἐκ Παραιτονίου τῆς Λιβύης, *Siras ex Paratonio Libyæ*. Epiph. hær. 73. n. 27. Mox vero à ſuæ factionis epiſcopis in conciliabulo ipſorum Conſtantinopolitano cum Aëtio proſcriptus fuit, utpote ejuſdem dogmatis impii particeps, tametſi Aëtium ipſe profanæ alterius ſententiæ accuſaviſſet. Quod illi ſignificant in ſynodica ſua ad Georgium Alexandrinum, quam Theodoretus refert lib. 2. histor. cap. 28. *Attamen contra vota noſtra, & contra expectationem Seras, Stephanus, Heliodorus, Theophilus & eorum ſocii neque noſtris ſunt ſuffragati ſententiis, nec ſuffragiis de eo latis ſubſcribere voluerunt, idque quum Seras ipſe aliud etiam audax facinus & inſaniæ plenum Aëtio* A *objectaret, eum nimirum temeraria audacia elatum affirmaſſe, Deum ſibi revelaſſe quæ ab Apoſtolorum temporibus occultaverat. Poſt quæ inſana & inſolentia verba, à Sera de Aëtio pro teſtimonio relata, ipſi quos ſupra nominavimus, ne precibus quidem adduci potuerunt, ſuaderique, ut in judicio de illo ferendo nobis ſuffragarentur. Ubi vero longo tempore expectando nullo modo eos inducere valuimus, ut noſtræ de Aëtio ſententiæ morem gererent, canonem eccleſiæ eorum amicitiæ anteponendum arbitrati, eos à communione eccleſiæ excludendos duximus, dato illis ad mutandam ſententiam,* B *& ad reſipiſcendum ſex menſium integrorum ſpatiô.*

III. CAIUS.

Interim ab Athanaſio Paratonii epiſcopatu donatus erat *Caius* catholicus, qui anno 362. ſynodo Alexandrinæ interfuit, ſubſcripſitque epiſtolæ ſynodicæ ad Antiochenos, Γαΐος ἐκ Παραιτονίου τῆς ἔγγιστα Λιβύης, *Caius ex Paratonio vicinæ Libyæ*, quin Caium quemdam ſynodo Sardicenſi inter Ægyptiacæ diœceſis epiſcopos ſubſcripſiſſe legimus.

III. ECCLESIA ANTIPYRGI.

ANTIPYRGUM portum habet Ptolemæus, Ἀντίπυργος λιμήν; habent & notitiæ in Libya inferiori. Apud Scylacem ſcribitur Ἀντίπυργος *Antipygo*, cui conſonant Peutingerianæ tabulæ & anonymus Ravennas. Hanc urbem vel oppidum munivit quoque Juſtinianus, velut in Paratonio dictum eſt.

EPISCOPI ANTIPYRGI.

I. ÆMILIANUS.

QUinto concilio generali interfuit *Æmilianus epiſcopus Antipyrgi*, qui unus fuit ex C epiſcopis quos Patres delegarunt, ut Vigilium Papam ad ſecum conveniendum invitarent. act. 1.

IV. ECCLESIA ANTIPHRORUM.

IN Libyæ nomi ora maritima *Antiphra vicum* ſtatuit Ptolemæus, Ἀντίφρα κώμη. Sic Strabo poſt Pedoniam inſulam quæ portum habet, deinde *Antiphræ paulò remotius à mari*, εἶτα Ἀντίφραι, μικρὸν ἀπωτέρω τῆς θαλάττης, ubi nomine femineo plurali utitur. Stephanus Byzantinus, *Antiphra* oppidulum prope Alexandriam, non procul à mari, ἡ πολὺ ἀπωτέρω θαλάττης. Hanc notitiæ non omiſerunt.

EPISCOPI ANTIPHRORUM.

I. SERAPION.

INter Patres Nicænos de provincia Libyæ legitur in indice *Serapion Antiphrenſis*, ut fert editio Petri Pithœi. Aliæ *Antipyrgenſis*, quod mihi non ſatis probatur.

Digitized by Google

ECCLESIA ANTIPHRORUM.

II. MENAS.

Synodo Alexandrinæ quam S. Athanaſius A poſt Conſtantii Imperatoris obitum coëgit, adfuit & ſubſcripſit *Menas Antiphrorum*, Μηνᾶς Ἀντιφρων.

III. APOLLO.

In ſubſcriptionibus decreti ſynodici Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis, una cum aliis Ægyptiacæ diœceſis præſulibus reperitur *Apollo epiſcopus Antiphrorum*, Ἀπόλλων ἐπίσκοπος Ἀντιφρων, qui proinde idem eſt ac qui in ſubſcriptionibus aliis epiſtolæ epiſcoporum Ægypti ad Leonem Imp. de nece ſancti Proterii Alexandrini, corrupto urbis nomine, legitur, *Apollo epiſcopus Antithorum* pro *Antiphrorum*. Ejus nomen exſtat quoque in inſcriptione epiſtolæ Leonis Papæ *ad epiſcopos Ægypti Conſtantinopoli conſtitutos*.

V. ECCLESIA ZYGRIS.

PTOLEMÆUS in Libyæ nomi littore *Zygrim* vicum ſtatuit Ζύγρις κώμη, in qua tamen ſedes extitit epiſcopi qui *Zygrorum*, Ζύγρων dicuntur in actis conciliorum. Ejus meminit lib. 3. cap. 2. anonymus Ravennas, apud quem corrupta voce ſcribitur *Bograi*. In notitia Hieroclis legitur Ζωγροζαγύλης, *Zogrozagyles*, librarii errore, qui duorum oppidorum *Zygris* & *Zagylis* nomina in unum compegit; ſed & gravius erratum eſt in veteri notitia, in qua fertur Τρανζάλης, *Tranzales*. Ptolemæus Zigrytarum gentem Libycis annumerat.

EPISCOPI ZYGRIS.

I. MARCUS.

INter epiſcopos ſynodi Alexandrinæ quam B Athanaſius ſub Juliano Imper. redux celebravit anno 362. ſedit ſubſcripſitque Μάρκος Ζύγρων τῆς ἐγγίστα Λιβύης, *Marcus Zygrorum Libyæ proximæ*, Alexandriæ ſcilicet.

II. LUCIUS.

Ad ſecundam ſynodum Epheſinam cum Dioſcoro Alexandrino venit, ejuſque iniquis conſiliis ſuffragatus eſt *Lucius epiſcopus Zygrorum*, Λούκιος ἐπίσκοπος Ζύγρων.

VI. ECCLESIA ZAGYLIS.

APud Ptolemæum in Libyci nomi littore eſt *Zagylis vicus*, Ζάγυλις κώμη, quem in notitiis, etſi corruptis nominibus memorari oſtendi, ubi de *Zygris* vel *Zygrorum* eccleſia.

EPISCOPI ZAGYLIS.

I. PHILOCALUS.

INterfuit cum Dioſcoro archiepiſcopo ſuo C ſecundæ ſynodo Epheſinæ, ejuſque conſiliis annuit *Philocalus epiſcopus Zagyleuſium*, Φιλόκαλος ἐπίσκοπος Ζαγυλέων; ſic legendum, non Γαζύλων, velut t. 4. concil. edit. Labb. col. 214. Latini codices *Zagyleuſis*.

II. MAXIMUS.

Epiſtolæ epiſcoporum Ægypti ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcriptus legitur *Maximus epiſcopus Gazylenus* pro *Zagylenus*, uti melius in ſubſcriptionibus decreti ſynodici Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis, Μάξιμος ἐπίσκοπος Ζαγύλεως ὑπέγραψα.

III. JOANNES.

Zagylis omnino antiſtes fuit *Joannes* ille quem *Magileos epiſcopum* apud Liberatum cap. 18. legimus, qui ſeditionem in Petrum Mongum movit, ob receptum ab eo Zenonis Henoticum. Hic porro à recta fide alienus erat, qui ægrè ferret, quod Mongus admiſſo illo unionis decreto Chalcedonenſem ſynodum non reprobaſſe videretur. *Igitur Petrus Mongus*, ait Liberatus, *ab abbate Ammone & Joanne epiſcopo Magileos, & ab abbate monachorum inferioris Ægypti bella paſſus, & ſeditione ei in Cæſarea baſilica, ut dicitur, facta, anathematizavit ſynodum Chalcedonenſem, & tomum Papæ Leonis.*

VII. ECCLESIA AUGILORUM.

AUGILA, τὰ Αὔγιλα, Ptolemæo, aliis voce feminea Αὔγιλαι, *Augilæ* dicuntur, Plinio *Augilæ*, à quibus *Garamantes duodecim dierum itinere diſtare ait, & medio fere ſpatio locari ab Æthiopia, quæ ad Occidentem vergit, & à regione quæ duas Syrtes interjacet, pari*

utrimque intervallo. Augila Naſamonibus Ptolemæus conjungit. Unde nomen plurale *Augilæ* natum ſit, Procopius explicat lib. 6. de ædif. cap. 2. *Duæ ſunt urbes unius nominis: utramque enim Augilam appellant. Viro expedito quatridui ferè iter eſt hinc Borium; ad cujus latus Auſtrale obverſæ ſunt. Antiquæ ambæ, eoſque habentes incolas, qui priſcis ſacrorum ritibus dediti fuerunt. Nam omnes ad noſtram ætatem ſuperſtitione laborarunt, Diis multis addicti. Vetuſta hic erant templa Ammoni & Alexandro Macedoni ſacra, quos ad Juſtiniani principatum indigenæ victimis coluerunt. Erat autem turba eorum quos vocant Hierodulos. Imperator præter cætera quæ liberaliter eis providit, mentes ipſorum religione ſancta adeo feliciter imbuit, ut à patriis inſtitutis ad Chriſtum omnes converterit: quibus & Deiparæ templum ædificavit, præſidium ſalutis & veræ fidei urbibus futurum.* Ex quibus colligas Augila illic ſtetiſſe, ubi Jovis Ammonis oraculum fuerat.

ECCLESIA AUGILORUM.

EPISCOPI AUGILORUM.

I. THEODORUS.

AUGILORUM mihi primus fuiſſe epiſcopus videtur *Theodorus,* qui anno 553. A quintæ ſynodo generali, Juſtiniano Imperatore, interfuit, in cujus actis quæ Latinè dumtaxat ſuperſunt, *epiſcopus Ingelon* & *Ingilon,* pro *Augilon* ſive *Augilorum.*

VIII. ECCLESIA MARMARICÆ.

ETſi Libya inferior *Marmarica* quoque dicta eſt, illic Marmaricam urbem exſtitiſſe ſignificat notitia vetus Græca, in qua poſtrema provinciæ hujus civitatum eſt *Marmarica,* Μαρμαρικῆς.

EPISCOPI MARMARICÆ.

I. THEONAS.

NOn prorſus Parætonii epiſcopus fuit B *Theonas,* qui in epiſtola ſynodi Nicænæ ad Alexandrinam eccleſiam Marmaricæ epiſcopus dicitur, ubi Patres eum cum Secundo Ptolemaïdis ob pertinaciam Arianam proſcriptum, ſignificant, ἐ Θεωνᾶν Μαρμαρικῆς, quem Alexander Alexandrinus jam ante propter eamdem hæreſim epiſcopatu amoverat; quod teſtatur Athanaſius in hiſtoria Arianorum, ſeu epiſtola ad monachos. Hunc Epiphanius hær. 69. à Meletianis ordinatum fert. ἦν δὲ καὶ Θεωνᾶς καταςαθεὶς ὑπὸ τῶν Μελιτιανῶν.

Cui inferioris Libyæ civitati tribuam neſcio *Pollucem* qui cum Georgio Alexandrino in concilio Seleucienſi, à maxima parte epiſcoporum qui convenerant, ſecedens, Sirmienſi formulæ ſecundæ ſubſcripſit, Πολυδεύκης ἐπίσκοπος ἐπαρχίας δευτέρας Λιβύης, *Pollux epiſcopus provinciæ ſecundæ Libyæ.* Non profecto Parætonii antiſtes erat; una quippe cum eis aderat ſubſcribebatque *Siras Paratonii.* Atque Athanaſius epiſt. de ſyn. Arim. & Seleuc. *Stephanum, Siram & Pollucem* quos Secundus epiſcopos fecerat, multorum criminum fuiſſe reos perhibet, ἀπὸ μὲν τῆς Λιβύης Στέφανον, ἐ Σεῖραν, ἐ Πολυδεύκην κατηγορουμένους ἐπὶ διαφόροις ἐγκλήμασι.

INCERTARUM DIŒCESIS ÆGYPTIACÆ URBIUM EPISCOPI.

ECCLESIA LEMNANDI.

LEMNANDUM cujus eſt mentio in homilia prima Paſchali Theophili Alexandrini, ſeu diœceſis Ægyptiacæ civitatis Carolus à S. Paulo Pentapolis Libyæ cenſet, ut ipſa fuerit, quam Antoninus in Itinerario bis *Lemniadem* nominat. Ac certe in Tabulis Peutingerianis *Mandis* ſcribitur inter Cyrenen & Antipygum.

Digitized by Google

EPISCOPI LEMNANDI.

I. HERON.

II. NASEAS.

THEOPHILUS Alexandrinus in fine homiliæ ſuæ Paſchalis prioris, ſcribebat à ſe ordinatum eſſe epiſcopum *in Lemnado pro Herone Naſeam.* Emendavero *In Lemniade.*

ECCLESIA PERIŒCIDIS.

SYnodico decreto Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis inter Ægypti epiſcopos ſubſcriptus legitur Ἀγαθὸς ἐπίσκοπος Περιοικίδος, *Agathus epiſcopus Periæcidis.* Sed ejuſmodi nominis civitas vel oppidum nuſquam reperitur in tota Ægyptiaca diœceſi apud ullum alium auctorem, quin nec in reliquis orbis regionibus.

ECCLESIA

ECCLESIA
ÆTHIOPIÆ *ſive* ABESSINIÆ.

REGIO Ægypto ſuperior, quam Nilus fluvius alluit, *Æthiopia* à veteribus dicta eſt; atqui inter Æthiopes illos, notiores Romanis fuerunt, qui à præcipua ipſorum urbe Axuma vel Auxuma, Auxumenſes vel Axumitæ, necnon Abeſſini audierunt, in quo regno Nilus ipſe fluvius naſcitur. Auxumes Ptolemæus meminit lib. 4. cap. 8. quin & Arrianus in Periplo Maris Erythræi, Axumam metropolim eſſe ait illius regionis quæ Mari Rubro terminabatur, & cujus inſignis portus erat Adula, octidui itinere ab ea diſtans. Conſtantino inprimis Imperatore, Romanis comperta magis fuit Æthiopia hæc, ex quo Chriſti fidem Abeſſini amplexi ſunt à S. Frumentio, quem S. Athanaſius cum Alexandrina ſua ſynodo eorum Pontificem primum creavit. Quod Ruffinus refert lib. 1. hiſt. cap. 9. Socrates lib. 1. cap. 19. Theodoretus lib. 1. cap. 23. Sozomenus lib. 2. cap. 23. Ex quibus item illud convellitur, refelliturque, quod apud Procopium legimus lib. 1. de bello Perſico, nonniſi Juſtiniano ſeniore Imp. Æthiopes Auxumitas Chriſto nomen dediſſe. Frumentius cum clericis quos Athanaſius ipſi ſocios dedit, ſedem Auxumi vel Axumæ fixit, utpote quæ totius regni metropolis erat: deincepſque Æthiopes Axumitæ non indigenas metropolitas habuere, ſed quos Alexandrina ſedes ad ipſos mitteret. Canone 42. Arabicorum qui Nicænæ ſynodi nomine inſigniti per Orientem evulgati ſunt, hoc decernitur: *Ne patriarcham ſibi conſtituant Æthiopes ex ſuis doctoribus, ſed neque propria electione, quia patriarcha ipſorum eſt conſtitutus ſub Alexandrini poteſtate, cujus eſt ipſis ordinare & præficere Catholicum, qui patriarchâ eſt inferior. Cui præfato in patriarchæ nomine conſtituto Catholico non licebit metropolitanos conſtituere ſicut inſtituunt patriarchæ. Si quidem honor patriarchatus illis defertur tantummodo, non vero poteſtas.* Catholicus dicitur ille Æthiopum metropolita, tanquam generalis per eam gentem Alexandrini patriarchæ vicarius. Atqui hæc ipſa fuit Æthiopicæ eccleſiæ adminiſtrandæ ratio, quam ille canon repræſentat, ut miſſus ad illos Alexandria metropolita plures ſeptenis epiſcopos creare nequaquam poſſet. Quod quidem vir commendatiſſimus D. Abbas Renaudotius in ſua *de Alexandrino Patriarcha* diſputatione num. 108. conſulto obſervavit. *Voluerunt aliquando,* inquit, *Æthiopes cogere metropolitam ſuum, Gabriële filio Jarick Alexandrinam eccleſiam obtinente, ut plures ſeptenis epiſcopos ordinaret; quod ille conſtantiſſime recuſavit; quia fuiſſet id præter morem & antiquam legem, ne ſi duodecim epiſcopos haberent, quod Orientales requiri cenſent ad ordinandum Patriarcham, ſubjectioni Alexandrinæ ſedis ſe eximerent, & proprium ſibi Antiſtitem crearent & ordinarent.* Ex hac ſingulari, quæ multis incommodis obnoxia fuit, conſuetudine factum eſt, ut quam fidem Alexandrina ſedes teneret, hanc Æthiopes ſectati ſint. Quocirca à temporibus præſertim Mohammedanorum, quum nullus totis octoginta annis Alexandriæ pontifex ſederet, Chalcedonenſis, ſive catholicæ fidei cultor, Benjamino Jacobitarum Patriarcha eccleſias hujus urbis & Ægypti omnes occupante, Abeſſini duarum in Chriſto naturarum exiſtentiam, ſynodique adeo Chalcedonenſis fidem cum Leonis Papæ ad Flavianum epiſtola in totum abjecerunt & ejurarunt, ac perpetuo diſſidio ab eccleſia catholica ſejuncti manſerunt. Norunt omnes vanos conatus fuiſſe Luſitaniæ Regum, Romanorumque Pontificum, qui miſſis illuc identidem ex Jeſuitarum & Franciſcanorum ſodalitiis præconibus aliquot, gentem hanc ad Romanæ eccleſiæ clientelam transferre tentaverunt. Id quod Abeſſinorum præſertim nimiæ rerum divinarum & Chriſtianarum ignorationi tribuendum eſt. Quod illius metropolitæ dignitatem attinet, Arabicus ille canon, hunc Patriarchali honore, etſi non juriſdictione, fulgere ait: quod amplius ſtatuitur & explicatur in ejuſdem canonis ſerie: Nimirum, *ſi acciderit ut congregetur ſynodus in terra Romanorum, ille ſedeat loco octavo, poſt Dominum Seleuciæ, quæ eſt Almodaïen:* Catholicum, inquam, Perſidis & Indiarum, quæ Orientem verſus exporriguntur. Cæterum quum ſeptem in Æthiopia ordinare epiſcopos eſſet metropolitæ illi permiſſum, aſſequi nuſquam potui, quibus illi urbibus præfecti eſſent. Sed & aliquando contigit, ut nullus in Æthiopia epiſcopus atque ſupereſſet, ſed preſbyteri dumtaxat pauci, quum Alexandrinus Jacobitarum archiepiſcopus à metropolita illuc mittendo

ECCLESIA Æthiopiæ ſive Abessinæ.

abſtinuiſſet: de qua vacantia in metropolitarum Abeſſiniæ quos hinc inde reperi recenſione, ampliùs dicetur. Æthiops ille Zaga Zabo, qui ſe epiſcopum dicebat, Uliſſipone agens, eccleſiæ ſuæ confeſſioni fidei adjecit, Patriarcham ſeu metropolitam potius Æthiopiæ, à monachis ſuæ gentis Hieroſolymis eligi ſolitum, & ab Alexandrino Jacobita Patriarcha confirmari & conſecrari.

EPISCOPI AXUMENSES, *ſeu* METROPOLITÆ ABESSINI.

I. Frumentius.

Theophilus *Arianus.*

Æthiopes Abeſſini Chriſtianam religionem hodieque acceptam ferunt, ut prædiximus, ſancto *Frumentio,* quem ceu gentis ſuæ Apoſtolum colunt, atque corrupto nomine Fremonatos vocant, necnon Abuſalema. Hunc Tyro in Phœnicia oriundum, ex Æthiopia in quam juvenis appulerat, in Romani Imperii ſolum reducem, quum Alexandriæ ageret, magnus Athanaſius, qui nuper epiſcopatum inierat, Æthiopicæ gentis antiſtitem creavit, & ad hanc fidei doctrina imbuendam remiſit, datis illi inſuper evangelici operis ſociis preſbyteris & clericis. Athanaſio deinde urbe ſua fugato, quum Georgius Arianus Alexandrinæ eccleſiæ tyrannidem arripuiſſet, uti præſules Ægyptiacæ diœceſis ſinceræ fidei tenaces procul ejiciebat, ſic & Frumentium ex Æthiopia abigere molitus eſt. Apud Conſtantium Imp. egit, ut gentis tyrannis ſive principibus Aiſanæ & Saſano ſcriberet ad ſe Alexandriam remitti « Frumentium, ut pote qui ab Athanaſio homine nullorum non malorum conſcio ad epiſcopatus ordinem promotus eſſet. Si ſponte Frumentius obtemperaret, rationemque ſuæ promotionis venerabiliſſimo Georgio & aliis Ægypti epiſcopis redderet, compertum omnibus fore, nihil eum ab eccleſiæ legibus & fide quæ tunc obtinebat diſſentire, atque adeo ab eis conſtitutum iri epiſcopum, ſi modo ipſe & revera haberi epiſcopus velit. Sin cunctaretur, & judicium fugeret, hoc ipſum argumento aperto fore, quod ſceleratiſſimi Athanaſii documentis inductus impius in Deum eſſet. » Haſce Conſtantii ad Principes illos litteras refert Athanaſius in apologia ad eumdem Conſtantium, quæ non niſi à Georgio ejuſve factionis ſociis exaratæ erant. Dixerat Athanaſius rumorem percrebruiſſe, poſtulaſſe ab Æthiopiæ principibus Imperatorem, ut ipſe ſi in ipſorum regiones ſe recepiſſet, cum Frumentio ad ſe mitteretur. *Quæ res,* inquit, *non verbis dumtaxat divulgata eſt, verum opere quoque completa,* ἀλλὰ ϗ αὐτοῖς ἔργοις ἐδείκνυτο. Quo loco non hoc ſignificavit Athanaſius Frumentium ad Romanum Imp. remiſſum eſſe, ſed rumorem qui ſparſus erat de ſcriptis ad Abeſſinorum principes litteris, certum omnibus accidiſſe, ex quo earum exemplaria in vulgus edita erant.

Theophilus Arianus.

Philoſtorgius lib. 3. hiſt. n. 4. Photio teſte, narrabat *Theophilum* quemdam genere Indum, ad Homeritas & Divenos, ſeu vicinæ inſulæ incolas (Zocotram opinor) à Conſtantio Imp. delegatum fuiſſe, Ephori ſive epiſcopi dignitate ornatum, quum jam ante ab Euſebio (Nicomedienſi utique) diaconus factus eſſet. Rebus apud Homeritas & Diva inſulam confectis, quin & Sabæorum gente non ſine patratis prodigiis ad Chriſtum traducta, ad Æthiopes Axumitas perrexiſſe, qui è regione poſiti ſunt ad Occiduas Erythræi maris oras, ubi Oceanus in illud ſeſe totum inſinuat: Tum obita legatione Romani Imperii regiones repetiiſſe, ubi multis honoribus ab Imperatore affectus, nulla tamen ullius civitatis cura donatus fuit. Hæc Philoſtorgius Arianus de factionis ſuæ homine; quæ ſatis indicant nihil cum à Principibus Auxumenſibus adverſus Frumentium obtinuiſſe; alioqui Frumentio ejecto, Theophilus ipſe gentis totius epiſcopatum accepiſſet, prout ab Arianis, & Georgio præſertim Alexandrino conſtitutum fuerat. Ac certe Frumentium illic ad uſque vitæ finem Trinitatis Fidem veram prædicaſſe perenni ejuſdem eccleſiæ traditione conſtat, quæ bis quotannis memoriam ejus feſtivam agit, die 14. Decembris, & 20. Julii. Hunc Salamam ab Athanaſio cognominatum ferunt, ceu pacis Deum inter & homines ſequeſtrum. Legationem ad Auxumitas Theophilum obiiſſe putavero circa annum 356. quo Conſtantius legem iſtam dedit quæ exſtat To. 2. cod. Theodoſ. *de Legatis. Conſtantius Auguſtus, & Julianus C. Muſoniano PP. Nullus ad gentem Auxumitarum & Homeritas ire praeceptus, ultra annui temporis ſpatium debet Alexandriæ demorari, nec poſt annum percipere alimonias annonarias. Dat. 18. Kal. Febr. Indict. XV. Conſtantio Aug. VIII. & Juliano Cæſ. coſſ.*

Metropolitarum Auxumenſium qui Frumentio ſucceſſere catalogum apud Abeſſinos ferri aiunt Jobus Ludolfus, & Michaël Vanſlebius: ille quidem lib. 3. hiſt. Æthiopicæ ad annum uſque 1613. nonaginta quinque metropolitas numerari ſcribit, quorum indicem à ſe viſum non eſſe fatetur: hic vero in hiſtoria Eccleſiæ Alexandrinæ

Digitized by Google

lib. 1. cap. 9. ait eos à Frumentio ad Sennodium uſque quem Alexandrinus Patriarcha Matthæus anno 1670. miſerat, centum & ſexdecim metropolitas recenſere. Quæ certe non ſatis videntur poſſe conciliari, propter breve ſpatium quod interceſſit ab anno 1613. ad 1670. Præterea ex his quæ mox dicemus, compertum fiet Auxumenſem eccleſiam iterum atque iterum paſtoribus viduatam diutiùs fuiſſe, quàm ut ab anno Chr. 326. centum & ſexdecim epiſcopos habuerit. Quidquid id eſt, quando multorum ex illis nomina in eorum Kalendario occurrunt, quos uti ſanctos venerantur, deque eorum ætate nihil compertum habemus, hos ſeu catholici, ſeu ſchiſmatici fuerint, poſt Frumentium hoc loco una ſerie apponam.

II. Cosmas.

III. Alexander.

IV. Bartholomæus.

V. Joannes.

VI. Jacobus.

In Kalendario itaque Æthiopum quod Jobus Ludolfus edidit To. 2. hiſt. Æthiop. metropolitæ quinque ipſorum memorantur.

Ac *Coſmæ metropolitæ* memoria celebratur die 2. *Hedar* Æthiopici, ſive *Hatur* vel *Atyr* Ægyptiaci, hoc eſt 27. Novembris.

Alexandri metropolitæ die 6. *Jacatit*, ſive *Mechir*, hoc eſt 31. Januarii.

Bartholomæi metropolitæ die 1. *Ginbot*, ſive *Pachon*, hoc eſt 26. Aprilis, de quo in Hagiologio ſuo canunt: *Salve Bartholomæe pater noſter* (Abuna) *qui dignus fuiſti, ut jure merito epiſcopus fieres: ab omni infortunio quod nobis imminet, virtus precum tuarum cuſtodiat nos, haud aliter ac ſi quis oculi pupillam cuſtodiat.*

Joannis metropolitæ memoria quoque eſt die 25. *Ginbot* ſive *Pachon*, Maii 20.

Æthiopiæ metropolita fuit *Jacobus epiſcopus*, cujus memoriam agunt die 19. menſis *Naaſſe*, ſive *Meſſori*, vel 12. Auguſti; qui ab Alexandrino Patriarcha miſſus, in Ægyptum poſt annos ſex reverſus, ignem ſuum in cella quam reliquerat, ardentem adhuc reperit; quod Jobus Ludolfus refert Tom. 2. hiſt. Æthiop. pag. 202. ubi inſulsè ſanctos eccleſiæ Abeſſiniæ comparat cum illis quos Romana eccleſia veneratur.

VII. * * * *Orthodoxus.*

* * * *Jacobita.*

Theodoſio Alexandrino Patriarcha hæretico in exilium relegato, Paulus ejus in locum Juſtiniani Imp. præcepto ſuffectus fuit, uti veram fidem in ſynodo Chalcedonenſi de- A finitam per Ægypti diœceſim inſtauraret. Joſephus Simonius Aſſemanus Maronita in Bibliotheca Orientali ex Chronico Dionyſii Jacobitarum Orientis Patriarchæ narrationem affert Joannis epiſcopi Aſiæ, quem ſub Juſtiniano vixiſſe ait, in qua recitatis quæ Elesbaam Æthiopiæ rex apud Homeritas patraverat, ſubjungit Homeritarum regem, ubi didicit invectum apud Alexandriam Chalcedonenſe concilium, ejectumque fidei cauſa Theodoſium, ea re offenſum epiſcopum ex urbe Alexandria recipere noluiſſe: B quinimo Æthiopes ut & Homeritas & Indos ſingulis annis legatos cum muneribus ad Juſtinianum Imp. miſiſſe rogantes, ut epiſcopum ſibi daret, qui Chalcedonenſe concilium non reciperet. Trium horum regnorum precibus Imperatore abnuente, contentionem eorum annos circiter viginti quinque duraſſe, donec Sacerdotes ipſorum exſtincti ſunt. Quumque diu multumque laboraſſent, ut epiſcopum ſynodo contrarium haberent, nec impetraſſent, eo tandem deveniſſe, ut contra canonum ordinem congregati preſ- C byteri Evangelium capiti cujuſdam ex ordine ſuo imponerent, atque ita epiſcopum eum conſtituerent. Cæterum pleroſque ejuſmodi ordinatione offenſos, eamdem improbaſſe, nec ut legitimam admiſiſſe: unde magna inter ipſos exorta diſſidia ſunt. Hæc Joannes ille, ad quæ Aſſemanus in ſuis annotationibus *ſermonem* ſubjungit *de fide Jacobitarum Syrorum*, ex cod. MS. Arabico Bibliothecæ Collegii Maronitarum de urbe, in quo Jacobi Baradæi geſta deſcribuntur, & iſta de Æthiopum epiſcopo qui tunc tem- D poris deſignatus fuit, traduntur. *Theodora Imperatrix Juſtiniani uxor, genere Ægyptia, quum accepiſſet archiepiſcopum Æthiopiæ è vivis exceſſiſſe, & alterum ejus loco à Melchitis ordinatum, miſſo ad Coptos nuntio, eoſdem hac de re certiores fecit. Qui rem totam Mar-Jacobo Baradæo ſignificant, ſubduntque, Regem Suachinorum Æthiopiæ claves tenere: Huc porro Romæus ille Melchita metropolita cum donis & mille equitibus pervenerat, & Suachinorum Regi litteras & munera, quæ ſecum deferebat, oſtentare cœperat. Quare hoſpitem* E *Rex benigne complexus, per integrum menſem apud ſe hominem detinuit, magno ipſum afficiens honore, & lautiſſimo excipiens convivio. Quumque eum tandem dimittere cogitaret, Theodoræ Imperatricis epiſtolam accepit cum diplomate ſigillo ipſius Imperatoris firmato, in hæc verba. Duos apud te habebis metropolitas, alterum divitem, pauperem alterum. Ac divitem quidem morare pauliſper, nec iter accelerare permittas: pauperem vero ſtatim dimitte,*

ECCLESIA Æthiopiæ ſive Abeſſiniæ.

Digitized by Google

nec quoquomodo eum retardes. Hunc rex confeſtim dimiſit, qui Æthiopiam quam primum A *ingreſſus eſt. Ille vero, quum paulo-poſt ad Æthiopes perveniſſet, lectis ejus litteris, quibus Arianæ hæreſis morbo laborare deprehendebatur, neci traditus combuſtuſque eſt. Atque ita in Mar-Jacobi fide permanſit Æthiopia.* Hæc ille Anonymus, qui Joanni Aſiæ epiſcopo hactenus adverſatur, quatenus, quum ille toto Juſtiniani tempore, deincepſque metropolitam nullum ad Æthiopes eſſe miſſum affirmet, hic contra miſſum perhibet, Theodoræ Imperatricis opera. Anonymus itaque duos eodem tempore metropolitas deſignatos tradit, catholicum unum, hæreticum alterum. B Quorum tamen fides ſit penes auctorem. Malim vero hæreſim apud Abeſſinos cœpiſſe dominari, ex quo Mohammedani occupata Ægypto Jacobitis adeo faverunt, ut hi ſoli eccleſias illic tenerent, pauciſſimas Melchitæ, quibus nec fas eſſet Patriarcham conſtituere. Quorſum enim vero Æthiopes illi in Kalendario S. Joannis Eleemoſynarii Alexandri Patriarchæ orthodoxi qui Phoca Imp. ſedebat, bis memoriam agunt, velut & ſanctorum aliorum ejuſdem Alexandrinæ C ſedis antiſtitum Dioſcoro anteriorum, niſi qui hunc beneficentiſſimum Patriarcham ſuum experti fuerant. Narrationem illam Joannis Aſiæ convellam amplius in eccleſia Homeritarum, ubi oſtendam Gregentium illis Indis Arabibus toto Juſtiniani Imp. tempore epiſcopum & metropolitam præfuiſſe. Cæterum perperam Aſſemanus Suachinorum regem, *fortaſſè Nubiæ aut Homeritarum Dynaſtam* fuiſſe conjecit; quando nota omnibus eſt *Suachen* civitas Æthiopiæ vicina cum portu commodiſſimo ad oram Erythræi D maris.

VIII. Cyrillus *Jacobita.*

Alexandrini Jacobitarum Patriarchæ Benjamin bis quotannis memoria fit in ipſorum Kalendario, quippe qui *Cyrillum* eis metropolitam deſignarit, à quo Jacobiticum virus ebiberunt. Enimvero Patres ſocietatis qui ſæculo decimo-ſexto Luſitaniæ regis opera Æthiopiam petiverunt, Cyrilli hujus à Benjamino miſſionem ex Axumenſium libris acceperunt. Sed & in vita decantatiſſimi E apud ipſos monachi Teclahaimanoth, cujus verſio Arabica exſtat in Bibliotheca Regia, dicitur ille anno ætatis 15. à parentibus ductus *ad Amba Cyrillum qui metropolita Æthiopiæ fuit*, Benjamino Alexandriæ pontificatum tenente. Imo narrabant Æthiopes, illum Teclahaimanoth, quem uti monaſticæ vitæ apud ipſos auctorem habent, à Benjamino ad ipſos miſſum eſſe; ex quibus comperta nobis ſit famoſi illius monachi ætas, de quo tot fabulæ in Europa evulgatæ ſunt. Hiſt. Patr. Alex. pag. 171.

IX. Joannes *Jacobita.*
* * * *Intruſus alter.*

In vita Juçab, ſeu Joſephi Jacobitarum Patriarchæ, qui anno 821. ordinatus fuit, ab eo fertur ordinatus *Joannes* Abeſſinorum metropolita, quem Rege ad bellicam expeditionem profecto, multi interim conſpiratione facta expulerunt, & alium contra priſcum canonem conſtituerunt. Joannes in Ægyptum regreſſus, in monaſterium cui primo nomen Mariæ Virginis nuncupatum ſe recepit. Æthiopia vero peſte vaſtata, Rex, bello infeliciter geſto, in patriam rediit, inſcius illorum quæ à Regina erga metropolitam geſta erant. Quibus auditis, veniam à Patriarcha Juçabo poſtulatum miſit, rogans uti Joannes ad ſuam ſedem rediret, quem ad ſe reducem honorificè admodum ſuſcepit. Adverſariis ejus cauſantibus ſe non admiſſuros epiſcopum qui circumciſus non eſſet, Joannes legem ſubire juſſus, ubi nudatus fuit, inventus eſt velut octavo die circumciſus. Id quod Joannes Patriarchæ referens, ſibi antehac incompertum affirmavit. Ibid. pag. 283.

X. Petrus *Jacobita.*
Mennas *intruſus.*

Coſmas II. Jacobitarum Patriarcha Alexandrinus anno 920. vel 923. creatus, quum deceſſores ſui ob Mohammedanorum tyrannidem à metropolita Æthiopiæ ordinando diu abſtinuiſſent, *Petrum* quemdam monachum gentis hujus antiſtitem deſignavit. Quod vitæ illius Patriarchæ ſcriptor, uti rem raram & ſingularem habitam fuiſſe narrat. *Magna ſane*, inquit, *& mirabilis res ejus tempore accidit, quod ordinavit unum ex monachis metropolitam Æthiopiæ. Hæc autem regio vaſtiſſima eſt, ipſaque eſt regnum Saba, ex quo regina Auſtri ad Salomonem regem Davidis filium venit. Quum Rex circumire illud ſuum regnum vult, integrum annum impendit in itinere, Dominicis diebus exceptis, donec ad locum unde profectus eſt redeat. Ea eſt regio Indiæ viciniſque provinciis finitima, & ad hanc uſque diem Evangelicæ ſedi ſancti Marci ſubjecta.* Obiter dicam Reginam illam Auſtri ex Homeritarum potiùs regione profectam eſſe, quæ ipſa eſt regio Sabæorum in Auſtrali Arabiæ parte exiſtens. Monacho illi qui à Coſma Patriarcha ad Æthiopes metropolita miſſus eſt, nomen Petro fuit, & à rege ſuſceptus eſt, ceu qui Chriſti apud ſe vices gereret. Ei proinde regnum commendavit, filioſque ſuos quos regeret ſecundum volun-

Digitized by Google

tatem Dei, ut quem amborum digniorem melioremque judicaret, ipſum corona impoſita regem renuntiaret. Quocirca Rege defuncto, Petrus filium ejus natu minorem præ alio coronavit. Tunc monachi duo Ægyptii, *Mennas* è monaſterio S. Antonii ejuſque ſocius nomine Victor, homines gyrovagi, in Æthiopiam venientes pecuniam à metropolita petunt. Quam quia non obtinuerunt, Mennas pontificali aſſumto habitu, ſe à Patriarcha metropolitam Æthiopiæ miſſum falſis litteris oſtendens, amborum defuncti regis liberorum majorem natu in fratrem concitat, hicque commiſſo prælio victus regno exuitur. Victor vero expilata Mennæ cella in Ægyptum fugiens, cuncta quæ geſta erant Coſmæ Patriarchæ recenſet, à quo Mennas continuò communione ejectus fuit. Hunc quoque Rex ille novus occidi juſſit, miſitque inſuper qui Petrum revocarent. Hic vero diem jam obierat. Quocirca diſcipulum ejus & comitem accerſivit, qui eccleſiam Æthiopiæ adminiſtraret. Petivit hic à Rege ut in Ægyptum de more ordinandus pergeret, negavit Princeps, præcepitque uti metropolitæ munia exequeretur, etſi ordinatus non erat. Hunc Æthiopicæ eccleſiæ fuiſſe ſtatum ferunt, uſque ad tempora Philothei Patriarchæ, qui nonniſi poſt ſeptuaginta annos Alexandrinum epiſcopatum iniit. Quin & illi qui Patriarcharum Alexandriæ Coptitarum hiſtorias conſcripſere, hoc etiam tradunt, metropolitam nullum à Patriarchis quatuor qui Coſmæ ſucceſſerunt, Æthiopiæ archiepiſcopum fuiſſe conſtitutum, ad Daniëlem uſque quem Philotheus creavit. Ibid. pag. 339.

MENNAS intruſus.

XI. DANIEL *Jacobita.*

Philotheo Jacobitarum Ægypti Patriarcha, qui electus fuit circa annum Chr. 980. Æthiopum rex Georgio Nubiæ regi ſcripſit, de pœnis quas à ſe ſuiſque ſubditis Deus exegerat: mulierem quippe *Hamowiam* vel *Amotam* obtento ſuper filios regno, Æthiopiam invaſiſſe, captivos abduxiſſe, urbes incendiſſe, eccleſias diruiſſe, regem ipſum fugere variiſque hinc inde in locis latitare coactum: quæ univerſa ſibi accidiſſe aiebat, ob illa quæ in metropolitam à Coſma miſſum deceſſor ſuus olim exercuerat. Quocirca Nubiæ regem rogabat, ut ſibi auxilio eſſet ad Æthiopiæ gentis abſolutionem impetrandam, obtinendumque metropolitam qui ſuis precibus divinum numen placaret. Tum ſubjiciebat: *Hac ad te, Frater, perſcripſi, veritus ne apud nos aboleatur & intereat Chriſtiana religio. Jam enim ſex Alexandrini Patriarchæ fuerunt, qui rationem nullam habuerunt patriæ noſtræ, quæ ita deſolata abſque* A *paſtore manſit. Mortui quippe ſunt epiſcopi & ſacerdotes noſtri, eccleſiæ vaſtatæ ſunt. Nec ignoramus juſtè hac mala nos perpeti, eorum cauſa quæ contra metropolitam noſtrum commiſimus.* Quibus lectis, Nubiæ rex Georgius litteras ad Philotheum Patriarcham dedit, qui *Daniëlem* S. Macarii monachum metropolitam Æthiopiæ deſignavit. Hic illuc profectus à rege & cunctis ordinibus ingenti gaudio exceptus fuit, & paulo-poſt calamitas publica ceſſavit, extinctaque eſt feminæ tyrannis. Duplici illi metropoliticæ ſedis B vacationi attribuenda mala ſunt, quæ Æthiopiæ eccleſiæ acciderunt, inverſio diſciplinæ, necnon regularum univerſo orbi communium ſacramenta celebrandi, quin & Domini præceptorum violatio. Inprimis vero factum ut reges ſacerdotalem ordinem ſuſceperint, proindeque ut divinam liturgiam celebrarint, quandiu regni compotes, & in vivis ſuperſtites erant, atque ut ſibi temperarint ne quodvis animal etiam venando propria manu necarent. De quo audiendus Abuſelah Armenius. *Æthiopiæ reges*, inquit, *omnes ſunt ſacerdotes,* C *liturgiam celebrantes ſuper altare, & quandiu regno potiuntur, nihil quidquam propria manu occidere ſolent; ſi quis contra fecerit, amittit jus liturgiæ, legeſque omnes quas evulgavit, irritæ fiunt.* Ex quibus comperimus, unde natum illud ſit olim, uti rex Indiæ *preſbyter Joannes* appellaretur, quum nempe apud remotiores gentes auditum fuerit, Principem in India dominari, qui rex ſimul & ſacerdos ſive preſbyter eſſet, atque Æthiopia ſuperior Indiæ regionum una cenſeretur. Quocirca noſtrates Franci aliique Europæi qui per Orientem D ſæculo duodecimo necnon decimo-tertio vagabantur, quum Indiam Auſtralem ab Orientali non ſecernerent, *Preſbyterum Joannem* apud Orientales Indos ad Tartariam uſque quæſierunt; verum enim vero Æthiopibus Amharenſi dialecto Rex *Jan* dicitur. Cæterum Æthiopes erga Philotheum illum Patriarcham, quamlibet nequiſſimus is fuerit, ſe gratos adeo præbuerunt, ut in eorum Kalendario inter ſanctos cenſeatur die 12. Hedar ſive Hatur, hoc eſt 8. Novembris, quem & in Hagiologio ſuo perenni E ſalutatione *Apoſtolum* appellare non dubitant. Ibid. pag. 382.

ECCLESIA Æthiopiæ ſive Abaſſinæ.

XII. CYRILLUS *Jacobita.*

Medio circiter ſæculo undecimo metropolitæ Æthiopiæ officio functus eſt *Kouril*, ſeu *Cyrillus*, quem Arabici ſcriptores *Abdounem* nominant. Nimirum Moyſes epiſcopus Wiſſim in Æthiopiam à Chriſtodulo Patriarcha miſſus Abdouni conceſſit, uti epiſcopali

Digitized by Google

veſte uteretur, etſi manus ei à Patriarcha impoſitæ non erant. Quod quum apud Ægyptios evulgatum eſſet, è Saracenis quidam Bederelgemalo ſummo militiæ duci, atque Viziro detulit, apud Kouril ſive Abdounem quotidie Mohammedanos comeſſari, vinumque potare. Quocirca Chriſtodulus ad Viziri tribunal adductus negavit Abdounem à ſe ordinatum eſſe, vel litteras ei ullas à ſe datas, quibus metropolitam eum crearet: ſe autem quum multa de eo audiviſſet, Mercurium epiſcopum Wiſſim deſtinaſſe, qui Patriarchali & monaſtico habitu illum indueret. Satius namque fore, duxerat illius, qui metropolitæ auctoritatem arripuiſſet, ad graviora mala evitanda, dignitatem confirmare; ut pote qui Æthiopibus acceptus eſſet, quam ut ea gens paſtoribus iterum careret. Ib. p. 444.

XIII. Severus *Jacobita*.

Cyrillus II. Patriarcha Chriſtoduli ſucceſſor Æthiopiæ metropolitam ordinavit *Severum*, Victoris Nubiæ quondam metropolitæ nepotem, ſuperſtite licet in vivis *Kouril* ſive *Cyrillo*. Juvenis erat Severus, ſed doctus, à Victore educatus, hancque dignitatem Bederelgemali commendatione obtinuit. Nam præter ampliſſima munera quibus Vizirum ſibi conciliaverat, ſpem ei injecit fore ut Æthiopiæ principes clientelæ ipſius ſubjiceret. Ad ejus adventum Cyrillus ſibi diffidens, convaſatis opibus ſuis Dahlacam arrepta fuga ſe recepit, ubi à Præfecto comprehenſus, & Cahiram miſſus capitalem ſententiam ſubiit, anno Martyr. 802. Chr. 1086. Hæc, ut alia quæ de Æthiopiæ metropolitis exſcripſi, doctiſſimus Renaudotius habet in Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum; qui monet aut eum qui Chriſtoduli, at illum qui Cyrilli Patriarcharum vitas ediderunt hallucinari, quandoquidem Chriſtodulus Kourillo metropolitica indumenta miſerat, ſed & metropoliticam auctoritatem eidem confirmaverat. At Severum aiunt omni cura & opera egiſſe, ut polygamiam apud Abeſſinos exſtingueret, ſcriptis hanc in rem Patriarchæ ſuo litteris, ſed irrito prorſus conatu. Quanquam Abuſelah Armenius tradit eos Sanutii Patriarchæ quem Chriſtodulus exceperat, epiſtolis admonitos pravum illum morem emendaſſe. Quinimo propter ſimiles Cyrilli litteras factum eſt, ut qui pluribus uxoribus vel pellicibus conjuncti eſſent, à communione prohiberentur, nec ad eam admitterentur, donec una contenti reliquas abjeciſſent. Verum barbara illa gens, & in ſummæ ignorantiæ tenebris poſita, belle ſecum agi putabat, ſi pœnam ſubiret, nec à peccato recederet. Quinimo Luſitani morem pravum apud eos invaluiſſe repererunt, A à quo eos abſtrahere facile non eſſet. Poſthac Emirus Ægypti accerſito Cyrillo Patriarcha, graviter queſtus eſt, quod Severum ordinaſſet, non ſoluta quæ fiſco debebatur pecunia, etſi Severi frater ex Æthiopia veniens munera ei obtulerat, ſed quæ ipſi minime placuerunt. Cauſabatur vero inprimis Severum Meſchitas in ea regione minime fundaſſe, uti ſpoponderat. Quorum malorum auctor erat Ephræm epiſcopus Denkou. In Æthiopiam vero epiſcopi duo miſſi ſunt, Marcus Wiſſim & Gizet, ac Theodorus B Sinjaræ. Interim Severi frater certis teſtibus probavit, metropolitam germanum ſuum in carcerem eſſe truſum ab Æthiopiæ rege, cumque non quatuor dumtaxat, ſed & ſeptem Meſchitas ædificaſſe, quas Æthiopes confeſtim ſolo æquaverunt. Ib. p. 452. & 462.

XIV. Georgius *Jacobita*.

Anno Martyrum 818. Chriſti 1102. orator ad Abdallam Ægypti Vizirum ex Æthiopia venit, metropolitam ad ſuos mitti poſtulans. Quorum votis Michaël Patriarcha C juſſus eſt annuere; quumque neminem huic miniſterio idoneum diu reperiſſet, tandem ex monaſterio ſancti Mercurii *Georgium* ordinavit, qui ob perverſos mores ſuós omnium in ſe odia concitavit, ita ut à Rege captus & pecuniis quas corraſerat ſpoliatus, in Ægyptum ſit remiſſus, ubi ſtatim carceri traditus eſt. Ibid. p. 475.

XV. Michael *Jacobita*.

Ante ſæculi duodecimi medium Gabriële Patriarcha, qui pontificatum iniit anno 1130. D *Michaël* Æthiopiæ metropolita erat, à quo rex obtinere non potuit, uti plures ſeptenis epiſcopos in ſuo regno ordinaret, ne ſi vel decem exſtitiſſent, fas eis foret metropolitam, ſeu Patriarcham creare, adeoque tandem ab Alexandrina ſede deficerent. Id Michaël fieri negavit poſſe, propter priſcos canones, & ſine Patriarchæ aſſenſu. Ad Gabriëlem proinde Rex litteras dedit, ſimulque oratorem ad Ægypti Califam miſit. Hic vero ubi comperit, ſi hoc concederetur, Æthiopes brevi ab Alexandrini præſulis, cujus di- E tionis erant, poteſtate receſſuros, Regi ſcripſit ut à propoſito deſiſteret. Atqui Michaël à Macario Gabriëlis deceſſore fuerat ordinatus, qui antehac *Habib* ſive *Agapius* nominabatur, Atfia oriundus. Qui quum ſenuiſſet, tyrannus quidam, qui Æthiopiam nullo jure occupaverat, ejus cenſuram non ferens, alterum ejus loco petiit ordinari: Joannes vero Patriarcha qui Gabriëlem exceperat, inſtante licet Viziro à quo diu carcere mace-

Digitized by Google

rabatur, regis voluntati acquieſcere conſtantiſſime recuſavit. Ibid. p. 525.

XVI. Kilus *Jacobita*.

A Joanne filio Abugaleb Patriarcha *Kilus* epiſcopus Fua in Æthiopiæ metropolitam promotus fuit, præter tritam Jacobitarum diſciplinam de non transferendis epiſcopis: quod factum eſt tempore Adeli regis ſive Soldani Ægypti. Profectus in Æthiopiam Kilus à Rege qui obviam ei proceſſit, epiſcopis item, & ſacerdotibus, inſuper & exercitu magna pompa in urbem deductus eſt, prælata ſuper caput ejus umbella, multis præterea muneribus donatus. Qui annos quatuor feliciter egit apud Æthiopes; verum anno quinto in Ægyptum rediit, hoc unum cauſatus, quod quum importunis reginæ ſollicitationibus fatigatus fratrem ejus Hetron, vel Petron, urbis primariæ epiſcopum ordinaſſet, ille mox umbellam, aliaque metropolitarum inſignia juraque uſurpaverat: quin eò illum furoris veniſſe, uti ſervos immiſerit ſuos qui ipſum occiderent. Quibus auditis Kilus à Patriarcha Miſræ conſiſtere juſſus eſt, dum miſſo in Æthiopiam Moyſe preſbytero, rerum geſtarum ſeriem cognoſceret. Rex per Moyſem Patriarchæ reſcripſit, à metropolita Kilo ſacerdotem eccleſiæ metropolitanæ Theſaurarium tamdiu verberari juſſum, donec animam efflaverit, ea ſuſpicione quod virgam auream ſurripuiſſet. Unde gravis adeo omnium erga metropolitam invidia conflata eſt; ut Regis legatus in mandatis haberet, ne Kilus in Æthiopiam remitteretur. Quamobrem in eccleſiam Miſræ adductus ille, metropoliticis honoribus ſpoliatus fuit. Ib. p. 561.

XVII. Isaac.

Pro Kilo itaque Æthiopiæ metropolita ordinatus fuit *Iſaac* Lauræ S. Antonii monachus, ubi cum germano fratre ſuo ſanctitatis fama claruerat. Hunc Joannes Patriarcha ſacerdotem fecit die XI. Phanemoth, anno Martyrum 926. Chriſti 1209. qui cum legatis in Æthiopiam profectus, magno honore à Rege cujus nomen *Lalibela* fuit, exceptus eſt, atque in urbem Regiam ductus, quæ Hadaſa nuncupabatur. Ibid. p. 563.

XVIII. Michael II.

En alterum Æthiopiæ metropolitam *Michaëlem* nomine ordinatum anno 1454. quem mihi ſuppeditat à ſuis ſchedis doctiſſimus Renaudotius, in quibus deſcripſit formam qua Michaël ille à Patriarcha LXXXIX. Joanne ordinatus eſt, *à forma ordinationis metropolitæ, quæ deſcripta fuit ex codice* (Coptico) *ſcripto manu Hieremiæ Archimandritæ monaſterii Reſurrectionis, & ſacerdotis eccleſiæ SS. Martyrum Cyri & Joannis in* A *Haman, quomodo obſervata eſt tempore Amba Joannis Patriarchæ* LXXXIX. *menſe Epiphi anno Martyrum* 1154. *quum ordinavit Amba Michaëlem metropolitam Æthiopiæ.* ECCLESIA Æthiopiæ ſive Abessiniæ.

XIX. Matthæus.

XX. Salama.

XXI. Jacob.

XXII. Bartholomæus.

XXIII. Michael III.

XXIV. Isaac.

XXV. Joannes.

XXVI. Marcus.

B

XXVII. Josephus.

Novem metropolitas Æthiopiæ ex Æthiopum Diptychis recenſitos habemus apud Jobum Ludolfum lib. 3. hiſt. Æthiop. cap. 7. «Primus, inquit, metropolita Abeſſinorum fuit Frumentius Æthiopiæ apoſtolus. Ab hoc uſque ad Simeonem, qui cum Ælio regis genero, & prorege Tigræ pro Alexandrina religione occubuit, anno 1613. nonaginta quinque metropolitas numerant. Catalogum eorum videre nondum nobis contigit: in Diptycho autem Æthiopico ſequentes C numerant: *Abbuna Amba Matthæus, Amba Salama, Amba Jacobus, Amba Bartholomæus, Amba Michaël, Amba Iſaacus, Amba Joannes, Amba Marcus,* qui fuit metropolita tempore Davidis; *Amba Joſephus,* qui tempore Claudii regnum ingreſſus eſt, nulla habita ratione Joannis Bermudis, quem Patriarcha Romanus Patriarcham Alexandriæ & Æthiopiæ ſimul creatum in Æthiopiam miſerat. Nec pluris fecerunt Abeſſini Joannem Nonium Baretum, & Andream Oviedum Luſitanos Patriarchæ titulo Romæ ornatos, & à D Luſitaniæ rege in Æthiopiam miſſos.»

Matthæi porro & Salama & Jacobi, memoriam in Æthiopum divinis officiis ad hunc modum fieri refert lib. 3. cap. 5. num. 65. *Recordare Domine ſervorum tuorum Abbuna Amba Matthæi, & reliquorum Patrum noſtrorum, Amba Salama & Amba Jacobi.*

Quod Marcum attinet, qui in hoc indice penultimus eſt, Ludolfus idem lib. 2. cap. 6. eum ſub Naode rege circa initium ſæculi decimi-ſexti ſediſſe ex Baltazare Tellezio teſtatur, ubi hoc narrat: *Natu maximum* E *quem Naodes rex in rupe Amharæ genuerat, Helena & metropolita Marcus penes quos erat tunc temporis rerum ſumma auctoritas, indignum imperio judicaverunt.* In obſervationibus ad hunc locum ex Aboarezio narrat, quod Abbuna Marcus aperte profeſſus fuerit, *ſe & Reginam Helenam Davidem regem conſtituiſſe, eo facilius quod proceres aulæ in partibus ſuis & theſauros in ſua poteſtate habebant.* Hic utique eſt Marcus ille Æthiopum

Digitized by Google

ECCLESIA Æthiopica ſive Abaſſinia.

Abuna, cujus mentio eſt in confeſſione Zaga Zabo, quem David Æthiopum Imperator in Luſitaniam miſerat, quamque Uliſſipone ſcripſit anno 1534. *Ipſum nomen*, inquit, *patriarchatûs, noſtro idiomate Abuna dicitur, cæterum, qui nunc hoc ſolium tenet, proprio nomine quod ex baptiſmate accepit, Marcus vocatur, vir 100. annorum & ultra.*

XXVIII. Petrus II.

Ludolfus lib. 2. c. 6. ſub initium, inquit, *hujus*, ſæculi decimi-ſeptimi, quo ſcribebat, *Petrus* metropolita à partibus factioſorum contra Zadenghelum regem Romanis faventem ſtetit. Inter Romanæ religionis hoſtes *Abuna Petrus, fuit metropolita Abeſſinus, præcipuum rebellionis inſtrumentum; qui exemplo in Æthiopia inaudito, & divinis humaniſque legibus adverſo, rebelles à nexu ſacramenti Regi ſuo legitimo dicti, quod ipſi jam tum ruperant, deteſtabili excommunicatione abſolvit.* Anno 1607. Petrus qui auctor fuerat, uti Jacobus naturalis filius regis Zadengheli, ex concubina genitus tyrannidem uſurparet, una cum Jacobo ipſo cecidit in prælio quod Suſnedo Zadengheli ſucceſſori die 10. Martii commiſerunt. Nimirum Petrus ideo partes tuebatur Jacobi, quod Malac-Suſned, ſive Suſnedus erga catholicam fidem bene affectus appareret, verebaturque ne ſe, & Alexandrino Patriarcha ſuo poſthabitis, Apoſtolicæ ſedis Romanæ communionem Rex amplecteretur.

XXIX. Simeon.

Regnante apud Æthiopes Suſnedo, qui Zadenghelum excepit, *Simeon* metropolita Alexandria miſſus eſt, qui in collatione cum Jeſuitis habita de religione, ne verbulum quidem eis reſpondere potuit: quod in cauſa fuit cur Suſnedus rex edictum dederit, *de duabus naturis in Chriſto confitendis;* utinam non *addita mortis pœna in eos qui contrarium affirmarent.* Quo iratus Simeon metropolita cum proceribus multis, inter quos Jamanaxus Regis frater uterinus, clerici quoque & monachi de remediis impendentium malorum conſilia cœperunt agitare: ac Simeon excommunicationem valvis templi Caſtrenſis affixit, qua tenerentur omnes qui Francorum religionem ſequi, aut de ea diſputare auderent. Rex aliud conſultò edictum evulgavit, quo libertas dabatur Patrum religionem, quæ diſputationibus ſtabilita erat, amplectendi. Metropolita vero rurſum anathemate percuſſit *eos qui duas in Chriſto naturas aſſererent.* Paulo-poſt metropolita cum multis monachis & monialibus in caſtra venientes, à Rege ſupplices poſtularunt, *ne quid in religione innovaret, aliàs ſe pro majorum ſuorum ſacris mortem obire paratos.* Quocirca negotium denuò remiſſum eſt ad colloquium cum Patribus ſocietatis, quod ad ſextam uſque diem continuatum eſt, ſed nihil confectum fuit. Metropolita rurſum novum & ſeverius decretum in primario Caſtrorum templo affigi curavit, quo omnes Latinæ religionis participes communionis penitùs extorres fiebant. Ælio regis genero & Tigræ prorege rebellante, Simeon eum benedictionibus cumulavit. Quocirca ferox juvenis regem in ipſomet ejus tentorio adoriri non dubitavit, ſed audaciæ ſtatim pœnas, à ſatellitibus occiſus, perſolvit. Ælii militibus fugam capeſſentibus, Simeon inter fugientes & inſequentes ſtupido ſimilis, diu ſeorſum ſtetit, ac tandem agnitus à regiis interfectus eſt. Capita amborum publico ſpectaculo propoſita, & circumcirca miſſa ſunt. Hæc Ludolfus ex Baltazare Tellezio.

XXX. * * *.

Simeoni ab Alexandrino patriarcha ſuffectus alter fuit, cujus nomen mihi minime compertum eſt, ut nec Ludolfo, qui tantæ illum imperitiæ fuiſſe narrat, ut omnibus contemptui eſſet; quocirca eò reductus fuit ut opificio ſuo molitorio quod in Ægypto didicerat, victum quærere cogeretur, eique quum alter nihilo doctior ſucceſſiſſet, occaſionem aulicis jocandi dedit, *habituros ſe adhuc unum molitorem.* Atqui Ludolfus ex Tellezio auctor eſt molitorem illum fuiſſe depoſitum. Tunc porro prævalentibus in Æthiopia Patribus ſocietatis, Alphonſus Mendezius auſpiciis Romani Pontificis, tamquam Patriarcha ſacris præfuit, ab Abeſſinis *Abuna Romanus* dictus.

XXXI. Marcus II.

Alphonſo Patriarcha cum ſuis ſociis poſthac excluſo, Coptita alter metropolita miſſus fuit, nomine *Marcus*, qui, ut Alphonſus ipſe Hiſpaniæ regi ſcripſit, quum ante aliquot annos in Æthiopiam veniſſet, ignotus in enarea delituerat; *audita vero abdicatione Patriarchæ prorupit; regique declaravit ſe muneri ſuo fungi non poſſe, niſi Patriarcha* (Alphonſo) *& Patribus, vel interfectis, vel in longinquum exilium miſſis.* In Æthiopiam rediit cum Petro Heyling Lubecenſi Lutherano. Id. lib. 3. cap. 7. & cap. 14.

XXXII. Joannes.
XXXIII. Marcus III.
XXXIV. Michael.
XXXV. Gabraxus.

Poſt hæc, ait lib. 3. cap. 7. Ludolfus, « ſequutus

Digitized by Google

» ſequutus eſt quidam *Joannes*, & circa an-
» num 1651. *Marcus*, qui ob flagitia, ut qui-
» dem Tellezius ſcribit, depoſitus ſucceſſo-
» rem habuit *Michaëlem*. Denique circa an-
» num 1662. quidam *Gabraxus* in Abaſſiam
» Abeſſiniam-ve miſſus eſt, quem in Ægypto
» multi Europæorum viderunt. Hunc poſtea
» alii, ut certis relationibus conſtat, ſequuti
» ſunt». Hæc quidem de Marco, ejuſque deceſſore Ludolfus. Quæ vero ad hujus temporis Abeſſinorum metropolitas ſpectant, explicatius accuratiuſque recitat vir doctiſſimus Joachim le Grand in relationibus de Abeſſinia, quas ex certioribus monumentis eruit. Narrat ſcilicet quo tempore rex Æthiopum Baſilides in Patriarcham Alphonſum Mendezium qui Roma miſſus erat, ejuſque ſocios, & in eos qui Romanam & catholicam communionem ac fidem amplexi erant, inique ſæviebat, gentis illius eccleſiam ſchiſmaticam graviſſimis ſcandalis laboraſſe. Agathonem quemdam mulionem Nubienſem, nullo prorſus ordine initiatum, ſe pro metropolita Alexandria miſſo venditaſſe, & ſacra munia præfracta fronte obiiſſe. Cujus impiam fraudem Ægyptius nonnullus à quo ille probè notus erat, retexit, atque ementitus Abuna ille à Rege, uti par erat, in inſulam Dettam amandatus eſt.

Alexandria mox alter eſt miſſus, ſed cujus perditiſſimis moribus Abeſſini perinde offenſi ſunt: uxorem quippe & quos ex ea filios procreaverat, ſecum ille adduxerat. Hunc Rex in inacceſſam & undique præruptam rupem transferri mandavit.

Tum Baſilides ad Patriarcham iterum delegavit, qui metropolitam prioribus meliorem poſtularent. Re à viris Romanæ communionis qui in Ægypto morabantur, ac præſertim ab Agathangelo Minorita Franciſcano cognita, Patriarcham illi convenerunt, rogantes ut Æthiopum labeſcenti eccleſiæ ſeriò conſulens, metropolitam illis deſignaret eo munere dignum, providumque & ſagacem, qui nupera damna ſarciret. Horum votis annuere viſus eſt Patriarcha, ac monachum quemdam nomine *Marcum* Abeſſinorum metropolitam ſacravit. Tum Marcus in Æthiopiam iter arripiens, viæ ſocium admiſit illum de quo jam dictum eſt, Germanum Lutheranum, Petrum Heyling Catholicæ communioni infenſum. Horum artibus, quum Suaquem maris Rubri portum appuliſſent, Franciſcani duo ex Capucinorum inſtituto à Turcis necati ſunt an. 1638. treſque alii qui in Æthiopiam uſque penetrarant, à Baſilide rege capite quoque plexi ſunt: in germanum ſubinde Regis fratrem Claudium, alioſque ejus conſanguineos à Baſilide ſævitum eſt, aliis interfectis, aliis in exilium miſſis, ſed nec fœminis
A parcitum fuit. Cæterum poſt annos aliquot Abuna ille Marcus ob mores male compoſitos ſede dignitateque privatus, in montem quemdam aſperum relegatus fuit, eique metropolita ſuffectus alter, cui *Michaëli* nomen. Hæc quidem Cl. D. le Grand, qui in fine adjecit epiſtolam Agathangeli Capucini, qua Marcum Luſitanarum navium patronis commendabat: ex qua nonnulla hìc ſubtexere libuit:

Reverendiſſimis patribus, qui in navibus «
Luſitanis verſantur, ſalutem plurimam dicit «
Fr. Agathangelus Capucinus. Triſtis triſte «
B accepi nuntium de defectione Abaſſinorum «
à ſancta Matre Eccleſia. Vidi legatum miſ- «
ſum à Rege Abaſſinorum, ut epiſcopum «
peteret, qui Abaſſinis præeſſet Alexandrini «
Patriarchæ nomine. Atque inſuper narratum «
eſt mihi quas turbas excitavit Pſeudo-archi- «
epiſcopus ille qui ex Ægypto in Æthiopiam «
perveniens, quum ne quidem clericus eſſet, «
mentitus eſt ſe eſſe archiepiſcopum miſſum «
à Patriarcha Alexandrino, hocque nomine «
multos ex populo ſeduxit, alios ab eccleſia «
arcere, alios regno auſus deturbare. Ego «
C igitur tantis tamque gravibus malis ſuccur- «
rere quoquo modo cupiens, ipſum Patriar- «
cham conveni, hortatuſque ſum in Domino «
ut huic regno opem ferret, &c. Scripſit Pa- «
triarcha ad Regem Abaſſinorum, ut omnino «
abſtineat à ſanguine catholicorum Romano- «
rum, nec quidquam cum illis durius agat. «

Præterea electus eſt & conſecratus in ar- «
chiepiſcopum Æthiopiæ Aba Marcos, lator «
præſentium, cum quo ſæpius de Fidei arti- «
culis contuli, Deique gratia factum eſt, ut «
omnia fidei noſtræ dogmata vera eſſe perce- «
D perit. Et licet non poſſim de eo ferre teſti- «
monium quod deſidero, hoc eſt dicere eum «
eſſe plane catholicum; poſſum tamen dicere «
eum erga Romanam eccleſiam eſſe bene «
affectum, mihique proteſtatum eſſe, ſe cre- «
dere omnia quæ nos credimus de Chriſto, «
de Spiritu ſancto, de primatu ſummi Ponti- «
ficis, ſeque cum noſtris acturum tanquam «
cum orthodoxis.... ſupplex à vobis poſtulo «
in nomine Jeſu Chriſti, ut præſenti archi- «
epiſcopo exhibeatis, non ſolum illam quam «
S. Paulus juſſit haberi ad omnes benevolen- «
E tiam; ſed rogo & obteſtor, ut eum omnibus «
charitatis officiis proſequamini, ipſumque «
navium veſtrarum duci commendetis. Pro- «
ficiſcitur cum ipſis quidam Germanus natio- «
ne, ſecta Lutheranus, à quo multum timeo; «
ſcio enim ejus perverſum eſſe propoſitum, «
& hìc experti ſumus ab eo multum impedi- «
menti in propagatione fidei, &c. Ex oppido «
Manfalout in Ægypto, die Octobris 15. «
anno ſalutis mundi 1634.»

Digitized by Google

ECCLESIA Æthiopiæ ſive Abeſſiniæ.

XXXVI. Senodius.

Michaël Vanſlebius in libro quem Gallico idiomate edidit Pariſiis an. 1677. inſcriptum, *Hiſtoire de l'Egliſe d'Alexandrie fondée par S. Marc*, pag. 28. Abeſſinos à S. Frumentio primo ipſorum epiſcopo metropolita ad Amba *Senodium* ſive *Sanutium*, quem Alexandrinus Patriarcha Matthæus illuc miſit anno 1670. centum & ſexdecim metropolitas numerare ſcripſit, quos à Copticæ eccleſiæ Patriarchis acceperant. De quo numero quid ſentiendum videatur, jam dixi.

XXXVII. Marcus IV.

Annis 1698. 1699. & 1700. quum Carolus Poncet medicus Pariſienſis in Æthiopia, tanquam à Chriſtianiſſ. rege Ludovico XIV. miſſus, ageret, metropolita ſedebat *Abuna Marcos*, ſeu *Marcus*. Sic ille refert in relatione brevi Æthiopiæ, quam Jeſuitæ inter epiſtolas aliorum ſocietatis ſuæ alumnorum ediderunt, t. 4. part. 2. pag. 330. Hujus deceſſoris mors paulo ante Gondari in urbe primaria Æthiopiæ contigerat, quum illic, epiſcopali throno ob mores non ſatis compoſitos ejectus, moraretur. Sic ille pag. 332.

XXXVIII. * * *.

Anno 1711. Franciſcani tres, Liberatus Wair, Michaël Pius, & Samuël de Biumo, in Æthiopiam Abeſſiniamve penetrarunt, Catholicæ fidei hac in regione prædicandæ gratiâ. Permiſit Rex quos poſſent inſtruere, at non publicè docere. Poſt vero monachis hujus imperii adverſus eos tumultuantibus, quum Rex vellet eos ex eorum manibus eripere, paralyſi perculſus fuit. Regnò ad Davi-
A dem juvenem delato, Gondari in Abeſſiniæ metropoli comprehenſi fuere, & die Febr. 27. anni 1717. novo Regi exhibiti, adſtantibus *metropolita*, ejuſque clericis, cum proceribus. Die 2. Martii de ſui in eam regionem adventûs cauſis interrogati reſponderunt, ſe à Romano Pontifice miſſos ut ipſis veram fidem annuntiarent. Rege aſſerente hoc ſibi ſufficere quod ipſe ſuique ſubditi omnes Chriſtiani eſſent, morti confeſtim addicti ſunt, niſi Chalcedonenſe concilium ejurarent, Dioſcorum Alexandrinum, ejuſ-
B que de una Chriſti natura doctrinam admitterent. Quæ quum illi conſtanter renuiſſent, lapidibus obruti ſunt ab univerſa plebe, quum metropolita, adjecta anathematis comminatione, injunxiſſet, ut cuncti ſinguli que ſeptem lapides in eos jacerent. Hæc multiplici nobis relatione conſtant, inprimis vero publicis nuntiis Pariſienſibus an. 1720. die 17. Febr.

XXXIX. Abdelmessia.

Æthiopum metropolita deinde ſedit *Abdelmeſſia* aſſumtus ex monaſterio ſancti Pauli
C Eremitæ, quod ad Mare Rubrum poſitum eſt, & in Æthiopiam à Patriarcha miſſus anno 1720.

XL. Christodulus.

Huic ſucceſſit *Chriſtodulus*, qui Hieroſolymis Jacobitarum epiſcopus quum eſſet, depoſitus eſt an. 1718. aut ſequenti, à Petro Alexandrino patriarcha Alexandrino, deinde metropoliticam ab eodem Æthiopiæ ſedem obtinuit, ut in litteris fertur Cahira ad nos tranſmiſſis anno 1730.

ECCLESIA NUBIÆ.

CElebre regnum Nubienſe apud auctores. *A ſiniſtra Nili curſus*, ait Strabo lib. 17. *Nubæ habitant, magna Libyæ gens, à Meroë incipientes uſque ad Nili flexus: nequaquam Æthiopibus parentes, ſed per ſeſe in multa regna diſperſi.* ἐξ ἀριστερῶν δὲ τῆς ῥύσεως τοῦ Νείλου, Νοῦβαι κατοικοῦσιν ἐν τῇ Λιβύῃ, μέγα ἔθνος ἀπὸ τῆς Μερόης ἀρξάμενοι μέχρι τῶν ἀγκώνων, οὐχ ὑποταττόμενοι τοῖς Αἰθίοψιν, ἀλλ' ἰδίᾳ κατὰ πλείους βασιλείας διῃρημένοι. *Nubas* Ptolemæus *tenere occidentalia vallis Garamantici montis* ſcripſit; Plinio vero lib. 6. cap. 30. *Nubei Æthiopes abſunt à Nilo octo dierum itinere.* Geographo Nubienſi, *urbs Nuabia, à qua nomen habet*, inquit, *Nubia regio ut & Nubitæ, Cuſa quæ civitas altera potior Nubiæ erat, itinere ſex dierum diſtabat, non longe à Nilo ſeparata.* Idem auctor Nubiæ quinque civitates præcipuas ſeu metropoles aſſignat, *Cuſam, Ghaluam, Dunkalam, Jalac & Sulam.* Ghalua autem juxta ipſum, *ſecus ripam Nili infra urbem Dunkalam ad iter quinque dierum per eumdem Nilum, ſita fuit; atque ita incolæ Ghaluæ proficiſcuntur*, inquit, *in terram Ægypti .... Longitudo autem regionis Nubiæ ſecundum littus Nili, eſt duorum menſium & amplius.* Hæc Geographus ille Nubienſis parte 4. Climatis 1. Nubienſes Alexandrino Patriarchæ jam olim ſubditos, priuſquam Ægyptus in Mohammedanorum poteſtatem veniret, ex Eutychii Alexandrini annalibus comperimus tom. 2. p. 385. teſtantur & alii Arabici ſcriptores, Georgius Abulfaragius, ubi de Conſtantino magno, quum eo Imperatore *Nigritas omnigenos Æthiopes & Nubios* Chriſtianos evaſiſſe refert. Geographus ille Nubienſis loco mox citato, *Nigros*

Digitized by Google

ECCLESIA NUBIÆ

quos Albanim vocant dictos eſſe Græcos, ait, *religionemque Chriſtianam profiteri à diebus Coptitarum, ante exortam Moſlemannorum ſectam; verum deficere à fide Chriſtianorum; eſſe ſiquidem Jacobitas.* At Nubios huic ſectæ nomen dediſſe tantum ſub primis Saracenicæ tyrannidis temporibus docet nos Eutychius; quum nempe nullus Alexandriæ Patriarcha eſſet, qui Chalcedonenſem fidem coleret, à quo epiſcopos acciperent. Quocirca qui Coptitarum eccleſiæ res ſcripſerunt, narrant Iſaacum Patriarcham, qui tertius à Benjamino fuit, ad Regem Nubiæ ac Regem Æthiopiæ litteras dediſſe, quibus eos una conciliaret, ex quo apud Saracenorum præfectum in magnum diſcrimen venit. Chaïl vero ſeu Michaël XLVI. Jacobitarum Patriarcha anno 737. litteris ſuis ad Cyriacum regem Nubiæ, ipſum dehortatus eſt ab expeditione quam in Ægyptum ille moliebatur, uti Chaïlem ipſum male à Saracenis vexatum ulciſceretur; de quo quidem fides ſit penes auctorem. Hæc autem certa ſint indicia Nubas tunc temporis Jacobiticæ ſectæ addictos, Patriarchæ Coptitarum auctoritatem agnoviſſe. Addit auctor vitæ ejuſdem Chaïlis, *ſubjectos fuiſſe Cyriaco Nubiæ regi alios tredecim, inter quos primum locum obtinebat rex Elkera Orthodoxus, hoc eſt Jacobita: potens, qui coronam habet cælo delapſam, qui que eſt rex Yunani; & cujus ditio pertingit ad ultimas uſque Auſtrales regiones: alios quoque reges Æthiopiæ* ſive *Abeſſiniæ, in quos omnes auctoritatem habet Patriarcha Alexandrinus, qui illius metropolitam ordinat, à quo epiſcopi & ſacerdotes ordinantur.* Doctiſſimus Renaudotius, quem hic paſſim exſcribo, in ſua de Patriarcha Alexandrino diſſertatione n. 106. ait Dunkalam metropolim regni Nubiæ fuiſſe, de communi Arabum aſſertione. Modo vero, Jacobitarum in Ægypto rebus admodum attenuatis, Nubii paſtoribus de more Alexandria miſſis carentes, nihil quidquam Chriſtianæ religionis habent, præter veterum quorumdam templorum reliquias.

METROPOLITÆ NUBIÆ.

I. CYRIACUS.

NUBIÆ metropolitam *Cyriacum* habemus in Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, ubi de Chaïle I. Patriarcha Regi Nubiæ quem Mercurium appellant, filius ejus Zacharias ſucceſſerat; Zachariæ item, qui ut orationi vacaret, regnum depoſuit, propinquus ejus Simon; mox Abrahamus juvenis ſtrenuus, quem Zacharias pridem deſignarat; ſed qui quum pravis moribus eſſet, magnas cum Cyriaco epiſcopo inimicitias exercuit, ita ut Chaïli Patriarchæ ſcripſerit, ſe totam regionem idolorum cultui mancipaturum, niſi Cyriacus deponeretur, quem criminibus falſis quamplurimis appetebat. Quocirca epiſcopis in ſynodo congregatis, viſum eſt ut Cyriacus in monaſterium ſecederet, donec ira Regis quieſceret. Interim Cyriaci loco Joannem ordinarunt, illo licet abnuente: qui quartum ſupra centeſimum annum explevit, & ad ejus ſepulcrum Nubii ſiccitate & peſtilentia laborantes, Deum precaturi venerunt.

II. JOANNES.

Pro Cyriaco itaque *Joannes,* qui ejus in Ægyptum itineris comes fuerat, à ſynodo epiſcoporum metropolita Nubiæ ordinatus fuit. Aiunt Jacobitæ Joannis Chryſoſtomi imaginem quæ ſupra Patriarchæ ſedem ſuſpenſa erat, ter in illo epiſcoporum conſeſſu cecidiſſe; quæ epiſcopum abdicatum oris lineamentis referret, ac ſi Deo minimè placeret alterius illius ordinatio. Addunt, quandiu in vivis Cyriacus egit, Nubiam imbribus caruiſſe, ibique graſſatam eſſe peſtilentiam. Cæterum Zacharias qui ante regnaverat, ſervata tanquam Pater Regum auctoritate, Abrahamum in inſulam relegavit, ejus in locum Marco conſtituto, cui poſthac Cyriacus ſucceſſit.

III. * * *.

Salaheddino Ægypti Sultano, frater ejus Chemſeddoula expeditione in Nubiam ſuſcepta, eccleſias regionis deſtruxit, indeque cum *Nubiæ epiſcopo* ſeu metropolita ſeptuaginta millia captivorum in Ægyptum abduxit. Quod anno Chriſti 1173. contigit. Ibid. p. 538.

ECCLESIA HOMERITARUM.

HOMERITÆ Ptolemæo Arabiæ felicis meridianam oram, circa maris Rubri fauces, habitabant, qui & communi vocabulo, ut aliæ horum tractuum gentes, Indi apud Græcos & Romanos audierunt; quum olim veteribus Sabæorum nomine noti eſſent, uti narrat Philoſtorgius lib. 4. hiſt. In ea India S. Bartholomæus Apoſtolus, Ruffino teſte in ipſius tranſlatione hiſtoriæ Euſebii lib. 3. cap. 2. evangelium prædicavit: quod ſæculi Chriſti ſecundo labente à Pantæno ſcholæ Alexandrinæ magiſtro preſbyteroque, quin & forſan

Digitized by Google

ECCLESIA HOMERITARUM.

epiſcopo creato, præſtitum iterum fuit, qui rebus illic conſtitutis Alexandriam rediit. Sæculo quarto Theophilus Arianus, genere Indus quum eſſet, ad Homeritas à Conſtantio Imp. & Georgio Alexandrino miſſus eſt, necnon ad Abeſſinos Æthiopes, ad hæreſim inprimis ſuam in hac gente ſtatuminandam. Id quod pro voto ei non videtur ſucceſſiſſe; quandoquidem diu illic moratus non eſt, nec iterum ad illos, gentiles licet ſuos, repedavit. Illic quidem nonnullas radices egit Chriſtiana religio, donec ſæculi ſexti initio Dunaan Rex Judæorum perfidia percitus, Chriſti nomen in hac regione abolere conatus eſt, captaque Nagra civitate, Aretham ejus principem, civeſque omnes impie trucidavit. Quorum mortem Eleeſbaam Rex Æthiopum Abeſſinorum ulturus, mare cum claſſe & copiis tranſmeavit, Judæum prælio vicit interfecitque, & pro eo Regem Chriſticolam conſtituit, adverſus quem Homeritæ quum rebellaſſent, Abrahamum inſtitorem Romanum pro eo regem inauguraverunt. Eleeſbaam vero interim Alexandriam miſit epiſcopum poſtulatum, qui Homeritas veræ fidei doctrina imbueret. Quibus non Aſterius, ut in Martyrio S. Arethæ apud Metaphraſtem fertur, ſed Timotheus Alexandrinus annuit, quum Juſtinianus Imperator præcepiſſet, uti ſecum quem vellent, epiſcopum acciperent, elegeruntque Joannem, qui in urbe *Taphar* conſtructa eccleſia, ibidem epiſcopalem ſedem conſtituit. Cæterum inſequenti ævo Homeritæ Neſtorianis adhæſerunt, ſeque Catholico ipſorum Seleucienſi ſubmiſerunt. Quocirca quum Omarus Arabum Califa Perſicum imperium, Iſdegerde rege profligato, evertiſſet, Jeſuiab II. Catholicus cum Suido Nagranenſium Chriſtianorum principe Omarum adiit, ingentibuſque oblatis donis iniri fœdus petiit Chriſtianos inter & Arabes. Quibus ille annuens, diplomate cavit ne Arabes Chriſtianos illarum regionum ullo pacto affligerent. De quo legeſis to. 2. Bibl. Orient. pag. 418. Sæculo ſeptimo preſbyter Nagranenſis Neſtorianus à Catholico ad Sinas Chriſtianos inviſendos miſſus eſt, quod ſuo loco dicetur iterum.

EPISCOPI HOMERITARUM.

I. PAULUS.

EX actis S. Arethæ Martyris Nagranenſis quondam ducis, *Paulus* hujus urbis epiſcopus ante biennium obierat, quam à Dunaan Hebræo rege obſeſſa captaque eſſet. Ita cives Chriſtiani tyranno teſtificati ſunt: ἀποδεῖξαι δὲ αὐτῷ Παῦλον τὸν ἐπίσκοπον τῆς αὐτῆς πόλεως· οἱ δὲ ἀρχηγοὶ πάντες εἶπον, &c.

II. JOANNES.

Theophanes ad annum 16. Juſtiniani I. recitata Homeritarum ad Chriſtianam fidem converſione, necnon legatione ad Imperatorem, qua epiſcopum & clericos poſtulabant à quibus erudirentur, juſſiſſe Juſtinianum ait ut eorum oratores quem vellent ſecum abducerent; eos vero manſionarium elegiſſe eccleſiæ S. Joannis-Baptiſtæ Alexandrinæ, virum religioſum & virginem, *nomine Joannem*, ὀνόματι Ἰωάννην, ſexaginta duos annos natum, quem ſecum una cum clericis quos ipſe ſelegerat, in Indicam regionem ſuam deduxerunt. Miſſum Alexandria præſulem, cum preſbyteris & clericis perinde ferunt genuina acta Martyrii S. Arethæ, quæ penes me habeo, eumque in urbe Taphar habitaſſe, ſed ejus nomen non indicant.

III. GREGENTIUS.

Joanni utique ſucceſſerit *Gregentius*, qui eccleſiæ Homeritarum præerat, quo tempore Eleeſbaam Rex Æthiopiæ, mari iterum trajecto Abrahamum regem alterum huic genti
A conſtituit. Quin novi hujuſce regni leges numero ſexaginta quinque præſcripſit, quæ Regis nomine evulgatæ ſunt. Has reperi in codice Coiſliniano 255. ac diſputationi præmittuntur quam Gregentius archiepiſcopus cum Herbano Judæo habuit. Eaque diſputatio in hoc codice ab editis admodum hinc inde diſcrepat. Cæterum etſi non ſit velut in editis, in manuſcripto codice recta de incarnatione Domini, ejuſque duabus naturis fides iterum atque iterum inculcatur; & vero diſerte ſatis in eo enuntiatur, ut ambi-
B gere non liceat, quin Chalcedonenſis definitionis vere tenax fuerit. Etenim archiepiſcopus Herbano in prima colloquutione objicit, *quod non ſatis intellexerit, in quibus naturis Dominus exſtiterit*, οὐδέπως συνῆκας ἐν ποίαις φύσεσιν ὁ ἐμὸς δεσπότης ἐχρημάτισεν, quem ante declaraverat & Deum & hominem eſſe, καὶ Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος. Quocirca Herbanus quærit, quiſnam prophetarum vere innuerit, Chriſtum Deum atque hominem fore. καὶ ποῦ ἠνίξατό τις τῶν προφητῶν, ὅτι Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ἔσται ὁ Χριστός. Ubi ait Judæum nondum intellexiſſe
C in quibus naturis Dominus exiſtat, ibi profecto definitionem hanc ſynodi Chalcedonenſis approbat Chriſtum non ſolum ex duabus, ſed & *in duabus naturis* exiſtere, ἐν δυσὶ φύσεσι, cujus vocis ſolius cauſa hanc Monophyſitæ ſummè deteſtabantur, confitentes dumtaxat *ex duabus naturis* unum conſtare Chriſtum, at non *in duabus*. Atqui

Digitized by Google

Gregentius Alexandria miſſus diſerte dicitur, non procul à fine dialogi poſtremi, ubi narratur Herbanum *animadvertiſſe Palladium archiepiſcopi ſcholaſticum, quem Alexandria adduxerat, utriuſque verba notis excipientem;* ἑώρα γὰρ Παλλάδιον τὸν σχολαστικὸν τοῦ ἀρχιεπισκόπου, ὃν ἀπὸ Ἀλεξανδρείας ἤγαγε, τὰ ῥήματα ἑκατέρων σημειούμενον. In codice nomen Palladii abeſt, ἑώρα γὰρ τὸν σχολαστικὸν τοῦ ἀρχιεπισκόπου, ὃν ἤγαγεν ἀπὸ Ἀλεξανδρείας, λόγῳ νοταρίου ἑκατέρων τὰ ῥήματα σημειούμενον. *Videbat enim ſcholaſticum archiepiſcopi, quem hic Alexandria adduxerat, notarii more utriuſque voces excipientem.* Subinde fertur, abſolutis diſceptationibus Judæos cum magiſtro ſuo Herbano, Domino Jeſu ipſis palam apparente, Chriſtianæ religioni tandem nomen dediſſe: totamque adeo Homeritarum regionem fidei lumine colluſtratam fuiſſe: Regem Abrahamum trigeſimo regni anno completo diem obiiſſe, morte ipſius à Gregentio prænuntiata, eique ſucceſſiſſe Serbidum filium, qui in omnibus Gregentio, uti ſuus pater, eſt obſequutus; demum ſanctum archiepiſcopum ad cæleſte regnum migraſſe die decima nona menſis Decembris, μηνὶ Δεκεμβρίῳ ιθ'. quo anno incertum. In Menæis ad diem 19. Decembris Gregentius natus legitur ex Agapio patre & matre Theodota Mediolanenſibus, ac ſubinde anachoreticam vitam amplexus; de quo fides ſit penes auctores, qui ſubjungunt eum à Proterio Alexandrino ad Eleeſbaam Æthiopiæ regem miſſum, ut Homeritarum eſſet epiſcopus. Quæ quam enormiter abſona ſint, nemo non intelligit. Quamquam fatendum Gregentii nomen latinum potius eſſe quam Græcum.

IV. Abulhareth.

Doctiſſimus vir Ludovicus Maraccius Clericus regularis in vita Mohammedis quam elegantiſſimæ ſuæ Alcorani editioni Patavinæ præpoſuit, narrat anno Hegiræ 9. Chriſti 630. Nageranenſes Chriſtianos legationem ad ſpurium hunc vatem miſiſſe, cujus princeps erat *Abulhareth*, ſeu *Harethas* eorum epiſcopus, qui poſt habitam cum illo diſputationem, Chriſtianis injunxit ne illi & Mohammedanis unquam male precarentur, initoque pacto Mohammedi bis mille veſtes magni pretii miſit, de quo ſyngrapham propheta dedit.

V. * * *.

In Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, ubi de Simone Patriarcha, narratur ſacerdotem quemdam ex India ad Simonem veniſſe petiturum ut epiſcopum ipſis ordinaret, quum non eſſent in Mohammedanorum poteſtate. Reſpondit Simon id ſe facere non poſſe abſque principis licentia. Tum ille cum ſuis ſociis Theodorum Gaïanitarum epiſcopum adiit, qui hominem de Mareotide *Indis præſulem* ordinavit, adjunctis ei ſacerdotibus duobus qui ſimul in Indiam profecti ſunt. Vigeſimo poſt die ab itinerum cuſtodibus Moſlemanis intercepti, ad Abdelmelichum Califam miſſi ſunt. Sacerdos Indus fuga ſe proripuit, epiſcopo vero ejuſque ſociis duobus, manus pedeſque præcidi juſſi. Simon Patriarcha horum cauſa in jus vocatus ſeſe, reperto ſacerdote Indo, purgavit; atque Theodorus Gaïanita cruci affixus fuit. Homeritas fuiſſe Indos illos fere crediderim; niſi Coptica monumenta ferrent eum nigrum, adeoque Æthiopem fuiſſe, & de regione veniſſe quæ principibus Mohammedanis non pareret, quum Homeritas eorum jugo colla tunc ſubjeciſſe nemo inficiari auſit. Vel igitur Malabarenſes, aut Taprobanenſes de inſula Ceilan illi erant, vel de Africæ littore Orientali ultra Abeſſinos.

ECCLESIA ADULES.

E regione Homeritarum ad alteram Arabici Sinus, ſeu maris Rubri partem, Æthiopicumque littus *Adule* vel *Adulis*, Ἀδούλη, Ἀδούλις civitas exſtat, regionis ejuſdem nominis caput, quæ *Zeila* hodie dicitur. Chriſtiana vero fide apud Æthiopes Axumenſes à magno Athanaſio Alexandriæ antiſtite per Frumentium primum illorum epiſcopum invecta, epiſcopo quoque paſtoreque proprio Adule donata eſt, qui fideles ejus incolas curaret. Quod quidem nobis compertum fecit Palladius ille qui de Indis & Brachmanibus narrationem edidit. Hunc vero non abſone Cavæus conjiciendum innuit alium prorſus non eſſe ab illo Palladio, cujus exſtat dialogus de vita S. Joannis Chryſoſtomi. Quum enim in relatione de Brachmanibus, p. 13. ſententia hæc illorum adſtruatur, *idem eſſe mentiri, ac citò fidem adhibere: mentientem enim, injuria illum cui perſuadet afficere: ſed & injuriam mentienti qui credit, illi fidem priùs adhibendo, quam vera didicerit.* Ἴσον δ' ἐστὶ τὸ ψεύδεσθαι καὶ τὸ ταχέως πείθεσθαι· ἀδικεῖ γὰρ ὁ ψευδόμενος ὃν πείθει· ἀδικεῖ δὲ καὶ ὁ πειθόμενος ψευδομένῳ προτρέχων πρὶν ἢ τὸ ἀληθὲς μάθῃ· ita perinde pag. 37. de vita S. Joannis Chryſoſtomi ſententia eadem data

Digitized by Google

ECCLESIA ADULIS.

opera iiſdem ferè verbis commendatur. Ἀδικεῖ γὰρ ἀληθῶς ὁ ψευδόμενος ἐν πείθει· ἀδικεῖ δὲ καὶ ὁ πειθόμενος τὸν ψευδόμενον, ῥᾳδίως πιστεύων· *revera enim ille qui mentitur, injuria illum afficit cui perſuadet; ſed & ille qui citò credit mentienti, injuriam illi irrogat.* Ex qua textûs utriuſque comparatione non inane nec leve judicium habemus, utriuſque operis Palladium eumdem ſcriptorem fuiſſe.

EPISCOPI ADULÆ.

I. MOYSES.

ADULENSI igitur eccleſiæ ſæculo labente quarto, vel quinto jam adulto præerat *Moyſes,* quîcum Palladius profectionem ſe ad Indos iniiſſe initio ipſo operis ſui de Brachmanibus teſtatur: Ἐγὼ δὲ εἰς τὰ ἀκρωτήρια μόνον ἔφθασα τῆς Ἰνδικῆς πρὸ ἐτῶν ὀλίγων μετὰ τοῦ μακαρίου Μωϋσέως ἐπισκόπου τῶν Ἀδουληνῶν. *Ego ad* A *primas tantùm Indiæ oras ante paucos annos cum beato Moyſe Adulenorum epiſcopo penetravi.* Se vero ulterius progredi non auſum ſubdit propter vehementiorem aëris calorem, quo aquæ velociſſime ſcaturientes confeſtim ebullirent.

Digitized by Google

BIBLIOTECA

Digitized by Google



Digitized by Google

DE PATRIARCHATU ANTIOCHENO.

Antiochia Syriæ civitas.

I. INTER urbes Orientis, quæ Romanæ ditionis factæ fuerunt, clariſſima fuit Antiochia, quæ ad Orontem fluvium in Syria poſita erat. Ab aliis nimirum ejuſdem nominis civitatibus diſcriminata fuit, adjecta cognomenti appendice, vel ab Oronte fluvio ſumpta, vel à vicina civitate Daphne. Plinius hanc cognominatam ait Epidaphnen ex Græco ſcilicet ἐπὶ Δάφνης: *Intus*, inquit, *ipſa Antiochia libera, Epidaphnes cognominata, Oronte amne dividitur*. Hierocli & aliis πρὸς Δάφνην, *prope Daphnen* dicitur, ubi nempe lucus erat Apollini ſacer, & apud Gentiles celebratiſſimus. Ptolemæus vero Antiochiæ à præterfluente Oronte fluvio cognomen acceſſit, Ἀντιόχεια, ἡ ἐπὶ τῷ Ὀρόντῃ ποταμῷ, *Antiochia quæ ad Orontem fluvium eſt*: alii perinde plures.

Lib. 5. c. 21.

Lib. 5. c. 15.

Antiochia inter orbis civitates maxima.

Ab omnibus vero inter maximas orbis civitates Antiochia cenſita fuit. Strabo lib. 16. *Eſt autem Antiochia*, inquit, *caput Syriæ, & qui regioni imperant, hic regiam habent: potentia quidem & magnitudine non multo à Seleucia ſuperatur, quæ ad Tigrim eſt, & ab Alexandria Ægypti*. ἔστι δ' ἡ μὲν Ἀντιόχεια.... καὶ δὴ καὶ μητρόπολίς ἐστιν αὕτη τῆς Συρίας, καὶ τὸ βασίλειον ἐνταῦθα ἵδρυτο τοῖς ἄρχουσι τῆς χώρας· οὐ πολύ τε λείπεται καὶ δυνάμει καὶ μεγέθει Σελευκείας τῆς ἐπὶ τῷ Τίγρει, καὶ Ἀλεξανδρείας τῆς πρὸς Αἰγύπτῳ. Joſephus quoque: *Antiochia*, inquit, *metropolis Syriæ eſt, ob magnitudinem aliaque felicia commoda, tertium, cunctis fatentibus locum habens in orbe Romano*, μεγέθους καὶ τῆς ἄλλης εὐδαιμονίας τρίτον ἀδηρίτως ἐπὶ τῆς ὑπὸ Ῥωμαίοις οἰκουμένης ἔχουσα τόπον. Ammianus Marcellinus ubi Syriam deſcribit, *Hanc nobilitat Antiochia*, inquit, *mundo cognita civitas, cui non certaverit alia advectitiis ita affluere copiis & internis*, ut opum merciumque copia Alexandriam ipſam ſuperaverit. Lib. 22. *Orientis ocellum* hanc nuncupat, quam nempe prærogativam à Conſtantino præſertim magno Imperatore, in partitione Imperii adepta erat. Laudata etiam à Cicerone fuit: *Primum*, inquit, *Antiochiæ (nam ibi natus eſt* (Archias) *loco nobili, celebri quondam urbe, & copioſa, atque eruditiſſimis hominibus liberaliſſimiſque ſtudiis affluenti) celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit*. Plura non addo ex Spartiano aliiſque veteribus, quorum teſtimoniis rem teſtatiſſimam ad nauſeam uſque viderer oſtentare. Illuſtres ſunt pariter urbis Antiochenæ nummi.

Lib. 3. de bello Judaico cap. 3.

Lib. 14. cap. 7.

Pro Archia cap. 3.

Antiochiæ conditor Seleucus Nicator.

Lib. 15. c. 4.

II. Seleucus cognomento *Nicator*, ait ex Trogo Pompeio Juſtinus, *occupato regno Orientis, urbem condidit, ibique geminæ originis memoriam conſecravit. Nam & urbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocavit, & campos vicinos urbi* (Daphnen ſcilicet) *Apollini dicavit*. Geminæ originis, inquit, quia Seleuci mater Laodice Antiocho Philippi Macedoniæ quondam regis duci nupta, dicta eſt ex Apolline Seleucum filium per ſomnium concepiſſe. Strabo iterum Antiochiam Τετράπολιν dixit, ceu civitatem ex quatuor urbibus conflatam, eamque publico privatoque muro ſecundùm ejus quamque partem, munitam refert: primam quidem, deducta à Seleuco Nicatore colonia, habitatam; ſecundam collectos undique incolas recepiſſe, tertiam à Seleuco Callinico, cui cognomen Deo fuit, exſtructam; quartam denique ab Antiocho Epiphane. ἔστι δ' ἡ μὲν Ἀντιόχεια, καὶ αὕτη τετράπολις, ἐκ τεττάρων συνεστῶσα μερῶν· τετείχισται δὲ καὶ κοινῷ τείχει καὶ ἰδίῳ καθ' ἕκαστον τὸ κτίσμα· τὸ μὲν οὖν πρῶτον αὐτῶν ὁ Νικάτωρ συνῴκισε, μεταγαγὼν ἐκ τῆς Ἀντιγονίας τοὺς οἰκήτορας, ἣν πλησίον ἐτείχισεν Ἀντίγονος ὁ Φιλίππου μικρῷ πρότερον. τὸ δὲ δεύτερον, τοῦ πλήθους τῶν οἰκητόρων ἐστὶ κτίσμα. τὸ δὲ τρίτον Σελεύκου τοῦ Καλλινίκου. τὸ δὲ τέταρτον Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιφανοῦς. Antiochia proinde tunc Syriæ totius metropolis fuit, inque ea qui Orientis regionibus poſt

Antiochia τετράπολις

Lib. 16.

Alexandrum & Seleucum dominati ſunt, regiam habuerunt. Atque hæc quidem illius conditio fuit ſub Græcis, Macedonibus-ve Syriæ regibus.

Sui juris facta à Pompeio,

III. Pompeius Romanorum exercitus in Syria Imperator, Tigrane rege Armeniæ, qui Syriam Seleuci primi nepotibus ademerat, ſuperato profligatoque, regionem hanc Romanæ ditionis provinciam fecit; Antiochiam vero αὐτονομίᾳ donavit, ſeu ut ſuis de priſtino more legibus uteretur. Quod privilegium ſubinde à Julio Cæſare poſt devictum Pompeium, anno ab urbe Roma condita 705. ipſi confirmatum fuit. Quinimo uti Seleucidarum Regum regia fuerat, ita & ex quo in Romanorum poteſtatem venit, cum Syriæ, tum Phœniciæ quoque omnis primaria civitas fuit, donec Hadrianus Auguſtus Phœniciam à Syria ſegregavit. Tandem, ut ſuperiùs monui, Orientis totius caput facta eſt à Conſtantino, velut ex variis notitiis & auctoribus certum fit; quam dignitatem antehac eam habuiſſe nuſquam reperitur.

Eccleſiæ Antiochenæ initia.

IV. Antiochiam urbem ingens Judæorum multitudo incolebat, cùm propter vicinitatem, ait Joſephus, tum propter urbis magnitudinem; eiſque Antiochi Epiphanis ſucceſſores conceſſerunt, *ut pari cum Græcis civitatis jure viverent. Quocirca à Syriæ regibus humaniſſime habiti, & multitudine profecerunt, & ſtructura magnificentiaque Synagogam quam in ea urbe ædificarant, clariorem reddiderunt, ſemperque ſibi religione ſociantes paganorum multitudinem, illos etiam quodammodo ſui partem fecerunt.* Ex eis porro non pauci in ipſis naſcentis eccleſiæ primordiis fidem Chriſti amplexi ſunt. Quæ quidem religionis apud Antiochenos initia ſanctus Evangeliſta Lucas ad hunc modum recitat: *Et illi* (Diſcipuli Chriſti) *qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulaverunt uſque Phœnicen & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Judæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, & Cyrenæi, qui quum introiſſent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dominum Jeſum. Et erat manus Domini cum eis: multuſque numerus credentium converſus eſt ad Dominum. Pervenit autem ſermo ad aures eccleſiæ, quæ erat Hieroſolymis, ſuper iſtis: & miſerunt Barnabam uſque ad Antiochiam. Qui quum perveniſſet, & vidiſſet gratiam Dei, gaviſus eſt: & hortabatur omnes in propoſito cordis permanere in Domino.* Hæc ſanctus Lucas ipſe Antiochenus, unuſque proinde ex illis qui primitus ex illa urbe Chriſto nomen dederunt.

Lib. 7. de bello Judaico cap. 21.

Act. 11. v. 19.

S. Petrus Evangelium Antiochiæ primus non prædicavit.

V. Auctor Chronici quod Paſchale & Alexandrinum dicitur, ut & Joannes Malalas Antiochenus, innuit Petrum Apoſtolorum principem ex illis fuiſſe Chriſti diſcipulis, qui Antiochiam profecti, Judæis ſolis primum, ac non Græcis ſive Gentilibus Chriſtum annuntiabant: *Quarto poſt Domini in cælos aſſumptionem anno,* inquit auctor Chronici, *Petrus Apoſtolus Hieroſolymis Antiochiam magnam profectus verbum Dei docuit, & epiſcopatus ordinatione ſuſcepta, à Judæis qui Chriſtiani effecti erant perſuaſus, illic ſemet in thronum immiſit: neque quemquam ex gentilibus qui fidem receperant aut excepit, aut amplexus eſt, ſed illis ita dimiſſis, inde exivit.* τετάρτῳ ἔτει τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναλήψεως τοῦ κυρίου, Πέτρος ὁ ἀπόστολος ἀπὸ Ἱεροσολύμων ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ, τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἐδίδασκεν, καὶ τὴν χειροτονίαν τῆς ἐπισκοπῆς δεξάμενος, ἐκεῖσε ἑαυτὸν ἐνεθρόνισεν πεισθεὶς τοῖς ἀπὸ Ἰουδαίων γενομένοις Χριστιανοῖς· καὶ τοὺς ἐξ ἐθνῶν πιστοὺς οὐκ ἐδέξατο, οὔτε ἠγάπα, ἀλλ᾽ οὕτως ἐάσας αὐτοὺς, ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν. Quo minus vero illis ſuccinamus, vetat ſcripturæ textus act. 8. v. 1. ubi traditur, in illa perſequutione magna, quæ ſtatim à ſancti Stephani nece in Judæa contigit, complures quidem diſcipulos & fideles Hieroſolymitanos per Judæam & Samariam fuiſſe diſperſos, ex quibus ſubinde aliqui in Phœniciam uſque, & Cyprum penetraverunt & Antiochiam pervenerunt; Apoſtolos vero urbe ſancta egreſſos non eſſe. *Et omnes,* inquit Lucas, *diſperſi ſunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apoſtolos.* Perperam igitur illi auctores Antiocheni pontificatus Petri primordia aſſignant anno quarto à Domini in cœlos aſcenſione, quæ quidem poſthac Paſchalis Chronici conſarcinator ad annum uſque ſeptimum differt, quum nempe auctorem alium exſcriberet. Euſebius vero Cæſarienſis Apollonium ſcriptorem eccleſiaſticum laudat, qui Apoſtolorum ævo vicinus fuit, quique in opere quod adverſus Montani diſcipulos conſcripſit, ex veterum traditione refert, Salvatorem Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ne intra duodecim annos Hieroſolymis excederent.

p. 230.

Lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 18.

Paulus & Barnabas recentem Antiochiæ eccleſiam colunt.

VI. Petrus itaque cum reliquis apoſtolis Barnabam Antiochiam miſit, qui novos illos Chriſtianos inſtitueret: ille vero Tarſum in Ciliciæ metropolim profectus, Saulum inde Antiochiam deduxit; qui annum integrum ibi in eccleſia converſantes, *docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ diſcipuli Chriſtiani.* His quoque temporibus viri prophetiæ dono inſtructi Hieroſolymis Antiochiam venerunt, in quibus Agabus erat, qui ſignificabat per ſpiritum magnam famem in univerſo orbe futuram, quæque Claudio Imperatore graſſata eſt. Quocirca fideles Antiocheni ad fratres de Judæa

Act. 11. v. 26.

Digitized by Google

Judæa per Saulum & Barnabam de facultatibus ſuis miſerunt. Rurſumque Barnabas & Saulus Antiochiam ex Aſiæ provinciis reverſi, congregata eccleſia, expoſuerunt quæ per ſe prodigia apud gentiles Deus patraverat. Quum vero illic aliquandiu morati eſſent, de Judæa venerunt quidam, qui fratres docerent circumcidi etiam oportere & legem Moyſis obſervare. Qua re ad apoſtolos qui in Palæſtina erant relata, ſynodum Hieroſolymis habuerunt, in qua Petro præſide ſancitum fuit, immunes eſſe gentiles qui Chriſti Fidem ſuſcepiſſent, ab intolerabili veteris illius legis jugo. Quod quidem epiſtola fratribus qui Antiochiæ, in Syria & Cilicia erant data ſignificaverunt, miſſis ad eos Paulo & Barnaba, Juda quoque & Sila, qui Antiochiam venientes, collectæ multitudini ſynodicam legendam tradiderunt, & prophetæ quum eſſent, verbis plurimis fratres conſolati ſunt & confirmaverunt. Atque hunc primum fuiſſe Antiochenæ eccleſiæ ſtatum ex ſacris paginis comperimus. Joannes Malalas ex Antiochenorum ſuorum traditione ait, Paulum cum Barnaba Antiochiæ docere ſolitum *prope Pantheum in vico Sigonio*. Primam Antiochiæ eccleſiam in Palæa ſeu urbe veteri poſitam fuiſſe Theodoretus, Chryſoſtomuſque tradunt.

B. c. 14. n. 20.

Petrus Antiochiæ primus epiſcopus.

VII. Hieronymus in enarratione capitis 2. epiſtolæ ad Galatas, cum multa quæ ab Apoſtolis geſta ſunt, in librum Actorum à Luca minime relata eſſe obſervat, tum hoc præſertim, *Primum epiſcopum Antiochenæ eccleſiæ Petrum fuiſſe, eumque Romam tranſlatum.* In catalogo quoque ſcriptorum Eccleſiaſticorum, *in Simone Petro*, ait, *eum poſt epiſcopatum Antiochenſis eccleſiæ & prædicationem diſperſionis eorum qui de circumciſione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithynia, magnam Romam perrexiſſe.* Quin etiam in chronologico canone ad annum 2. Claudii Cæſaris has Euſebii Cæſarienſis voces, Πέτρος ὁ κορυφαῖος τὴν ἐν Ἀντιοχείᾳ πρώτην θεμελιώσας ἐκκλησίαν, εἰς Ῥώμην ἄπεισι κηρύττων τὸ εὐαγγέλιον, ſic Latine expoſuit: *Petrus Apoſtolus, quum primus Antiochenam eccleſiam fundaſſet, Romam mittitur, ubi Evangelium prædicans, viginti annis ejuſdem urbis epiſcopus perſeverat.* Rurſum Hieronymus ibidem poſt Euſebium tradit, poſt expletam à Petro per ſeptem annos Antiochenæ ſedis functionem, datum Evodium primum ejuſdem eccleſiæ epiſcopum. Quod rurſum Euſebius conſignavit. Georgius Syncellus ſæculi ſeptimi ineuntis ſcriptor, excerptis quæ ſupra recitavi chronici Euſebiani de fundata à Petro Antiochena eccleſia verbis, pauca iſthæc adjecit: Ὁ δὲ αὐτὸς μετὰ τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλη-

Lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 22.

A σίας, καὶ τῆς ἐν Ῥώμῃ πρῶτος προέστη ἕως τελειώσεως αὐτοῦ. Eadem habent Joannes Malalas Antiochenus, & Chronicon Alexandrinum, ſed ad annum alterum attributa: ac ſi Petrus utriuſque urbis epiſcopatum ad obitum uſque ſuum geſſerit, de quo ſuus alibi erit dicendi locus. Ut vero multa veterum de Antiocheno Petri Apoſtoli epiſcopatu teſtimonia ſileam, Innocentius Papa I. in epiſtola ſua tertia quam ad Alexandrum Antiochenum dedit, de Antiochenæ eccleſiæ principatu ad hunc modum loquitur: *Unde advertimus, non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem*

B *Antiochenæ eccleſiæ attributum, quam quod prima primi Apoſtoli ſedes eſſe monſtretur, ubi & nomen accepit religio Chriſtiana, & quæ conventum apud ſe fieri celeberrimum meruit, quæque urbis Romæ ſedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum & apud ſe conſummatum gaudet.* Ut nempe numeroſiſſimo in ampliſſima illa civitate conflato fidelium cœtu, huic Petrus Apoſtolorum princeps præeſſe primus voluerit, qui nullum antehac è Chriſti diſcipulis antiſtitem proprium ac ſpecialem habuerat.

Petrus anno quarto Claudii Imp. Antiochiam venit.

C VIII. Quo autem anno Petrus eccleſiæ Antiochenæ curam ſuſceperit, certò definiri vix poſſit. Chronographos Græcos retuli, qui pontificatus illius primordia anno Tiberii ultimo, quo Lælianus & Gallienus Conſulatum gerebant, ſeu quarto ab Aſcenſione Domini, vulgariſ-ve æræ noſtræ 36. illigarunt: Euſebium vero ipſum lib. 5. hiſt. c. 18. ex Apollonio, qui ſæculo eccleſiæ ſecundo Montaniſtas exagitabat, traditione acceptum ſcripſiſſe, *Dominum apoſtolis mandaſſe ne intra duodecim annos Hieroſolymis abſcederent.* Pla-

D ne Chriſti præceptum hoc Clemens Alexandrinus Apollonio fere æqualis, recitat ex apocrypho volumine prædicationis Petri. Quinimo ipſe divinus Actorum Apoſtolorum liber paſſim innuit Petrum in Judæa hæſiſſe ſaltem ad illud uſque tempus quo Cornelium Centurionem, è Gentilibus primum, baptizavit. Quidni etiam donec ipſe ab Herode Agrippa comprehenſus, & ab Angelo è carcere liberatus in alium locum regionem-ve, cui rex ille non imperaret, evaſit incolumis, Claudii utique Cæſaris anno quarto? Scriptu-

Lib. 6. Strom.

E ra quidem eum Hieroſolymis egreſſum, Cæſaream petiiſſe recitat; at diu hac in urbe moratus non eſt, quando Lucas narrat, Agrippam paulo-poſt ejus evaſionem, in eam adventaſſe. In libro qui *Recognitiones Clementis* inſcribitur, peregrinatio Petri è Judæa & Cæſarea, ubi Zacchæum epiſcopum creavit, per maritimam Phœniciæ oram, Antiochiam uſque narratur. Quidquid id eſt, ex epiſtola ad Galatas certum ſit Petrum cap. 2.

Digitized by Google

Antiochiam adveniſſe poſtquam Jacobus Domini frater & Joannes Apoſtoli, qui videbantur columnæ eſſe, Paulum & Barnabam Gentilibus erudiendis præfecerunt, ita ut pauperum tantummodo de Judæa ſolicitudinem gererent, quod prænuntiata ab Agabo propheta Chriſtiano famis tempus ſignificat. Quibus utique narratis, Paulus

v. 11. ſubjungit: *Quum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Prius enim quam venirent quidam de Judæa, cum gentibus edebat. Quum autem veniſſent ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos qui ex circumciſione erant,* &c. ubi innui videtur tempus quo primùm Petrus Antiochiam venit; ſed & hæc ad ea dem tempora procul dubio ſpectant, quibus, ut Act. 15. v. 1. legitur, *quidam deſcendentes* (Antiochiam) *de Judæa docebant fratres, niſi circumciderentur ſecundum legem Moyſis, ſalvari non poſſe:* ut illi ipſi fuerint, quorum cauſa Petrus ſeſe ſubſtraxit & ſegregavit à gentibus: qui etiam in cauſa fuere, cur Petro Hieroſolyma regreſſo, ſynodus hac in urbe ſancta celebrata ſit Apoſtolorum & ſeniorum, quæ Gentiles à legis Moſaïcæ cæremoniis obſervandis immunes pronuntiavit. Quamobrem quam ex epiſt. ad Galatas memoravi, Apoſtoli Petri Antiochiam profectionem, ab ea arceſſenda puto Antiocheni ejus epiſcopatus initia, adeoque Patriarchatus Antiocheni, hoc eſt ab anno 44. quo Herodes Agrippa poſt Apoſtolum è carcere Hieroſolymitano ereptum, Cæſareæ in Palæſtina ab Angelo percuſſus interiit. Quot autem annos Antiochenæ eccleſiæ regimen ipſe tenuerit, non ſatis conſtat, quum ſeptem Hieronymus numeraverit. Cæterum Romam illum non-niſi ſub Nerone veniſſe communis hodie eruditorum ſententia eſt.

Evodius & Ignatius, Antiochiæ præſules à Petro creati.

IX. Ac vero ſanctiſſimus Apoſtolus Romam divino nutu profecturus, Antiochenæ eccleſiæ rectorem Evodium conſtituiſſe fertur, cui ſucceſſerit Ignatius. Id quod disertè poſt Euſebium affirmat Hieronymus. Quamquam Joannes Chryſoſtomus, patria Antiochenus quum eſſet, Ignatium à Petro ordinatum dixit, homilia quam ibidem habuit de ejuſdem ſanctiſſimi martyris laudibus. Theodoretus quoque dialogo 1. cum Eraniſta, ubi illius contra novellam hæreſim teſtimonium adducit, aliique ſimiliter Antiochenæ ſedis vel diœceſis præſules & alumni. At Joannes Malalas ſcriptor itidem, ut prædictum eſt, Antiochenus, poſt Euſebium, Evodio defuncto Ignatium à Petro ordinatum refert. Quidni vero ambos Petri vicarios dicamus, velut Linum & Cletum Romæ, ut unus alteri ſuperſtes fuerit? Quæ quidem mea opinatio eſt. Cui certè favere Conſtitutionum A apoſtolicarum ſcriptorem aſſererem, niſi Evodium à Petro, & Ignatium à Paulo ſcriberet ordinatum, ut ille Judæorum, ille Gentilium curam gereret.

Antiochena eccleſia ſuis initiis numeroſiſſima.

X. Chriſti fidem Antiochiæ deinceps ab illa prima ætate admodum creviſſe certum eſt. Non tamen is ſum ut ſub Ignatio ducenta millia Chriſtianorum hac in urbe exſtitiſſe ſentiam, quod recentiores aliqui erui poſſe ex his homiliæ Chryſoſtomi in Ignatium verbis putant: *Si laborioſum eſt centum vel quinquaginta ſolummodo viris præfici, tantæ urbis ac populi, qui ducentis hominum millibus* B *conſtet,* καὶ δῆμον εἰς εἴκοσι ἐκτεινόμενον μυριάδας, *curam in ſe recipere, virtutis omnis ac ſapientiæ argumentum eſt.* Etenim hoc unum ſanctus ille doctor ſignificabat, univerſum ampliſſimæ urbis populum, qui ducentis millibus hominum conſtaret, divini martyris ſolicitudini commiſſum, quem ſalutari doctrina imbuere ſatageret. At vero Antiochena eccleſia primis hiſce temporibus confertiſſima numeroſiſſimaque fuit, ut Julianus Auguſtus, quum ſæculo quarto medio hanc in urbem veniſſet, totam illam Chriſtianam, ſuiſque C ſuperſtitionibus idololatricis infenſiſſimam nactus ſit, cujus cives & populus à ludibriis in ipſum, ob Chriſtianæ fidei deſertionem, minime temperarent. Quod teſtatur ipſe opuſculo inprimis ſuo, quod Μισοπώγωνα inſcriptum voluit, quia barbam quam philoſophica oſtentatione, præter Romanorum morem alebat, acutiſſimis dicteriis Antiocheni vellicaverant. Queritur apud eos miſerum illum, ac ſane miſerabilem ſenem, Maximum ſcilicet philoſophum inſtitutorem ſuum peſſime audire, à quo Gentilium doctrinis imbutus eſſet; è D contrario X. & K. magni ab ipſis fieri, Chriſtum utique Dominum & Conſtantinum. *At Chriſtum amatis,* inquit, *& tanquam tutelare numen colitis pro Jove & Daphnæo Apolline. Tales è vobis pleroſque, ac fere omnes, ſenatum, divites, populum offendi.* ὁ μὲν γὰρ δῆμος ἀπέχθεταί μοι τὰ πλεῖστα μέρη, μᾶλλον δ᾽ ἅπας, ἀθεότητα προελόμενος, ὅτι τοῖς πατρίοις ὁρᾷ με τῆς ἁγιστείας θεσμοῖς προσκείμενον. *Populi ſiquidem maxima pars, imo totus, impietatem Deorumque abnegationem amplexus, mihi ſuccenſet, quod me videt avitæ religionis ritibus addictum.* Pergit Julianus, E mœretque gratiſſimum illi populo fuiſſe Daphnitici delubri incendium, à Senatu ad hanc uſque diem neglectum: percontanti ſibi ab Apollinis ſacerdote, quidnam civitas in ſolemnibus feriis Deo eſſet ſacrificatura, hoc fuiſſe reſponſum, *Ego,* inquit ille, *domo anſerem hunc Deo offero: civitas nihil hoc tempore apparavit.* Quocirca ſe cum ſenatu graviſſimis verbis expoſtulaſſe, quod tanta civitas Deos ſic contemneret, ut ne viculus

quidem ullus in extremi Ponti finibus id faceret, & quum agrum infinitum poſſideret, inſtantibus patrii Dei ſolemnibus feriis, nequidem avem per ſe illi attuliſſet. Hinc illæ væcordis Apoſtatæ graves in Antiochenos iræ, hinc minæ. Atqui Conſtantinum illi admodum colebant, quod Imperatorum ille Chriſtianorum primus civitatem ipſorum, unde ortum Chriſtianorum nomen, impenſè foverat, quodque inſigne ampliſſimumque in ea templum Chriſto exſtruxerat, quod ſub filio ejus Conſtantio abſolutum ac dedicatum fuit. De quo Hieronymus in chronico ad annum 22. Conſtantini, *in Antiochia Dominicum, quod vocatur Aureum, ædificari cœptum:* & ad annum quintum Conſtantii: *Antiochiæ Dominicum Aureum dedicatur.* Octagonum fuiſſe alii teſtantur, ὀκτάγωνον κυρίακον. Joannes vero Malalas in chronico, mortuum eſſe Conſtantinum ait in ſuburbio Nicomediæ quod Aſchyron dicebatur, πρὸ τοῦ πληρῶσαι τὸ κτίσμα ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς Συρίας, τὸ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, τὸ μέγιστον καὶ τὸ ὂν τῶν θαυμάτων, *priuſquam abſolviſſet exſtructionem in magna Syriæ Antiochia majoris eccleſiæ, eximiam prorſus & vere admirabilem.*

Antiochena ſedes cæterarum tertia.

XI. Nobiliſſima itaque eccleſia Antiochena ab Apoſtolis, ac Petro præſertim Apoſtolorum principe fundata & inſtituta, tertiæ ſedis honore donata fuit, ut pote ſedes Petri tertia, uti jam ex Gregorio magno Papa aliiſque in *Patriarcha Alexandrino* ſatis dictum fuit, fuſiuſque iterum in *Conſtantinopolitano.* Obiter hîc dicam, Nicænam ſynodum primam, quum canone ſexto ſua Alexandrinæ, haud ſecus atque Romanæ, ſedi jura manere inviolata ſanxerit, perinde adjiciendum curaſſe, ut ſimiliter apud Antiochiam & cunctas demum provincias ſuus honor unicuique ſedi & eccleſiæ ſervaretur, ut nempe Antiochena ſedes tertia cenſeretur, deque more veteri Orientis provincias adminiſtraret.

Antiocheni ſuæ ſedis jura produnt.

Verum Antiocheni præſules ſedis ſuæ prærogativarum juriumque tenaces ſe non præbuerunt. Nam ex quo Conſtantinopolis Orientalis Imperii metropolis facta eſt, quum Meletio Antiocheno defuncto Flavianus, poſthabito Paulino qui legitimus Antiochiæ antiſtes habendus erat, ſucceſſor datus eſſet; ille Byzantinorum quos ſibi faventes in ſecundæ ſynodi ſecundo conventu nactus erat, votis annuit, uti Conſtantinopolitanus thronus ſecundi locum haberet, ſuuſque Antiochenus in quartum rejiceretur. Quod canone 4. illius concilii ſanciri cœpit, rurſumque canone 28. Chalcedonenſi renovatum, reluctantibus licet Romanis Alexandriniſque Pontificibus, Antiochenis vero ſubſcribentibus. Quocirca Theodoretus epiſtola ſua, quam Flaviano Conſtantinopolitano ſcribebat, ſynodi illius quæ generalis ab Antiochenis cenſebatur, decreta omnia indiſcriminatim approbat, quibus tum diviſæ diœceſes erant, tum ſua unicuique jura aſſignata, ne quiſquam ex altera in alteram invaderet, ſed proinde Alexandrinus epiſcopus Ægypti dumtaxat, ac non aliarum Orientis eccleſiarum curam haberet: tum refert Dioſcorum Alexandrinum legibus illis nolle acquieſcere; ſed Marci thronum indeſinenter obtendere, quamlibet non neſciret ampliſſimam Antiochiæ civitatem magni Petri, qui Marci magiſter fuit, ſedem poſſidere, cujus celſitudinem non neſcirent Antiochenæ eccleſiæ alumni, quum ſe interim modeſtè gerere curarent. Declarat ſubinde Dioſcorum idcirco Antiochenis iraſci, *quod ſub beatæ memoriæ Proclo ſtatutis à SS. PP. regulis adhæſiſſent,* eoſque ab illo ſemel atque iterum increpatos, ceu *cum Antiochenorum, ut aiebant, tum Alexandrinorum eccleſiæ jura prodidiſſent,* ὡς προδεδωκόσι καὶ τὰ Ἀντιοχέων, ὡς λέγει, καὶ τὰ Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας τὰ δίκαια. Quinimo Joannes Antiochenus ipſe Theodoreti ætate Patriarcha, in ſua ſexque epiſcoporum quos Orientalis ſynodus Epheſo ad Theodoſium Imp. delegaverat, conteſtatione prima adverſus Cyrillum Alexandrinum Epheſinumque legitimum concilium facta, in his quæ Cyrillus contra Neſtorium geſſerat, hoc eum eſſe meditatum jactabat, *uti pro hujus impietatis præmio ſedium reſtitueretur principatus.*

Romanorum pontificum pro tuendis regulis conatus inanes reddunt Antiocheni.

Antiochenæ eccleſiæ, ut Alexandrinæ prærogativas defendendas ſuſceperunt Romani Pontifices, quorum conatibus minime obſecundarunt Antiocheni, qui ſeſe Byzantinis non ſemel dediderunt. Ab his enim ſæculo quinto medio, pro Domno, quem Dioſcorus Antiochena ſede ejici curaverat, Maximum epiſcopum acceperunt, quem Anatolius regiæ urbis pontifex præter receptas ab univerſa eccleſia regulas ordinavit. Quam ordinationem indigne, uti par erat, Leo magnus Papa habuit, nec in unis ſuis litteris de Anatolii facinore queſtus eſt, cui nihil eſſet antiquius, quam eccleſiarum, ac certè præcipuarum inprimis ſedium jura ſarta-tecta defendere. Quamobrem Maximo Antiocheno ad hunc modum ſcribebat: *Dignum eſt enim te apoſtolicæ ſedis in hac ſolicitudine conſortem, & ad augendam fiduciam privilegia tertiæ ſedis agnoſcere, ut à nullo cujuſpiam ambitione minuatur; quia tanta apud me eſt Nicænorum canonum reverentia, ut ea quæ ſunt à ſanctis Patribus conſtituta, nec permiſerim, nec patiar aliqua ratione violari.* Unde epiſtola 78. Marciano Imperatori dixerat, oportere *ut Anatolius paci deinceps conſulens*

ſibi non exiſtimet licuiſſe, quod Antiochenæ eccleſiæ ſine ullo exemplo, contra conſtituta canonum, epiſcopum ordinare præſumſit, quod amore reparandæ fidei & pacis ſtudio retractare ceſſamus. In epiſtola quoque 80. quam Anatolio ipſi ſcripſit: *Poſt illa,* inquit, *ordinationis tuæ non inculpata principia, poſt conſecrationem Antiocheni epiſcopi, quam tibi contra canones vindicaſti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam eſſe prolapſam, ut & ſacratiſſimas Nicænorum canonum conſtitutiones conareris infringere, &c.* Nihilominus iterum Zenone Imp. Anatolii poſt Gennadium ſucceſſor Calandionem epiſcopum Antiochenis dare & conſecrare non dubitavit, Simplicio Papa nequidquam reluctante. Quo factum eſt ut Byzantinus antiſtes alter Epiphanius Juſtini Imperatoris nutu, pro Severo hæretico Paulum Antiochiæ itidem epiſcopum ordinaret; quibus exemplis freti urbis regiæ præſules alios deinceps Antiochenæ eccleſiæ identidem præfecerunt, quo hanc ſibi obnoxiam atque inferiorem eſſe oſtentarent. Ea quippe eccleſiæ regula antiquiſſima receptiſſimaque fuit, ut epiſcopi quicumque ejus à quo ordinarentur, inferiores cenſerentur, niſi quum à provincialibus ſuis metropolita, vel à ditionis ſuæ præſulibus Patriarcha conſecrabatur; quum hi ſcilicet in ipſa vel metropolitæ vel Patriarchæ inauguratione, ritibus aliquot ſingularibus, ſe alterutri ſubjectos ſignificarent. Sexto denique ſæculo quo Byzantini præſules ſeſe Patriarchas œcumenicos ſive univerſales appellabant, Gregorius vere magnus Papa, neque à Gregorio, neque ab Anaſtaſio Antiochenis Patriarchis obtinere potuit, ut Conſtantinopolitanorum ambitioſis artibus obſiſterent.

Cilicia ut & Syria Antiochenæ ſedi obnoxia.

XII. Quod Antiochenæ eccleſiæ ditionem quam latè pateret, ſpectat, uti Syriam omnem Phœniciamque, ita Ciliciam à primis temporibus ſibi addictam curabat: id quod ipſa Hieroſolymitani concilii quod ab Apoſtolis celebratum eſt, epiſtola fit compertum, quæ inſcriptionem iſtam habet: *Apoſtoli & ſeniores, his qui ſunt Antiochiæ, Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus ſalutem.* Ut vero Cilicia Antiochenæ eccleſiæ regimini ſubjiceretur, non ideo factum eſt, quod ea provincia ſub Syriæ, cujus caput erat Antiochia, Præfecti diſpoſitione unquam exſtiterit, ſed quod quum Paulus Tarſi in patria ſua, Ciliciæ metropoli multos ad Chriſtianam fidem traduxiſſet, deindeque Antiochiam regreſſus, hac in urbe diutiſſime verſatus eſſet, fideles de Cilicia, illius eccleſiæ quæ viris multiplici nomine ſpectatiſſimis, Apoſtolis ac prophetis abundabat, adminiſtrandos, ut pote vicinos tradiderit.

Primis temporibus pauci in Cœleſyria Chriſtiani.

Cæterum in Syria Cœle ſeu Cava, quæ à Seleucide ſive Seleucia Pieria ad Libanum & Phœnicen uſque pertinebat, pauciſſimi primis ſæculis, hinc inde Chriſtiani exſtiterunt; quippe Sozomenus aſſerit, *Omnem hanc Cæleſyriæ regionem, & quæ ſupra illam ſita eſt, ſola Antiochia excepta, ſerius quidem ad Chriſti fidem traductam fuiſſe, quamquam interim nec eam viris eccleſiaſticis vitam monaſticam colentibus caruiſſe, qui tanto fortiores apparebant, quanto magis ab incolis regionis hujus odio habebantur, inſidiiſque appetebantur.* Hinc effrænis ille gentilium furor in Chriſti miniſtros, Heliopoli, Arethuſæ, Apameæ, Emeſæ, & in aliis Cœleſyriæ urbibus debacchatus eſt, Apoſtata Juliano imperante, nec niſi ægrè admodum eorum fana ſub Theodoſio ſeniore diruta ſunt; à quo tempore ſub Chriſtianiſſimis principibus per illas provincias Chriſti religio invaluit.

Lib. 6. hiſt. eccl. c. 34.

Phœnicia maritima Antiochenæ diœceſis prima provincia.

XIII. Quia vero diſcipuli Chriſti in perſequutione, in qua S. Stephanus martyrum primus occubuit, per Judæam Samariamque & alias provincias vicinas diſperſi, Chriſtum ſubinde in Phœnicia maritima primùm prædicaverunt, unde Antiochiam ire perrexerunt, ubi frequentem eccleſiam inſtituerunt, ac Petrus præſertim, velut in *recognitionibus Clementis* nomine pridem evulgatis accurata ſatis ſerie traditum diximus. In illis quippe Petri Apoſtoli iter Antiochiam verſus deſcribitur, narraturque eum Hieroſolymis egreſſum, quum Cæſarienſem eccleſiam curaſſet, Tyrum veniſſe, eccleſiam in ea ſat numeroſam fundaſſe, tum in aliis ſubinde Phœniciæ maritimæ urbibus ſingulis, ubi preſbyteros duodecim cum epiſcopo ordinabat, donec Antiochiam appellens, ejus ſe primùm civitatis epiſcopum conſtituit, unde eccleſias quas peregre agendo fundaverat, paſtorali ſolicitudine curabat. Hinc factum eſſe conjicio, ut Tyri eccleſia reliquis Antiochenæ ditionis anteiverit, quæ ante alias omnes ab Apoſtolorum principe fuerat inſtituta, ejuſque metropolita Antiochenæ ſedis πρωτόθρονος appellabatur, ad quem Antiocheni Patriarchæ ordinatio ſpectaret. Quocirca Joannes Antiochenus in ſua ad Proclum Conſtantinopolitanum epiſtola diœceſis ſuæ provincias numerans, quæ initam cum Cyrillo Alexandrino pacem, ejurato Neſtorio amplexæ erant, à *Paralia*, ſeu *Phœnicia* maritima incepit.

Ex coll. Iren. Tyri epiſt. 197.

Phœnicia altera ſecunda diœceſis Antiochenæ provincia.

XIV. Tyrum Damaſcus proxime ſequebatur, Phœniciæ Libani, ſive ſecundæ & mediterraneæ metropolis eccleſiaſtica, etſi forſan non civilis. Quandoquidem alterius hujus Phœniciæ caput Emeſa eſt in Hieroclis Synecdemo. Enimvero in ſynodica epiſtola

Digitized by Google

Joannis Antiocheni quam modo appellabam, ubi ſecundam Phœniciam ſtatim poſt primam memorat, metropolitam ejus ſecundam cathedram diœceſis ſuæ poſſidere ait. *Illi qui ex ſecunda Phœnicia venientes propter ordinationem religioſiſſimi epiſcopi Theodori, qui tua dignus eſt ſanctitate, quemque te noſſe arbitror, illum dico qui eſt à ſecunda cathedra, id eſt conſeſſu, ipſi quoque ſubſcripſerunt.* Quum nempe Damaſcum ad ordinationem Damaſceni epiſcopi conveniſſent.

Aliæ diœceſis Antiochenæ provinciæ.

XV. Eadem epiſtola Joannes Antiochenus provincias alias ſuæ diœceſis numerat, binam ſcilicet Ciliciam, Arabiam, Meſopotamiam, Oſroënam, Euphrateſiam, Syriam ſecundam, Iſauriam Ciliciæ conterminam, quibus Syriam primam ſubjungit, quam ipſe, ut videtur, metropolitico jure regeret; nec dubium quin earum in ſacris conſeſſibus ordinem deſcripſerit. *Cilices utrique*, ait, *ab anno præterito his convenientia & conſona per conſpicuum Tribunum Ariſtolaum compleverunt, Arabes per metropolitanum ſuum, qui hic adſuit, religioſiſſimum epiſcopum Antiochum his acquieverunt. Meſopotamia, & Oſroëna, & Euphrateſia, & Syria ſecunda omnia quæ fecimus unanimiter vendicarunt. Ab Iſauris quæ facta ſunt olim, veſtra Deo amabilitas longe ante ſuſcepit. Primæ Syriæ hæc ipſa nobiſcum per ſemet, & ſapiunt, & ſubſcripſerunt epiſcopi.* Atque epiſtolam hanc Joannis Antiocheni Latinè tranſlatam editamque habemus in collectione ſynodica ex tragœdia Irenæi Tyri quondam epiſcopi Neſtoriani, quam ex codice Caſſinenſi Chriſtianus Lupus publici juris fecit.

Oſroëne à prima ætate Chriſtiana.

XVI. Oſroënam quod ſpectat, hæc Abgaro principe ſeu rege ſuo, primis temporibus Chriſtiana facta eſt opera S. Thaddæi Domini quondam è ſeptuaginta diſcipulis; qui à S. Thoma Apoſtolo miſſus Edeſſam regionis metropolim fuit. Euſebius l. 5. hiſt. c. 23. meminit concilii Oſroënæ vicinarumque provinciarum, in quo de Paſchalis ſolemnitatis die tractatum fuit. In chronico Euſebii ad annum 1. Macrini Imper. legitur: *Abgarus vir ſanctus regnavit Edeſſæ, ut vult Africanus.* Sanctorum porro Regum illorum opera Chriſti religionem in vicinas Oſroëne provincias, Meſopotamiæ ſcilicet & Perſidis, propagatam fuiſſe proclive eſt ut inferamus. Qua vero ratione factum ſit, ut Antiochenæ ſedis ordinationi obnoxiæ factæ ſint, non mihi ſatis exploratum eſt.

Cyprum inſulam Antiocheni ſibi olim vindicabant.

XVII. In epiſtola illa Joannis Antiocheni nulla Cypri inſulæ mentio, uti neque Perſidis. Cyprum vero inſulam quod attinet, quam ipſo fere Chriſtianæ fidei initio, veræ doctrinæ ſemina accepiſſe ex libro Actorum Apoſtolorum comperimus, ejus epiſcopi cum ſuo metropolita act. 7. concilii Epheſini juriſdictionem abnegaverunt Antiochenæ ſedis, cujus præſules hanc ſibi ſubeſſe debere ſæpe contenderant, ceu nonniſi ab Arianæ tyrannidis tempore inſulæ hujus metropolitas ordinare deſiiſſent. Quod quidem Alexandrum Antiochenum Innocentio Papæ I. ſignificaſſe comperimus ex ejuſdem Innocentii ad ipſum epiſtola. *Cyprios ſane aſſeris*, ait Pontifex Romanus, *olim Arianæ impietatis potentia fatigatos non tenuiſſe Nicænos canones in ordinandis ſibi epiſcopis, & habere præſumtum, ut ſuo arbitratu ordinent.* Scilicet cenſebant tunc Antiocheni, ex quo tempore ab Arianis divinus Euſtathius Antiochena pulſus ſede fuerat, propter diutiſſimum octoginta circiter annorum ſchiſma, quo Antiochena eccleſia variis de cauſis laboravit, contigiſſe, ut Cypri eccleſia ab Antiochenorum præſulum ordinatione ſeſe ſubduxerit.

Libertatem obtinent Cyprii.

At Cyprii opportunam occaſionem nacti, qua Joannes Antiochenus à legitima ſynodo Epheſina defecerat, ut Neſtorii hæretici partes tueretur, act. 7. ejuſdem concilii, quum nullus adeſſet qui Antiochenorum cauſam ageret, palam proteſtati ſunt, nulla hominum memoria, nullo monumento conſtare metropolitas ſuos Antiochiæ, aut ab Antiocheno epiſcopo ordinatos eſſe, ab omni proinde extraneæ regionis epiſcopi poteſtate immunes declarati ſunt. εἰ μηδὲ ἔθος παρηκολούθησεν, *dummodo hæc vetus conſuetudo non ſit, Cypri eccleſias ab Antiocheno ordinari, &c.* Quam ſententiam, quum abſoluta ac decretoria non eſſet, Petrus Fullo nihili faciendam putavit, quum Zenonis Imperatoris nutu Antiochenam ſedem rapuiſſet. Ac certe Fullo votorum compos evaſiſſet, niſi Anthemius Conſtantinæ ſive Salaminæ epiſcopus, metropolita Cypri, reperto prope civitatem ſuam S. Barnabæ Apoſtoli, ut ferebat, corpore, inſulæ ſuæ eccleſiam vere apoſtolicam eſſe, ab Apoſtolis Paulo & Barnaba primùm fundatam & adminiſtratam obtendiſſet, ſuique adeo juris eſſe debere.

In Perſide religio Chriſtiana exuberans.

XVIII. Perſis regio Conſtantini magni ætate Chriſtianis hominibus plena erat, quod certe eximius hic Imperator epiſtola quam ad Saporem Perſarum regem dedit, quamque Euſebius lib. 4. de vita illius cap. 13. Theodoretus quoque lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 25. recitant, egregie teſtatur. *Quanta porro voluptate me affici putaveris*, inquit, *quum audio id quod mihi maxime in votis eſt, his hominibus, Chriſtianis ſcilicet, nobiliſſima quæque Perſidis loca affatim eſſe decorata.* Τούτου τοῦ καταλόγου τῶν ἀνθρώπων, λέγω δὴ τῶν Χριστιανῶν, πῶς οἴει με ἥδεσθαι ἀκούοντα, ὅτι καὶ τῆς Περσίδος τὰ κράτιστα ἐπιπλεῖστον, ὥσπερ ἐστί μοι βουλομένῳ,

Digitized by Google

καλούμενοι. Sozomenus lib. 2. hiſt. Eccl. c. XI. ubi Perſidis ſub eodem Sapore rege facta A martyria narrat, Adiabenen totam, Tranſtigritanam provinciam omnem Chriſtianæ religioni addictam tradit, *ὅλην χριστιανίζον*. Hinc proinde tot illi ſub Sapore martyres, in quibus viginti tres quatuor-ve epiſcopos ille hiſtoricus memorat. Sed & amplius crevit religio ſub Iſdegerde rege, Arcadio Romanis imperante, primiſque Theodoſii junioris annis, Maruthæ Amidæ in Meſopotamia epiſcopi, qui Regem ſibi vitæ ſanctimonia providentiaque devinxerat, opera.

Qui auctores Perſidem Antiocheno Patriarchæ ſubjectam dixerint.

XIX. An vero ampliſſimæ regni hujus provinciæ Antiocheno Patriarchæ paruerint, an B rurſum Seleuciæ & Cteſiphontis archiepiſcopus illius in regionum harum eccleſiis adminiſtrandis vices geſſerit, operoſum fuerit inveſtigare. Petrus quidem Antiochenus Patriarcha, qui ſæculo undecimo medio ſedebat, in epiſtola ad Dominicum Gradenſem ita ſcribebat: *Reputa quanto amplior regione tua Babylon magna, Romagyris ſeu Choraſan, nec non reliquæ Orientis provinciæ, ad quas à nobis mittuntur archiepiſcopi & Catholici, qui ordinant in illis partibus metropolitas, quibus ſub-* C *ſunt multi epiſcopi.* Quæ explicatius ediſſerit Willelmus Tyrius. *Viginti provincias in ſua juriſdictione, ejuſdem Deo amabilis civitatis dicitur habere Patriarcha, quarum quatuordecim ſingulos habent metropolitas cum ſuis ſuffraganeis; ſex vero reliquæ ſub duobus primatibus, qui vulgari appellatione dicuntur Catholici, quorum alter eſt Anienſis, alter verò Hirinopolitanus, qui & Buldacenſis, quæ omnes uno nomine, Oriens videlicet, nuncupantur, ſicut ex ſynodo Conſtantin. colligitur, quæ ſic habet: Orientis autem epiſcopi ſolius Orientis curam gerant, ſer-* D *vato honore primatus eccleſiæ Antiochenæ, &c.* Hæc Tyrius velut & Petrus Antiochenus, utinam non ex vana Syrorum Antiochenorum oſtentatione potius quam rei veritate, ut prætenſa dumtaxat Antiochiæ præſulum jura jactaverint, non quæ vigerent in remotioribus illis Orientis partibus: quamquam non diffitear aliquos hinc inde Chriſtianos in illis paſſim regionibus, ac præſertim in Meſopotamia & Perſide ſuperfuiſſe qui priſtinam fidem catholicam integram foverent: ad quos proinde catholicos illos antiſtites ab E Antiocheno delegari neceſſum eſſet, invito Seleucienſi Neſtoriano.

Lib. 4. hiſt. cap. 9.

Canones Arabici id adſtruunt.

Hanc quidem Perſicarum eccleſiarum erga Antiochenam ſubjectionem adſtruit trigeſimus-tertius canonum Arabicorum qui Nicænæ ſynodo attribuuntur, quo nempe fertur, *ut honoretur quoque Dominus ſedis Seleuciæ qui eſt in regione Orientis, quæ vocatur Almodain, nomine Catholici, & nunc permitta-* *tur ei conſtituere metropolitanos, quemadmodum* A *faciunt Patriarchæ, ne damnum patiantur Orientales, ſi Patriarcham adeuntes Antiochenum ob neceſſaria negotia, ſive ab illo redeant, inveniantque Gentiles occaſionem nocendi eis; quia Patriarcha Antiochenus in hoc præbuit conſenſum, poſtquam rogavit eum ſynodus, ne ipſi diſpliceret de ablata ſibi poteſtate Orientis. In hoc enim nihil aliud quærebatur, niſi pax & quies Chriſtiana.* Sed & canone 35. juſſum erat: *Ne Seleucienſis ſynodum in provincia Perſidis habeat, nec ullas leges condat abſque licentia Antiocheni.* Qui canones Ara- B bici incertæ auctoritatis ſunt: quamquam complures eorum veterem quamdam diſciplinam indicant.

Obſcura Antiocheni Patriarchæ in Perſidem juriſdictio.

XX. Quæ quidem ſuperſunt hodie Chriſtianorum harum-ce regionum monumenta alia ſeu Græcè, ſeu Syriacè vel etiam Arabicè ſcripta, nullam ejuſmodi clientelam perhibent. Sozomenus lib. 2. hiſt. cap. 8. ubi dicere incipit de martyribus qui ſub Sapore rege Chriſti cauſa paſſi ſunt, Simeonem Seleuciæ & Cteſiphontis regiarum Perſidis civitatum *archiepiſcopum* vocat. *Συμεώνην τὸν τότε ἀρχιεπίσκοπον Σελευκείας καὶ Κτησιφῶντος τῶν ἐν Περσίδι βασιλευουσῶν πόλεων*. Procopius lib. 2. de bello Perſico cap. 25. ait, Chriſtianis Perſidis incolis unum præeſſe Pontificem, quem Græca voce Catholicum appellant, *τόν τε Χριστιανῶν ἱερέα καθολικὸν καλοῦσι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ*. Coſmas quoque Indicopleuſta lib. 1. Chriſt. Opinio. de Mundo, Patricium Perſidis catholicum Conſtantinopolim ſua ætate veniſſe prodit, hoc eſt Juſtiniano eodem Imperatore.

Atqui vox *καθολικὸς* delegatum quidem D procuratorem generalem, cenſoremque & luſtratorem Græcis ſignificat, pro quo etiam *ἔξαρχον* dixere; ut proinde non ſuapte auctoritate, ſed ſuperioris dumtaxat, miniſterium ſuum ageret. Sed & quis forſan auguretur vocem hanc Græcam archiepiſco Seleucienſi aſſignatam à ſuperiori præſule, qui Græca lingua uteretur. Annon vero etiam Antiocheni Patriarchæ in Perſidem auctoritas colligi queat, ex eo quod Joannes ipſe Antiochenus ait in conteſtatione ſua prima ad Theodoſium juniorem Imp. adverſus Cyrillum, E quæ exſtat in collectione ſynodica ex tragœdia Irenæi cap. 32. in ea principem rogat ne ſub ipſius imperio religionis orthodoxæ ſplendor, *qui in Perſarum firmatus eſt regione, periclitetur in imperialibus aulis*, additque: *non enim duplices Chriſtianiſmi doctrinas in Perſidem directurus es, Imperator, nec aliquid apud eos magnum fides noſtra putabitur, dum contendentibus nobis nemo ſit judex*: quæ nonnullam ejus de Perſicis eccleſiis ſolicitudinem

Digitized by Google

innuere videntur. Dicam ſaltem Perſicarum regionum primarium pontificem priſcum *Catholici* nomen hodieque ſervare, pro quo corrupte *Jakelik* pronuntiant; quod, ut dicebam, priſtinæ ejus à ſuperiore, adeoque Antiocheno, delegationis argumento eſt.

Nulla pridem ſocietas Chriſtianorum Perſidis cum Antiochenis.

XXI. Quidquid id eſt, quo tempore Petrus Antiochenus epiſtolam quam ante memorabam, Dominico Gradenſi ſcribebat, Catholicus ille ejus Romagyreos ſeu Bagdadenſis nequaquam ab Antiocheno patriarcha deſignabatur, ſed nec ei prorſus parebat. Nam à Juſtiniani ſenioris imperio, Chriſtiani qui in Perſidis provinciis agebant, nulla cum aliis de Romanorum ditione ſocietate juncti erant, propter Neſtorii hæreſim, qua illos imbuere Perſarum reges curaverant, ne ulla inter utroſque familiaritas foveretur. Cujus peſſimi conſilii auctor præſertim fuiſſe traditur Barſumas Niſibenus tunc temporis metropolita, quem Eutychius Alexandrinus Neſtorianam impietatem ſub Cabade rege in regionibus quæ illi ſuberant, promoviſſe, in annalibus Arabicis ſuis tradit. Subinde rurſum quotquot è Chriſtianis catholicam fidem retinuerant, hos Coſroës III. ut Heraclio Imperatori ſtomachum moveret, Neſtorianos fieri coëgit. Hinc proinde factum eſt, ut nulla apud Neſtorianos Perſidis hodiernos memoria ſuperſit, eccleſias ſuas ab Antiochena ſede ordinatas olim fuiſſe: nulla cauſa cur primatem ſuum Catholicum nuncupent. Quinimo Catholici illius ſui inſtituendi facultatem à Romana ſede acceptam ferunt alii, alii à Thaddæo Chriſti diſcipulo derivatam, quem Edeſſenam eccleſiam inſtituiſſe diximus. Cæterum Elias Antiochenus patriarcha anno Hegiræ 300. Chriſti 912. Bagdadum miſit Joannem Græcorum orthodoxorum Catholicum, quem Abraham Catholicus Chaldæorum obtento à Saraceno principe diplomate, ea urbe excedere coëgit, ſed & Elias Bagdadum adductus proprio chirographo ſe ſuoſque ſucceſſores obſtrinxit, ne inpoſterum liceret Catholico aut metropolitæ Græco in illa civitate manere aut ſedem figere; ſed identidem epiſcopum aliquem eo deſtinare, qui Græcos ibi commorantes viſitaret, eorumque neceſſitatibus conſuleret, tum deinde in regionem ſuam regrederetur. Hæc Aſſemanus ex Bar-hebræo.

Tom. 2. Biblioth. Orient.

Quis Anienſis Catholicus ſit Willelmo Tyrio incertum.

XXII. Quis Catholicus alter ille fuerit, quem Anienſem vocat Tyrius me neſcire prorſus fateor. Amidenſem legendum certè non puto, etſi hic Meſopotamiæ, quam Perſæ primum Romanis eripuerunt, metropolita extiterit. Armenum vel Armenium Catholicum pene dixerim, quando Nilus Doxapatrius Armeniam, illam utique quæ *Perſarmenia* dicta eſt, quæque à Catholico
A ſuo hodieque regitur, ſub Antiochena ſede collocat. Hunc tamen Catholicum, qui perinde atque Neſtorianus ille ſui juris factus eſt, & ut aiunt Græci, αὐτοκέφαλος, Cæſarienſi potius Cappadociæ Ponticæ diœceſis primati ſubjectum primitus fuiſſe ſuo loco demonſtravi. Fuit rurſum Tacritanus Catholicus alter Perſidis & Armeniæ dictus, quem Antiochenus Jacobitarum Patriarcha jam pridem à ſejunctione ſua poſt Juſtiniani tempora deſignabat: ut orthodoxi Antiochiæ pontifices conſuetudinem hanc à deceſſoribus ſuis
B inſtitutam ſequiori ætate putaverint.

An-non qui Iberiæ

Quamquam tacere non poſſum Patriarchas Antiochenos Græcos nonnullam ſibi juriſdictionem vindicaſſe in Iberiam. Theodorus quippe Balſamon in expoſitione ſecundi canonis ſecundæ ſynodi generalis, Antiochenæ ſynodi diſpoſitionem ait, Iberiæ epiſcopum honoraſſe, ipſomet Petri illius Antiocheni ævo: *latam ſiquidem tempore ſanctiſſimi Patriarchæ magnæ Antiochiæ Domni Petri ſynodicam conſtitutionem, qua ſanciebatur liberam eſſe, ac principalem, & αὐτοκέφαλον ec-*
C *cleſiam Iberiæ, ſed tamen Antiocheno Patriarchæ ſubjectam;* quod planè mirum, quandoquidem Iberia nulla ſua parte ad ditionem uſque præſulis Antiocheni pertinere reperitur, interjecta inter utraſque regiones Armenia. Cæterum quum Pontifex idem Iberiæ Primas fuiſſe videatur, qui Albaniæ, in narratione de rebus Armeniæ, mentio fit Apus Catholici Albaniæ, quem Boaneſes Armenorum Catholicus ad hæreſim ſuam protrahere conatus fuit, ut naturam unam in Chriſto prædicaret, & Triſagion hymnum
D Petri Fullonis interpolatione augeret. Sex provincias ſub duobus illis Primatibus, qui *Catholici* dicerentur, fuiſſe ſcripſit Tyrius. Sic quoque Nicolaus Trigaltius Jeſuita in opere de expeditione apud Sinas ab Societate Jeſu, ex commentariis Matthæi Riccii non-niſi ſex provincias numerat, quas Bagdadenſis Neſtorianorum Catholicus ordinaverit. Ille nimirum teſtimonio codicum Latinè ex Syro idiomate redditorum à Joanne Maria Campori de eadem ſocietate, contendit Chriſtianam religionem apud Sinas à beato Thoma
E Apoſtolo invectam, allatis etiam ea de re probationibus ex Chaldaïcis Malabaricæ eccleſiæ breviariis: tum ut idem evincat, ſummam canonum ſynodalium appellat, in cujus parte 2. ſermone 6. capite 19. *de canonibus conſtitutis ſuper epiſcopos & metropolitanos,* ſimul haberi ait canonem Theodoſii Patriarchæ ſeu Catholici, ſex inprimis provincias ſibi obnoxias narrantis: *Hæ ſex ſedes, capita provinciarum & metropolitæ videlicet Hilam, Nzivim, Prath,*

Tom. 2. Auctarii bibl. Patr.

Lib. 1. c. 11. p. 124.

Aſſur, Bethgarmi, & Halah, qui digni habiti ſunt, ut ordinationi Patriarchæ interveniant, nec abſunt ut alii, quarto quoque anno apud Patriarcham conveniant. Alii vero remotiorum regionum ſex ſubduntur: *ſic etiam epiſcopi magnæ provinciæ nimirum reliqui metropolitæ Chinæ, Indiæ, Pazes, Mauzeorum, Xam, Raziquaorum, Herionæ (hæc eſt Cambaïa) & Smarcandiæ (hæc eſt Mogor) qui longiſſimè abſunt, nec vaſtiſſimi montes & turbulentiſſima maria permittunt eis tranſitum ad libitum, mittant litteras conſentionis* (id eſt communionis) *ad Patriarcham ſemel ſexto quoque anno.* Quæ octo provinciæ aliæ non-niſi ſeptimo ſaltem ſæculo prioribus ſex adjectæ ſunt, imo & octavo, quo nempe ad Sinas uſque Chriſtiana religio invecta eſt à Neſtorianis illis, qui tunc temporis Antiocheno Patriarchæ amplius non ſuberant. Cæterum in illo canone Neſtorianorum, ubi Patriarchæ nomen Latina tranſlatio habet, in Syriaco textu ſcriptum *Jakelik* conjicio.

Quatuor Perſidis metropolitæ Antiochenæ ſedi erepti.

Sex porro illi primarii metropolitæ ad calcem titus ordinandorum epiſcoporum apud Joannem Morinum *de ſacris ordinationibus*, eadem perinde ſerie recitantur, ut tamen pro *Nzivin*, ſive Niſibe, legatur *Soba*, pro *Halah*, *Halowan*; nimirum *Hilam*, *Soba*, *Perath de Miſcan*, *Aſſyriæ*, *Bethgarmi & Halowan*; quarum metropoleon major pars Meſopotamienſes erant, ſcilicet Niſibenſis, Pheratenſis, Bethgarmienſis, ſeu Martyropolitanus & Halowanienſis. Nam Halowam in Algezira ſeu Meſopotamia collocat Nubienſis Geographus. Quamobrem eccleſiæ illæ Neſtorianorum Catholicis addictæ fuerant, quas Antiocheni Pontificis juriſdictioni pridem paruiſſe conſtat. Id quod ſubjugatis per Dynaſtas Perſarum Tranſeuphratenſibus provinciis factum fuit. *Pag. 205.*

Palæſtina Antiochenæ diœceſis non fuit.

XXIII. Sunt qui putent Palæſtinam omnem, cujus olim caput & metropolis Cæſarea maritima exſtitit, Antiochenæ quoque ſedis diſpoſitioni fuiſſe ſubjectam, ſeu quod veteribus Syriæ provincia cenſita fuerit olim Palæſtina; ſeu etiam Hieronymi magni auctoritate freti, qui Joanni Hieroſolymitano in ſua ad ipſum epiſtola crimini vertit, quod ad Theophili Alexandrini, non ad Antiocheni Pontificis judicium confugiſſet, ac ſi Palæſtina velut aliæ Orientis regiones, Nicæno maximè urgente canone, ipſi ſubdita foret: *Tu qui regulas quæris eccleſiaſticas*, inquit, *& Nicæni concilii canonibus uteris, & alienos clericos cum ſuis epiſcopis commorantes tibi niteris uſurpare, reſponde mihi: Ad Alexandrinum epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæſtinæ metropolis ſit, ac totius Orientis Antiochia.* Ex canone igitur Nicæno Hieronymus inferebat Antiochenæ potius
A ſedi, quam Alexandrinæ ſubjici debere Palæſtinam; at non certè ex recepto uſu, ſolitaque hujus provinciæ rerum eccleſiaſticarum adminiſtratione: quippe quod nullo nobis illorum temporum monumento aut teſtimonio exploratum eſt. Quin nec poſt triginta circiter annos Antiocheni præſules Palæſtinos ordinationi ſuæ ſubeſſe contenderunt, quando Joannes Antiochenus provincias ſuas tres, alias à Palæſtinis tribus ereptas ſibi à Juvenale Hieroſolymitano querebatur, conteſtatione ſua priore ad Theodoſium Imperato-
B rem, quam ſuperiùs appellavi: *Nos vero olim quidem*, aiebat ille, *dum quædam præſumpta ſint à reverendiſſimo quondam Hieroſolymitanorum Juvenali, quievimus, dum certè quæ debeamus bellare pro regulis, videremus. Tunc quaſdam feſtinationes & phantaſias ejus hujuſmodi contra utramque Phœniciam & Arabiam minime ignoramus.* Nimirum quum Antiocheni Patriarchæ fuiſſet metropolitarum ſuæ diœceſis jura tueri, nihil Joannes curabat Juvenalem tres Palæſtinas quæ à Cæſarienſi antiſtite prius regebantur, ſibi ſubjugaſſe:
C quod vero novellus ille Patriarcha utramque Phœniciam & Arabiam invadere cogitaret, hoc tranquillo animo non ferebat. Rurſumque quum Juvenalis Arabiam ſaltem ad ſuum regimen ſpectare contenderet, cauſa in Chalcedonenſi concilio act. XI. Maximum inter qui Joanni poſt Domnum ſucceſſerat, & Juvenalem agitata, nuſquam Maximus admodum conqueſtus reperitur quod Palæſtinas tres ille uſurpaſſet. Quamquam non omittendum Maximum eumdem, ne in totum deſeruiſſe vel abnegaſſe videretur jus quale-
D cumque ſuum in tres illas Palæſtinæ provincias, pacto cum Juvenale fœdere, conſenſiſſe ut illæ Hieroſolymitanæ ditionis fierent, *ſi tamen id venerabili Patri noſtro*, aiebat, *archiepiſcopo Romæ majoris placeret, qui cupit uti ſanctorum Patrum canones infringibiles permaneant.* Quæ leguntur in fragmentis ejuſdem concilii Latinis, in collectione nova Conciliorum, à Clariſſimo Stephano Baluzio adornata. *col. 1587.* Quod certè non eo animo dictum à Maximo fuiſſe cenſendum eſt, ut Cæſarienſis præſulis priſco juri conſuleret, ſed uti quum ſedes An-
E tiochena totius Orientis diſpoſitionem ſibi arrogaret, ipſe ſignificaret Palæſtinam quoque ad diœceſim ſuam quocumque tandem modo ſpectare.

Antiocheni Patriarchæ poteſtas in ſuæ diœceſis eccleſias, qualis.

XXIV. Antiocheni vero Patriarchæ poteſtas in eccleſias quæ ſuæ ſortis eſſent, non eadem fuit atque Alexandrini. Nam in Patriarchatu Alexandrino, ad Alexandriæ antiſtitem, omnes & ſingulas diœceſis ipſius epiſcoporum ordinationes ſpectaſſe dixi, nulloſque per

Ægypti

Digitized by Google

Ægypti, Thebaïdis & Libyæ provincias extitiſſe præſules alteros, qui metropolitico jure, ut alibi fiebat, provinciarum ſuarum epiſcopos conſecrarent: Antiocheni vero Patriarchæ ditio, uti confertiſſimis provinciis plurimis conſtabat, ita ſingulis illis ſinguli metropolitæ præerant, qui quum eſſent ab Antiocheno archiepiſcopo ordinati, ſubjectarum ſibi civitatum epiſcopos conſecrabant. Atque hæc ipſa eſt vetus illa conſuetudo, quam Nicæna ſynodus canone ſuperiùs laudato ſexto apud Antiochiam eſſe ſervandam ſanxit, Conſtantinopolitanaque ſubinde ſynodus prima generalis. Innocentius Papa I. epiſtola 18. quam Alexandro Antiocheno ſecundam dedit, hoc inſuper adjecit, non oportere reliquos epiſcopos inſcio, nec abnuente Antiocheno, conſtitui. *Itaque arbitramur, frater cariſſime, ut ſicut metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & cæteros non ſine permiſſu conſcientiaque tua ſinas epiſcopos conſecrari. In quibus hunc modum rectè ſervabis, ut longè poſitos litteris datis ordinari cenſeas ab his qui nunc eos ſuo ordinant arbitratu: vicinos autem, ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas pervenire.* Quibus poſtremis verbis Innocentius cenſebat archiepiſcopi Antiocheni facultatis ac juris eſſe, ut epiſcopos urbium non procul remotarum, licet metropolitis forſan propriis ſubeſſent, ſuarum ipſe manuum impoſitione conſecraret: niſi novum jus ſuggerere Alexandro voluerit.

Antiochenus Patriarcha extra primam Syriam epiſcopos non ordinabat.

XXI. Verum ab ejuſmodi ordinationibus epiſcoporum extra primam forte Syriam exercendis ſibi profecto temperarunt Antiocheni pontifices, uſque ad poſteriora ſaltem Epheſinæ ſynodo tempora, quibus Joannes Antiochenus jus illud exercuit in provinciis quarum metropolitæ pacis cum Cyrillo Alexandrino, Neſtorio proſcripto, initæ palam ſe refractarios præbebant. Quibus quum nimium ſe tunc addictum præferat Theodoretus, epiſtola ad Meletium Neocæſareæ epiſcopum, quæ exſtat in collectione ex tragœdia Irenæi, graviter perſtringit ordinationes epiſcoporum à Joanne variis in diœceſis ſuæ provinciis præter conſuetudinem priſtinam factas. *Vide tranſgreſſionem canonum,* aiebat, *& divinarum legum deſpectum. Quæ ei concedit regula, ut in aliena parochia conſecret! Imo quæ non hanc injuſtitiam vetat! Non ei ſuffecit illicite ordinare, ſed & adjecit alteram impietatem, ut talibus viris committeret ſacerdotium. Et Mariniamum novit, &c.* Nimirum varios hos epiſcopos eccleſiis vacantibus dederat, invitis metropolitis, à quibus verebatur, ne ſchiſma hæreſimque Neſtorianam in diœceſi Antiochena propagarent, ſi epiſcopos paſſim ſuæ factionis conſtituerent illi metropolitæ.

ep. 128.

Quod quidem, quum olim turbulentis Ariae tyrannidis temporibus, à ſanctiſſimis catholicæ eccleſiæ epiſcopis, per Orientis eccleſias factitatum ſit, quanto magis id Joanni Patriarchæ fas eſſe debuit! Rurſum Theodoretus idem epiſtola ejuſdem ſynodicæ collectionis 133. *Ad magnificentiſſimum magiſtrum militum data,* Athanaſium Dolichenſem & Mariniamum in Euphratenſi provincia à Joanne abſque metropolitis ipſorum ordinatos mœrens, ſubjungit: *Multi ſunt canones qui præcipiunt non debere epiſcopum conſecrari, neque abſque metropolitano ſuo, neque ſine decreto ſuæ regionis epiſcoporum; ſed ut aut cunctis præſentibus ordinatio celebretur, aut illis ſolis abſentibus, qui vel propter infirmitatem, vel propter alias neceſſarias occupationes abfuerint, vel per ſcripta conſentiunt, ut Chriſti gregum paſtores cum concordia conſecrentur & pace.* At Alexander Hierapolitanus Euphrateſiæ metropolita Neſtorianarum partium ardentiſſimus patronus erat. Hic vero quem Theodoretus refert, rerum ſtatus erat in Antiochena diœceſi, ex quo præſertim à ſynodo Conſtantinopolitana generali priore delegati epiſcopi fuerant, qui eam luſtrarent & componerent: poſtquam periculoſa ſub Conſtantio & Valente Impp. ætate ordinationes promiſcue paſſim raptimque ac præter ſancitas pridem regulas, à catholicis, ut mox dicebam, epiſcopis peractæ fuerant. Cæterum apparet Antiocheni Patriarchæ fuiſſe, metropolitas ſuæ diœceſis non ſolum ordinare, ſed ad ſuas civitates inſuper deducere, & eccleſiarum ſuarum thronis imponere; quod certe à Domno Antiocheno factum legimus ex libello Samuëlis & aliorum Edeſſæ clericorum, qui lectus eſt act. 10. Concil. Chalcedonenſis, παρεγένετο, inquiunt, εἰς Ἱεράπολιν, εἰς τὸν ἐνθρονιασμὸν τοῦ κυροῦ Στεφάνου, τοῦ θεοσεβεστάτου ἐπισκόπου, *Hierapolim venit ut Dominum Stephanum religioſiſſimum epiſcopum in throno collocaret.* Id quod certè per alios etiam quibus ejuſmodi manus impoſitiones committeret, facile præſtabat.

Antiochenus pontifex præ aliis Patriarcha dictus.

XXII. De Antiocheni Pontificis prærogativis non eſt quod multa dicam. Theodorus Balſamon, Antiochenus ipſe, ſæculo 12. deſinente, & 13. ineunte Patriarcha, in Meditatis canonicis ſuis, quæ lib. 7. Juris Græco-Romani edita ſunt, de ſingulorum quinque Patriarcharum præcellentiis honorumque titulis agens, Antiocheni præſertim archiepiſcopi hunc eſſe ait, ut præ cæteris Patriarcha appelletur. *Quum divina & ſacræ litteræ, paternaque traditiones Papam vocitent epiſcopum Romanum,* inquit, *nec non Alexandrinum; tum Conſtantinopolitanum, Hieroſolymitanum archiepiſcopum; ſolum vero Antiochenum,*

Digitized by Google

Patriarcham, qui fieri poteſt, ut Antiochena eccleſia nihil injuriæ patiatur, quando reliqui perinde Patriarchæ nuncupentur? cui quæſtioni reſpondet ille, *Hoc omnino fieri, propter honoris paritatem vel identitatem, quum quinque Patriarchæ vicem unius capitis totius corporis obtineant, ſanctarum ſcilicet Dei eccleſiarum.* Hæc Balſamon, etſi non accurate ſatis, cui non placeret, uti ſchiſmatico, Romanum Papam reliquis Patriarchis, tanquam ſuperius ſub Chriſto caput, præcellere. At ſæculo quinto medio Theodoretus, aliique ditionis Antiochenæ præſules nuſquam Primatem illum ſuum appellaſſe reperiuntur Patriarcham in iis quæ ſuperſunt monumentis ipſorum, ſed *archiepiſcopum* dumtaxat. Hoc *Patriarchæ* nomen illi, perinde atque Hieroſolymitano, datum legimus in actis ſanctorum monachorum Euthymii, Sabæ & Theodoſii; ſed quæ ſæculo ſexto ſcripta fuerunt.

Antiochenæ eccleſiæ calamitates plurimæ.

XXIII. Quot quantaſque Antiochena eccleſia calamitates, mutationeſque paſſa ſit abſonum non erit ſtrictim paucis recitare; calamitates, inquam, quibus eam ipſimet antiſtites ſui, hæreſum auctores vel patroni ac ſocii, deformavere. Horum agmini prævivit ſæculo tertio medio Paulus Samoſatenus, cujus impiæ doctrinæ confutandæ cauſa variarum regionum ac diœceſium epiſcopi Antiochiam bis convenerunt, eumque tandem in ſecundo conventu exauctorarunt. Sæculo inſequenti ſanctiſſimo Euſtathio Antiochena ſede pulſo, Ariani ejus in locum Paulinum Tyri, tum alios deinceps è ſuis ſubrogarunt, tum denique Meletium quem rectæ fidei ſtudioſum neſcirent. Hunc complures è catholicis admittere detrectantes, ut pote ab hæreticis inauguratum, Paulinum ejuſdem eccleſiæ preſbyterum, ſibi à Lucifero Caralitano, aliiſque præſulibus orthodoxis conſecratum epiſcopum ſuſceperunt. Interim alii atque alii Arianicæ factionis ſub Conſtantio & Valente Auguſtis, Antiochenam ſedem Meletio ejecto tenuerunt, ad Theodoſium uſque Imperatorem. Poſt Chalcedonenſe concilium ſæculo quinto labente, Zenonis & Anaſtaſii Auguſtorum auctoritate *Petrus Gnapheus* ſeu *Fullo*, aliique identidem illius ſanctæ ſynodi hoſtes eidem eccleſiæ præfecti ſunt, in primiſque Severus omnium vaſerrimus, qui Monophyſitarum errorem tricis dialecticis roboravit, admodumque per Orientis provincias propagavit. Qui quum in Ægypto, quò Juſtini I. piiſſimi principis iram veritus fugerat, diem ſupremum obiiſſet, ſucceſſor illi paulo-poſt ab hæreſis ſuæ alumnis Antiochenis ex eadem ſecta deſignatus eſt, cui alii deinceps ad noſtram uſque ætatem ex aliis ſuffecti fuerunt. Hique ſunt qui Ja-

Jacobitarum Antiochenus Patriarcha.

cobitarum Syrorum, ſeu Surianorum Patriar-
A chæ audiunt: at non Antiochiæ, ſed Tacritæ in Meſopotamia ad occiduum Tigridis fluvii latus poſita civitate, diu ſederunt: hodie vero in oppido quod Diarbekir vocatur, eodem ac regio reliqua nomine.

Athanaſius Jacobitarum Patriarcha Heraclio Monotheletarum errorem inſinuat.

XXIV. Horum Severi ſucceſſorum unus fuit Athanaſius ille, cui quo tempore Antiochena ſedes, necato à Judæis Anaſtaſio II. Patriarcha ſanctiſſimo, capta direptaque à Perſarum rege Coſroë II. civitas paſtore ſeu archiepiſcopo viduata mœrebat, Heraclius Imp. Conſtantinopolim Perſis devictis regre-
B diens, Antiochenum Pontificatum ſpopondit, dummodo Chalcedonenſem ſynodum admitteret. Qui Imperatori rem difficilem non fore dixit, ſi daret operam, ut una dumtaxat in Chriſto voluntas & operatio prædicaretur: cui nefariæ ſuggeſtioni, Sergio Byzantino Patriarcha ſuggerente, aſſenſus eſt Heraclius. Hæc narrat Theophanes, qui tamen Antiochenam ſedem Athanaſio illi conceſſam ſilet. At poſt annos aliquot Macedonius quidam Antiochenus Patriarcha in aliena provincia, Conſtantinopoli utique factus, ac
C ſine cleri plebiſque Antiochenæ decreto conſueto ordinatus, ejuſque ſucceſſor Macarius Monotheleticum errorem mordicus tenuerunt, & quum per octoginta annos & amplius poſt Cyrum Monotheletarum anteſignanum nullus interim eſſet Alexandriæ Patriarcha qui Chalcedonenſem ſynodum admitteret, epiſcopi Ægypti, qui puri puti Jacobitæ ſeu Monophyſitæ non eſſent, ſed Monotheletæ, à Syriæ maritimæ ſive diœceſis Antiochenæ alumnis epiſcopis ordinabantur: quo tempore cunctæ regiones illæ, Ægyptus
D & Oriens omnis, Saracenis principibus parebant.

Antiochena eccleſia Monotheletica.

Antiocheni Patriarchatus adminiſtratio Philadelphienſi antiſtiti commiſſa.

XXV. Paucæ igitur his in regionibus eccleſiæ genuinam fidem orthodoxam fovebant præter illas quæ in Palæſtina erant, quæque in Arabia, earumque provinciarum locis vicinioribus. Harum curam egit Romanæ ſedis Pontifex, inprimiſque S. Martinus Papa in ſynodo ſua Lateranenſi. Quamobrem, quum nullus etiam tunc temporis Hieroſolymorum Patriarcha exiſteret, Joannem Philadelphiæ in Arabia metropolitam, *auctoritate Apoſto-*
E *lica, quæ ſibi data eſſet à Domino per Petrum Apoſtolum, conſtituit, ut ſuam iſtic vicem expleret, id eſt in Orientis partibus, in omnibus eccleſiaſticis functionibus atque officiis, ad tollendam omnem hæreſim quæ verbo fidei adverſatur, & ad omne vitium expugnandum, ut ſic proſperans in Domino ea quæ deforent, corrigeret, conſtitueretque per omnem civitatem earum quæ ſedi, tum Hieroſolymitanæ, tum Antiochenæ ſubſunt, epiſcopos, & preſbyteros, &*

diaconos, &c. Aiebat in fine epiſtolæ ſe ſuaſiſſe Deo amabilibus epiſcopis Theodoro Eſbuntiorum & Antonio Baccathorum ejuſdem provinciæ Arabiæ, ut ipſi Joanni in omnibus adeſſent, ejuſque ſpirituali voluntati inſervirent.

Antiochenæ eccleſiæ ſtatus ſub Saracenis.

XXVI. Macario Antioch. Patriarcha hæretico damnato in ſexta ſynodo generali, Romamque emendationis gratia miſſo, Conſtantinopoli ut antè, in illius locum ſuffectus fuit Theophanes, qui in hac urbe regia, velut & deceſſor ſuus, commoratus eſt, ejuſque ſubinde ſucceſſor, quum ipſis minime per Saracenorum dynaſtas liceret Antiochiam adire. Interrupta vero mox iterum fuit Antiochenorum præſulum ſeries per quadraginta plureſque inſuper annos uſque ad Conſtantini Copronymi Imp. ſecundum, quo Heſham Califas civitatis hujus Chriſtianis annuit tandem ut epiſcopum eligerent. Hoc illi præſtiterunt ad finem uſque ſæculi undecimi, quo Latini noſtri milites cruce ſignati Antiochiam de Saracenis expugnarunt. Tunc porro Joannes qui Patriarchatum gerebat, quum noſtrorum ritibus ac moribus non aſſueſceret, Conſtantinopolim velut abdicato pontificatu ſeceſſit; quo factum eſt, ut à noſtris latini ritus Patriarcha conſtitutus ſit. Interim nihilominus Byzantini Antiocheno Joanni apud ſe defuncto ſucceſſorem Græcum more antiquo deſignarunt, alioſque deinceps, qui in urbe illa regia agebant, donec Latinis per Saracenos è Syria expulſis anno 1267. ſuos iterum Græci ſermonis Antiochia præſules habuit ad noſtram uſque ætatem: ſed ea urbe inſigni quondam funditus everſa deſolataque, Patriarcha Damaſci ſedem fixit.

Latinus Patriarcha creatus, itemque Græcus.

De Patriarchis Conſtantinopoli commorantibus.

XXVII. Cæterum Theodorus Balſamon Antiochenus ipſe, ut prædictum eſt, Patriarcha, in Meditatis ſuis quæ ſuperius appellavi, ſat innuit non omnibus arriſiſſe Antiochenorum illorum antiſtitum, ipſiuſque adeo Balſamonis in urbe regia manſionem, nonnullis contendentibus oportere ſingulos Patriarchas in ſuis diœceſibus verſari, extra quas nullis ſuis dignitatibus ac privilegiis potiri deberent. Quum enim inſtar quinque corporis humani ſenſus in eccleſia univerſa illos eſſe conſtitutos ferrent, hinc fas non eſſe colligebant, ut quiſquam eorum extra ſua loca reſideret. Ille vero negat Alexandrinum Antiochenum-ve, aut reliquos Patriarchas, iis ſuis juribus privatos fore, ſi forte extra provinciam diœceſim-ve ſuam agerent; jam dudum enim ſancitum fuiſſe, *ut haud dubie nulla de cauſa, aut prætextu, κἂν τὸ ἀπαραίτητον Patriarchicis juribus deſtituantur, etiam ii Patriarchæ qui cæteroqui ſacros ſibi deſtinatos thronos ob Gentilium invaſionem non poſſident. Quamvis enim gloria thronorum ſuorum per vim exciderint, tamen ſpiritualis gratia ſecundum Davidem non exſoleſcet.* Complectendos itaque amanter Patriarchas infert, qui ſanctis eccleſiis ſuis ejecti & exules in aliena diœceſi degunt. Tandem in fine Meditati illos confutat qui urgendo objiciebant (ceu iſtud à canonibus ſtatutum eſſet,) à Patriarchatu removendos Antiochenum & Hieroſolymitanum, nec cenſendos pontifices, qui non vel extremo cum periculo ſeſe conferrent ad thronos à barbaris occupatos, nec martyrii coronam perſequerentur. Tum ad canonem Trullanum 37. provocat, quo objectum hoc nimis importunum elevet. Atque hæc de Patriarchatu Antiocheno ab illius inſtitutione ad uſque belli ſacri tempora, quo expugnata de Saracenis Antiochia, latini ritus antiſtitem habere cœpit.

Antiochia à Latinis occupatur.

XXVIII. Capta eſt à Latinis Antiochia anno 1098. die 28. Junii, cujus urbis ſitum ſtatumque Auctor libri cui titulus *Geſta Francorum & aliorum Hieroſolymitanorum*, cap. 32. ita paucis deſcribit: *Hæc urbs Antiochia valde eſt pulcra & honorabilis, quia intra muros ejus ſunt quatuor montaneæ maximæ, & nimis altæ. In altiori quoque caſtellum ædificatum mirabile & nimis forte. De deorſum eſt civitas honorabilis & conveniens, omnibuſque ornata honoribus: quoniam multæ eccleſiæ ſunt in ea ædificatæ, trecenta & ſexaginta monaſteria in ſe continet. Sub ſuo jugo continet Patriarcha centum quinquaginta epiſcopos.* Huic ſcriptori Baldricus Dolenſis archiepiſcopus concinit. *Antiochia civitas eſt pulcherrima*, ait, *& munitiſſima, & copioſorum redituum opulentiſſima. Sunt intra eam quatuor montaneæ ſatis altæ, in quarum una, ſublimiori ſcilicet, caſtellum eſt, quod omni civitati prominet. Deorſum civitas eſt decenter ordinata, & duplici muro circumdata. Pro ſuo magno primatu Patriarcham habet, cujus Patriarchatui ſubjiciuntur centum quinquaginta tres epiſcopi.* Eccleſiarum numerum tribus dumtaxat auget Baldricus. Is vero erat Antiochenæ, tum civitatis, tum eccleſiæ ſtatus, quando Francorum armis debellata fuit.

Urbe poſt longam obſidionem & expugnationem compoſita, *curæ fuit omnibus*, ait lib. 6. c. 23. Willelmus Tyrius, *& præcipue patrono exercitus viro venerabili Domino Podienſi epiſcopo Apoſtolicæ ſedis legato, cooperantibus aliis qui in eodem exercitu erant pontificibus, & plebe ſuffragia miniſtrante, tam majorem urbis eccleſiam quæ in honorem principis Apoſtolorum dedicata erat, quam reliquas quæ per urbem conſtitutæ erant, in priſtinum decorem reformare baſilicas, & in eis clerum conſtituere, qui divinis jugiter ſe manciparent*

Digitized by Google

obſequiis. Narratis Tyrius quæ profana & impia Mohammedani in ſacris Chriſtianorum locis hac in urbe admiſerant, ſubjungit: *Placuit igitur de communi conſilio, ut ſtatim ſine dilatione eis clerus reſtitueretur, & priſtina reformaretur dignitas, deſignatis ſtipendiis unde poſſent ſuſtentari qui in eis Domino militarent. Obtulerunt itaque de ſpoliis hoſtium, aurum, argentum, unde fierent candelabra, cruces, calices, textus Evangeliorum, & cætera eccleſiaſticis neceſſaria uſibus utenſilia, holoſerica quoque ad opus ſacerdotalium inſtrumentorum & altarium operimenta. Dominum quoque Patriarcham, Joannem nomine, qui tanquam verus Chriſti confeſſor poſt noſtrorum adventum infinita ab infidelibus pertulerat ſupplicia, in propria ſede cum multo honore locaverunt; per urbes ſingulas quæ cathedralem habere conſueverunt dignitatem conſtituentes epiſcopos. Noſtræ vero Latinitatis Patriarcham eo vivente qui ordinatus fuerat, eligere vel conſecrare non præſumpſerunt, ne duo unum & eumdem thronum obtinere viderentur, quod manifeſte contra ſacros canones, & contra ſanctorum ſtatuta Patrum eſſe dignoſcitur. Sed tamen poſtmodum vix evoluto biennio, videns ipſe quod non ſatis utiliter præeſſet Græcus Latinis, urbe cedens Conſtantinopolim abiit. Poſt cujus diſceſſum convenientes ejuſdem civitatis clerus & populus, Artaſienſem epiſcopum, Bernardum nomine, natione Valentinum, qui in hac eadem expeditione Dominum Podienſem epiſcopum ſequutus fuerat, capellanus ejus, ſibi præfecerunt Patriarcham.*

Patriarcha Latinus electus.

Archiepiſcopum creat, & pallio donat.

Patriarcha itaque de Latina gente conſtituto, reliquis Syriæ civitatibus quas noſtri occupavere, Latinos epiſcopos deſignarunt. Quamobrem urbe capta quam illius ævi ſcriptores noſtri Albariam nominant, in Apamienſi provincia poſitam, Petrus Naborienſis ei datus pontifex fuit, qui à Bernardo Patriarcha conſecratus, archiepiſcopus ſive metropolita factus eſt, pallioque ab ipſo donatus: ita nempe, ut quemadmodum in Occidente metropolitæ à Romano Papa, velut à Patriarcha ſuo pallium metropoliticæ dignitatis apud Latinos inſigne accipiunt, ſic in Antiochena diœceſi quicumque metropolitæ ordinarentur, pallio perinde à Patriarcha induerentur. Quod etiam jus Hieroſolymitanus Patriarcha Latinus in ſua diœceſi exercebat.

Antiocheni & Hieroſolymitani Patriarcharum jurgia de metropoli Tyri.

XXIX. Id quod certe compertum magis fit ex diſſidio quod Palæſtina à Francis ſubacta, contigit inter utrumque Patriarcham, Antiochenum & Hieroſolymitanum; quum enim Balduinus I. Hieroſolymorum Rex, Godefridi Bullonii frater, agentibus ſanctæ civitatis clericis à Paſchali II. impetraſſet Hieroſolymitanæ ſedi ſubjici quaſcumque civitates armis ſuis obtineret, ſubindeque Tyrus ab eodem Balduino expugnata eſſet, Hieroſolymitano Pontifici addicta fuit ab Honorio Papa II. datis litteris quas Willelmus Tyrius lib. 13. c. 23. recitat, quum tamen, ut prædiximus, eccleſia Tyri primaria ſemper fuiſſet metropolis diœceſis Antiochenæ, ſuaque Antiochenæ ſedi priſtina jura integra inviolataque ſervanda Paſchalis II. ipſe ſanxiſſet. Atqui Honorius diploma ſuum dedit, quum Willelmus natione Anglus ex ſepulcri Dominici priore Tyri antiſtes creatus, à Guaremundo ſeu Germundo Hieroſolymitano pallium accipere nolens, Romam illud ab ipſo potius Romano Papa petiturus perrexiſſet. Poſthac Fulcherus Willelmo ſucceſſor datus, etſi à Willelmo Hieroſolymitano conſecratus erat, pallio tamen ab ipſo ornari renuit, ſed deceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens, Romam profectus eſt, illud ab Innocentio Papa II. quæſiturus. Innocentius quidem Willelmo Patriarchæ ſcripſit, uti mitius cum Fulchero Tyrio ageret. Cæterum Romam reverſus Fulcherus mandatum accepit, ut quouſque deliberaretur utri amborum Patriarcharum Tyrus in poſterum cederet, ipſe interim ſicuti deceſſori ſuo renuntiatum fuerat, Hieroſolymitano pareret, ea vero prærogativa apud ſanctæ civitatis ſedem potiretur, qua Tyri quondam metropolitæ Græci apud Antiochenam, ſeu ut πρωτόθρονος, hoc eſt primæ poſt Patriarcham ſedis archiepiſcopus eſſet, ipſiuſque proinde Patriarchæ conſecrator. Quo proinde judicio priſca Cæſarienſis ſedis metropoliticæ dignitas iterum imminuta eſt, quæ prima Palæſtinæ metropolis eſſet.

Tyrus Hieroſolymitanæ ſedi à Romano Pontifice addicta.

Demum ab eodem Innocentio Tyri metropolis Hieroſolymitanæ diœceſis in poſterum facta eſt, datis litteris quas Willelmus ipſe Tyrius refert l. 14. c. 12. ſed & Gerardo Tripolitano, Radulfo Tortoſano, & Henrico Biblitano Pontifex ſcripſit, uti Tyrenſi metropolitæ ſuo morem ex animo gererent, idemque mandavit rurſum Balduino Berytenſi, Bernardo Sidonienſi & Joanni Ptolemaïdenſi. Ad hæc rurſum, uti par erat, Radulfo Antiocheno, ne epiſcopos Tyrenſi metropoli ſubjectos à debita illi reverentia & obedientia præſtanda deterreret.

Cur ſic ab Innocentio Papa II. ſancitum?

XXX. Atqui Innocentius ſex epiſcopos illos Tyri metropolitæ attributos voluit, ne quorum civitates regni Hieroſolymitani erant, alteri præterquam Hieroſolymitano Patriarchæ parerent. Hic ſiquidem Hieroſolymitanus antiſtes propter Paſchalis Papæ diploma cujus ante memini, ſex illarum urbium epiſcopos conſecraverat, ut poſtea

Digitized by Google

Chriſtianorum armis ſubacta Tyro, præſulem in ea creare poſſet, qui ſuæ ſedis obnoxius deinceps fieret; quum interim epiſcopatus alii Antiochiæ viciniores, ad Principatum Antiochenum ſpectantes, à Tyri metropolita ſecreti Antiocheno Papæ obedirent. *Quo factum eſt,* ait Willelmus loco ſuperius notato, *ut Tyri ſedes diſtractis membris quorum integritate à diebus antiquis, à temporibus Apoſtolorum, convenientibus ſanctis & univerſalibus ſeptem ſynodis longe lateque floruerat, lacera jacuerit, ſuis potioribus mutilata membris. Cæterum hujus tanti mali cauſam,* inquit, *Romanæ non immerito imputamus eccleſiæ, quæ dum Hieroſolymitano nos præcepit obedire, ab Antiocheno indebitè nos patitur decurtari.* Poſthac Tyrenſis provincia ſeptimo epiſcopatu aucta eſt, Paneade ſcilicet, ſeu Cæſarea quondam Philippi, quam noſtri quoque debellaverunt.

Antiocheni Patriarchæ Latini pallium à Romano Papa accipiunt.

XXXI. Quum ex iis quæ ſuprà dicta ſunt, compertum fiat, metropolitas, tum Hieroſolymitanæ, tum Antiochenæ diœceſium Latinos pallium accepiſſe à Patriarchis ſuis, ipſi tamen Patriarchæ illud à Romano Papa tenebantur impetrare; quod aliquando fuiſſe factitatum à Conſtantinopolitano Patriarcha Græco aſſerit Luitprandus Cremonenſis. Quocirca Radulfus ille Antiochenus è Latinis Patriarcha in crimen apud Innocentium Papam II. vocatus fuit, quod ipſe de eccleſiæ ſuæ altari Pallium ſumſiſſet, ac ſe Romano præſuli, ceu ſucceſſorem alterum Petri Apoſtoli æquare attentaret. Unde quum Romam ſeſe variis criminibus aliis quibus accuſabatur, purgaturus veniſſet, cauſa dicta, *reſignato pallio,* ait Willelmus Tyrius, *quod idem Patriarcha de altari Antiochenæ eccleſiæ ſua ſibi auctoritate ſumpſerat, in injuriam, ut dicebatur, ſedis Apoſtolicæ, & cardinalibus tradito, aliud ei ſumptum de corpore beati Petri, more ſolemni per priorem diaconum traditur.* Quo ſolenni ritu volebant Romani novos illos Patriarchas ſibi mancipare, à qua lege veteres Græci illorum deceſſores, ſi non omnino Conſtantinopolitanus, at ſaltem Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus immunes ſemper fuerant. Quinimo ex locupletiſſimo teſte Ughello conſtat Mediolanenſes ipſos de Italia archiepiſcopos ad uſque tempora ejuſdem Innocentii, nonniſi de altari quoque eccleſiæ ſuæ pallium accipere ſolitos: quem priſcum morem ut deſererent, auctor fuit S. Bernardus Clarevallenſis Abbas, quando illos Innocentio reconciliavit, à cujus communione ſejuncti prius fuerant, Petri Leonis ſchiſmati dediti. Sed in primis ex his quæ recitabimus in Aimerico Patriarcha Latino ſecundo apparet, nec Patriarchis Latinis fas fuiſſe pontificale munus aliquod obire non accepta electionis ſuæ à Romano Papa confirmatione: quando Aimericus Hieroſolymitanus electione ſua ab Apoſtolica ſede nondum confirmata, nuptiis Balduini Regis cum Theodora Byzantina benedicere minime potuerit, ſed ad ceremoniam conficiendam Antiochenus Aimericus accerſitus ſit.

Italia ſacra tom. 4. pag. 197.

Maronitæ eorumque Patriarcha.

XXXII. Ex Eutychio Alexan. dixi, Ægypti epiſcopos, qui Chalc. ſynodum amplecterentur, quum totos 80. annos Patriarcha carerent, in Syriam Phœniciam-ve proficiſci ſolitos, ut illic ordinarentur, illudque ab eis ideo geſtum eſſe, quod in illa regione, quæ Antiochenæ diœceſis eſſet, Monotheletica hæreſis graſſaretur, in quam ipſi Cyro Alexandrino duce impegerant. Atqui Phœnicum illorum Monotheletarum nepotes fuerunt Maronitæ Libani incolæ, qui quum antehac Chalcedonenſi ſynodo refractores ſe præbuiſſent, ita ut patratam à Petro Fullone interpolationem Triſagii admitterent, ex Monophyſitis Monotheletæ ſaltem evaſerant. Quod certiſſimo Willelmi Tyrii conſtat teſtimonio quod expendere curabimus, ubi ſpeciatim de Maronitis agemus. Hi quum Patriarcham ſibi creaſſent, ac ſeſe poſtea Romanæ eccleſiæ ex animo dedidiſſent, Romani Pontifices de accuratiſſima ſinceriſſimaque fide eorum certiores facti, illi ipſorum antiſtiti conceſſerunt, ut *Patriarcha Maronitarum Antiochenus* nuncuparetur. Quo factum eſt, ut tres Patriarchæ Antiocheni habiti ſint, Græcus, Latinus & Maronita; Latinus, inquam, à tempore bellorum ſacrorum contra Saracenos, ita ut etiam poſt captam à Turcis Antiochiam Romanus Pontifex aliquem ſemper è ritu Latino deſignet, qui titulo tenus Patriarcha Antiochenus habeatur. Maronitarum vero Patriarcha, non ſimpliciter Antiochenus dicitur, ſed Patriarcha Antiochenus Maronitarum.

Eccleſiæ Antiochenæ hodiernus ſtatus.

Turco-Græcia lib. 4. p. 296.

XXXIII. Martinus Cruſius de Antiochiæ ejuſque Patriarcha Græco hæc ſcribit: *Cæterum Antiochia quaſi tota vaſtata eſt, pagos Turcarum habens, & unum pagum Chriſtianorum, in quo una eccleſia & Chriſtianorum Domus LX. Patriarcha Damaſci habitat, habens unam eccleſiam & Chriſtianas domos amplius CIↃ ut ex D. Gerlachio didici.* Hodie vero quum epiſcopi Syriæ alii ſedi Apoſtolicæ Romanæ adjuncti ſint, alii nequaquam, hinc factum eſt, ut quem Romanæ communionis ſocii eligi curaverant, à ſchiſmaticis Damaſco ſecedere, atque Halepum ſe recipere coactus ſit, quum illi interim ſuum alterum habeant qui Damaſci commoratur.

Digitized by Google

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI.

I. Petrus *Apoſtolus*.

PETRUM Apoſtolum quo anno è carcere Herodis ab Angelo ereptus fuit, Antiochiam veniſſe, illicque primùm ſediſſe dixi; hoc eſt circa annum Chriſti quadrageſimum-quartum. Unde Romam profectus eſt verſus primum Neronis annum, ut vulgo ſentiunt accuratiores temporum indagatores. Primus, inquam, Antiochenæ eccleſiæ pontifex fuit, quum nullus antehac deſignatus eſſet, qui curam ejus præ tot illis viris prophetis & doctoribus, quibus egregie ornabatur, in ſe reciperet.

II. Evodius.

A S. Petro *Evodium* Antiochenis datum epiſcopum augurari licet, quando ad Apoſtolica munia Romam uſque obeunda profectus eſt; ut nempe ſuas abſentis vices expleret. Petri porrò in Antiochena ſede, ſive ſucceſſorem, ſeu etiam vicarium faciunt, præter epiſtolæ ad Antiochenſes Ignatii nomine inſcriptæ auctorem, Euſebius lib. 3. hiſt. eccl. cap. 22. & in canone Chronico, Hieronymus item non ſolum in canonis illius Euſebiani tranſlatione, verum etiam in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum; in quo quum Ignatium Antioch. eccleſiæ poſt Petrum Apoſt. fuiſſe epiſcopum dixerit, Evodium proinde Petro vivente ſediſſe innuebat; Auctor inſuper Homiliæ *de Pſeudoprophetis* inter opera S. Joannis Chryſoſtomi, ſed qui ſæculi ſexti vel ſeptimi cenſendus eſt, ut alios ſequioris ævi ſcriptores taceam. Non omittendus videtur Joannes Malalas, cui fidem adhibere juvat, ubi de rebus Antiochenis, Antiochenus ipſe, ſcribit, etſi in multis aliis frequenter fallatur & fallat. *Sub initiis*, inquit, *imperantis ejuſdem Claudii Cæſaris*, μετὰ τὸ ἀναληφθῆναι τὸν κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν, μετὰ ἔτη δέκα, πρῶτος μετὰ τὸν ἅγιον Πέτρον τὸν ἀπόστολον τὴν χειροτονίαν τῆς ἐπισκοπῆς τῆς Ἀντιοχείας μεγάλης πόλεως τῆς Συρίας ἔλαβεν Εὔοδος γενόμενος πατριάρχης. *Decem poſt annis quam Dominus & Deus noſter Jeſus Chriſtus in cælum aſſumtus fuit, primus poſt ſanctum Petrum Apoſtolum Antiochiæ Syriæ epiſcopus factus eſt Evodus*. Addit ex neſcio quibus monumentis, ac certè cum ſacro ſcripturæ textu non prorſus, ut videtur, conſonis: A Καὶ ἐπὶ τούτου χριστιανοὶ ὠνομάσθησαν τοῦ αὐτοῦ ἐπισκόπου προσομιλήσαντος αὐτοῖς, καὶ ἐπιθήσαντος αὐτοῖς τὸ ὄνομα τοῦτο· πρότερον γὰρ Ναζαραῖοι ἐκαλοῦντο, καὶ Γαλιλαῖοι ἐκαλοῦντο χριστιανοί. *Hujus quoque tempore Chriſtiani nominati ſunt, quum Evodus idem apud ipſos verſaretur, hocque eis nomen imponeret: prius enim Nazaræi vocabantur, ac Galilæi quoque appellabantur.*

III. Ignatius *Martyr*.

Ignatium, quem Euſebius in Chronico, Hieronymo interpretante, Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ fuiſſe diſcipulum ſcripſit, à B B. Petro Antiochiæ epiſcopum ordinatum graviſſimi auctores tradidere, iique Antiochenæ eccleſiæ alumni, Chryſoſtomus homilia de ipſius Ignatii laudibus, Theodoretus dial. 1. cum Eraniſta, ubi ejuſdem ſanctiſſimi martyris teſtimonium profert, quibus Joannes Malalas ſuccenturiatur, qui vera falſis multa paſſim ſolet admiſcere. Narrat ſcilicet, quum Petrus Romam proficiſceretur, & Antiochia tranſiret, contigiſſe Evodium epiſcopum & Patriarcham Antiochenum mori, ejuſque in locum ab eodem Apoſtolo C Ignatium ordinari: διερχομένου αὐτοῦ δὲ Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης συνέβη τελευτῆσαι Εὔοδον τὸν ἐπίσκοπον καὶ πατριάρχην Ἀντιοχείας· καὶ ἔλαβε τὸ σχῆμα τῆς ἐπισκοπῆς Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης, τοῦ ἁγίου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου χειροτονήσαντος. Sunt tamen qui, ut prædictum eſt, Evodium à Petro, & Ignatium à Paulo ordinatos volunt, ut ille Judæorum, hic Gentilium epiſcopus eſſet, quod quædam de Lino & Cleto Romanæ eccleſiæ epiſcopis Conſtitutiones tradunt, quæ Apoſtolicæ dicuntur; ſed illorum conjectatio nullo veteri teſtimonio fulcitur. D Septem quas S. Polycarpus martyr Ignatii epiſtolas collegit, quaſque Hieronymus poſt Euſebium, imo Origenem & Athanaſium magnum laudat, ab ipſo ſcriptas eſſe ſanis doctiſque omnibus conſtat: undecimo tandem, vel decimo Trajani Imperatoris anno, ut communis ſententia fert, Chriſti 107. die 20. Decembris, ut Græci codices Homiliæ ſancti Chryſoſtomi, quam ſuperiùs appellavi, tradunt, vel 17. velut Beda quondam in Martyrologio, glorioſus Martyr occubuit. Cæterum Doctiſſimus Antonius

Digitized by Google

Pagi, Loydii Aſaphenſis Angli litteris convictus, martyrium ejus aſſignavit anno 116. A propter Joannis Malalæ inprimis auctoritatem, aſſerentis, *quo tempore terræ motus Antiochiæ accidit, Imperatore illic agente, Ignatium Antiochenum epiſcopum*, Chriſti confeſſione functum, cui Trajanus ab eo increpatus ſuccenſeret. Εμαρτύρησε δὲ ἐπὶ αὐτοῦ τότε ὁ ἅγιος Ιγνάτιος, ὁ ἐπίσκοπος τῆς πόλεως Αντιοχείας· ἠγανάκτησε γὰρ κατ' αὐτοῦ, ὅτι ἐλοιδόρει αὐτόν. Ille ſiquidem terræ motus, aiunt viri ambo eruditi, poſt duos annos contigit ab adventu Trajani in Orientales plagas, quem vix illam calamitatem evaſiſſe Dio Caſſius prodit. B Anno autem imperii ſui 16. Trajanus, ſeu Chriſti 113. die 8. Januarii Antiochiam venit, unde Orientem verſus ad Parthicum bellum perrexit: quo poſt biennium ampliuſque confecto, Antiochiam rediit, ubi Ignatium Chriſtum ingenuè confitentem, ſuaſque ſuperſtitiones liberrime increpantem, ad beſtias damnatum Romam duci juſſit, in qua poſt longum ac diuturnum iter ſub anni 116. finem martyrio functus eſt. Plane hoc anno martyrii Ignatii ritè aſſignato, reliquorum Antiochiæ Patriarcharum chronologia ad C Theophilum uſque optime cohæret.

IV. Heron.

Martyri Ignatio ſuffectum fuiſſe *Heronem* tradit Euſebius in Chronico, ac lib. 4. c. 36. διαδέχεται, inquit, μετ' αὐτὸν τὴν τῆς Αντιοχείας ἐπισκοπὴν Ηρως (legendum Ηρων) *Poſt ipſum* (Ignatium) *Antiochiæ epiſcopatum ſuſcepit Heron.* Qui viginti annos ſedit ſecundum ejuſdem Euſebii Chronicon, ſive ab anno Abrahami 2124. ad 2144.

V. Cornelius.

Euſebius in Chronico ad ann. Abrahami 2144. *Antiochiæ*, ait, *conſtituitur quartus epiſcopus Cornelius*, extra Petrum, inquam, quartus. De quo rurſum ille lib. 4. hiſt. Eccl. cap. 19. Cornelius Heronis ſucceſſor quartus ab Apoſtolis eidem eccleſiæ præfuit. Τετάρτου μὲν τῶν ἐκεῖσε μετὰ Ηρωνα καταστάντος Κορνηλίου.

VI. Eros.

Eros Cornelio ſucceſſor datur ab Euſebio, cui viginti-octo epiſcopatus annos attribuit in Chronico, ut anno 2157. Abrahami pontificatum inierit. *Eros*, inquit, *quintus Antiochiæ conſtituitur epiſcopus.* Sic loco hiſtoriæ quem mox appellavi, ſubjungit. Quem (Cornelium) *Eros excipiens quintus ab Apoſtolis epiſcopatum geſſit.* μετὰ δὲ αὐτὸν πέμπτῳ βαθμῷ τὴν ἐπισκοπὴν διαδεξαμένου.

VII. Theophilus.

Eroti ſucceſſit ex eodem Euſebio capite hiſtoriæ mox allegato 19. ſextus ab Apoſtolis Antiochenæ eccleſiæ antiſtes *Theophilus* tempore M. Aurelii Veri Imp. Τηνικαῦτα καὶ ἐπὶ τῆς Αντιοχέων ἐκκλησίας Θεόφιλος, ἕκτος ἀπὸ τῶν Αποστόλων ἐγνωρίζετο. Theophili rurſum meminit cap. 24. ubi libros ejus recenſet. Euſebium exſcribit Hieronymus in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum. *Theophilus ſextus Antiochenſis eccleſiæ epiſcopus*, ait, *ſub Imperatore M. Aurelio Vero librum contra Marcionem compoſuit, qui uſque hodie exſtat. Feruntur & ejus ad Autolycum tria volumina, & contra hæreſim Hermogenis liber unus, & alii breves elegantesque tractatus ad ædificationem eccleſiæ pertinentes. Legi ſub eodem nomine in Evangelium & Proverbia commentarios, qui mihi cum ſuperiorum elegantia non videntur convenire.* In Chronico auctor uterque epiſcopatum ejus aſſignant anno Abrahami 2185. Atqui Theophilus ipſe Chronicon breve ſuum, quod ejus ad Autolycum libro tertio continetur, abſolvit poſt imperium M. Au- C relii Veri, ut hæc proinde volumina tria ſub Commodo ediderit. *Verus imperavit annis 19. diebus decem. Tempus igitur Cæſarum qui à Julio ad mortem Veri Auguſti, continet an. 237. & dies quinque.* Sic poſt ſingulas temporum ſummas hanc unam ſubdit, omnes ſimul complectens. Quamobrem Euſebius in chronico graviter peccavit, Maximinum Theophilo ſucceſſorem dans anno Marci Aurelii 17. Chriſti proinde 177. quo nempe Pothinus Lugdunenſis cum ſuis multis nobile martyrium obiit, quum Theophilus non niſi D hoc ipſo anno ſedere inceperit, deincepſque ad annum uſque 6. Commodi, & Chr. 186.

VIII. Maximinus.

Euſebius ad annum 2192. Abrahami, ſeu Chr. 177. *Maximinus Antiochiæ ſeptimus epiſcopus conſtituitur*, inquit: mihi vero anno Domini 186. ut mox oſtendi. Lib. 4. hiſt. c. 24. idem Euſebius ſubjungit: *Huic porro Theophilo in epiſcopatu Antiochenſis eccleſiæ* ἕβδομος ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων *ſeptimus ab Apoſtolis ſucceſſit Maximinus.* Quumque illi tredecim anni aſ- E ſignentur ab eodem ſcriptore, diem obierit poſtremum oportet anno 199.

IX. Serapion.

Serapion octavus Antiochiæ conſtituitur epiſcopus, ait Euſebius in Chronico ad annum Commodi XI. annoſque Pontificatus ejus duodecim numerat. Lib. 5. hiſt. eccl. c. 19. Serapionem Maximino ſucceſſiſſe proinde tradit, ubi & ejus libros memorat, præſertimque

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

litteras quas contra Cataphrygas edidit. Euſebium Hieronymus exſcribit in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, ubi inprimis *Serapionem undecimo Commodi anno Antiochiæ epiſcopum ordinatum* narrat, errantem hic quoque Euſebium ſequutus, quum Serapionis epiſcopatus initia omnino incidant in ſeptimum vel octavum Severi annum. Pergit de Serapione Hieronymus: *Scripſit epiſtolam ad Carinum & Pontium de hæreſi Montani, in qua hæc addit: ut autem ſciatis falſi hujus dogmatis, id eſt novæ prophetiæ, ab omni mundo inſaniam reprobari, miſi vobis Apollinaris Beatiſſimi, qui fuit in Hierapoli Aſiæ epiſcopus, litteras; ad Domnum quoque, qui perſequutionis tempore ad Judæos declinaverat, volumen compoſuit, & alium de Evangelio quod ſub Petri nomine fertur; librum ad Rhæſenſem Ciliciæ eccleſiam, quæ in hæreſim ejus lectione diverterat. Leguntur & ſparſim ejus breves epiſtolæ auctoris ſui ἀσκήσει & vitæ congruentes.* Quæ ſanctus eccleſiæ doctor ex Euſebii hiſtoria eccleſiaſtica l. 6. c. 12. accepit. Huic in ſerie epiſcoporum Antiochenorum, quæ Nicephori Conſtantinopolitani nomine inſcribitur, anni tribuuntur epiſcopatus κέ. 25.

X. Asclepiades.

Euſebius in Chron. *Poſt Serapionem Antiochiæ nonus epiſcopus conſtituitur Aſclepiades,* cui octo pontificatus annos aſſignat. Ejus quoque lib. 6. hiſt. eccl. cap. XI. meminit in hæc verba: *Antiochiæ vero Serapione mortuo, epiſcopatum eccleſiæ ſuſcepit Aſclepiades, qui perſequutionis tempore fidem confeſſus, maximam gloriam retulerat. Hujus ordinationis mentionem facit Alexander epiſtola ad Antiochenſes, his verbis: Alexander ſervus Dei, & vinctus Jeſu Chriſti, beatiſſimæ Antiochenſium eccleſiæ in Domino ſalutem. Expedita mihi ac levia vincula Deus fecit carceris mei tempore, poſtquam comperi Aſclepiadem virum fidei merito maxime idoneum, ſanctiſſimæ eccleſiæ veſtræ epiſcopatum divina providentia ſuſcepiſſe.* Epiſcopatum itaque Antiochenſem Aſclepiades tenuerit ab anno Chriſti 211. ac 1. Antonini Caracallæ, ad annum uſque Domini 219. & Elagabali 2. Nicephorus annos numerat θ'. 9.

XI. Philetus.

Quo tempore Alexander, Antonino Elagabalo poſt quartum principatus annum extincto, Romanum imperium capeſſivit, *apud Antiochiam, mortuo Aſclepiade, epiſcopatum hujus eccleſiæ ſuſcepit Philetus,* ait Euſebius lib. 6. hiſt. eccl. c. 21. & quidem accuratius quam in Chronico, in quo primum Phileti annum illigavit cum primo Macrini Imperat. *Macrinus,* ait, *præfecturam prætorii gerens Imp. factus. Antiochiæ decimus epiſcopus Philetus.*
A Huic vero undecim epiſcopatus annos aſſignat, ut proinde, quum ſecundo Elagabali anno pontificatum inierit poſtremus ejus annus incidat in Alexandri Severi 9. Chr. 230. Nicephorus Phileto annos attribuit 12. ιβ'.

XII. Zebennus.

Poſt Philetum *Antiochiæ undecimus conſtituitur epiſcopus Zebennus,* ait in Chron. Euſebius, quod contigit anno 230. Illius quoque meminit lib. 6. hiſt. eccl. c. 23. Antiochenam eccleſiam, inquit, poſt Philetum Zebinus rexit. τῆς δὲ Ἀντιοχέων μετὰ Φιλητὸν Ζεβῖνος.
B Quot annos illi eccleſiæ præfuit nuſquam indicat. Nicephorus annos η'. *octo* habet.

XIII. Babylas.

Euſebius lib. 6. hiſt. cap. 29. ſancti *Babylæ* epiſcopatus initia conjungit cum primordiis S. Fabiani Papæ, τότε δὴ καὶ τοῦ κατ' Ἀντιόχειαν ἐπισκόπου Ζεβίνου τὸν βίον μεταλλάξαντος, Βαβύλας τὴν ἀρχὴν διαδέχεται. *Tunc temporis Zebino Antiochiæ eccleſiæ epiſcopo è vivis migrante, eccleſiæ regimen excepit Babylas.* Atqui Fabiani Papæ ordinatio incidit in annum Chriſti 236. &
C Maximini I. Imp. 2. Quamobrem ſederit Babylas oportet, Gordiano, Philippo & Decio Imperatoribus, annos circiter quatuordecim. Nicephorus tredecim ait. Hunc Euſebius in Chronico tradit, eodem quo Alexander Hieroſolymitanus anno, Decii primo paſſum; ac certe in Deciana perſequutione quæ imperii ejus biennio graſſata eſt, quum anno integro ejus edictum antevertiſſet, ut Dionyſius Alexandrinus epiſtola ad Fabium Babylæ ſucceſſorem obſervat apud Euſebium lib. 6. hiſt. cap. 41. οὐκ ἀπὸ τοῦ βασιλικοῦ προστά-
D γματος ὁ διωγμὸς παρ' ἡμῖν ἤρξατο; ἀλλὰ γὰρ ὅλον ἐνιαυτὸν προὔλαβε. *Nequaquam ab Imperatorio edicto perſequutio apud nos cœpta eſt: anno ſiquidem integro anterior illo fuerat.* Ex quibus verbis adducor ut cenſeam, S. Babylam nonniſi ſecundo ultimoque Decii anno martyrem occubuiſſe, Chriſti nimirum 251. In vinculis porro ſeu carcere diem obiiſſe dicitur Euſebio cap. 39. τοῦ δὲ Ἀλεξάνδρου παραπλησίως ἐν Ἀντιοχείᾳ τοῦ Βαβύλα μετὰ τὴν ὁμολογίαν ἐν δεσμωτηρίῳ μεταλλάξαντος, Φάβιος τῆς αὐτόθι προΐσταται ἐκκλησίας. *Simili quo Alexan-*
E *der modo, apud Antiochiam epiſcopo Babyla poſt confeſſionem in vinculis defuncto, Fabius huic eccleſiæ præficitur.* Quæ quidem ſcriptores Græcos nonnullos ineptiæ arguunt, quamlibet priſtinæ vetuſtatis ſint, quos Chronicon Alexandrinum & Joannes Malalas ſequuti ſunt, qui Babylam Numeriano Imp. paſſum narraverunt, ut & alios qui ſub Maximino. Philoſtorgius quoque ipſe in incerto reliquit, num ſub Numeriano Imp. vel ſub Decio

Digitized by Google

Decio claruerit, libro ſcilicet 7. cap. 8. A quibus diſcrepaſſe videtur Chryſoſtomus in A homilia de eodem ſancto Babyla.

XIV. Fabius.

Babylæ *Fabium* ſuffectum perhibet Chronicon Euſebii, quin & alii deinceps auctores: pontificatumque iniit anno 251. ad quem Dionyſius ſedata tantiſper Decii fato, perſequutione epiſtolam ſcripſit, cujus mox memineram. Alias ſubinde ab eodem Dionyſio accepit, necnon à Cornelio Romano de Novatiani ſchiſmate, in quod eum nonnihil proclivem fuiſſe monet Euſebius lib. 6. cap. 43. B Uno anno & paulo amplius ſedit, quem Hieronymus Fabianum nominat in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis, ubi de Dionyſio Alexandrino; niſi forſan Librariorum error ſit.

XV. Demetrianus.

Fabio *Demetrianum* ſucceſſiſſe fert Euſebius c. 46. ex Dionyſii ad Cornelium Papam epiſtola: *Scribit etiam ſibi ſignificatum eſſe*, ait, *Fabium quidem diem extremum obiiſſe: Demetrianum vero ejus loco fuiſſe Antiochenæ eccleſiæ epiſcopum conſtitutum.* Δημητριανὸν δὲ διάδοχον C ἐκείνου τῆς κατ' Ἀντιόχειαν ἐπισκοπῆς κατεστάναι. Martyr obiit Cornelius ſecundo ſui pontificatus anno, Decii Imp. 2.° Chriſti 252. Euſebius rurſum in Chronico ad annum 1. Galli & Voluſiani Impp. *Antiochiæ decimus-tertius conſtituitur epiſcopus Demetrianus*, cui ſeptem annos aſſignat doctiſſimi Pontaci editio, Scaligeri vero ſex, uſque ad Pauli Samoſateni ordinationem, Nicephorus *quatuor*, Δημητριανὸς ἔτη δ'.

XVI. Paulus *hæreticus*.

Poſt Demetrianum igitur *Paulus* à patria Samoſatenus dictus, impius & famoſus hæreticus, Antiochenam ſedem Petri Apoſtoli dehoneſtavit altero vel tertio à Valeriani Auguſti captivitate anno, pro alia atque alia Euſebiani Chronici editione. *Valeriano in Perſas ducto, Gallienus pacem noſtris reddidit*, inquit, *Paulus Antiochiæ decimus-quartus conſtituitur epiſcopus*. Libro 7. hiſtoriæ capite 27. hunc epiſcopalem cathedram capeſſiviſſe innuit, ſub illud tempus quo Dionyſius Romanus Papa Xyſto ſucceſſit. Sed hæc accurata non E ſunt. Voluit dumtaxat ſignificare, Paulum publicaſſe impietatem ſub Dionyſio Papa. Jam itaque Antiochenæ eccleſiæ præfectus erat, anno 261. & 262. Circa annum deinde 264. Gallieni 12. celebrata ſynodus eſt Antiochena prior, in qua Paulus hæreſim ejurare ſimulavit; quam poſthac Zenobiæ Palmyrenorum reginæ quæ Syriam occupaverat, potentia nimia fretus iterum protulit. Unde anno 269. Claudii II. Auguſti 2. concilio altero Antiochiæ habito, epiſcopatu in totum dejectus fuit, electuſque ejus in locum Domnus. Quum vero epiſcopalem domum, Zenobia favente nihilominus teneret, ea ab Aureliano qui Claudio ſucceſſerat, ad ordinem redacta, loco & urbe cedere, Imperatoris accedente mandato, coactus eſt. Annis itaque ſeptem aut octo Antiochenæ eccleſiæ tyrannus præfuit. Quæ ad ipſum ſpectant legenda ſunt apud Euſebium lib. 7. capp. 27. 28. 29. 30. necnon apud Epiphanium hæreſi 79. & alios.

XVII. Domnus I.

Paulo ſuffectus eſt *Domnus* in ſecunda illa quam dixi ſynodo Antiochena, de quo Chronicon Euſebii ad annum 2282. Abrahami, *Paulus Samoſatenus à cunctorum prædicatione deſciſcens, Artemonis hæreſim ſuſcitavit, in cujus locum Antiochenæ eccleſiæ decimus-ſextus ordinatur epiſcopus Domnus*. Lib. 7. hiſt. cap. 30. refert Euſebius ſynodi poſterioris ad Romanum, Alexandrinum, & reliquos orbis antiſtites epiſtolam, in cujus fine Patres C iſtud de Paulo adjecerunt: *Hunc igitur Deo bellum indicentem, nec cedere volentem, quum à communione noſtra ſeparaviſſemus, neceſſe habuimus alium ejus loco catholicæ Eccleſiæ epiſcopum ordinare, non abſque divina, ut credimus, providentia, Demetriani ſcilicet beatæ memoriæ epiſcopi, qui ante illum magna cum laude eamdem rexit eccleſiam, filium Domnum, virum omnibus, quæ epiſcopum decent, dotibus bonis ornatum.* τὸν τοῦ μακαρίου Δημητριανοῦ καὶ ἐπιφανῶς προστάντος πρὸ τούτου τῆς αὐτῆς παροικίας υἱὸν Δόμνον, ἅπασι τοῖς πρέπουσιν ἐπισκόπῳ καλοῖς D κεκοσμημένον. *Quod quidem vobis ſignificamus*, inquiunt, *ut & ad eum ſcribatis, & ab eo communionis literas accipiatis*. Quinque ſolum Pontificatus annos Domno tribuit Euſebius in Chronico, ut fato proinde ſit functus anno Domini 274. Nicephorus duos dumtaxat annos habet, ἔτη ϛ'.

XVIII. Timæus.

Idem Euſebius in Chronico ad annum Aureliani 1. Chriſti 274. *Antiochenæ eccleſiæ*, ait, *decimus-ſeptimus ordinatur epiſcopus Timæus:* in hiſtoria vero eccleſiaſtica lib. 7. E cap. 32. ſcribit Timæum Antiochiæ epiſcopatum geſſiſſe, queis temporibus Romanum Felix, Eutychianus & Caïus, κατὰ τούσδε τῆς Ἀντιοχέων ἐπισκοπῆς μετὰ Δόμνον ἡγήσατο Τίμαιος. *Horum ætate poſt Domnum Timæus Antiochenæ eccleſiæ præfuit, cui noſtra memoria ſucceſſit Cyrillus*. Novem epiſcopatus annos Timæo adſcribit in Chronico, ut vivere deſierit anno Chriſti 282. quo ſucceſſor illi datus eſt

Digitized by Google

Cyrillus. In Nicephori catalogo annos decem legimus, ἔτη ι'.

XIX. Cyrillus.

Euſebius *Cyrillum* ad ſuam uſque ætatem Antiochenum epiſcopatum tenuiſſe dicit, ὃν ὁ καθ' ἡμᾶς διεδέξατο Κύριλλος. In Chronico autem ad annum 4. Probi Imperatoris, *Antiochiæ decimus-octavus conſtituitur epiſcopus Cyrillus,* cui viginti annos attribuit, ad annum proinde Chriſti 303. Nicephorus vero ἔτη ιε'. annos quindecim.

Hiſt. Eccl. lib. 7. c. 32.

XX. Tyrannus.

Addit illò loci Euſebius, μετὰ δὲ Κύριλλον Τύραννος τῆς Ἀντιοχέων παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν διεδέξατο, καθ' ὃν ἤκμασεν ἡ τῶν χριστιανῶν πολιορκία, *Poſt Cyrillum Tyrannus epiſcopatum Antiochenſis eccleſiæ ſuſcepit, cujus tempore eccleſiarum obſidio maxime viguit.* In Chronico ad annum 16. Diocletiani, *Antiochiæ decimus-nonus conſtituitur epiſcopus Tyrannus.* Qui tamen non niſi vigeſimo Diocletiani, Chr. 304. currente ſedere cœpit, quo nempe perſequutionem Imperator ille inchoavit, vel decimo-nono, ut vult Eutychius Alexandrinus in Annalibus Arabicè ſcriptis, apud quem non Tyrannus, ſed *Euris* dicitur, Librariorum utique Arabum errore. Idem Eutychius undecim annos ei aſſignat, tredecim Nicephorus ἔτη ιγ'. necnon Theophanes. Obierit ergo ſecundum Eutychium anno Chriſti 314. ſecundum aliorum chronologiam anno 316. At certe, quod Theodoretus affirmat, quo tempore pax eccleſiis reddita eſt, ac proinde poſt annum 313. quo Maximinus perſequutorum ultimus exſtinctus fuit.

XXI. Vitalis.

Antiochiæ poſt Tyrannum vigeſimus conſtituitur epiſcopus Vitalis, ait Hieronymus in Chronico: cui concinit Theodoretus lib. 1. hiſt. eccl. cap. 3. ἐν Ἀντιοχείᾳ δὲ μετὰ Τύραννον, τῆς τῶν ἐκκλησιῶν ἀρξαμένης εἰρήνης, Βιτάλιος τὴν ἡγεμονίαν παρέλαβεν, ὃς καὶ τὴν ἐν τῇ Παλαιᾷ καταλυθεῖσαν ὑπὸ τῶν τυράννων ᾠκοδόμησεν ἐκκλησίαν. *Antiochiæ autem epiſcopatum, mortuo Tyranno, quum jam pax eccleſiarum vigere cœpiſſet, Vitalis obtinuit, qui eccleſiam ibi à tyrannis in Palæa dirutam ædificavit,* hoc eſt in veteri civitate, ſeu in ea parte quam Seleucus urbis conditor de Antiochi filii ſui nomine Antiochiam nominavit. In hanc eccleſiam catholici quibus Meletius de quo infra dicetur, præerat, Arianorum conſortium fugientes ſe receperunt an. 361. quam Joannes Chryſoſtomus Antiochenis Chriſtianis cariſſimam fuiſſe ait, & cæterarum matrem, ut pote ab Apoſtolis primùm fundatam. Vitalem ſex circiter annos ſediſſe

Homil. in Inſcript. Actuum 2.

tradunt Nicephorus & Theophanes, ἔτη ϛ'.
A ut anno circiter 318. vel 319. diem poſtremum obierit. Subſcriptus legitur Ancyranæ & Neocæſarienſis ſynodorum decretis, quæ ſtatim à ſedata omni Chriſtianorum inſectatione celebratæ ſunt anno 314.

XXII. Philogonius.

Poſt quem (Vitalem ſcilicet) *Philogonius vigeſimus-primus,* ait Hieronymus. S. Joannes Chryſoſtomus in die natali illius, die 20. Decembris ad populum Antiochenum ſermonem habuit, quo compertum ſit, eum ex
B uxore quam ante epiſcopatum duxerat, filiam ſuſtuliſſe, in foro cauſarum patronum egiſſe, ibique pauperum & inſontium cauſas ſtrenuè defendiſſe. Factus epiſcopus eccleſiam in Palæa reſtitui cœptam perfecit. Φιλογόνιος δὲ μετὰ τοῦτον τὴν προεδρίαν λαβών, ait Theodoretus loco quem in Vitale appellavi, τά τε λειπόμενα τῇ οἰκοδομίᾳ προστέθεικε, καὶ τὸν ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἐν τοῖς Λικινίου καιροῖς ἐπεδείξατο ζῆλον. *Huic* (Vitali) *ſucceſſit Philogonius, qui & adjecit quæ & illius eccleſiæ ædificio videbantur deeſſe, & tempore Licinii veræ pietatis ſtudium*
C *monſtravit.* Arius qui hæreſim ſuam poſterioribus Philogonii annis cudit, hunc eodem Theodoreto teſte, tanquam impietatis ſuæ adverſarium veritus eſt, ut & Hellanicum Tripolis, & Macarium Hieroſolymorum. Mortuus ſit oportet anno ſaltem 323. vel 324.

XXIII. Paulinus.

Hieronymus in Chronico, Philogonio nominato ſubdit: *cui ſuccedit vigeſimus-ſecundus Paulinus,* ex epiſcopo ſcilicet Tyri, uti
D diſcimus ex lib. 1. Euſebii Cæſarienſis contra Marcellum Ancyranum cap. 4. ubi & illum patria Antiochenum fuiſſe tradit, quem ſubinde Antiocheni cives uti bonum proprium ſibi jure vindicaſſent, ὡς οἰκεῖον ἀγαθόν. Plura de eo in epiſcopis Tyri. Obiit utique anno ipſo 324. Nam ejus ſucceſſor Euſtathius inſequenti anno concilio Nicæno generali adfuit. Paulinum hunc Antiochenum à Theodoreto prorſus omiſſum mirari ſubit, eo maxime quod Nicephorus quoque, Theophanes & Eutychius Alexandrinus, quinque
E annos epiſcopatus ei aſſignant, quorum opinioni obſtat temporis brevitas quæ ab exortu Arianæ hæreſis uſque ad Nicænam ſynodum interceſſit, hoc eſt inter Philogonii ætatem, & Euſtathii qui Nicænæ ſynodo interfuit anno 325.

XXIV. Eustathius.

Euſtathius genere Pamphylius Sidetes, ait Hieronymus, *primum Berœæ Syriæ, deinde*

Digitized by Google

Antiochiæ rexit eccleſiam, & adverſus Arianorum dogma componens multa, ſub Conſtantio principe pulſus eſt in exilium Trajanopolim Thraciarum, ubi uſque hodie conditus eſt. Extant ejus volumina de anima, de Engaſtrimytho adverſus Origenem, & infinitæ epiſtolæ, quas enumerare longius eſt. Strictim Hieronymus libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis, quæ paulo fuſius enarranda. Sozomenus eum Berrhœa ad Antiochiæ ſedem à Patribus Nicænis tranſlatum tradit l. 1. hiſt. c. 2. Theophanes vero migrationem hanc ſynodi auctoritate dumtaxat firmatam, ἐκ ὠνέσεγον. Athanaſius in Apologia de fuga ſua poſt initium, Euſtathium ὁμολογητὴν, *confeſſorem & orthodoxum virum*, Antiochia contra jus ablatum dicit. Sub Diocletiano proinde vel Licinio Chriſti fidem confeſſus erat. Hunc paſſim prædicat Theodoretus, inprimis vero Chryſoſtomus ejus encomium pronunciavit. *Philogonio*, inquit lib. 1. cap. 7. Theodoretus, *ex hac vita ad meliorem tranſlato, Euſtathium epiſcopi, ſacerdotes, & univerſus populus Chriſto deditus, communibus ſuffragiis eccleſiam illum paſcere coëgerunt.* In Nicæna ſynodo Imperatori Conſtantino peroravit, & quum ex epiſcoporum primoribus unus eſſet, admodum contulit ad Arianam hæreſim proſcribendam. Quocirca viciſſim ab illis proſcriptus ſeu exauctoratus fuit ſub Conſtantino, ut ferunt rerum eccleſiaſticarum narratores, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Philoſtorgius, quin etiam Athanaſius, loco quem antè appellavi: ſed nec alia cauſa afferri poſſit tumultuum quos in eccleſia Antiochena poſt Nicænam ſynodum excitatos prodit Euſebius, præter iniquam ejus depoſitionem, quam doctiſſimus Pagius anno 327. factam contendit, Tillemontius anno 331. ratam vero iterum factam anno 340. Sozomenus certe lib. 2. cap. 17. diſerte refert ſub Conſtantio Imp. ſeditionem Antiochiæ conflatam propter Euſtathium abdicatum. Præterea Euſebio Cæſarienſi oblatus non fuiſſet epiſcopatus Antiochenus (quod quidem Euſebius ipſe aſſerit) niſi Antiochena eccleſia orthodoxo & legitimo præſule ſuo ab Arianis ejecto. Contigit igitur Antiochenæ eccleſiæ viduitas illa anno ſaltem 331. Atqui Euſtathius ætatem produxit ad annum Chr. 370. quo Demophilus Arianus Conſtantinopolitanam ſedem capeſſivit. *Tunc enim*, ait Socrates lib. 4. cap. 14. necnon Sozomenus lib. 6. cap. 12. *qui fidei conſubſtantialis favebant, ſe tempus opportunum nactos arbitrati, Evagrium quemdam fidei ſuæ fautorem deſignant epiſcopum*, urbis regiæ ſcilicet, *quem ordinat Euſtathius ille, qui olim Antiochiæ epiſcopus fuerat*, καὶ χειροτονεῖ τοῦτον Εὐστάθιος, ὁ πάλαι ποτὲ ἐπίσκοπος Αντιοχείας γεγονὼς, *qui à* A *Joviano revocatus ab exilio Conſtantinopoli tunc agebat, ut eos confirmaret, qui conſubſtantialis fidem tenebant, illicque tunc deliteſcebat.* Addit uterque Arianos in ſeditionem actos, in cauſa fuiſſe cur Imperator Euſtathium denuo Bizyam Thraciæ, & Evagrium aliò relegaret. Quid poſthac Euſtathio factum ſit, quove anno, quo tandem loco vivere deſierit, non prorſus certum; at grandævus plane mortuus eſt, ac certe nonagenarius. Hieronymus, Trajanopoli in Thracia conditum ſcripſit, Theodorus lector & ex eo Theophanes, Phi-B lippis in Macedonia, à Calandione Patriarcha initio Patriarchatus ipſius Antiochiam relatum, poſt centeſimum ab ejus obitu annum, μετ' ἑκατὸν ἔτη τοῦ θανάτου Εὐσταθίου, ut diem obierit anno circiter 382.

Hieronymus ei, poſtquam ſede dejectus fuit, ſuffectos ab Arianis ſubjecit in Chronico Eulalium, Euſebium, Euphronium, Placillum, Stephanum, Leontium, Eudoxium, Meletium, Euzoïum, Dorotheum, rurſumque Meletium; *quorum*, inquit, *tempora non digeſſi, quod eos hoſtes potiùs Chriſti, quam* C *epiſcopos judicem.* Hos tamen ſingulatim recenſere inſtituti operis ratio poſtulat, etſi ſingulorum annos & tempora explicare difficillimum ſit.

XXV. Eulalius.

Theodoretus lib. 1. hiſt. eccl. cap. 22. Hieronymo ſuccinit, atque ab Arianis *Eulalium* Euſtathio ſubrogatum narrat: οὗτοι δὲ πρῶτον ἀντ' αὐτοῦ χειροτονοῦσιν Εὐλάλιον. *Hi porro Euſtathii loco Eulalium ordinant:* quem paulopoſt defunctum ſubdit: τοῦτον ὀλίγον ἐπιβιώ-D σαντος χρόνον.

XXVI. Eusebius.

XXVII. Euphronius.

Celebris ille Cæſarienſis *Euſebius* eſt, quem Antiochiæ epiſcopis accenſet Hieronymus, quamvis ad eam ſedem tranſire recuſaverit, quod ipſe perhibet, ac Conſtantinum ad Antiochenæ ſynodi Patres plebemque Antiochenam ſcripſiſſe, ne ipſum Cæſarea avellerent. Ea retulit lib. 3. de vita ejuſdem Conſtantini c. 62. & ſeqq. quæ Theodore-E tus perſtringit paucis loco ſuperius laudato. *Quo aliquanto poſt mortuo*, inquit (Eulalio ſcilicet) *Antiocheni in animo habebant Euſebium Palæſtinum ad ſe transferre* Εὐσέβιον τὸν Παλαιστινὸν μεταθεῖναι ἠθέλησαν. *Verum nolente Euſebio ab uno epiſcopatu ad alterum transferri, illudque ne fieret annuente Imperatore, Euphronium elegerunt.*

Pro Euſebio igitur Antiochenorum epiſcopus factus eſt *Euphronius*, Εὐφρόνιον προεβάλοντο,

Digitized by Google

qui poſt ordinationem ſuam annum duntaxat integrum & paucos menſes vixit. ἐνιαυτὸν γὰρ καὶ μῆνας ὀλίγους μετὰ τὴν χειροτονίαν ἐβίω. Euſebius ut dictum eſt, l. 3. de vita Conſtantini c. 62. epiſtolam recitat ejuſdem Imperatoris ſynodo Antiochenæ datam, ne ipſum Euſebium ex eccleſia Cæſarienſi amoveant, in qua illis proponit eligendos aut Euphronium Cæſareæ in Cappadocia, aut Georgium Arethuſiæ preſbyteros. Euphronium vero præ altero deſignaverunt, Hieronymo & Theodoreto teſtibus.

XXVIII. Placillus.

Quem *Placillum* Hieronymus, *Flacillum* Sozomenus, hunc Theodoretus *Placentium* nominat. *Quo* (Euphronio) *mortuo*, inquit, Πλακεντίῳ τῆς ἐκκλησίας ἐκείνης τὴν προεδρίαν παρέδοσαν. *Illius eccleſiæ præſulatum Placentio tradiderunt, qui omnes Ariana labe deliteſcente laborabant.* Circa annum 333. Placillum Antiochenæ eccleſiæ præpoſitum fuiſſe viri eruditi cenſent. Tyrenſi ſynodo interfuit anno 335. in qua cum Arianis ſuis Athanaſio & epiſcopis Ægypti, inſidias molitus eſt, de quibus queſti ſunt epiſtola ad Dionyſium comitem; mox Hieroſolymitanæ, quæ menſis Septembris die 13. inchoata eſt in dedicatione eccleſiæ Reſurrectionis, quam Conſtantinus exſtruxerat. Hujus enim annua memoria hac ipſa die celebrabatur, & in craſtina ſanctæ Crucis exaltatio ſive oſtenſio fiebat. Rurſum Antioch. ſynodo præfuit, quæ in ejuſdem civitatis eccleſiæ dedicatione habita eſt an. 341. quæque Athanaſium denuo proſcripſit, ut fert Sozomenus l. 3. c. 5. ubi *Placitus* dicitur. Nicephorus in catalogo ſic perinde habet: Φακέλλιος ἐφ' οὗ τὰ ἐγκαίνια τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Ἀντιοχείας, *Phacellius cujus tempore dedicata magna eccleſia Antiochiæ:* quod anno quinto ab obitu Conſtantini contigit. Julius Papa epiſtolam ſcribens ad hujus ſynodi epiſcopos Placillum poſt Dianeum Cæſarienſem Cappadociæ poſuit. Addit Nicephorus, ut & Theophanes annos duodecim ſediſſe, ἔτη ιβ'. quorum utique primus fuerit 333. æræ Chriſtianæ vulgaris.

XXIX. Stephanus.

Poſt Placillum, *Stephanus* ab Arianis Antiochenæ eccleſiæ præfectus fuit, etſi preſbyteri gradu olim ejectus erat, in quem ſanctus Euſtathius eum redintegrare prorſus recuſarat. Ad ſynodum Sardicenſem cauſam dicturus venit an. 347. ſed Sardica concilio nondum inchoato cum Euſebianis ſuis Philippopolim ſeceſſit, quorum primus epiſtolæ adverſus legitimam ſynodum ſubſcriptus reperitur, *Stephanus epiſcopus Antiochiæ Syriæ.* Hunc tamen exacto tertio epiſcopatus anno Euſebiani A ipſi exauctorarunt, ob varia crimina quæ Theodoretus recitat lib. 2. hiſt. cap. 9. & 10. Nicephorus & Theophanes tres annos epiſcopatum ab eo geſtum ferunt. Anno itaque 348. Antiochena ſede pulſus eſt.

XXX. Leontius.

Stephano licet ob flagitia exauctorato, *non propterea Antiochena eccleſia Ariana labe liberata eſt*, ait l. 2 .c. 10. Theodoretus, Λεόντιος γὰρ μετ' ἐκεῖνον τῆς προεδρίας ἔτυχεν, *Leontius quippe præſulatum poſt eum adeptus eſt, vir* B *genere Phryx, verſuto animo, ſaxis in undis maris latentibus perſimilis,* quem Stephano quoque ſucceſſorem dat Hieronymus in Chronico. Preſbyteri gradu ejectus fuerat, quod ſeipſum caſtraſſet, ut Euſtolio muliercula liberius potiretur. Aëtii Anomœorum auctoris magiſter fuerat, quem diaconum fecit, mox verò depoſuit. Improbitatem ejus deſcribit Theodoretus cap. 24. refertque Flavianum & Diodorum Antiochenæ eccleſiæ preſbyteros ſanctiſſimos irritas feciſſe inſidias, quas ille Catholicæ fidei alumnis ſtrueret. C Obiit anno 357. poſt octavum epiſcopatus annum cum dimidio. Sozomenus Leontium pontificatus initio Euſtathianorum communionem admiſiſſe narrat lib. 3. cap. 19.

XXXI. Eudoxius.

Accepta Leontii morte, *Eudoxius* Germaniciæ epiſcopus, qui in Occidente & Sirmii, ut videtur, morabatur, Eunuchorum palatii opera impetrata à Conſtantio Auguſto licentia in Syriam reverſus, Antiochenam ſedem occupat, abſque Georgii Laodiceni, D Marci Arethuſiæ, & aliorum quorum intererat epiſcoporum ſuffragiis. Arabiſſa in minore Armenia oriundus erat, ex patre primum flagitioſo, poſthac vero, ſi Philoſtorgio credimus, Chriſti martyre. Eudoxium ob vitam male inſtitutam, tametſi Luciani martyris diſcipulus fuiſſet, ſanctus Euſtathius in clerum cooptare renuerat. Anno 341. Antiocheno concilio interfuerat Germaniciæ epiſcopus. Anno 345. in Occidentem prolixam fidei expoſitionem tulerat ad Conſtantem Imperatorem. Poſt biennium epiſtolæ Arianorum E Philippopoli ſubſcripſit. An. 351. Sirmienſi ſynodo adfuit, ac 355. Mediolanenſi. In Seleucienſi ſynodo ſe junxit Acacio Cæſarienſi, & Georgio Alexandrino, aliiſque puris Arianis, quorum tamen fidei formulæ nequaquam ſubſcriptus legitur apud Epiphanium hæreſi 73. Cæterum à majori parte epiſcoporum à quibus illi defecerant, exauctorari meruit. Videndus Socrates l. 2. c. 21. & Sozomenus l. 4. c. 21. Antiochenam ſedem duobus annis

Digitized by Google

tenuit; unde pulſus, ad Conſtantinopolitanam tranſiit, ac de eo jam in Patriarchis A Conſtantinopolitanis.

XXXII. Anianus.

Eudoxio in Seleucienſi ſynodo deſtituto, ejus in locum ibidem *Anianus* Antiochenæ eccleſiæ preſbyter deſignatus eſt, & in eccleſia Seleucienſi ordinatus. Quem tamen qui ab Acacii partibus erant, apprehenſum Leonæ & Lauricio præfectis tradiderunt, qui ſynodo Imperatoris nomine præfuerant. Quod narrant Socrates lib. 2. cap. 40. Sozomenus l. 4. c. 22. Epiphanius quoque hæreſi 73. *Anianum* hunc nihilominus inter Patriarchas B Antiochenos cenſent Nicephorus & Theophanes, quem annos quatuor epiſcopatu functum ferunt. Ἀνιανὸς ἔτη δ΄. Complexi videntur prima Meletii tempora, qui paulo-poſt initum epiſcopatum Antiochena ſede pulſus fuit.

XXXIII. Meletius.

Armeniæ urbis cujuſdam epiſcopus primum fuit *Meletius*, inquit Theodoretus l. 2. c. 31. Sebaſtiæ ſcilicet, Socrati & Sozomeno, imo & Hieronymo. Quam ſedem ob difficiles C civium mores relinquere coactus, Berrhœam Syriæ migravit, cujus epiſcopus Socrati dicitur lib. 2. c. 44. Hunc quia Ariani hæreſi ſuæ addictum putabant, & Acacio præſertim Cæſarienſi, à Conſtantio Auguſto impetrarunt, ut Antiochenæ eccleſiæ præficeretur: quod poſt confectum bellum Perſicum anno 361. contigit. Multo honore ab Antiochenis exceptus fuit, moxque coram collectis epiſcopis de divina Verbi perſona & eſſentia quum peroraſſet, in Acacianorum odium incurrit, ceu quorum dogma non adſtruxiſſet, D ſed Catholicorum potius. Quamobrem uno vix menſe elapſo, tanquam Sabellianus Antiochia pulſus, in patriam ſuam Militenen in Armenia minore relegatus fuit ab Imperatore; qui tamen, quod maxime Arianorum intererat, decretum electionis ejus ab Euſebio Samoſateno recipere non potuit; ut Theodoretus refert lib. 2. cap. 32. Hieronymus in Chronico ad annum Conſtantii Imperatoris 23. pauca hæc de Meletii prima inauguratione & ejectione perſtrinxit: *Meletius Sebaſtiæ Armeniorum epiſcopus, ab Acacio & E Georgio Arianis Antiochiam transfertur, & poſt non grande intervallum, quum preſbyteros qui ab Eudoxio anteceſſore ſuo depoſiti erant, ſuſcepiſſet, exilii juſtiſſimam cauſam ſubita fidei demutatione deluſit.*

XXXIV. Euzoius.

Euzoïus Antiochena ſede ab Arianis, amandato Meletio, donatus fuit, quem olim magnus Alexandrinæ eccleſiæ antiſtes Alexander diaconi gradu una cum Ario deſtituerat, egregium Arianæ impietatis patronum, ait Theodoretus lib. 2. cap. 31. Quo factum eſt ut Catholici qui hactenus ab Arianis ſe palam non ſecreverant, quod illorum impietas non tota pateſceret, ſeorſim deinceps convenerint in eccleſia in Palæa ſeu veteri urbe ſtructa, cujus ante mentionem feci. Uno dumtaxat anno epiſcopatum geſſit, Meletio Antiochiam reverſo ſtatim à Conſtantii obitu. Conſtantinopoli interiit an. 376. Valente V. & Valentiniano juniore I. Coſſ. ut fert Socrates lib. 4. cap. 28. An. 361. Conſtantium Imperatorem morti proximum baptizavit, quod fert Athanaſius lib. de ſynodis. Eodem Athanaſio defuncto anno 373. Euzoïus Valentis potentia fretus, Lucium Alexandriæ antiſtitem creavit, & in epiſcopali ſede conſtituit. Socrates lib. 4. cap. 21. Theodoretus lib. 4. cap. 19.

XXXV. Meletius *iterum*.
Paulinus *ſimul*.
Dorotheus *Arianus*.

Conſtantio Imperatore defuncto, Julianus impius licet apoſtata, exulantes epiſcopos quum ſedes ſuas repetere lata lege permiſiſſet, *Meletius* Antiochiam reverſus eſt, eique Euzoïus loco cedere coactus, anno 362. menſe circiter Decembri. Hæc Theodoretus in primis l. 3. c. 3. addit orthodoxæ fidei alumnos qui omne Arianorum conſortium fugientes in eccleſia Palææ conveniebant, quique de S. Euſtathii epiſcopi quondam ſui nomine Euſtathiani audiebant, nec ſubinde Meletium admiſiſſe, ut pote ab Arianis promotum, quos quum Lucifer Caralitanus ex Ægypto profectus, & Antiochiam tranſiens, ad concordiam cum his qui Meletio adhærebant, adducere non potuiſſet, *Paulinum* eorum ducem & preſbyterum, epiſcopum ipſis deſignavit conſecravitque, ne paſtore diutius carerent. Unde gravis inter Antiochenos fideles nata diſſenſio, quam 85. annos duraſſe tradit Theodoretus. Diſſenſionem fovebant diverſi utrimque de divina Trinitate loquendi modi, quum illi qui à Meletio erant unam in Deïtate ὐσίαν, *eſſentiam*-ve, treſque ſimul ὑποςάσεις, *hypoſtaſes*, ſeu ſubſiſtentes perſonas prædicarent; qui autem à Paulino hypoſtaſim ab *eſſentia*, ὐσία propriè dicta ex trito uſu non diſtinguentes, ut unam eſſentiam, ita hypoſtaſim unam, treſque perſonas pronuntiarent, pari tamen eodemque ac ſano utrique ſenſu, quemadmodum in Alexandrina ſynodo Athanaſius examinata utrorumque ſententia definivit. Chronici Alexandrini conſarcinator, quum varios auctores cujuſcumque fidei aut

Digitized by Google

ſectæ eſſent paſſim exſcriberet, ex Ariano quodam auctore (quidni Philoſtorgio?) « Meletium ob impietatem aliaque flagitia damnatum, Antiochiam reverſum, hujus urbis ſedem ſuam priorem invaſiſſe, adjuvantibus illum viris è clero, qui à ſancta ſynodo proſcripti erant, inter quos Diogenes, quin etiam Vitalis, qui tamen à Meletio ſubinde deficiens Vitalianorum ſectæ parens fuit »: Quæ ſcripta eſſe ab Ariano quopiam dixi, quamvis non valde diſſona ſunt ab iis quæ de Meletio retulimus. Cæterum Meletius iterum, Valente Imperatore an. 370. in Armeniam, Arianis agentibus, relegatus fuit. Antiochiæ autem agebat adhuc anno 367. quo ſanctus Joannes Chryſoſtomus ab ipſo baptizatus fuit, & Eccleſiæ lector factus. Anno 378. labente, Valente exſtincto, ſedem ſuam recuperavit. Anno inſequenti numeroſiſſima ſynodo collecta, capita fidei in Romano concilio ſancita probavit, viciſſimque fidei tomus ſeu formula edita eſt, quæ poſt annos aliquot in ſynodo Conſtantinopolitana generali priore rata habita eſt, & Romam miſſa. In primo ſynodi hujus generalis conventu, anno 381. Conſtantinopoli obiit Meletius, cujus corpus Antiochiam relatum ſtatim fuit. Annuam ejus memoriam Græci recolunt die 12. Februarii. Nicephorus eum confeſſorem vocat, cui viginti quinque epiſcopatus annos aſſignat. Μελέτιος ὁ ὁμολογητὴς, ὁ καὶ ὑπὸ Οὐάλεντος ἐκβληθεὶς, ἔτη κέ.

PAULINUS. *Paulinus* preſbyter olim à S. Euſtathio ordinatus, vir fuit doctrina vitaque inculpata inſignis, Ruffino, Socrate, Sozomeno, imo confeſſor, ſancto doctori Hieronymo. *Lucifer Caralitanus, acciitis duobus aliis confeſſoribus*, ait in Chronico Hieronymus, *Paulinum Euſtathii epiſcopi preſbyterum, qui ſe numquam hæreticorum communione polluerat, in parte catholica epiſcopum facit.* Ei communione junctus eſt Athanaſius cum tota Ægypto, Epiphanius quoque cum Inſula ſua Cypro, & omnes cum Romana Occidentis eccleſiæ. Cæterum Paulinus ante reverſum ab exilio Meletium ordinatus fertur à Socrate, lib. 3. cap. 9. Sozomeno lib. 5. cap. 11. Gregorius idem Nyſſenus teſtatur oratione in Meletium, pag. 592. ſub Valente, Meletio iterum exulante, Paulinum Antiochiæ quietum egiſſe, quippe cujus eximiam ſanctimoniam coleret, ait Socrates lib. 4. cap. 2. & lib. 5. cap. 5. quin etiam Sozomenus lib. 5. cap. 7. Valente mortuo nona Auguſti anno 378. reverſus Antiochiam Meletius, Paulinum ad mutuam concordiam invitavit, ut ambo eodem in throno ſederent. Abnuit Paulinus, qui demum pacem hac lege tranſigi aſſenſus eſt, ut altero è vivis erepto, alter ſolus Antiochenam ſedem teneret: quod & ſancitum
A fuit, adjectis ſacramentis ab illis præſertim qui in epiſcopos Antiochenos præ cæteris aliquando electum iri videbantur; inter quos Flavianus & Diodorus preſbyteri erant; quæ quidem Socrates narrat lib. 5. cap. 5. necnon Sozomenus lib. 7. cap. 3. Amborum hoc fœdus Occiduarum partium præſules probavere. At vero quum anno 381. Meletius, Conſtantinopoli abſoluto priori ſynodi generalis conventu, diem obiiſſet, Flavianus ipſe de quo modo dicebam, pactis conventis poſthabitis, Antiochiæ epiſcopus ordinatus
B eſt, Paulino contempto, qui Romam confeſtim profectus, ſynodo frequenti quæ in ea urbe celebrabatur, interfuit anno 382. Antiochiam regreſſus, S. Paulam Romanam viduam cum S. Hieronymo itineris ejus ſocio hoſpitio recepit: biennio poſt, ipſo quo Maximum Theodoſius vicit anno, Chriſti ſcilicet 388. vivere tandem deſiit octogenario major.

DOROTHEUS. Interim quum Meletius & Paulinus Catholicis Antiochenis præeſſent, Euzoïo an. 376. defuncto, Arianorum ejuſdem urbis antiſtes fuit *Dorotheus*, quem Sozomenus lib. 6. cap.
C 37. *Theodorum* nominat Θεόδωρος, voce ſynonyma, ut ſæpe contigit. Dorotheum dico ex Philoſtorgio Ariano ſcriptore, qui lib. 9. cap. 14. ὅτι τελευτήσαντος Εὐζωΐου τοῦ Ἀντιοχείας ὁ Δωρόθεος ἐξ Ἡρακλείας τῆς Θρᾴκης, εἰς τὸν ἐκείνου μεθίσταται θρόνον, *poſt Euzoii Antiocheni mortem, Dorotheus ex epiſcopo Heracleæ ad ſedem illius tranſlatus fuit.* Qui proinde fuerit Theodorus ille famoſus Heracleæ Arianus, qui magna apud Valentem Imp. auctoritate valuit. Plura deinceps de eo non occurrunt.

D De Vitali Antiocheno, Vitalianorum ſectæ, ut ex Chronico Alexandrino diximus, auctore, nihil ſubjiciam, quippe qui nonniſi illorum qui Apollinaris hæreſim amplexi erant, antiſtes fuit.

XXXVI. FLAVIANUS.

EVAGRIUS *ſimul.*

Flavianus itaque à Meletio preſbyter olim ordinatus, eidem Meletio ſucceſſor datus eſt, epiſcoporum Orientis, qui Conſtantinopoli convenerant, factione. Hunc ſanctus
E Gregorius Nazianzenus, qui urbis regiæ eccleſiam adminiſtrabat, ordinare recuſavit, ob pactorum conventorum reverentiam, propter quæ Antiochenus epiſcopatus integer Paulino ſoli debebatur. Quocirca Flavianus Antiochiam reverſus ab Orientis epiſcopis impoſitionem manuum accepit, ac præſertim à Diodoro Tarſenſi juriſjurandi dudum pronunciati ſocio, & Acacio Berrhœenſi, qui promotionis ejus auctores præcipui

fuerant. Hinc ſchiſma auctum, multis Antiochenorum qui Meletio antehac adhæſerant, ad Paulinum ſecedentibus, quin etiam Ægypto omni, Cypro Inſula, Arabiaque, cum univerſo tractu occiduo Paulinum foventibus. Epiſcopi interim Orientales anno 382. Conſtantinopoli denuò congregati ratam habuerunt Flaviani ordinationem, ut & Nectarii Conſtantinopolitani, quod Romanæ ſynodi patribus, miſſa ad eos epiſtola ſynodica, teſtatum fecerunt. Flavianus, paſſim perſequuntur Chryſoſtomus & Theodoretus, Maſſalianos in Orientis partibus naſcentes exſtinxit, ut & paganicæ impietatis reliquias. Theodoſium Imperatorem Antiochenis iratum Conſtantinopolim profectus placavit. An. 388. Paulino mortuo, quum *Evagrius* ei ſuffectus eſſet, Capuæ in Italia ſynodus habita eſt, ad quam vocatus Flavianus, Conſtantinopolim quidem venit, cauſam vero ſuam ab Occidentis & Ægypti epiſcopis judicari noluit. Tandem Joannes Chryſoſtomus, qui anno 398. Conſtantinopolis antiſtes creatus erat, Evagrio jam ante quatuor annos defuncto, quum nullus pro eo deſignatus eſſet, Flavianum cum Occidentis & Ægypti eccleſiis reconciliavit, id quod Theophili quoque Alexandrini, qui Joannem ordinaverat, opera præſtitum eſt. Hæc quippe provincia Theophilo dudum antea à Capuana ſynodo delata erat. Quapropter admiſſo in communionem ſuam Flaviano, hunc Romanæ quoque communionis conſortem fecit. Demum poſt viginti tres pontificatus annos, eo ipſo quo Chryſoſtomus in Armeniam minorem exul abactus eſt, Chriſti 404. vivere deſiit, Palladio in dialogo de vita Joannis Chryſoſtomi teſte, pag. 144. τῇ γὰρ Ἰωάννου ἐξορίᾳ τῇ εἰς τὴν Ἀρμενίων, συνήκμασεν ὁ θάνατος Φλαβιανοῦ τοῦ Ἀντιοχέων ἐπισκόπου, *quo tempore Joannes in Armeniam relegatus eſt, mors contigit Flaviani Antiochenorum epiſcopi.*

Evagrius. *Evagrium* Paulinus morti proximus epiſcopum deſignaſſe & conſecraſſe fertur, nullo accito præterea epiſcopo, qui ſacras ei manus ſecum imponeret. Ante epiſcopatum amicitia junctus fuit cum ſancto Hieronymo, quem ex Occidente in Syriam adduxerat; quumque ſecundi ordinis ſacerdos eſſet, ſeu preſbyter, ſancti Antonii vitam quam magnus Athanaſius Græcè ſcripſerat, in Latinam linguam convertit. Palladius ipſe Helenopolitanus dialogi de vita ſancti Joannis Chryſoſtomi, pag. 51. paucis eum commendat, ubi Iſidorum è longis Fratribus unum Flaviani cum Theophilo Alexandrino communionis litteras una cum Acacio Romam detuliſſe prodit, *quum per viginti annos rupta fuiſſet,* inquit, *beati Evagrii cauſa, viri qui multis certaminibus in rebus eccleſiaſticis deſudaverat,* Εὐαγρίου ἕνεκεν τοῦ μακαρίου, τοὺς πολλοὺς ἀγῶνας ἀγωνισαμένου ἐν ἐκκλησιαστικοῖς πόνοις. Hieronymus in Chronico ad annum 2. Aureliani Evagrium eumdem de genere fuiſſe ait Pompeïani, qui Zenobiam Palmyrenorum reginam ſub eodem Aureliano Auguſto vicerat. Ad concilium Capuanum Evagrius venit anno 390. cauſam ſuam cum Flaviano, ſi adfuiſſet, diſceptaturus; unde Romani Pontificis & totius Occidentis & Ægypti communionem obtinuit. Poſt annos duos obiit, egitque ſubinde Flavianus ne ejus loco alter ſubrogaretur.

XXXVII. Porphyrius.

Antiochenum epiſcopatum, Flaviano defuncto, *Porphyrius* obtinuit anno 404. ante 14. kal. Decembr. quo data lex eſt Arcadii, quæ exſtat in codice Theodoſiano, *de his qui ſuper religione contendunt,* Eutychiano præfecto prætorio Orientis inſcripta, qua jubet eccleſia pelli illos qui ab Arſacii Conſtantinopolitani, Theophili Alexandrini & Porphyrii communione diſſentiunt. Æmulum habebat Porphyrius Conſtantium virum integrum, quem pecuniarum largitione, aulicorumque quorumdam & epiſcoporum factione in Oaſim obtinuit amandari, ut Antiochenæ ſedis compos fieret: quod Palladius teſtatur in vita ſancti Joannis Chryſoſtomi, ubi eum tanquam ſanctiſſimo doctori infenſum acriter perſtringit, pagg. 141. 142. & 145. His eum criminibus onerat Palladius, quod licet multis nominibus apud magiſtratus reus eſſet, clam abſente populo & ludis olympiis apud Daphnen ſpectandis intento, præcipuis de clero viris in cuſtodiam ipſo agente miſſis, ab Acacio dumtaxat Berrhœenſi, Severiano Gabalorum, & Antiocho Ptolemaïdis, paucis clericis præſentibus, clauſis eccleſiæ januis, ordinatus eſſet: ita ut illi veriti ne deprehenderentur, conſuetas preces non abſolverint. Quamobrem ab Innocentio Papa communione quam poſtulaverat dignatus non fuit. Nimirum Porphyrius damnationi ſubſcripſit S. Joannis Chryſoſtomi, quod in cauſa fuit cur multi de Syria ab ejus eccleſia ſeceſſerint, collectas ſeorſim celebrantes, Sozomeno teſte lib. 8. cap. 24. ubi mentionem habet legis Arcadii, quam ſuperiùs appellavi. *Siquidem propter communionem Arſacii,* inquit, *hujuſque Porphyrii, & Theophili Alexandrini, ſtudio magnatum lex in aula propoſita eſt, ne orthodoxi extra eccleſiam convenirent, & qui in illorum epiſcoporum communionem non venirent, expellerentur.* Inter crimina quorum accuſatus Chryſoſtomus fuit in ſynodo ad Quercum, iſtud quoque fuit, quod Porphyrium preſbyterum Eutropio præfecto tradidiſſet civitate

Digitized by Google

pellendum; quem ipſum eſſe eruditi putant, qui Antiochenus poſthac evaſit epiſcopus, Joannis Chryſoſtomi adverſarius. Nihilominus Theodoretus, lib. 5. hiſt. eccl. cap. 35. eum commendare non dubitat, *qui poſt Flavianum illius eccleſiæ clavum ſuſcipiens, multa ſuæ benignitatis monimenta poſt ſe reliquit, ſed & ſumma animi prudentia multum ſplendoris tulit.* ὃς μετὰ Φλαβιανὸν τοὺς οἴακας ἐκείνους παραλαβὼν πολλὰ μνημεῖα φιλανθρωπίας κατέλιπεν· ἐκεῖνος μὲν οὖν τῇ πυκνότητι διέπρεπε τῶν φρενῶν. Doctiſſimus Pagius ad annum 408. hunc ſubinde anno 413. è vivis exceſſiſſe cenſet. « Theodoretus enim lib. 3. c. 5. de Alexandro ejus ſucceſſore, & Antiochenæ eccleſiæ diſſidio ſcribit: *quinque & octoginta annos permanſit* (diſſidium) *uſque ad epiſcopatum Alexandri, qui diſtracta eccleſiæ membra reliquo corpori adunavit.* Hujus autem diſſenſionis initium deſumi debet ab Euſtathii Antiocheni epiſcopi depoſitione, quæ facta eſt, regnante Conſtantino Magno, anno trecenteſimo vigeſimo-octavo, aut circiter. Ab eo enim tempore Euſtathiani ſeparatos conventus habuere. Si itaque anno 328. annos octoginta quinque addideris, pervenies ad annum Chriſti 413. quo Alexander eccleſiam Antiochenam ſuſcepit.» Tum emendat manifeſtum errorem Chronici Nicephori, in quo ἔτη λ'. *triginta anni* pontificatus Porphyrio aſſignantur, pro ι'. *decem*, ut proinde decimum annum inchoaverit. Porphyrium Flaviano ſucceſſiſſe tradit quoque Socrates.

XXXVIII. Alexander.

Proximum Porphyrio ſucceſſorem aſſignant omnes *Alexandrum*, qui anno 413. pontificatum iniit. Sub ipſo ſchiſmatis diuturni reliquiæ exſtinctæ ſunt. Exſtant ad eum reſponſoriæ Innocentii Papæ I. epiſtolæ ad Antiochenæ diœceſis adminiſtrationem ſpectantes. Pagius vitam eum duxiſſe demonſtrat ad annum 420. vel 421. cui Nicephorus annos quinque tribuit, Ἀλέξανδρος ἔτη ε'. Hiſtoriæ religioſæ Theodoreti auctoritate Pagius nititur, in cujus capite 12. ſanctum Zenonem anachoretam ſtatim à morte Valentis cingulum militiæ depoſuiſſe ſcribit, totoſque deinceps annos quadraginta in monte Antiochiæ vicino egiſſe, ac tandem Alexandrum qui ei morienti aderat, bonorum quæ inteſtatus reliquerat, conſtituiſſe diſpenſatorem. Quum Valens anno 378. interierit, anno proinde 418. in vivis adhuc ſuperſtes erat Alexander. Præterea Theodoretus, qui in vita eadem S. Zenonis codices ſacros populo Dei ſub Alexandro ſe legiſſe tradit, in epiſtola prima quam Dioſcoro Alexandro ſcripſit, anno 448. vitæ ſuæ tempora recenſens, *ſex*, inquit, *annos ego Antiochiæ docens tempore beatæ memoriæ Theodoti Antiocheni epiſcopi, alios deinde tredecim ſub beato Joanne: Præter hæc jam ſeptimus agitur annus quo Deo dilectiſſimus archiepiſcopus Domnus ſedit.* Vigeſimus igitur & ſextus annus agebatur, ex quo Theodotus Alexandro ſucceſſerat. Unde non abſurde Bollandus ad diem 8. Januarii in vita ſancti Attici epiſcopi Conſtantinopolitani §. 6. & Eminent. Noriſius lib. 2. hiſt. Pelag. cap. 4. intulerunt Theodoti primum annum fuiſſe, Chriſti 421. imo forſan 422. Joannes Moſchus cap. 34. Prati Spiritualis ſummam Alexandri in pauperes miſericordiam commendat, qua notarium qui pecunias ſibi furatus erat, à barbaris in Thebaïde captum redemit.

XXXIX. Theodotus.

Pontificatum itaque *Theodotus* auſpicatus erit anno 421. vel 422. circiter ineunte, quem Theodoretus epiſtola ad Dioſcorum Alexandrinum prima, vitæ ſplendore & divinorum dogmatum cognitione claruiſſe tradit, & cujus, nec non Theodori Mopſueſteni anno emortuali ſe hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcribendæ finem feciſſe ait poſtremis ejuſdem hiſtoriæ verbis; hoc eſt anno 427. vel 428. Unde perperam apud Nicephorum quatuor tantummodo annos eum geſſiſſe epiſcopatum legitur; Θεόδοτος ἔτη δ'. Eo certe magis quod Theodoretus loco quem mox appellabam, ſex & amplius annos eum ſediſſe ſignificet. Evagrius lib. 1. hiſtoriæ narrat Neſtorium, quum in urbem regiam vaderet, epiſcopatum illius captaturus, Mopſueſtiam tranſiiſſe, ut Theodorum epiſcopum inviſeret. In vivis ergo ſupererat Theodorus Mopſueſtiæ, ac proinde etiam Theodotus Antiochiæ anno 428. quo Neſtorii in epiſcopum Conſtantinopolitanum electio contigit. At certe fato functus erat anno inſequenti 429. quo Marius Mercator Commonitorium edidit, nam cap. 3. *ſanctæ memoriæ Theodotum* appellat. Illis porro non abnuo qui Theodoto ſex pontificatus annos tribuunt, ſed integros prorſus ac fere ſeptem. Eximiam Theodoti benignitatem prædicat Joannes Moſchus capp. 33. & 34. Prat. ſpirit. Quanquam Alexandrum qui monachos Acœmetas in Syria inſtituerat, ab eo dure exagitatum legimus in ejuſdem Alexandri vita. Alfonſus Turrianus in Annotationibus in lib. 3. Conſt. Apoſtol. *quandam Theodoti Patriarchæ Antiocheni* homiliam appellat, in qua Apollinariſtas refellens aiebat: *Non duos dicimus filios, filium ex patre natum, & qui filius Abrahæ & David appellatur.* Et paulo-poſt: *Non igitur duo filii numerantur, unus ex patre ante omnia*

ſæcula

Digitized by Google

ſæcula natus, & alter poſtea ex Maria ortus, tametſi ſint duæ naturæ: & ſicut non duo corpora, corpus Chriſti quod in cælis eſt, & ejus corporis quod in cœlo eſt antitypon, quod in eccleſiis à ſacerdotibus impartitur fidelibus; ſic neque duo filii, ſcilicet natus ex patre ante ſæcula, & natus in tempore ex virgine. Quæ utinam Græcè, aliaque plura hujus homiliæ Turrianus nobis ſuppeditaſſet.

XL. JOANNES I.

Joannes in monaſterio S. Euprepii haud procul Antiochia ab ineunte ætate cum Theodoreto & Neſtorio educatus, poſt Theodotum Antiochenus epiſcopus factus eſt anno 428. Acacius namque Berrhœenſis Cyrillo Alexandrino de novo Neſtorii dogmate reſcribens, Joannem recens adeptum eſſe epiſcopatum ſignificabat, νεωστὶ εἰς ἐπισκοπὴν ἐληλυθώς. Ipſo itaque Antiochenam eccleſiam adminiſtrante, celebrata eſt ſynodus tertia generalis Epheſina adverſus Neſtorium anno 431. à qua ille Epheſum quum veniſſet, cum Orientalibus ſuis defecit, hæretici, quem ſanioris ſententiæ virum habebat, acrius quam par eſſet patrocinium ſuſcipiens, cujus cauſa poſt reditum in patriam multas in diœceſi ſua ſynodos habuit. Poſt, comperta magis veritate, anno ſequente ad meliorem frugem redactus, Cyrillo Alexandrino reconciliatus eſt, miſſo ad illum Paulo Emeſeno cum fidei confeſſione, quam Cyrillus cum omni eccleſia ſua probavit. Quod ejus fœdus reliquæ Orientis eccleſiæ, paucis epiſcopis exceptis qui propter obſtinatum animum proſcripti fuerunt, paulatim amplexæ ſunt. Quæ omnia in multis quæ exſtant, Epheſini concilii monumentis, ac præcipue in ſynodico ex Tragœdia Irenæi, quod Chriſtianus Lupus evulgavit, legi poſſunt. Obiit decimo-tertio epiſcopatus anno abſoluto, Chriſti nempe 441. quum Theodoreti teſtimonio conſtet, ſeptimum Domni annum in Chriſti 448. incidiſſe.

XLI. DOMNUS II.

Joanni ſucceſſit *Domnus* ſororis ejus filius, qui in Palæſtina primum monachus egerat ſub diſciplina ſancti Euthymii. Auditis quæ avunculus ſuus pro Neſtorio geſſerat, licentiam ab Euthymio petiit Antiochiam vadendi, ut illum ad veritatem revocaret. Euthymius eundi licentiam urgentius poſtulanti prænunciavit fore ut avunculo quidem ſuo ſuccederet, ſed à viris quibuſdam deceptus, aliquando exauctoraretur. Quæ narrat vitæ Euthymii ſcriptor, eventuque comprobata ſunt. Inprimis vero quum anno 449. ad ſecundam ſynodum Epheſinam veniſſet, nefariis Dioſcori pro Eutyche hæretico, & adA verſus S. Flavianum Conſtantinopolitanum decretis ſubſcripſit. Mox vero ab eodem Dioſcoro in eadem ſynodo damnatus eſt, & Antiocheno epiſcopatu privatus, quem annos octo tenuerat, quot nempe ei Nicephorus aſſignat. Domnus in Palæſtinam eorum memor quæ Euthymius ſibi prædixerat, reverſus, reliquum vitæ tempus procul ab hominum conſortio egit. *Omnes*, inquit vitæ Euthymii auctor, *prædictionis caſus toleravit, & ad ſenem regreſſus, pænitentiam egit.* Ipſo patriarchatum gerente, Athanaſii Perrhenſis & Ibæ Edeſſeni B cauſæ multis in ſynodis & conventibus agitatæ ſunt Antiochiæ, aliiſque in locis. Juſtinianus in edicto adverſus tria capitula, *Domnum Antiochiæ epiſcopum, poſtquam mortuus erat, damnatum à concilio Chalcedonenſi fuiſſe* dixit, ἀλλὰ καὶ ἡ ἐν Χαλκηδόνι σύνοδος Δόμνον τὸν Ἀντιοχείας γενόμενον ἐπίσκοπον μετὰ θάνατον κατεδίκασε. Latæ ſententiæ cauſam addit, *quod hoc ſolummodo ſcribere auſus eſſet, oportere duodecim ſancti Cyrilli capitula ſilentio premi.* Ita quoque Liberatus cap. 12. *Depoſitus eſt autem dolo à Dioſcoro ſic: Poſtquam conſenſit in omnibus* C *Dioſcoro, datis in medio ejus epiſtolis, quas ad ipſum Dioſcorum Antiochenus Domnus contra duodecim capitula Cyrilli ſcripſerat, eo quod eſſent obſcura; damnavit ægrotum & abſentem illa die.* At nihil ejuſmodi Chalcedonenſis concilii acta ulla teſtificantur. Sed etiam Evagrius qui ea accurate ſatis evolverat, inque compendium ſat amplum redegerat, lib. 2. cap. 30. ſe neſcire ait quid Domno poſt latrocinium Epheſinum factum ſit. In multis codicibus Latinis Chalcedonenſis ſynodi, ſingularis poſt decimam exſtat actio *de Domno* D *Antiocheno*, in qua Maximus ejus ſucceſſor à proceribus cunctiſque patribus decerni impetravit, *ut humanitas in Domnum qui Antiochiæ epiſcopus fuit*, exerceretur, aſſignato ei certo de eccleſia Antiochena ſumptu ſtipendioque. Sunt qui actionem hanc uti ſpuriam rejiciant, propter Juſtiniani edictum, Liberati, Facundi Hermianenſis, & Evagrii ſilentium. Quod Juſtinianum attinet, illud per oſcitantiam à Chalced. concilio ſtatutum putavit, quod intra ejuſdem ſynodi acta in prædatoriæ ſynodi Epheſinæ geſtis legerat: quod E quidem aliis perinde accidiſſe reperi. Nam actione prima ſynodi Chalcedonenſis relecta regeſtaque fuere quæ ante biennium Epheſi ſub Dioſcoro dicta patrataque erant. Sed nec Chalcedonenſis ſynodus ſanctione ulla Cyrilli capitula uſquam approbaſſe reperitur, ſed ejus dumtaxat epiſtolas duas ad Neſtorium. Eſto, quæ pro Domno decreta ſunt Evagrius, Liberatus aliique ignoraverint. Quaſi vero ſingularia geſta aliquot ex actorum

Græcorum collectione non exciderint: quando in variis quæ præ manibus habemus Latinis editionibus, ſexcenta occurrunt, quæ in Græcis atque anterioribus deſiderantur. Sed nec Evagrius aliique à Chalcedonenſi ſynodo Domnum proſcriptum noverunt, uti nec vitæ S. Euthymii ſcriptor.

XLII. Maximus.

Domno deſtituto, & Anatolio in Flaviani Conſtantinop. locum ordinato, Dioſcorus apud Imperatorem Theodoſium egit ut ex urbe regia epiſcopus Antiochenis daretur; quod nempe orientales ſuſpectos haberet. Quamobrem Anatolius eis *Maximum* ordinavit an. 449. quæ tamen ordinatio, ut pote præter canones, nullo cleri populique Antiocheni decreto facta, jure vitioſa habita eſt; ſubinde vero ſynodi Chalcedonenſis aſſenſu confirmata, ſed etiam Leonis Papæ qui ejus integram ſanamque fidem comperit. Cæterum ejuſdem ſanctiſſimi Pontificis multæ litteræ exſtant de hac Maximi ordinatione, ceu præter eccleſiæ regulas patrata. In illa ſynodo eccleſiæ ſuæ cauſam egregiè defendit adverſus Juvenalem Hieroſolymitanum, qui ab Antiochena diœceſi Phœniciam ſecundam cum Arabia avellere conatus erat. Contra cujus molimina iterum expoſtulavit apud Leonem Papam, quod ex Leonis ad ipſum epiſtola conſtat. Canoni 28. Chalcedonenſi in Anatolii Conſtantinopolitani gratiam ſubſcripſit, necnon ſynodicæ ad Leonem, qua canonem hunc ab Apoſt. Sede confirmari poſcebatur. Nicephori catalogus fert eum fuiſſe epiſcopatu abdicatum *ob lapſum, poſt annos quatuor.* Μάξιμος, ὁ ἐν τῇ τετάρτῃ συνόδῳ ἐν Χαλκηδόνι· ὃς ἐξεβλήθη διὰ πταῖσμα, ἔτη δ'. Quam Maximi depoſitionem, lapſumque nulla monumenta alia perhibent. At cum quatuor dumtaxat annos Antiochenam ſedem tenuiſſe alieniſſimum à vero eſt, ſexque annos illi idcirco tribuo, quod Marcianus Imperat. de Baſilii ſucceſſoris ejus ordinatione ſcripſerit tantum an. 456. ut ex Leonis epiſtola 118. conſtat.

XLIII. Basilius.

Ex Leonis igitur epiſtola 118. apparet *Baſilium* ad Antiochenam ſedem fuiſſe promotum anno 456. cujus inaugurationem à Marciano Imperatore ſolo acceperat. Sic enim Baſilium alloquitur: *Ordinationem quidem dilectionis tuæ ſecundum eccleſiaſticum morem tuo, vel fratrum noſtrorum debueramus ſermone cognoſcere; ſed quia non defuerunt cauſæ quæ poſſent hanc diligentiam præpedire, & ſanctæ memoriæ Marcianus princeps ſuis ſcriptis conſecrationem tuam nobis cognitam fecit, nec de tuo poſſumus merito dubitare quem noviмus.* Anno 457. Leo Imperator, qui

A Marciano ſucceſſerat, principatus ſui initio accepta Proterii Alexandrini nece, ad ipſum atque ad omnes Aſiæ, Ponti, Illyrici & Orientis metropolitas litteras dedit, ut collectis ſinguli provinciarum ſuarum ſynodis ſententias dicerent de impia illa ſanctiſſimi præſulis cæde, deque ſynodi Chalcedonenſis auctoritate. Sancti quoque Simeon Stylita & Baradetus quorum ſententiam rogaverat Imperator, eidem Baſilio reſponſorias ſuas litteras Leoni tranſmittendas dederunt. Simeonis ad Baſilium epiſtolam recitat Evagrius l. 2. c. 10.

B Obiit igitur anno circiter 458. poſt duos pontificatus annos, ùt bene Nicephori catalogus tradidit, Βασίλειος ἔτη β'. quibus aliquot menſes addendos putavero.

XLIV. Acacius.

Alexander appellatur Baſilii ſucceſſor Victori Tunnunenſi, quem Nicephori catalogus ſeu Chronicon breve *Acacium* nominat, annum unum & menſes quatuor ei epiſcopatus tribuens. Ἀκάκιος. ἐφ' οὗ ἡ πόλις πέπτωκεν, ἔτος ἕν, μῆνας δ'. quam Antiochenæ civitatis

C ruinam terræ motu accidiſſe refert Evagrius lib. 2. cap. 12. *anno ſecundo Leonis Auguſti decima-quarta die Septembris, circa quartam noctis horam.* Joannes Malalas decima-tertia ιγ'. ſub primam lucem.

XLV. Martyrius.

XLVI. Petrus Fullo
invaſor prima vice, hæreticus.

Anno itaque 460. *Martyrius* Antiochenum thronum capeſſivit, cui Chronicon breve Nicephori, & Tabulæ Theophanis

D annos tredecim aſſignant, Μαρτύριος ἔτη ιγ'. ad annum uſque 473. abſolutum. Id quod certe fieri nequit. Martyrius ob tumultus quos *Petrus Fullo* in urbe ſua excitaverat, epiſcopatum abdicavit, in vivis adhuc ſuperſtite Gennadio Conſtantinopolitano, qui diem poſtremum obiit ipſo 471. anno. Quod certiſſimo Theophanis, imo Theodori lectoris quem exſcribebat, teſtimonio conſtat. Theophanes, inquam, ad annum Alexandrinum 456. hoc eſt vulgaris noſtræ æræ 468. uno tenore & ſerie referens, quæ Antio-

E chiæ ſub Zenone Leonis Imp. genero, Petro Fullone auctore contigerant: *Is,* inquit, *implorata Zenonis opera, nonnullos ex Apollinaris aſſeclis mercede conductos ſibi conjungit: & innumeros tumultus contra fidem & Martyrium excitavit. Anathemate illos ferit, qui non aſſererent Deum cruci ſuffixum; ac populo demum in duas partes ſciſſo, addit ter ſancto hymno: qui crucifixus es pro nobis. Quæ voces ab eo tempore ad hodiernum uſque diem à*

Digitized by Google

Theopaſchitis uſurpari conſueverunt. Tum Martyrius ad Imp. Leonem profectus, Gennadii Conſtantinopolitani præſulis commendatione multo honore ſuſcipitur. Antiochiam deinde reverſus, quum populi factiones varias, eaſdemque tumultibus agitatas comperiſſet, Zenonis favore fortiores, in eccleſiæ conventu epiſcopatu ceſſit, verbis hujuſmodi utens: Clero inobedienti, populo contumaci, & eccleſiæ ſordibus infectæ nuncium remitto, ſolaque mihi ſacerdotis dignitate reſervata, epiſcopale manus depono. Eo recedente, Petrus Fullo in Antiochiæ thronum inſiliens, confeſtim Joannem quemdam, gradu quem obtinuerat detruſum, Apameæ epiſcopum ordinat. Nuncio hujus rei accepto Gennadius cuncta ad Imperatorem refert, qui Petrum Fullonem exilio relegandum pronuntiat. Sedem igitur ſuperſtite Gennadio Martyrius abdicavit, quam Cnapheus ſeu Fullo ſtatim occupavit, non ſub Leone II. ſed ſub Zenone ejus ſucceſſore Imp. Niſi forſan tredecim anni in Nicephori Chronico & Tabulis Theophanis numerentur, non quidem integri, ſed uſque ad Juliani, qui Fullone expulſo Patriarchatum geſſit ordinationem, quæ facta eſt in ſolenni ſynodo Antiochiæ habita, cujus ſententia Fullo deturbatus fuit. Hanc ſynodum cum multis aliis memorat liber ſynodicus Græcus. Enim vero apud Nicephorum & in Tabulis Theophanis mentio nulla prioris illius uſurpationis à Petro Fullone admiſſæ.

XLVII. Julianus.

Theophanes loco quem mox laudabam, ſubdit Petrum Fullonem audito quod Imperator Zeno contra ſe decreverat, proprium exilium fuga evitaſſe, *moxque communibus ſuffragiis,* inquit, *Julianus quidam Antiochiæ epiſcopus inſtitutus eſt.* Fuga quidem exilium Petrus evitavit; at ſynodi ſententia opus fuit, ut jure epiſcopatu privatus cenſeretur. Quod factum eſt anno 471. Juliano Theophanis Tabulæ ſex annos adſcribunt, quod vero ſimilius videtur, quam quod Nicephori Chronico fertur, Ἰουλιανὸς ἔτη ις΄. *Julianus anni 16.* Nam Petrus Fullo, eo ejecto, in Antiochenam ſedem denuò invaſit anno Baſiliſci Imp. ſeu Tyranni 1. hoc eſt Chriſti 476. Non multo poſt Julianus mœrore confectus, interiit, ait Theophanes.

XLVIII. Petrus Fullo *iterum hæreticus.*

Petrum Fullonem jam ante vidimus in Antiochenam ſedem contra fas inſiliiſſe, hominem hæreticum, qui in aſceterio Acœmetarum Conſtantinopolitano monachus primum egiſſet, inde propter hæreſim Monophyſitarum quam colebat, pelli meruerit. Hic porro

A Zenone Imperatore per Baſiliſcum tyrannum ad ordinem redacto, Timothei Æluri Alexandrini præſulis perinde hæretici, qui multa apud Baſiliſcum auctoritate valebat opera, Antiochenam iterum eccleſiam occupavit, à qua tamen altero rurſum anno à Zenone Auguſto qui Imperium Baſiliſco profligato receperat, ejectus eſt. De qua ſecunda Fullonis expulſione Joannes Malalas parte ſecunda Chronogr. pag. 91. hæc habet: *Zeno Imp. ſtatim à reditu ſuo Petrum epiſcopum & Patriarcham Antiochiæ magnæ, tanquam qui Baſiliſci partibus adhæſerat, epiſcopatu ejectum, in*
B *Euchaïta Ponti urbem relegavit,* εἰς Εὐχάϊτα εἰς τὸν Πόντον, *Stephano ejus in locum ſuffecto.* Cæterum Theophanes narrat Petrum Pityos in Ponto Polemoniaco ab Imperatore deportatum, cuſtodibus eluſis, ad ſanctum Theodorum Euchaïta profugiſſe. Ejus vero depoſitionem non ſine ſynodi Orientalis ſententia factam Theophanes idem teſtatur, & pro eo Joannem ordinatum. Atqui ſynodum hanc habet liber ſynodicus Græcus, ſed Stephanum Petro ſuffectum ſubjungit; quum utique Joannes de quo mox dicetur, breviſſimo
C tempore Antiochenam ſedem tenuerit.

XLIX. Joannes II. *hæreticus.*

Quem à Petro Fullone Apameæ creatum epiſcopum ſuperius ex Theophane *Joannem* diximus, ejus hæreſis ſocium, ipſe eſt Joannes Codonatus, qui Apamenis datus à Fullone epiſcopus, à civibus minime admiſſus, Antiochiam ſe recepit, præcipuuſque auctor fuit cur ille Antiochena ſede pelleretur, ut eam occuparet; quod narrat auctor breviculi hiſtoriæ Eutychianorum. *Et hic quoque,* pergit Theophanes, *poſt tres menſes ejicitur.* Sic
D etiam Nicephorus tres dumtaxat menſes cum ſediſſe memorat: Ἰωάννης, ὁ μετὰ τρίμηνον ἐκβληθείς, *Joannes qui poſt tertium menſem ejectus fuit.* Ejus invaſionem tyrannidemque perſtringunt Romani Pontifices Felix, Simplicius & Gelaſius.

L. Stephanus II. *Catholicus.*

Synodicum librum Græcum antè laudavi narrantem à ſynodo quæ Fullonem abegit, pro eo *Stephanum* ordinatum, quod ſi ita eſt, Joannes peſſumdatis legibus, Antiochenam
E ſedem occupaſſe jure merito dictus eſt: excluſo nempe ejus legitimo antiſtite Stephano. Addit ſynodicus liber eum mox à conſecratione ſua ad Chriſtum migraſſe, eique continuò nulla mora Stephanum alterum ſucceſſiſſe, ἐν τάχιστα πρὸς Χριστὸν ἐκδημήσαντα, Στέφανος ἕτερος διαδέχεται. At priori Stephano noſtro Nicephori Chronicon tres pontificatus annos aſſignat, cui Tabulæ Theophanis concinunt, ut anno 481. obierit.

Digitized by Google

LI. Stephanus III. *Martyr.*

Stephanum tertium Antiochiæ epiſcopum habemus ex libro ſynodico, Nicephori Chronico & Tabulis Theophanis, quum unicum dumtaxat Evagrius noverit, illum ſcilicet quem ab Antiochenis, calamis in ſimilitudinem haſtarum præacutis confectum ex Joanne Rhetore ſcribit lib. 3. cap. 10. Quod facinus ſic paulo fuſius Theophanes ediſſerit ad annum Alexandrinum ſuum 473. & vulgarem Chriſti 480. *Hoc anno, Stephano Antiochiæ epiſcopo defuncto, Stephanum alterum Zenonis Imp. juſſu ejus in locum ordinaverunt, quem fidei perduelles pro ſua in Petrum Fullonem propenſione, in amentiæ ſubſidium furorem acuentes, in ſancti martyris Barlaam martyrio acutis calamis perfoſſum & necatum, in Orontem fluvium projecerunt.* Joannes quoque Malalas paulò accuratius: *Eodem imperante Zenone, clerus Antiochenus Stephanum epiſcopum ſuum, quod Neſtorii eſſet ſectator, extra urbem ad ſynaxim ſanctorum quadraginta, quæ in loco Barlaë dicto habebatur,* εἰς τὰ λεγόμενα Βαρλάαν, *ingredientem, calamis præacutis confecerunt, ejuſque corpus mortuum in Orontem projecerunt. Quibus cognitis, Zeno Imp. Calandionem epiſcopum & Patriarcham Antiochiæ Syriæ conſtituit. Verum hic quoque quod Neſtorianus eſſet, exterminatus eſt.* Scriptorem utique alterum de Monophyſitarum grege Malalas exſcribebat. Unum dumtaxat annum epiſcopatum geſſit Stephanus, Nicephoro & Theophani in tabulis. Στέφανος, ὁ ῥιφεὶς εἰς Ὀρόντην ποταμὸν ἔτος ἕν.

LII. Joannes II. *ſecundò.*

LIII. Calandion.

Theophanes narrata Stephani nece, Calandionem Conſtantinopoli Antiochiam epiſcopum à Zenone miſſum pergit: *Zeno facinus attentatum ulturus, Acacio Conſtantinopolitano præſuli, ut Antiochiæ crearet epiſcopum mandavit: qui conſecravit Calandionem. Antiochenſes ordinationis factæ neſcii, Joannem nomine Codonatum ſibi præfecerunt, quem epiſcopum Calandion poſtmodum in Tyri ſedem, quæ poſt Antiochiam prima eſt, tranſtulit.* Ubi aperte ſignificat Joannem illum Codonatum in Antiochenam ſedem iterum, interfecto Stephano irrepſiſſe, perduellium utique illorum hæreticorum opera: cæterum ſubinde mentem illum fidemque in melius mutaſſe, ut eccleſiæ Tyri præfici meruerit à Calandione catholico Patriarcha.

CALANDION. Quod *Calandionem* attinet, anno 482. Antiochenorum deſignatus archiepiſcopus fuit, & certe Conſtantinopoli, licet id in dubium è noſtris eruditi quidam vertant. Nam vix ambigi poſſit, quin Theophanes

A iſthæc acceperit ex Theodoro lectore rerum tunc temporis geſtarum pene æquali. Nec certe Simplicius Papa epiſtola ſua 16. Acacio Conſtantinopolitano Calandionis ordinationem præter regulas, etſi neceſſario factam ſcripſiſſet excuſandam, niſi quia in aliena diœceſi, ac non in Antiochena acta erat; at vero æqualiſſimus alter breviculi hiſtoriæ Eutychianorum auctor, opuſculum hoc verbis iſtis abſolvit, quibus perſpicuiſſime conſtat Calandionem non ab alio, niſi ab Acacio illo, adeoque in urbe regia ordina-

B tum. *Cujus* (Acacii) *audacia deteriora committens, etiam Petrum Antiochenum, ejecto Calandione quem ipſe ordinaverat, ad Antiochenam miſit eccleſiam.* Calandion igitur ab Antiochenis admiſſus, eccleſiæ ſuæ ſciſſuras ſarcire curavit, quumque Triſagium hymnum alii cum Petri Cnaphei interpolatione, alii purum ſincerumque canerent, ambas partes conciliare conatus eſt; præmiſſis Fullonis additamento huic *qui crucifixus es pro nobis*, duabus vocibus iſtis, *Chriſte rex*, quibus ſignificaretur de Chriſto, ſeu Deo homine facto,

C ter ſanctum illud canticum dici: quod Theodorus lector lib. 2. hiſtor. narrabat, ubi & ſcribebat ſanctiſſimum Patriarcham initio epiſcopatus ſui obtinuiſſe ut S. Euſtathii deceſſoris quondam ſui corpus Philippis in Macedonia Antiochiam reduceretur, hancque tranſlationem in cauſa fuiſſe, cur multi qui antè diſſidebant, communionem catholicam amplexi ſint, quod eſſe factum ait ipſo centeſimo ab Euſtathii obitu anno, μετ' ἑκατὸν ἔτη τοῦ θανάτου Εὐσταθίου. Antiochenæ eccleſiæ præfuit annos 4. ut ferunt Nicephori Chro-

D nicon breve, nec non Tabulæ Theophanis, qui ejus exauctorationem ad hunc modum recitat: *Imperator Zeno à Tyrannis ſe opprimentibus liber, Calandionem Antiochenſium eccleſia expulit, & in Oaſim relegavit, atque Petrum Fullonem in ſedem reſtituit.* Quorum malorum verus auctor fuit vir mortalium teterrimus Acacius ille Conſtantinopolitanus.

LIV. Petrus Fullo, *hæreticus tertiùm.*

Calandionis relegationem, & *Petri Fullonis* revocationem ſic paucis deſcribit Malalas,

E ex neſcio quo auctore fidei Chalcedonenſis hoſte: *Calandion quod Neſtorianus eſſet, exterminatus eſt. Tum vero Imperator, clero populoque Antiochienſi, hoc ab eo flagitantibus, Petrum revocavit. Hic itaque ab Euchaïtis revocatus & in patriarchatum reſtitutus, in ſede ſua Antiochienſi vitam finivit.* Tertium itaque Petrus Fullo Antiochenæ eccleſiæ tyrannus, non Pontifex fuit, anno 485. moxque adeo in ſynodo Romana anathemate percuſſus à

Digitized by Google

Felice III. Papa, tres annos Orientis eccleſias depopulatus iterum eſt, variis modis tanquam Neſtorianos exagitans, qui Chalcedonenſem ſynodum colerent. Quanquam nonnulla ab eo novata ſunt, quæ hodieque in Oriente præſertim obſervantur; ut nempe *ſacrum chriſma in eccleſia coram omni populo conſecraretur, ut invocatio ſuper aquas baptiſterii in die Theophaniorum fieret ad veſperam: denique ut in ſingulis collectis ſymbolum recitaretur.* Vivere tandem deſiit exacto triennio, velut in Tabulis Theophanis, & Nicephori Chronico fertur: Πέτρος πάλιν ὁ Κναφεὺς ἔτη γʹ. *Petrus rurſum Cnapheus, annos tres:* quibus conſonat Victor Tunnunenſis, cui emortualis Fullonis annus incidit in annum Chriſti 488. eumdem ipſum quo Acacius Conſtantinopolitanus interiit. Ipſe porro inprimis auctor fuit ut Monophyſitarum dogma Antiochiæ invaluerit, quod ne vix quidem ſub Catholicis principibus exterminari potuit.

LV. Palladius *hæreticus*.

Succeſſorem Fullo *Palladium* habuit hæreticum an. Zenonis 17. qui eccleſiæ ſanctæ Theclæ Seleucienſis in Iſauria preſbyter fuerat, uti narrat Theophanes, qui una cum eo duos alios electos ſubdit Joannem Conſtantini, & Anaſtaſium Silentiarium, qui poſt Zenonem peſſime imperavit. Atqui hoc eodem anno, Anaſtaſio Imp. renunciato, Palladius Antiochiæ præſul anno inſequenti ordinatus fuit; quum Petrus Fullo ad eam ſedem redire vetitus eſſet, anno, inquam, 490. Quæ ſi ita ſunt, ejuſdem Theophanis Tabulæ, ut & Nicephori Chronicon, decem annos perperam aſſignant Palladio; quando ſucceſſor ejus Flavianus pontificatum iniit anno 498. ex Theophanis itidem hiſtoria. Atqui Palladius Petri Mongi & ſucceſſorum ejus Alexandrinorum præſulum communionem accuratè fovebat.

LVI. Flavianus II.

Theophanes ad æræ ſuæ annum 491. Chriſti 498. *Palladio*, ait, *Antiochiæ præſule defuncto, Imperator* (Anaſtaſius) *Flavianum preſbyterum, & ejuſdem eccleſiæ nuntium, in mortui locum deſignavit, quem Chalcedonenſibus decretis oppoſitam tenuiſſe ſententiam ferunt.* Monachus egerat in monaſterio Syriæ ſecundæ, ac forſan Apamenſis territorii, in agro quem *Timolginum*, Τιμολγινὸν, vel *Timolgium*, Τιμόλγιον nominabant. Statim ab ordinatione ſua communionem iniit Joannis Hemulæ Alexandrini epiſcopi Chalcedonenſi ſynodo refractarii, miſſo ad illum Salomone eccleſiæ ſuæ preſbytero. Verum errore agnito, ejurata illa ſocietate, Macedonio Conſtantinopolitano, & Eliæ Hieroſolymitano ſe junxit, erga fidem catholicam melius affectos. An. tamen A 509. ſynodo Antiochiæ habita epiſcoporum ſuæ diœceſis, ut Anaſtaſium imperatorem ſibi iratum placaret, tria quidem priora concilia generalia, Nicænum, Conſtantinopolitanum & Epheſinum admittere ſe profeſſus eſt, Chalcedonenſe vero tacuit, ad normam fere Henotici conſtituti Zenonis: anathema quoque dixit Theodoro Tarſenſi, Theodoro Mopſueſteno, Theodoreto quoque Cyrenſi, Ibæ Edeſſeno, Eutherio Tyanenſi, Cyro & Joanni Ægeatis preſbyteris, nec non aliis quos Philoxenus impurus Hierapolis epiſcopus B Neſtorianiſmi promiſcuè taxaverat. Hinc Macedonius Conſtantinopolitanus anathema in Flavianum intorquere non dubitavit, ejuſque nuntios à ſe abegit. Timothei hæretici, qui in Macedonii locum intruſus fuerat, litteras communionis admiſit, ſynodo Sydonenſi adfuit cum Elia Hieroſolymitano, effecitque ne in hoc conventu octoginta epiſcoporum Chalcedonenſe concilium proſcriberetur. Subinde vero, tumultuantibus monachis, quos Philoxenus ſynodi illius anteſignanus Antiochiam acciverat, terrore per- C culſus, ut Imperator erga ſe manſueſceret, ſancto illi concilio palam in eccleſia anathema dixit, ut & Diodoro, Theodoro, Ibæ & Theodoreto. Nihilominus quod adverſus eum illi furebant odio, ac ſi facinus illud ex animo non admiſerat, urbe illum exire compulerunt: qui, ſtatim accepto Imperatoris mandato, Severum ſubrogarunt: ipſe verò Flavianus in Petræ arcem relegatus eſt, & eodem quo Anaſtaſius Imperator anno, eodemque menſe Julio, diem poſtremum obiit. Epiſcopatum geſſit ſecundum Theophanis D Tabulas annos tredecim, quum ſeptem duntaxat, errore manifeſto, ſcribantur in Nicephori Chronico.

LVII. Severus *hæreticus*.

Severus, ſexcentorum quæ in Orientali eccleſia acciderunt, malorum auctor, Sozopoli in Piſidia natus, Tripoli Phœnices in eccleſia ſancti Leontii ex Gentili chriſtianus factus eſt, & baptizatus à catholico præſule. In monaſterio inter Gazam & Majumam poſito monaſticam vitam egit; unde in E Ægyptum pergens, à Petro Ibero Monophyſitarum errorem edoctus quum eſſet, Petri Mongi adverſus Timotheum Saloſaciolum Catholicum Alexandriæ antiſtitem partes ſectatus eſt. At ubi Petrus edictum Zenonis, quod *Henoticon* dixere, ſuſcepiſſet, ab ejus communione abſtinuit, quia edicto illo Chalcedonenſi concilio non ſatis derogabatur. Quocirca ducem ſe præbuit illorum qui à Petro ſecedentes, nec ulli parentes epiſcopo

Digitized by Google

Acephali audierunt. Uti dialecticarum tricarum callentiſſimus erat, ita nec compoſitorum ſatis ad honeſtatem morum. Sexcentas turbas in Ægypto, Conſtantinopoli, & per Orientem excitaverat, quando Antiochenus Patriarcha renuntiatus fuit. Ea in urbe ordinatus anno, ut Evagrius ſcribit, Antiochenorum quingenteſimo ſexageſimo primo, menſe Dio, Indictione VI. qui annus à Kalendis Septembribus incipiens anno vulgaris noſtræ æræ 512. menſiſque Dius Novembri noſtro reſpondebat. Synodicas quas ſtatim ab ordinatione ſua de more paſſim miſit, Orientalium alii ex animo, alii inviti ſuſceperunt, alii prorſus rejecerunt, in quibus nimirum Chalcedonenſe concilium proſcriberet; communionem ejus Elias Hieroſolymitanus abnegavit, quum ſynodicam ejus epiſtolam accepiſſet, datam menſe Maio Indict. VI. uti narratur in vita S. Sabæ to. 3. monum. eccl. Græcæ. Tyrannidem in Antiochena diœceſi quinque annos & menſes aliquot exercuit, uſque ad Anaſtaſii Imperatoris obitum, qui fatis conceſſit anno 517. die nona Julii, ſecundum Theophanem. Juſtinus enim ſtatim atque Anaſtaſio ſucceſſor datus eſt, ut erat Catholicæ fidei alumnus, concilium in urbe regia haberi voluit, in quo Chalcedonenſe omnium ſuffragiis receptum eſt, & anathema inprimis dictum Antiocheno Severo: quem Imperator, quia ſanctum illud concilium proſcindere non ceſſabat, comprehendi mandavit, & abſciſſione linguæ plecti. *Ille*, ait Evagrius lib. 4. cap. 4. *ex Antiochena ſede fugit menſe Gorpiæo, quem Romani Septembrem vocant, anno Antiochenæ urbis quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo;* unde de Severo rectè ſcripſit Liberatus: *ſed ipſe potitus eſt epiſcopatu ejus* (Flaviani) *plus quinque annis*. Quæ accuratiora ſunt, quam quod Theophanis Tabulæ ferunt: Ἀντιοχείας ἐπίσκοπος Σεβῆρος ἔτη ζ'. *Antiochiæ epiſcopus Severus annos ſeptem*. In vivis agebat adhuc quo tempore ſynodus Conſtantinopolitana Menna præſide, & Juſtiniano Imperatore, celebrata eſt anno 536. Et certè Evagrius libro 4. hiſtoriæ cap. 11. epiſtolas appellat Severi ad Juſtinianum Imperatorem & Theodoram Auguſtam, & Theodoſium Alexandrinum, quibus ſignificabat ſe tunc temporis Conſtantinopolim veniſſe, perſuaſiſſeque Anthimo, ut ſpreta mundi gloria, præconceptam adverſus ſynodum Chalcedonenſem mordicus teneret opinionem. Atqui anno 536. Anthimus Byzantina ſede amotus fuit, quam menſes decem tenuerat.

LVIII. Paulus II.

Poſt Severum, ſubdit loco mox allato Evagrius, *Paulus ad epiſcopalem thronum promotus*, A *Chalcedonenſem ſynodum palam prædicare juſſus eſt:* Non ſtatim vero à Severi fuga electus eſt Paulus, ſed poſt longos tractatus Conſtantinopoli habitos; poſt ſancitam inter urbis regiæ Romanamque eccleſiam pacem, uno anno elapſo, ut non male fert Dionyſius Jacobitarum Patriarcha in ſuo Chronico, ad annum Græcorum 831. Chriſti 519. Dioſcorus namque Hormiſdæ Papæ ad Juſtinum Imperat. legatus in ſua ad Pontificem ſuum priori de illa eccleſiarum concordia ſuggeſtione ſubdit: *Nunc de Antiochena eccleſia* B *tractatur, & ideo adhuc laboratur, quia nondum eſt congrua perſona electa*. Pax autem illa Conſtantinopoli inita non eſt ante feriam quintam in Cœna Domini, vel ipſam diem Paſchæ anni 519. quæ incidit in diem Martii 24. In ejuſdem Dioſcori ſuggeſtione altera, quæ data eſt 3. Kal. Junias: *Nunc*, inquit, *etſi poſt multos labores, etſi poſt intentiones plures, Antiochena eccleſia ordinata eſt. Electus eſt quidam Paulus nomine, preſbyter Conſtantinopolitanus, quem huic honori aptiſſimum Imperatoris teſtimonio comprobatum voluerunt, &* C *tentaverunt hic ordinari*. Addit legatus ſibi conceſſum eſſe, ut non niſi Antiochiæ, velut Hormiſdas ipſe mandaverat, ſecundum canones conſecraretur. Atqui Paulus vix proinde ante menſis Julii finem Antiochiam advenire, ibique coacta ſynodo ordinari minime potuit: qua in ſynodo Chalcedonenſe concilium reſtitutum fuit. Paulo poſt verò epiſcopatu abdicato, *Antiochia ſponte ſeceſſit*, inquit Evagrius, *& certo vitæ curſu emenſo communne univerſæ carnis iter ingreſſus eſt;* ac quidem exacto triennio, ut in Tabulis Theo- D phanis habetur, & in Nicephori Chronico. Diſceſſionis cauſam refert Joannes Malalas parte 2. *In Juſtino I. Ejuſdem Imperatoris anno* P. 133. *primo*, inquit, *Severus Patriarcha Antiochenus Vitalianum fugiens, in Ægyptum ſe recepit, cujus in locum Patriarcha creatus eſt Paulus*, ὁ ἀπὸ ξενοδοχείου τοῦ Εὐβούλου, *hoſpitii Eubuli præfectus: hic ſexcentorum & triginta ſynodi Chalcedonenſis epiſcoporum nomina in eccleſiarum diptycha per ſingulas urbes retulit: unde ſchiſma magnum factum eſt, multis ab eo ſecedentibus, quibus ſynodi illius fautores Neſtorianiſmum* E *ſapere videbantur:* ut ob diſſidentes ſuorum animos epiſcopatum abdicaverit, ut antehac Martyrius. Quanquam aliæ cauſæ fuerunt cur Antiochia abſcederet, quas Juſtinus Auguſtus Hormiſdæ Papæ explicavit epiſtola, quæ exſtat tom. 4. Conc. col. 1555. illum enim receſſiſſe ait *ex malæ conſcientiæ teſtimonio; veritum inſuper ne quæſtione habita graviorem formam exitus rei poſceret, excuſatores libellos obtuliſſe, ut liceret ei ſecedere*

Digitized by Google

à ſuſcepto epiſcopatus officio, &c. Data epiſtola eſt *Kal. Maii Juſtiniano & Valerio viris clariſſ.* A *Coſſ.* hoc eſt anno Chriſti 521.

LIX. Euphrasius.

Paulo ſubrogatus eſt ipſo anno 521. *Euphraſius* patria Hieroſolymitanus, ait Malalas, Hieroſolymis, ut ſcribit Evagrius, Antiochiam profectus; de quo Theophanes, *Euphraſius Antiochenus*, inquit, *Chalcedonenſis ſynodi Patrum, & ipſius Papæ Romani nomina diptychis expunxit: poſt vero metu pænitens, quatuor ſynodos promulgavit.* Multos illorum *qui orthodoxi audiebant magna mota perſecu-* B *tione*, occiſos fert Malalas: ἕως μέγαν ἐποίησε διωγμὸν κατὰ τῶν λεγομένων ὀρθοδόξων, πολλοὺς φονεύσας. Quos ille *orthodoxos* appellat, mihi ſunt Chalcedonenſis concilii hoſtes, quos, Imperatore jubente, Euphraſius exagitaverit. Poſt verò ingenti terræ motu quo Antiochia omnis ſubverſa eſt, civium ſuorum poſtremus interiit. Quæ calamitas, Evagrio ex Joanne Rhetore oculato teſte, inceſſit anno Juſtini Imp. ſeptimo, menſe decimo in menſe Artemiſio, ſive Maii vigeſima-nona, ſexta feria. Ἐν τῷ ἑβδόμῳ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας, μηνὶ δεκάτῳ, C κατὰ τὸν Ἀρτεμίσιον μῆνα, ἤτοι Μάϊον, ἐννάτῃ καὶ εἰκοστῇ αὐτοῦ ἡμέρᾳ, κατ᾽ αὐτὸ τῆς μεσημβρίας τὸ σταθερώτατον τῆς ἕκτης ἡμέρας τῆς καλουμένης ἑβδομάδος. Malalas perinde narrat terræ motum hunc eveniſſe *ejuſdem Imperatoris anno ſeptimo, menſe Maio, Olybrio tunc conſule*, τῷ δὲ ἑβδόμῳ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἔπαθε ὑπὸ θεομηνίας Ἀντιόχεια ἡ μεγάλη τὸ πέμπτον αὐτῆς πάθος ἐν μηνὶ Μαΐῳ ὑπατείας Ὀλυβρίου. Conſul Olybrius fuit anno 526. Addit Malalas quo cladem hanc contigiſſe innuit in craſtino Aſcenſionis Domini. Auctam itaque Evagrius ſubdit D Euphraſii interitu. *Poſtremo omnium Euphraſius (cujus mors novam civitati calamitatem attulit) iiſdem ruinis oppreſſus interiit, ne quiſquam reliquus fieret, qui urbis neceſſitatibus provideret.* Circa finem igitur concuſſæ terræ, quo Malalas eccleſiam magnam quum diu ſletiſſet, poſtremo corruiſſe tradit.

Evagrius lib. 4. hiſt. cap. 5.

LX. Ephræmius.

Quo tempore Antiochia corruit, *Ephræmius* comes ſive præfectus erat Orientis; curam omnem adhibuit, quo civibus neceſſa- E ria cuncta providerentur; *quem proinde Antiocheni vehementer amplexantes, epiſcopum elegere*, ut narrat Evagrius l. 4. c. 6. Quum autem verſus finem anni terræ motus, Euphraſius occubuerit, hinc apparet Ephræmium non-niſi anno inſequenti ordinatum, qui Chriſti fuit 427. Hic quum rectam fidem teneret, vir frugi divinum fervorem in ſchiſmaticos exercuit, ait Theophanes. Multa ſcripſit quibus Chalcedonenſis ſynodi auctoritatem tueretur, quorum ſynopſim Photius dedit in Bibliotheca cod. 227. & 228. Concilium habuit propter Syncleticum Tarſenſem, qui in Eutychianæ hæreſis ſuſpicionem cum Syncello ſuo Stephano incurrerat. Synceletico veram doctrinam profeſſo, dimiſſum concilium eſt; cujus nulla in Conciliorum editionibus mentio. Anno 537. in Palæſtinam venit Pauli Alexandrini exauctorandi cauſa, ubi habita hanc in rem ſynodus eſt, in qua & Origenis dogmata quæ monachi multi tuebantur, anathemati ſuppoſita ſunt, ut fert Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Sabæ: additque Origeniſtas illos vim Petro Hieroſolymitano attuliſſe, ut Ephræmii nomen è ſacris tabulis eraderetur; quod in cauſa fuit, cur à Juſtiniano Imperatore, edicto dato cui Menas ſubſcripſit, Origenis impia placita proſciſſa ſint. Octodecim annos epiſcopatu functus eſt, ut legitur in Chronico Nicephori, & Tabulis Theophanis, adeoque aliquanto poſt initium anni 545. obierit, quo nempe currente ſecundum Theophanem, Domnus, ſeu Domninus, ejus ſucceſſor eſt conſtitutus. Paulo ante obitum à Juſtiniano rogatus, tria capitula damnavit, *poſtquam ei denunciatum eſt, quod excludendus eſſet, niſi faceret*, ait Facundus lib. 4. cap. 4.

LXI. Domnus III.

Anno itaque 545. labente, vel 546. inchoato, Antiochenam ſedem *Domnus*, ſeu *Domninus*, capeſſivit, vir perinde catholicus, qui ex Thracia oriundus, & cuidam Ptochotrophio juxta Lychnida civitatem præfectus, quum negotiorum cauſa regiam in urbem veniſſet, adductus à familiaribus ad Juſtinianum Imp. primo mox ipſo congreſſu ab ipſo renunciatus eſt epiſcopus Antiochenus, ut fertur in vita ſancti Simeonis Stylitæ junioris n. 76. Anno 552. ad ſynodum quintam generalem venit, in qua tria capitula damnata ſunt, ipſo cum aliis ſubſcribente. Annos quatuordecim Antiochenæ eccleſiæ præfuit ex Nicephori Chronico, & Tabulis Theophanis, ad annum uſque 559. Alexandrinum, qui à Kalendis Septembribus inceptus Chriſti anno 567. correſpondet, & hic primus quoque fuit Anaſtaſii ſucceſſoris illius.

LXII. Anastasius I.

Domnino ſucceſſor datus eſt *Anaſtaſius* Palæſtinus genere, profeſſione monachus, juxta atque in divina manifeſtatione viderat S. Simeon ſtylita junior, ut in ejus vita fertur num. 192. Evagrius Anaſtaſii I. Antiocheni Patriarchæ egregias virtutes eleganter deſcri-

Digitized by Google

bit lib. 4. cap. 39. ubi refert qua animi conſtantia Juſtiniano Imp. reſtiterit, corpus A Chriſti ante reſurrectionem corruptibile non fuiſſe aſſerenti. Nam quum argumentum hoc in urbe regia tractatum eſſet, omnes reſponderunt ſpectandam inprimis Anaſtaſii Antiocheni, ut pote doctiſſimi viri ſententiam. Quocirca eum cum ſuis ſacerdotibus exilio relegare princeps decrevit, qui improviſo fato an. 565. perculſus, conſilium non perfecit. Nihilo vero æquior in ſanctum pontificem fuit illius cognatus Juſtinus junior, quem octavo Imperii an. Antiochena ſede deturbavit. Objecta crimina fuere, quod ſacrum theſaurum B extra modum, in nullos uſus neceſſarios profuderat, quod convitia in Imperatorem jecerat. Rogatus ſiquidem quid cauſæ eſſet, cur theſaurum illum tam effuſe abſumſiſſet, reſpondiſſe ferebatur: *Ne à Juſtino univerſi orbis pernicie diriperetur.* At genuinam ejus ejectionis cauſam, auctoreſque nobis aperit Theophanes ad annum 562. Alexandrinum ſuum, Chriſti 569. *Magnus Anaſtaſius*, ait, *Antiochiæ epiſcopus, quum in reſponſione ſua ad ſynodicas litteras, Joannem Conſtantinopolitanum reprehendiſſet quod Joannem Alexandrinum* C *ordinaverat, eumque qui ab illo eſſet ordinatus ſimul perſtrinxerat, è ſuo epiſcopatu pulſus eſt, indigne illud ferente Juſtino, inque locum ipſius Gregorius monachus & Byzantiorum monaſterii apocriſiarius promotus.* Nimirum minime probabat Anaſtaſius Joannis Conſtantinopolitani antiſtitis facinus, qui poteſtatem ſibi arrogaverat Alexandrini Patriarchæ ordinandi. Ille vero Conſtantinopolitanus Joannes ille eſt qui Exſcholaſticus cognominatus fuit, genere quidem Antiochenus, anno 563. in Eutychii legitimi Byzantinorum pontificis, quem Ju- D ſtinianus deſtituerat, locum ſuffectus. Anaſtaſii depoſitionem ſibi non probari S. Gregorius Papa ſignificavit, miſſa ad eum, ut ad Gregorium, epiſtola ſynodica de ordinatione ſua, quam ad hunc modum inſcripſit: *Joanni Conſtantinopol. Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Joanni Hieroſolymitano, Anaſtaſio ex Patriarcha Antiocheno à paribus.* Prima vice Anaſtaſius ſedit annos XI. ἔτη ια΄. ut habetur in Nicephori Chronico & Tabulis Theophanis: quos completos fuiſſe putandum non eſt, ut Pontificatu ceſſerit anno 569. ad finem E vergente, vel exacto.

LXIII. Gregorius.

Pulſo Antiochia Anaſtaſio *Gregorius* ex monacho abſolutiſſimo, & lauræ Pharan, atque aſceterii montis Sina præfecto, Juſtini II. Imp. mandato Patriarcha conſecratur, quem impenſe commendat Evagrius lib. 5. cap. 6. ubi & poëtica arte eum claruiſſe ait. Multa certè vir ad magna conficienda apprime idoneus præclare geſſit, quo tempore Coſroës I. Perſarum Rex, Juſtino, Tiberio, & Mauritio Imperatoribus in Romanos fines irrupit: quæ legi poſſunt apud Theophylactum Simocattam. Joannes Moſchus cap. 140. Patriarchatum ei prænuntiatum fert ab Ariate Sergio anachoreta: tribus vero inprimis virtutibus claruiſſe, eleemoſyna, injuriarum oblivione, & lacrymis, habuiſſe quoque compaſſionem maximam erga peccatores. *Quarum*, inquit, *omnium rerum etiam nos ſæpe experimenta cepimus.* Nihilominus graviſſimorum criminum reus, adulterii inceſtique cum ſorore quæ marito copulata erat, turbatæ pacis & tranquillitatis actus eſt ab homine laïco apud judicem ſæcularem Aſterium Orientis Comitem, ad Imperatorem vero ac ſynodum provocavit, quæ Conſtantinopoli habita eſt tractoriis Joannis Jejunatoris illius urbis epiſcopi litteris, in quibus ſe Joannes *œcumenicum* Patriarcham appellabat. Ad eum convenerunt Alexandrinus & Hieroſolymitanus, aliique potiorum civitatum præſules, qui poſt aſſiduas inquiſitiones inſontem Gregorium pronuntiarunt. Quocirca Imperatoris decreto accuſator ejus nervis verberatus, circum civitatem ductus, exilioque multatus fuit. Poſt quatuor menſes à ſuo reditu, Antiochia iterum concuſſa terra corruente, Gregorius præter ſpem incolumis evaſit. Demum poſt annos quinque, Chriſti currente 584. è vivis exceſſit. Id quod demonſtrat doctiſſimus Pagius ex codice Græco Bibliothecæ Cæſareæ, quem Lambecius expendens lib. 7. pag. 168. orationis deceſſoris ejus Anaſtaſii inſcriptionem iſtam refert: *Anaſtaſii Patriarchæ Antiocheni Oratio, quum poſt annos viginti tres ad Patriarchalem thronum reverſus eſſet habita vigeſima-quarta die menſis Martii, feria quarta ſanctæ hebdomadis, Ind. XI Imperante Mauritio.* Qui characteres omnes conveniunt cum anno 593. quo Paſcha incidit in diem 29. Martii. Evagrius quoque, narrata Gregorii morte, hiſtoriam ſe abſolvere ait, anno 12. Mauritii Imper. Μαυρικίου Τιβερίου δωδέκατον ἔτος. reſtituto Anaſtaſio poſt ann. 23. ab inito Pontificatu, qui ipſe Chriſti eſt 594. Unde à vero longiſſime aberrant Chronicon breve Nicephori, & Tabulæ Theophanis, quæ Gregorium 24. annos ſediſſe ferunt.

LXIV. Anastasius I. *ſecundum.*

Mauritius Imperator Gregorio defuncto, *Anaſtaſium* Antiochenæ ſedi reddidit, vigeſimo-tertio anno exacto ex quo pontificatum inierat. Sic enim accipienda ſunt hæc Evagrii verba, ut & inſcriptionis, quam ante ex Lambecio recitavi; *Ἀναστασίῳ*

τῷ

τι τῆς Θεουπολιτῶν τῷ οἰκείῳ ἀποδοθέντος θρόνῳ μετὰ ἓξ καὶ εἴκοσι χρόνους. Ad eum poſtquam Antiochiam redierat, epiſtolam magnus Romanorum Pontifex Gregorius ſcripſit; inprimis vero ſuadebat, ut Byzantini præſulis ambitioni obſiſteret, qua *Patriarchæ œcumenici* titulum ſibi vindicarat. Qua tamen in re ſegnius ſe geſſit Anaſtaſius, eorum utique memor quæ ſimilem ob cauſam in ſe facta prius fuerant. Poſtremum diem obiit anno 598. aut 599. Gregorii Papæ epiſtola exſtat ad ſucceſſorem ejus Anaſtaſium alterum Ind. II. menſe Januario. Quapropter quum in Nicephori Chronico *ſex anni* pontificatui illius ſecundo aſſignantur; *Ἀναστάσιος ὁ δεύτερος, ἔτη ϛʹ*. melius Tabulæ Theophanis habent *annos quinque, ἔτη εʹ*. Sunt qui Anaſtaſium hunc Antiochenum pro Anaſtaſio Sinaïta illo acceperunt, cujus concertationes exſtant adverſus varias ſectas hæreticorum qui duas Chriſti naturas explodebant. Quorum manifeſtus eſt error: quando Anaſtaſius hic Sinaïta purus ac ſimplex monachus fuit, Eulogio Alexandrino & Anaſtaſio II. Antiocheno aliquantum poſterior, quique poſt natam Arabum ſeu Mohammedis ſuperſtitionem ſcripſit.

LXV. Anastasius II. *Martyr.*

Anaſtaſio priori ſucceſſit *Anaſtaſius* alter, qui ſtatim ab ordinatione ſua epiſtolam de more miſit ad Gregorium Papam, alioſque proinde Patriarchas, ad quem Gregorius reſponſoriam ſuam dedit, quæ in ejus regeſto exſtat lib. 10. Indict. II. Difficillimis Phocæ Imp. & Coſroæ Perſarum dynaſtæ temporibus eccleſiam adminiſtravit. Tumultuantibus in Chriſtianos Judæis qui Antiochiæ morabantur, obſiſtens, ab illis comprehenſus eſt, exſectiſque virilibus excarnificatus, & per urbis vias rotatus, Chriſti martyr occubuit. Quod Theophanes in Annalibus refert ad ſeptimum Phocæ annum: Chronicon vero Paſchale ſeu Alexandrinum, quod ſub Heraclio Phocæ ſucceſſore finitum videtur, ad annum à Phocæ Conſulatu VI. Indict. XIII. Chriſti 610. *Sergius*, inquit, *magnæ eccleſiæ Conſtantinopolis diaconus, Ptochodochiorum præfectus, cuſtoſque portus, & trans-urbanæ regionis, καὶ κατὰ τὸ πέρας. Septembri menſe, Indictione XIV. renunciavit, Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum, qui ſcholaſticus fuerat, à militibus interemtum eſſe;* Judæis proinde inſtigantibus. Theophanis errorem ad annum 693. prorogatum animadverterunt viri temporum peritiſſimi. Hinc exploratum fit Anaſtaſium hunc ſecundum, epiſcopi munere functum eſſe ultra nonum annum quem illi aſſignat Chronicon Nicephori; quanto magis ultra ſextum, quem Tabulæ Theophanis. Linguæ Latinæ, uti Græcæ, callentiſſimus fuit, quippe qui S. Gregorii Papæ Paſtorale volumen è Latino in Græcum idioma tranſtulerit. Ejus fœtus ſunt homiliæ Anagogicæ quatuordecim in Hexaëmeron, quæ Latinè duntaxat prodiere, præter ultimam à Petro Allixio Græcè Latinèque editam.

In hoc Anaſtaſio catalogus Antiochenorum epiſcoporum qui Nicephori Conſtantinopolitani nomen præfert, abſolvitur, ut in Sophronio Hieroſolymitanorum, & in Petro Alexandrinorum. Quumque res Syriæ propter illatas à Coſroe clades admodum turbatæ fuerint, hinc factum eſt ut Antiochena eccleſia paſtore diu viduata ſit, ac ſi Eutychio Alexandrino credimus, annos viginti duos: ſin aliis, triginta duos.

Humphredus Hody, Anglus in Prolegomenis ad Chronicon Joannis Malalæ quod Latinis Græciſque typis evulgavit, catalogum interſeruit Patriarcharum Antiochenorum, *quem*, ait, *ex Arabico aliquo auctore, ut opinor, tranſcriptum ab amico noſtro multo nomine venerando Edwardo Bernardo, viro omni genere præcellentiæ, accepimus*. Illius Patriarchas prædicti intervalli, quia diſcrepat aliquantulum ab Eutychiano, ſeu illo quem Eutychii Alexandrini annales Arabici referunt, lectoris oculis, hic non gravabimur ſubjicere.

Num.			An. C. In quo deſin.
58.	Anaſtaſius alter.....	9.	607.
59.	Vacat ſub Perſis....	31.	638.
	& Macedonius....	8.	646.
60.	Macarius...........	5.	651.
61.	Theophanes........	12.	663.
62.	Thomas............	20.	683.
63.	Georgius...........	21.	704.
64.	Vacat ſub Saracenis.	50.	754.
	& Theophylactus.	18.	772.
65.	Theodorus.........	23.	795.
66.	Theodoretus.......	17.	812.
67.	Jobus..............	31.	843.
68.	Nicolaus...........	26.	869.
69.	Stephanus....... & Thaddæus...	22.	891.
70.	Simeon............	12.	903.
71.	Elias...............	28.	931.
72.	Vacat..............	4.	935.

Dein Theodoſius & alii viri obſcuri.

Cujus catalogi, etſi nobis aliquanta ratio habenda eſt, in illis tamen Antiochenæ eccleſiæ antiſtitibus recenſendis receptiora monumenta appellanda nobis erunt.

Sedes vacat.

Vacavit quidem aliquandiu Antiochena

Digitized by Google

ſedes ab Anaſtaſii II. nece, quo tempore Perſæ ſub Coſroe II. rege ſuo Syriam & Palæſtinam, ad Ægyptum uſque infeſtarunt, an vero triginta & uno, an 22. annis, an demum 28. à 610. ad 638. incertum omnino eſt.

LXVI. Athanasius.

Anceps hæreo, an in Patriarchis Antiochenis numerem *Athanaſium* hæreticum, de quo Theophanes ad annum 621. Alexandrinum, Heraclii 20. ac Chriſti 629. Monotheleticæ hæreſis initia narrans, hæc ſcribit: *Hoc anno, quum Imperator adhuc Hierapoli moraretur, Athanaſius Jacobitarum Patriarcha, vir vaſer & pernicioſus, ut innatæ vafritiei ſunt omnes Syri, ad eum acceſſit, motiſque cum Imperatore de fide ſermonibus, ſi modo ſynodum Chalcedonenſem vellet admittere, Patriarcham Antiochiæ ſe conſtituturum Heraclius promiſit. Is enuntiatis in Chriſto naturis duabus hæreſim ad tempus celans, ſynodum probavit & recepit.* ὁ δὲ ὑποκριθεὶς ἀπεδέξατο τὴν σύνοδον, ὁμολογήσας δύο ἐν Χριστῷ φύσεις. *Tum de operatione & voluntate Imperatorem interrogavit, & quas aſſerere deceat, geminas, an unam! Imperator inuſitata ſibi vocum novitate implicatus, Sergio Conſtantinopolitano epiſcopo ſcribit, qui Cyrum Phaſidis epiſcopum ſciſcitatur, & in voluntatem actionemque unicam conſentire reperit. Sergius enim, utpote patria Syrus, & Jacobitis parentibus ortus, unam naturalem volendi actionem, unamque actionem in Chriſto confeſſus, ſcriptiſque teſtatus eſt. Imperator collata utriuſque ſententia, concordem illis invenit Athanaſium.* Doctiſſimus Franciſcus noſter Combeſiſius, invito viro perinde docto itidem noſtro Jacobo Goario Theophanis interprete, congreſſum hunc Athanaſii Jacobitæ cum Heraclio ad fabulas amandare non dubitavit, variis allatis argumentationibus, quæ hoc uno apud me monumento ruunt, ex Collectaneis MSſ. Collegii Pariſienſis Societ. Jeſu; fragmento ſcilicet Eubuli Lyſtrorum epiſcopi, quo libellum ab Athanaſio illo Imperatori porrectum confutavit, cujus hæc inſcriptio eſt: Εὐβούλου ἐπισκόπου Λύστρων, ἐκ τοῦ λόγου πρὸς τὴν χάρτην ἐπιδοθέντα Ἡρακλείῳ βασιλεῖ ὑπὸ Ἀθανασίου τοῦ Σευηριανῶν ἐπισκόπου. *Eubuli epiſcopi Lyſtrorum, ex ſermone adverſus chartam Heraclio Imp. datam ab Athanaſio Severianorum epiſcopo.* Atqui Theophanes refert Athanaſium præſtitiſſe quæ Heraclius exigebat, & Imperatori arriſiſſe quæ Athanaſius promiſerat: unde colligere liceat Antiochenam ſedem Athanaſio conceſſam eſſe; quod nullo tamen auctore conſtat. Hoc innuere dumtaxat videtur Antiochus monachus, qui quum illo ævo in Palæſtina ageret, Oratione 130. temporum ſuorum calamitates lugens aiebat: A *Neque Chaldaïco* (ſive Perſico) *flagello eruditi ſumus, neque cervicis noſtræ duritiem jugum eorum edomuit; ſed adhuc in malo obfirmamur. Idcirco Dei permiſſu plagam nobis inflixit Satanas, quæ poſſit viſcera medullaſque attingere.* Ἠκούσαμέν τινα ἐληλυθέναι τῇ ἀνατολῇ πρόδρομον τοῦ Ἀντιχρίστου, θέλοντα τὸν θρόνον τῆς Ἀντιοχέων καταχεῖν, Ἀθανάσιον μὲν προσαγορευόμενον, μᾶλλον δὲ θάνατον ἀθάνατον. *Audivimus quemdam velle Antiochenum thronum occupare, Antichriſti præcurſorem, Athanaſium nominatum* (quod immortalem ſignificat) *imo potius mortem* B *immortalem, Apollinaris, Eutychis, Severi & Jacobi dogmata prædicantem. Hic rumor non parum nos, ſanctæque civitatis incolas terruit, ac quæ circum ſunt monaſteria. Quoniam ergo mihi litteris ſignificatum eſt, eum regiones, loca & inſulas percurrere, multaſque variis in locis hæreſes compingere; ne in quampiam earum ex inſcitia incidatis, vobis hæreſes omnes, quæ ab adventu Chriſti ad hanc uſque diem fuerunt, recenſere opus eſt.* Plane Athanaſius ille Antiochenam ſedem occupaturus non veniſſet; quam ei pollicitus non eſſet Imperator. Hujus C autem hæreticorum anteſignani meminit Sophronius in epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum, Ἀθανάσιος ὁ Σύρος, καὶ ὁ ἀποζυγάριος Ἀναστάσιος, *Athanaſius Syrus, & Anaſtaſius Apozygarius*, qui nempe Apozygarius Anaſtaſius Jacobitarum Ægypti ſub Phoca, Patriarcha erat, quo tempore Athanaſius ille in Ægyptum cum quinque ſectæ ſuæ epiſcopis venit, communionem inter utramque eccleſiam inſtauraturus, quæ ob Petri Antiocheni Jacobitarum antiſtitis errores circa Trinitatem interrupta fuerat. D Cæterum Athanaſius Antiochenus ſederit, necne, aliquandiu iterum ea urbs paſtore caruit.

LXVII. Macedonius *hæreticus*.

Poſt diuturnam Antiochenæ ſedis viduitatem, paſtor ei datus eſt *Macedonius* Monotheleticæ ſectæ addictus, qui à Conſtantinopolitano antiſtite Sergio deſignatus & ordinatus fuit, anno quinto Omari Califæ, Heraclii 31. Chriſti 640. ut fert Eutychius Alexandrinus in Arabicis annalibus p. 270. E & 271. *Anno*, inquit, *Califatus ejuſdem* (Omari) *quinto conſtitutus Macedonius Patriarcha Antiochenus in urbe Conſtantinopolitana, qui Maronita fuit* (id eſt Monotheleta) *Conſtantinopoli ſex annos ſubſtitit, dein è vivis exceſſit antequam egreſſus eſſet vel vidiſſet. Antiochiam.* In Edwardi Bernardi quem deſcripſi laterculo octo anni Macedonio tribuuntur. Et certè, vel poſt illum Omari quintum annum ordinatus Macedonius fuit, vel ut in

Digitized by Google

Bernardi laterculo fertur, ad octo aut novem annos pontificatum produxit, quem tenebat A adhuc circa annum 649. quo Lateranenſis ſynodus ſub Martino Papa I. celebrata eſt. In ea quippe ſanctiſſimus Pontifex ad Joannem Philadelphiæ in Arabia epiſcopum ſcribens, Macedonii, uti ſuperſtitis adhuc meminit. *Ejus vero qui falſo epiſcopatus nomen aſſumſit, Macedonii dico, importunas litterarum minas, ſive proteſtationem fortiter deſpuito, ut rabidi canis & temerarii latratum; auſcultans ei qui dicit: Nolite timere opprobrium hominum, & contemtu eorum ne vincamini. Hunc enim epiſcopum nullo modo novit eccleſia, non ſolum* B *quod is præter canones in externa regione ſine conſenſu, & abſque ullo decreto, hanc ſibi appellationem uſurpavit; ſed & quod conſentiat hæreticis, qui hæreſeos ſuæ appendicem, ejus electionem tumultuariè fecerunt; quemadmodum & Petri, qui ab iis nominatus eſt & aſſimulatus epiſcopus Alexandriæ, ut per plures & adſcriptitias perſonas hæreſim ſuam munitiorem utique reddant.* Hæc Martinus cum ſua ſynodo Philadelphiæ metropolitæ ſcribebat, cui Apoſtolicæ ſedis per Antiochenam diœceſim & Hieroſolymitanam vices confirma- C ret, ut rei catholicæ adverſus Monotheletarum conatus curam gereret, ſpretis hæretici illius Patriarchæ Macedonii quibuſcumque teſtamentis. Quo epiſtolæ loco innuitur, Macedonium variis modis egiſſe, ne quo tempore utraque eccleſia Hieroſolymitana & Antiochena legitimis & catholicis paſtoribus vacabant, Philadelphienſis metropolita in illis regionibus Romanæ ſedis vicibus fungeretur. Quod vero Macedonii tempora ſpectat, ex Macarii qui poſt Georgium ſucceſſor illius fuit, expoſitione fidei quæ lecta eſt in D ſexta ſynodo generali, conſtat illum Antiochenum Patriarcham fuiſſe ſub Petro Conſtantinopolitano, ejuſque interfuiſſe ſynodo quæ catholicum de duabus operationibus & voluntatibus dogma proſcripſit. In ea ſiquidem Macarius aiebat: *Petrus quoque ſanctiſſimus & univerſalis Patriarcha, & præceſſor meæ parvitatis Macedonius bonæ memoriæ, & vicarius Alexandriæ Theodorus, præſentibus una cum eis & qui advenerant epiſcopis, & ſacro ſenatu.* Petrus autem Conſtantinopolis epiſcopatum geſſit ab anno 655. ad 666. E vitam ergo Macedonius trahebat adhuc poſt annum 655. Macedonius ejuſque ſucceſſores Conſtantinopoli ſubſtiterunt, neque ad Antiochenam ſedem perrexerunt, Principum Saracenorum metu, qui Syriam omnem & Palæſtinam Romanis ademerant.

LXVIII. Georgius I. *hæreticus*.

Inter Macedonium & Macarium hæreticos qui Antiochenorum epiſcoporum titulis à Byzantinis ornati ſunt, nullum indicat Bernardi index. Eutychius vero Alexandrinus Macedonio ſucceſſorem proximum dat *Georgium*, qui in Pocokii Latina tranſlatione Jarihus ſcribitur. *Anno,* inquit, *Califatus ejus* (Othmani) *tertio, conſtitutus eſt Giarigius* (Georgius) *Patriarcha Antiochenus, qui Maronita* (ſeu Monotheleta) *fuit. Conſtantinopoli autem inauguratus eſt, ubi quinque annos ſubſtitit, neque Antiochiam pervenit. Mortuus eſt autem Conſtantinopoli, ibique ſepultus.* Sed quum tertius annus Othmani incidat in 645. vel 646. æræ Chriſtianæ, quo tempore in vivis adhuc agebat Macedonius, hanc Eutychii Chronologiam fruſtra quis admiſerit.

LXIX. Macarius *hæreticus*.

Eutychio proximus Georgii ſucceſſor eſt *Macarius* itidem Monotheleta. *Anno Califatus ejuſdem* (Othmani) *decimo factus eſt Macarius Patriarcha Antiochenus, qui & Maronita fuit. Hic etiam Conſtantinopoli creatus, quum ibi octo annos permanſiſſet, neque Antiochiam acceſſiſſet, mortuus eſt, ibique ſepultus.* Quæ rurſum accurata non ſunt. Nam Macarius in vivis perſeveravit ultra annum 681. quo, ſub Conſtantino Pogonato Imp. ſextæ ſynodo aderat; à qua tamen propter pertinaciam cum erroris ſui ſociis damnari, & ſacerdotio ſpoliari meruit act. 13. Poſt Romam juſſu principis traductus, ibi diem extremum clauſit, hæreſi nequaquam ejurata. Nihilo certè accuratior eſt Bernardi laterculus, qui quinque dumtaxat pontificatus annos ei tribuens, anno 651. illum deſiiſſe perhibet. Sed hujus laterculi, ut & Eutychii annalium Chronologiam carpere vel emendare non vacat. Ex epiſtola Conſtantini Pogonati Imp. ad Donum Papam, quæ actis ſextæ ſynodi generalis præmiſſa eſt, compertum fit Macarium Theopolitanæ ſedis Patriarcham Conſtantinopoli egiſſe anno 678. quo ſcripta ea fuit, quem & cum Theodoro regiæ urbis tum Patriarcha multa inſtantia egiſſe ait, ut Vitaliani Papæ nomen è ſacris tabulis ejiceretur, quamquam præſto ambos eſſe ut de fide & diſſidiorum cauſis quæſtio in concilio haberetur.

De Joanne Marone nihil hic dicam, quem Stephanus Edenenſis, aliique Maronitæ à ſexta ſynodo Macario Monotheletæ ſuffectum fingunt: quod eſſe falſiſſimum Aſſemanus ipſe Maronita, ubi de illo ſermonem habet, to. 1. Bibl. Orient. p. 502. lubens fatetur & evincit.

LXX. Theophanes.

Macario in ſexta ſynodo generali exauc-

Digitized by Google

torato, Antiochenæ eccleſiæ clerici qui Conſtantinopoli agebant, à proceribus ſynodi moderatoribus act. 12. poſtularunt, ut ſibi ab Imperatore facultas daretur, alterum pro Macario archiepiſcopo quondam ſuo, ad pontificalem Antiochiæ ſedem promovendi. Qua ſtatim obtenta *Theophanem* elegerunt, qui actioni 14. interfuit, ut concilii geſta ferunt: καὶ Θεοφάνους τοῦ ὁσιωτάτου καὶ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Θεουπόλεως Ἀντιοχείας, *nec non Theophanis religioſiſſimi & ſanctiſſimi archiepiſcopi Theopolis Antiochiæ.* Cujus proinde definitionibus ſubſcripſit. Huic actione poſtrema vocibus iſtis acclamatum eſt: τοῦ θρόνου τῆς Ἀντιοχέων, ἤτοι Θεουπολιτῶν μεγαλοπόλεως διὰ Θεοφάνους τοῦ ὁσιωτάτου καὶ ἁγιωτάτου πατριάρχου. *ſedi Antiochenorum, ſive Theopolitarum magnæ civitatis, per Theophanem religioſiſſimum & ſanctiſſimum Patriarcham.* Quæ poſtrema actio, ſeu decima octava habita eſt die 16. Septembris. Quot annos huic concilio ſuperſtes fuerit, non conſtat. Edwardi Bernardi index duodecim habet, ſeu ad annum uſque 663. quod à vero procul aberrat. Nullos memorat Eutychius, qui Theophanem hunc à ſynodo renunciatum, eique cum Georgio Conſtantinopolitano præfuiſſe narrat.

LXXI. Alexander II.

Anaſtaſius Bibliothecarius ad an. Chriſti, ut numerat, 678. ſeu, ut fert vulgaris æra, 686. Theodoro Conſtantinopolitano annos tres aſſignans, ei coævum facit *Alexandrum* Antiochenum. *Theodorus Conſtantinopolitanus annis 3. & Alexander Antiochenus habentur antiſtites.* Alexandrum hunc Eutychius neſcit, cui Thomas Theophani nullo medio ſuccedit.

LXXII. Thomas.

Edwardi Bernardi laterculus poſt Theophanem *Thomam* habet 20. annos Patriarcham. Concinit Eutychius, qui Thomam mortuum refert circa tempora Abdelmeleci filii Merwan Califæ. *Porro mortuus eſt*, inquit, *Thomas Patriarcha Antiochenus, quum hoc munus viginti annos obiiſſet.* Mox ſucceſſorem ejus Georgium deſignatum ait primo Califatus ejuſdem anno uſque ad annum Chriſti 684. quod à vera temporum ratione nimium abhorret.

LXXIII. Georgius II.

Eutychius igitur, *anno*, inquit, *Califatus ipſius* (Abdelmeleci) *primo conſtitutus eſt Georgius Patriarcha Antiochenus, qui vigintiquatuor ſedit, dein mortuus eſt.* At ſecundùm Bernardi laterculum 21 annos duntaxat ſederit. Cæterum ex acclamationibus ſynodi ſextæ generalis comperimus *Georgium* hunc,
A Sebaſtæ in Palæſtina monachum & presbyterum, vices geſſiſſe throni Hieroſolymitani *ſedi ſanctæ Chriſti Dei noſtri Reſurrectionis*, id eſt Hieroſolymorum, *obtinente locum ejuſdem honorabiliſſimæ ſedis Theodoro Deo amabiliſſimo presbytero, per Georgium presbyterum monachum Sebaſtenum, qui poſtea Antiochiæ Patriarcha fuit*, διὰ Γεωργίου πρεσβυτέρου μοναχοῦ τοῦ Σεβαστηνοῦ, ὅστις μετὰ ταῦτα καὶ πατριάρχης Ἀντιοχείας ἐγένετο: quæ poſtremæ voces dudum poſt abſolutam ſynodum à Librario quopiam adjectæ ſunt, propter ſubſcriptiones utique Trullanæ
B ſynodi, quam anno 691. habitam multorum ſententia eſt. In his enim legitur ſubſcriptus Γεώργιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας ὁρίσας ὑπέγραψα. *Georgius minimus epiſcopus Antiochiæ definiens ſubſcripſi.*

Sedes vacat annos quadraginta.

Nullum qui Georgio ſucceſſerit uſquam reperio. Anno autem Heraclii Imp. 28. ſeu Chriſti 637. Antiochiam Arabes Mohammedani occupaverant, à quo tempore uſque ad annum 742. ſeu Conſtantini Copronymi pri-
C mum aut ſecundum, nullus Antiochiæ ſedit Patriarcha. Totis inſuper quadraginta annis, ante Copronymi primum, ut dicebam, vel ſecundum, nullus etiam fuit qui urbis hujus vel titulo Patriarchæ inſigniretur. Quinquaginta vacationis annos habet laterculus Bernardi, quin etiam Eutychii.

LXXIV. Stephanus III.

Theophanes ad annum Conſtantini Copronymi ſolius imperantis ſecundum: *Hoc anno*, ait, *Iſam Arabum dux mortuus eſt. Hic*
D *ſanctam Antiochiæ eccleſiam, paſtore jam annos quadraginta*, ἔτη μʹ. χρόνοις *viduatam, Arabibus nimirum Patriarcham eligi prohibentibus, priſtino ſtatui reddidit. Quemdam enim monaſtici inſtituti Syrum nomine Stephanum, ſibi familiarem, ruſticioribus quidem moribus, ſed pietate clarum, Chriſtianis in Oriente poſitis, ſi modo hunc admitterent, Patriarcham eligendi liberam fecit poteſtatem. Qui divinitus hoc fieri arbitrati, ipſum Stephanum in Theopolis throno epiſcopum collocant, atque ad hunc uſque diem nullum impedimentum à Saracenis affertur.* Hæc Theo-
E phanes; qui utinam Stephani primum annum indicaſſet. Nam Iſam ſeu Heſçam 19. annis Califa Saracenorum fuit; mortuum vero ſcribit anno Copronymi quarto, ſeu Chriſti 744. In Bernardi laterculo nulla Stephani mentio, ſed poſt 50. annorum vacationem Theophylactus ſequitur. Eutychius vero Alexandrinus pag. 379. *Stephanum anno 3. Solymani Califæ ordinatum* ſcribit, ſeu primo Leonis Iſauri, Chriſti 717. *annoſque viginti-ſeptem ſediſſe*,

Digitized by Google

dehincque mortuum. Sed hæc Chronologia ex accuratiore Theophanis corrigenda.

LXXV Theophylactus.

Theophanes rurſum ad annum quartum Conſtantini Copronymi, ſeu Chriſti 744. *Hoc etiam anno,* inquit, *Marvam Chriſtianis poſtulantibus, Theophylactum preſbyterum Edeſſenum Antiochiæ Patriarcham, poſt Stephani obitum ordinari permiſit, eumdemque publicis litteris ab Arabibus ſalutari ſanxit. Spiritualibus ſiquidem bonis, & maxime temperantia modeſtiaque ornatus erat.* Theophylacti epiſcopatus anni 18. ſunt in Edwardi Bernardi indice. Idem vero Theophanes Theophylactum anno 10. ejuſdem Copronymi, hoc eſt poſt ſextum pontificatus annum, Chriſti 750. obiiſſe tradit. *Eodem anno menſis Daſii die 29. ſanctiſſimus Antiochiæ Patriarcha morte obdormivit.* At qui menſis Dæſius Theophani, Aprili Romanorum æqualis erat.

LXXVI. Theodorus I.

Anno 11. Conſtantini Copronymi, Chriſti 750. vel 751. *Theodorus filius vicarii minoris Armeniæ Antiochiæ Patriarcha ordinatus eſt,* ait Theophanes, Θεόδωρος υἱὸς τοῦ βικαρίου τῆς μικρᾶς Ἀρμενίας ἐχειροτονήθη πατριάρχης Ἀντιοχείας. Atqui ex minore Armenia oriundum fuiſſe Theodorum perperam putavit Theophanis interpres, quem in Moabitide regione natum modo dicemus. Eutychius Theodorum anno 20. Abujafar Califæ pontificatum iniiſſe ſcribit, qui annus Chriſti eſt 771. ſediſſeque annos 23. quæ profectò nimium à Theophanis Chronologia diſcrepant, cui ut pote certiori aſſentimur. Plane Abdelas qui idem eſt atque Abujafar Almanſor, ſecundùm Tabulas Theophanis regnum auſpicatus eſt anno 15. Copronymi, quum jam ante quatuor vel quinque annos Theodorus Antiochiæ præſul renuntiatus eſſet. Idem Theophanes ad annum 16. Copronymi, & tertium Abdelæ perhibet, Theodorum Antiochiæ Patriarcham exulare juſſum Arabum invidia, qui eum crebris ad Conſtantinum litteris res ſuas manifeſtare criminati ſunt. *Quare patriarchatûs terminis extorrem Salem Syriæ præfectus,* εἰς τὴν Μωαβιτῶν χώραν, πατρίδα τοῦ αὐτοῦ, *in Moabitidem regionem, quæ patria ejus erat, deportandum edixit.* Reſtitutus tamen poſtmodum fuit Theodorus, quando Theophanes iterum ad annum 23. Copronymi & 9. Abdelæ Califæ narrat, *Coſmam quemdam Epiphaniæ, quæ juxta Apameam Syriæ eſt, epiſcopum, cognomento Comanitem, ab Epiphaniæ civibus, quod ſacra vaſa diſtraxiſſet, apud Theodorum Antiochiæ Patriarcham accuſatum, quia pretium eorum reddere non poterat, rectæ fidei deſertorem evaſiſſe, in Con-*
A *ſtantini ſententiam adverſus imagines ſacras tranſeundo. Quem communibus calculis Theodorus Antiochenus, Theodorus item Hieroſolymitanus, & Coſmas Alexandriæ Patriarchæ cum ditionum ſuarum epiſcopis, die ſanctæ Pentecoſtes, ſacro-ſancti Evangelii lectione peracta, ſinguli in ſua ſede, concordibus animis & vocibus anathemati ſubjecere.* Theodoro 23. annos aſſignat Eutychius, ut & Bernardi laterculus. In codice Arabico Regio 447. habetur *Homilia ſancti Theodori archiepiſcopi Antiocheni, de ſancto Theodoro Orientali, & de ſancto*
B *Theodoro duce exercitus, filio Joannis Ægyptii,* quam Theodoro alterutri Melchitæ attribuero, quando Theodorus alter mihi non occurrit inter Jacobitas, undecimo ſæculo vel duodecimo ſuperior.

LXXVII. Theodoretus.

Eutychius Alexandrinus p. 410. & 411. *Anno,* inquit, *Califatus Rashidi 8. conſtitutus eſt Theodoretus Patriarcha Antiochenus, qui annos ſeptemdecim Patriarchatum tenuit, & mortuus eſt.* In Bernardi laterculo perinde
C Theodori ſucceſſor eſt Theodoretus an. 17. ad Chriſti 812. Atqui primus annus Rashid eſt 170. Arabum, Chriſti 787. quo certè tempore Antiochenam ſedem Theodoretus obtinebat. Nam anno 787. *Thomas monachus & preſbyter vices* ejus obivit in ſeptima ſynodo ſeu Nicæna II. ut Ignatius, vitæ ſancti Taraſii ſcriptor n. 19. tradit. *Taraſius quoque Nicæam venit ex urbe regia, ex Apoſtolicis ſedibus ſecum aſſumens eximios quoſque & præſtantiſſimos; nempe ab Adriano Papa Romano Petrum primum preſbyterum, & Petrum*
D *monachum & præfectum; ab Orientali autem diœceſi, à Politiano, inquam, ſacratiſſimo Papa Alexandrino, Thomam monachum, & à Theodoreto Patriarcha Antiocheno, & ab Elia principe paſtorum Æliæ* (ſeu Hieroſolymorum) *Joannem monachum preſbyterum & Syncellum.* Ita quoque Menologium Græcorum vetus ab Henrico Caniſio to. 2. Ant. Lect. editum, ad diem XI. Octobris: *Commemoratio ſanctorum Patrum, qui ſecundo in urbem regiam,* forte Nicæam, *convenerunt, in ſynodo œcumenica, quæ ſeptima dicitur, habita ſub Adriano Roma-*
E *no Pontifice, regnante Conſtantino Imp. & Irene matre, Taraſio archiepiſcopo Conſtantinopolitano, Politiano Alexandriæ, Theodoreto Antiochiæ, & Elia Hieroſolymorum.* Quæ ab Eutychio admodum diſſentiunt, cui Euſtathius Alexandrinus Politiano pridem ſucceſſerat anno 18. Aaronis Rashidi Califæ. Nihil de eo Theophanes habet. Theodorus Studita epiſtola ſua 194. lib. 2. excerptum affert actorum ſynodi Antiochenæ ſub Theodoreto

Digitized by Google

Patriarcha, τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ Συνόδου ἐπὶ Θεοδωρήτου πατριάρχου, itemque aliud ejuſdem concilii epiſt. 199. ex quibus apparet eam eſſe celebratam hæreſis Iconomachicæ cauſa ante Nicænam ſecundam œcumenicam. Bar-Hebræus, qui & Gregorius Abulfaragius in Chronico Syriaco, Aſſemano Maronita teſte, narrat Georgium Jacobitarum Patriarcham, Theodoretum Græcorum, & Jacobum Neſtorianorum in carcerem eſſe conjectos juſſu Califæ Bagdadenſis, variorum criminum accuſatos, quos Cyprianus Niſibis Neſtorianorum epiſcopus dimitti impetravit, quum Iſæ medici litteras quibus vitam Califæ in manu ſua eſſe jactabat, ut munera à Chriſtianis pro ſuorum antiſtitum liberatione extorqueret, eidem Califæ oſtendiſſet. Califam enim Iſæ medici bona fiſco addixiſſe, & Patriarchas libertate donaſſe, nono poſtquam in eo incluſi fuerant anno.

LXXVIII. Jobus.

Theodoreto ſuccedit *Jobus* in laterculo Edwardi Bernardi, an. 31. ad Chriſti 843. Eutychius quoque ait: *Anno primo Califatus Almamunis conſtitutus Job Patriarcha Antiochenus, triginta unum annos ſedit.* Regnare incepit Al-Mamun an. Mohammedano 203. Chriſti 818. quo certè tempore Jobus Antiochenæ eccleſiæ præfuit. Nam anno 822. Thomas quidam, qui ſe Conſtantini Copronymi filium mentiebatur, tyrannidemque in Oriente occupaverat adverſus Michaëlem Curopalatam Imper. Saracenis annuentibus, Antiochiæ à Jobo Patriarcha inauguratus fuit, quod Joannes Curopalates hiſtoriæ Byzantinæ ſcriptor in *Michaële* recitat, nec non continuator Conſtantini Porphyrogenneti lib. 2. apud quem *Jacob* perperam dicitur, καὶ αὐτοκράτωρ ἀναγορεύεται παρὰ τοῦ τὸν ἐν Ἀντιοχείᾳ θρόνον τηνικαῦτα μεταποιουμένου Ἰακώβ.

LXXIX. Christophorus.

Theophili Imperatoris Conſtantinopolitani temporibus *Chriſtophorum* Antiochenam ſedem tenuiſſe comperimus ex narratione Conſtantini Porphyrogenneti *de imagine Edeſſena,* in qua ſignificat epiſtolam ad eumdem Theophilum *de ſacris & venerandis imaginibus*, quæ inter Joannis Damaſceni opera ſecundò edita eſt, ſcriptam eſſe nomine trium ſimul Patriarcharum, *Jobi Alexandrini, Chriſtophori Antiocheni, & Baſilii Hieroſolymorum;* quanquam tranſpoſita nomina duo crediderim, & ad ordinem iſtum reſtituenda ex Annalibus Eutychii: ἀλλὰ τρεῖς ὁμοῦ πατριάρχαι Ἰὼβ Ἀντιοχείας, Χριστοφόρος Ἀλεξανδρείας, καὶ Βασίλειος Ἱεροσολύμων ἀνέγραψαν· *ſed tres ſimul Patriarchæ, Job Antiochiæ, Chriſtophorus Alexandriæ, & Baſilius Hiero-*
A *ſolymorum ſcripſerunt.* Enim vero Chriſtophorum Antiochiæ, & Jobum Alexandriæ hoc ævo neſcivit Eutychius, nec habet Bernardi laterculus.

LXXX. Nicolaus I.

Eutychius in Annalibus fert *Nicolaum* fuiſſe conſtitutum anno 6. Califæ Alwateki, qui principatum inierat anno 842. quo Theophilus Imper. ſupremum diem obiit, vigintique an. ſediſſe. Primus itaque ſummi ſacerdotii Nicolai annus fuit Chriſti 847. ſed
B viginti-tres integros non ſedit, quippe quum pulſus in exilium eſſet à Califa, ipſo anno 869. quo octava ſynodus generalis in cauſa S. Ignatii Conſtantinopolitani & Photii celebrata eſt, ejuſque ſedes hac ratione vacabat, velut ab Elia ſedis Hieroſolymitanæ vicario declaratum fuit act. 1. ejuſdem ſynodi, poſt lectam Hadriani Papæ ad Baſilium Auguſtum epiſtolam. *Nam ſanctiſſimus quidem Thomas metropolita Tyri, ſicut & vobis notum eſt, primæ ſedis exiſtens Antiochiæ, qua Patriarcha ſuo privata, ipſe locum tenet ſedis illius, uſque*
C *dum fiat Patriarcha in eadem ſede.* Cæterum in breviario ſynodi octavæ, quod poſt acta Græca ejuſdem ſynodi editum eſt, mentio fit Nicolai Antiocheni qui cum aliis quatuor Patriarchis Photium & Gregorium Abdellam à communione abjecerunt: ὁ Ἰγνάτιος Κωνσταντινουπόλεως, Σωφρόνιος καὶ Μιχαὴλ Ἀλεξανδρείας, Νικόλαος Ἀντιοχείας, Σέργιος καὶ Θεοδόσιος Ἱεροσολύμων, ἀνεθεμάτισαν αὐτούς. *Ignatius Conſtantinopolitanus, Sophronius & Michaël Alexandrini, Nicolaus Antiochenus, Sergius & Theodoſius Hieroſolymitani, illos anathemate percuſſerunt.*
D Quod à Nicolao Antiocheno proinde factum fuit ante ſynodum octavam, quando Photius Ignatii thronum uſurpaverat.

LXXXI. Stephanus IV.

Eutychius mihi auctor eſt Nicolao ſuffectum tandem eſſe *Stephanum,* ſed qui uno dumtaxat die ſederit, eodem ordinatus & mortuus, an. primo Califæ Almotammedi.

LXXXII. Theodosius I.

Stephanus & Thaddæus ſimul componuntur in laterculo Bernardi, quorum ſimul
E amborum 22. pontificatus anni numerantur, ut anno Chriſti 891. deſierint. Pro Thaddæo *Thaduſius* legitur apud Eutychium, ſive *Theodoſius. Poſt conſtitutus eſt Thaduſius,* inquit, *qui annos viginti ſedit, dein mortuus eſt.* Qui Theodoſius Patriarcha fuiſſe memoratur in actis ſynodi Photianæ ſub Baſilio Imperatore habitæ. Hujus enim vicarius Baſilius Martyropolis ad eam ſynodum veniſſe illius

Digitized by Google

in actis fertur. Actione nimirum XIV. legitur: Βασίλειος ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Μαρτυροπόλεως καὶ τοποτηρητὴς Ἀντιοχείας εἶπεν· ἡ ἐμὴ ἀποστολὴ ἐγένετο παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου μου πατριάρχου Θεουπόλεως ἤτοι Ἀντιοχείας Θεοδοσίου, *Baſilius religioſiſſimus metropolita Martyropolis, & legatus Antiochiæ dixit: miſſio mea facta eſt à ſanctiſſimo Patriarcha meo Theopoleos, videlicet Antiochiæ, Theodoſio, necnon ab Elia, qui nunc Hieroſolymorum gubernacula regit.* Ejuſdem Theodoſii epiſtola, ſed abſque ulla inſcriptione ſubjicitur, qua Theodoſius teſtabatur ſe ſuamque ſedem Photium uti legitimum Conſtantinopolis Patriarcham admiſiſſe. Quorum fides ſit penes Photium, cui familiare fuit ſynodorum geſta dictaque fingere.

LXXXIII. EUSTATHIUS II.

Euſtathium Antiochenæ urbis Patriarcham dumtaxat novimus ex epiſtolæ 2. Photii inſcriptione, Εὐσταθίῳ πατριάρχῃ Ἀντιοχείας, *Euſtathio Patriarchæ Antiochiæ;* qua Photius ſibi gratulatur quod ab eo diligeretur. Patriarchatum ſane tunc gerebat Photius quando Euſtathio ſcribebat, quod hæ voces ſignificant: Τὰ δὲ ἄλλα πατέρων καὶ ἀδελφῶν ἄριστε ἔρρωσο. *Cæterum patrum & fratrum optime, fac valeas.* Addit: *Scias nos tuam expectare præſentiam, interim deſiderii ardorem ſpe futuræ conſequutionis refocillemus.* Quæ ſuſcepta arbitror poſt ejuſdem Photii ſub Joanne VIII. Papa reſtitutionem. Huic poſteriori Euſtathio aſſignandum duxero illud opus quod in *Hexaemeron* inſcribitur, à Leone Allatio editum, & S. P. N. Euſtathii Patriarchæ Antiocheni nomine inſignitum.

LXXXIV. SIMEON I.

Eutychius, *anno primo Califæ Almotadedi*, inquit, ſeu Chriſti 891. *ordinatus eſt Simeon Zarnaki filius, Patriarcha Antiochenus, qui annos duodecim ſedit, & poſtea mortuus eſt.* Mox ſubdit narrationem de quartis nuptiis Leonis Imperatoris, quibus Nicolaus Conſtantinopolitanus totis viribus repugnavit, pergitque, *Non permittente Patriarcha conjugium, ſcripſiſſe Leonem Imperatorem ad Patriarcham Romanum, Michaëlem Patriarcham Alexandrinum, Eliam Manſuri filium Patriarcham Hieroſolymitanum, & Simeonem Zarnaki filium, Antiochenum, rogando, ut ad ipſum accederent, quo diſpicerent, liceret-ne ſibi uxorem ducere. Noluiſſe verò quemquam eorum ad ipſum accedere, niſi quod ſinguli nomine ſuo legatum mitterent. Tum legatis ſe epiſcopi quidam adjungentes, & negotia Imperatoris diſpicientes, matrimonium ipſi licitum pronuntiarunt. Quare uxorem duxit, natuſque eſt illi filius, quem Conſtantinum appellavit. Quumque Nicolaum Patriarcham cathedra abdicaſſet, conſtitutus eſt ejus loco Anthimus* (Euthymius) *Patriarcha Conſtantinopolitanus.* Huic Patriarchæ Simeoni in laterculo Bernardi anni quoque duodecim aſſignantur, ad uſque Chriſti 903.

Hic omitto Macarium neſcio quem Antiochenum, quem in Belgio obiiſſe ferunt, ubi inter ſanctos colitur; quem aiunt anno 960. claruiſſe. Ejus mentio nuſquam apud ſcriptores Græcos vel Orientales occurrit.

LXXXV. ELIAS II.

Eutychius *Eliæ* Patriarchæ Antiocheni initia fuiſſe tradit *anno tertio Califatus Almoctafi*, qui incidit in annum Chriſti 903. *Fuerat ſcriptor*, ait Eutychius, hoc eſt litterarum peritus, qui libros ediderit, *annoſque ſedit viginti-octo, dein mortuus eſt.* Hæc quidem ille, pag. 488. Subinde annum Eliæ emortualem ſic recitat, pag. 523. *Porro Elias Patriarcha Antiochenus die Sabbati Iomadæ poſterioris decimo tertio obiit, poſtquam in cathedra ſediſſet annos viginti-octo.* Concinit Edwardi laterculus, qui 28. annos Eliæ, an. Chriſti 931. deſiiſſe prodit; ſed ſecundùm Eutychium functus eſt Elias anno 929. Conſtantini Porphyrogenneti 18. Aſſemanus Maronita, to. 2. Bibl. Orient. pag. 440. narrat Joannem Græcorum metropolitam ſeu catholicum, quem Elias Patriarcha Antiochenus Bagdadum delegaverat, ea urbe exire coactum eſſe, quum Abraham Neſtorianorum Catholicus à Mohammedanis diploma obtinuiſſet, quo vetabatur ne Græcus metropolita Bagdadi ſedem figeret, ſed ſi quis ab Antiocheno Patriarcha mitteretur epiſcopus ad Græcos viſitandos, aliaque ſuorum negotia curanda, in regionem ſuam mox reverteretur.

Sedes vacat.

In laterculo Bernardi ſedes vacat annos quatuor, ſeptem vero, ex Annalibus Eutychii.

LXXXVI. THEODOSIUS II.

Annus 936. quo Alradi Califatum iniit, primus quoque eſt epiſcopatus Antiocheni *Theodoſii II.* cui priſtinum nomen Stephano fuit, ut fert in Annalibus Eutychius horum temporum æqualis. *Anno Califatus ejus primo conſtitutus eſt Abba Theodoſius, qui idem eſt Stephanus ſcriba, qui Bagdadi fuerat cum Manes eunucho, Antiochiæ Syriæ Patriarcha, menſe Ramadan anno trecenteſimo vigeſimotertio.* In vivis agebat adhuc an. Arabum 326. Chriſti 937. quo Eutychius Annales ſuos abſolvit.

Digitized by Google

Hactenus accuratam Antiochenorum Patriarcharum ſeriem dedi, qua alius ex alio proxime Apoſtolicam hanc ſedem capeſſivit. Nunc verò deincepſque illos congeram quos hinc inde mihi variis ex libris & auctoribus colligere licuerit, omiſſis intermediis plurimis quorum nomina temporum iniquitate interierunt, aliiſ-ve de cauſis me fugiunt.

LXXXVII. Theodoretus II.

LXXXVIII. Agapius I.

Ex catalogo Antiochenorum Patriarcharum Vaticano, Theodoſii II. ſucceſſores proximi fuerunt *Theodoretus II.* & *Agapius I.* de quibus, præter nomina nihil uſquam occurrit. Utinam verò, non pro Theodoro, qui Chriſtophoro ſuffectus à Leone diacono fertur, & cujus ſucceſſor *Agapius* nomine fuit, per oſcitantiam *Theodorerus* ſcriptus ſit, ac ſubinde *Agapius*.

LXXXIX. Christophorus *Martyr*.

Poſt Theodoſium II. *Chriſtophorum* proxime ſediſſe temporum ratio minime prohibet. Chriſtophorus enim Antiochiæ Patriarcha illo tempore erat quo Nicephorus Phocas Imp. Byzantinus expeditionem ſuſcepit adverſus Antiochiam, hoc eſt an. 968. vel 969. Tunc ſcilicet ab Agarenis, qui urbem incolebant interfectus fuit, anno 32. elapſo à primordiis epiſcopatus Theodoſii. De qua nece hæc habet Leo diaconus ſcriptor æqualis, l. 6. n. 8. *Jam magna Antiochia ad Orontem poſita Nicephori Imperatoris armis capta, & præſule deſtituta. Qui enim priùs hujus urbis compos exſtiterat Agarenus princeps Patriarcham, virum apoſtolicum divinumque ſuſtulerat, adacto in ejus pectus ſpiculo; eo ſcilicet crimine quod chriſtiana pietate fulgeret.* Τὸν πατριάρχην Χριστοφόρον ἀποστολικὸν ἄνδρα τε καὶ θεσπέσιον ἀνεῖλεν, ἀκόντιον κατὰ τῶν στέρνων αὐτοῦ διελάσας, ἔγκλημα τῷ ἀνδρὶ τὴν εἰς τὸν σωτῆρα Χριστὸν ἐπάγων εὐσέβειαν. Aliquandiu proinde Antiochena eccleſia viduata poſt ejus necem manſit. In ſynodico quod Græci in eccleſiis legunt Dominica, quam vocant *Orthodoxiæ*, æterna memoria dignum prædicant Chriſtophorum, deinde Theodorum eorumque ſucceſſores Patriarchas Antiochenos decem hoc ordine. Χριστοφόρου, Θεοδώρου, Ἀγαπίου, καὶ Ἰωάννου, καὶ Νικολάου, καὶ Ἠλίου, Θεοδώρου, Βασιλείου, Πέτρου, Θεοδοσίου, Νικηφόρου καὶ Ἰωάννου, τῶν ἀοιδίμων πατριαρχῶν Ἀντιοχείας. *Chriſtophori, Theodori, Agapii, & Joannis, & Nicolai, & Eliæ, Theodori, Baſilii, Petri, Theodoſii, Nicephori & Joannis, laude dignorum Patriarcharum Antiochiæ æterna memoria.*

XC. Eustratius.

In illa ſerie quam ex ſynodico retuli, nulla mentio *Euſtratii*, qui in capite de tranſlationibus epiſcoporum, quod regeſtum exſtat l. 4. Juris Græco-Romani pag. 294. necnon l. 14. Hiſt. Eccl. Niceph. c. 39. à Nicephoro Phoca Patriarcha Antiochenus deſignatus dicitur. *Ex eodem epiſcopatu Flaviadis, Dominus Nicephorus Phocas communi decreto per Bullam Auream deductum epiſcopum Euſtratium, curavit ordinari Patriarcham Antiochiæ,* διὰ χρυσοβούλλου αὐτοῦ ἀγαγὼν τὸν ἐπίσκοπον Εὐστράτιον, ἐποίησε χειροτονηθῆναι πατριάρχην Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης, *avulſo Flaviadis epiſcopatu ab Anazarbo, & unito Patriarchatui Antiochiæ.* Quod factum eſſe videtur ubi Nicephorus Antiochiam primo tentavit, accepta nece Chriſtophori: Euſtratium verò ſedem illam capeſſiviſſe vix putaverim; unde omiſſus erit in ſynodico.

XCI. Theodorus II.

Nicephoro Phoca Conſtantinopoli interempto, ſtatim atque Joannes Tzimiſces Imperii compos fuit, nuntium accepit captæ à Romano exercitu Antiochiæ; quumque ea urbs chriſtiano paſtore deſtituta eſſet, *diligentiam adhibuit*, ait loco quem recitavi Leo diaconus, *ut dignum ſedis hujus præſulem inveniret. Sicque animo anxio rem volvente, venit in mentem Theodorus Colonienſis, vir qui à teneris unguibus eremiticæ, & à negotiis ſecretæ vitæ conſecratus, quique aſceticis ſudoribus plurimis corpus edomuerat, cilicina veſte indutus, ferrum tegens quo corpuſculum affligebat, quam nec deponeret, niſi tota deflueret, & in nihilum cederet. Quem monachum aiunt, tum primùm Nicephoro, tum rurſus Joanni Imperii inſulas prænunciaſſe. Hunc itaque in urbe tunc agentem Polyeucto* (Conſtantinopolitano) *Joannes adducit. Polyeuctus verò cum epiſcoporum in urbe præſentium ſynodo, habito de illo examine, ubi ſæculari quidem eruditione haud admodum excultum, divina verò & chriſtiana magnificentiſſime comperiſſet, Patriarcham conſecrat Antiochenum.* Theodorus ſubinde ab Imperatore poſtulavit Manichæos, qui per Orientem ſerpentes, impuræ ſuæ hæreſis contagione cuncta corrumpebant, in deſertam aliquam Occidentis regionem deportari: quos Imperator votis illius annuens, Philippopolim Thraciæ tranſtulit. Hæc ſubjungit Zonaras lib. 17. n. 1. Theodorus Chriſtophorum ſequitur in ſynodico *Orthodoxiæ*, Χριστοφόρου, Θεοδώρου.

XCII. Agapius II.

Agapius ſuccedit Theodoro in ſynodico, qui ex epiſcopo Halepenſi ſeu Berrhœenſi ad Antiochenam ſedem promotus fuit, eo quem Elmakinus refert modo lib. 3. Hiſtor. Saracenicæ: *Erat Halebi epiſcopus quidam nomine*

Digitized by Google

nomine Agapius, quem petierunt Antiocheni ut eſſet ipſorum Patriarcha, eumque miſerunt ad Imperatorem (Baſilium). *Ad quem quum eſſet ingreſſus, indicavit ei ſtatum urbis, & inclinationem affectumque civium erga ipſum. Hunc miſit Imperator ad Abdallam Muntaſirum, qui Scleri nomine civitatem tenebat, ut tentaret eum movere ad obedientiam, promiſitque fore ut reſtituta ſibi Antiochia, conſtitueret ipſum Patriarcham toto tempore vitæ ejus, daretque Abdallæ quodcumque peteret. Abiit Agapius ignoto monachalique habitu, & ingreſſus Antiochiam, Abdallam convenit, cum quo negotium tranſegit, ita ut Abdalla in obedientiam ſe daret Imperatoris, eique imperium in urbem reſtitueret, repudiato nomine Scleri. Sic Agapius factus eſt Patriarcha Antiochenus die ſolis* (ſeu Dominica) *vigeſimo-tertio canonis poſterioris, anno Alexandri 1287. ſive Chriſti 985.* Doſitheus vero Hieroſolymitanus in prolixo ſuo de Hieroſolymorum Patriarchis opere, ex Theodoro Sebaſtiæ qui res Baſilii Porphyrogenneti Imp. in Chronico digeſſerat, Agapium Seleucia Pieria in Syria Antiochiam tranſlatum teſtatur lib. 3. cap. 2. §. 4. Poſthac Agapius Antiochia ejectus fuit, manereque juſſus Conſtantinopoli in monaſterio, quum Antiochenæ eccleſiæ *duodecim annis jam præfuiſſet*, ait Elmacinus pag. 252. qui hanc exilii ejus cauſam fuiſſe adjicit, quod Baſilius Imperat. Bulgaricida, in ciſtis Bardæ Phocæ epiſtolam illius quandam repererat, in qua ejuſdem Phocæ de rebellatione conſilium approbaret, eumque in propoſito confirmaret: manſiſſe autem Patriarcham in hoc exilio ſeptem annos, quum in ejus ſede *Sartoniæ* interim peragerentur. Atqui *Sartonia* Chriſtianis Arabicè loquentibus, corrupta vox eſt Græca χειροτονία, quæ ordinationem ſignificat: hoc vero loci quantum ex aliis in quibus ab eodem auctore adhibetur collegi, pro ſimoniacis ordinationibus accipienda eſt, quæ nempe abſente Patriarcha impune perpetrarentur.

XCIII. Joannes III.

Poſt Agapium *Joannes* ſequitur in ſynodico orthodoxiæ, καὶ Ἰωάννου, *& Joannis.* Ille utique Joannes cujus meminit Petrus Antiochenus alter in epiſtola ad Michaëlem Cerularium Patriarcham itidem Conſtantinopolitanum. Locum recitavi in Sergio Patriarcha Cerularii quondam deceſſore, quem à doctiſſimo Pagio perperam intellectum oſtendi. Locus porro hunc in modum habet: *Ad hæc ego quoque teſtis ſum minime rejiciendus, aliique mecum complures doctrina in eccleſia ſpectatiſſimi,* ὅτι τῷ μακαρίτῃ πατριάρχῃ Ἀντιοχείας κυρῷ Ἰωάννῃ ὁ πάπας τῆς Ῥώμης Ἰωάννης, καὶ αὐτὸς ἀξίων ἐν τοῖς διπτύχοις ἀνεφέρετο, *quod ſub*
A *beatæ memoriæ Patriarcha Antiochiæ Domno Joanne, Romanus Papa, ipſe etiam Joannes nominatus, in Diptychis ferebatur.* Quod ſignificat Joannem hunc circa tempora Joannis Papæ XVIII. vixiſſe; hoc eſt ſæculi undecimi prioribus annis. To. 1. Monumentorum eccleſiæ Græcæ ejus opella habetur hac inſcriptione, *adverſus donationes monaſteriorum quæ laïcis fiunt,* τοῦ ὁσιωτάτου καὶ μακαριωτάτου πατριάρχου Ἀντιοχείας κυροῦ Ἰωάννου, τοῦ ἐν τῇ Ὀξείᾳ νήσῳ ἀσκήσαντος λόγος; *ſanctiſſimi & beatiſſimi Patriarchæ Antiochiæ Domni Joannis, qui in*
B *inſula Oxia monachus egit, libellus, &c.* In ea ſignificat auctor ſe circa illam ætatem vixiſſe, qua Siſinnius Patriarcha Byzantinus claruerat, ὁ δὲ ἐν ἁγίοις Σισίννιος ὁ πρὸ πολλῶν τούτων χρόνων πατριάρχης γεγονὼς Κωνσταντινουπόλεως. Sedebat Siſinnius ab anno 995. ad 999.

XCIV. Nicolaus II.

Synodicon orthodoxiæ Ἰωάννου καὶ Νικολάου, *Joannis & Nicolai.* Eruditi Actorum Sanctorum editores Joſephum Aſſemanum ſibi ſcripſiſſe aiunt in catalogo ſuo Arabico
C Joanni ſuccedere Eliam, nulla proinde mentione facta Nicolai.

XCV. Elias II.

Synodicon idem Ἠλίου *Elias.* In catalogo Vaticano Joanni, omiſſo Nicolao, Elias ſuccedit.

XCVI. Theodorus III.

Synodicon Θεοδώρου, *Theodori.* In illo Antiochenorum Patriarcharum catalogo Aſſemani Eliam excipit, non Theodorus, ſed Georgius, Georgium Petrus, nulla facta Ba-
D ſilii mentione.

XCVII Basilius II.

Sequitur in ſynodico, *Baſilius,* Βασιλείου.

XCVIII. Petrus III.

Baſilio ſuccedit in ſynodico *Petrus,* Πέτρου. Anno 1053. pontificatum auſpicatus eſt, quod priſtinum morem revocans, ſynodicis litteris ſuis ſignificavit Romano Papæ Leoni IX. nec non Alexandrino, Hieroſolymitano & Conſtantinopolitano Patriarchis, quas
E litteras apud me Græcas habeo. Quæ porro ad Leonem eſt epiſtola à latina quæ inter Leonis exſtat, tranſlatione mirum quantum diſcrepet. Anno inſequenti Dominico Gradenſi Patriarchæ cujus litteras acceperat, reſcripſit, ſedis Antiochenæ ſuæ dignitatem, & diœceſis amplitudinem exaggerans: itemque Michaëli Cerulario, qui eccleſiam ſuam à Romana ſcindere, ob Latinorum ritus & mores aliquot, decreverat; reſpondit, illorum

Digitized by Google

quoſdam excuſans, quoſdam improbans; alienum vero ubique à ſchiſmate animum A præferens. Habentur hæ poſteriores epiſtolæ omnes to. 2. Monum. eccl. Græcæ. Quoto anno obierit incertum. In catalogo codd. Mſſ. P. Pantini n. 40. legitur: *Petri Theopolis, ſive Antiochiæ Patriarchæ contra Argyrum, &c.*

XCIX. Theodosius III.

Theodoſium Petro ſubjungit ſynodicon orthodoxiæ, Θεοδοσίε, quin etiam Anaſtaſius Cæſarienſis in ſua *de jejunio Deiparæ* lucubratione, quæ edita eſt to. 3. Monum. eccl. Græc. pag. 436. *Nam Patriarcha Antiochiæ, totiuſque Orientis,* inquit, *qui beato fine quievit, Domnus Petrus, ipſe hæc obſervabat, cæteriſque tradebat. Simili quoque modo Domnus Theodoſius, ac præterea qui nunc Patriarchatum tenet Domnus Joannes ſanctiſſimus hoc omnibus tradit.* Ὁ γὰρ πατριάρχης Ἀντιοχείας καὶ πάσης ἀνατολῆς ὁ ἐν μακαρίᾳ τῇ λήξει κῦρος Πέτρος, αὐτὸς ταῦτα ἐφύλαττε, καὶ τοῖς λοιποῖς παρεδίδου· ὁμοίως καὶ ὁ κῦρος Θεοδόσιος, πρὸς δὲ καὶ ὁ νῦν πατριάρχης κῦρος Ἰωάννης καὶ ἁγιώτατος.

C. Æmilianus.

C

Michaële Duca Byzantinis imperante, *Æmilianus* Antiochenæ eccleſiæ præerat, ac civitate in factiones duas ſciſſa, unius ipſe erat anteſignanus Imperatoribus inviſæ. Quocirca Iſaacius Alexii Comneni germanus frater Antiochiæ princeps renuntiatus, Æmilianum qui ipſum in villa ſua extra urbem exceperat, urbis ingreſſu nihilominus prohibuit, & Laodiceam deductum Conſtantinopolim ire præcepit. Quod Nicephorus Bryennius narrat lib. 2. cap. 28. ſed & lib. 3. cap. 17. Æmilianum Nicephoro Botaniatæ faviſſe ut Imperium arriperet, & Patriarcha Byzantii poſthabito illum coronaſſe, quum ipſe, ut complures alii, Michaëlem Imp. exoſum haberet. Conſtantinopoli itaque Æmilianus Antiochenus agebat anno 1078. quo Michaël Ducas Imperio ejectus fuit, & Nicephorus inauguratus. Quod poſt Bryennium Joannes Scilitzes Curopalata refert quoque pag. 861. *Regina urbium,* inquit, *quique magiſtratus gerebant, & qui in ſuburbanis & vicis agebant, proceres item eccleſiæ,* E *in unum convenientes ad celeberrimum Dei verbi Sophiæ templum, imminentibus epibateriis Annuntiationis Dei matris Imperatorem crearunt, Botaniatem, procurante Patriarcha Theopolis magnæ Antiochiæ, cui Æmiliano nomen,* προεξάρχοντος τούτων τοῦ πατριάρχου Θεουπόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας τοῦ ὀνομαζομένου Αἰμιλιανοῦ, *cum metropolita Iconii, quibus clerus omnis aſſenſus eſt.* Ad Æmilianum Antiochenum Michaëlis Pſelli qui id temporis clarebat, epiſtolas tres habeo typis nondum editas: Ejus vero nomen abeſt à ſynodico, ut ex Antiochenorum Patriarcharum albo demi meritus ſit, ob perduellionem quam admiſit erga Michaëlem Ducam legitimum Imper. Byzantino præſertim Patriarcha repugnante, ac propterea in Alexii Commeni Imp. ſub quo ſynodicon conditum eſt, odium olim incurrerat, ut ejus proinde nomen eo in decreto ſileretur.

CI. Nicephorus.

Theodoſium in ſynodico ſequitur *Nice*-B *phorus*, Θεοδοσίε, Νικηφόρου; cujus rurſum eſt apud Curopalatam mentio, qui hunc à Nicephoro Botaniate Æmiliano ſuffectum perhibet. ἀποιώτως δὲ καὶ τοῦ Ἀντιοχείας πατριάρχου κοιμηθέντος, προεβάλετο ὁ βασιλεὺς τινὰ Νικηφόρον, Μαῦρον τὴν ἐπωνυμίαν φέροντα. *Similiter,* inquit, *Antiocheno Patriarcha defuncto, ab Imperatore renuntiatus eſt Nicephorus quidam, cognomento Maurus.* Curopalatæ adſtipulatur exſcriptor ipſius Cedrenus, & Zonaras, qui id contigiſſe ſubdit Indict. XIII. adeoque anno 1089.

CII. Joannes IV.

Tempore Belli ſacri, quo à Francis cruce ſignatis Antiochia Saracenis erepta eſt, anno ſcilicet 1098. hujus civitatis Patriarcha ſedebat Joannes, *qui tanquam verus confeſſor,* ait Willelmus Tyrius, *poſt adventum noſtrorum infinita ab infidelibus pertulit ſupplicia,* inprimiſque dum urbs à noſtris obſidebatur. Ea vero expugnata, quum Latinorum moribus non aſſuefieret, nec ſatis utiliter Latinis Græcus præeſſet, Conſtantinopolim ſeceſſit, D eodem Tyrio teſte, aliiſque horum temporum ſcriptoribus. Cæterum Latini Patriarchæ electionem ad illius uſque obitum comperendinandam cenſuerunt, *ne duo unum & eumdem thronum obtinere viderentur, quod immediate contra ſacros canones & contra ſanctorum ſtatuta Patrum eſſe dignoſcitur,* ait Albertus Aquenſis, qui ſubdit eum vix evoluto biennio Byzantii obiiſſe. Ordericus Vitalis pag. 796. narrat hunc Antiochenum Patriarcham victoribus Normannis intractabilem factum, quod ipſi ſecundum ritus Latinos clerum & populum diſponere decreverant; capto à Saracenis Boamundo Duce, murmur ortum eſſe in populo quod ipſe Præſul pararet urbem Antiochenam prodere Auguſto, Alexio ſcilicet Comneno Conſtantinopolitanorum Imperatori: qui quum comperiſſet de ſe tale murmur ſpargi, iratus valde, ſeu puritate ſimplicis conſcientiæ indignatus, ſeu nefarii reatus accuſatione & metu ſtimulatus, relicto epiſcopatu in eremum ſeceſſit,

Digitized by Google

nec ultra redire ad eos quorum mores exhorrebat, definivit. Hæc de illo Vitalis. Quo- A circa nihil vetat quin illi adſcribamus opuſculum quod Joannis Antiocheni Patriarchæ nomine *de Azymis* adverſus Latinos editum in Bibliothecis variis habetur. Anaſtaſius Cæſarienſis poſt Petrum & Theodoſium Antiochenos Patriarchas defunctos, Joannem ipſa qua ſcribebat ætate ſediſſe fert in ea quam appellavi ſuperius lucubratione de Jejunio Deiparæ. In ſynodico Orthodoxiæ Antiochenorum præſulum poſtremus eſt Joannes, Νικηφόρου καὶ Ἰωάννου τῶν ἀοιδίμων πατριαρχῶν Ἀντιοχείας. *Nicephori & Joannis laudatiſſimorum* B *Patriarcharum Antiochiæ.* Synodicon porro illud editum eſt Alexio Comneno Imp. & Nicolao III. Patriarcha Conſtantinopolitano circa annum Chriſti 1103. quo proinde in vivis agebat adhuc Joannes hic noſter Antiochenus. Ad illum omnino ſpectat quod Fauſtus Naironus Maronita in diſſertatione *de origine, nomine & religione Maronitarum* narrat, pag. 70. Thomam archiepiſcopum Kfartabenſem in Aleppenſi regione, qui Maredini in Meſopotamia ad Tigrim fluvium educatus fuerat, Monotheleticam opi- C nationem, Jacobitica relicta, amplexum, à Joanne Græcorum Patriarcha variis ſcriptis confutatum eſſe, ac præſertim epiſtola ſanctorum Patrum & Conciliorum ſententiis conferta ad duas in Chriſto operationes & voluntates evincendas. *Hæc,* inquit Naironus, *controverſia inter illos cœperat anno Alexandri 1400 qui eſt circiter Chriſti 1111. prout legitur in præfatione decem propoſitionum quas idem Thomas adverſus eumdem Joannem Patriarcham compilavit.* Thomæ librum velut in eadem præfatione fertur, Joannes D Patriarcha combuſſit, quem Thomas nihilominus in meliorem, ut ſperabat formam, concinnatum Maronitis tradidit. Inter codices Abrahami Ecchellenſis, qui in Vaticanam Bibliothecam tranſierunt, decimus quartus continet Thomæ Caphartabenſis librum de unica Chriſti voluntate in 10. propoſitiones diviſas Joanni Antiocheno Melchitarum Patriarchæ tranſmiſſum anno Græcorum 1400. Chriſti 1088. vid. to. 1. Bibl. Orient. p. 576.

CIII. THEODOSIUS IV. *ſive* THEOPHILUS.

Si fides eſt habenda catalogo Patriarcharum Antiochenorum, quem Athanaſius Antiochiæ Patriarcha nuperus exaravit & Bibliothecæ Vaticanæ conſignavit, Joanni IV. ſucceſſit *Theodoſius* vel *Theophilus* (utroque enim illo nomine eum appellat) ſub quo Antiochiam à Latinis expugnatam fruſtra cenſuit. Quod planum fit ex his quæ in Joanne proximo deceſſore ipſius dicta ſunt.

CIV. JOANNES V.

In eodem catalogo Theodoſium ſeu Theophilum excipit *Joannes V.* cujus ſucceſſionis teſtem affert Niconem Archimandritam monaſterii S. Simeonis Stylitæ. Mox vero Joanni huic ſucceſſorem proximum aſſignare non dubitat Theodorum Balſamonem, intolerando prorſus errore, prætermiſſis illis quos ex probatis auctoribus certiſſimiſque monumentis Antiochiæ Patriarchas renuntiatos eſſe, & ante Balſamonem vixiſſe mox conſtabit.

SOTERICHUS *electus.*

Creato jam pridem Antiochiæ à Francis Latini ritus Patriarcha, cui ſucceſſores ejuſdem generis alii dati ſunt, ſui quoque ritus nihilominus Græci Conſtantinopoli Patriarchas itidem Antiochenos conſtituerunt. Quocirca Raynaldus Antiochiæ princeps fœdus cum Manuële Comneno Imp. pepigit, cujus hic unus articulus fuit, ut Byzantio deinceps Antiochenis Patriarcha mitteretur, Græci proinde ritus. Id vero noſtri nequaquam obſervandum duxerunt, ac Balduinus Hieroſolymorum rex apud Imperatorem illum effecit, ut ab hac conditione deſciſceret. Quæ Joannes Cinnamus narrat lib. 5. num. 18. & 20.

Illo proinde ſaltem tempore quo Manuel Comnenus cum Raynaldo principe fœdus pepigit, Antiochenæ eccleſiæ Patriarcham deſignatum putavero Soterichum Panteugenum illo tempore apud Græcos famoſum, qui nondum pontifex conſecratus peregrinæ doctrinæ reus actus eſt, quum ſacrificium Crucis, & incruentum altaris Deo Verbo offerri negaret, ſed Patri dumtaxat ſanctoque Spiritui. SoLeicho erranti adſtipulabantur præſules aliquot alii, opinationemque ſuam oratione quæ, Joanne Cinnamo teſte lib. 5. num. 18. & 20. Platonis dialogorum elegantiam referebat, defendere conabatur. Cauſa ad ſynodum de more delata, & inter epiſcopos agitata anno 1155. Soterichus à ſententia non deſciſcens, damnatus fuit, & ſede quam conſequuturus erat amotus. Hujus E ſynodi geſta aliquando excerpſi ex Theſauro Nicetæ Choniatæ manu exarato, cujus mihi copiam pretiumque fecit vir de re litteraria bene meritus Stephanus Baluzius. Sed & Nicetas idem ea quæ Soterico contigerunt, in ſuo Chronico regeſſit ubi de Manuële Comneno lib. 7. num. 5. Cinnamus itidem lib. 4. hiſt. c. 16. Leo Allatius lib. 11. de conſenſ. cap. 12. n. 5. in Vindiciis ſynodi Epheſinæ pag. 583. perinde refert quæ in illa ſynodo

Digitized by Google

in cauſa Soterichi dicta geſtaque fuerunt.

CV. Athanasius II.

Soterícho Panteugeno ad ordinem redacto, neminem alterum ei ſuffectum reperio præter *Athanaſium* Antiochenum Patriarcham, qui iis temporibus Conſtantinopoli agebat. Mota ſcilicet ea in urbe quæſtione de Alamannorum qui Conſtantinopoli agebant fide, qui perinde atque Latini doctores tradidere, aſſererent Chriſtum dixiſſe *Pater major me eſt*, propter aſſumptam à Verbo humanitatem, qua Filius minor eſt Patre; ac nonnullis Græcis illos erroris accuſantibus, celebrata eſt ſynodus an. 1166. in qua fides illorum approbata fuit, ut pote Patrum, etiam Græcorum ſententiis conformis. In ea ſynodo, ut fert Allatius l. 2. de conſenſ. c. 42. n. 4. poſt Lucam Patriarcham Conſtantinopolitanum ſederunt Athanaſius Theopolis ſive Antiochiæ itidem Patriarcha, & quamplurimi metropolitæ. Hoc eodem anno Athanaſius idem adfuit Imperatoris Manuëlis nuptiis cum Maria Raymundi comitis Antiocheni filia, quibus cum Luca Conſtantinopolitano, & Sophronio Alexandrino benedixit, Cinnamo teſte lib. 5. n. 7. *Quinto igitur & vigeſimo menſis Apellæi, quem Decembrem Latini vocitant, in celeberrimum Sapientiæ templum ſplendide deductus Imperator, hanc ſibi connubio copulavit*, Λουκᾶ τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίαν τηνικαῦτα λαχόντος καὶ Σωφρονίου Ἀλεξανδρείας, καὶ Θεουπόλεως Ἀθανασίου, ᾗ Χριστιανοῖς ἔθος ἐστὶ, τὰς χεῖρας αὐτοῖς ἐπιθέντων, *Luca Conſtantinopolis eccleſiæ antiſtite, Sophronio Alexandriæ, & Athanaſio Theopolis, manus ipſis, ut mos eſt Chriſtianis, imponentibus: quos poſtridie ſecum epulaturos duxit, & ſingulos multo donatos auro dimiſit.*

CVI. Simeon II.

Anno 1178. *Simeon* Antiochiæ patriarchatum gerebat, cui Georgius Corcyræ metropolita epiſtolam dedit, quam Baronius ad illum annum Latinè verſam edidit n. 14. hac inſcriptione: *Sanctiſſimo Patriarchæ Theopolis, id eſt magnæ Antiochiæ Domino Simeoni Georgius metropolita Corcyræ.* In ea Georgius ſe exultare ait acceptis de ipſius ſanctitate nuntiis. *Sed vice verſa vehementer doluiſſe, ubi audivit quantum & qualem malorum turbinem malus in ipſum conciliaverit dæmon, quodque ultra tempeſtates eorum qui contraria ſentiunt ſectanturque dogmata, quotidie tenebras offundit ipſi jucundiſſimo lumini & ſoli veritatis nondum in propriæ eccleſiæ fundamento ſatis firmato.* Quibus ſignificare videtur excitatam eſſe tempeſtatem illam quum recens ordinatus eſſet. Hunc illum Athanaſio proxime ſucceſſiſſe perquam veriſimile eſt.

Ante Theodorum Balſamonem, de quo
A mox ſuus ſermo erit, Theodoſium Patriarcham Antiochenum vir noſtra ætate pereruditus ſtatuit in catalogo, quem contexuit ſedis illius Patriarcharum. Illum an. Mundi 6686. Chriſti 1180. Indict. III. die 2. Martii nuptiis Alexii Comneni cum Anna Francica bene precatum ait, teſte Codino in Originibus C P. pag. 80. edit. Pariſienſis 1655. Ita quidem Latina ſua tranſlatione hoc loco oſcitantius expenſo Latinus interpres viro docto errandi anſam præbuit, quum Græcus Codini ipſius contextus nihil tale ſignificet: ſed
B Theodoſium Antiochia oriundum Patriarcham œcumenicum, ſive Conſtantinopolitanum, nuptiarum illarum auctorem fuiſſe, διὰ τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου κυροῦ Θεοδοσίου τοῦ Ἀντιοχείας. Nimirum ex Byzantinorum Patriarcharum catalogis, Charitoni illo tempore in Conſtantinopolitana ſede Theodoſius patria Antiochenus ſucceſſerat; ſed neque *œcumenici Patriarchæ* appellatio, qua Georgius Codinus Theodoſium donat, ulli niſi Byzantino à Græcis unquam attributa eſt.

C Anno 1187. die 2. Septemb. Indict. VII. Iſaacius Angelus Imperator, vocatis tribus Patriarchis, Conſtantinopolitano, Antiocheno & Hieroſolymitano, qui in urbe ſua agebant, cum aliis metropolitis & epiſcopis, lege ſanxit, ne epiſcoporum electiones Conſtantinopoli de more fierent, niſi vocatis epiſcopis quotquot in ea variorum negotiorum ergo verſarentur. Jur. Græco-Rom. pag. 469. Utinam non omiſſa forent Patriarcharum duorum nomina.

D

CVII. Theodorus IV.

Notiſſimus eſt eruditis *Theodorus Balſamon*, magnæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ quondam diaconus & nomophylax, quin & chartophylax ſub Theodoſio ejuſdem urbis, ut paulo ante dicebam, Patriarcha, celebris eccleſiaſticarum ſanctionum interpres, quarum exponendarum gratia volumina complura edidit. Antiocheni Patriarchæ titulo Conſtantinopoli auctus eſt, non prorſus Antiochiæ. Ipſe enim ad canonem 16. Antiochenæ ſynodi quæ Conſtantio Imperatore olim
E coacta fuit, ingenuè fatetur nulli Græco Patriarchæ Antiocheno per Latinos ſua ætate fas fuiſſe ea in civitate ſedere. Anno 1193. patriarchatum obtinebat, quo Iſaacius Imp. qui Doſitheum Hieroſolymitanum Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præficere decreverat, ipſum uti regularum apprimè peritum hac arte conſuluit, num per canones liceret Patriarcham ullum ad ſedem aliam Patriarchalem tranſire. In privato, inquam, colloquio, ſe

Digitized by Google

indignè ferre finxit Imperator, quod eccleſia doctis piiſque viris deſtitueretur, monaſticæ virtutes aboleſcerent, ac nemo reperiretur qui primaria ſede dignus eſſet, quique ſolis inſtar irrequieto motu orbem illuſtrantis, fidelium cœtum optime informaret. Sibi olim in animo fuiſſe illum ex Antiochena ad œcumenicum ſpeculum transferre, ſe vero canonum interdicto prohiberi. Quocirca rogabat, ſibi demonſtrari legibus vetitas non eſſe ejuſmodi præſulum tranſlationes. His deluſus ſermonibus Balſamon, qui ſe mox ad Byzantinum patriarchatum promovendum putaret, rem licere ratamque facile fore oſtendit. Tum poſtridie indicto epiſcoporum concilio, agitata rurſum quæſtione, ex Theodori Antiocheni Patriarchæ ſententia pronuntiatum eſt tranſlationes illas prohibitas prorſus non eſſe, fuitque illud ſacris Principis litteris confirmatum. Mox Imperator, non Balſamonem Antiochenum, ſed Doſitheum Hieroſolymitanum, regiæ urbis Patriarcham deſignavit. Quæ narrat Nicetas Choniates in *Iſaacio Angelo* lib. 2. num. 4. ubi notanda pauca iſthæc Imperatoris verba, *olim ſibi in animo fuiſſe ipſum ex Antiochena eccleſia ad œcumenicum ſpeculum transferre*, πάλαι μὲν βουλέσθαι μετενεγκεῖν αὐτὸν ἐκ τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας εἰς τὴν οἰκουμενικὴν περιωπήν, quibus prorſus innuitur Theodorum Balſamonem à multis jam annis provectum fuiſſe in Patriarcham Antiochenum. Neſcio quo teſtimonio fretus Lambecius in indice ad to. 8. Bibliothecæ Cæſareæ effutierit, Theodorum Balſamonem Antiocheno pontificatu functum ab an. 1186. ad 1214. Aliis vero vixiſſe fertur ad annum uſque 1203. qui Conſtantinopolis à Francis expugnationem præceſſit.

CVIII. Joachim I.
CIX. Hierotheus.
CX. Simeon III.
CXI. David.

In catalogo Vaticano cujus excerpta ad me Roma tranſmiſſa ſunt, Theodoro Balſamoni proxime ſuccedit *Joachim*, Joachimo *Hierotheus;* Hierotheo ſubditur *Athanaſius*, ſed catalogi Vaticani auctor fatetur, ſibi prorſus incompertum eſſe quibus illi temporibus ſederint, omnem licet diligentiam in illis inveſtigandis adhibuerit. Hinc mihi conjiciendum datur Athanaſium iſtum alium non eſſe ab ejuſdem nominis Patriarcha, quem paulo ante recenſui n. 105. qui quum ante Balſamonem vixerit, omiſſus tamen eſt in illo catalogo. In Arabico vero Aſſemani indice Theodorum Balſamonem ſequitur *Joachimus*, Joachimum *Dorotheus*, qui, nî fallor, idem fuerit ac qui *Hierotheus* in Vaticano A indice: mox *Simeon Julianus*, *Athanaſius.* Quidni *David* hic ſcriptum ſit pro *Dionyſius* binominis, ut mox *Cyriacus* pro *Cyrillus.* Cæterum poſt Balſamonem uſque ad Euthymium quatuor Patriarchas Antiochiæ ſediſſe minime diffitebor.

Mirari tamen licet, catalogi illius conditorem, tanta illa licet adhibita diligentia in conquirendis Patriarchis Antiochenis, octo illos qui ſequuntur, ignoraſſe, quorum tamen apud laudatiſſimos notiſſimoſque ſcriptores, Georgium Pachymerem & Nicephorum B Calliſtum fit mentio, ut Athanaſio illi ſucceſſorem alium non aſſignaverit, niſi Ignatium, qui decimo-quarto ſæculo ſedebat. Balſamoni utique proximus ſucceſſor fuerit Antiochenus ille Patriarcha, de quo Innocentius Papa III. epiſtola 9. lib. XI. Regeſti Patriarchæ Latini generis Hieroſolymitano, Apoſtolicæ ſedis legato hæc ſcribebat: *Ad noſtram noveris audientiam perveniſſe, quod de aſſenſu & voluntate nobilis viri comitis Tripolitani, & quorundam civium Antiochenorum, Dei timore poſtpoſito, in Antiochena provincia* C *Patriarcham Græcum intrudere præſumpſerunt, cui clerici Græci, qui venerabili Patriarchæ fidelitatis exhibuerunt juramenta, dignitatibus & beneficiis de manu ejus acceptis, contra proprium juramentum temere adhærent.* Idem Pontifex l. 16. hoc eſt an. 1214. epiſt. 4. Regi Armeniæ ſcribens, expoſtulabat adverſus ipſum, quod quum Hieroſolymorum Patriarcha Apoſtolicæ ſedis legatus, quemdam illum qui ſe Patriarcham Antiochenum appellabat, de ſpeciali Papæ mandato depoſuiſſet, & in omnes qui eidem tanquam Patriarchæ intenderent, D excommunicationis ſententiam promulgaſſet, hunc tamen ipſe Rex non ſine Apoſtolicæ ſedis injuria receperat, ei intendendo uti vero Patriarchæ.

An. 1232. Nymphæi in Bithynia Joanne Vatacio Imperatore, & Germano II. Conſtantinopolitanum Patriarchatum inter Græcos gerente, concilium habitum eſt, & cum duobus Theologis ex ordine Prædicatorum, totidemque ex Minorum à Gregorio Papa IX. miſſis, de Græca cum Romana eccleſia conciliandа tractatum fuit, ac de Spiritûs E ſancti proceſſione, & Azymorum conſecratione diſputatum. Aderat Antiochenus Patriarcha, cujus nomen omiſſum in Actis quæ tum Græca, tum Latina exſtant. Epiſtola ſeu profeſſio fidei ejus, ut & Germani II. Conſtantinopolitani nomine data eſt ad Gregorium Papam. Huic enim ſubſcriptus à chartophylace in hunc modum legitur: *Chartophylax ſummæ Dei eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Aulinus, præſentem libellum noſtræ confeſſionis*

Digitized by Google

fidei præcepto ſanctorum Patriarcharum, tam generalis (οἰκουμενικοῦ) *quam Theopoleos, magnæ Antiochiæ, perſuaſione etiam ſancti concilii ſubſcripſi.* Wadingus in annalibus Minorum ex Joannis Columnæ ad Othonem Apoſtolicæ ſedis in Anglia legatum epiſtola, Antiochenum Patriarcham incundæ paci præ aliis adverſatum refert, ubi magnam partem recitat eorum quæ in illa ſynodo dicta geſtaque fuerunt. Matthæus quoque Pariſius ad
» annum 1238. narrat Antiochenum archiepi-
» ſcopum, conſentiente ſibi Germano Con-
» ſtantinopolitano, Græcorum archiepiſcopo,
» Dominum Papam cum tota Romana eccleſia
» & curia excommunicaſſe, ſe ſuamque eccle-
» ſiam Romanæ præferendo, eo quod beatus
» Petrus primum Antiochenam eccleſiam ſum-
» mo honore rexerat; ſed & poteſtas ligandi
» ſolvendique eccleſiæ Græcorum collata eſſet
» potiùs, quam Romanæ, quæ ſimonia, ava-
» ritia, & aliis maculis ſordebat.

CXII. Euthymius I.
CXIII. Theodosius V.
CXIV. Arsenius.
CXV. Cyrillus II.
CXVI. Dionysius I.
CXVII. Cyrillus III.
CXVIII. Dionysius II.
CXIX. Sophronius.

Ex his octo Patriarchis Antiochenis Græcis, ſeptem una ſerie Nicephorus Calliſtus, lib. 14. hiſt. eccl. cap. 39. memorat, qui ex ſedibus aliis minoribus ad Antiochenam evecti ſunt. Antiochiæ vero, inquit, quatuor per ejuſmodi tranſlationem epiſcopos fuiſſe novi. Μετὰ γὰρ Εὐθύμιον καὶ ὁ Ἀρσένιος ἐκ Τριπόλεως, τὸν ἐκείνου θρόνον κληροῦται· τοῦτον δὲ ὁ ἐκ Τύρου Κύριλλος διαδέχεται· τοῦτον δὲ ὁ τῆς Πομπηϊουπόλεως Διονύσιος· τὸν δὲ αὖθις Κύριλλος ἕτερος, οὗ διάδοχος ὁ Μοψουεστίας λαμπρὸς Διονύσιος, καὶ τοῦτον πάλιν ὁ Τύρου Σωφρόνιος. *Poſt Euthymium namque ex Tripoli tranſlatus Arſenius, ſedem illius ſortitus eſt, cui Cyrillus ex Tyro ſucceſſit: tum huic Dionyſius ex Pompeïopoli; Dionyſio rurſum Cyrillus alter, qui ſucceſſorem habuit clarum illum Dionyſium Mopſueſtiæ præſulem, & hic deinde Sophronium.*

EUTHYMIUS. Quod *Euthymium* ſpectat, Pachymeres in Michaële Palæologo lib. 4. c. 9. ejus quoque meminit, qui erga Arſenium Conſtantinopolitanum Patriarcham male affectus quum eſſet, ejus depoſitioni adſtipulatus eſt. *Neceſſarium putaverant*, inquit, *epiſcopi, qui illum deſtituerunt, ut cæteri Patriarchæ illius deſtitutionis auctores eſſent.* ὁ μὲν Ἀντιοχείας Εὐθύμιος, *Antiochenus quidem Euthymius jam olim Arſenio inſenſus, facile aſſenſus eſt; quod ab ipſo communionis conſors non admitteretur: cauſa ferebatur, quæ vera ne ſit incertum eſt: quod* A *Antiochenus in re quadam cum Armenis communicarat. Quapropter occaſionem hanc ultro arripuit calculo ſuo adverſarii ſui depoſitionem roborandi.* Quæ geſta ſunt an. 1260. Pachymeres idem Euthymium Antiochenum paulo ante ruptam Bulgaros inter & Michaëlem Palæologum Imper. pacem, Conſtantinopolim reverſum ſcribit, è Regis Armenia, qui eum necari juſſerat, manibus ereptum. Addit Euthymium perperam ſollicitatum ut ab Imperatore pro Bulgaris deſciſceret. Hæc de Euthymio Pachymeres.

THEODOSIUS V. B Ex eodem vero Pachymere lib. 6. cap. 5. Euthymio proxime ſucceſſit non Arſenius, ſed *Theodoſius* monachus, cognomento *Princeps*, ut pote de Villharduini Achaïæ principis genere. Narrat ille Michaëlem Imp. ſententiam ejus quæſiviſſe de nuptui danda filia ſua Irene Aſani regi Bulgarorum. *Acceſſit & judicium Hieromonachi Theodoſii cognomento Principis, qui ſententiam ſuam ſcripto tradidit, quum jam eſſet Patriarcha deſignatus.* τοῦτο καὶ ὁ Πρίγκιψ ὁ Ἱερομόναχος Θεοδόσιος ἀξιωθεὶς καὶ οὗτος πρὸς συμβουλὴν τὴν περὶ τούτων C ἔγραφεν, ἤδη εἰς ψῆφον ὢν πατριαρχίου. Mortuus ſiquidem erat Euthymius, cui ægrotare incipienti Theodoretus Anazarbi pontifex perſuaſerat, ut multos epiſcopos accerſeret, quorum ſuffragiis ſucceſſor ejus ipſe renuntiaretur. Re infecta defuncto Euthymio, nemo à Theodoſio eligendo alienus erat, cujus tamen tentandum animum Imperator Michaël cenſuit, quippe quem ad concordiam cum Latinis ineundam minime propenſum ſuſpicaretur. Pachymeres ipſe Georgius provinciam hanc in ſe recepit, ut pote Principi D familiariſſimus; cui Theodoſius ſignificavit ſe illò prorſus iturum quo ab Imperatore vocaretur. Quod ubi Patres qui ad ſynodum convenerant acceperunt, calculis conſpirantibus Theodoſius princeps Antiochiæ Patriarcha electus eſt. Cui mox ut pote Patriarchæ deſignato Imperator debitum honorem habens, amice de rebus ſuis ſcribere cœpit. Quin paulo abſuerat, quominus ad Byzantinam ſedem pro Joanne Becco promoveretur. *Nam*, eodem Pachymere teſte lib. 5. c. 24. E *plurium in Principem ſuffragia propendebant, virum genere nobiliſſimum, ex Principum Peloponneſi gente; unde juvenis profectus, vitæ perfectioris colendæ ſtudio, in monaſterio quodam montis Melani, ubi Germanus nuper Patriarcha ſolitariam vitam egerat, ſe incluſit. Unde multo poſt tempore ad Imperatorem quum veniſſet Pantocratoris cœnobio præfectus fuit. Poſt legationem ad Tocharos Orientales obiit, eoque ducta Maria Imperatoris notha filia, & Apagæ nupta, reverſus in cellula monaſterii Hodegorum*

Digitized by Google

tranquillam & religioſam vitam denuò coluit. Demum Antiochenæ eccleſiæ Patriarcha conſtituitur, ὕστερον δὲ κἀν τῇ τῆς Ἀντιοχείας ἐκκλησίᾳ εἰς πατριάρχην καθίσταται). Unioni eccleſiarum Græcæ & Latinæ, quæ ſub Michaële Imperatore facta eſt, ultro annuit, ut pote ex Latino genere ortum trahens. Michaële Imperatore defuncto, quum ſchiſma vetus, Andronico illius filio & ſucceſſore, recruduiſſet, novi Auguſti ſævitiam veritus, *exterius quidem*, ait rurſum in Andronico Pachymeres, lib. 1. c. 19. *præ ſe ferebat, ſe non multi facere quæ geſta eſſent, clam vero Imperatore patriarchatu abdicato, in Syriam profectus eſt.* ἀμέλει δὲ τὴν μὲν ὡς ἔπαθε τῆς βασιλέως μὴ εἰδότος, παρῄτητο κατὰ Συρίαν. *Tunc enim in Latinorum adhuc poteſtate erant Ptolemaïs, Berytus quoque, & Sidon & Tyrus, oraque maritima.*

Arſenius.

Pergit Pachymeres de aliis Patriarchis, qui Theodoſio Principi ſucceſſerunt: *Clerus Antiochenus, Principis abdicatione accepta, concordibus calculis Arſenium Hagioſimeonitam* (ſeu monaſterii S. Simeonis aſcetam) *creaverunt*, κοινῇ ψήφῳ τὸν Ἁγιοσυμεωνίτην καθιστῶσιν Ἀρσένιον, *virum ſanctiſſimum, decorum & veneratione dignum, in communionem admiſerunt, pronuntiato ejus palam è diptychis nomine. Poſt verò fama ſparſa communicaſſe Arſenium cum Rege Armeniæ, qui ab eccleſia ſejunctus erat, omiſſo ad veri inquiſitionem neceſſario temporis ſpatio, nomen ejus extemplo è ſacris tabulis eraſerunt. Qui ſubinde tamen brevi ſuperſtes in vivis fuit; alioquin ad accuſationem eluendam occurriſſet*, ἐκείνου γὰρ μηδ' εἰς βραχὺ ἐπιζησομένου· ἴσως γὰρ ἂν καὶ ἀπήντα πρὸς κατηγορίαν. Nimirum Pachymeres hoc loci innuit, Arſenium Euthymii Patriarchæ quondam ſui ſocium fuiſſe, quando ille apud Armenos captivus tenebatur. Hujus Arſenii Hagioſymeonitæ Leo Allatius meminit, lib. 1. de conſenſ. cap. 1. ſed ex iiſdem Pachymeris locis.

Cyrillus; Dionyſius.

Mortuo Arſenio, ait Pachymeres, non igitur amoto, epiſcopi in duas partes ſententiaſ-ve ſciſſi ſunt. *Cilices quippe Dionyſium Pompeïopolis in Cilicia epiſcopum; Syri Cyrillum Tyri metropolitam conſtituerunt:* οἱ μὲν κατὰ τὴν Κιλικίαν, τὸν Πομπηϊουπόλεως Διονύσιον, οἱ κατὰ τὴν Συρίαν, τὸν Τύρου Κύριλλον καθιστῶσι. Quibus ſignificatur ambos illos de patriarchatu mutuò contendiſſe, in duas partes Antiochenos ſciſſos eſſe, non alterum alteri ſucceſſiſſe, niſi fortaſſis alterutro defuncto, vel ad ordinem redacto, adeoque Cyrillo. Nam Nicephorus Calliſtus Dionyſium ponit Cyrilli ſucceſſorem, qui communibus magis quam ante ſuffragiis, pacis utique gratia, locum hunc ſolus demum obtinuerit.

De Cyrillo altero, deque altero Dionyſio, atque Sophronio, quos Calliſtus aliis ſubjungit, nihil mihi apud auctores quos adivi, reperire licuit. At certe poſt ſæculi decimiquarti initia, quo adulto Calliſtus hiſtoriam ſcribebat, illi ſederunt. Aſſemani catalogus Arabicè exaratus pro Cyrillo Cyrianum habet, cui ſuccedit Dionyſius. Imo Davidem Cyriaco præmittit forſan pro Dionyſio priore, ſed uti Cyrillum priorem neſcivit illius conſarcinator, ita & Sophronium.

Cæterum anno 1308. Antiochena ſedes, Pachymere teſte in Andronico ſeniore Palæologo lib. 7. c. 8. Patriarcha vacabat, τότε χηρευούσης ποιμένος τῆς Ἀντιοχείας. Tunc vero Athanaſius Conſtantinopolitanus Antiochenis ademit monaſterium Hodegorum quod jam olim illis Imperatores Byzantini conceſſerant, & in quo Antiocheni Patriarchæ morari ſoliti erant.

CXX. JOANNES VI.

CXXI. MARCUS I.

Doctiſſimo Actorum Sanctorum editori Patriarchas duos Ignatio II. anteriores Joſeph Simeonius Aſſemani Maronita ſuppeditavit, *Joannem & Marcum*, Dionyſii ſucceſſores. Illorum nulla mihi mentio occurrit, neutiquam vero mihi omittendi videntur.

CXXII. IGNATIUS II.

Marco itaque I. ſucceſſorem damus Ignatium II. Sedebat ille quo tempore Palamitarum ſuperſtitio lunatica apud Græcos inolevit, ac tertio ab Andronici junioris Imperatoris morte anno, Chriſti 1344. Conſtantinopolim Antiochia appulſus, una cum Joanne Apreno urbis illius regiæ Patriarcha Iſidorum Monembaſiæ epiſcopum ejuſdem erroris reum, cum ipſo errore proſcripſit. Tomum ſeu ſententiæ libellum quo Ignatius Iſidorum damnavit, Leo Allatius edidit diſſert. 2. de libris eccleſiaſticis Græcorum pag. 188. Sic porro Tomus inſcribitur: Ἰγνάτιος ἐλέῳ Θεοῦ πατριάρχης Θεουπόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας, καὶ πάσης Ἀνατολῆς, *Ignatius miſeratione divina Patriarcha Theopolis magnæ Antiochiæ, & totius Orientis.* Poſt vero Joanne Cantacuzeno imperii conſorte facto, qui Palamitarum amentiam amplexus erat, dure exagitatus cruciatibus variis conſumtus vitam finivit. Id quod Joannes Cypariſſiotus graphice narrat in ſuo *De Tranſgreſſionibus Palamiticis opere;* in quo primum quidem ſermone 4. ſynodi meminit viginti duorum epiſcoporum contra novatores illos coactæ, *cui urbis Regiæ & Antiochiæ Patriarchæ præfuerunt:* ὑπό τε τοῦ τότε πατριαρχοῦντος τῆς βασιλείας τῶν πόλεων, ὑπό τε τοῦ Θεουπόλεως Ἀντιοχείας. Joannes ſcilicet Apri & Ignatius, velut in fine ſermonis Cypariſſiotus declarat: *Legat,*

inquit, *diligenter* τὰς τῶν μεγίστων πατριαρχῶν Ἰωάννου καὶ Ἰγνατίου συνοδικὰς πράξεις, *maximorum* A *Patriarcharum acta ſynodalia, quibus ad Palamitarum damnanda, proſcribendaque & anathemate ferienda placita proceſſerunt.* Quæ fidei cauſa Ignatius mala toleraverit, idem auctor hunc in modum exponit: *Ad hæc ipſe pariter horum teſtis accedat,* ὁ πολὺς ἐκεῖνος ἐν τῇ σοφίᾳ, καὶ ἀρετῇ θαυμαστὸς Ἰγνάτιος, *plurimus ille, tum ſapientia, tum virtute admirabilis Ignatius, nulla parte illi inferior, qui dixit: Zelatus ſum ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Et: *Odivi eccleſiam malignantium.* Et: *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt* B *mihi. Sub vitæ finem, graves à perſequutoribus injurias perpeſſus, poſt carceres & verbera, è monaſterio in quo degebat, tranſvectus, obſcuro in loco mortem obiit. Sed etiam, uti inſidiatores ejus comminati erant, cadaver ejus inſepultum manſit, ad canes & porcos projectum in pretioſi margaritæ modum.* Ex quibus apparet Ignatium non Antiochiæ, ſed Conſtantinopoli vivere deſiiſſe. A Palamitarum ſynodo eum Patriarchatus dignitate nudatum fuiſſe, vix inficiari quis poſſit, etſi id Cypariſſiotus non prodidit, quin nec Cantacuzenus ipſe.

CXXIII. PACHOMIUS I.
CXXIV. MICHAEL I.
CXXV. PACHOMIUS *iterum.*
CXXVI. MARCUS II.

Catalogum Vaticanum ſequor, in quo Ignatium ſequitur *Pachomius I.* Damaſci prius metropolita, quam ad Antiochenam ſedem proveheretur, qui & eum depoſitum fuiſſe ſubdit, illique *Michaëlem* ſubrogatum an. 1370. Imo an. 1367. Antiochena ſedes Patriarcha vacaſſe omnino videtur propter D inſcriptionem epiſtolæ Urbani Papæ V. quæ hoc anno data eſt ad Patriarchas tres Orientis, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, & Hieroſolymitanum: *Prudentibus viris, Philotheo Conſtantinopolitanam, Niſoni Alexandrinam & Lazaro Hieroſolymitanam eccleſias more Græcorum regentibus;* omiſſo prorſus Antiocheno. His porro litteris, quas Raynaldus & Wadingus ad illum annum recitant, ad unionem cum Romana eccleſia ineundam adhortabatur, utinam providiore conatu. Atqui Michaële defuncto ſedem Antioche- E nam ſubinde reſumſit Pachomius, quam exiguo ſatis tempore tenuit. Ejus quippe ſucceſſor *Marcus* anno 1378. diem extremum clauſiſſe fertur. Hos quidem Patriarchas eo ordine codex Vaticanus memorat. Aſſemani vero catalogus Ignatio ſucceſſorem aſſignat *Michaëlem,* Michaëli *Marcum* alterum ſive II. quem ſequitur *Pachomius,* mox *Nilus,* deinde *Michaël ſub Tamerlane.*

CXXVII. PACHOMIUS II.
CXXVIII. NICON.
CXXVIX. MICHAEL II.
CXXX. PACHOMIUS III.
CXXXI. JOACHIM III.
CXXXII. MARCUS III.

Iſti quoque in Vaticano catalogo feruntur: *Marcum II.* ſequitur *Pachomius II.* deinde *Nicon,* mox *Michaël II.* tum *Pachomius III. Joachim,* ac demum *Marcus III.* cui ſuccedit Dorotheus, cujus tempore Florentina ſynodus habita eſt. Qui Nicon dicitur in Vaticano catalogo, hunc Nilum nominari puto in Aſſemani Arabico. At in Aſſemani indice Michaëlem, illum utique ſecundum, qui Tamerlanis tempore ſedebat, excipiunt Pachomius, Marcus, Joachimus, ac ſubinde Dorotheus. Sederit igitur oportet Michaël II. initio ſæculi decimi-quinti, hoc eſt anno 1401. quo Timur ſeu Tamerlanes Bajazethum Turcarum Tyrannum vicit. Non omittendum Doſitheum Hieroſolymitanum Patriarcham lib. 7. de iis qui Hieroſolymis Patriarchæ præfuerunt cap. 2. §. 1. laudare C epiſtolam Balſamonis Antiocheni Patriarchæ ad Theophanem Hieroſolymitanum ſcriptam anno 1430. ἐν ἔτει χιλιοστῷ τετρακοσιοστῷ τριακοστῷ ἦν πατριάρχης Ἱεροσολύμων Θεοφάνης, πρὸς ὃν ἔγραψεν ὁ Βαλσάμων πατριάρχης Ἀντιοχείας, ἀποκριθεὶς εἰς τὴν ἐρώτησιν πῶς γίνεται μεταβολὴ εἰς τὰ ἀντίτυπα. *Anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo Hieroſolymorum Patriarcha erat Theophanes, ad quem Balſamon Antiochiæ Patriarcha ſcripſit, reſpondens quandonam fiat in Antitypis tranſmutatio.* Quin eamdem Balſamonis Antiocheni ad Theophanem Hieroſolymitanum epiſtolam Meletius Syrigus Hieromonachus & Protoſyncellus eccleſiæ Conſtantinopolitanæ laudaverat in eximio opere quo Calvini & Lutheri impietates confixit, fol. 136. Atqui ut videtur Balſamon cognomentum dumtaxat fuit Patriarchæ illius Antiocheni, Marci utique aut Joachimi, aut demum Pachomii III. ſucceſſoris.

CXXXIII. DOROTHEUS I.

Quo igitur tempore Ferrariæ ſeu Florentiæ in Italia ſynodus unionis inter Græcam Latinamque eccleſiam redintegrandæ cauſa coacta, celebrataque eſt, Antiochiæ thronum tenebat *Dorotheus,* qui ſuas in eo concilio vices gerendas commiſit Iſidoro, Kioviæ metropolitæ. Quocirca Iſidorus ſynodi tomo, ſeu decreto unionis hunc in modum ſubſcriptus legitur: Ἰσίδωρος ἀρχιεπίσκοπος καὶ μητροπολίτης Κιοβίου, καὶ πάσης Ῥωσίας, καὶ ἐπιτηρητὴς ἀποστολικῆς καθέδρας τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἀντιοχείας κυροῦ Δωροθέου, ἀρκετὸς ὑπέγραψα.

Digitized by Google

ὑπέγραψα. *Iſidorus archiepiſcopus Kiovienſis & totius Ruſſiæ, locum tenens ſanctiſſimi Patriarchæ Antiocheni Domini Dorothei, ſubſcripſi.* Ejuſdem quoque Dorothei & Joachim Hieroſolymitani loca viceſque itidem ſuppleturus venerat famoſus ille Marcus Epheſi archiepiſcopus, qui ante ſynodum abſolutam clam ſe ſubducens, ingentes quas omnes norunt, in Oriente turbas excitavit: ita ut ſi ſua fides ſit actis quæ Græci proferunt, Philotheus Alexandrinus, Dorotheus Antiochenus, & Joachim Hieroſolymitanus ſancitam Florentiæ unionem exſecrati ſint, & in Metrophanem Conſtantinopolitanum qui initam cum Romanis pacem colebat, ſententiam tulerint. Leo Allatius lib. 3. de conſenſ. cap. 4. n. 1. eorum litteras ad Joannem Palæologum refert, quibus ipſimet Principi anathema dictum iri comminabantur ni mentem mutaret. Aiunt præterea Arſenium Cæſareæ in Cappadocia metropolitam, qui ægre ferret quam vocabat innovationem, inuſtamque eccleſiæ Chriſti labem, petiiſſe *ſibi ab orthodoxis antiſtitibus qui in Syria agebant, à Philotheo Alexandrino, Dorotheo Antiocheno, & Joachimo Hieroſolymitano ſynodalem ſententiam ferri, ut omnes qui malè ſentirent, ex univerſa provincia ſua pellere ſibi facultas fieret,* ἠξίωσε συνοδικὴν λαβεῖν γνώμην παρὰ τῶν τελαὶν ὀρθοδόξων ἀρχιερέων τῶν ἐν τῇ Συρίᾳ τούτων δηλονότι Φιλοθέου Ἀλεξανδρείας, Δωροθέου Ἀντιοχείας, καὶ Ἰωακεὶμ Ἱεροσολύμων, ὅπως ἀποσοβήσῃ τοὺς μὴ ὀρθῶς φρονοῦντας, ἐκ πάσης τῆς ἐπαρχίας αὐτοῦ. Adfuiſſe præterea Dorotheus legitur neſcio cui Conſtantinopolitanæ ſynodo, in qua Joanne Imper. vita functo Florentinum concilium reprobatum fuit, eique ad hunc modum ſubſcripſiſſe. *Ἀνανίας πατριάρχης τῇ φιλανθρωπίᾳ Θεοῦ Ἀντιοχείας ὑπέγραψα. Ananias clementia Dei Patriarcha Antiochiæ ſubſcripſi.* Ubi *Ananias* Hebræum nomen ponitur, quod idem ſonat quod Græcum Δωρόθεος, Dorotheus. Verum bellam illam ſynodum exſufflat Allatius in addendis ad lib. 3. de conſenſ. p. 1380.

Cæterum non omittendum puto, trium Orientis ſedium, Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ Patriarchas meliùs ſe erga Romanam ſedem affectos præbuiſſe, anno 1460. ut qui Romam legatione miſſa, Florentinæ unioni ſe adſtipulari profeſſi ſint. Quod Joannes Gobelinus narrat in ſuo de rebus Pii Papæ II. commentario: » Circa hoc tempus, inquit, adiit Pontificem Moyſes archidiaconus Antiochenus, vir Græcis & Syriacis litteris eruditus, magni apud Orientales nominis. Hunc tres Patriarchæ miſerunt, Antiochenus, Alexandrinus, ac Hieroſolymitanus, & plurimi alii Principes Chriſti cultores; legatio ejus hujuſmodi fuit. « Veniſſe olim ad Pontificem Eugenium, inquit, Imperatorem & Patriarcham Conſtantinopolitanum, & in concilio Florentino nomine Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali de Proceſſione Spiritus ſancti, de igne purgatorio, de pane azymo, de primatu Romanæ Eccleſiæ, & aliis pleriſque, de quibus antea diſceptaverant, conveniſſe, decretumque deinde factum, quod tres Patriarchæ qui miſerunt non ſuſcepiſſent, ſatore zizaniorum impediente. Deinde bono commotos ſpiritu, conventu ſubditorum habito, ſuſcepto per omnia decreto, ſoli Romano Pontifici ſe commiſiſſe, velleque illi tanquam Chriſti vicario obtemperare, atque ad ea enuntianda ſe miſſum. Audivit Pontifex legationem, & privatim & publicè, & collaudatis Patriarchis, ſcripta quæ Moyſes attulerat in Latinum tranſlata, in archivis Romanæ Eccleſiæ recondi juſſit, ipſumque Legatum ad propria remiſit. «

CXXXIV. Michael III.

CXXXV. Theodorus V.

CXXXVI. Michael IV.

CXXXVII. Dorotheus II.

CXXXVIII. Michael V.

CXXXIX. Dorotheus III.

In horum Patriarcharum enumeratione & ſucceſſione recitanda codicem Vaticanum ſequor, in quo Dorotheum I. excipit Marcus Saidaniæ (oppidum eſt haud procul Damaſco diſtans) epiſcopus, qui *Michaëlis* nomen aſſumpſit: unde in Aſſemani indice perperam *Michaël* ponitur, deinde *Marcus*, quando idem prorſus Patriarcha utrumque nomen geſſit. Michaëlis ſeu Marci ſucceſſor eſt in Vaticano catalogo *Theodorus*, Theodori *Michaël* cognomento *Maberdes*, quem *Dorotheus II.* ſequitur. In catalogo Aſſemani poſt Michaëlem & Marcum leguntur *Joachimus, Gregorius, Michaël, Dorotheus, Michaël alter, Dorotheus alter ſub Hieremia Patriarcha Conſtantinopolitano*, hujus ſcilicet nominis primo. Quos admittere nihil prorſus prohibet.

CXL. Joachim IV.

CXLI. Michael VI.

CXLII. Macarius II.

CXLIII. Joachim V.

CXLIV. Michael VII.

CXLV. Joachim VI.

In Aſſemani indice Dorotheum illum alterum ſequitur *Joachimus*, deinde *Michaël*, mox *Joachimus* alter, Joachimum *Michaël*, tum *Joachimus alter*. In indice autem

Vaticano Dorotheus II. poſt *Michaëlem* Maberdem ſedit, & ſucceſſorem habuit *Joachimum Beryti Epiſcopum*, qui ſedebat anno 1564. ut colligitur ex epiſtola Joaſaphi Conſtantinopolitani Theodoſio Zygomalæ eccleſiæ magnæ Rhetori illo anno data, in qua meminit *Joachim Antiocheni*, καὶ Ἀντιοχείας Ἰωακείμ. Vid. lib. 2. Turco-Gr. p. 240.

Macarius. Joachim IV. aut V. in vivis adhuc ſuperſtite, Antiochenam eccleſiam rexiſſe fertur in Vaticano catalogo *Macarius* neſcio quis; ejuſdemque Joachim mors rejicitur ad an. 1576.

Michael VII. Huic Joachim ſuffectus eſt *Michaël VI.* aut *VII.* quo etiam ſuperſtite *Joachim* Tripolis epiſcopus à Damaſcenis electus fuit in Patriarcham. Huic recenſioni conformis eſt ea quæ in Aſſemani catalogo legitur, ut Dorotheo qui ſub Hieremia I. Patriarcha Conſtantinopolitano claruit, ſucceſſerint Joachimus, Michaël, Joachimus alter; omiſſo dumtaxat Macario, qui vivente adhuc Joachimo IV. Antiochenam ſedem capeſſivit, adeoque contra regulas eccleſiæ. Joachimus itaque IV. Antiochiæ patriarchatum gerebat anno 1576. quo labente Stephanus Gerlachius Martino Cruſio ſcribebat *nomina Patriarcharum quatuor, ſunt Hieremias Conſtantinopolis, Sylveſter Alexandriæ, Joachimus Antiochiæ, & Germanus Hieroſolymæ.* Exſtat Gerlachii epiſtola lib. 7. Turco-Gr. data 26. Decembris illius anni 1575. Quod

Joachim intruſus. vero *Joachimum* illum alterum ſpectat, quem Damaſceni adverſus Michaelem VI. ex Tripolitano epiſcopo Patriarcham conſtituerunt; tanquam genuinus Antiochiæ Pontifex habitus non eſt, etſi in indice Aſſemani cenſetur. Michaëlem porro VII. anno 1576. Joachimo IV. ſucceſſiſſe certum fit ex epiſtola ipſius quæ libro 4. Turco-Gr. pag. 295. legitur, data anno mundi 7085. ſeu Chriſti 1576. indict. v. Junii 7. Patriarchæ Conſtantinopol. Ejus inſcriptio iſtius modi eſt: Μιχαὴλ, ἐλέῳ Θεοῦ, πατριάρχης τῆς μεγάλης Θεουπόλεως Ἀντιοχείας, καὶ πάσης ἀνατολῆς. *Michaël, miſeratione divina, Patriarcha magnæ Theopolis Antiochiæ & totius Orientis.* Anno 1582. Michaël idem octogenarius à Damaſci præſide Turco pulſus, Conſtantinopolim venit exponendarum querelarum ſuarum cauſa, ut Cruſius rurſum narrat Turco-Gr. p. 296. ex litteris Winceſlai Budowetzii à Budowa 14. Januarii ejuſdem anni Davidi Chytræo Byzantio ſcriptis. Ex qua epiſtola compertum fit nobis quo circiter tempore Damaſceni Joachimum Tripolitanum Michaëli Patriarchæ prætulerint. At vero Michaël Conſtantinopoli agebat adhuc, ibique legitimus Patriarcha Antiochiæ cenſebatur anno 1585. Leunclavio pag. 42. Pandectæ hiſt. Turc. teſte, qui tunc præſens aderat, quando Pileolus Patriarchalis imponebatur *Theolepto Patriarchæ à duobus præſentibus Patriarchis, Silveſtro Alexandrino, & Michaële Antiocheno die 10. Martii anno Chriſtiano 1584. quando inaugurabatur, quod Græci vocant in throno collocari.* Quem Martinus Cruſius octogenarium anno 1582. fuiſſe ſcribebat, hunc Theodoſius Zygomalas epiſtola eidem Cruſio data die 7. Aprilis anno 1581. centum & viginti annos natum teſtatus erat, πρὸ δ΄. μηνῶν ἦλθε πρὸς ἡμᾶς ὁ πατριάρχης Ἀντιοχείας Μιχαὴλ, ἀνὴρ γηραιὸς ἐτῶν ὡς ρκ΄. σοφὸς γράμμασιν Ἀράβων, Σύρων καὶ Ἑλλήνων μετρίως, οὗ καὶ ὑπογραφὴν πέμπω σοι, ἐν ᾗ ἔγραψέ μοι εὐχήν. *Ante duos menſes ad nos venit Antiochiæ Patriarcha Michaël, ſenex annorum circiter centum & viginti, linguarum Arabicæ, Syriacæ, & Græcæ ſat peritus, cujus tibi ſubſcriptionem mitto in ea quam mihi ſcripſit apprecatione.* Michaëlem hunc diu poſt annum 1585. vitam duxiſſe veriſimile non eſt, ut ſubinde Joachim ille Tripolitanus Antiochenam ſedem ſolus tenuerit.

CXLVI. JOACHIM VII.

Joachimo illi qui Michaëli Antiochenum thronum eripuerat, ſuffectus fuit *Joachimus* alter, epiſcopus prius Emeſſenus, ut catalogo Vaticano fertur. Habetur quoque in Aſſemani indice: *Joachimus cognomento Benzaiada.* Ille utique eſt Joachim Antiochenus Patriarcha, qui anno 1593. Conſtantinopolitanæ ſynodo interfuit, in qua conceſſa nuper ab Hieremia II. Conſtantinopolitano itidem Patriarcha, Moſcoviæ præſuli patriarchalia jura confirmata fuerunt. Stephanus quoque Luſignanus ipſo anno 1593. Joachim Antiochiæ Patriarcham ſedere ſcribebat in catalogo virorum illuſtrium.

CXLVII. DOROTHEUS IV.

CXLVIII. ATHANASIUS III.

In utroque indice Vaticano & Aſſemani, Joachimo VI. ſuccedit *Dorotheus*, ille utique qui Nicephoro Meliſſeni Comneno metropolitæ Narniæ Hierotheus quoque nominatur, ſeditque ad annum uſque 1610. Huic in utroque rurſum indice ſubditur *Athanaſius III.* vir, ſi Jacobo Gualterio in chronologia ipſius credimus, apprimè catholicus, qui quum anno 1618. Antiochenæ eccleſiæ præeſſet, anno inſequenti vivere deſiit.

CXLIX. IGNATIUS III.

CXL. CYRILLUS IV.

Athanaſio vivis exempto, alii *Ignatium* Sidonis metropolitam elegerunt, alii *Cyrillum*

Digitized by Google

Athanaſii fratrem; utrumque habet Aſſemani catalogus, ceu Cyrillus Ignatio ſucceſſerit. At A certe Ignatius Cyrillum variis artibus exagitavit, nec dubium quin in cauſa fuerit cur à Turcis æmulus ſuus morti ſit addictus. Quocirca Cyrillo necato, patriarchatu anno 1628. potitus eſt Ignatius, qui anno ſubinde 1630. ſedebat, ut ferebatur epiſtola Haleppi data die 10. Martii, quam Gualterius Jeſuita appellat in chronologia.

CLI. Euthymius II.

CLII. Eutychius.

Ignatio ſuffectus eſt *Euthymius* ex utroque B catalogo, qui, ut fert Vaticanus, ante patriarchatum quum Haleppi metropolita eſſet, *Meletius* nominabatur, & cujus in indice Aſſemani cognomentum eſt *Charme*. Qui Romanam in Syria communionem fovens, quum Damaſci, de more, ſederet, nec ſummæ ſeptem millium nummorum, quam Turci ab ipſo exigebant, perſolvendæ potens eſſet, Haleppum ſecedens, Meletium monachum Chienſem deſignavit qui ſibi ſuccederet. Quod Joſeph Beſſon narrat in libro Gallico idiomate ſcripto, cui titulus *la Syrie ſacrée*, C part. 1. cap. 3. pag. 73. Atqui Meletius ille Chius nomen quoque perinde atque Euthymius mutavit, ac Patriarchatu auctus *Eutychius* nominari voluit. Nam in Aſſemani catalogo proximus Euthymii ſucceſſor eſt Eutychius Chius.

CLIII. Macarius III.

Anno itaque 1643. Euthymio, ut fert Vaticanus codex, vel potius Eutychio Chienſi patriarchatum eripuit *Macarius* Haleppenſis, qui eodem anno Conſtantinopoli agens, una D cum Parthenio ſeniore Patriarcha Conſtantinopolitano, Joannicio Alexandrino, & Païſio Hieroſolymitano Patriarchis, *confeſſionem eccleſiæ Orientalis*, à Petro Mogila Ruſſiæ metropolita delineatam approbavit, hunc in modum ſubſcribens, Μακάριος, ἐλέῳ Θεοῦ, πατριάρχης τῆς μεγάλης Θεουπόλεως Ἀντιοχείας, *Macarius Patriarcha magnæ Theopolis Antiochiæ*. Anno 1668. Neophytus Macarii Patriarchæ vicarius, teſtimonium dedit de recta fide Orientalis eccleſiæ circa ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum, & alios articulos E Calvinianæ hæreſi adverſos. Latinè illud exſtat editum ad calcem T. 1. lib. de Perpet. Fid. Euch. pag. 55. ſed & anno 1671. Macarius ipſe teſtimonium ſimile duplex authenticum adverſus Calviniana placita dedit die 20. Octobris & 19. Decembris, quod utrumque perinde Latinè verſum viſitur, T. 3. illius operis de Perpetuit. Fid. p. 799. & ſeqq. Macarii ejuſdem Antiocheni mentio itidem fit in *Theatro Turciæ*, quod Gallico etiam idiomate Pariſiis proſtitit anno 1682. ubi Patriarcha ille dicitur in Moſchoviam profectus, quumque per Georgiam tranſiret, innumeros homines, tam viros, quam mulieres, pueroſque baptizaſſe, quippe quos illius gentis inepti ſacerdotes abſque ſalutaribus undis, oleo dumtaxat ſacro, ſive chriſmate, inunxerant. Ibidem art. 10. ſect. 1. Macarius præſens adfuiſſe legitur, dum Andreas Jacobitarum Haleppenſium archiepiſcopus, Romano Pontifici Alexandro VII. fidei ſuæ confeſſionem apprimè catholicam exarabat. Doſitheus Hieroſolymitanus, l. 14. de Patriarch. Hieroſolym. c. 14. §. 6. narrat, quum aliquando Hieroſolymis Damaſcum vaderet, Macarium ſeniorem Antiochiæ Patriarcham, ὁ Ἀντιοχείας Μακάριος ὁ γέρων, obviam ſibi miſiſſe ad quatuor horarum ſpatium epiſcopos quoſdam & clericos, ipſumque urbe cum plebe & clero ad unius horæ diſtantiam equo vectum proceſſiſſe, turba pedibus comitante, amboſque ſic ad patriarchalem domum progreſſos. Atqui vox iſta Μακάριος ὁ γέρων, *Macarius ſenior*, innuere videtur, Antiochenæ eccleſiæ poſthac præfuiſſe juniorem alterum, quem catalogi non habent.

An. 1653. ſedebat Macarius, quo nempe epiſtolam Ludovico XIV. Francorum regi ſcribebat per Athanaſium Byzantinæ eccleſiæ rhetorem.

CLIV. Cyrillus V.

CLV. Neophytus.

CLVI. Cyrillus *ſecundò*.

CLVII. Athanasius IV.

CLVIII. Cyrillus *tertiò*.

CLIX. Athanasius *ſecundò*.

Macario index uterque Vaticanus & Aſſemani ſucceſſorem aſſignant *Cyrillum*, qui Macarii ex filio nepos erat. Hunc Cyrillum Patriarcham Antiochenum Demetrius Procopius in nuperi ſæculi eruditorum Græcorum recenſione, virum ſanctiſſimum & apoſtolicum appellat, Græcæ & Arabicæ linguæ peritum, diligentem ſacrorum librorum ſcrutatorem, & Verbi divini præconem ferventem. Quem tamen patriarchali ſede extruſum excepit *Neophytus*, qui & Chama. Hic Macarii quondam vicarius, qui anno 1673. NEOPHYTUS. teſtimonium adverſus Calvinianos errores authenticum aliud emiſit, ſimile illius quod antè ſub Macario dederat. Exſtat illud quoque T. 3. de Perpet. Fid. pag. 743.

Cæterum amoto, vel defuncto Neophyto, Antiochenam ſedem recepit *Cyrillus*, tenuitque ad annum uſque 1686. quo *Athanaſius*

Digitized by Google

Damaſco oriundus, monaſterii ſancti Sabæ Hieroſolymitani aſceta, ad eam eſt evectus; qui poſt annos ſeptem ad ordinem redactus, Haleppenſi metropolitana eccleſia donatus fuit. Hujus Neophyti Patriarchæ Antiocheni diſertiſſimæ reſponſiones ad viginti capita, quibus Calviniſtæ à Catholicis diſſident, editæ ſunt idiomate Gallico ad calcem T. 3. de Perpetuitate Fid. Euchar. pag. 743. datæ Damaſci an. 1673. ab Adamo 7081. Hegiræ 1084. Tum Cyrillus tertia vice patriarchali ſede obtenta, Damaſci de ſolito more ſedit ad diem uſque Januarii quintam, ſeu vigiliam Epiphaniæ, anni 1720. qua mortem obiit; quæ quidem quinta Januarii dies, noſtræ menſis ejuſdem decimæ-ſextæ reſpondet: adeoque Cyrillus, an. 1720. inchoato, vitam abſolvit, non exeunte 1719. ut habet Aſſemanus in ſuo indice. Cyrillo itaque vita functo, Antiochenam iterum ſedem capeſſivit Athanaſius, Conſtantinopoli reverſus, quam negotiorum nonnullorum cauſa petierat, & anno 1724. adhuc ſediſſe teſtantur chartæ, quas mihi perhumanè excellentiſſimus juxta atque doctiſſimus, nec mihi ſane ſatis laudandus, Hieroſolymorum Patriarcha, Chryſantus tranſmiſit: ὁ Ἀντιοχείας Ἀθανάσιος, *Athanaſius Antiochiæ*. Catalogi illius Antiochenorum Patriarcharum, quem ſæpe jam appellavi, quique in bibliotheca Vaticana nunc aſſervatur, Athanaſius hic auctor eſſe fertur, quem Joſephus Aſſemanus epiſtola bibliothecæ Orientalis nuncupatoria ſua ad Clementem Papam XI. bene erga ſedem Apoſtolicam Romanam affectum perhibet. In indice ejuſdem Aſſemani, quem doctiſſimus Actorum SS. editor in Antiochenis Patriarchis recenſendis ſequutus eſt, *Athanaſius Damaſcenus nuper defunctus* ſcribitur, *hoc eſt menſe Auguſti anni 1724.* Cujus proinde obitus Conſtantinopoli notus non fuit, niſi labente illo eodem anno. Atqui Demetrius Procopius in præſentis ſæculi eruditorum Græcorum recenſione de Athanaſio hoc Antiocheno an. 1720. ita ſcribebat, Ἀθανάσιος Ἀντιοχεὺς, πατριάρχης Ἀντιοχείας, ἀνὴρ εὐσεβείᾳ, καὶ τρόπων χρηστότητι σεμνυνόμενος, εἰδήμων τῆς Ἑλληνικῆς καὶ Ἀραβικῆς γλώσσης, ἔμπειρος τῶν ἱερῶν γραφῶν, λόγῳ καὶ βίῳ πρὸς ἀρετὴν ἀνάγων διδασκαλικῶς τὸν ὑπ' αὐτοῦ ποιμαινόμενον χριστιώνυμον λαόν. *Athanaſius Antiochia oriundus, Patriarcha Antiochenus, vir religione & morum probitate venerandus, Græcam linguam & Arabicam bene callens, ſacrarum ſcripturarum gnarus, ſermonibus & vitæ inſtituto populum chriſtianum cui præeſt, ad virtutem aſſiduè adducens.*

CLX. Seraphinus.

Sedebat nuper *Seraphinus*, quem ab æmulis variè vexatum audivi, & oratoris Chriſtianiſſimi noſtri Regis apud Turcicam aulam opera & auctoritate, Antiochenam ſedem cui impoſitus fuerat retinuiſſe.

CLXI. Cyrillus VI. *catholicus.*
CLXII. Sylvester *ſchiſmaticus.*

Ex litteris anno 1733. Tripoli Syriæ datis à Domino Jacobo Lemaire nationis Gallicanæ ibidem Conſule, ſedebat *Sylveſter* Antiochenus Patriarcha, ſeptimo jam currente pontificatus anno; quum interim *Cyrillus*, qui prior Damaſci electus & conſecratus fuerat ejuſdem ſedis legitimus Patriarcha, exul ageret. Hic ſiquidem Romanæ ſedis communionis conſors quum eſſet, & ab eadem ſancta & apoſtolica ſede confirmatus, ſchiſmaticorum artibus cedere coactus eſt, Libanumque montem petiit, ubi paucis quibuſdam præeſt epiſcopis; uti aliæ ferunt litteræ ad nos Conſtantinopoli datæ, menſe Auguſto anno 1734. Sylveſter autem, agentibus Anglorum proteſtantium Primoribus, Turcarum Sultani auctoritate ſedem retinuit, & à Græcis omnibus ſchiſmaticis habetur Patriarchæ loco. Cyrillus porro Damaſcenus dicitur, filius ſororis Euthymii epiſcopi Sidonenſis, qui obiit Damaſci die 8. Octobris 1723. Sylveſter autem Cyprius patre Græco & matre Maronita. Monachum agebat, quum Conſtantinopoli conſecratus fuit. Horumce duorum Patriarcharum prædeceſſor Athanaſius dicitur in catalogis nuper ex Oriente advectis; nulla vero Seraphini mentio; hunc autem quum exſcripſerit doctiſſimus hujus operis auctor R. P. Le Quien, ipſum non auſus ſum prætermittere. Seraphinum forte pro Cyrillo poſuerit.

Digitized by Google

DIŒCESIS ANTIOCHENA.
PROVINCIA SYRIÆ PRIMÆ.

I. ECCLESIA SELEUCIÆ PIERIÆ.

AMANO monti Pierius mons cohæret, cui inſidens Seleucia civitas, Pieria cognominata fuit: quod teſtatur Cicero lib. 5. epiſtola ad Attic. 20. Plinius quoque lib. 5. c 22. *In promontorio Seleucia libera, Pieria appellata*, Straboni Seleucia, ἐν Πιερίᾳ *in Pieria* dicitur, *cujus priſcum nomen erat* ὕδατος ποταμοῦ, *Aquæ fluvii, egregium monumentum & urbs inexpugnabilis, quam Pompeius liberam pronuntiavit*. Inſtaurata munitaque adeo fuerat à Seleuco Nicatore, à quo & nuncupationem accepit. Multi nummi exſtant qui *Seleuciam Pieriam liberam* exhibent. Atqui dicta quoque eſt *Seleucia ad mare*, ut pote ad oſtia Orontis fluminis poſita, diverſa prorſus à Seleucia altera ad Belum fluvium ſtructa, unde & vulgo Seleucobelus audiit. De qua ſubinde Paulum & Barnabam Apoſtolos Seleuciam veniſſe teſtatur Lucas Act. 13. v. 4. Quidni proinde Chriſtianam illic eccleſiam fundaverint?

EPISCOPI SELEUCIÆ.

I. DOSITHEUS I.

SÆculo, nî fallor, tertio jam adulto, Seleuciæ Syriæ epiſcopus ſedebat *Doſitheus*, qui contra Sabellianos, Praxeanos & Hermogenianos calamum ſtrinxit; utpote tunc naſcentes hæreticos. De quo infra in altero Doſitheo.

II. ZENOBIUS.

In indice Patrum qui Nicæno concilio interfuerunt, inter Syriæ primæ epiſcopos legitur *Zenobius Seleucienſis*, vel *Zenonius* pro exemplarium diſcrimine.

III. EUSEBIUS.

Ad ſynodum quæ Conſtantio Imperatore Seleuciæ in Iſauria celebrata eſt anno 359. venit Εὐσέβιος ἐπίσκοπος Σελευκείας τῆς Συρίας, *Euſebius epiſcopus Seleuciæ Syriæ*, ſeque junxit Georgio Alexandrino, & Acacio Cæſarienſi, quorum formulæ fidei ſubſcripſit. Epiph. hær. 72. n. 26.

IV. BIZUS.

In indice Latino ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis primæ, quæ ſub Theodoſio Magno habita eſt anno 381. & 382. inter epiſcopos Syriæ viſitur, *Bizus Seleucienſis*. Qui poſt aliquot annos Flaviano Antiocheno Maſſalianos hæreticos exagitante, Antiochenæ ſynodo interfuit, in qua ſynodi alterius viginti quinque epiſcoporum, qui Amphilochio Iconii præſide fanaticos illos proſcripſerat, ſententia lecta probataque eſt. Phot. Bibl. cod. 52. Aſſemanus Maronita tom. 1. Bibl. A Orient. pag. 177. voce Biza *Baſilium* ſignificari cenſet. Cæterum Bizus veniſſe quoque fertur ad ſynodum Conſtantinopolitanam aliam, quæ anno 394. coacta eſt propter Agapium & Bagadium, qui de Boſtrorum in Arabia epiſcopatu contendebant.

V. MAXIMUS.

Joannis Chryſoſtomi ſub Flaviano Antiochiæ præſule condiſcipulus *Maximus* fuit, qui tunc Seleuciæ ſedebat epiſcopus, Theodoreto teſte lib. 5. hiſt. eccl. cap. 27. Σελευ-
B κείας δὲ τῆς πρὸς τῷ Ταύρῳ, Μάξιμος, Ἰωάννου τοῦ πάνυ συμφοιτητής.

VI. DOSITHEUS II.

Socrates lib. 7. hiſt. cap. 36. refert *Doſitheum* Seleuciæ Syriæ deſignatum conſecratumque epiſcopum fuiſſe; ſed quia à civibus receptus non fuerat, Tarſum in Ciliciæ metropolim tranſlatum ab Alexandro Antiocheno. Hic profecto alius fuerit à Doſitheo Seleuciæ epiſcopo, à quo auctor libri qui *Prædeſtinatus* inſcribitur in parte qua *de hæ-*
C *reſibus* agit cap. 41. Sabellianos, Praxeanos & Hermogenianos confutatos refert; à vero ſiquidem nequaquam abhorret, eum Doſitheum noſtro antiquiorem exſtitiſſe, & hæreticorum quos impugnabat, æqualem; eo maxime quod Seleucienſis ſedis, Doſitheus quem memorat Socrates, minime compos fuit, quin & in illo de hæreſibus opere nonniſi coævi hæreſum adverſarii notantur.

Digitized by Google

ECCLESIA SELEUCIÆ PIERIÆ.

VII. Gerontius.

Prædatoriæ ſynodo Epheſinæ adfuit anno 448. *Gerontius Seleuciæ Syriæ*, cujus decretis ſuffragatus eſt. Unus quoque fuit epiſcoporum, qui in Antiochena ſynodo Domno Patriarcha præſide, Athanaſium Perrhenſem deſtituerunt. Quod Epheſi male geſſerat ejuravit in concilio Chalcedonenſi, cujus definitionibus ſubſcripſit actione præſertim 6. Γερόντιος Σελευκείας τῆς Συρίας, *Gerontius Seleuciæ Syriæ.* Subſcripſit quoque ſynodicæ epiſtolæ epiſcoporum Syriæ primæ, ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini, & Chalcedonenſis concilii auctoritate. Synodico quoque decreto Gennadii Conſtantinopolitani contra Simoniacos ſubſcriptus legitur, Γερόντιος ἐπίσκοπος μητροπόλεως Σελευκείας, *Gerontius epiſcopus metropolis Seleuciæ.* Quod notandum, quando nuſquam alibi appareat Seleuciam metropoliticis juribus ornatam fuiſſe.

VIII. Nonnus *hæreticus*.

Circa annum 505. Anaſtaſio Imperatore, *Nonnus* Amidenſis epiſcopus à Thoma chorepiſcopo, qui eccleſiam illam invaſerat, ſua ſede ejectus ad Seleucienſem tranſlatus fuit à Flaviano Antiocheno. Poſt vero ſub Paulo Patriarcha priſtinum epiſcopatum recuperavit; quum nempe ab eo propter hæreſim quam ſub Severo profeſſus erat, Seleucia ejectus eſſet. Ex Chronico Dionyſii Patriarchæ Jacobitarum to. 2. Bibl. Orient. p. 498.

IX. Constantinus *hæreticus*.

Theophanes ad ann. 18. Anaſtaſii narrat *Conſtantinum* Seleuciæ epiſcopum miſſa ad Anaſtaſium Imperatorem epiſtola, Chalcedonenſem ſynodum damnaſſe. Quæ quidem epiſtola, ut & Xenaïæ Hierapolitani, hæretico principi longe magis accepta fuit, quam Flaviani, qui quartam hanc ſynodum conſulto in ſynodica ſua omiſerat.

X. * * *

XI. Dionysius.

S. Simeon Stylita Junior poſtquam in monaſterio Pilæ ſub diſciplina Joannis alterius Stylitæ ſex annos egerat, ad eum archiepiſcopus Antiochiæ, Ephræmius utique, *& epiſcopus Seleuciæ* acceſſerunt, & ad altare adductum diaconum ordinaverunt; tum deinde ad columnam Joannis quadraginta pedibus altam deduxere, annos dumtaxat viginti natum. Poſt annos tredecim quum Simeon ſexcentis prodigiis ubique illuſtris fieret, diſcipulis aventibus ut de manu ejus ſacra myſteria acciperent, *Dionyſius Seleuciæ epiſcopus*, (ὁ δὲ τῶν ἐπίσκοπος τηνικαῦτα καὶ Σελευκείας ὁ Διονύσιος) Simeonis capiti, cum ſolitis

DIONYSIUS.

A orationibus, manus imponens, ſacerdotem ipſum conſecravit, *tertio & trigeſimo ætatis ipſius anno*, τρίτῳ τῆς ἡλικίας ἐπὶ τριακοστῷ ἔτει. Hic porro Dionyſius Seleuciæ Pieriæ epiſcopus an. 553. ſynodo quintæ generali adfuit, in qua teſtimonium dedit de Sergio epiſcopo Cyri, qui ob relatum in ſanctos Theodoretum, imo & Diodorum Tarſenſem, Theodorum quoque Mopſueſtenum, quin etiam Neſtorium uti martyrem, ſacerdotio abdicari meruerat. Cap. 79. Prati Spirit. Dionyſius ſacroſanctus & venerabilis epiſcopus Seleu-
B ciæ dicitur, ubi nempe miraculi cujuſdam mentio fit, quod ejus tempore ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cauſa acciderat.

XII. Antonius.

Ex vita eadem S. Simeonis Stylitæ Junioris diſcimus *Antonium* qui diſcipulus illius fuerat, ex monacho, preſbytero & monaſterii præfecto, *ab eodem datum eſſe epiſcopum Seleuciæ quæ magnæ Antiochiæ proxima eſt:* μετὰ δέ τινας χρόνους προεχειρίσατο αὐτὸν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος ἐπίσκοπον τῇ Σελευκείᾳ τῇ διακειμένῃ πλησίον
C Ἀντιοχείας.

XIII. Theodorus.

Theodorus Seleuciæ epiſcopus ipſe fuit à quo Joannes Moſchus cap. 79. Prat. Spirit. accepiſſe ſe teſtatur inſigne illud quod de divina Euchariſtia miraculum ibidem recitat.

XIV. Agapius.

In Jure Græco-Romano lib. 4. cap. 4. caput exſtat de Tranſlationibus epiſcoporum, in quo legitur *Agapius Seleuciæ Pieriæ epiſcopus*, Ἀγάπιος Σελευκείας Πιερίας, ad Hiero-
D ſolymorum ſedem tranſlatus, tempore Baſilii Imp. Porphyrogenneti. Apud Nicephorum Calliſtum Berrhœa Antiochiam tranſlatus dicitur; Doſitheus autem Hieroſolymitanus lib. 3. de Patriarchis Hieroſolymorum cap. 2. §. 4. ex Theodori Sebaſtiæ Chronico, qui res ſub Baſilio Imperatore Porphyrogenneto geſtas enarraverat, Agapium refert Seleuciæ Pieriæ epiſcopum à prædicto Imp. Baſilio factum eſſe Antiochenæ urbis Patriarcham: ἐπὶ Βασιλείου τοῦ Πορφυρογεννήτου καὶ τὴν ἀποστασίαν τοῦ Σκληροῦ λέγει ὁ Σεβαστείας Θεόδωρος
E (ὁ γράψας τὸ Χρονικὸν τοῦ αὐτοῦ Βασιλείου) ὅτι Ἀγάπιος ἀρχιεπίσκοπος Σελευκείας τῆς Πιερίας μετετέθη εἰς τὸ πατριαρχεῖον Ἀντιοχείας.

XV. Nicolaus.

Doſitheus idem Hieroſolymitanus ibid. lib. 10. cap. 10. ſcriptores Græcos recenſens, qui Latinæ eccleſiæ doctrinam aut mores carpſerunt, *Nicolaum* Seleuciæ commemorat, Seleuciæ Syriæ, ut puto, ſin vero Iſauriæ.

Digitized by Google

II. ECCLESIA BERRHŒÆ.

BERRHŒAM Syriæ condidit quoque Seleucus Nicator, Antiochiam inter & Hierapolim, ſeu potius inſtauravit & amplificavit, quum prius *Chalybon* appellaretur; unde circumvicina regio *Chalybonitis* vocabatur. Datum ſcilicet ei Berrhœæ nomen à Rege Macedone ob Berrhœam priſcam Macedoniæ civitatem. Ejus Strabo, Plinius, Ptolemæus, aliique Geographi meminere, ut & notitiarum compoſitores. Antiquum nomen apud indigenas Syros ſervavit, atque Arabes *Chalibam* dicunt, noſtri *Halep*. Celebris hodie civitas eſt, mercibus undequaque congeſtis abundans, metropolitica juriſdictione aucta.

EPISCOPI BERRHŒENSES.

I. S. Eustathius.

BERRHŒÆ primùm epiſcopus fuit *ſanctus Euſtathius,* qui ſubinde ad Antiochenam ſedem promotus fuit poſt Paulinum Tyri: Sidæ in Pamphylia natus. Hujus tranſlationis Euſtathii Berrhœa Antiochiam meminit Hieronymus in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum. Sozomenus lib. 1. hiſtor. cap. 2. *Epiſcopos,* ait, *Nicææ coactos, Euſtathium tum vita, tum doctrina præſtantem, dignum judicaſſe qui Apoſtolicam ſedem capeſſeret, eamque ob cauſam, quum Berrhœenſis epiſcopus eſſet, Antiochiam illum tranſtuliſſe.* Theophanes tranſlationem hanc ſanctiſſimæ ſynodi judicio firmatam dumtaxat indicat, ἐκύρωσεν, inquit: quum nempe ejuſmodi epiſcoporum ad ſedes alias migrationes priſtinis legibus vetitæ eſſent. Quocirca Euſtathius Berrhœenſis eſſe præſul deſiit vel anno 324. exeunte, vel 325. adulto.

II. Cyrus.

Euſtathio dubio procul ſuffectus fuit *Cyrus,* qui pro fide catholica, à Conſtantio Imperatore eccleſia ſedeque ſua ejici meruit. *Nonne,* ait Athanaſius in Apologia ad eumdem Conſtantium; *nonne Ancyra Marcellum luget?* Βεῤῥοία δὲ Κῦρον, *Berrhœa Cyrum.* Et in epiſtola ad ſolitarios Cyrum præſulibus illis accenſet, qui è ſuis urbibus ideo ſolum exturbati erant, quod hæreſim odiſſent, Aſclepas Gazæ, καὶ Κῦρος ὁ ἐν Βεῤῥοίᾳ τῆς Συρίας, *&* *Berrhœæ Syriæ Cyrus.* Georgius Arianicæ factionis epiſcopus Laodicenus Euſtathium Antiochenum à Cyro Berrhœenſi Sabelliani erroris aliquando palam accuſatum fuiſſe cauſatus eſt. Georgium refellit Socrates lib. 1. hiſt. cap. 18. Athanaſius vero Cyrum injuſtè proſcriptum doluit.

III. Meletius I.

Ex Sebaſtiæ in Armenia minore epiſcopo *Meletius Berrhœam Syriæ tranſlatus fuit,* εἰς Βέῤῥοιαν Συρίας μετετέθη, ac ſubinde Antiochiam poſt Seleucienſe concilium, Socrate teſte lib. 2. cap. 44.

IV. Anatolius.

Inter epiſcopos qui Antiocheno concilio, Meletio præſide, interfuerunt, ac ſynodicæ
A ad Jovianum Imperatorem ſubſcripſerunt, legitur Ἀνατόλιος Βεροίων (emendo Βεῤῥοιαίων) *Anatolius Berrhœenſium.* Hæc Socrates lib. 3. cap. 25. Chalcidenſis in Syria eccleſiæ preſbyter ante fuerat; Meletio proinde Antiochiam tranſlato ſubrogatus fuit. Ex illis quoque epiſcopis erat qui Antiochiæ Euſtathianos cum Meletianis reconciliare ſtudebant, ad quos ſynodi Antiochenæ data epiſtola an. 362. *Eubolus* dicitur, qui ipſe eſt *Anatolius Berrhœæ.*

B

V. Theodotus.

Berrhœenſis in Syria eccleſiæ curam gerebat *Theodotus* ſub Valente Imperat. Ariano, ut ex epiſtola 310. magni Baſilii conſtat, qua nempe ipſum amantiſſimè conveniebat, quod egregium ſinceriſſimæ fidei ejus argumentum eſt. Θεοδότῳ τῷ Βεῤῥοίας.

VI. Acacius.

Ab Euſebio Samoſatenſi qui ſub Valente Imperatore eccleſias Orientis clam luſtrabat & ordinabat, *Acacius* ex monacho epiſcopus
C Berrhœenſis conſecratus fuit, eccleſiamque ſuam quinquaginta annos curavit, monaſticæ tamen vitæ norma non omiſſa, ſed civili virtute temperata, ait Theodoretus in hiſtoria religioſa c. 2. qui & ejuſdem meminit lib. 5. hiſtor. eccleſ. cap. 4. Annon Acacius ille preſbyter & monachus, à quo Baſilius epiſtola 144. quæ eſt ad clerum Berrhœenſem, multa ſe didiciſſe ſcribit? Conſtantinopolitanæ ſynodo generali priori interfuit. Romam ſubinde ad Siricium Papam miſſus eſt, ut eccleſiam Romanam & Alexandrinam
D Flaviano tandem Antiocheno conciliaret; quippe cui ipſe cum Diodoro inprimis Tarſenſi manus impoſuerat contra pacta conventa quæ ſacramento confirmata fuerant: quæ fert Sozomenus lib. 6. cap. 21. Poſt vero graves in Joannem Chryſoſtomum inimicitias exercuit, & in conventu ad Quercum depoſitioni illius ſuffragatus eſt, unus è præcipuis procellæ hujus auctoribus. Anno 431. Neſtorii cauſam adverſus Cyrillum

Digitized by Google

ECCLESIA BERRHOEA.

Alexandrinum præfractè defendit, etſi propter ætatem Epheſum ad concilium generale venire non potuit. Anno 432. epiſcopi Orientis Theodoſii junioris Imperatoris nutu Berrhœam ad ipſum convenere, de reconciliatione tractaturi, quod negotium non niſi anno inſequenti confectum eſt. Quum circa annum 379. vel 380. epiſcopatu inito, quinquaginta & octo annos tenuerit, obierit oportet anno 437. producta vita ad centeſimum decimum ſextum. Nam anno 431. vel ſaltem 432. Orientis epiſcopi in ſua ad Theodoſium Imp. ſynodica ſcribebant. *Deo amantiſſimum atque ſanctiſſimum patrem & epiſcopum Acacium ſanctam ſynodum* (Epheſinam) *per litteras edocuiſſe, quod* (capitula Cyrilli) *Apollinarii impietati convenirent. Hæc verò nota eſſe viro qui 110. vitæ annos explevit, omnem verò vitam in Evangelicis certaminibus deſudando tranſegit, & ſynodis multis interfuit.* Legendi Theodoretus lib. 4. hiſt. c. 25. lib. 5. c. 2. hiſt. relig. Sozomenus lib. 7. c. 27. Palladius dial. de vita S. Joannis Chryſoſtomi, acta varia ad ſynodum Epheſinam ſpectantia.

VII. Theoctistus.

Acacio utique proximè ſucceſſit an. 438. *Theoctiſtus*, ad quem exſtant Theodoreti epiſtolæ duæ 32. & 135. qui adfuit ſynodo Domni Antiocheni in cauſa Athanaſii Perrhenſis, ac ſubindè concilio generali Chalcedonenſi, cujus decretis omnibus ſubſcripſit, ut & epiſtolæ ſynodi Syriæ primæ ad Leonem Imperatorem de eadem ſynodo Chalcedonenſi & nece Proterii Alexandrini, an. 458.

VIII. Antoninus.

Ex chronico Syriaco Dionyſii Jacobitarum Patriarchæ *Antoninus* Berrhœæ Syriæ epiſcopus, unus fuit illorum præſulum, qui quum Chalcedonenſem ſynodum admittere nollent, à Juſtino Imperatore anno 518. exulare juſſi ſunt. Aſſemanus diſſert. de Jacobitis. Tom. II. Bibl. Or. p. 327.

IX. Megas.

Inter Patres ſynodi Conſtantinopolitanæ, quæ, Menna Patriarcha præſide, anno 586. habita eſt, ſedit & ſubſcripſit *Megas Berrhæenſis*, Μέγας ἐπίσκοπος Βεῤῥοίας τῆς Συρίας, Latini tranſlatores *Magnum* dicunt. Antea ſubſcripſerat epiſtolæ epiſcoporum Orientis quam Agapeto Papæ miſerunt adverſus Severum Antiochenum, Petrum Apameenſem, Zoaram, & Anthimum C P. quæ Ephræmio Antiochenam eccleſiam regente, geſta ſunt. Ad ipſum Ephræmius, Photio teſte in Bibliotheca cod. 228. epiſtolam ſcripſit, πρὸς Μέγαν τὸν ἐπίσκοπον Βεῤῥοίας, qua evincebat Emmanuelem in naturis duabus exiſtere: τὸ ἐν δύο φύσεσι γνωρίζεσθαι τὸν Ἐμμανουήλ. Anno 540. quum Megas Antiochiæ moraretur, Antiocheni cives eum ad Coſroem Perſarum Regem, qui ipſorum urbem invadere properabat, deprecatorem miſerunt, qui illum à conſilio deterreret: quippè quum ſingularis prudentiæ vir eſſet ἄνδρα ξυνετόν; nil vero confecit. Procopius lib. 2. de bell. Perſ. c. 6. & 7.

X. Agapius.

Quem Seleucia Pieriæ ad Antiochenam ſedem tranſlatum *Agapium* diximus, ſub Baſilio Porphyrogenneto, hunc Nicephorus Calliſtus Berrhœa migraſſe refert l. 14. c. 39.

XI. Meletius II.

Circa ſæculi decimi-ſeptimi initia Haleppi metropolita ſedebat *Meletius*, qui poſtmodum Ignatio in Antiochena ſede ſucceſſit; ille eſt qui tum mutato nomine Euthymius II. dictus eſt.

XII. * * *.

Joſephus Beſſonus in libro quem Gallicè edidit inſcriptum *la Syrie ſacrée*, pag. 26. eximiam ſanctitatem prædicat Haleppenſis metropolitæ Græci, qui tempore Urbani Papæ VIII. ſedebat Catholicæ communionis amantiſſimus: cujus nomen utinam nobis innoteſceret.

XIII. Achijanes.

Ex diacono eccleſiæ Turianæ Haleppenſis, catholicæ religionis communionem amplexus eſt *Achijanes*, qui ſubindè Romam petiit, unde reverſus Surianorum epiſcopus Haleppenſis conſecratus eſt à Maronitarum Patriarcha. A Gentilibus ſuis ſchiſmaticis vexatus aliquantùm ſeceſſit; demùm revocatus, multa diu egit ut Surianos ſuos Romanæ ſedi addictos faceret, Beſſon. *Syr. ſacr.* p. 52.

XIV. Athanasius.
XV. Gerasimus.

Nuper ſedebat *Athanaſius* itidem Græcus qui ad Antiochenam ſedem tranſlatus fuit, à qua primum pulſus fuerat, & Haleppenſi metropolitana ſede donatus, niſi duo ejuſdem nominis epiſcopi ſibi invicem in Haleppenſi throno ſucceſſerint. Athanaſio ſuffectus eſt *Geraſimus* ex monaſterio Bellemonte Tripolitano aſſumptus; ſed throno ejectus fuit peſſimis Schiſmaticorum moliminibus, & in exilium relegatus, ob catholicæ communionis quod palam profeſſus eſt ſtudium.

XVI. Gregorius *ſchiſmaticus*.

Anno 1727. Haleppenſes in odium Sylveſtri Antiochenorum Patriarchæ ſchiſmatici, à Turcarum Sultano impetraverunt, ut Antiochenis non amplius ſubjacerent. Quod ut audivit Conſtantinopolitanus Patriarcha Halepum miſit *Gregorium* epiſcopum, ipſum quoque

Digitized by Google

quoque ſchiſmaticum, qui in ſede quam ſubripuerat quietus per tres annos egit. Anno A vero 1730. audita ejuſdem Sultani è ſolio deturbatione, Haleppenſes Gregorium pariter exauctorarunt.

XVI. Maximus *catholicus*.

Hodie ſedet *Maximus* catholicus, qui Halepi natus, in vicino monaſterio S. Joannis Græcorum S. Baſilii monachorum præpoſitus generalis fuit. Anno 1732. conſecratus fuit, ſpontanea Geraſimi renuntiatione, annuente pariter Cyrillo Patriarcha Antiocheno.

III. ECCLESIA CHALCIDIS.

Chalcis, Chalcidicæ ſeu Chalcidenes in Cœleſyria regionis fertiliſſimæ caput fuit; quæ regem habuit Herodem Herodis Agrippæ majoris Judæorum regis fratrem Joſepho teſte lib. 19. Antiq. cap. 5. Strabone vero, hanc cum Marſya & Ituræorum montanis obtinuerat olim Ptolemæus Mennæi filius. Chalcidenes meminit Plinius nec non Ptolemæus & alii, quibus Chalcis ad Belum ſeu fluvium, ſeu montem poſita erat, cujus mœnia vetuſtate infirma collapſaque cum exteriore muro Juſtinianus refecit. Procop. de ædif. lib. 2. cap. 11. In ſequioris ævi monumentis Græcis, & Patrum libris Χαλκηδὼν *Chalcedon* dicitur vel ſcribitur. Hanc civitatem habent notitia Hieroclis & antiqua altera. Sententia communis eſt Chalcidem ipſam eſſe quam Syri & Arabes *Kenneſrin* & *Canſaram* dicunt, faventque Antonini Itinerarium & Tabulæ Peutingerianæ.

EPISCOPI CHALCIDIS.

I. Tranquillus.

Tranquillum Chalcidis epiſcopum compertum nobis fecit Auctor libri *de Hæreſibus*, qui & *Prædeſtinatus* dicitur. Nam hæreſi 30. quæ eſt *Noëtianorum*, de Noëto ait: *hic damnatus eſt à Tranquillo epiſcopo Chalcedoniorum Syriæ.* B

II. Thelaphius.

In ſubſcriptionibus ſynodicæ Arianorum, qui à Sardicenſi concilio Philippopolim in C Thracia receſſerunt, legitur *Thelaphius à Chalcedonia*, Syriæ utique, ſiquidem Chalcedonis in Bithynia epiſcopus erat *Maris* Arianicæ itidem factionis.

III. Magnus.

Adſuit concilio Antiocheno Meletii anno 364. ejuſque ad Jovianum epiſtolæ ſynodicæ ſubſcripſit Μάγνος Χαλκηδόνος *Magnus Chalcedonis*, Socrate teſte lib. 3. hiſt. cap. 25. D In hiſtoria Tripartita Latine dicitur *Magnus Chalcidenſis*. Plane in vivis adhuc ſuperſtes erat Maris Chalcedonis.

IV. Eusebius.

Tempore Valentis Imperatoris *Euſebius* vir apprime catholicus ab Euſebio Samoſatenſi clam conſecratus eſt epiſcopus, ut fert Theodoretus lib. 5. hiſt. cap. 4. Ejus nomen exſtat in indice Latino Patrum ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis prioris, *Euſebius Chalcidenſis*. Marcianum ſolitarium ab eo viſitatum narrat Theodoretus idem hiſt. relig. cap. 3. pag. 789.

V. Apringius.

Ad ſynodum generalem Epheſum cum Joanne Antiocheno venerat *Apringius* Chalcedonis, ſed cum eodem Joanne & Orientalibus aliis ſeceſſit, variiſque pro Neſtorio decretis ſubſcripſit: quin delegatus à ſuis fuit ut cum Joanne & aliis quibuſdam ejuſdem factionis Conſtantinopolim ſuorum cauſam defenſurus pergeret; nec non ut pro Alexandro Apameæ verba faceret. Rebus ſubinde Cyrillum inter & Joannem compoſitis, quum nihil ultra adverſus fidem tentaſſet, diem obiit. Acta ſyn. Eph. col. 747. Collect. ex Synodico Irenæi cap. 23. Acta Latina Baluzii coll. 448. & 507.

VI. Antonius.

Apringio ſucceſſit *Antonius*, ultra modum catholicus præſul, ſi Alexandro Hierapolitano Neſtoriano fides habeatur, ceu qui Antiochiæ *in eccleſia ſancti Zachæi Deopaſſianam hæreſim* aperte prædicaverit, ceu Deum carne paſſum, ſincero & orthodoxo ſenſu. Collectio ex Irenæo, epiſtola 147. Alexandri ad Theodoretum.

VII. Jamblicus.

In ſynodo Antiochena Domni archiepiſcopi, in qua Athanaſii Perrhenſis cauſa judicata eſt, *Jamblicus Chalcidis* ſedit. Act. Concil. Chalcedon. col. 728.

VIII. Romulus.

Adſuit concilio Chalcedonenſi *Romulus* Chalcidenſis, at pro eo ſubſcripſit *Maras Anaſarthæ* Ῥώμυλος ἐπίσκοπος Χαλκίδος ὁσίως

ECCLESIA CHALCIDIS.

ὑπέγραψα χειρὶ Μαρᾶ τοῦ ἐπισκόπου Ἀνασαρθῆς. *Romulus Epiſcopus Chalcidis definiens ſubſcripſi per manum Maræ epiſcopi Anaſarthæ.* A

IX. Domnus.

Epiſtolæ epiſcoporum primæ Syriæ ad Leonem Auguſtum de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcripſit *Domnus epiſcopus Chalcidis.*

X. Romanus.

Sub Zenone Imperatore Chalcidenſis B epiſcopus fuit *Romanus,* qui ſua ſede à Petro Cnapheo Antiochenæ eccleſiæ tyranno pulſus eſt, ut fert Theophanes ad annum 477. ceu vulgaris æræ 485. quo Petrus Mongus alter Alexandriæ eccleſiæ invaſor interiit. καὶ Ῥωμανὸν Χαλκηδόνος, *& Romanum Chalcedonenſem*, ut vertit olim Anaſtaſius, non Chalcedonis Bithyniæ, ſed *Chalcidis:* quandoquidem de abdicatis Syriæ epiſcopis ſermo eſt.

XI. Isidorus.

Dionyſio Jacobitarum Patriarcha teſte, *Iſidorus* epiſcopus Kenneſrin, ſive Chalcidis, qui ſub Anaſtaſio Imperatore ſederat, ob Severi Antiocheni hæreſim quam mordicus tenebat, ex ſede & urbe pulſus eſt Juſtini Imperatoris edicto anno 518.

XII. Domitius.

Concilio quinto generali aderat *Domitius* epiſcopus *Chalcidis*, Syriæ utique, quippe qui proxime poſt Ætherium Anazarbi ſubſcripſit, qui Antiochenæ diœceſis antiſtes erat.

XIII. Probus.

Sæculo ſexto labente Chalcidenſium epiſcopus creatus fuit *Probus,* quem ſtatim atque conſecratus eſt, ad Coſroëm Perſarum regem Mauritius Imp. delegavit: unde mira quædam retulit, quæ Theophylactus Simocata in hiſtoria recitat lib. 5. cap. 15.

IV. ECCLESIA ANASARTHÆ.

ANASARTHAM vel *Onoſartham* neſciunt notitiæ Græcæ veteres, præterquam recentior Nili Doxapatrii: neſciunt & Geographi antiqui; cujus tamen epiſcopi duo occurrunt in geſtis Conciliorum.

EPISCOPI ANASARTHÆ

I. Maras.

IN ſynodo Chalcedonenſi adfuit & ſubſcrip- C ſit *Maras Anaſarthæ epiſcopus,* pro ſe & pro Romulo Chalcidis, de quo ſupra, ubi *Anaſartha* paſſim ſcribitur, χειρὶ Μαρᾶ τοῦ ἐπισκόπου Ἀνασαρθῆς, *manu Maræ epiſcopi Anaſarthæ.*

II. Cyrus.

Epiſtolæ ſynodi epiſcoporum Syriæ primæ ad Leonem Imp. ſubſcriptus legitur, *Cyrus epiſcopus Onoſarthæ.*

V. ECCLESIA GABBENSIS.

GABBAM vel *Gabbum* ignorant prorſus notitiæ veteres Græcæ; Ptolemæus quoque & Strabo. Plinius vero lib. 12. cap. 17. Gabbæ civitatis meminit, quæ Carris dierum 20. itinere diſtaret: *His commerciis Carras oppidum aperuere, quod eſt illis nundinarium. Inde Gabbam omnes petere ſolebant, dierum 20. itinere, & in Palæſtinam Syriam.* Quibus urbem nundinis opportunam in Syria poſitam innuit. In Conciliorum vero geſtis quæ Latine exſtant, *Gabbeni* epiſcopi duo occurrunt, qui & in codicibus aliquot *Gabuleni* dicuntur: ubi cavendum ne pro Gabalenſibus accipiantur, de quibus proxime & in provincia Syriæ ſecundæ.

EPISCOPI GABBENSES.

I. Bassianus.

INter epiſcopos Nicænæ ſynodi, de provin- E cia Syriæ legitur *Baſſonus* ſeu *Baſſianus Gabbenus:* quidam codices habent *Gabulenus.*

II. Severus.

In ſubſcriptionibus epiſtolæ conventus Philippopolitani adverſus ſynodum Sardicenſem legitur *Severus epiſcopus à Gabula,* ut Gabbenſi ſeu Gabulenſi eccleſiæ præfuerit.

III. Petrus.

Synodo Chalcedonenſi adfuit & ſubſcripſit Πέτρος ἐπίσκοπος Γαβουλῶν, *Petrus epiſcopus Gabulæ.* Latini codices paſſim *Petrus epiſcopus Gabbi, Petrus Gabbenus, & Petrus Gabulæ.* Epiſtolæ quoque epiſcoporum primæ Syriæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini & concilii Chalcedonenſis auctoritate, ſubſcripſit *Petrus epiſcopus Gabbi.*

Digitized by Google

VI. ECCLESIA GINDARI.

GINDARUS Ptolemæo cenſetur inter oppida ultra Antiochiam poſita: Plinio lib. 5. cap. 23. eſt in Cyrrheſtica ejuſve finibus, quam latronibus aptum fuiſſe receptaculum ait. Joannes vero Malalas Antiochenus part. 2. Chronographiæ in Theodoſio I. pag. 42. eo quo Antiochus cognomento Chuzon præfectus prætorio Orientis erat tempore, Gindarum, Lytargum aliaque multa oppida Syriæ ruſtica mœnibus cincta eſſe narrat: ἐν ἐκείνῳ δὲ τῷ καιρῷ ἔλαβε τεῖχος, καὶ Γίνδαρος, καὶ τὸ Λύταργον, καὶ ἄλλαι πολλαὶ κωμοπόλεις τῆς Συρίας. Pag. 188. Gindarum Syriæ primæ fuiſſe urbem declarat, ubi narrat venerandas S. Maximi Martyris reliquias, quæ in prima Syria extra Gindarum civitatem ſepultæ erant, εἰς τὴν πρώτην Συρίαν ἔξω τῆς λεγομένης Γινδάρου πόλεως, revelatas fuiſſe τῷ περιοδευτῇ diæceſis luſtratori, & inde ad S. Juliani extra Antiochiæ muros tranſlatas.

EPISCOPI GINDARENSES.

I. PETRUS.

INter epiſcopos Antiochenæ ſynodi quæ anno 341. habita eſt, in Latinis codicibus legitur *Petrus Gindarenſis:* ut proinde oppidum hoc ante Theodoſii magni tempora proprio paſtore potitum ſit.

VII. ECCLESIA LAODICEÆ.

LAODICEA, quæ ad mare dicitur, provinciæ Theodoriadis metropolis eſt in notitia veteri Græca, quæ provincia non niſi circa ſæculi ſexti medium à Juſtiniano Imperatore inſtituta eſt ob uxorem ipſius Theodoram, velut ex Joannis Malalæ Chronico comperimus. Prius vero unus è primæ Syriæ epiſcopatibus erat, nec inter metropoles eccleſiaſticas cenſebatur, etſi à Septimio Severo, eodem Malala aliiſque fide dignis teſtibus, metropolitica jura adverſus Antiochiam obtinuerit, omni imperii illius tempore, καὶ δίκαιον μητροπόλεως παρέσχε τῇ αὐτῇ πόλει τὸν χρόνον τῆς βασιλείας αὐτοῦ. Quocirca quum Leo Auguſtus ſingularum Orientis provinciarum metropolitis ſcriberet de nece S. Proterii Alexandrini, ſacras litteras ſuas Laodiceæ epiſcopo dediſſe reperitur: Maximus vero Laodiceæ ſubſcripſit epiſtolæ ſynodi Syriæ primæ ad eumdem Imperatorem. Quinimo incertum ſatis eſt an ab inſtitutione Theodoriadis Laodicenus præſul metropoliticis juribus aliquando potitus ſit, quamlibet metropolitam ſemet appellaret. At certè Malalas teſtatur *in Juſtiniano* pag. 183. Patriarchæ Antiocheno metropolitica jura in Laodiceam intacta manſiſſe, quum provincia hæc nova inſtitueretur. ὁ δὲ αὐτὸς βασιλεὺς ἀπεμέρισεν ἀπὸ Ἀντιοχείας τῆς πρώτης Συρίας Λαοδίκειαν, καὶ Δάβαλα (lege Γάβαλα) καὶ Πάλτον τὰς πόλεις καὶ ἀπὸ Ἀπαμείας τῆς δευτέρας Συρίας Βαλανέαν πόλιν, καὶ ἐποίησεν ἐπαρχίαν ἰδίαν τινα ἐπονόματι Θεοδωριάδα, δοὺς αὐτῇ καὶ τὸ μητροπολιτικὸν δίκαιον. τὸν δὲ ἐπίσκοπον Λαοδικείας οὐκ ἐλευθέρωσε τοῦ ὑποκεῖσθαι τῷ πατριάρχῃ τῆς Ἀντιοχέων πόλεως.

Quod Laodiceam urbem ſpectat, Plinius lib. 5. cap. 20. hanc in promontorio poſitam ſcripſit. *Promontorium eſt,* inquit, *in quo Laodicea libera.* Straboni Antiochia apud Daphnen, Seleucia in Pieria, Apamea, & Laodicea ad mare *maximæ urbes quatuor, propter concordiam ſorores dicebantur, à Seleuco Nicatore conditæ.* Atqui Laodiceam à Nicatoris matre Laodicea nominatam tradit, ſubditque: *Civitas optime ſita eſt, & portuoſa, locum habens præter cæteram feracitatem, vino aptum: unde maximam vini partem Alexandrinis præbet, quum montem habeat ſibi imminentem, &c.* Libertatem à Julio Cæſare obtinuit à quo & *Julia* nuncupata eſt. Juris Italici colonia facta eſt à Severo Auguſto, ademptis Antiochiæ prærogativis, ob illius urbis ad Peſcennium Nigrum defectionem; quum alioqui Laodicenſes adverſus Nigrum arma ſumpſiſſent: quin & Laodicenſes *Septimios* dici voluit. Non omittendum Laodiceæ diœceſim ad Antiochiæ pomaria protenſam fuiſſe, ad Daphnen ſcilicet; quando quidem Epiphanius hær. 73. *Georgium Laodiceæ & Daphnes epiſcopum* dicit: Λαοδικείας καὶ Δάφνης ἐπίσκοπον.

EPISCOPI LAODICEÆ.

I. LUCIUS.

DOROTHEO Tyrio, utinam meliori auctore, *Lucius* cujus meminit Paulus ad Rom. 16. v. 2. Laodiceæ primus epiſcopus fuit, quem Menologia Græcorum ſequuntur, illudque inprimis vetus quod tom. 2. Antiq. Lect. Caniſii Latine editum eſt, in quo memoria ejus aſſignatur ad diem 22. Aprilis.

Digitized by Google

ECCLESIA LAODICEÆ.

II. Thelymidres.

Dionyſius Alexandrinus epiſtolam ad fratres Laodiceæ ſcripſit, *quibus præerat Thelymidres epiſcopus*, ὧν προέστατο Θηλυμίδρης ἐπίσκοπος, ait Euſebius lib. 6. hiſt. cap. 46. qui ſuperfuit Decianæ perſequutioni.

III. Heliodorus.

IV. Socrates.

Thelymidri defuncto ſucceſſit *Heliodorus*, apud Euſebium lib. 7. hiſt. cap. 5.

Heliodorum ſequutus eſt *Socrates*, Euſebio iterum teſte lib. 7. cap. 32.

V. Eusebius.

Dionyſius Alexandrinus *Euſebium* diaconum patria Alexandrinum eccleſiæ ſuæ conſecravit, qui graſſante lue ſanctis confeſſoribus ſtrenuè miniſtravit: hunc propterea in ſuis ad Germanum epiſcopum litteris admodum commendabat, quarum excerpta recitat Euſebius lib. 7. c. 11. Poſthac autem, in Syriam quum veniſſet, ut Pauli Samoſateni hæreſi proſcribendæ operam daret, ab illius regionis fidelibus redire domum cohibitus eſt, ac ſubinde Laodicenæ eccleſiæ præfectus, *amabilis religionis theſaurus*, ἐπέραστόν τι θεοσεβείας χρῆμα. Quocirca τῆς ἐν Λαοδικείᾳ παροικίας ἡγήσατο μετὰ Σωκράτην Εὐσέβιος, *poſt Socratem Laodiceæ epiſcopus fuit Euſebius*: cujus præclare geſta Cæſarienſis recitare pergit cap. 32. Hunc vero in Chronico ad annum Abrahami 2290. Domini item 276. claruiſſe ſub Aureliano prodit.

VI. Anatolius.

Sub Probo & Caro principibus, Laodiceæ epiſcopus ſedit *Anatolius* præſulis optimi optimus ſucceſſor datus, διάδοχος ἀγαθὸς φασὶν, ἀγαθοῦ καθίσταται, cujus præclaras laudes Cæſarienſis eodem cap. 32. lib. 7. perſequitur. Hic perinde atque Euſebius Alexandria in Syriam migraverat, vir liberalibus diſciplinis eximiè doctus, qui ab Alexandrinis ſuis rogatus, Ariſtotelicæ ſucceſſionis ſcholam illic conſtituerat. Preſbyter à Theotecno Cæſarienſi ordinatus erat, qui ſperaret fore ut ſucceſſor ſuus eſſet; ſed Antiochiam ad ſynodum pergens quæ Pauli Samoſateni cauſa cogebatur, quum Laodicea tranſiret, à fratribus detentus fuit, ut defuncto nuper Euſebio, ſubrogaretur. Legendus de eo Euſebius, nec non Hieronymus in catalogo ſcript. Eccl. Euſebius in Chronico Anatolium anno 1. Probi claruiſſe fert, circa Chriſti 280.

VII. Stephanus I.

Anatolii ſucceſſor immeritus fuit *Stephanus*, qui quum Philoſophiæ ſe ſtudioſiorem præbuiſſet, in perſequutione Diocletiani Chriſtum impie ejuravit. Euſebius l. 7. c. 32.

A VIII. Theodotus.

Poſt Stephanum apoſtatam *Theodotus* arte medicus, vir egregiis, ſi ſua ſit Euſebio fides, dotibus & virtutibus ornatus, quæ Chriſti ovium paſtorem & animarum curatorem decerent, rerum item divinarum peritiſſimus, Laodicenam eccleſiam ſuſcepit adminiſtrandam. Hæc aliaque Euſebius totus in ejus laudes effuſus lib. 7. cap. 32. ex quo primitùs Martyrologium Romanum ad diem 2. Novembris. *Laodiceæ in Syria S. Theodoti*
B *epiſcopi qui non ſolum verbis, ſed rebus & virtutibus fuit ornatus.* Quæ pauca ſumpta ſunt ex Bedæ Martyrologio, quod Adon quoque exſcripſit, & in quo iſtæc adduntur: *Hic arte medicus fuit, ſed ad animarum à Domino tranſlatus eſt medicinam, verè incomparabilis, qui ſuper omnes penè homines, fide, miſericordia, vigilantia, atque omnibus optimis inſtitutionibus claruit, in ſcripturis quoque divinis laborem quamplurimum geſſit. Quievit in ſenectute bona.* Quæ ex Euſebii Latina tranſlatione veteri quam Ruffinus elaboravit, ver-
C bum è verbo accepta ſunt. Neſciverunt vero illi Martyrologiorum conſarcinatores, Theodotum hunc Laodicenum ipſum eſſe quem Theodoretus lib. 5. cap. 7. hæreſis Arii patronis præcipuis accenſet, & ejus ſucceſſorem Georgium: quem Arius ipſe epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem apud Theodoretum lib. 1. cap. 5. erroris ſui ſocium prædicat: ad quem Gelaſius Cyzicenus lib. 3. de concil. Nic. cap. 3. ſcriptam à Conſtantino epiſtolam ait, qua hortabatur Imperator ut hæreticam mentem mutaret. Atqui inter Patres Nicæ-
D nos Theodorus Laodicenus reperitur, at legendum prorſus *Theodotus;* quamlibet in ſubſcriptionibus canonum Antiochenorum perinde *Theodorus Laodicenus* legatur. Nam Theodoretus lib. 1. cap. 21. Theodotum Laodicenum Arianicæ impietatis & factionis reum denuò peragit, qui cum Euſebio Cæſarienſi, Patrophilo Scythopolitano, & Aëtio Lyddæ, aliiſque hæreticis pervicaciſſimis ſanctiſſimum Euſtathium Antiochena ſede ejecerit. Cæterum Socrates lib. 2. c. 36. narrat Apollinarem utrumque, patrem atque
E filium ob nimiam cum Philoſopho gentili quodam conſuetudinem à Theodoto eccleſia pulſos. Ex quibus apparet eum ad annos triginta ſaltem epiſcopatum duxiſſe.

IX. Georgius *hæreticus*.

Georgius Alexandrinæ quondam eccleſiæ preſbyter, cujus epiſtolas duas ad Alexandrum pontificem ſuum Athanaſius refert, puræ putæ Arianicæ impietatis plenas, ob

Digitized by Google

hæreſim cui impenſe favebat, ab Alexandro archiepiſcopo gradu dejectus, in Syriam ſeceſſit, ubi ad Laodiceæ ſedem provectus eſt, hæreticorum, teſte Athanaſio in apologia de vita ſua, *reliquorum peſſimus*, καὶ νῦν αὐτός ἐστιν ἐν αὐτοῖς πονηρότατος. Ad ſynodum Sardicenſem profectus, ei ſe ſiſtere auſus non eſt. Quamobrem Patrum ſententia epiſcopatu privatus fuit, in eo multorum epiſcoporum conventu, in quo Meletius Antiochenæ eccleſiæ præſul inſtitutus fuit. Georgius Laodicenus primus coram Imperatore verba faciens inſuave erroris ſui virus evomuit; Theodoretus lib. 2. cap. 27. Cæterum in ſynodo Seleucienſi, relictis Georgio Alexandrino, Acacio Cæſarienſi, & aliis qui ad Arii mentem propiùs accedere videbantur, illis adhæſit qui Semi-Ariani audierunt, Silvano Tarſenſi, Baſilio Ancyrano, Eleuſio Cyzici, &c. quod Epiphanius tradit hær. 73. ubi dicitur epiſcopus *Laodiceæ & Daphnes Antiochiæ*, Λαοδικείας καὶ Δάφνης Ἀντιοχείας. Sozomenus item lib. 4. cap. 20. Quam Georgii inconſtantiam Apollinaris taxavit, quum ab illo communione amotus eſſet. Quantum capio à meris Arianis ille diſcrepare cœpit, quum Eudoxius Anomœorum cum Aëtio impio auctor Antiochenam ſedem Conſtantii Imp. opera occupaſſet. Tunc enim Ancyram ad ſynodum veniens, quam Baſilius ejuſdem urbis præſul eccleſiæ ſuæ dedicandæ cauſa celebrabat, epiſtolam ſcripſit qua Eudoxium execrabilis Aëtii diſcipulum eſſe, dogmaque illius fovere ſignificabat, eumque cum illis ab eccleſia excludendum. Quæ in cauſa fuerunt cur Philoſtorgius impurus Anomœus Georgium Laodicenum inter Ὁμοουσίων *conſubſtantialis* profeſſores habuerit. Ejus eruditionem ſcripturarum & ſæculi valde commendat Hieronymus in ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Diem obierit oportet ante annum 363. quo Pelagius ejus ſucceſſor ſedebat.

X. PELAGIUS.

Orthodoxæ fidei alumnus *Pelagius* Laodiceæ epiſcopus fuit, tametſi ab Acacio Cæſarienſi, Philoſtorgio teſte, ordinatus. Qui verbum eſſe Patri conſubſtantiale profeſſus eſt, epiſtolæ ſubſcribens ſynodi Antiochenæ ad Jovianum Imper. apud Socratem lib. 3. cap. 21. quod rurſum præſtitit ſub Valente Auguſto in ſynodo Tyanenſi, cui & ipſe interfuit, ex Sozomeno lib. 6. cap. 12. Unus inſuper fuit Patrum primæ ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis, ita ut ei ac Diodoro Tarſenſi injunctum munus ſit Orientis eccleſias luſtrandi. Ejus porro nomen in eorumdem Patrum ſubſcriptionibus omiſſum non eſt. Ad hæc anno 377. ſynodi ampliſſimæ Antiochenæ litteris, ſeu expoſitioni fidei ad A Damaſum Papam perinde ſubſcripſerat. Ejus annua memoria eſt in Martyrologio Romano die 25. Martii: *Laodiceæ S. Pelagii epiſcopi, qui ob fidem catholicam tempore Valentis exilium & alia paſſus quievit in Domino*. Quæ tot ille paſſus eſt, legenda apud Theodoretum.

XI. APOLLINARIS *hæreticus*.

Laodicenæ quidem eccleſiæ preſbyter *Apollinaris* fuit, quem, ejuſque parentem, Theodotus, ut diximus, Laodicenus, gradu abſtinere juſſerat ob nimiam cum gentili B quodam Philoſopho familiaritatem, ejuſque deinceps ſucceſſor Georgius, alio tamen titulo, quod nempe Apollinarem filium Athanaſii magni ſtudioſiorem compererat. Cæterum Hieronymus in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, Apollinarem ſenioris filium, qui auctor hæreſis fuit, Laodiceæ in Syria epiſcopum facit; quem certè apprime ipſe noverat, & litteras ſacras enarrantem audierat. *Apollinaris Laodicenus Syriæ epiſcopus*, inquit, vel, ut Sophronius Græcè reddidit, Ἀπολινάριος Λαοδικείας τῆς Συρίας C ἐπίσκοπος. Concinit & Epiphanius; Nemeſius quoque ejus æqualis initio libri *de natura hominis*, Ἀπολινάριος ὁ τῆς Λαοδικείας γενόμενος ἐπίσκοπος. *Apollinaris qui Laodiceæ epiſcopus fuit*. Ruffinus inſuper, ut recentiores alios omittam, lib. 2. hiſt. cap. 20. *Apud Laodiceam Syriæ, ante idem tempus* (Theodoſii) *Apollinaris epiſcopus, vir ſane in cæteris inſtructus, &c.* At valde operoſum eſt definire quandonam Laodicenæ eccleſiæ præpoſitus ſit, niſi quo tempore Valentis juſſu Pelagius ſua ſede pulſus erat, aut veluti Paulinus D Antiochiæ adverſus Meletium datus erat epiſcopus, ita adverſus Pelagium Apollinaris, ut pote ab Acacio Cæſarienſi ordinatum. Quod pluribus in urbibus Orientis factitatum ex Ruffino diximus aliàs. Verum Apollinaris à Paulino Antiocheno ordinari non potuit, quippe quum inviſus eſſet Epiphanio Cypriorum metropolitæ Paulini ſtudioſiſſimo. Quid ſi epiſcopi quidam Apollinaris erraticam opinionem amplexi, hunc Laodicenis hæreſis ſuæ alumnis, abſente, aut invito Pelagio epiſcopum dederint, uti ſubinde Vitalem! E Theodoretus lib. 5. cap. 4. innuere videtur Apollinarem epiſcopatu ad quem deſignatus ſolum eſſet, *excidiſſe*. Ἀπολινάριος δὲ τῆς τῶν ἐκκλησιῶν ἡγεμονίας διαμαρτών.

XII. ELPIDIUS.

Theodoretus libro 5. capite 27. *Elpidium* Laodicenum cum Meletio Antiocheno vixiſſe ait, cujus omnem vitæ rationem in ſe, velut expreſſum in cera ſigillum repræſenta-

ECCLESIA LAODICEÆ.

bat: tempore vero Arcadii Imperatoris Laodicenam eccleſiam adminiſtraſſe quum divino A Pelagio ſucceſſiſſet. Cæterum Palladius in dialogo de vita ſancti Joannis Chryſoſtomi pag. 479. Elpidium Laodiceæ epiſcopum mente & canitie ſenem, canonum ſcientiſſimum & obſervantiſſimum Imperatori Arcadio ſuaſiſſe fert, non licere Joannem Byzantina ſede indicta cauſa ejici. Alioqui vero oportere Acacium Berrhœæ & Antiochum Ptolemaïdis ſubſcribere ſe ejuſdem eſſe fidei ac illos qui Antiochenum canonem ediderant, cujus auctoritate Joannem expellendum contenderent. Id quod, annuente conſiliis ejus B principe, in miras illos anguſtias redegit: quippe quum canon ille in ſynodo Antiochena ab Arianis editus eſſet. Poſthac vero adverſarii Joannis egerunt, *ut Elpidius* ὁ μέγας Λαοδικείας *magnus ille Laodiceæ epiſcopus, cum Pappo altero Syriæ epiſcopo, per totum triennium de ſcala domus ſuæ non deſcenderint, orationibus interim vacantes.*

XIII. Macarius.

Ex variis geſtis quæ ad ſynodum Epheſinam ſpectant, apparet *Macarium* Laodiceæ C Antiocheno Joanni ſe cum aliis Orientalibus adjunxiſſe adverſus Cyrillum Alexandrinum & legitimum concilium, à quo proinde cum ſociis communione privatus fuit, Μακάριος Λαοδικείας τῆς μεγάλης, *Macarius Laodiceæ magnæ.* Subſcriptus legitur epiſtolæ ſynodi Joannis Antiocheni & Orientalium ad Hierapolis eccleſiam, & rurſum alteri ad Antiochenam. Ipſe quoque unus fuit eorum quos eadem ſynodus Joanni Antiocheno Conſtantinopolim pergenti comites deſignavit, ubi verba feciſſe dicitur pro Cyro Tyri epiſcopo. D Anno 432. adfuit ſynodo Antiochenæ in qua de eccleſiarum pace ſarcienda actum eſt, nec ipſe tandem à pace alienus fuit. Legenda collectio ex Tragœdia Irenæi cap. 53. Adfuit ſubinde concilio Chalcedonenſi, cujus decretis ſubſcripſit act. præſertim 6. per Euſebium Antiochiæ preſbyterum, Μακάριος ἐπίσκοπος Λαοδικείας, ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Εὐσεβίου πρεσβυτέρου Ἀντιοχείας. Atqui Macarius non ita pridem epiſcopatum inierat, quando ob recens ortam Neſtorii hæreſim Joannes Antiochenus ſynodum quorumdam epiſco- E porum habuit. Nam quum in ſua ad Neſtorium epiſtola ſingulorum qui ſecum convenerant, nomina efferret, poſtremum nominat *Macarium qui per Dei gratiam Laodicenæ eccleſiæ nuperrime præfectus fuerat*, καὶ τοῦ νεώτατον τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι προβληθέντος τῇ Λαοδικέων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ ἐπισκόπου Μακαρίου. Quocirca primus epiſcopatus ejus annus fuerit 429.

XIV. Maximus.

In ſubſcriptionibus epiſtolæ epiſcoporum primæ Syriæ ad Leonem Imperatorem proxime poſt Baſilium Antiochenum ſequitur *Baſilius epiſcopus Laodiceæ*, nec non in ſubſcriptionibus aliis quæ decreto ſynodico Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis ſubjiciuntur: Μάξιμος ἐπίσκοπος μητροπόλεως Λαοδικείας Συρίας, *Maximus epiſcopus metropolis Laodiceæ Syriæ.* Sed ſuſpecta mihi vox eſt μητροπόλεως, quæ Laodiceæ ante Juſtiniani tempora non ſatis conveniebat.

XV. Nicias *hæreticus.*

Anaſtaſio imperante, *Nicias* hæreticus, Chalcedonenſis ſynodi adverſarius, & Xenaiæ ſeu Philoxeni Hierapolitani adverſus Flavianum Antiochenum factionis ſocius, Laodiceæ epiſcopatum tenuit, καὶ Νικίας ἐπίσκοπος Λαοδικείας τῆς Συρίας. Sic monachi Palæſtinæ ad Alciſonem apud Evagrium lib. 3. hiſt. cap. 31.

XVI. Constantinus *hæreticus.*

An. 510. *indict. III. Boëtio ſolo coſ. Conſtantinus olim magiſter militiæ epiſcopus Laodiceæ ordinatus eſt*, inquit Marcellinus comes. Themiſtius hæreticorum Agnoëtarum princeps adverſus quædam ejus ſcripta calamum ſtrinxit, ut colligitur ex fragmento quod lectum eſt ſecretario quinti concilii Lateranenſis ſub Martino I. ἐκ τῶν πρὸς τὰ Κωνσταντίνου ἐπισκόπου Λαοδικείας, *ex libro hujus Themiſtii adverſus ſcripta Conſtantini epiſcopi Laodiceni.* Etſi vero Conſtantinus hic veram fidem adverſus Agnoëtas defendebat, nihilominus tanquam hæreticus qui Chalcedonenſem ſynodum repudiaret, damnatus fertur in epiſtolis quarta & quinta, quas Vigilius Papa Juſtiniano Imperatori & Mennæ Conſtantinopolitano ſcripſit. *Hæreticis inferius comprehenſis, id eſt Severo Eutychiano, Petro Apameno, Anthimo, qui etiam eccleſiam Conſtantinopolitanam prava ambitione pervaſerat, Zoaræ, ſed & Theodoſio Alexandrino, & Conſtantino Laodicenſi, & Antonio Verſentano.* Dionyſius Jacobitarum Patriarcha, & Barhebræus in chronicis ſuis hunc inter præcipuos Monophyſiticæ ſuæ hæreſis patronos habent, quem idcirco Juſtinus I. Imp. Laodicena ſede extruſit an. 518. In Kalendario Jacobitarum ejus memoria aſſignatur ad diem 26. Junii. Vid. to. 2. Bibl. Orient. pag. 327.

XVIII. Stephanus II.

Quintæ ſynodo generali interfuit an. 553. *Stephanus religioſiſſimus epiſcopus Laodiceæ, ſive Theodoriadis.* In ſubſcriptionibus vero, *Stephanus, miſericordia Dei, epiſcopus Laodiceæ metropoleos Theodorianorum provinciæ.*

Digitized by Google

VIII.

ECCLESIA GABALORUM.

GABALA τὰ Γάβαλα Straboni, nomine plurali, aliis ſingulari feminina: Plinio *Gabale* dicitur, Ptolemæo vero Γάβαλα; in monumentis eccleſiaſticis pluralis vox eſt, non ſingularis. Theodoretus hiſt. relig. cap. 28. Thalelæum ait collem excelſum habitaſſe viginti ſtadiis Gabalis diſtantem, Γαβάλων, quam urbem parvam quidem ſed amœniſſimam eſſe ſubdit, πόλις αὕτη μικρὰ καὶ χαριεστάτη. Laodiceam inter & Paltum ad mare poſita eſt Ptolemæo: ubi apprime diſtinguenda eſt ab alia ejuſdem fere nominis, quam Ptolemæus idem in Phœnicia mediterranea collocat. Gabala in notitia Hieroclis ad Syriam primam ſpectant, ut in actis ſynodorum, in veteri Græca ad Theodoriadem. *Gibel* dicitur Willelmo Tyrio.

EPISCOPI GABALORUM.

I. ZOILUS.

IN indice Patrum concilii Nicæni de provincia Syriæ, *Zoïlus* Gabalenus.

II. SEVERUS.

Epiſtolæ conventus Philippopolitani Arianicæ factionis ſubſcripſit *Severus epiſcopus à Gabula,* lego *Gabala.*

III. EUSEBIUS.

Inter epiſcopos Syriæ Cœles qui ſynodo generali Conſtantinopolitanæ priori interfuerunt, legitur *Euſebius Gabalenſis.*

IV. SEVERIANUS.

Euſebio utique ſucceſſit *Severianus,* ſuis erga Joannem Chryſoſtomum ſimultatibus famoſiſſimus, vir non indoctus, cujus ingenii monumenta aliquot ſuperſunt hodie. Cæterum quum Græcè loqueretur uti Græcus, uti Syrus voces efferebat. Conſtantinopolim venit, utinam non parandi ſibi ex concionibus quæſtus cauſa: ubi tamen à Joanne humaniter ſuſceptus fuit. Sed ejus paulo poſt æmulus factus eſt, ejuſque ſe junxit adverſariis in ſynodo ad Quercum Chalcedonis ſuburbium. Sancto eccleſiæ ſuæ reſtituto, ab eo juſſus eſt ad gregem ſuum paſcendum diſcedere, nequidquam interpellante Eudoxia Auguſta ne Conſtantinopoli exiret. Tum regreſſus in Syriam, quo die apud Daphnen Olympia celebrabantur, clam omnibus cum ſociis aliquot epiſcopis Porphyrium, poſthabitis regulis, Antiochenum antiſtitem ordinavit, accepto etiam, ut ferebatur, pretio. Mox populi iram veritus, per montes & invia ſuam in civitatem ſeceſſit. Hæc Palladius dialog. de vita ſancti Joannis Chryſoſtomi, Socrates lib. 6. cap. 10. & 11. Sozomenus lib. 8. cap. 10. & ſeqq.

V. MARAS.

Coſmas preſbyter qui Simeonis Stylitæ vitam Syriace ſcripſit, quam clar. Aſſemanus in Bibliotheca Orientali aſſervari hodie ait inter Vaticanos codices, ſolus omnium qui A de ſanctiſſimo illo viro aliquid ediderunt, fratres ei plures germanos fuiſſe retulit, ex quibus unus *Semſao* ſeu *Semſus* nomine natu major Simeonis exemplo motus, tonſuram à *Mara* Gabalorum epiſcopo accepit, & monaſticam vitam Teledæ egit in monaſterio S. Euſebonæ. *Maras* Severiano utique proxime ſucceſſerat. To. 1. Biblioth. Orient. pag. 240. 241.

VI. PETRUS.

In indice Latino Patrum Chalcedonenſis B concilii inter epiſcopos provinciæ Syriæ primæ cenſetur *Uranius Gabalonienſis,* ſeu *Gabalon, Gabalorum.*

VII. FLAVIANUS.

Epiſtolæ ſynodicæ epiſcoporum ſecundæ Syriæ ad Leonem Imperatorem de nece ſancti Proterii Alexandrini, & ſynodo Chalcedonenſi ſubſcripſit *Flavianus epiſcopus Gabalorum.*

VIII. JOANNES.

C Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna interfuit anno 536. poſtquam ſubſcripſerat libello quem epiſcopi Orientales & Palæſtini Agapeto Papæ Conſtantinopoli detulerunt, contra Severum, Petrum Apamenum, Severum Antiochenum, Zoaram & Anthimum. Ἰωάννης ἐπίσκοπος Γαβάλων, ὑπέγραψα Συριστί. *Joannes epiſcopus Gabalorum ſubſcripſi Syriace.* Huic Joanni tribuere mihi liceat librum, εἰς βίον καὶ πολιτείαν Σεβήρου αἱρεσιάρχου, *in vitam & converſationem Severi hæreſiarchæ,* cujus fragmentum act. 5. ſynodi ſeptimæ D generalis ſic inſcribitur: Ἰωάννου ἐπισκόπου Γαβάλων, *Joannis epiſcopi Gabalorum.*

IX. ROMANUS.

Quintæ ſynodo generali anno 553. interfuit & ſubſcripſit *Romanus epiſcopus Gabalon,* ſeu *Gabalorum.*

Digitized by Google

ECCLESIA GABALORUM.

X. GERMANUS.

In codice Regio n. olim 623. habetur opuſculum, Γερμανοῦ ἐπισκόπου Γαβάλων, ἤτοι Γίβελ, περὶ τῆς ἑρμηνείας τοῦ ἀνθρώπου, *Germani epiſcopi Gabalorum*, ſive *Gebel*, *de appellatione hominis.*

IX.

ECCLESIA PALTI.

PALTOS ſive *Paltus* à Plinio Syriæ aſſignatur: *deſinente Phœnice, oppida, Carne, Balanea, Paltos, Gabale.* Ptolemæus primò *Gabala* ponit, deinde *Paltum & Balanæam*, civitates Syriæ maritimas. Strabo ex Simonide in *dithyrambo* Deliacorum, ait, *Memnonem ſepultum eſſe circa Paltum Syriæ, juxta flumen Badam*, cujus fluminis nulla alibi mentio. Iterum tradit Paltum Aradiorum olim regionis fuiſſe, quorum reguli magnam oppoſitæ continentis partem poſſiderent, ac præſertim rex inſulæ Strato. Paltum Syriæ primæ Hierocles attribuit; Theodoriadi notitia vetus.

EPISCOPI PALTI.

I. CYMATIUS.

PALTI epiſcopum anteriorem *Cymatio* non reperi, quem Ariani, ut pote Catholicæ fidei tenacem, perinde atque Euſtathium Antiochenum in ſynodo quam Encæniorum ſeu dedicandæ eccleſiæ Antiochenæ cauſa celebravere, ſacerdotio ſpoliaverunt. Ejus non ſemel meminit Athanaſius, Πάλτος καὶ Ἀντάραδος, ait apologia ad Conſtantium, διὰ Κυμάτιον καὶ Καρτέριον, *Paltus & Antaradus ob Cymatium & Carterium mærent.* Epiſtola ad Solitarios; *Hadrianopolis epiſcopus*, inquit, *eaſdem cum Euſtathio calamitates patitur.....* Κυμάτιος Πάλτου, *Cymatius Palti*, ſede & urbe pulſus. Idem Cymatius anno 362. interfuit ſynodo Alexandrinæ, cui Athanaſius præerat, & ſynodicæ ſubſcripſit, Κυμάτιος Πάλτου Κοίλης Συρίας, *Cymatius Palti Cœleſyriæ.*

II. PATRICIUS.

Cymatio ab Arianis exacto, *Patricius* ſuffectus fuit, aut, quum anno 362. aut 363. Cymatius obiiſſet, ſucceſſor ei deſignatus fuit: quippe qui in ſynodo ſedit Antiochena Meletii, quæ anno 363. celebrata eſt, cujus ad Jovianum Imperatorem epiſtola de conſubſtantiali fide tenenda ſubſcripſit per Lamyrionem preſbyterum, Πατρίκιος Πάλτου διὰ Λαμυρίωνος πρεσβυτέρου.

III. SEVERUS.

Inter patres Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis prioris inter Cœleſyriæ epiſcopos cenſetur *Severus Parthenus*, legendum *Paltenus*.

IV. SABBAS.

In ſynodo Antiochena in qua tractatum eſt de Athanaſii Perrhenſis cauſa, & cujus acta relecta ſunt act. 14. concilii Chalcedo-
A nenſis, ſedebat *Sabbas* Palti epiſcopus. Qui Conſtantinopoli ſubinde adſuit ſynodis in quibus Eutyches hæreſis convictus fuit, coram Flaviano Conſtantinopolitano, & Thalaſſio Cæſarienſi. Rurſum ſynodo Chalcedonenſi, cujus decretis act. 6. præſertim ſubſcripſit, ut & an. 458. epiſtolæ epiſcoporum primæ Syriæ ad Leonem Imp.

V. JOANNES.

Palti epiſcopus ſedebat *Joannes* ſub Anaſtaſii Auguſti imperio, ac quum Catholicæ
B fidei addictiſſimus eſſet, hæreticorum Severianorum opera relegatus fuit Petram Arabiæ, quia Sidonenſe conciliabulum ſcriptis redarguerat. Quod ferunt monachi Palæſtinæ in epiſtola ad Alcyſonem apud Evagrium lib. 3. capite 3. Quanquam Victor Tunnunenſis Joannem ſponte potius, quam Imperatoris juſſu vertiſſe ſolum tradit. *Theodoro v. c. Coſ. Julianus Boſtrenſis, & Joannes Paltenſis ab eccleſiis ſuis ultro recedunt, & alii eis ſubrogantur.* Cæterum, Anaſtaſio principe mortuo, Joannem à Juſtino revocatum teſtatur Mar-
C cellinus comes in ſimili ſuo Chronico: *Indictione v. Paulo & Muſcianò Coſſ. Flavianus Antiochiæ Catholicus Patriarcha, & Joannes Paltenſium oppidi pontifex, quoniam hunc cœtum ſacrilegum* (Sidonenſem ſynodum octoginta ferme epiſcoporum) *refellerant, in caſtellum quod Petra dicitur, exules miſſi ſunt. Ibi Flavianus confeſſor Chriſti in Domino requievit. Joannem Juſtinus Auguſtus, mox ut Imperator factus eſt, revocavit.* Anno proinde 518.

II. PROVINCIA

Digitized by Google

II. PROVINCIA PHŒNICIÆ PRIMÆ.

I. ECCLESIA TYRI METROPOLIS.

ANTIQUISSIMA civitas fuit *Tyrus,* Sidone tamen recentior, in divinis utriuſque teſtamenti paginis decantatiſſima, coloniis quas in remotiſſimas terras miſit celebratiſſima. Ad mare in rupe poſita erat, à qua illi nomen צור *ſor* quod rupem ſignificat; unde Joſue 19. v. 29. Tyrus dicitur *urbs inſtar arcis munita* עיר מבצר צור. Juxta veterem illam recentior Tyrus ædificata eſt in peninſula. Imo Straboni Tyrus tota inſula eſt, & eodem fere modo quo Aradus habitata; ſed quæ continenti aggere juncta eſſet, quem Alexander in obſidione ejus congeſſerat. Alias ab Aſſyriorum, Chaldæorum, Perſarumque regibus obſidiones paſſa erat, quas recitare noſtri inſtituti non eſt. Pauca dumtaxat exſcribam quibus Tyrum commendat Strabo, Tiberio Auguſto coævus auctor. *Poſt Sidonem maxima & antiquiſſima Phœnicum eſt Tyrus, quæ cum illa & magnitudine, & facie, & antiquitate contendit, multis fabulis celebrata: quanquam poëtæ magis Sidonem celebrant, adeo ut Tyri non meminerint. Coloniæ tamen in Iberiam Hiſpaniam-ve & Libyam uſque, ad loca ultra columnas profectæ Tyrum plurimum extollunt. Quare ambæ & nunc & olim claræ illuſtreſque exſtiterunt: utravis enim Phœnicum metropolis dicatur, in utriſque contentio eſt.* Cæterum Suidas in voce Παῦλος ſcribit Paulum Tyrium rhetorem, *Philone Biblio teſte, ad Imp. Hadrianum miſſum, Tyrum effeciſſe metropolim,* ſive obtinuiſſe ut Tyrus metropolis Phœniciæ juribus potiretur. Ut vero Tyrenſis eccleſia, non metropolitana ſolum, ſed & Antiochenæ diœceſis primaria eſſet, hanc fuiſſe cauſam reor, quod ſanctus Petrus Apoſtolorum princeps Cæſarea Palæſtinæ egreſſus, ut Antiochiam iret, Tyrum venerit, in qua paucis ab adventu ſuo in hanc urbem diebus, multis ad Chriſtum adductis, eccleſiam inſtituit, cui unum ex preſbyteris qui ſe ſequebantur epiſcopum dedit, unde Sidonem petiit. Quod quidem lib. Clementis de Geſtis S. Petri num. 55. perhibetur, ut quum Tyri prius quam Sidone, atque in Phœnicia, quam in Syria prædicaverit, Tyrus eccleſiarum Phœniciæ prima facta ſit, ejuſque ſedis epiſcopus præ reliquis, etiam Syriæ, Antiochenæ ſedis πρωτόθρονος exſtiterit, ſeu primus proximè poſt Patriarcham ſedens ejuſque primarius conſecrator. Quocirca Theophanes ad 7. Zenonis annum tradit Antiochenſes ordinationis Calandionis, quæ Conſtantinopoli agebatur, neſcios Joannem quemdam Codonatum ſibi, expulſo Cnapheo, præfeciſſe; quem ſubinde Calandion Antiochiam quum veniſſet, εἰς Τύρον πρωτόθρονον Ἀντιοχείας μετατίθησιν, *ad Tyri quæ primaria Antiochenæ diœceſis eſt, ſedem tranſtulit.* Tyrenſem Antiochenæ ſedis πρωτόθρονον fuiſſe clamant alia monumenta, quorum aliquot poſthac afferam. Quocirca Tyro à Rege Hieroſolymorum Balduino de Saracenis expugnata & Hieroſolymitano regno adjecta, Latina hujus urbis eccleſia Patriarchæ Hieroſolymitani ditioni affecta eſt, hac lege ut epiſcopus Tyri Hieroſolymitanæ ſedis perinde primarius eſſet. Sed Francis è Syria expulſis, Tyrus priſtinum locum apud Patriarcham Antiochenum recepit. Eccleſiæ Tyri mentio fit Act. Apoſt. 21. v. 3. *Navigavimus in Syriam & venientes Tyrum; ibi enim navis expoſitura erat onus. Inventis autem diſcipulis manſimus ibi dies ſeptem, qui Paulo dicebant per ſpiritum ne aſcenderet Hieroſolymam.*

Lib. 16. pag. 756.

METROPOLITÆ TYRI.

I. * * *

PRimi illius epiſcopi quem Apoſtolus Petrus Tyrenſi eccleſiæ præfeciſſe dicitur lib. de Geſtis S. Petri, qui ſane liber vetuſtiſſimus eſt, nec fide prorſus indignus, nomen ignoratur. *Petrus quum non multos dies Tyri tranſegiſſet, cunctoſque Chriſtiana doctrina imbuiſſet, variiſque morbis liberaſſet, conſtata illic eccleſia,* ὑπὸ τῶν ἑπομένων αὐτῷ πρεσβυτέρων ἐπίσκοπον αὐτοῖς

ECCLESIA TYRI.

καθεστήσας, & uno è preſbyteris qui ſe comitabantur conſtituto epiſcopo, Sidonem perrexit.

II. Cassius.

Euſebius lib. 5. hiſt. cap. 25. ſynodum epiſcoporum Palæſtinæ celebratam refert ob controverſiam de Paſchate dirimendam, eique interfuiſſe Narciſſum Hieroſolymitanum, Theophilum Cæſarienſem, & cum eis *Caſſium Tyri*, καὶ σὺν αὐτοῖς Κάσσιος ὁ τῆς Τύρου ἐκκλησίας ἐπίσκοπος.

III. Marinus.

Inter epiſcopos Orientis qui perſequutioni Decii ſuperſtites fuerunt, Dionyſius in epiſtola ad Stephanum Papam Romanum *Marinum Tyri* memorat, Μαρῖνος ἐν Τύρῳ. Euſebius lib. 7. cap. 5.

IV. Tyrannio *Martyr.*

Tempore Diocletiani ſedebat *Tyrannio*, qui Antiochiæ cum Zenobio Sidonenſi pro Chriſti fide tormenta conſtantiſſime ſuſtinuit, ipſeque tandem in mare profundum merſus obiit. Euſebius lib. 8. cap. 13. Tyrannionis memoria fit in Martyrologio Romano die 28. Februarii.

V. Methodius *Martyr.*

Olympi primùm Lyciæ, ac poſtea Tyri epiſcopus fuit *Methodius*, qui adverſus Porphyrium, nec non Origenem multa eruditè ſcripſit, *ſympoſium* item *virginum* aliaque plura, & ad extremum noviſſimæ perſequutionis, Diocletiani ſcilicet, ſive, ut alii affirmant, ſub Decio & Valeriano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus eſt. Hæc Hieronymus in catalogo ſcript. eccleſ. quem ſequitur & laudat Martyrologium Romanum die 18. Sept. qua memoria S. Methodii recolitur.

VI. Dorotheus.

Poſt Methodium Tyri eccleſiam rexiſſe *Dorotheum* conjicio, quem Theophanes ad annum 2. Juliani Apoſtatæ, ſub Diocletiano primùm, & deinde ſub Licinio multa certamina obiiſſe refert, & Odyſſopolim ſeceſſiſſe, in qua à Juliani miniſtris centum & ſeptem annos natus, morte damnatus ſit. Theophanes eum multa ſcripſiſſe tradit quæ ad eccleſiaſticas hiſtorias ſpectarent, eique vulgo tribuunt ſpurium neſcio quem tractatum de Apoſtolis duodecim & ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis.

VII. Paulinus.

Paulinum Tyri admodum commendat Euſebius l. 10. capp. 1. & 4. ubi eccleſiam deſcribit, quam Paulinus Tyri ſedata perſequutione exædificaverat: ſed & orationem recitat,
A quam ipſe in ejus dedicatione habuit. Cæterum Arius Paulinum inter erroris ſui patronos jactat in epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem quam Theodoretus refert lib 1. hiſt. eccl. cap. 5. *Et quoniam Euſebius frater tuus, epiſcopus Cæſareæ, Theodotus, Paulinus, Athanaſius, Gregorius, Aëtius, & omnes denique Orientales affirmant Deum patrem filio prius ſine principio extitiſſe.* Nimirum ait Theodoretus: *Ex his quos ille recenſuit, erant Euſebius Cæſareæ epiſcopus, Theodotius Laodiceæ, Paulinus Tyri*, Παυλῖνος Τύρου, *Athanaſius Ana-*
B *zarbi, Gregorius Beryti, & Aëtius Liddæ epiſcopus. Illos ſiquidem ſolos ſe ſuo errori habere aſſentientes gloriabatur Arius: quum adverſarios vocaret Philogonium Antiochiæ præſulem, Hellanicum Tripolis, Hieroſolymorum Macarium.* Verum hoc ipſo tempore Paulinus Tyro Antiochiam tranſlatus fuit. Id quod inprimis Euſebius teſtatur libro 1. contra Marcellum cap. 4. ubi queritur ter beatum & admirabilem ſuum τρισμακάριον καὶ θαυμάσιον Paulinum quum Tyri epiſcopum eximiè geſſiſſet, eumque ceu proprium bo-
C num ſuum, Antiochenſes tandem vendicaſſent, à Marcello convitiis proſciſſum. Unde hoc inſuper apparet, Paulinum Antiochia oriundum, quem Antiocheni uti proprium ſuum bonum haberent, ὡς οἰκεῖον ἀγαθόν. Hieronymus in chronico epiſcopos recenſens qui illis temporibus Antiochenam ſedem tenuerant, vigeſimum illius urbis pontificem ponit Vitalem, *poſt quem Philogonius XXI. cui ſuccedit XXII. Paulinus, poſt quem XXIII. Euſtathius.* Plane ante Nicænam ſynodum Tyri eccleſiæ Zeno præerat; quippe
D cui Alexander Alexandrinus de recens nata hæreſi Arii ſcripſit; ipſeque Zeno ſancto huic concilio interfuit.

VIII. Zeno I.

In indice patrum ſynodi Nicænæ, epiſcoporum Phœniciæ provinciæ primus legitur *Zeno Tyrius.* Quem quidem indicem Latine expreſſum puto ex illo quem magnus Athanaſius Socrate teſte lib. 1. cap. 13. contexuerat. Epiphanius hær. 69. n. 4. ſcribit Alexandrum Alexandrinum, ut Arii impietatem cohiberet
E litteras dediſſe Euſebio Cæſarienſi, Aſclepæ Gazenſi, Macario Hieroſolymitano, Longino Aſcalonis, Macrino Jamniæ, aliiſque epiſcopis, & præſertim in Phœniciam Zenoni cuidam antiquo Tyri, ἔν τε τῇ Φοινίκῃ Ζήνωνί τινι ἀρχαίῳ ἐν Τύρῳ. Quibus ſignificari videtur, hoc tempore quod Nicænam ſynodum præceſſit, Zenonem Tyri grandævum fuiſſe, qui tranſlato Antiochiam Paulino, eccleſiam illam coleret.

Digitized by Google

IX. Paulus.

Tyri eccleſiam curabat *Paulus* quo tempore Conſtantinus Imperator hac in urbe concilium fieri voluit, in quo magni Athanaſii, quem Ariani gravium criminum reum agebant, cauſa judicaretur. Quumque Alexandrinus præſul interfecti Arſenii Meletianæ factionis epiſcopi accuſaretur, Paulus ipſe Arſenium quem Ariani abſconderant retegens, criminationem falſi convicit. Athan. apol. 2.

X. Vitalis.

Vitalis Tyri Arianorum adverſus Athanaſium factioni ſe dedidit, quippe qui cum illis Sardica in qua concilium generale celebrandum erat, Philippopolim ſecedens, epiſtolæ illorum ſubſcripſerit *Vitalis epiſcopus à Tyro.*

XI. Uranius.

In concilio Seleucienſi *Uranius* Tyri, Georgii Alexandrini, & Acacii Cæſarienſis ſe ſocium cum aliis præbuit, quorum fidei formulæ ſubſcriptus reperitur apud Epiphanium hær. 73. Οὐράνιος ἐπίσκοπος Τύρου. *Uranius epiſcopus Tyri.* Sed ab epiſcopis illis pluribus qui Seleuciam convenerant, exauctorari meruit, Athanaſio teſte lib. de ſyn. Arimin. & Seleuc. Socr. lib. 2. cap. 40. An vero Tyri ſedem abdicaverit incertum.

XII. Zeno II.
XIII. Diodorus.

Ex Sozomeno lib. 6. cap. 12. *Zeno* Tyri concilio Tyanenſi, quod Valente Imperatore celebratum eſt, adfuit cum Euſebio Cæſareæ Cappadociæ, Athanaſio Ancyræ, Pelagio Laodiceæ, aliiſque epiſcopis catholicæ fidei ſtudioſis, qui omnes Meletio Antiocheno addicti erant, Ζήνωνος Τύρου. Sed & in indice patrum ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis prioris, nomen ejus legitur.

Diodorus.

Interim dum Zeno Tyri ſedem tenebat, ordinatus à Meletio aliiſve qui Ariana communione olim polluti fuerant, à Paulino itidem Antiocheno Tyri eccleſiæ præfectus fuit *Diodorus: Unus ſane*, ait Rufinus lib. 2. hiſt. cap. 21. *ex antiquis Catholicis vir, & tentationum documentis probatus, Athanaſii teſtimonio à confeſſoribus epiſcopus factus eſſet, modeſtia ejus contempta: alius à Meletii partibus ordinatur: ſed & in multis aliis partibus Orientis hujuſmodi confuſiones contentio genuit ſacerdotum.* Huic Diodoro S. Epiphanius opuſculum nuncupavit ſuum de duodecim Rationalis Aaron lapidibus: ſed & Apollinarius hæreticus operam aliquando poſuit ut ſacerdotio Diodorus privaretur, quod Paulino Antiocheno & Epiphanio A communione junctus erat. Petrus Alexandrinus, & epiſcopi Ægypti, qui à Valente Imp. Diocæſaream relegati fuerant, adverſus Apollinarium & Timotheum ejus diſcipulum, inſigniores Orientis præſules epiſtola convenerunt, præſertimque Baſilium Cæſareæ Cappadociæ, & Diodorum, Tyri utique, non certe Tarſi, qui non niſi anno 379. epiſcopatum auſpicatus eſt. Scripta epiſtola eſt ante annum 377. quo epiſcopi exulantes, Hieronymo in Chronico, & Oroſio teſtibus, ad ſedes ſuas ab ipſo Valente revocati ſunt. B Ordinatus itaque fuerit Diodorus noſter, ſub Juliano Apoſtata, vel ſub Valente Auguſto. Exſtat Latina apud Facundum Hermianenſem lib. 4. cap. 2. Timothei Alexandrini ad illum epiſtola data anno 381. in qua meminit epiſtolæ quam ad ipſum olim magnus Athanaſius ſcripſerat. *Timotheus Diodoro in Chriſto ſalutem. Virtutem tuam, & vitæ perfectionem, & zelum rectæ & apoſtolicæ tuæ fidei pro dignitate prædicare nequaquam potero, etiamſi nimium properavero. Non enim æquantur ſermones & res. Vobis ex certo donatum eſt, non* C *ſolum credere in Chriſtum Jeſum, ſed etiam pro ipſo pati. Hanc tuam rectam & beatam circa Deum voluntatem & indeclinabilem circa pietatis myſterium conſcientiam olim vobis ineſſe, & divinus Papa noſter Athanaſius atteſtatus eſt veſtræ religioſitati, & nos ſuos diſcipulos adduxit ad amandam tuam perfectionem, & orare à Deo in multos annorum circuitus præſervari veſtram vitam ad utilitatem eccleſiarum Dei.* Quæ epiſtola nobis exhibet virum illum ex antiquis catholicis, tentationum documentis probatum, Athanaſii quoque teſtimonio, D quod ex Rufino ſupra deſcripſi. Quocirca Facundus graviſſimo errore Diodorum hunc Tyri, non diſtinxit à Diodoro Tarſenſi, qui cum nulla fuit Athanaſio ſocietas, ſed nec cum Timotheo illius poſt Petrum ſucceſſore.

Ecclesia Tyri.

XIII. Reverentius.

Socrates lib. 7. hiſt. cap. 36. *Reverentium Arces ex Phœnices civitate Tyrum eſſe tranſlatum prodit*, ὁ Βερέντιος ἀπὸ Ἀρκῶν τῆς Φοινίκης μετὰ ταῦτα μετηνέχθη εἰς Τύρον, ubi Librariorum error emendandus ex hiſtoria tripartita, & E ſcribendum Ῥεβέρεντος, *Reverentius.* Hujus tranſlationis meminit Stephanus IV. in epiſtola ad Baſilium Imp. adverſus Photium.

XIV. Cyrus.

Tyri epiſcopus erat *Cyrus*, quando ſynodus Epheſina coacta fuit, à qua ipſe cum Joanne Antiocheno & Orientalibus aliis defecit; quin ab illis delegatus cum quibuſdam aliis fuit ad Theodoſium Imperat. adverſus

Digitized by Google

ECCLESIA TYRI.

legitimum concilium, ejus vero morbo forte laborantis, vices ſupplevit Macarius Lao- A dicenus. Quum igitur ipſe quoque Neſtorii cauſam ageret, ſubſcripſiſſetque omnibus quæ pro eo tunc temporis geſta ſunt, hinc meruit à ſancta ſynodo, eadem qua ſocii ſui ſententia, epiſcopatu abdicari. Collect. ex Tragœdia Irenæi c. 13. & 28. & Acta ſyn. Epheſ.

XV. Beronicianus.

Cyri ſucceſſor fuit *Beronicianus*, qui pacem Cyrillum inter Alexandrinum & Orientales ſuos initam ſanctè coluit, ita ut, ipſo rogante, B Cyrillus ſcripſerit, præcipi univerſis Orientis epiſcopis oportere, ut Neſtorium diſerte anathemati devoverent, ejuſque in Chriſtum blaſphemias perinde haberent atque Simonis Magi. Quod fert epiſtola Cyrilli ad Ariſtolaum tribunum, quæ Latinè exſtat cap. 194. collect. ex Tragœdia Irenæi.

XVI. Irenæus.

Ex comite digamo, qui Neſtorii cauſa exulaverat, *Irenæus* Tyri epiſcopus ordinatus fuit à Domno Antiocheno, ut compertum C ſit ex Theodoreti epiſtola 110. ad eumdem Domnum; cui nempe modum ſuggerit quo crimen diluere poſſet, quod ipſi ob ejuſmodi ordinationem impingebatur. Anno 448. vel 449. ſcripta à Theodoreto epiſtola eſt Irenæo Tyri. Sed & Theodoretus eidem Irenæo nuncupavit dialogos adverſus Eraniſtam, ſeu naſcentem Eutychis hæreſim circa an. 447. Poſt vero in Epheſina ſynodo deprædatoria deſtitutus fuit, & ſpeciali Imperatoris man- D dato ob digamiam & hæreſim Tyro cedere juſſus, & Petras Arabiæ relegatus. Quod Auguſti decretum exſtat cap. 188. collect. ex ejus Tragœdia, ubi hæc notanda verba veniunt: *Ob hoc Irenæum, qui maledictum Neſtorii cultum non ſolum ſequutus eſt, ſed & inſtituit & ſtuduit multas cum eo* (ſeu ſecum) *provincias, eo quod ipſe tali culturæ præeſſet, evertere nudatum cunctis dignitatibus ipſum ipſa propria facultate, & Photium vero eiſdem impietatibus implicatum, adempta facultate nudatum, quæ & in publicam proficiet rationem, in Petris* E *exilium decrevimus, ut & paupertate & locorum ſolitudine crucientur.* Hic porro Irenæus in volumen unum congeſſit monumenta quamplurima ad Neſtorii cauſam ſpectantia, quam collectionem *Tragædiæ* nomine inſcripſit. Ejus magnam partem Latinè editam habemus à Chriſtiano Lupo Auguſtiniano Eremita, ex ampliſſimo codice inſignis monaſterii Caſſinenſis, vulgoque *Synodicon Irenæi* ab eruditis dicitur, ut pote quæ Actorum Epheſinæ ſynodi inſtar appendicis ſit.

XVII. Photius.

Tyri jam epiſcopus erat *Photius*, quando S. Flavianus Conſtantinopolitanam ſedem capeſſivit. Nam à Theodoſio Imperatore & eodem Flaviano, una cum Euſtathio Berytenſi & Uranio Himerorum delegatus fuit, ut ea quæ Ibas Edeſſenus impiè ſcripſiſſe aut dixiſſe de Chriſto ferebatur, inquireret. Id quod Tyri primum vocatis illuc Iba ejuſque accuſatoribus, deinde Beryti confecit, Iba à crimine abſoluto. Ad ſynodum poſthac Epheſinam ſecundam venit, cujus, ut alii fere omnes, profanis decretis ſuffragatus eſt, ac poſt triennium iterum ad Chalcedonenſe concilium, cujus geſta omnia melius probavit. Actione 9. relata ſunt quæ in cauſa Ibæ patraverat. Poſt actionem tertiam, & ante quartam, quæ XVI. Kalendas Novembris habita eſt, in conventu ſpeciali quodam, coram proceribus qui res ſynodi moderabantur, ſedis ſuæ jura propugnavit adverſus Euſtathium Berytenſem, qui in aliquot Phœniciæ primæ civitates metropoliticam poteſtatem uſurpabat, ex quo Theodoſius Imperator Berytum novæ cujuſdam provinciæ caput fecerat. Cauſa quidem ante ceciderat Photius in ſynodo Conſtantinopolitana quadam, Anatolio regiæ urbis archiepiſcopo præſide; ſed Chalcedone negotio iterum agitato, vicit Photius, decretumque eſt, uti, quamlibet à principibus provinciæ novæ ſæculares inſtituerentur, nihil exhinc eccleſiaſticæ metropoles diſpendii tolerarent, ſed priſca ipſorum jura inviolata conſiſterent: adeoque Phœniciæ primæ eccleſiarum ordinationes omnes ad Tyri epiſcopum perpetuo pertinerent, reſciſſis proinde quæ ab Anatolii ſynodo adverſus Photium in Euſtathii gratiam judicata eſſent. Subſcripſit porro Photius cunctis ſynodi Chalcedonenſis decretis. Concil. Chalc. col. 539. & ſeqq.

XVIII. Dorotheus.

Leo Imp. accepto necis Proterii Alexand. nuntio, litteras dedit ad metropolitas omnes & ſingulos Orientalis eccleſiæ, ut de Chalcedonenſis concilii auctoritate ſuam unuſquiſque cum provinciæ ſuæ epiſcopis ſententiam diceret: ſubindeque provinciæ Phœniciæ primæ ſynodicis litteris ad Leonem ſubſcripſit *Dorotheus epiſcopus Tyri.*

XIX. Joannes Codonatus.

Petro Cnapheo Antiochenæ ſedis tyranno hæretico adhæſit primùm *Joannes Codonatus*, à quo Apameenſi ſede donatus fuit: poſt necem vero Stephani junioris Antiocheni præſulis, quem Chalcedon. concilii hoſtes

Digitized by Google

interfecerant, ſedem ejus obtinuit. Interim Acacius Conſtantinopolitanus, Zenone Imp. annuente, Calandionem Antiochenis epiſcopum conſecraverat : qui quum Antiochiam veniſſet, à civibus admiſſus, Joannem epiſcopum Tyri creavit, Antiochenæ ſedis eum πρωτόθρονον faciens. Quod narrat Theophanes ad annum 7. Zenonis. Cæterum auctor breviculi hiſtoriæ Eutychianiſtarum, ubi narravit Joannem Apameenſem epiſcopum ordinatum à Petro Fullone, & Antiochiam reverſum, quod à civibus receptus non eſſet, Fullonem ipſum Antiochia expulſiſſe, ejuſque eccleſiam invaſiſſe, ſubjungit Acacium ambos damnatos pronuntiaſſe, popoſciſſeque ab Apoſtolica ſede, *ut ſi forte ad eam confugerent, nec vita dignos haberet, ac ſi jam aliquam indulgentiam impetraſſent, irritam hanc eſſe debere, nec eorum pœnitentiam recipiendam. Quod quum Joannes* (cognomento Talaias) *Alexandrinus epiſcopus relegiſſet, tacere non potuit, quod illum Joannem, quem Acacius damnaverat cum Petro, & ſine pœnitentiæ remedio fecit ab Apoſtolica ſede damnari, poſt tot damnationes Tyriorum miſerit eccleſiæ præſidere.* Quæ oſtendunt Joannem Petri Fullonis hæreſi nomen dediſſe, & Acacii nutu Tyriorum eccleſiæ præfectum à Calandione rectæ fidei antiſtite : ex quo errorem ab eo relictum conjectare licet.

XX. Epiphanius.

Sub Anaſtaſio Aug. Zenonis ſucceſſore Tyrenſem ſedem occupabat *Epiphanius*, qui quum rectæ fidei tenax eſſet, Severo Antiochenæ ſedis pervaſori alteri hæretico aſſentari prorſus noluit, ejuſque ſynodicas litteras rejecit. Quod Palæſtinæ monachi Alciſoni Nicopolis in Epiro metropolitæ ſignificarunt epiſtola quam Evagrius retulit lib. 3. hiſtor. c. 31. Anaſtaſio defuncto, reddita à Juſtino Imperatore eccleſiæ pace, Epiphanius cum ſua ſynodo cuncta mala quæ Severus paſſim intulerat, ad Theophilum Heracleæ ejuſque ſynodum retulit, datis litteris, quæ act. 5. ſynodi in urbe regia ſub Menna archiepiſcopo celebratæ, lectæ ſunt, epiſcoporum Phœniciæ ſubſcriptionibus confirmatæ. Ibi narratur quomodo Joannes quidam eccleſiæ S. Dei genitricis Mariæ manſionarius, qui Severo ſe dediderat, inique geſſerit, ſacram hanc ædem hæreticis tradens, in qua ſeorſim & ſynaxes & ſacra baptiſmata peragebant, ejuſque nequitia Epiphanium epiſcopum ad mortem uſque periclitatum.

XXI. Eusebius.

Synodo quintæ generali, quæ Conſtantinopoli an. 553. habita eſt, adfuit & ſubſcripſit *Euſebius* Tyri metropolita, unuſque fuit præcipuorum epiſcoporum, qui Vigilium ad concilium invitarunt collatione prima.

XXII. Thomas.

In concilio generali octavo, in quo Photius proſcriptus eſt *Thomas* Antiochenæ ſedis vices gerebat, damnationique Photii ultro conſenſit. Cæterum in ſynodo Photiana, quæ poſt obitum Ignatii coacta eſt, Thomas idem illo tempore Beryti fuiſſe pontifex dicitur, Βηρυτοῦ, & eorum quæ in priori ſynodo male contra Photium geſſerat veniam indulgentiamque poſtulaſſe ab Alexandrino præſule primum, tum deinceps ab Antiocheno & Hieroſolymitano, quum jam eſſet ad Tyri ſedem tranſlatus. Actione nimirum 2. hujus ſecundæ ſynodi *Thomæ metropolitæ Tyri pœnitentia*, Μετάνοια Θωμᾶ μητροπολίτου Τύρου lecta fuit, ceu Photio miſſa à Michaële Patriarcha Alexandrino, qui ea recitata, ſuis in litteris ſubjungebat, καὶ αὕτη μὲν ἡ τοῦ Τύρου Θωμᾶ μετάνοια, ἣν καὶ πρὸς ἡμᾶς μετὰ συντετριμμένης καρδίας ἐποιήσατο. *Atqui hæc Thomæ Tyri pœnitentia eſt, quam cum contritione cordis peregit.* Pœnitentiam eamdem Abraamius Amidæ & Samoſatorum metropolita actione quarta, teſtificatus legitur in bellæ illius ſynodi actis, quæ vera ne ſint, an conficta inſtituti mei non eſt inquirere.

XXIII. Sabas.

Alexio Comneno Imperatore *Sabas* Eunuchus epiſcopus Tyri Patriarcha factus eſt Hieroſolymitanus.

XXIV. Photius.

Guillelmus Cave in Hiſtoria Litteraria, ubi de Photio Conſtantinopolitano, ejuſque libello de ſynodis, ſubjungit: *Habetur Græce in bibliotheca Cl. Voſſii ſynopſis conciliorum; verum non noſtri ſed Photii Tyri eſt.* Ex hac ſynopſi fragmentum profert Uſſerius, diſſert. de Symbolis.

XXV. Cyrillus.

Sub Andronico Palæologo I. à ſede Tyrenſi ad Antiochenam tranſiit *Cyrillus*, Georgio Pachymere teſte lib. 1. c. 19. τὸν Τύρου Κύριλλον, quin etiam Nicephoro Calliſto lib. 14. hiſt. eccl. cap. 39. τοῦτον καὶ ὁ Τύρου Κύριλλος διαδέχεται, *Arſenio Cyrillus ſuccedit.*

XXVI. Sophronius.

Nicephorus ibidem perhibet *Sophronium* poſt Dionyſium Mopſueſtiæ, Tyro tranſlatum, καὶ τοῦτον πάλιν ὁ Τύρου Σωφρόνιος, *atque huic ſubrogatur Sophronius Tyri.*

ECCLESIA TYRI.

XXVII. * * *

Inter epiſtolas Athanaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani quinquageſima ſecunda eſt, Γράμμα πρὸς τὸν αὐτοκράτορα, *ſcriptum ad Imperatorem. Quod iis quibus gladius à Deo traditus eſt, non ad placitum ejus qui illum tenet, verſandus ſit, unde ira Dei inflammetur, & animarum pernicies ſequatur*, καὶ περὶ τῶν Τύρου καὶ Ἀλεξανδρείας, ὅπως ἐξέλθωσιν ἐκ τῆς πόλεως. *De que Tyri & Alexandriæ epiſcopis ut ex urbe diſcedant.* Cod. Reg. olim illuſtriſſimi archiepiſcopi Remenſis Mauritii Tellerii. Scripta eſt quum Athanaſius Patriarchatui reſtitutus eſſet.

XXVIII. * * *

Nicephorus Gregoras lib. 18. hiſtoriarum ſynodo C P. quæ Palamitarum ſuperſtitiones erroreſque confirmavit, adfuiſſe narrat epiſcopum Tyri, ut Antiochenæ ſedis adverſus hanc hæreſim decreta tueretur, παρῆν δ' οὖν ἀντὶ πολλῶν κἀκ τῆς Ἀντιοχείας ἐπαρχίας ὁ Τύρου ἐπίσκοπος, ἀνὴρ συνετὸς, καὶ πολλὴν ἐκ φύσεως τρέφων τὸν εἰς τὰ δίκαια ζῆλον, κἀπὶ τῆς τῆς εὐσεβείας κρηπῖδος μάλα ἀκλινὴς, *aderat vice multorum ex Antiochena ditione epiſcopus Tyri, vir ſagax, qui juſtitiæ & æquitatis ſtudium apud ſe aleret, & religionis fundamentis firmiter innixus eſſet.* Hunc Byzantini ſynodo expellere conſtituerunt, ſi latam à Patriarcha Ignatio adverſus Palamam ſententiam allegare perſiſteret, eumque cum Patriarcha ſuo exauctorare & communionis ſuæ exſortem facere. Quorum ille minas quum nihil veritus eſſet, ab ipſorum cœtu ejici meruit, cuſtodiaque includi, ubi ſolitariam tranquillamque vitam deinceps agere inſtituit. Hæc Gregoras l. 18. nec non l. 20. c. 6. n. 9. & lib. 21. c. 3. n. 13. tanti præſulis nuſquam nomen indicans. Cæterum ex his apparet Græcos nihil curaſſe quod à Latinis noſtris olim conſtitutum erat, ut Tyri eccleſia Hieroſolymitanæ diœceſis eſſet, non Antiochenæ.

XXIX. Hieremias.

Anno 1673. ſedebat *Hieremias* Tyri & Sidonis metropolita, qui teſtimonio Neophyti Patriarchæ Antiocheni de Orientalis eccleſiæ fide circa myſterium Euchariſtiæ ſubſcripſit. Quod legendum to. 3. de Perp. fidei p. 767. Ex quo apparet Tyri & Sidonis, deſolata ob Turcarum tyrannidem & incuriam Phœnicia, unam eſſe factam eccleſiam, cujus tamen antiſtes Sidone vulgo verſatur.

II. ECCLESIA SIDONIS.

SIDON quæ hodie *Said* dicitur, antiquiſſima prorſus civitas eſt, cujus conditor Sidon primogenitus Chanaan, ſubindeque ampliſſima & opulentiſſima. Joſue cap. 11. v. 8. & cap. 19. v. 28. Sidon magna appellatur. Hujus Homerus poëtarum Græcorum vetuſtiſſimus meminit, omiſſa Tyro. Quadringentis ſtadiis Tyro diſtat Straboni; quam alii ſcriptores admodum celebrant, unum addam Plinium cui Sidon artifex vitri, Thebarumque Bœotiarum parens. Apoſtolorum princeps Petrus, uti fertur homil. 7. Clementis num. 8. egreſſus Tyro Sidonem venit, in qua diebus paucis agens, præſtita multis ſanitate, multos homines ad Chriſti fidem adduxit; unumque de preſbyteris quos ſecum ducebat, novæ huic eccleſiæ epiſcopum præfecit. Deſolata propter Turcarum incuriam & proterviam ora Phœnicia, & civitate Tyro, unus Tyri & Sidonis epiſcopatum gerit.

EPISCOPI SIDONIS.

I. * * *

PRimi illius quem Petrus Apoſtolus primum *Sidonis* eccleſiæ epiſcopum dedit nomen ignoratur. Hoc ſolum modo in lib. de Geſtis & homilia 7. num. 8. habetur, καὶ τῶν συνεπομένων αὐτῷ πρεσβυτέρων ἕνα καταστήσας αὐτοῖς ἐπίσκοπον, ἐξῄει τῆς Σιδῶνος. *Ac Sidone exivit, conſtituto illis epiſcopo ex illis uno qui itineris ſui ſocii erant.*

II. Zenobius.

Theophani, *Zenobius* in perſequutione Diocletiani martyrio functus, Sidonis epiſcopus erat: qui Euſebio ejuſdem eccleſiæ preſbyter appellatur. Lib. 8. cap. 13.

III. Theodorus.

IV. Amphion.

Inter epiſcopos qui Nicæno concilio interfuerunt, *Theodorus Sidonius* cenſetur. Quanquam Nicetas Choniates l. 5. Theſauri c. 7. refert, Arii patronos in ea fuiſſe præſules, è Phœnicia, *Paulinum Tyri & Amphionem Sigedonis:* ubi legendum videtur *Sidonis,* ut Amphion ille Theodoro anterior aut poſterior fuerit.

V. Paulus.

In indice Patrum ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis primæ legitur, *Paulus Sidonienſis.*

Digitized by Google

VI. Damianus.

Theodoreti epiſt. 40. ſcripta eſt *Damiano Sidonis epiſcopo.* Sed & unus fuit epiſcoporum qui Athanaſii Perrhenſis cauſam in Antiochena ſynodo, Domno Patriarcha præſide, primo judicarunt. Anno inſuper 451. ad concilium Chalcedonenſe venit, cujus decretis ſubſcripſit.

VII. Megas.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Phœniciæ ad Leonem Auguſtum de S. Proterii Alexandrini nece ſubſcripſit *Megas epiſcopus Sidonis.*

VIII. Andreas.

In ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodicæ Epiphanii Tyrii adverſus Severum Antiochenum & alios hæreticos, quæ lecta eſt act. 5. ſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna legitur Ἀνδρέας ἐπίσκοπος Σιδῶνος, *Andreas epiſcopus Sidonis:* qui profecto ipſe eſt *Andreas* Sidonienſis, in cujus Bibliotheca reperta ſunt opuſcula, quæ ad calcem libri Leontii de Fraudibus Apollinariſtarum Latine exſtant.

IX. Paulus.

Inter auctores quos Abraham Ecchellenſis in libro *de origine nominis Papæ* laudavit, *Paulus* monachus Antiochenus epiſcopus Sidonienſis occurrit, qui multa ſcripſit non contemnendæ eruditionis, inprimiſque Apologiam pro Chriſtiana religione, quam nuncupavit amico cuidam ſuo Mohammedano, à quo obnixe rogatus erat, ut ſibi aperiret nonnulla doctrinæ Chriſtianæ capita, ac præcipue quæ ſacro-ſancta Trinitatis & Incarna-
A tionis myſteria ſpectarent, quid inſuper de Mohammede ejuſque Alcorano Græci Latinique ſentirent: exemplaria exſtare ait in Vaticana Bibliotheca. Hoc ipſum ejus eſſe opus contra Judæos & Mohammedanos puto Arabicè ſcriptum, quod etiam aſſervatur inter codices Mſſ. Preſbyterorum Oratorii Pariſienſis. Scripſit Paulus Sidonienſis de Hæreſibus pro fide Melchitarum adverſus Neſtorianos, Jacobitas & Maronitas. Adverſus Judæos longe plures ejus lucubrationes continet codex Arabicus 50. ex his quos re-
B cenſet Aſſemanus to. 2. Bibl. Orient. p. 511. Ipſe omnino eſt Saidenſis ſeu Sidonis epiſcopus, cujus cognomen Arabicum *Anthaki* fuit, qui religionem Chriſtianam adverſus Muſulmanorum cavillos egregie propugnavit, atque ex cognomine patria Antiochenus videtur fuiſſe. Herbelot Bibl. Orient.

X. Hieremias.

Anno 1673. Tyri & Sidonis archiepiſcopus ſedebat *Hieremias,* qui ſubſcripſit exemplo authentico Reſponſionum Neophyti Pa-
C triarchæ ad quæſtiones viginti Calviniſtarum hæreſim ſpectantes. To. 3. hiſt. Perpet. fid. p. 757.

XI. Euthymius.

Poſtremis hiſce annis *Euthymius* Sidonienſis archiepiſcopus Græcus ſedebat, ſenex optimus catholicæ communionis amans, qui in monte Libano cœnobium exſtruxit, ex conceſſione Principis Druzorum, qui loca hæc obtinet.

III. ECCLESIA PTOLEMAIDIS.

PTOLEMAIS Phœniciæ primæ civitas Palæſtinæ affinis, ad mare poſita, portu inſignis, infra Carmelum montem, quam olim Ἄκην, *Acem* nominabant, ait Strabo: in ſcripturis ſanctis אכו *Aco* vel *Acco* dicitur Jud. 1. verſ. 32. in tribu Aſer. A Ptolemæo quodam Ægypti rege nomen habuiſſe dixero: numquid vero à Ptolemæo, à quo deſtructam narrat Diodorus Siculus lib. 19. cap. 93. ab illo inquam Lagi filio *qui quum in Syria ageret, urbes inſignes quaſdam diruit,* Ἄκην τῆς Φοινίκης Συρίας, *Acen Phœnices Syriæ, Joppen, Samariam & Gazam.* Ab ejus potius nepotum aliquo reſtauratam crediderim, & ejus de nomine vocatam. Subſequutis temporibus colonia *Claudii Cæſaris eſt, quæ quondam Ace,* ait Plinius lib. 5. cap. 14. Actorum Apoſtolorum 21. v. 7. ad hanc quippe urbem Paulus ex Macedonia & Aſia veniſſe narratur: *Nos vero navigatione expleta, à Tyro deſcendimus Ptolemaïdem, & ſalutatis fratribus manſimus die una apud illos.* Ptolemaïs *Acon* hodieque dicitur, Gallicè *S. Jean d'Acre,* ſed Palæſtinæ diœceſis cenſetur, & metropolitica dignitate potitur.

EPISCOPI PTOLEMAIDIS.

I. Clarus.

SÆculo ſecundo labente ſedebat *Clarus* Ptolemaïdis, qui inter præcipuos Phœniciæ & Palæſtinæ præſules cenſetur, qui ad ſyno-
D dum Theophili Cæſarienſis convenerunt, ut ſolennitatis Paſchalis diem definirent, καὶ Κλάρος ὁ ἐν Πτολεμαΐδι, *& Clarus Ptolemaïdis,* ait Euſebius lib. 5. hiſt. cap. 25.

Digitized by Google

ECCLESIA PTOLEMAIDIS.

II. Æneas.

In indice Patrum concilii Nicæni, de provincia Phœnices legitur *Æneas Ptolemaïdis*, ut & in ſubſcriptionibus Latinis Antiochenæ ſynodi, quæ anno 341. celebrata eſt.

III. Nectabus.

Synodo generali Conſtantinopolitanæ priori adfuiſſe quoque legitur *Nectabus Ptolemaïdis* Phœniciæ.

IV. Antiochus.

Antiochus Ptolemaïdis, cujus ſcriptorum nonnulla ſuperſunt, eo tempore Ptolemaïdis epiſcopus ſedebat, quo Conſtantinopolis Joannes Chryſoſtomus. Urbem tunc regiam petiit, ubi habitis ad populum concionibus magnam eloquentiæ famam ſibi comparavit, ut Chryſoſtomus alter diceretur. Mox vero in ſanctum Pontificem malo incenſus zelo Acacio Berrhœenſi & Severiano Gabalorum ejus æmulis atque adverſariis ſeſe junxit, ipſeque Imperatorem adiens rogabat, ut illum ante Paſcha quod proximum erat Byzantina ſede ejiceret. Hæc Palladius dial. de vita S. Joannis Chryſoſtomi. Socrates lib. 6. cap. 11. Obiit ante annum 408.

V. Helladius.

Notus nobis *Helladius* eſt ex actis concilii Epheſini prioris, à quo cum Joanne Antiocheno aliiſque Orientalibus ſe ſegregavit, omnibus quæ illi pro Neſtorio geſſerunt, ultro conſentiens, quibuſcum epiſcopali gradu & communione à ſancta ſynodo privari meruit. Acta ſyn. Eph. & collect. ex Tragœdia Irenæi cap. 13. & 18.

VI. Paulus.

Aderat ſynodo Antiochenæ, quam Domnus Patriarcha coëgit, propter Athanaſium Perrhenſem, qui epiſcopatu cedere juſſus eſt, *Paulus* Ptolemaïdis. Venit inſuper ad Chalcedonenſe concilium cujus decretis ſubſcripſit, Παῦλος ἐπίσκοπος Πτολεμαΐδος, *Paulus epiſcopus Ptolemaïdis*.

VII. Joannes.

Epiſtolæ ſynodicæ quam Epiphanius Tyrius & epiſcopi Phœniciæ primæ miſerunt ad Joannem Conſtantinopolitanum adverſus Severum Antiochenum & alios ejus hæreſis ſocios, ſubſcripſit Ἰωάννης ἐπίσκοπος τῆς Πτολεμαέων *Joannes epiſcopus Ptolemaorum civitatis*, ſeu *Ptolemaïdis*. Lecta eſt action. 5. concilii Conſtantinopolitani, cui Mennas præerat.

VIII. Georgius.

Concilio quinto generali adfuit & ſubſcripſit *Georgius epiſcopus Ptolemaïdis*.

IX. Joasaph.

Inter epiſcopos qui anno 1672. ſynodo Bethleemiticæ ſeu Hieroſolymitanæ interfuerunt, quique Calviniana dogmata damnaverunt, ſubſcriptus legitur ὁ Ἰωασὰφ ἐλάχιστος μητροπολίτης Πτολεμαΐδος, καὶ Πολυσιδῶνος, καὶ πρόεδρος Καισαρείας Παλαιστίνης. *Joaſaph exiguus metropolita Ptolemaïdis & Poliſidonis, ac præſul Caſareæ Palaſtinæ.* Ex qua ſubſcriptione novimus Cæſarienſis metropolis jura Ptolemaïdi data eſſe, adeoque Ptolemaïdem, Hieroſolymitanæ diœceſis factam eſſe, ut olim quo tempore Franci Principes Syriam & Palæſtinam obtinebant.

X. Neophytus.

Sedet hodie *Neophytus* Ptolemaïdis metropolita, ὁ Πτολεμαΐδος Νεόφυτος.

IV. ECCLESIA BERYTI.

Berytus, ſeu Barutus, quæ hodieque *Barut* nominatur, urbs Phœniciæ maritima cum portu, quæ à Tryphone tyranno quondam everſa, à Romanis reſtituta eſt, duabus legionibus in eam deductis, ait Strabo. Unde Plinio, *Berytus colonia* quæ *Felix Julia* appellatur. Colonia, inquam, juris Italici, ut lege Julia VII. fertur Digeſt. de cenſibus. Inter Phœniciæ urbes inſigniores fuit Ammiano Marcellino lib. 14. In ea nimirum bonarum artium ſtudia floruerunt, Euſebio Cæſarienſi teſte, ubi de Martyribus Palæſtinæ cap. 4. ac Romanæ præſertim juriſprudentiæ, cui Gregorium Thaumaturgum Athenis digreſſum, Beryti operam dediſſe, Gregorius Nyſſenus auctor eſt, in ejus vita, nec non Socrates lib. 4. hiſt. cap. 27. Propter hæc quæ in ea vigebant Romanorum legum ſtudia *Phœniciæ Ocellus* audiebat ſub Juſtiniano priore; quando tota civitas cum elegantiſſimis ædificiis ſuis terræ motu corruit. Quod in cauſa fuit cur legum interpretes Sidonem migraverint, donec Berytus inſtauraretur. Hæc Agathias lib. 3. pag. 51. Theodoſius junior poſtremis Imperii ſui annis Berytum novæ cujuſdam inter Phœniciam primam provinciæ metropolim eſſe voluit, aſſignatis illi civitatibus ſex; *Biblo, Botry, Tripoli, Orthoſiade, Arcis & Antarado,* quarum proinde ordinationes vindicare ſibi continuò voluit Euſtathius Beryti epiſcopus. Quocirca epiſcopos

Digitized by Google

ECCLESIA BERYTI.

epiſcopos quos Photius Tyri in earum quibuſdam urbibus præſules ordinarat, hos Euſtathius in ſynodo Conſtantinopolitana, Anatolio archiepiſcopo præſide, ad preſbyterorum ordinem revocari obtinuit, quin & Photium communionis exſortem fieri. Aberat ab illa ſynodo Photius, qui eccleſiæ ſuæ cauſam ad concilium Chalcedonenſe revocavit, in qua habito ante act. 4. XIII. Kal. Novemb. Patrum conventu ſpeciali, reſciſſa fuere, annuentibus ipſiſmet proceribus ſynodi moderatoribus, quæ prius ab Anatolii ſynodo decreta ſtatuta erant, confirmataque jura ſunt eccleſiæ Tyri in Phœniciam omnem primam. Quocirca canon hic 12. editus fuit, quo Euſtathius auctor fuiſſe ſignificatur ut nova illa provincia erigeretur: *Pervenit ad nos, quod quidam præter eccleſiaſtica ſtatuta facientes, convolarunt ad poteſtates, & per pragmaticam ſacram in duo provinciam unam diviſerunt: ita ut ex hoc facto duo metropolitani eſſe videantur in una provincia. Statuit ergo ſancta ſynodus de reliquo ab epiſcopis tale non tentari: alioquin qui hoc adniſus fuerit, amiſſioni gradus proprii ſubjacebit. Si qua vero civitas jam litteris imperialibus metropolis nomine aucta erit, honore tantummodo fruatur, quique ejus eccleſiam gubernat epiſcopus, ſalvis veræ metropoli privilegiis ſuis.* Atqui diviſionem hanc meruerat Euſtathius prodita in Latrocinio Epheſino catholicæ fidei cauſa.

EPISCOPI BERYTI.

I. Quartus.

Ille *Quartus* quem Paulus ad Romanos ſcribens poſtremo capite verſ. 23. memorat, *& Quartus frater*, ex ſpurio Dorotheo Tyri in Menologiis Græcorum primus Beryti epiſcopus dicitur. Quocirca Henricus Maundrell Anglus in itinerario ſuo Hieroſolymitano narrat ſe Beryti in cujuſdam eccleſiæ pariete legiſſe ſcriptum, Κύαρτος πρῶτος ἀρχιεπίσκοπος Βηρύτου, *Quartus primus archiepiſcopus Beryti.*

II. Eusebius.

Beryti primùm epiſcopus fuit famoſus ille Arianorum anteſignanus *Euſebius*, mox vero quia Imperatores, nondum aucta Conſtantinopoli, Nicomediæ verſabantur, artibus ſuis egit, uti in alteram hanc urbem transferretur, qua ſubinde relicta, Conſtantinopolim invaſit. Hæc Theodoretus lib. 1. hiſt. eccl. c. 19. de qua tranſlatione Athanaſius Apolog. 2. *Euſebius*, ait, *qui Athanaſii ordinationem improbat, nec ipſe forſan rite conſtitutus eſt epiſcopus; ſin vero idipſum reſcidit, qui principio* C *quidem Beryti deſignatus ſit, ac Beryto relicta Nicomediam migraverit*, ἐν Βηρυτῷ μὲν τὴν ἀπ' ἀρχῆς, Βηρυτὸν δὲ ἀφεὶς, εἰς Νικομήδειαν ἦλθεν. *Illam quidem cathedram contra leges deſerens, hanc vero nulla favente lege invadens, proprii gregis ſine ulla charitate deſertor, & alieni nulla charitatis cauſa occupator.* Tempore naſcentis hæreſis Arianæ Nicomediam ille jam tenebat.

III. Gregorius.

Euſebio ſucceſſit *Gregorius*, erroris ejus ſocius, quem inter impietatis ſuæ patronos D magni faciebat Arius in ſua ad Euſebium illum epiſtola apud Theodoretum lib. 1. c. 5. *Et quoniam Euſebius frater tuus epiſcopus Cæſareæ, Theodotus, Paulinus, Athanaſius, Gregorius, Aëtius, &c. Theodotus Laodiceæ,* A ait Theodoretus, *Paulinus Tyri, Athanaſius Anazarbi, Gregorius Beryti*, καὶ Γρηγόριος Βηρυτοῦ, *& Aëtius Lyddæ.* Hic vero numeratur inter Phœnices epiſcopos qui Nicæno concilio interfuerunt, *Gregorius Berytius*, vel *Beryti.*

IV. Macedonius.

Beryti epiſcopis accenſeo *Macedonium*, qui quum Philippopolim à Sardicenſi ſynodo receſſiſſet, Arianorum epiſtolæ ſubſcriptus legitur, *Macedonius epiſcopus à Jurito*, lego B *à Berito.*

V. Timotheus.

In indice epiſcoporum qui Conſtantinopolitano concilio primo interfuerunt, *Timotheus Berytius*, de provincia Phœnices. Annon vero ipſe eſt Timotheus ille Beryti epiſcopus, qui Apollinaris hæretici diſcipulus fuit, & cujus nonnullorum operum fragmenta occurrunt?

VI. Eustathius.

Sedebat Beryti antiſtes *Euſtathius* quo tempore Conſtantinopoli Flavianus, à quo ejuſque ſynodo delegatus eſt, ut cum Photio Tyri cauſam Athanaſii Perrhenſis examinaret, quod Tyri primum, ac ſubinde Beryti conventibus habitis præſtiterunt. Ad ſynodum poſthac Epheſinam ſecundam venit, in qua nihil non pro votis Dioſcori Alexandrini patravit: unde apud Theodoſium Imp. obtinuit, ut Berytus novæ provinciæ metropolis inſtitueretur, quod ei cum Photio Tyrenſi ſeminarium litis fuit, quam ſuperius narravimus. Anno 451. in ſynodo Chalcedonenſi maculam quam ante biennium Epheſi admiſerat, ejurata Eutychis & Dioſcori impietate diluit, rectæ fidei definitioni, epiſtolæ Leonis ad Flavianum, aliiſque decretis ſubſcribens. Zacharias Scholaſticus qui poſtmodum

Digitized by Google

ECCLESIA BERYTI.

Mitylenes epiſcopus fuit, in dialogo ſuo quem cum Gentili philoſopho de mundi opificio in eccleſia Berytenſi habuit, templum hoc elegantiſſime ab Euſtathio exſtructum deſcribit. Ad ipſum uti metropolitam Leo Auguſtus epiſtolam dedit de nece ſancti Proterii Alexandrini, *Euſtathio reverentiſſimo epiſcopo Beryti:* Euſtathius vero non niſi epiſtolæ ſynodicæ Phœniciæ primæ ſecundus poſt Dorotheum Tyri ſubſcripſit. Timotheum Ælurum Proterii interfectorem pro ſynodo Chalcedonenſi impugnavit, cujus contra illum voluminis fragmentum exſtat in Collect. MSſ. contra hæreticos varios, quæ B aſſervantur in Bibl. Collegii Pariſ. Soc. Jeſu.

VII. Ariſtus.

In Kalendario Æthiopum ad diem 24. Aprilis memoria notatur *Ariſti epiſcopi Beryti;* niſi forſan idem ſit qui Euſtathius ſupra, quem de Dioſcoro Alexandrino aliquando bene meritum dixi.

VIII. Joannes.

Zenone Imperatore S. Rabbulas Samoſatenſis monaſticis diſciplinis inſtitutus in patria, C aliquot elapſis annis aſſumto ſocio in Phœniciam venit, ubi mirum in modum virtutibus claruit. Qua propter patrocinante Zenone Auguſto & opem ferente *Joanne Berytenſi* præſule, ingens monaſterium in medio monte condidit, *καὶ τῇ συμμαχίᾳ τοῦ Ζήνωνος τοῦ βασιλέως, καὶ συνεργείᾳ Ἰωάννου προέδρου τοῦ Βηρύτου.* Menol. Græc. die 19. Febr.

IX. Marinus.

Antiquæ & catholicæ fidei alumnus fuit *Marinus* Beryti epiſcopus, ſed qui vi aut D timore adactus fuit ſub Anaſtaſio Imp. ut communionis litteras ſibi à Severo Antiocheno miſſas reciperet, quibus tum concilio Chalcedonenſi, tum iis qui naturas duas confiterentur, anathema dicebatur. Quæ monachi Palæſtinæ Alciſoni Nicopolitano ſignificarunt epiſtola, cujus bonam partem Evagrius recitat lib. 3. hiſt. cap. 33.

X. Thalassius.

Thalaſſius Beryti ſubſcriptus primus reperitur libello quem epiſcopi Orientis per ipſos & alios quos Conſtantinopolim delegarunt, Agapeto Papæ obtulerunt adverſus Severum Antiochenum, Petrum Apameæ, Zoaram, & A Anthimum Trapezuntium primò ac ſubinde Conſtantinopolitanum, qui libellus lectus eſt act. 1. ſynodi Conſtantinop. ſub Menna, cui ſynodo adfuit ſubſcripſitque act. 5. ad hunc modum Θαλάσσιος ἐπίσκοπος Βηρυτοῦ, *Thalaſſius epiſcopus Beryti, pari ſuffragio conſentiens & ego iis quæ hic definita ſunt, ipſos hæreticos anathematizans, videlicet Severum & impia ejus ſcripta, Petrum quondam Apameæ, & Zoaram, communicatoreſque ipſorum, & in ipſorum errore perſiſtentes, ſubſcripſi.*

XI. Athanasius.

Athanaſii Alexandrini archiepiſcopi vulgo inſcribitur narratio quædam imaginis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quam à Judæis confixam ſanguine manaſſe ferunt. Narrationem edidiſſe aiunt Berytenſem illum archiepiſcopum qui Judæos baptiſmo tinxit. Quamquam à Sigeberto Chronographo ad annum 365. Adeodatus Latino vocabulo dicitur, quod idem ſonat quod Græcum Θεόδοτος *Theodotus*. In triplici hujus hiſtoriæ enarratione quæ exſtat, auctor ἀρχιεπίσκοπος C *archiepiſcopus* appellatur; quod forſan in cauſa fuit, cur Alexandriæ potius quam Beryti antiſtiti attribueretur.

XII. Thomas.

In actis ſpuriæ ſynodi Photianæ quæ ſub Baſilio Macedone Imperatore & Joanne Papa VIII. coacta eſt, Photius finxit *Thomam* Tyri epiſcopum, qui octavæ ſynodo eccleſiæ Antiochenæ nomine interfuerat, veniam popoſciſſe, quod quum illo tempore Berytenſis dumtaxat eccleſiæ pontifex eſſet, ſeſe pro D Tyrenſi & Antiochenæ ſedis προεδρίᾳ venditaſſet. Quocirca Photius Thomam Tyrenſi eccleſiæ non niſi poſt ſynodum octavam, quæ ſub Hadriano Papa celebrata eſt, præfectum illis iiſdem in actis aſſerere non dubitavit, confictis vel adulteratis trium Orientalis Patriarcharum epiſtolis. De hoc ſuperius dictum eſt in eccleſia Tyri.

XIII. Philippus.

Anno 1673. *Philippus* archiepiſcopus Barythi, ſeu Beryti ſubſcripſit teſtimonio Patriarchæ Antiocheni Neophyti de fide Orientalis eccleſiæ circa myſterium Euchariſtiæ. Vid. to. 3. de Perpet. fid. p. 757.

V.

ECCLESIA BYBLI.

Byblos, ſeu *Biblus* civitas antiqua, cujus in ſcripturis ſacris ſua mentio, Ezech. 27. v. 9. Nam ubi in Vulgata noſtra legitur: *Senes Giblii habuerunt nautas ad miniſterium tuum, &c.* Septuaginta ſeu Græci interpretes veteres tranſtulerunt, *οἱ πρεσβύτεροι Βιβλίων*, ut

Digitized by Google

pro Gebel Biblos dixerint, quum & Arabibus *Giblet* dicatur. Urbs Straboni in excelſo loco, haud procul à mari poſita, Adonidi quondam ſacra, quam Pompeius à tyrannide liberavit, tyranno ſecuri percuſſo.

ECCLESIA BYBLI.

EPISCOPI BYBLI.

I. Marcus.

MArcus ille qui & Joannes dictus Act. c. 15. Bybli epiſcopus fuit Dorotheo, & Menologiis Græcorum. Martyrologium inſuper Romanum die 27. Sept. *Bybli in Phœnicia S. Marci epiſcopi, qui & Joannes à beato Luca nominatur.*

II. Euthalius.

In Menologio Græcorum & in Martyrologio Romano die 13. Junii memoria fit ſanctæ martyris Aquilinæ quæ ſub Diocletiano Auguſto, & Voluſiano præſide Palæſtinæ paſſa eſt, quum ſacro baptiſmate tincta eſſet ab *Euthalio* Bybli epiſcopo, velut ejus acta ferunt apud Bollandum, *natam puellam, & menſem quartum agentem*, ἀπήνεγκεν αὐτὴν ἡ μήτηρ αὐτῆς πρὸς Εὐθάλιον τὸν ἐπίσκοπον, καὶ ἐσφράγισεν αὐτὴν ἐν ὀνόματι κυρίου, *attulit mater ad Euthalium epiſcopum, & ſignavit eam in nomine Domini, &c.*

III. Basilides.

In ſynodo Conſtantinopolitana generali prima inter Phœnices epiſcopos ſedit *Baſilides Byblenſis.*

IV. Benetus.

Inter epiſcopos Antiochenæ ſynodi ſub Domno Patriarcha, qui Athanaſii Perrhenſis cauſam ſecundo judicarunt, aderat *Benetus*
A *epiſcopus Bybli.* Actione 12. concilii Chalcedonenſis.

V. Aquilinus.

Evagrius lib. 1. cap. 9. mihi auctor eſt in prædatoria ſynodo Epheſina ſacerdotis gradu & communione deſtitutum fuiſſe *Aquilinum* Bybli, ac ſi Neſtorianus eſſet, πρὸς γε Ἀκυλῖνον Βύβλου, *inſuper & Aquilinus Bybli,* qui proinde diverſus fuit ab Aquilino Barbaliſſæ Euphrateſiæ, qui dudum antea quum gravioris jam ætatis eſſet, epiſcopatu dejectus fuerat,
B quod cum Joanne Antiocheno communicare nollet, quicum tamen communicavit, ut ſuo loco referemus. Collectione ex Tragœdia Irenæi cap. 190.

VI. Rufinus.

Synodo Chalcedonenſi adſuit ſubſcripſitque Ῥουφῖνος ἐπίσκοπος πόλεως Βύβλου, *Ruffinus epiſcopus civitatis Bybli.*

VII. Theodosius.

Quintæ ſynodo generali adſuit & ſubſcripſit *Theodoſius epiſcopus Bybli.*

VI.

ECCLESIA TRIPOLIS.

TRipolis, Τρίπολις nobilis civitas Diodoro Siculo lib. 16. cap. 41. quæ à tribus vicinis urbibus nomen habuit, Arado, Sidone & Tyro. *Poſt Orthoſiam & Eleutherum fluvium eſt Tripolis,* ait Strabo, *quæ ab ipſa re nominata eſt,* Τριῶν γάρ ἐστι πόλεων κτίσμα, Τύρου, Σιδῶνος, Ἀράδου. *Eſt enim condita à tribus civitatibus, Tyro, Sidone & Arado.* Plinius lib. 5. cap. 20. eodem modo: *Tripolis, quam Tyrii & Sidonii, & Aradii periude obtinent* Pari intervallo à ſingulis tribus diſtat Diodoro & Pomponio Melæ, ſtadio ſcilicet uno. Scyllaci Tripolis in peninſula eſt deductis ex Arado, Sidone & Tyro coloniis: notiſſima hodieque hæc civitas eſt, ad Libani radices poſita, in quam ex omni Oriente merces advehuntur. Petrus Apoſtolus Tyro digreſſus quum Antiochiam verſus pergeret Tripoli epiſcopum, preſbyterorumque duodecim collegium & diaconorum conſtituit, ordinem quoque viduarum, & cuncta eccleſiæ miniſteria diſpoſuit. Id quod quidem lib. 6. Recognitionum Clementis n. 15. narratur, Clementina homilia XI. n. 36. & in libro de geſtis Petri, n. 59. Notitia Hieroclis & Græca vetus Tripolim habent inter civitates Phœniciæ primæ.

EPISCOPI TRIPOLIS.

I. Marones.

COnſtitutionum Apoſtolicarum libro 7. cap. 45. *Marones* Tripolis in Phœnicia epiſcopus à Petro conſtitutus, ὁ ἐν Φοινίκῃ Τριπόλεως Μάρωνος, & Recognitionum Clementis lib. 6. cap. 15. *Ipſe* (Petrus) *eos qui fidem Domini Tripoli receperant, deducens ad fontes mari contiguos, baptizavit, & Euchariſtiam*
C *frangens cum eis, Maronem, qui eum hoſpitio receperat, perfectum in omnibus conſtituit eis epiſcopum, & duodecim cum eo preſbyteros, ſimulque diaconos ordinat. Inſtituit etiam ordinem viduarum, atque omnia eccleſiæ miniſteria*

Digitized by Google

ECCLESIA TRIPOLIS.

diſponit, univerſoſque admonet Maroni epiſcopo in omnibus quæ præciperet, obedire.

II. Hellanicus.

In indice Patrum Nicænorum inter epiſcopos provinciæ Phœniciæ, *Hellanicus Tripolitanus*, ſive *Tripoleos* legitur, qui poſthac Arianorum ſuggeſtione exulare juſſus eſt. Athanaſius epiſtola ad ſolitarios, καὶ Ἑλλανικὸς ὁ ἐν Τριπόλει.

III. Theodosius.

Arianis jam olim addictus quum eſſet *Theodoſius*, atque à ſancto Euſtathio Antiocheno B clero accenſeri indignus habitus, Hellanico Tripolis ſubrogatus fuit, de quo Athanaſius epiſtola ad ſolitarios. *Leontius eviratus qui Antiochenum epiſcopatum gerit, ejuſque ſucceſſor Stephanus; Georgius item Laodiceæ,* καὶ ὁ γενόμενος ἐν Τριπόλει Θεοδόσιος, *& Theodoſius qui Tripolis epiſcopus fuit.*

IV. Irenæus.

In Seleucienſi ſynodo Georgio Alexandrino, Acacio Cæſarienſi, & aliis Arianis adhæſit *Irenæus* Tripolis, quorum maleſanæ C fidei formulæ ſubſcripſit: Εἰρηναῖος ἐπίσκοπος Τριπόλεως τῆς Φοινίκης. *Irenæus epiſcopus Tripolis Phœniciæ.* Epiph. hær. 73. n. 26.

V. Commodus.

Venit Epheſum cum Joanne Antiocheno *Commodus* Tripolis ad ſynodum quæ adverſus Neſtorii hæreſim cogebatur; ubi cum Orientalibus aliis ſecedens, eorum conteſtationi ne Cyrillus Alexandrinus ſynodum auſpicaretur, aliiſque geſtis ſubſcripſit. Unde meruit à concilio communione catholica D cum ſuis privari.

VI. Theodorus.

Synodo Chalcedonenſi adfuit ejuſque A decretis ſubſcripſit Θεόδωρος ἐπίσκοπος Τριπόλεως, *Theodorus epiſcopus Tripolis Phœniciæ:* Subindeque anno 458. epiſtolæ ſynodi ſuæ provinciæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini.

VII. Stephanus.

In vita S. Euthymii Archimandritæ, quam Joannes Cotelerius to. 2. Monum. eccl. Gr. edidit, n. 128. mentio fit *Stephani* epiſcopi Tripolis: *Domum revertens Cæſarius Antiochenus,* καὶ Στεφάνῳ ἐν Τριπόλει τῷ ἐπισκόπῳ παραβαλὼν, *quum Tripoli epiſcopum Stephanum conveniſſet, narravit ei ſingula, quomodo malum in ipſum invaſiſſet... & quo pacto deſperatis omnibus occurrerit ad ſepulcrum Euthymii, ſoloque illinc oleo uſus, è veſtigio ſtatim curatus fuerit.*

VIII. Leontius.

In eadem vita S. Euthymii n. 129. ſubjungitur de Stephani ſucceſſore: *Hæc ille ſingulatim referebat epiſcopo Stephano. Quidam autem Leontius ejus conſobrinus, ætate admodum juvenis, caſu aſſiſtens relationi, animo accenſus, & magis quam ætas ferebat, mente agitans, contemtis rebus omnibus, ad magni monachi monaſterium venit, quem, quum virtute conſpicuus evaſiſſet, Stephanus monaſterii cura donavit, quod & ipſum conditum erat in honorem magni martyris Leontii. Paulo-poſt vero eum ſucceſſorem relinquens,* μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ δόξαν τοῦ θεοῦ καταλιπὼν, *è vita migravit 22. Januarii.*

IX. Arsenius.

In catena Patrum Coiſliniana in Acta Apoſtolorum cod. 25. aliàs 121. ad hæc verba cap. 7. v. 57. *Et ejicientes eum extra civitatem,* excerptum legitur Ἀρσενίου ἐπισκόπου Τριπόλεως, *Arſenii epiſcopi Tripolis.* Quidni Phœniciæ?

VII.

ECCLESIA ARCES.

Arce vel *Arcæ*, Ἄρκη, Ἄρκαι, Phœniciæ civitas, utroque nomine ſingulari & plurali dicta. Plinio lib. 5. cap. 18. *Arca.* Stephano autem Ἄρκη πόλις Φοινίκης ἡ νῦν Ἄρκαι καλουμένη. *Arce oppidum Phœnices, nunc Arcæ dictum,* Ptolemæus Ἄρκα, *Arca.* Hierocli & veteri notitiæ, Ἄρκαι. Cæſaream appellatam fuiſſe diſcimus ex Aurelio Victore, ubi narrat *Aurelium Alexandrum Auguſtum urbe Syriæ ortum, cui duplex Cæſarea & Arca nomen.*

EPISCOPI ARCES.

I. Lucianus.

IN ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodi Antio- E chenæ ad Jovianum Imp. qua Meletio præſide fidem catholicam inſtaurabant in partibus Orientis, omnium poſtremus legitur Λουκιανὸς Ἀρκῶν, *Lucianus Arcarum.*

II. Alexander.

In indice epiſcoporum provinciæ Phœniciæ, qui Conſtantinopolitano concilio generali priori interfuerunt, legitur Alexander

Digitized by Google

Arachenſis, *Arcundenſis*, pro codicum varietate. Emendandum *Arcon* vel *Arcarum*, A *Arcenſis*.

III. Reverentius.

Epiſcopus primum Arces vel Arcarum *Reverentius* fuit, quem Soc. teſte lib. 7. c. 36. Arcis Phœnices Tyrum tranſlatum diximus.

IV. Marcellinus.

Ad Epheſinam ſynodum cum Joanne Antiocheno & aliis Orientalibus *Marcellinus Tripolis* acceſſit, cum quibus etiam abſceſſit: ſed quum ante illos Epheſum veniſſet, con- B teſtationi eorum qui interceſſerunt, ne Cyrillus concilium ante Joannis adventum auſpicaretur, aliiſque actis litteris-ve ſubſcripſit, ut compertum ſit ex collectione in Tragœdia Irenæi, capp. 13. & 28. cap. 13. Marcellus vocatur.

V. Epiphanius.

In ſynodo Antiochena, cui Domnus Patriarcha præerat, *Epiphanius* Arces judex cum aliis ſedit cauſæ Athanaſii Perrhenſis. Atqui codicum Latinorum Chalcedonenſis ſynodi fidem ſequor, quum in actis Græcis epiſcopus Heracleæ Ἡρακλείας dicatur confer to. 4. concil. col. 727. 728. 732. 737.

Heracleam porro in Phœnicia ab Arce diverſam habet Plinius lib. 5. cap. 20.

VI. Heraclitus.

Heraclitus Arcæ ſynodo Chalcedonenſi adfuiſſe legitur. In actis illis Latinis præſertim quæ Cl. Baluzius in nova collectione ſua edidit, ut puta col. 1356. ſubſcripſit *Photius epiſcopus Tyri, & pro Petro epiſcopo Bybli, & pro Heraclito epiſcopo Arcæ, &c.* Heraclitus porro Arcæ an. 458. epiſtolæ ſynodi provinciæ Phœniciæ ad Leonem Imperatorem de nece ſancti Proterii Alexandrini & eodem concilio Chalcedonenſi ſubſcripſit.

VII. * * *

Anaſtaſio Imperatore *Arces epiſcopus* erat vir catholicæ fidei tenax, quem Severus Antiochenus in hæreſim ſuam trahere fruſtra tentavit, quum interim ejuſdem Arcenſis eccleſiæ preſbyteros aliquot qui ſibi aliquandiu reſtiterant, quoſque tandem adduxerat ut ſibi conſentirent, diaconorum dumtaxat officio fungi permitteret. Quod Epiphanius Tyri cum ſua ſynodo narrabat in epiſtola ad Theophilum Heracleæ ejuſque ſynodum, quæ lecta eſt act. 5. concilii ſub Menna celebrati.

VIII. ECCLESIA ORTHOSIADIS.

QUæ *Orthoſia* Ptolemæo, aliis *Orthoſias* dicitur Ὀρθωσιάς, hodie *Tortoſa* Phœniciæ primæ civitas Hierocli & alteri notitiæ Græcæ. Ad mare poſita eſt haud procul Arado, prope fluvium Eleutherum. Cujus epiſcopum nullum reperi quinto ſæculo anteriorem.

EPISCOPI ORTHOSIADIS.

I. Phosphorus.

COncilio Antiocheno in quo judicata primum fuit Athanaſii Perrhenſis cauſa, adfuit *Phoſphorus epiſcopus Orthoſiadis*: poſthac rurſum Chalcedonenſi, cujus decretis ſubſcriptus paſſim occurrit, actione vero 16. pro eo ſubſcripſit *Photius metropolita Tyri*.

II. Nonnus.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Phœniciæ primæ ad Leonem Imper. ſubſcripſit *Nonnus* D *epiſcopus Orthoſiadis*.

III. Nilus.

Nilus Orthoſiadis epiſcopus conſecratus fuit à Leontio Tripolis antiſtite, quum monaſterii ſancti Euthymii alumnus eſſet. Ita fertur in vita ejuſdem ſancti Euthymii to. 2. Monum. Eccl. Gr. n. 129. *Porro Leontius* C *Stephani Tripolis epiſcopi conſobrinus, Nilum quemdam Cœnobii preſbyterum, euntem Antiochiam, & ad ſe divertentem quum apud ſe excepiſſet, oblatis quæ ſibi ad manum eſſent, epiſcopum ordinat Orthoſiadis*, Ἐπίσκοπον Ὀρθωσιάδος χειροτονεῖ.

IV. Stephanus *hæreticus*.

Severi Antiochenæ eccleſiæ pervaſoris aſſectator fuit *Stephanus* Orthoſiadis, & in diœceſi Antaradenſi, Theodoſio loci epiſcopo in vivis licet ſuperſtite, ordinationes agere non dubitavit, quo nempe hæreſim ſuam propagaret. Quo de facinore Epiphanius Tyri & Phœniciæ epiſcopi queſti ſunt epiſtola ad Theophilum Heracleæ ejuſque ſynodum Conſtantinopolitanam, quæ lecta eſt act. 5. concilii ſub Menna habiti.

Digitized by Google

IX. # ECCLESIA BOTRYS.

BOTRYS Βότρυς Phœniciæ primæ civitas, quam Plinius lib. 5. cap. 20. accenſet aliis quæ in ora maris Libano ſubjecta ſitæ erant. *Oppida Byblos, Botrys, Gigarta;* ex quo Plinii loco emendo quod apud Strabonem habetur: *Infra vero* (montem) *Boſtra & Gigartum, & ſpeluncas ad mare exiſtentes, & caſtellum in Dei facies* (ſeu promontorium quod *Dei facies* vocabant) *impoſitum:* ut pro Βόστρα Boſtra legatur Βότρυς, Botrys; niſi vox *Botrys* apud Græcos Macedonas qui Phœniciam obtinuerunt inoleverit per corruptionem pro veteri Boſtra, quod Phœnicum priſcorum lingua ſeu Chananæa caſtellum & arcem munitam ſignificat. Apud Hieroclem editum legitur Βοσρὺς, *Boſtrys.*

EPISCOPI BOTRYS.

I. PORPHYRIUS.

IN actis ſynodi Chalcedonenſis *Porphyrius epiſcopus Botrys,* in ea ſediſſe ejuſque ſubſcripſiſſe decretis legitur, præterquam act. 16. in qua Photius Tyri pro ipſo ſubſcripſit.

II. ELIAS *hæreticus.*

Severi Antiocheni hæreſi ſeſe dedidit *Elias epiſcopus Botrys,* cui proinde anathema dictum in ſynodo Tyrenſi, Epiphanio A metropolita præſide, quod ipſi teſtantur præſules epiſtola ad Theophilum Heracleæ epiſcopum ejuſque ſynodum Conſtantinopolitanam, quæ lecta eſt act. 5. conc. ſub Menna, in qua per ignominiam ἀρβωνότης vocatur, quin etiam Manichæus pronuntiatur κάθελε τὸν Μανιχαῖον. *Depone Manichæum.*

III. STEPHANUS.

Synodo quintæ generali interfuit *Stephanus Botryon,* ſeu *Botryenſis.*

X. # ECCLESIA ARADI & ANTARADI.

ARADI meminit Ezechiel capite 27. verſ. 8. quæ inſula urbſque Phœniciæ fuit Syriæ proxima, ſeu Saxum habitatoribus plenum. Pomponio Melæ *parvum*, quantum patet, totum oppidum, ſed frequentiſſimum. Straboni ſtadiis 20. diſtabat à continente, in qua civitas altera *Antaradus* nomine, cujus aliquando epiſcopus idem fuit qui Aradi. In notitia Hieroclis Aradus & Antaradus civitates duæ cenſentur, ut & in notitia epiſcopatuum ſat antiqua, quæ Leoni ſapienti Imp. attribuitur. Anno Chriſti 647. Mavias Othmani Califæ Saracenorum dux Aradum obſedit, miſſoque ad Aradenſes Thomaricho epiſcopo, ad deditionem illos hortatus eſt, quod quum illi recuſaſſent, ſequenti anno regreſſus, urbem demum ea conditione obtinuit, uti cives, ubi liberet, habitare poſſent: mox ſuccenſam ſolo æquavit, καὶ τὴν νῆσον ἀοίκητον κατέστησεν ἕως τοῦ νῦν, *& habitatoribus ad noſtrum uſque tempus vacuam fecit,* quod Theophanes narrat ad annum 8. Conſtantis Imp.

EPISCOPI ARADI & ANTARADI.

I. CYMATIUS.

CYMATIUM Aradi & Antaradi epiſcopum B ſub Conſtantio Imper. ab Arianis ejectum ſcribit Athanaſius in hiſtoria Arianorum ad Monachos: καὶ Κυμάτιος ἕτερος ὁ ἐν Ταράδῳ (lego ἐν Ἀνταράδῳ) *Cymatius alter Antaradi epiſcopus.* De quo rurſum in ſua ad Conſtantium Aug. apol. καὶ Πάλτος μὲν καὶ Ἀντάραδος, Κυμάτιον καὶ Καρτέριον, *& Paltus quidem & Antaradus, Cymatium & Carterium lugent:* Paltus ſcilicet Carterium, & Cymatium Antaradus; qui nempe in Antiochena ſynodo deſtituti erant, ut pote catholici, cum Euſtathio Antiocheno & aliis.

II. MOCIMUS.

Conſtantinopolit. concilio generali priori aderat de provincia Phœniciæ *Mocimus* Aradi.

III. MUSÆUS.

In actis ſynodi Epheſinæ col. 598. editionis Labbeanæ inter ſubſcriptiones ſententiæ quam ſynodus Orientalium in Cyrillum Alexandrinum & Memnonem Epheſinum pronuntiavit, legitur Μουσαῖος Ἀρραδου καὶ Ἀνταράδου, legendum Ἀράδου, *Aradi, Muſæus Aradi & Antaradi.* Sic in ſubſcriptionibus epiſtolæ ipſorum ſynodicæ ad eccleſiam Antiochenam, qua exſtat in collectione ex Tragœdia Irenæi, *Muſæus Aradi & Antaradi ſimiliter.* In aliis *Aradi* dumtaxat nomen ſupereſt. Poſt, Orientalibus cum Cyrillo Alexandrino conciliatis, Muſæus Neſtorii cauſam deſeruit, ad quem Cyrillus epiſtolam dedit

Digitized by Google

quæ exſtat c. 211. collectionis ex Tragœdia Irenæi, Muſæo epiſcopo Antaradi, cujus ipſo ſtatim initio ſignificat ſe religioſitati ejus ſcribere non omiſiſſe. Scripta eſt quo tempore de Theodori Mopſueſtiæ libris graviſſimæ querelæ erant. Atqui Muſæus hic noſter Moſes ille eſt Antaradi, qui, ut fert Chronicon Paſchale ad annum 415. cum Attico Conſtantinopolitano ſanctiſſimi Patriarchæ Joſeph filii Jacob, nec non Zachariæ Joannis-Baptiſtæ genitoris reliquias humeris ſuis in urbem regiam geſtavit.

IV. Paulus & Alexander *Antaradi.*

In ſynodo Antiochena quæ Athanaſii Perrhenſis cauſa, Patriarcha Domno præſide habita eſt, aderat *Paulus Antaradi*, Ἀντaράδου; qui in interloquutionibus, Παῦλος ἐπίσκοπος Ἀράδου, *Paulus epiſcopus Aradi* dicitur, ut tunc quoque temporis unus idemque utriuſque civitatis antiſtes fuerit. In concilii vero Chalcedonenſis ſubſcriptionibus actione 6. alibique paſſim legitur Παῦλος ἐπίσκοπος Ἀράδου, *Paulus epiſcopus Aradi*, itemque Ἀλέξανδρος ἐπίσκοπος Ἀνταράδου, *Alexander*

A *epiſcopus Antaradi*. Ut proinde diſtinctæ amborum civitatum eccleſiæ ſedeſque fuerint.

V. Atticus *Aradi.*

Synodicæ epiſtolæ epiſcoporum Phœniciæ primæ ad Leonem Imp. ſubſcriptus legitur *Atticus Aradiæ Conſtantiæ*, legendum Aradi. Hierocles in Phœnicia prima poſt Aradum Conſtantinam ponit.

VI. Theodorus *Antaradi.*

Anno 518. *Theodorus* Antaradi epiſcopus obiit, quum Severo Antiocheno hæretico ſtrenuè reſtitiſſet. Hic eſt prorſus qui Theo-
B doſius Antaradi dicitur in epiſtola ſynodi Phœniciæ primæ ad Theophilum Heracliæ ejuſque ſynodum Conſtantinopolitanam, in cujus diœceſi, licet in vivis ſuperſtes eſſet, Stephanus Orthoſiadis Severi illius aſſecla ordinationes impune contra regulas agere non dubitabat. Lecta epiſtola eſt actione 5. ſynodi quæ ſub Menna Conſtantinopolitano coacta eſt.

VII. Asyncretius *Aradi.*

Quintæ ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit *Aſyncretius Aradi*, alias *Aradiorum*.

XI. ECCLESIA PORPHYREONIS.

Porphyrii, ſeu *Porphyreonis*, Πορφυρεῶνος, nulla mentio Straboni, Plinio, Potlemæo, uti nec in Notitiis Hieroclis, veterique Græca, quæ Leonis Sapientis eſſe dicitur: cujus tamen epiſcopi aliquot in variis ſynodorum geſtis occurrunt. Hanc habent Scylax & Polybius, Πορφυρέων πόλις, *Porphyreon urbs*. Ipſa eſſe fertur, quæ hodie Caypha, olim Helpha, Willelmo teſte vocitabatur. Juſtinianus Porphyreone templum in Dei genitricis honorem exſtruxit.

EPISCOPI PORPHYREONIS.

I. Thomas.

Synodo Chalcedonenſi inter epiſcopos diœceſis Antiochenæ, & Phœniciæ primæ adfuit ſubſcripſitque paſſim Θωμᾶς ἐπίσκοπος Πορφυρεῶνος, *Thomas epiſcopus Porphyreonis*: nec omiſſus eſt in indice Latino Patrum ejuſdem generalis concilii.

II. Alexander.

In vita S. Jacobi eremitæ, quæ edita eſt in Actis Sanctorum ad diem 28. Januarii, narratur n. 7. virum ſanctum Eremi Porphyreonis incolam, meretricem quam ad meliorem frugem revocarat, catechiſmo eruditam, impertita benedictione, miſiſſe ad *ſanctiſſimum epiſcopum Alexandrum*. Vivebat quo tempore Samaritæ Palæſtinam infeſtabant, quod ſub Zenone, Anaſtaſio, Juſtino & Juſtiniano Imp. duravit.

III. Theodorus.

Tyrenſi ſynodo cui Epiphanius metropolita præſidebat, & in qua Severus Antiochenus damnatus eſt, adfuit & epiſtolæ ad Theo-
C philum Heracleæ ejuſque ſynodum Conſtantinopolitanam ſubſcripſit, Θεόδωρος ἐπίσκοπος Πορφυρεῶνος, *Theodorus epiſcopus Porphyreonis*. Act. Syn. CP. ſub Menna act. 5.

IV. Christophorus.

In ſynodo Conſtantinopolitana quæ Menna Patriarcha præſide celebrata eſt ſedit & ſubſcripſit Χριστοφόρος ἐπίσκοπος Πορφυρεῶνος, *Chriſtophorus epiſcopus Porphyreonis*, cum ea
D in regia urbe Agapeto Papæ paulo ante obtuliſſet litteras epiſcoporum Orientis adverſus Severum Antiochenum, Petrum Apameæ & Zoaram monachum, inſignes hæreticos.

V. Paulus.

Sub Juſtiniano *Paulus* Porphyreonis epiſcopus ſedebat, de quo Simeon Junior Stylita, epiſtola ad eumdem Imperatorem, quæ relata eſt act. 5. ſeptimæ ſynodi, iſta commemorabat. *Samaritarum, qui ſupra omnem im-*

Digitized by Google

ECCLESIA PORPHYREONIS.

munditiam pollui & execrandi ſunt, & habitant ea quæ dicuntur Caſtra, juxta civitatem Porphyreonem, in venerabili domo, quam Deo acceptum Imperium veſtrum ædificavit, impia facinora divinitùs conſervata ſerenitas veſtra comperiet, per ea quæ ſignificata ſunt humilitati noſtræ à Paulo almo admodum ejuſdem Porphyreonis epiſcopo, παρὰ Παύλου τοῦ ὁσιωτάτου ἐπισκόπου Πορφυρεῶνος, *& miſſa ſunt nobis à beatiſſimo Patriarcha Orientis.* Quam epiſtolam ad Juſtinianum juniorem ſcriptam ferunt acta ſynodi illius ſeptimæ.

XII. ECCLESIA PANEADIS.

PANEAS eadem eſt quæ Cæſarea Philippi in ſcripturis dicitur Matth. 16. v. 13. & alibi ad radices Libani & fontes Jordanis. Ipſa eſt quæ Laïs pridem ac ſubinde Dan à filiis Dan Patriarchæ, qui eam occupaverunt, appellata eſt. Ad Sidonios olim pertinebat, unius dumtaxat diei itinere Sidone diſtans, Joſepho lib. 5. Antiq. cap. 2. ut Phœniciæ merito cenſita ſit. Paneadem à Phœnicibus ipſis nominatam teſtatur Euſebius lib. 7. hiſt. eccl. c. 17. ἐπὶ τῆς Φιλίππου Καισαρείας ἣν Πανεάδα Φοίνικες προσαγορεύουσι. Sozomeno lib. 5. cap. 21. *Phœnicia urbs eſt* Φοίνισσα δὲ αὕτη πόλις. Paneadem vocatam aſſerit Joſephus lib. 15. Antiq. c. 13. à ſpecu vicini montis, cui nomen Πάνιον. Sub Nerone appellata eſt Neronias ab Agrippa rege juniore. Paneas dumtaxat vocatur in notitiis. Hac in urbe celebris ſtatua Domini fuit, à muliere quam à fluxu ſanguinis curaverat, erecta, quam alii à Maximino Imperat. alii à Juliano Apoſtata dejectam ferunt. Quod argumento eſt in ipſis Chriſtianæ religionis initiis Cæſareæ Philippi, ſeu Paneade fuiſſe qui Chriſtum colerent.

EPISCOPI PANEADIS.

I. ERASTUS.

DOROTHEO Tyri *Eraſtus,* cujus Paulus epiſtolæ ad Romanos c. 16. v. 23. meminit, eccleſiæ Hieroſolymorum œconomus primùm fuit, deinde Paneadis epiſcopus. At cum bona venia eruditi Dorothei, dicam à Paulo Eraſtum quidem appellari arcarium civitatis, at illius ex qua ſcribebat, Corinthi ſcilicet, non Hieroſolymorum.

II. PHILOCALUS.

In ſynodo Nicæna de provincia Phœniciæ ſedebat *Philocalus Paneades,* vel *Paneatenſis.*

III. MARTYRIUS.

Sub Juliano Apoſtata *Martyrius* Paneadis epiſcopus, multa in eum per contemptum loquutus, vivicomburio interiit, juxta fanum quod Imperator ille *Jovi omnium inſpectori* erexerat, quo loco ſtatua olim Domini extiterat. Codinus Orig. Conſtantinopolit.

IV. BARATUS.

In indice Patrum concilii generalis prioris Conſtantinopolitani, inter epiſcopos Phœniciæ viſitur *Baratus Paneadenſis.*

V. OLYMPIUS.

Adfuit ſynodo Chalcedonenſi ſubſcripſitque *Olympius epiſcopus Paneadis,* Ὀλύμπιος ἐπίσκοπος Πανεάδος.

XIII. ECCLESIA RACHLENORUM.

IN actis ſynodi epiſcoporum Phœniciæ primæ, quæ Epiphanio metropolita Tyri celebrata fuit adverſus Severum Antiochenum, Elias qui in ſubſcriptionibus ſe epiſcopum Zenopolis dicit, Ηλίας ἐπίσκοπος Ζηνοπόλεως, vel, ut Latini codices aliquot habent, *Cynopolis,* ipſe in actorum contextu *Rachlenorum* epiſcopus appellatur, ἔφη δὲ καὶ Ηλίας ἐπίσκοπος τῶν Ραχληνῶν. Sed & Rachlenorum epiſcopus alter viſitur in actis quintæ ſynodi generalis, quum ejuſmodi tamen civitatis vel oppidi nuſquam alibi mentio fiat : niſi ipſa ſit Heraclea quam in Phœnicia Plinius collocat.

EPISCOPI RACHLENORUM.

I. ELIAS.

ANno 518. *Elias* ille Zenopolis & Rachlenorum ſynodo provinciæ Phœniciæ, quæ Tyri Epiphanio præſide habita eſt, interfuit ac ſententiam dixit in Severum Antiochenum, & Joannem mandritam œconomum eccleſiæ Tyri.

II. ANASTASIUS.

In quinta ſynodo generali ſedit & ſubſcripſit, *Anaſtaſius miſericordia Dei epiſcopus Rachlenorum provinciæ Tyriorum.*

III. PROVINCIA

Digitized by Google

III. PROVINCIA PHŒNICIÆ SECUNDÆ.

I. ECCLESIA DAMASCI METROPOLIS.

DAMASCUS antiqua civitas, priſcorum Syriæ regum metropolis, quum nondum florerent Antiochia, Laodicea, & Apamea, *quas urbes poſt Alexandrum auctas eſſe cognovimus*, ait Hieronymus lib. 5. comm. in Eſaiam cap. 17. *Hanc ſua ætate omnium fere nobiliſſimam civitatem, quæ in ea regione ſunt*, ait Strabo, hoc eſt univerſæ Syriæ. Julianus Imp. epiſt. 24. *Veram Jovis urbem, totius Orientis oculum, ſacram & maximam Damaſcum* jactat. *Plurimi*, ait Plinius lib. 5. c. 18. *ad Decapolim Damaſcum* referebant, *& Otopon riguas amne Chryſorrhoa, fertilem, &c.* In hac urbe, quum Arethæ regis Arabum ditionis eſſet, ſub Chriſtianæ religionis initiis eccleſia exſtitit; cujus alumnus fuit Apoſtolus Paulus, ab Anania Domini diſcipulo illic baptizatus. Theodoſius ſenior Phœniciam ſecundam ſeu Libanenſem provinciam inſtituiſſe, & Emeſæ metropolis jura attribuiſſe, cum præfecto ordinario, fertur apud Joannem Malalam Chronogr. part. 2. pag. 31. ὁ δὲ αὐτὸς βασιλεὺς ἀπεμέρισε καὶ τὴν Φοινίκην Λιβανισίαν ἀπὸ τῆς μεγάλου καὶ ἐποίησεν ἐπαρχίαν, δοὺς δίκαια μητροπόλεως καὶ ἄρχοντα ὀρδινάριον Ἐμέσῃ τῇ πόλει. Hierocli quoque in notitia, Phœniciæ Libani metropolis eſt Emeſa Ἐμέσα μητρόπολις. Jam pridem Emeſa metropolis cenſebatur, ut & Laodicea ad Libanum, at vero etiam Damaſcus. Nummi varii ſuperſunt, ut puta Commodi Imp. qui inſcribuntur, ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC ΔΑΜΑCΚΗΝΩΝ: Caracallæ ΚΟΛΩΝΙΑC ΔΑΜΑCΚΟΥ ΜΗΤΡΟΠ. Gordiani ΚΟΛ. ΔΑΜΑ. ΜΗΤΡΟ. Cæterum nullo jure civili Damaſco Emeſa & Laodicea illa ſubjectæ erant. Quamobrem eccleſiaſtica auctoritate Damaſcus, quæ certe Emeſam & Laodiceam ſubjectas nunquam habuit, uti nec regiones quæ his urbibus obnoxiæ erant, Phœniciæ Libanenſis metropolis facta eſt potius, quam ſæculari. Orientales epiſcopi qui cum Joanne Antiocheno ad Epheſinam ſynodum venerant, epiſtolam quam Joanni Conſtantinopolim mittebant, ad hunc modum inſcripſerunt: *Sancta ſynodus . . . . Joanni archiepiſcopo Antiocheno, & Joanni epiſcopo Damaſcenorum metropolis, &c.* Imo ſecunda cathedra Orientis cenſetur Damaſcus, poſt Tyrum ſcilicet, in epiſtola Joannis ejuſdem Antiocheni ad Proclum Conſtantinopolitanum, quæ collectionis ex Tragœdia Irenæi c. 197. habetur: *Illi qui ex ſecunda Phœnicia venientes propter ordinationem religioſiſſimi epiſcopi Theodori, qui tua dignus eſt ſanctitate . . . illum dico qui eſt à ſecunda cathedra, &c.* quam dignitatem Damaſcenæ eccleſiæ collatam puto ob præcipuam ejus antiquitatem.

METROPOLITÆ DAMASCI.

I. ANANIAS.

PRimus Dorotheo, Damaſcenæ eccleſiæ A epiſcopus eſt *Ananias*, qui Paulo Apoſtolo manus impoſuit, eumque mox baptizavit. Verum antiquus auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. cap. 46. innuit Ananiam, uti Philippum diaconum, baptiſmum conferre ſolitos quum preſbyteri non eſſent. *Si vero cauſantur Philippum diaconum, eunuchum baptizaſſe, & Ananiam Paulum, . . non capiunt illi quod dicimus.* At in Martyrologio Romano memoria Ananiæ fit his verbis 25. Januarii: *Apud Damaſcum natalis S. Ananiæ, qui eumdem Apoſtolum Paulum baptizavit. Hic quum Damaſci & Eleutheropoli, alibique Evangelium prædicaſſet, ſub Licinio Judice nervis cæſus & laniatus, ac lapidibus oppreſſus martyrium conſummavit.* Quæ utinam nobis ex ſinceris actis explicatiora fierent.

II. MAGNUS.

In indice Patrum qui Nicæno concilio interfuerunt, inter epiſcopos Phœniciæ legitur *Magnus Damaſcenus*, qui & inter præſules Antiochenæ ſynodi, quæ an. 340. habita eſt, numeratur in ſubſcriptionibus quæ Latine ſuperſunt.

Digitized by Google

ECCLESIA DAMASCI.

III. Philippus.

Synodo Conſtantinopolitanæ generali priori inter provinciæ Phœnices epiſcopos adfuit *Philippus Damaſcenus*.

IV. Joannes I.

Ad Epheſinam ſynodum cum Joanne Antiocheno & aliis Orientalibus venit *Joannes Damaſci metropolitanus*, qui eorum variis adverſus legitimum concilium geſtis ſubſcripſit. Ab illorum ſynodo cum Joanne Antiocheno aliiſque epiſcopis Conſtantinopolim ad Imp. delegatus eſt, ut fert ejuſdem ad ipſos epiſtola quæ exſtat cap. 28. ſynodici ex Tragœdia Irenæi, hac inſcriptione: *Sancta ſynodus, quæ Epheſum per Dei gratiam congregata eſt, amiciſſimis atque ſanctiſſimis, Domino Joanni Antiochenorum magnæ civitatis, & Joanni epiſcopo Damaſcenorum metropolis*. Sanctam ſynodum vocabant ſuum epiſcoporum ſeorſum à legitima ſynodo conventum.

V. Theodorus.

Joanni utique ſucceſſit *Theodorus*, cujus ordinationis mentio reperitur in epiſtola Joannis Antiocheni ad Proclum Conſtantinopolitanum cap. 197. ejuſdem collectionis ex Tragœdia Irenæi, illo loco quo ſuperiùs evici Damaſcum eccleſiaſtico jure Phœniciæ ſecundæ metropolim exſtitiſſe. Anno 435. interfuit concilio Antiocheno ſub Domno, in quo Athanaſius Perrhenſis judicatus deſtitutuſque eſt. Venit inſuper ad Chalcedonenſe, cujus decretis actione præſertim ſexta ſubſcripſit, & pro cunctis ditionis ſuæ epiſcopis.

VI. Joannes II.

Leo Imperator accepto necis S. Proterii Alexandrini nuntio, litteras dedit ad metropolitas Orientis, quibus percontabatur, quid de hoc facinore, quid de Chalcedonenſi ſynodo ſentirent, in quibus, *Joanni reverentiſſimo epiſcopo metropolitæ Damaſci Syriæ Libaniſiæ*. Ipſe viciſſim provinciæ ſuæ ad Imperatorem epiſtolæ primus, uti par erat, ſubſcripſit, poſt quem *Uranius epiſcopus Emeſæ*.

VII. Petrus I.

Petrus Damaſci epiſcopus fuit Anaſtaſio Imp. vir apprime catholicus, qui acceptis à Severo Antiocheno communionis litteris, perſequutionem qua ille in eccleſias graſſabatur, pertimeſcens, relicta ſede in Palæſtinam fugit. Sic teſtantur monachi Palæſtinæ in epiſtola ad Alciſonem Nicopolis apud Evagrium lib. 3. hiſt. cap. 33. *Alii epiſcopi & clerici qui ſub Severo erant, eccleſiis ſuis relictis fugerunt, inter quos & Julianus Boſtrorum, &*
A *Petrus Damaſci qui hîc vitam agunt*, ὧν ἐστὶ καὶ ὁ Βοσρῶν Ἰουλιανὸς, καὶ Πέτρος ὁ Δαμασκοῦ, ἐνταῦθα διάγοντες. Quid de Petro deinceps factum ſit, incertum.

VIII. Thomas *hæreticus*.

Petro utique à Severo ſuffectus eſt *Thomas*, inſignis Monophyſita, qui à Juſtino Imper. an. 518. Damaſco pulſus eſt, quod ſynodum Chalcedonenſem nollet admittere. *Aſſemanus diſſert. de Monophyſ. ex Dionyſii Patriarchæ Chronico, tom. 2. Bibliothecæ Orientalis*
B *pag. 327*.

IX. Zacharias.

Ante quintam ſaltem ſynodum vixiſſe puto *Zachariam epiſcopum Damaſci*, cujus diſcipulus Thomas uti ſanctus habetur in Kalendario Habeſſinorum die trigeſimo Novembris.

X. Eustathius.

Quintæ ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit *Euſtathius metropolita Damaſci*.

C

XI. Germanus.

Sub Mauritio Imperatore, ſæculo ſexto labente, ſedebat *Germanus epiſcopus Damaſci*, ut fert Theophylactus Simocata lib. 3. hiſt. c. 1. & 2. Δαμασκοῦ γὰρ διεκόσμει θρόνον. Quem Priſcus Mauritii Imp. exercitus dux Edeſſæ repertum humaniſſime complexus eſt, ſecum ad caſtra duxit, ut Paſſionis & Reſurrectionis Dominicæ dies ſolennes ageret; quin ſubinde exercitum cum Priſco in quem rebellabant, conciliare ſtuduit. Hunc Theophanes in An-
D nalibus Edeſſæ epiſcopum dicit, multa hîc confundens & miſcens quæ Theophylactus Simocata rerum geſtarum æqualis, explicate & accurate deſcribit. Hæc, ſi Theophanem audiamus, geſta ſunt anno quinto Mauritii Imperatoris.

XII. Petrus II. *Martyr*.

S. Joannis Damaſceni ætate, hoc eſt ſæculo octavo medio, claruit *Petrus II.* Damaſci metropolita, cujus juſſu formulam fidei orthodoxæ condidit ille recitandam ab Elia
E epiſcopo Jadrubæ, quæ inter illius opera edita eſt to. 1. hoc præfixo titulo περὶ ὀρθοῦ φρονήματος, de recta ſententia. Auctor quoque eidem Joanni fuit, ut ampliſſimam in Jacobitas diſſertationem ederet. Tandem ſub Walido Mohammedanorum Amiadarum Califa, quum Arabum & Manichæorum, quibus Syria ſcatebat, impias ſuperſtitiones redarguiſſet, lingua abſciſſa in Arabiam felicem deportatus fuit, ubi nihilominus ſacra

Digitized by Google

myſteria diſtincta voce peragebat. Quæ narrat Theophanes an. 1. Walidi, Chriſti 743. ubi A & eum vitam martyrio finiiſſe videtur innuere. ἐξώρισεν αὐτὸν, ait, κατὰ τὴν εὐδαίμονα Ἀραβίαν, ἔνθα καὶ τελευτᾷ μαρτυρήσας. *Hunc vero in Arabiam felicem relegavit, in qua martyrio Chriſti cauſa conſummatur, quum divinam Liturgiam diſtinctis verbis pronuntiaret, velut ab iis relatum eſt, qui propriis auribus audierunt.* Ipſe eſt, nî fallor, Petrus metropolita Damaſci, cujus memoriam agunt Græci die decimaquinta Februarii.

XIII. Sergius.

Sergius metropolita Damaſci compertus nobis fit ex opuſculo 19. Petri Damiani c. 10. pag. 192. qui Romam, epiſcopatu dimiſſo, profectus, reliquam vitam in monaſterio inſumpſit. *Sergius*, inquit, *etiam metropolita Damaſci non inconvenienter his poſſet annecti, qui eccleſiam ſuam pro Chriſti amore deſeruit, & Romam peregrinus advenit, reperienſque beatorum Bonifacii & Alexii baſilicam ſacerdotalibus pene officiis deſtitutam, Benedictum Romanæ ſedis antiſtitem adiit, atque ut ſe monaſterialem ibi permitteret regulam inſtituere precibus impetravit: ubi nimirum longo tempore religioſe degens, vitam finivit.* Hæc ad Benedicti IX. tempora videntur ſpectare, qui nempe anno 1033. Romanum Pontificatum iniit, quum Damianus monachum nondum induiſſet. In chronologico canone, qui in capite Juris Græci-Romani exſtat ad annum 1021. legitur *Sergius metropolita Damaſci*.

ECCLESIA DAMASCI.

XIV. Georgius.

Martinus Cruſius l. 4. Turco-Gr. pag. 294. B epiſtolam edidit Michaëlis Patriarchæ Antiochiæ ad Byzantinum Patriarcham, de Georgio quodam errabundo, cujus uxor Damaſci agebat, ſcriptam an. Mundi 7085. Indict. v. Junii 17. ſeu Chriſti 1576. in qua meminit Georgii epiſcopi Damaſci protoſyncelli ſui. Γράφει ὁ πρωτοσύγκελλος κῦρις Γεώργιος τῆς Δαμασκοῦ, *ſcribit protoſyncellus Domnus Georgius Damaſci* (metropolita ſcilicet) *cum conſobrina ſua prædicti Georgii uxore, accedente teſtimonio Clericorum Damaſci, papa Azez, &c.*

II.

ECCLESIA EMESÆ.

EMESA quæ & Emiſa Ἔμισα, vel Ἔμισος Emiſus pro variis ſcriptoribus, ad Libanum poſita civitas: in eam à Romanis deducta colonia, ut nummi ejuſdem civitatis ferunt, præcipue Antonini Caracallæ Imperatoris ΕΜΙϹΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑϹ, nec non Elagabali, ΜΗΤΡΟΠ. ΚΟΛ. ΕΜΙϹΩΝ. Secundæ Phœniciæ metropolis eſt, in notitia Hieroclis, inſtituta nimirum à Theodoſio I. Imp. ut ſuperius dictum eſt in eccleſia Damaſci, ex Joanne Malala. *Hemiſenos* habet Plinius lib. 5. cap. 23. Zoſimus quoque & Julianus Apoſtata in Miſopogone, Strabo vero *Emeſenos*, τὸ Ἐμισηνῶν ἔθνος, Emeſenorum gentem. Templum Chriſto elegantiſſimum Emeſæ ſtructum fuit temporibus Conſtantii Imp. ut fert Sozomenus lib. 3. cap. 17.

EPISCOPI EMESÆ.

I. Silvanus *Martyr.*

DIOCLETIANO chriſtianos inſectante, C *Silvanus eccleſiarum Emiſenæ regionis epiſcopus*, Σιλβανὸς τῶν ἀμφὶ τὴν Ἐμίσαν ἐκκλησιῶν ἐπίσκοπος, martyrium iniit, Euſebio lib. 8. hiſt. cap. 13. quod poſtremò obiit ſub Maximino, beſtiis objectus cum duobus aliis, ut idem auctor teſtatur lib. 9. c. 6. *Nonnulli*, ait, *qui in ſacræ fidei prædicatione excellere videbantur, comprehenſi, abſque ulla miſericordia capitali ſententia damnati ſunt. Ex quibus tres Emeſæ in Phœnices civitate*, ἐν Ἐμίσῃ τῇ πόλει τῆς Φοινίκης, *ſe chriſtianos eſſe confitentes, beſtiis devorandi objiciuntur, inter quos Silvanus erat epiſcopus decrepitæ ætatis, qui totos quadraginta annos ſacerdotio functus fuerat.* Σιλβανὸς ἐπίσκοπος ἦν ἐν τούτοις, τὴν ἡλικίαν ὑπέργηρως, ἐν ὅλοις ἔτεσι τεσσαράκοντα τὴν λειτουργίαν διηνυκώς. Ejus ſociorumque memoria fit in Menologio Græcorum die 6. Febr. *Eodem die ſancti Silvani epiſcopi, Lucæ Diaconi & Mocii lectoris, qui Imperatore Numeriano ex regione Emiſenorum martyrium paſſi ſunt.* Ex iiſdem Menæis die 4. Febr. Julianus Emiſenus ab adoleſcentia medicus, arrepta occaſione medicinæ corporibus adhibendæ, illud inprimis ſpectabat, ut Chriſti fidem docendo, baptiſmo animis medicinam præſtaret. Quum vero Silvanus epiſcopus, Lucas diaconus, Mocius lector, Numeriano Imp. vincti è carcere in theatrum educerentur beſtiis objiciendi, hos Julianus accurrens oſculatus eſt, hortatuſque eſt ut fortiter agerent; at ſtatim comprehenſus, clavis capite, manibus & pedibus confixus in ſpelunca expiravit. Nihil curandus hic error quo Numerianum pro Diocletiano vel Maximino poſuerunt.

Digitized by Google

II. Anatolius.

In Patrum Nicænæ ſynodi indice legitur *Anatolius Emiſenus*, quidam Latini codices habent *Antonius*, male prorſus. Nam Antiochenæ ſynodo *Anatolius Emeſæ*, anno 340. perinde interfuiſſe fertur in ſubſcriptionibus.

III. Eusebius.

Euſebius Edeſſa oriundus, Philoſophicis ſcientiis apprimè eruditus, vir inter Arianicæ factionis præcipuos celebris, quem illi in Athanaſii magni locum ſubrogare voluerunt, ſedem hanc adire ob numeroſiſſimum Alexandriæ populum veritus, Emiſæ epiſcopus ab iiſdem deſignatus fuit; ſed à Chriſtianis civibus admiſſus non eſt, quod Mathematicis diſciplinis, à quibus vera religio abhorrebat, animum nimis attenderet. Poſt vero Georgii Laodiceni apud quem ſe receperat, opera, Emeſam rediit, hujuſque urbis eccleſiæ præfuit. Hunc miraculis, ſeu præſtigiis potius, claruiſſe Ariani jactitarunt, adjunctumque idcirco comitem Conſtantio Imp. adverſus barbaros proficiſcenti. Hæc Socrates ex Georgii Laodiceni ſcriptis lib. 2. cap. 9. qui eum in Sabellianæ hæreſis crimen aliquando incurriſſe refert; quanquam Arianam mentem luculenter ſatis prodit in fragmento operum ipſius, quod Theodoretus in fine dialogi 3. contra Eraniſtam ſubjunxit, ubi eum vocat Εὐσέβιον τὸν Φοίνικα τὸν Ἐμέσης τὸν παρὰ τοῦ Λιβάνου ἀρχιερέα. *Euſebium Phœnicem Emeſæ ad Libanum pontificem*, qui alterius hæreſis eſſet ab Apollinariſtis & Eraniſta. Socrati tamen Sozomenus ſuccinit lib. 3. c. 5. Hieronymus in catalogo ſcript. Eccl. viri eruditionem ſic paucis deſcribit. *Euſebius Emeſenus epiſcopus, elegantis & rhetorici ingenii, innumerabiles, & qui ad plauſum populi pertinent, confecit libros, magiſque hiſtoriam ſequutus, ab his qui declamare volunt, ſtudioſiſſime legitur, è quibus vel præcipui ſunt, adverſum Judæos, & Gentes, & Novatianos, & ad Galatas libri decem, & in Evangelia homiliæ breves, ſed plurimæ. Floruit temporibus Conſtantii Imp. ſub quo & mortuus, Antiochiæ ſepultus eſt.* Ac certe ante Seleucienſe concilium, ad quod Paulus ejus ſucceſſor venit.

IV. Paulus I.

In Seleucienſi concilio Georgio Alexandrino, Acacio Cæſarienſi, aliiſque Arianicæ factionis præſulibus adhærens, formulæ ipſorum fidei ſubſcripſit Παῦλος ἐπίσκοπος Ἐμίσης, *Paulus epiſcopus Emiſæ*.

V. Nemesius.

In codicibus multis Græcis liber *de natura hominis*, qui ſæpenumero typis Græcis &
A Latinis editus eſt, *Nemeſii* Emiſeni epiſcopi nomine inſcribitur; Nemeſii, inquam, qui Baſilio & Gregorio Nazianzeno amicitia conjunctiſſimus fuit, cui nempe Philocaliam ſuam nuncuparunt.

VI. Cyriacus.

Cyriacus Emiſenus Joannis Chryſoſtomi cauſam egregiè tutatus eſt, unde ab Arcadio principe Palmyram in Perſarum arcem relegari meruit, Palladio teſte in dialogo de vita ejuſdem S. Joannis Chryſoſtomi, pag. 194. Κυ-
B ριακὸν μὲν τὸν Ἐμέσης ἐνδοτέρω ὀγδοήκοντα σημείων εἰς Παλμύραν, τὸ τῶν Περσῶν φρούριον.

VII. Paulus II.

Ad Epheſinam ſynodum *Paulus* Emeſæ quum acceſſiſſet, Joannem Antiochenum, ſuoſque Orientales adverſus Cyrillum Alexandrinum, & legitimum concilium ſequutus eſt. Poſt annum vero 432. Alexandriam à Joanne ejuſque ſynodo miſſus, pacis eccleſiarum ſequeſter fuit, quem dignis acclamationibus in eccleſia, quum de fide peroraſſet,
C Alexandrina plebs proſequuta eſt.

VIII. Pompeianus.

Synodo quæ Antiochiæ habita eſt ſub Domno Patriarcha, in qua Athanaſii Perrhenſis cauſa primum judicata eſt, aderat *Pompeïanus Emiſæ epiſcopus*. Vid. act. 4. concilii Chalcedonenſis. Exſtat ad ipſum epiſtola 36. Theodoreti, qua Celeſtiacum Carthaginenſem epiſcopum patria pulſum & in Syria agentem, ei commendabat.

D

IX. Uranius.

Uranius quum Emiſenus epiſcopus ſederet, ad Chalcedonenſe concilium delegavit Porphyrium archidiaconum, qui vices ſuas expleret, Πορφυρίου ἀρχιδιακόνου ἐπέχοντος τὸν τόπον Οὐρανίου ἐπισκόπου Ἐμέσης, *Porphyrio archidiacono vices agente Uranii epiſcopi civitatis Emiſæ Phœniciæ Libani*. Latinam exſcribo tranſlationem actorum ſacro-ſancti concilii. Act. 4. dixit *Porphyrius ſe miſſum ab Uranio*, ut locum ipſius teneret, quum ille Leonis Papæ ad Flavianum epiſtolam, Nicænæ, Con-
E ſtantinopolitanæ & Epheſinæ ſynodorum fidei conſonam reperiſſet. Ad eum Theodoretus epiſtolas 122. & 123. ſcripſerat, quo tempore prædatoriæ ſynodi Epheſinæ decreto, & Theodoſii Imp. mandato ex eccleſia ſua Cyrenſi pulſus fuerat. Subſcripſit ſubinde Uranius ſynodicis litteris provinciæ Phœniciæ ad Leonem Auguſtum. Ipſo demum Emeſeno præſule inventum eſt caput ſancti Joannis-Baptiſtæ: quod contigiſſe tradit

Digitized by Google

Marcellinus Comes Indict. VI. Vincomalo & Opilione coſſ. hoc eſt anno Chriſti 452. A Cujus inventionis acta exſtant inter acta SS. die 24. Junii, ſcripta à Marcellino archimandrita Spelæi, olimque Latine verſa à Dionyſio Exiguo. Ubi pauca eorum quæ clariſſimus Ducangius, in ſua de capite ejuſdem ſancti Joannis-Baptiſtæ lucubratione accuratiſſime digeſſerat, iterum referuntur.

X. * * *

Anno 24. Conſtantis Imp. filii Heraclii, Chriſti 665. igne combuſtus interiit epiſcopus Emeſæ, ἐκάη ὁ ἐπίσκοπος Ἐμέσης, ab impiis utique Mohammedanis. Sic Theophanes.

XI. Theodorus.

Poſt tempora utique Conſtantis Imperat. imo octavo aut nono prorſus ſæculo, vixit beatus *Theodorus* Emeſenæ urbis epiſcopus, cujus mentio eſt in vita S. Stephani Sabaïtæ inter Acta SS. 13. Julii, quem nempe Hieroſolymitanæ eccleſiæ archidiaconus, in exſtaſim raptus inter binos Angelos in veſtitu albo à ſe viſum Stephano narrabat, καὶ βλέπω τὸν Θεοφόρον (Θεόδωρον) μητροπολίτην τῆς πανευδαίμονος Ἐμέσης λευχημόνοις ἑστῶτα. Vita ſancti Stephani num. 112.

III. ECCLESIA LAODICEÆ LIBANI.

Laodicea hæc ad Libanum poſita, Straboni initium eſt regionis Marſyæ. Plinius *Laodicenos qui ad Libanum cognominantur,* ad Orientem Phœniciæ maritimæ collocat. Nummi exſtant ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΕΝ ΤΩ ΛΙΒΑΝΩ, *Laodicenorum in Libano,* & ΠΡΟΣ ΤΩΙ ΛΙΒΑΝΩΙ, *prope Libanum.* Ptolemæo, Cabioſa Laodicea dicitur Καβιῶσα Λαοδίκεια, pro *Scabioſa,* quod Latinum idioma magis refert. Apud eumdem Geographum provinciæ Laodicenæ Λαοδικηνῆς caput eſt. Unde in nummis quibuſdam *metropolis* titulo ornatur.

EPISCOPI LAODICEÆ *ad* LIBANUM.

I. Placon.

Laodiceæ ad Libanum epiſcopus nullus B occurrit Epheſina ſynodo anterior, ad quam *Placon* acceſſit, & à qua receſſit cum Joanne Antiocheno, Macario alterius Laodiceæ, ad mare ſcilicet, & *magnæ,* τῆς μεγάλης, epiſcopo, cæteriſque Orientalibus, quorum omnibus adverſus legitimum concilium litteris & decretis ſubſcripſit. Cæterum in Actis Epheſinæ ſynodi Græcis Πλάκων, *Placon* ſcribitur, quod ejus nomen eſſe verum videtur, in Latinis vero modo *Placcus,* modo *Flaccus.*

II. Valerius.

In ſubſcriptionibus concilii Chalcedonenſis, in eo ſediſſe comperitur *Valerius epiſcopus Laodiceæ civitatis Phœnices.*

III. Joannes.

Joannes Damaſcenus inſtitutionem elementarem de vocibus ad fidei dogmata ediſſerenda neceſſariis, aliaque contra Monotheletas, acephalos & alios hæreticos ſcripſit, nuncupavitque *Joanni Laodiceæ epiſcopo,* Laodiceæ utique Libani, quæ Damaſco & Palæſtinæ vicinior eſt.

IV. ECCLESIA HELIOPOLIS.

Heliopolis Phœniciæ Libanenſis civitas, quæ hodie *Balbec* nominatur, haud procul Emeſa poſita Straboni. In Itinerario autem Antonini *Conna* & *Laodicea* mediæ ſunt inter Heliopolim & Emiſſam. Cæterum Damaſco propior eſt Heliopolis. Cives ejus ad uſque tempora Conſtantini idolorum cultui addictiſſimi fuerunt, ac non tantum *Solis,* à quo nomen illi inditum, verum etiam Veneris, ob fanum Ἀφροδίτης Ἀφακίτιδος, *Veneris Aphacitidis,* in qua viri peregrinis quibuſque uxores filiaſque ſuas impune proſtituebant; quæ ſtupra Conſtantinus lege lata prohibuit, atque Heliopolitanos adhortatus eſt, ut ad Dei veri notitiam ſe quantocius transferrent. Quocirca conſtructa ingenti Chriſtiano ritu baſilica, quod antè auditum prorſus non erat, *civitas dæmonum prius ſtudioſiſſima, eccleſiam Dei, preſbyteroſque & diaconos habere meruit, cum epiſcopo, qui ſupremo ſolique vero numini ſacra facerent,* καὶ τὴν τῶν δεισιδαιμόνων πόλιν, ἐκκλησίας Θεοῦ, πρεσβυτέρων τε καὶ διακόνων ἠξιῶσθαι· τῷ τ᾽ ἐπὶ πάντων Θεῷ ἱερωμένον ἐπίσκοπον τῶν τῇδε προσκαθίζεσθαι. Hæc Euſebius Cæſarienſis lib. 3. de vita Conſtantini cap. 58. & Orat. de laudibus Conſtantini cap. 18. Cæterum pauciores adhuc numero Heliopoli erant Chriſti cultores, quo tempore Julianus Apoſtata Imperium

Digitized by Google

tenebat. Hujus quippe urbis Gentiles multitudine ſuperiores, ut latam adverſus priſcum ſuum, impiumque morem legem ulciſcerentur, virgines Chriſto ſacras, coitione facta, nudas palam in foro exponere non dubitarunt : quumque poſthac Theodoſius Auguſtus idolorum delubra penitus dirui præcepiſſet, ſtrenue illi pro ſuis tuendis pugnaverunt. Legendus Sozomenus lib. 5. cap. 10. & lib. 7. cap. 15. Petrus Alexandrinus epiſcopus Athanaſii ſucceſſor proximus, epiſtola quam Theodoretus recitat lib. 4. c. 22. ſanctos Deitatis Chriſti confeſſores & martyres à Magno provincialium largitionum Comite Valentis Auguſti juſſu deportatos Heliopolim refert, in qua ne unus quidem habitaret qui Chriſti nomen audire ſuſtineret; quum omnes ſimulacra colerent. Cæterum ex Chronico, quod Paſchale ſeu Alexandrinum vocant ad annum Diocletiani 13. Maximiano Herculio V. & Maximiano Jovio Cæſare II. coſſ. martyrium Heliopoli in urbe Libaniſiæ pertulit S. Gelaſimus ex mimo repente factus Chriſtianus, quem vicini Mariamnæ in vico Heliopoli proximo, unde oriundus erat, ſepelierunt.

ECCLESIA HELIOPOLIS.

EPISCOPI HELIOPOLIS.

I. Theodotus.

IN martyrologio Romano, & Menologio Græcorum ad diem 1. Martii, ubi memoria fit S. Eudociæ Martyris, hanc ex Samaritanis oriundam, à *Theodoto* Heliopolis Phœniciæ Libani epiſcopo baptizatam tradunt. Αὕτη ἦν ἐξ Ἡλιουπόλεως τῆς ἐπαρχίας Λιβανησίας Φοινίκης κατὰ καιροὺς τοῦ βασιλέως Τραϊανοῦ... βαπτίζεται οὖν ὑπὸ Θεοδότου ἐπισκόπου. Quod ſi ita eſt, Chriſtiana religio Heliopoli brevi exſtincta fuerat. Eudociæ acta Bollandus ex Petri Poſſini tranſlatione Latine edidit ad diem 1. Martii, quæ utinam ſinceriora videantur.

II. ***

Primi Heliopolis epiſcopi qui ſub Conſtantino Magno conſtitutus fuit, nomen omiſit Euſebius.

III. Joseph.

In ſynodo Antiochena quæ ad diſceptandam Athanaſii Perrhenſis cauſam ſub Domno Patriarcha habita eſt, ſedebat *Joſeph epiſcopus Heliopolis*.

IV. Petrus.

Epiſtolæ ſynodi Phœniciæ ſecundæ ad Leonem Auguſtum ſubſcripſit *Petrus epiſcopus Heliopolis*.

V. Antoninus.

Teſtimonio Neophyti Antiocheni Patriarchæ de fide Orientalis eccleſiæ circa fidem catholicam adverſus Calvinianos anno 1673. ſubſcripſit *Antoninus epiſcopus Heliopolis*, to. 3. de Perpet. fid. pag. 756.

VI. ***

Anno 1688. ſedebat *Heliopoli epiſcopus* Græcus, vir Latine doctus, à quo Cl. D. de la Roque ſe benevole & peramanter ſuſceptum refert, quum ad ejus ædes & eccleſiam videndas veniſſet. *Voyage du Mont-Liban, to. 1. pag. 113.*

V. ECCLESIA ABILÆ.

PRæter *Abilam* vel *Abelam* Palæſtinæ ſecundæ civitatem, ejuſdem nominis altera fuit in Cæle-ſyria ſeu Phœnicia Libanenſi, Tetrarchiæ quondam Abilinæ caput, cujus princeps Lyſanias memoratur Luc. 3. v. 1. Unde Ptolemæo, Ἄβιλα ἐπικληθεῖσα Λυσανίου, *Abila cognominata Lyſaniæ*. In Itinerario quod Antonini dicitur, bis Heliopolim inter & Damaſcum collocatur. Phœniciæ Libanenſis cenſetur in notitia Hieroclis & Græca veteri alia. Eamdem eſſe aiunt, quæ *Belinas* hodie nominatur.

EPISCOPI ABILÆ.

I. Jordanes.

SEdebat ante ſæculi quinti medium *Jordanes epiſcopus Abilæ*, qui ſynodo Antiochenæ interfuit, in qua Athanaſii Perrhenſis cauſa primum judicata eſt, cujus acta regeſta ſunt act. 14. concilii Chalcedonenſis. Huic ſubinde generali concilio adſuiſſe legitur, & ejus decretis ſubſcripſiſſe, per Paternium chorepiſcopum. Πατέριος χωρεπίσκοπος ὑπὲρ Ἰορδάνου ἐπισκόπου Ἀβίλης ὁρίσας ὑπέγραψα.

II. Joannes.

Epiſtolæ ſynodicæ epiſcoporum ſecundæ Phœniciæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini, & concilio Chalcedonenſi, ſubſcriptus legitur *Joannes epiſc. Abilæ*. Quidni vero pro *Joanne*, *Jordanes* reſtitui debeat?

Digitized by Google

III. ALEXANDER.

Anno 518. Juſtini Imp. edicto *Alexander* *epiſcopus Abilæ* in Phœnicia Libanenſi, qui Severi hæreſi nomen dederat, ſua ſede pulſus A eſt, Dionyſio Jacobitarum Patriarcha teſte. *Aſſemani Maronit. diſſert. de Monoph.*

VI. ECCLESIA JABRUDÆ.

JABRUDA Ἰαβρουδὰ Ptolemæo tertia eſt provinciæ Laodicenæ ad Libanum, quæ in notitia veteri Græca Phœniciæ ſecundæ attribuitur. Ejus rara apud auctores alios mentio.

EPISCOPI JABRUDÆ.

I. EUSEBIUS.

THEODORUS Damaſci metropolita act. 6. ſynodi Chalcedonenſis pro nonnullis ſuæ B ditionis ſeu provinciæ epiſcopis qui aberant, ſubſcribens, *Euſebium* Jabrudæ nominavit. Θεόδωρος ἐπίσκοπος μητροπόλεως Δαμασκοῦ, καὶ ὑπὲρ τῶν ὑπ' ἐμὲ θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων... Εὐσεβίῳ πόλεως Ἰαβρουδῶν, *Theodorus epiſcopus metropolis Damaſci, & pro religioſiſſimis epiſcopis ſub me conſtitutis.... Euſebio civitatis Jabrudorum.*

II. THOMAS.

Ex Dionyſio Jacobitarum Patriarcha in Chron. Juſtinus Imperat. *Thomam Jabrudæ epiſcopum*, qui Severi hæreſim profitebatur, ea ſede exegit an. 518. *Aſſem. diſſ. de Mon.*

III. ELIAS.

Alium Jabrudorum pontificem *Eliam* reperi in codice Græco ſatis antiquo Bibliothecæ illuſtriſſimi archiepiſcopi Senonenſis, D. de la Hoguette, in quo S. Joannis Damaſceni opuſculum περὶ ὀρθοῦ φρονήματος, *de recta ſententia*, altero hoc titulo inſcriptum viſitur. Ἴσον λιβέλλου, ἤτοι ὁμολογίας, ὑπαγορευθέντος ὑπὸ Ἰωάννου μοναχοῦ καὶ πρεσβυτέρου τοῦ Δαμασκηνοῦ, ἐπιδοθὲν δὲ παρὰ Ἠλίου ὁσιωτάτου ἐπισκόπου Ἰαβροὺδ Πέτρῳ μητροπολίτῃ Δαμασκοῦ. *Pariculum libelli, ſeu confeſſionis, quam expoſuit Joannes monachus & preſbyter Damaſcenus, tradiditque Elias religioſiſſimus epiſcopus Jabrud, Petro metropolitæ Damaſci.*

VII. ECCLESIA PALMYRÆ.

PALMYRA urbs quondam, in deſerto Arabiæ contermino, haud procul ab Euphrate flumine condita à Salomone rege Iſraël, quæ ejus tempore תדמור eſt nominata, dictaque poſthac Palmyra ab Hebræa radice תמר quæ *Palmam* ſignificat, deincepſque apud Syros ad hanc uſque diem, Hadrianopolis quoque Hadriani Imp. gratia dicta eſt Ptolemæo, Palmyrenæ regionis caput, imo regni ſubinde famoſiſſimi. *Palmyra nobilis ſitu*, ait lib. 5. cap. 25. Plinius, *divitiis ſoli & aquis amœnis, vaſto undique ambitu, arenis includit agros, ac velut terris exemta à rerum natura, privata ſorte inter duo imperia ſumma, Romanorum Parthorumque, & prima in diſcordia ſemper utrimque cura. Abeſt à Seleucia Parthorum, quæ vocatur ad Tigrim, CCCXXXVII. millibus paſſuum; à proximo vero Syriæ littore CCIII. mill. & à Damaſco viginti-ſeptem minus*, hoc eſt *CLXXVI.* At vero Phœniciæ Libani cenſita eſt, tam in notitia Hieroclis, quam in veteri eccleſiaſtica Græca, quin etiam in concilii Chalcedonenſis actis, & apud Procopium lib. 2. de ædificiis cap. 11. *Phœnice quæ eſt ad Libanum*, ait, *urbem habet Palmyram, quam ævo tantum non penitus deſolatam Juſtinianus Imp. communivit.* Notiſſima hodieque eſt, à ſuis ruderibus & parietinis quæ innumera ſuperſunt.

EPISCOPI PALMYRÆ.

I. MARINUS.

IN indice Patrum Nicæni concilii legitur *Marinus Palmyrenſis*. C Suſcripſit etiam ſubinde epiſtolæ ſynodi ſuæ provinciæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini.

II. JOANNES I.

Theodorus metropolita Damaſci act. 6. concilii Chalcedonenſis ſubſcripſit pro Joanne epiſcopo Palmyrenſi qui aberat. *Theodorus epiſcopus metropolis Damaſci, & pro religioſiſſimis epiſcopis ſub me conſtitutis*, Ἰωάννου πόλεως Παλμύρας, *Joanne civitatis Palmyræ.*

III. JOANNES II.

Sub Anaſtaſio Imp. & Severo Antiochenæ eccleſiæ pervaſore ſedebat *Joannes epiſcopus Thadmor*, quem Juſtinus I. Imperium adeptus Monophyſiticæ hæreſi nimis addictum, exulare juſſit anno 518. *Aſſem. diſſert. de Monophyſ.*

Digitized by Google

VIII. ECCLESIA DANABORUM.

DANABA inter oppida Palmyrenæ regionis ponitur à Ptolemæo: nec plura occurrunt apud veteres, præterquam in monumentis quarumdam ſynodorum.

EPISCOPI DANABORUM.

I. THEODORUS.

SYnodi Chalcedonenſis decretis *Theodorus* A Damaſci ſubſcribens pro epiſcopis provinciæ ſuæ qui aberant, *Theodorum civitatis Danaborum* nominavit, Θεοδώρου πόλεως Δαναβῶν, qui ſubinde ſubſcriptus legitur epiſtolæ provinciæ Phœniciæ ſecundæ ad Leonem Auguſtum, *Theodorus epiſcopus Caſtri Danabeni.*

II. EULOGIUS.

Quinto concilio generali an. 553. aderat *Eulogius epiſcopus Danaborum*, ut veteres libri Latini ferunt, ex quibus edita corrigenda, in quibus legitur *Dadorum.*

IX. ECCLESIA ALALORUM.

PTOLEMÆUS oppidum *Alalis* habet in Palmyrene regione juxta Euphratem, cujus nulla in ſcriptoribus aliis mentio; quum ſuos tamen epiſcopos habuerit.

EPISCOPI ALALORUM.

I. THALASSIUS.

IN indice Patrum qui Nicæno concilio in- B terfuerunt, legitur *Thalaſſius Alalius.*

II. ABRAAMIUS.

Concilii Chalcedonenſis definitionibus act. 6. ſubſcribens Theodorus Damaſci, pro epiſcopis ſuæ provinciæ abſentibus, *Abraamium epiſcopum Alalorum* memoravit, ut codices Divionenſis & Corbeienſis Latini produnt, quum editi haberent *Alanorum*, haud admodum diſpari voce: ex quibus emendandus Græcus contextus, in quo viſitur Πέξυ πολέως Ἀρχαίων, pro Ἀλάλων.

X. ECCLESIA EVARIÆ.

EVARIA, quæ & *Evarius* & *Evarium*, aliis atque aliis dicitur, Libanenſis Phœniciæ oppidum, Juſtinianopolis quoque appellatur in notitia veteri Græca, Εὐάριος ἤτοι Ἰουστινιανούπολις, *Evarius, ſive Juſtinianopolis.* Utinam non à notitiæ hujus conſarcinatore accepta ſit pro Evræa Epiri, quam à Juſtiniano refectam prodit Procopius l. 4. de Ædificiis c. 1. Cæterum Ptolemæo Aveira Arabiæ Petreæ & Palmyrenæ oppidum eſt.

EPISCOPI EVARIÆ.

I. THOMAS.

CHALCEDONENSI ſynodo adfuit ſubſcripſitque paſſim Θωμᾶς Εὐαρίας Φοινίκης, *Thomas* C *Evariæ Phœnices*, velut codices Latini nonnulli, *Thomas Evropolitanus.* Qui & ſubſcriptus perinde legitur epiſtolæ epiſcoporum ſecundæ Phœniciæ ad Leonem Imper.

In multis codicibus quos legi, & quos Leo Allatius in libro de *Simeonibus*, laudat, Joannem quemdam Damaſcenum aliquot homiliarum Græcarum auctorem reperio, epiſcopum Εὐοίας *Evœæ* dictum, legendum pene dicerem Εὐείας pro Εὐαρίας *Evariæ.* Hic certe potiùs civitatis cujuſdam Orientalis tractûs epiſcopus fuiſſe mihi videtur, quam Eubœæ inſulæ.

XI. ECCLESIA COMES CHARRORUM.

IN notitia veteri Græca, epiſcopatus eſt Phœniciæ ad Libanum Χονάχαρα *Chonachara*, ut & in ſubſcriptionibus ſynodi Chalcedonenſis. Legendum affirmavero Κώμη Χαῤῥαὶ, *Come-Charran*, ſive *vicus Charran*: quando imprimis anonymus Ravennas lib. 2. num. 14. in hac eadem

eadem regione habet *Vicumcarra*. Plane ex codice manu exarato, qui bibliothecæ fuit illuſtriſſimi archiepiſcopi Senonenſis D. de la Hoguette, comperi tandem in Cœleſyria, cujus pars Phœnicia Libanenſis fuit, oppidum *Charran* dictum exſtitiſſe, cujus epiſcopus fuit Theodorus Abucaras, de quo infra. Ptolemæo Γοαρία *Goaria* eſt in Palmyrene; an-non quæ nobis *Come-Charran*? Atque ut videtur ipſa eſt *Hauran* חורן Damaſco & Hemath vicina apud Ezechiëlem cap. 47. v. 16. unde Hieronymo in hunc locum Hauran *oppidum eſt Damaſci in ſolitudine*, quæ *Haurin* Syris dicitur, Arabibus *Huran*. Olim vicina regio ab ea Haranitis dicebatur.

ECCLESIA COMES CHARRORUM

EPISCOPI COMES CHARRORUM.

I. Gerontius.

IN indice Patrum ſynodi Nicænæ inter epiſcopos Cœleſyriæ legitur *Gerontius Coara*, lego *Charræ*, vel *Chomes Charræ*.

II. Dadas.

Theodorus metropolita Damaſci act. 6. ſynodi Chalcedonenſis ſubſcripſit pro *Dada civitatis Chonacharorum* epiſcopo, Δάδα πόλεως Χοναχάρων, emendo Κώμης Χαῤῥῶν, *Comecharrorum*. Ad quam lectionem veriorem accedit alia etſi corrupta, quæ in ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodi Phœniciæ ſecundæ ad Leonem Imp. viſitur, ubi Dadas idem ſcribitur epiſcopus *Chomoarenus*.

III. Joannes.

Dionyſius Patriarcha Jacobitarum, inter Phœniciæ Libani epiſcopos qui anno 518. ob Severi hæreſim in exilium pulſi ſunt, *Joannem epiſcopum Haurin* memorat.

IV. Theodorus.

Qui *Theodorus* Abucaras dicitur, hic epiſcopus, non Cariæ fuit, ut Joanni Gretſero, viro alioqui doctiſſimo viſum eſt, ſed Charran in Syria Cœle ſeu cava, quod mihi jam conſtat ex codice quem ſupra laudavi manu exarato illuſtriſſimi quondam Senonenſis epiſcopi, in quo Theodori illius Abucaræ dialogis titulus iſte præfigitur: ἐκ τῶν πρὸς τοὺς Σαρακηνοὺς ἀντιῤῥήσεων τοῦ ἐπισκόπου Θεοδώρου Χαῤῥὰν ἐπίκλην Ἀβουκαρᾶ, διὰ φωνῆς Ἰωάννου τοῦ διακόνου, *ex diſceptationibus Theodori epiſcopi Charran, cognomento Abucaræ cum Saracenis, ex ore Joannis diaconi.* In prologo autem ejuſdem Joannis ad illas concertationes diſertè eſſertur, Theodorum fuiſſe epiſcopum Charran in Cœleſyria. Φήμη, lego φημὶ, δὲ τὸν μακαριώτατον καὶ φιλοσοφώτατον ἐπίσκοπον γεγονότα Χαῤῥὰν τῆς κοίλης Συρίας Θεόδωρον, τὸν τὴν δυσσεβῆ Ἀγαρηνῶν θρησκείαν στηλιτεύσαντα ἐν θεοπνεύστοις ἀληθῶς συγγράμμασιν, καὶ παντὸς γέλωτος πᾶσαν ἀξίαν αὐτὴν δείξαντα, *beatiſſimum & egregium philoſophum dico Theodorum, qui epiſcopus Charran in Cœleſyria fuit, impiam Agarenorum ſuperſtitionem ſcriptis verè divinitùs inſpiratis confixiſſe, omnique riſu dignam oſtentaſſe.* Quid multa? Abulbircat de Coptitarum grege ſcriptor Monophyſita, in catalogo quem condidit ſcriptorum Neſtorianorum, inſulsè memorat Abucaram epiſcopum Harran, qui ſcripſit diſputationem de controverſiis notiſſimam, & diverſos alios tractatus. Is profecto eſt Theodorus noſter Jacobitæ ſcriptori Neſtorianus, quia catholicus. Ex quibus Gretſeri opinatio confutatur; eoque magis quod Theodorus Abucaras epiſcopatu jam fungebatur, Thoma Hieroſolymorum patriarchatum gerente, à quo ad Armenos de catholica fide erudiendos delegatus fuit, ut fert inſcriptio epiſtolæ ejuſdem Thomæ, quæ Græcè Latinèque prodiit inter ejuſdem Theodori opuſcula. Vivebat itaque circa annum 825. nec proinde per ætatem potuit octavæ ſynodo generali intereſſe, atque in ea veniam poſcere admiſſæ communionis impii Photii anno 869. Sed & erroris graviſſimi arguuntur illi codicum Græcorum exſcriptores, qui dialogos Abucaræ ex ore *Joannis Damaſceni* acceptos prodiderunt, ac non potiùs ex ore Joannis diaconi, Abucaræ, ut ex prologo apparet, diſcipuli.

XII. ECCLESIA ABIDÆ.

ABIDA oppidum eſt Damaſco vicinum verſus Auſtrum poſita Ptolemæo, quæ ſuos quoque epiſcopos habuit.

EPISCOPI ABIDÆ.

I. Eusebius.

EUSEBIUS epiſcopus Abidenus inter epiſcopos ſecundæ Phœniciæ ſubſcripſit epiſtolæ ſynodicæ ad Leonem Imperatorem de nece S. Proterii Alexandrini, & pro Chalcedonenſi concilio.

XIII. ECCLESIA CORADORUM.

CORADA in ſolis conciliorum geſtis reperio, in quibus Phœniciæ ſecundæ attribuuntur.

EPISCOPI CORADORUM.

I. PETRUS.

THEODORUS Damaſci metropolita act. 6. concilii Chalcedon. pro epiſcopis provinciæ ſuæ abſentibus ſubſcribens, poſtremo loco *Petrum* Coradenorum poſuit. *Theodorus epiſcopus metropolis Damaſci, & pro religioſiſſimis epiſcopis ſub me conſtitutis, Joanne civitatis Palmyræ, Dada civitatis Chonacharrorum, Euſebio civitatis Jabrudorum, Theodoro civitatis Danaborum, Abraamio civitatis Alanorum,* A *Petro civitatis Coradænorum.* Hic vero ſubſcripſit etiam epiſtolæ ſynodi provinciæ ſecundæ Phœniciæ ad Leonem Imperatorem, *Petrus epiſcopus Coradenſis.*

II. THEODORUS.

In quinta ſynodo generali ſedebat, ſubſcripſitque *Theodorus epiſcopus Coradenſium.*

XIV. ECCLESIA TRIBUS SARACENORUM.

INter epiſcopos concilii Chalcedonenſis, poſtremus omnium legitur paſſim *Euſtathius epiſcopus tribus Saracenorum,* Εὐστάθιος φυλῆς Σαρακηνῶν, qui & ſubſcripſit epiſtolæ ſynodi provinciæ Phœniciæ ſecundæ ad Leonem Imperatorem. Scilicet quum Phœnicia Libanenſis & Palmyrene regio Arabiæ contiguæ eſſent, ſuos epiſcopos habebant illi è Saracenis Arabiæ deſertæ incolis, qui Chriſti fidem amplexi erant. Inprimis vero ſub Conſtantino ejuſ-ve filiis Zaracomus Saracenorum Phœniciæ Libani & Palæſtinæ contiguorum princeps, qui monachi cujuſdam precibus filium à Deo omnipotente impetrarat, chriſtianæ religioni ſe dedidit. Mavia ſubinde ejuſdem gentis regina, poſtquam Romanas regiones, Phœniciam (Libani ſcilicet) Palæſtinamque, & Arabiam omnem ultra mare Rubrum exiſtentem, ad Nilum uſque impune populata erat, ſuperatis inſuper duobus Valentis Imp. ducibus, pacem hac conditione pepigit, ut ſibi ſuiſque Moyſes monachus daretur epiſcopus. Annuit Auguſtus, ac Moyſem à Lucio, qui Alexandriæ ſedem Petro Athanaſii ſucceſſori eripuerat, ordinari juſſit. At Moyſes imponi ſibi manus noluit ab homine Ariano, qui rectæ fidei alumnos variis pœnis & exiliis afflixerat. Quocirca ad orthodoxos præſules conſecrandus ductus eſt, ad Damaſci utique metropolitam: quando nullus hujus urbis epiſcopus, ſub Conſtantino ejuſque filiis, ac Valente Impp. Arianæ perfidiæ nomen dediſſe reperitur. Unus proinde Moyſis ſucceſſorum mihi cenſetur Euſtathius ille qui Chalcedonenſi concilio interfuit. Circa ſæculi quinti initium Saracenorum tribus altera Palæſtinæ tertiæ vicinior ad Chriſti perinde leges ſe tranſtulit, opera ſancti Euthymii monachi & archimandritæ, qui eccleſiæ Hieroſolymitanæ præſuli Juvenali ſe ſubdiderunt. Quin & Saraceni alii contributi fuerunt provinciæ Oſroenæ, cujus epiſcoporum qui Chalcedonenſi concilio interfuerunt, poſtremus in Latino indice cenſetur *Joannes Saracenus.*

EPISCOPI SARACENORUM.

I. MOYSES.

TOtius gentis Saracenorum qui Chriſtianam religionem, Valente Imp. admiſerunt, epiſcopus primus *Moyſes* ille de quo mox dicebamus, ex Theodoreto lib. 4. hiſt. c. 22. Socrate lib. 4. c. 29. Sozomeno lib. 6. c. 38. Quanquam ea gens in varias tribus diviſa alios atque alios epiſcopos habuerit, qui metropolitis provinciarum ſibi magis vicinarum, aut à quibus ordinationem primitus accepiſſent, morem gererent.

II. EUSTATHIUS.

Adfuit itaque Chalcedonenſi concilio, B ejuſque decretis ſubſcripſit Εὐστάθιος φυλῆς Σαρακηνῶν, *Euſtathius tribus Saracenorum epiſcopus,* qui in codicibus Latinis quibuſdam *Euſtathius File Saracenſis,* interpretum oſcitantia vel inſcitia dicitur. Quod vero Damaſci metropolitæ ſubeſſet, & ditionis Phœniciæ ſecundæ, hoc fit compertum ex ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodicæ ejuſdem provinciæ ad Leonem Imp. in quibus poſtremus legitur *Euſtathius epiſc. Saracenorum.*

Digitized by Google

IV. PROVINCIA ARABIÆ.

I. ECCLESIA BOSTRORUM METROPOLIS.

BOSTRA, Hebraïce בצרה *Boſra*, quod *arcem* ſignificat, Stephano Byzantino & aliis tam pluralis generis neutri, quam ſingularis vocabulo dicta, urbs quondam Moabitidis, non Idumææ ut ſedulò monendum curavit Hieronymus in locis Hebraïcis, variiſque commentariis ſuis. Ejus meminerunt Strabo & Ptolemæus, non ſatis tamen ejus ſitu & loco deſignato, quum interim Ammiano Marcellino lib. 14. cap. 7. ingens civitas fuerit. *Arabia*, inquit, *civitates habet inter oppida quædam ingentes, Boſtram, & Geraſam, & Philadelphiam.* Philippi Imp. patria fuiſſe fertur, ceu qui in quodam Boſtrenſis pagi vico natus ſit, quem ipſe in civitatem ſuo de nomine *Philippopolim* dictam ædificavit. Boſtra priùs *nova Trajana colonia* appellabatur, rurſumque Alexandro Severo Imperatore *Trajana Alexandrina colonia.* In notitiis Hieroclis & Leonis Imp. provinciæ Arabiæ metropolis eſt. Damaſcius apud Photium in Biblioth. cod. 242. ſcribebat, Boſtram civitatem antiquam non eſſe, ſed civibus frequentatam à Severo, quum ante non-niſi caſtellum eſſet, εἰς τὰ Βόστρα τῆς Ἀραβίας, πόλιν οὐκ ἀρχαίαν (ὑπὸ γὰρ Σεβήρου τοῦ βασιλέως πολίζεται) φρούριον δὲ τὸ παλαιόν. Guillelmus Tyrius l. 14. de Bello ſacro cap. 14. provinciam Arabiæ ab Orientali diœceſi avulſam ait & Palæſtinæ adjectam à Juſtiniano Imp. tempore quintæ generalis ſynodi, annuente Vigilio papa Rom.

EPISCOPI BOSTRORUM.

I. TIMON.

TIMON, unus è ſeptem primis diaconis, primus Boſtræ vel Boſtrorum epiſcopus factus eſt, ſi Dorothei Tyrii, vel Hippolyti Thebani nomine inſcriptis ſeptuaginta duorum Domini diſcipulorum catalogis credimus, qui Græculo cuidam ſequioris ævi æquius tribuuntur. Cæterum Euſebii Cæſarien. ætate nullus ejuſmodi catalogus exſtabat Domini diſcipulorum, velut ipſe teſtatur lib. 5. hiſt. cap. 12. τῶν δ' ἑβδομήκοντα μαθητῶν κατάλογος μὲν οὐδεὶς οὐδαμῆ φέρεται.

II. BERYLLUS.

Beryllus hæreticæ opinionis ſæculo tertio doctor, quem Euſebius lib. 6. hiſt. eccl. c. 33. Arabiæ dumtaxat epiſcopum dixerat, Boſtrorum metropolita fuit, Hieronymo auctore, qui omnia quæ ad ipſum ſpectant paucis complectitur in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum. *Beryllus*, inquit, *Arabiæ Boſtrenus epiſcopus, quum aliquanto tempore glorioſè rexiſſet eccleſiam, ad extremum lapſus in hæreſim, quæ Chriſtum ante Incarnationem negat, ab Origene correctus, ſcripſit varia opuſcula; & maxime epiſtolas, in quibus Origeni gratias agit: ſed & Origenis ad eum litteræ ſunt. Exſtat dialogus Origenis & Berylli, in quo hæreſeos coarguitur. Claruit autem ſub Alexandro Mammææ filio, & Maximino & Gordiano.* Hæc Hieronymus, qui omnia ad Beryllum ſpectantia perlegerat accuratius quam Socrates, à quo lib. 3. hiſt. cap. 7. Beryllus Philadelphiæ in Arabia epiſcopus perperam dicitur, τὸν Φιλαδελφίας τῆς ἐν Ἀραβίᾳ ἐπίσκοπον. Hoc unum omiſit Hieronymus, Origenem in Arabiam illius ab errore revocandi cauſa profectum, in ſynodo epiſcoporum cum eo congreſſum eſſe, cujus ſynodi geſta Euſebius à ſe viſa teſtatur. Illud vero libellus ſynodicus non tacet, qui Beryllum non modo Boſtrenum fuiſſe epiſcopum tradit, verum Theodoſii Coriarii hæreſim amplexum ab Origene confutatum eſſe, coacto Boſtris concilio epiſcoporum quatuordecim, & ad ſanam mentem revocatum.

III. MAXIMUS.

Eccleſiam Boſtrenſem poſt Beryllum *Maximus* egregiè adminiſtrabat, quo tempore Paulus Samoſatenus epiſcopus nequam Antiochenus Berylli doctrinam prædicavit; quocirca celebrata adverſus eum Antiochena

Digitized by Google

ECCLESIA BOSTRORUM.

utraque ſynodus fuit, quibus Maximus hic noſter interfuit, ut Euſebii hiſtoria eccleſ. A lib. 7. cap. 28. fertur. Ipſe cum epiſcopis præcipuis qui ſecum in poſtremo concilio ſederant, memoratur initio epiſtolæ, quam ad Dionyſium Romanum, & Maximum Alexandrinum, & ad omnes per orbem epiſcopos, preſbyteros, diaconos, nec-non eccleſiam omnem catholicam ſcripſerunt.

IV. * * *.

Menologium quod Latinè tranſlatum exſtat tom. 2. antiq. lect. Caniſii, ad diem 4. Octobris, in quem incidit annua memoria B ſancti Petri Capitoliadis epiſcopi & martyris, hunc ab *epiſcopo Boſtrenſi* ordinatum eſſe preſbyterum perhibet: ſed conſecratoris nomen ſiletur.

V. NICOMACHUS.

In indice Patrum Nicænorum *Nicomachus Boſtron,* ſeu *Boſtrorum* legitur; itemque inter epiſcopos Antiochenæ ſynodi, quæ anno, ut aiunt, 340. vel 341. habita eſt, Nicomachus idem utique Boſtrenſis. Doctiſſimus Henricus Valeſius ad lib. 7. hiſt. eccl. Euſebii C Cæſarienſis c. 28. obſervat, ſe in vetuſtiſſimo codice Corbeïenſi, qui canonum collectionem referebat, legiſſe *Nicomas Boſtritanus.*

VI. TITUS.

Boſtrenſem eccleſiam regebat *Titus,* Juliano Apoſtata Imp. cujus malis artibus inviſus factus eſt civibus ſuis, ita ut eum urbe ſua expellerent; quod narrat Sozomenus l. 5. hiſt. cap. 15. Exſtincto Juliano, ad ſynodum Antiochenam, quam Meletius celebrabat, venit, cujus ſynodicæ ad Jovianum Impera- D torem cum epiſcopis aliis qui convenerant, ultro ſubſcripſit, ut pote qua fides Nicæna aſſereretur. De eo Hieronymus pauca iſthæc habet in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum: *Titus Boſtrenus epiſcopus ſub Juliano & Joviano principibus, fortes adverſus Manichæum ſcripſit libros, & nonnulla alia. Moritur autem ſub Valente.* Qui ejus nomine libri contra Manichæos editi ſunt, ejus eſſe non videntur, aut non-niſi prolixiorum voluminum excerptum. Sic fruſtra ejus nomine in Evangelium Lucæ enarratio inſignitur, mera ex E variis auctoribus, ejuſque identidem commentariorum laciniis conſarcinata catena.

VII. BAGADIUS.

In indice centum & quinquaginta Patrum concilii Conſtantinopolitani generalis prioris leguntur epiſcopi duo Boſtreni *Agapius & Bagadius:* qui anno 394. in minore ſynodo Conſtantinopoli itidem habita de epiſcopatu contenderunt. Quorum litis hæc cauſa fuit, quod Bagadius quum electus conſecratuſque eſſet Boſtrorum epiſcopus, duorum epiſcoporum neſcio qua ſententia, deſtitutus mox fuerit, inque locum ejus Agapius ordinatus. Quocirca Bagadius in urbem regiam profectus, cauſam in ſynodo, cui Nectarius cum Theophilo Alexandrino, & Flaviano Antiocheno præſidebat, redintegrari poſtulavit, ejuſque deſtitutio præter jus facta judicata eſt, redacto ad ordinem Agapio. Cujus ſynodi actorum ſumma exſtat in jure Græco-Romano.

VIII. EULYSIUS.

Quo tempore multi præſules etiam de Syria, coïtione facta in Joannem Chryſoſtomum inſurrexerunt, ab illius partibus ſtetit *Eulyſius* Boſtrenus, qui eam ob rem exilio & cuſtodia multari meruit. Quod Palladius dial. de vita ejuſdem ſancti Joannis Chryſoſtomi refert: Εὐλύσιον δὲ Βόστρης τῆς Ἀράβων, ἐσώτερον ὁδὸν τριῶν ἡμερῶν ὁμοίως εἰς φρούριον, Μισφᾶς καλούμενον, πλησίον τῶν Σαρακηνῶν, *Eulyſium ſimiliter Boſtræ epiſcopum, ulterius itinere trium dierum, in caſtello Arabum, quod Miſphas dicitur, & Saracenis adjacente* cuſtodiri mandaverunt. Hunc antea cum Cyriaco Emeſeno in Bithynia, ceu incendii eccleſiæ quod Conſtantinopoli poſt ejectum urbe Joannem contigit, auctores fuiſſent, aliquandiu detinuerant, mox vero dimiſerant. Ibid.

IX. ANTIOCHUS.

Antiochus Boſtrorum metropolita fuit dudum ante ſæculi quinti medium, qui an. 431. ad ſynodum generalem quæ Epheſi celebrabatur, cum Joanne Antiocheno & aliis Orientalibus veniens, eorum parti addictus manſit, variiſque adverſus legitimum concilium litteris geſtiſque ſubſcripſit, unde communionis catholicæ extorris factus fuit. Poſt ſchiſma ejuravit, Neſtoriumque, uti Joannes ipſe Antiochenus Proclo Conſtantinopolitano ſignificavit epiſtola quæ exſtat capite 197. collectionis ex Tragœdia Irenæi. *Arabes,* aiebat, *per metropolitam ſuum, qui hic adſuit, religioſiſſimum Antiochum, his acquieverunt.*

X. CONSTANTINUS.

In conventu epiſcoporum Berytenſi, in quo præſide Domno Antiocheno Ibæ Edeſſeni cauſa diſceptata eſt, aderat *Conſtantinus epiſcopus Boſtræ,* Κωνσταντῖνος ἐπίσκοπος Βόστρης. Adfuit ſubinde latrocinio Epheſino, cujus profanis geſtis ſuffragatus eſt: at poſt biennium factum revocavit in ſynodo Chalcedonenſi, cujus definitionibus ſubſcripſit actione

Digitized by Google

præſertim ſexta, qua à Patribus fuerat deſignatus cum aliis quibuſdam, ut conditam ab Anatolio Conſtantinopolitano fidei formulam emendaret.

XI. Antipater.

Leo Imperator *Antipatro* reverentiſſimo epiſcopo Boſtrorum, Arabiæ metropolitæ, ut metropolitis aliis, Proterii Alexandrini necem litteris datis nuntiavit, præcipiens ut ſuum de Chalcedonenſi concilio ſenſum efferrent: qui viciſſim cum provinciæ ſuæ ſynodo Imperatori, uti decebat, ſubſcripſere. Boſtrorum eccleſiæ præerat Antipater ſub poſtrema S. Euthymii tempora, quod vitæ illius ſcriptor hac narratione ſignificat: *Terebon Saracenus, Saracenorum Phylarchus, cogente neceſſitate Boſtram profectus, à quodam Phylarcho altero circumventus, comprehenſus eſt ab illo qui magiſtratum gerebat. Re cognita magnus Euthymius beatiſſimo Antipatro Boſtrenſem eccleſiam tunc gerenti, Deique cognitionis radios vibranti, ſcripſit:* γράφει τῷ τρισμακαρίῳ Ἀντιπάτρῳ τῷ τηνικαῦτα τὴν ἐκκλησίαν Βόστρων ἰθύνοντι, καὶ τὰς τῆς θεογνωσίας ἀκτῖνας πανταχοῦ ἐκπέμποντι, *ut operam daret Tereboni à vinculis liberando. Miſit quoque cum litteris Gaïanum fratrem Stephani Jamniæ epiſcopi. Litteris magni Euthymii acceptis, ſanctus Antipater Terebonem omni nexu exſolvit, & commeatu inſtructum ad magnum Patrem miſit. Cupiens autem Euthymii ſemen apud ſe habere, Gaïanum retinuit, & Medaborum epiſcopum ordinavit.* Multa ſcripſit Antipater, præſertimque adverſus Origenem, quorum voluminum fragmenta aliquot ſuperſunt: illaque magni fiebant olim à ſanctiſſimis Palæſtinæ monachis, quo tempore illius doctrinæ labes ea in regione graſſabatur. Ejus memoria colitur in menæis Græcorum die 13. Junii.

XII. Julianus.

Ex Theodoſii ſanctiſſimi archimandritæ diſcipulo *Julianus* Boſtrenſis epiſcopus eſt factus, quo tempore Anaſtaſius Romanorum Imperator erat: qui quum Severi Antiocheni communionem exhorreret, eccleſia ſua pulſus in Palæſtinam ad magiſtrum quondam ſuum reverſus eſt. Id quod Marcellinus comes & Victor Tunnunenſis ſuis in chronicis indicant, Evagrius quoque lib. 3. hiſtor. eccl. cap. 33. pluribus vero vitæ ſancti Theodoſii ſcriptor, quam apud me manu exaratam habeo. Ὁ μακάριος Ἰουλιανὸς τοῦ μεγάλου τούτου γενόμενος φοιτητὴς, ait, τὸν τῆς ἀρχιερωσύνης κατὰ τὴν Βόστραν νεύσει τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων ἐλέπων θρόνον, ἐκ ποίμνης θαυμαστῆς ποιμὴν γενόμενος ἄριστος, τῇ τοῦ ἤδη μνημονευθέντος βασιλέως μὴ εἴξας πίστει, καὶ γνώμῃ ὑπερορίαν καταδικασθεὶς, τὰ ἐνταῦθα κατέλαβε, καὶ τῷ κατὰ Χριστὸν αὖθις συναναστρέφεται πατρὶ, καὶ συμφιλοσοφεῖ ἅμα αὐτῷ, ὡς ἀληθῶς ἔξω τῶν κοσμικῶν ὅρων γενόμενος πρὸς τὰ οὐράνια· τοῦ αἱρετικοῦ δὲ οὐκ εἰς μακρὰν διὰ τῆς τοῦ βασιλέως τελευτῆς πεπαυμένου χειμῶνος, καὶ οἷα εὐδίας τινὸς τῆς ὀρθοδοξίας ταῖς ἁγίαις τοῦ Θεοῦ ἀναλαμψάσης ἐκκλησίαις, ἐν τῷ ἱερῷ αὐτοῦ εἰκότως καὶ ὁ ὅσιος Ἰουλιανὸς ἀποκαθίσταται θρόνῳ. *Beatus Julianus, qui magni viri diſcipulus fuerat, Dei nutu Boſtrenſis eccleſiæ thronum tenens, ex admirabili ove optimus paſtor evadens, quum illius cujus ſupra memini Imperatoris* (Anaſtaſii) *fidem non admitteret, ejus quoque ſententia exilio damnatus fuit, & huc veniens, rurſum cum ſuo ſecundum Chriſtum patre converſans, extra mundi fines factus, cæleſti ſapientiæ ſtuduit. Brevi poſt ſedata Imperatoris interitu hæretica procella, affuſaque ſanctis Dei eccleſiis quadam veræ fidei ſerena luce ſanctus Julianus ſuis, uti par erat, ſedibus redditur.* Addit auctor, quum Julianus, unaque cum eo Theodoſius Boſtrenſem metropolim adveniſſent, omneſque cives venerabilem ſenem archimandritam, Abrahami inſtar cum ſpirituali ipſius Iſaaco excepiſſent, mulierem hæreticam, quæ Theodoſium impoſtorem appellitabat, acerbiſſimo funere blaſphemiæ pœnam retuliſſe. In prato ſpirituali cap. 94. venenum Juliano à quibuſdam ejus civibus propinatum, ſed quum facto crucis ſigno poculum ebibiſſet, nihil ipſi noxæ accidiſſe fertur.

XIII. Joannes.

In quinta ſynodo generali ſedit & ſubſcripſit *Joannes epiſcopus Boſtrorum.*

XIV. Simeon.

Anaſtaſius Antiochenus Patriarcha, primus utique, *Simeoni* epiſcopo Boſtrorum diſſertationem de Sabbato ſcripſit, cujus fragmenta quædam lecta ſunt act. 4. ſynodi Nicænæ ſeptimæ generalis, exſtantque p. 248. tom. 7. Concil.

XV. Stephanus.

Stephanum Boſtrenſem habemus in fragmentis libri contra Judæos, quæ in appendice lib. 3. S. Joannis Damaſc. *de Imaginibus* referuntur, hac inſcriptione, Στεφάνου Βοστρηνοῦ κατὰ Ἰουδαίων κεφαλ. δʹ. *Stephani Boſtreni contra Judæos c. 4.* Eodem vero modo imaginum ſacrarum ritum qui communi apud Chriſtianos uſu receptus erat, Stephanus defendit, quo adverſus eoſdem Judæos Leontius Neapolis in Cypro epiſcopus, ut ejuſdem ætatis ambo fuiſſe videantur.

XVI. Gregorius.

An. 1671. die 20. Octobr. & 15. Novem-

ECCLESIA BOSTRORUM.

bris, *Gregorius archiepiſcopus* ſeu *metropolita* Boſtrorum duplici Macarii Antiocheni Patriarchæ de Euchariſtia teſtimonio ſubſcripſit, nec-non alteri Neophyti itidem Patriarchæ qui Macario ſucceſſit, dato 3. Martii anno 1673. quæ legere eſt tom. 3. de Perpet. fid. pag. 736. 743.

A

Anno 1672. in concilio Hieroſolymitano quod eoſdem Calvinianos digna nota & cenſura inuſſit, ſedit ſubſcripſitque *Philemon hieromonachus, & archimandrita, & adminiſtrator ſanctiſſimæ metropolis Boſtrorum.* Φιλήμων ἱερομόναχος, καὶ ἀρχιμανδρίτης, καὶ διοικητὴς τῆς ἁγιωτάτης μητροπόλεως Βοστρῶν.

II. ECCLESIA ADRAORUM.

ADRAA, eadem quæ in ſcripturis Edrai dicitur, civitas, in Batanæa ultra Jordanem poſita erat, ad quam nimirum ab Iſraëlitis victus eſt Og rex Baſan, Num. 21. v. 33. ſic cenſet Hieronymus poſt Euſebium in locis Hebraïcis. *Adjacet*, inquit, *urbi Aſtaroth in Batanæa Adraa civitas Arabiæ, quaſi in ſexto milliario.* Hanc habent notitiæ Hieroclis & Græca vetus, nec ignota Ptolemæo fuit.

EPISCOPI ADRAORUM.

I. Arabion.

IN Seleucienſi ſynodo Georgii Alexandrini & Acacii Cæſarienſis Arianicæ factioni adhæſit, eorumque formulæ fidei ſubſcripſit Ἀραβίων ἐπίσκοπος Ἀδράων, *Arabion epiſcopus Adraorum.*

II. Uranius.

Inter epiſcopos *provinciæ Boſtrorum*, qui ſynodo Conſtantinopolitanæ generali priori interfuiſſe memorantur, *Uranius Adramenſis* reperitur.

III. Proclus.

In Conſtantinopolitana ſynodo quæ, Flaviano archiepiſcopo præſide, Eutychem primum damnavit, ut & in conventu, in quo illius ſynodi geſta relecta & examinata ſunt,

B

ſedebat *Proclus* Adraorum: qui poſt triennium ad concilium Chalcedonenſe venit, ſubſcripſitque inter epiſcopos Arabiæ Πρόκλος ἐπίσκοπος Ἀδράων, *Proclus epiſcopus Adraorum.*

IV. Dorymenius.

Synodo quintæ generali adſuit & ſubſcripſit *Dorymenius epiſcopus Adraorum*, aliàs *Dorymenes.*

III. ECCLESIA MEDABORUM.

MEDABA priſca civitas Moabitidis, in ſcripturis, ac præſertim ex Prophetis Iſaïa & Hieremia celebris, Ptolemæo quoque, Hierocli, veteriſque notitiæ conſarcinatori nota, imo & Willelmo Tyrio, cui *Medava* dicitur.

EPISCOPI MEDABORUM.

I. Nonnus.

CONSTANTINUS Boſtrorum metropolita

C

act. 6. ſynodi Chalcedonenſis pro multis provinciæ ſuæ epiſcopis ſubſcriptus legitur, in quibus *Nonnus civitatis Zerabenæ*, Νόννου πόλεως Ζεραβηνῆς, quidam codices Græci Ζεζαβηνῆς *Zezabenæ;* emendandum puto Μεδαβηνῆς, *Medabenæ*, ſeu *Medabæ*, *Medaborum.*

II. Gaianus.

Ex monacho S. Euthymii archimandritæ in Palæſtina diſcipulo *Gaïanus* Medaborum epiſcopus conſecratus fuit ab Antipatro Boſtrorum, ut fertur in ejuſdem Euthymii vita. Τὸν δὲ Γαϊανὸν κρατήσας, Εὐθυμίου ἔχειν σπέρμα βουλόμενος παρ' αὐτῷ, ἐπίσκοπον αὐτὸν τῆς Μηδαβῶν πόλεως ἐχειροτόνησεν. *Retento autem Antipater Gaiano, Euthymii ſemen apud ſe habere volens, epiſcopum civitatis Medaborum ipſum ordinavit.*

IV. ECCLESIA GERASÆ.

GERASAM Arabiæ attribuunt Hierocles, & notitia vetus altera, quinetiam Ammianus Marcellinus lib. 14. cap. 8. provinciam hanc civitates habere inter oppida ingentes ait, Boſtram, Geraſam & Philadelphiam. Atqui Geraſa in ea regionis trans Jordanem parte quæ *Galaaditis* dicebatur, poſita erat, à qua hodieque *Giaras* tota Arabibus dicitur. Joſephus

Digitized by Google

ECCLESIA GERASÆ.

lib. 3. de Bello c. 3. Peræam, ſeu trans-Jordanenſem tractum, Geraſa & Philadelphia ad Solis ortum terminari adſerit, πρὸς δὲ Φιλαδελφηνῇ καὶ Γερασοῖς ἀποτέμνεται. Legendum quippe Γερασοῖς ex manuſcriptis codicibus & Ruffini tranſlatione, non Γεράσοις, ut edita habent. Euſebio & Hieronymo in locis Hebraïcis, torrens Jaboc inter Geraſam & Philadelphiam fluebat, Geraſa quarto milliario à Jaboc diſtante, paucis itidem milliariis à Jordane, ſi Willelmo Tyrio credimus. Certe Dominus trajecto mari Tiberiadis, Geraſenorum fines ingrediebatur. Matth. 8. v. 28. Marc. 5. v. 1. Luc. 8. v. 26. 37. Una civitatum Decapolis erat.

EPISCOPI GERASÆ.

I. Exeresius.

IN ſynodo Seleucienſi *Exereſius* factioni Acacii Cæſarienſis, & Georgii Alexandrini Arianorum ſe junxit, quorum formulæ fidei ſubſcripſit Ἐξερέσιος ἐπίσκοπος Γερασῶν, *Exereſius epiſcopus Geraſorum*. Legero Ἐξαιρέσιος, *Exæreſius*. Epiph. hær. 73. n. 26.

II. Plancus.

Act. 10. concilii Chalcedonenſis, ubi ſynodi Antiochenæ ſub Domno Patriarcha in
A cauſa Ibæ Edeſſeni habitæ geſta referuntur, eidem interfuiſſe legitur, Πλάγκος ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Γέρασαν ἁγίας πόλεως. *Plancus epiſcopus ſanctæ Geraſorum civitatis hæc eadem decrevi.* Conſtantinus Boſtrorum pro multis provinciæ ſuæ epiſcopis act. 6. concilii Chalcedonenſis ſubſcribens, primo loco Plancum civitatis Geraſorum poſuit, Πλάκου (lege Πλάγκου) πόλεως Γερασῶν, *Planco civitatis Geraſorum*.

V.

ECCLESIA PHILIPPOPOLIS.

PHILIPPOPOLIM in agro Boſtreno à Philippo ejuſque filio Imperatoribus conditam dixi, ubi de Boſtris actum eſt. Hanc memorant Hierocles & notitia vetus: quæ in nummis colonia eſt, ſuoſque inſuper epiſcopos habuit.

EPISCOPI PHILIPPOPOLIS.

I. Hormisdas.

ACtione 1. 2. & 3. Chalcedonenſis concilii, eidem interfuiſſe fertur *Hormiſdas Philippopolis Arabiæ, provinciæ Arabiæ*. Ita quidem
B Latini codices habent. In Græcis omiſſum *provinciæ Arabiæ* nomen, ut in aliorum epiſcoporum nomenclatione.

VI.

ECCLESIA PHILADELPHIÆ.

PHILADELPHIAM in Decapoli Cœleſyriæ Plinius collocat lib. 5. cap. 18. ut & Ptolemæus, quam Hieronymus ævo ſuo *Amman* dictam tradit, dudumque antea Polybius τὰ Ῥαβατάμανα Ἀραβίας, *Rabatamana Arabiæ*. Ipſa ergo eſt celebris illa Ammonitarum metropolis, quam David olim obſedit & expugnavit, 2. Reg. 11. quamque à Ptolemæo Philadelpho appellatam aiunt. Inter ingentes Arabiæ civitates Ammiano Marcellino cenſetur, ut Geraſa & Boſtra, imò & metropolis titulo aucta, quantum ex his quæ de ejus epiſcopis ſunt dicenda, conſtat. Hodie Palæſtinæ diœceſis cenſetur: imo forte à temporibus S. Sophronii Patriarchæ Hieroſol. de quo vide acta concilii Lateranenſis ſub Martino I.

EPISCOPI PHILADELPHIÆ.

I. Cyrion.

IN indice Patrum Nicænæ ſynodi, inter epiſcopos provinciæ Arabiæ legitur *Cyrion Philadelphiæ*, qui etiam in ſynodo Antiochena cum Arabiæ Petrææ præſulibus aliis ſedit.

II. Eulogius.

In actis ſynodi Chalcedonenſis paſſim ei adfuiſſe ſubſcripſiſſeque legitur, Εὐλόγιος ἐπίσκοπος μητροπόλεως Φιλαδελφίας, *Eulogius epiſcopus metropolis Philadelphiæ*, itemque *metropolitanus provinciæ Arabiæ*, pro aliis atque
C aliis codicibus Latinis.

III. Joannes.

Graſſante per Orientem Monotheletica hæreſi, Martinus Papa cum ſynodo ſua Lateranenſi, *ſecundum poteſtatem ſibi in gratia datam per S. Petrum Apoſtolorum principem Joanni dilecto fratri epiſcopo Philadelphienſium civitatis* præcepit, *ut locum ſuum in omnibus eccleſiaſticis officiis in partibus Orientis ſuppleat & creet in omnibus civitatibus quæ Antiochenæ*

Digitized by Google

ECCLESIA PHILADELPHIÆ.

ſedi & Hieroſolymitanæ ſacerdotaliter ſubſunt, *epiſcopos, & preſbyteros, & diaconos, &c.* Quæ illi eſt credita poteſtas metropolitica ſuperior, quando Antiochenam ſedem Monotheleta hæreticus tenebat, Hieroſolymitana vero, Sophronio defuncto, paſtore viduata erat. Exſtant litteræ ſynodicæ Martini ad ipſum, A ad eccleſiam item Hieroſolymitanam, ad Theodorum epiſcopum Eſbuntiorum, & Antonium Bacathorum, quibus hæc ſignificat.

IV. PHOTIUS.

Sedet hodie *Photius epiſcopus Philadelphiæ,* qui Palæſtinæ cenſetur, ὁ Φιλαδελφείας Φώτιος.

VII. ECCLESIA NEVES.

HIERONYMUS in locis Hebraïcis, ubi poſt Euſebium de Ninive loquitur, quæ Aſſyriorum regni caput fuit, ſubjungit eſſe *& aliam uſque hodie civitatem Judæorum, nomine Ninivem, in angulo Arabiæ, quam nunc corruptè Ninevem vocant.* Hanc eſſe quæ in notitia veteri & alibi Νίβη & Νέβη, ac Nove dicitur potius quam vetuſta *Nebo,* mihi omnino arridet. Nam medio itinere erat venientibus Damaſco Scythopolim, in Itinerario Antonini. Alia rurſum à Nobe quæ *Canath* prius dicebatur. Suos vero civitas hæc vel oppidum epiſcopos habuit.

EPISCOPI NEVES.

I. PETRONIUS.

INter Orientales epiſcopos, qui ab Epheſina ſynodo ad quam venerant, cum Joanne B Antiocheno defecerunt, & variis adverſus illam ſcriptis interceſſerunt, *Petronius epiſcopus Neuvæ* occurrit, qui proinde à legitimo concilio communione cum ſuis privari meruit.

II. JOBIUS.

Act. 6. concilii Chalcedonenſis Conſtantinus Boſtrorum pro ditionis ſuæ epiſcopis ſubſcribens *Jobium civitatis Nebes* memoravit, Ἰωβίου πόλεως Νέβης. Latini codices habent *Jovium.*

III. ISAAC.

Circa annum 540. claruit *Iſaac* Syrus, urbis Ninives, ſeu Neves epiſcopus, qui auſterioris vitæ amore epiſcopatu abdicato, in eremum ſe recepit. Fertur in Italiam veniſſe, & prope Spoletum vixiſſe: quod colligunt ex lib. 3. dialogorum S. Gregorii Magni c. 14. Ejus ſermones aſceticos 87. Patricius & Abraamius monachi de Laura ſancti Sabæ prope Hieroſolymam collegerunt. Vide Lambecium Bibl. Cæſar. lib. 5. pag. 73.

VIII. ECCLESIA ESBUNTIS.

ESBUS ipſa eſt priſca Eſebon Moabitarum regionis caput, de qua præſertim Hieronymus de locis Hebraïcis: *Eſebon civitas Seon regis Amorrhæorum in terra Galaad, quæ quum ante fuiſſet Moabitarum, ab Amorrhæis belli jure poſſeſſa eſt. Meminit hujus Hieremias, Eſaïas quoque in viſione contra Moab. Porro nunc vocatur Eſbus, urbs inſignis Arabiæ, in montibus qui ſunt contra Hiericho, 20. à Jordane millibus diſtans. Fuit autem in Tribu Ruben ſeparata Levitis,* ſed in confinio Tribus Gad. Plinius lib. 5. c. 11. Eſbonitarum meminit: apud Ptolemæum Σεβουῖτα pro Ἐσβουῖτα Librarii imperiti ſcripſerunt. Omiſſa vero eſt in notitia Hieroclis.

EPISCOPI ESBUNTIS.

I. GENNADIUS.

IN indice Patrum Nicænorum de provincia C Arabiæ, viſitur *Gennadius Eſbundorum.*

II. ZOSIUS.

In excerptis quæ Latinè exſtant, ex Tragœdia Irenæi, variis Orientalium actis & decretis adverſus Cyrillum & Epheſinam ſynodum ſubſcripſit *Zoſis epiſcopus Eſbuntis,* ſeu potius *Zoſius,* pro quo ſubinde Conſtantinus Boſtrorum, ut pro multis aliis ſuæ provinciæ ſub ſe conſtitutis actione 6. Chalcedonenſis concilii ſubſcripſit Ζωσίου πόλεως Ἐσβουντίων. *Zoſio civitatis Eſbuntiorum.*

II. THEODORUS.

Theodoro epiſcopo Eſbuntiorum, Θεοδώρῳ ἐπισκόπῳ Ἐσβουντίων, quum orthodoxam fidem adverſus Monotheletarum hæreſim tueretur, Martinus Papa I. ſuo Lateranenſiſque ſynodi nomine epiſtolam ſcripſit quæ exſtat, qua gratulabatur de eorum in Arabia & Palæſtina furore depreſſo, hortabaturque, uti Joanni Philadelphiæ Apoſtolicæ ſedis per Antiochenam & Hieroſolymitanam diœceſes vicario, morem gereret.

IX. ECCLESIA

Digitized by Google

IX. ECCLESIA NEAPOLIS.

NEAPOLIM in provincia Arabiæ habent Hierocles & notitia vetus altera, cujus nuſquam apud auctores mentio occurrit, quæ & epiſcopos proprios habuit.

EPISCOPI NEAPOLIS.

I. SEVERUS.

IN catalogo Patrum ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis prioris de provincia Boſtrorum cenſetur *Severus Neapolitanus*.

A

II. CHILON.

Conſtantinus Boſtrorum act. 6. concilii Chalcedonenſis ſubſcripſit quoque pro *Chilone civitatis Neapolis*, Χείλωνος πόλεως Νέας πόλεως, ut pro aliis qui ſub ſe conſtituti erant.

X. ECCLESIA DIONYSIADIS.

NOtitia Hieroclis & alia vetus epiſcopatuum Dionyſiadem habent in Arabia: quam apud ſcriptores alios non reperi.

EPISCOPI DIONYSIADIS.

I. SEVERUS.

NIcænorum Patrum catalogus inter Arabiæ epiſcopos *Severum Dionyſiadis* habet.

II. ELPIDIUS.

Sic in indice Patrum Conſtantinopolitanæ B ſynodi generalis prioris, *Elpidius Dionyſienſis*; lege *Dionyſiadenſis*.

III. MARAS.

Conſtantinus Boſtrorum in Chalcedonenſi ſynodo pro epiſcopis ſub ſe conſtitutis ſubſcripſit act. 6. in quibus *Maras Civitatis Dionyſiadis*, Μαρᾶ πόλεως Διονυσιάδος.

XI. ECCLESIA ERRHÆ.

ERRHAM male quidam accipiunt pro Gerrha à qua Gerrhæi, quando Gerrhæi in Idumæa potius, quam in Arabia ſedes habuerunt: quippe qui, Plinio teſte lib. 6. c. 28. Minæis vicini erant. In Itinerario autem Antonini *Era* ſive *Errha*, Damaſco Scythopolim pergentibus, primum oppidum eſt. Quanquam Ptolemæus primam Batanææ urbem Gerrham ponit. Quidni demenda littera Γ! Nec Errham, nec Gerrham Hierocles habet, niſi ipſa ſit quæ in ejus notitia Ιεράπολις nominatur, ceu potius Ερράπολις.

EPISCOPI ERRHÆ.

I. JOANNES.

ACtione ſexta ſynodi Chalcedonenſis Conſtantinus Boſtrorum ſubſcripſit pro *Joanne epiſcopo civitatis Errhæ*, καὶ Ἰωάννου πόλεως Ἔρρης, vel Ἔρρας, ut latini codices indicant in collectione nova Clariſſimi Baluzii.

XII. ECCLESIA CONSTANTIÆ.

CONSTANTIAM Arabiæ urbem habet Hieroclis notitia, quæ apud veteres aliàs non memoratur, niſi in actis ſynodorum.

EPISCOPI CONSTANTIÆ.

I. CHILON.

IN indice Patrum concilii Nicæni de provincia Arabiæ, *Chilon Conſtantienſis*.

II. SOLEMUS.

Conſtantinus Boſtrorum metropolita definitionibus ſynodi Chalcedonenſis act. 6. pro *Solemo civitatis Conſtantinæ* ſive *Conſtantiæ*, Σωλήμου πόλεως Κωνσταντίνης ſubſcripſit, ut pro aliis ſub ſe conſtitutis.

C

XIII. ECCLESIA CANATHÆ.

CANATHAM in Decapoli Cœleſyriæ Ptolemæus poſuit, ut & Plinius: imo & Joſephus lib. 1. de bello cap. 14. in Cœleſyria: quæ ipſa eſt vetus Canath, cujus in ſcripturis ſacris mentio Num. 32. v. 42. & 1. Paral. 2. v. 23. quemadmodum Hieronymus poſt Euſebium monuit. *Canath vicus Arabiæ,* inquit, *quæ nunc Canatha dicitur, quam quum cepiſſet Nabau, appellavit Nabotholiam. Fuit autem in Tribu Manaſſe, in regione Trachonitidi, juxta Boſtram.* Quo loco Euſebium Hieronymus exſcribens, pro *Nabe,* quod in vulgata Latina, velut in Hebræo legitur, *Nabau* poſuit, ex Græca quæ 70. Interpretum dicitur verſione. Quod ſequitur *Nabotholiam* Librariorum error eſt. Unde altero loco ubi de Nabau agit, Naboth dumtaxat ſcripſit. Canatha Κάναθα plurali numero dixit Joſephus.

EPISCOPI CANATHÆ.

I. THEODOSIUS.

PRædatoriæ ſynodo Epheſinæ interfuit, nefariiſque decretis ejus ſuffragatus eſt *Theodoſius epiſcopus Canothæ.* Subinde factum revocavit in Chalcedonenſi, cujus definitionibus ſubſcripſit act. 6. Θεοδόσιος ἐπίσκοπος Κανώθας ὁρίσας ὑπέγραψα, *Theodoſius epiſcopus civitatis Canothæ definiens ſubſcripſi.* Adfuiſſe rurſum legitur ſynodo Gennadii Conſtantinopolitani, in qua de Simoniacis actum eſt anno 459.

XIV. ECCLESIA MAXIMIANOPOLIS.

PRæter *Maximianopolim* ſecundæ Palæſtinæ altera ejuſdem nominis trans-Jordanem in Arabia urbs fuit, quæ ex ſolis concilii Chalcedonenſis actis innoteſcit.

EPISCOPI MAXIMIANOPOLIS.

I. SEVERUS.

ACtione 6. concilii Chacedonenſis Conſtantinus Boſtrorum metropolita ſubſcripſit etiam pro *Severo Maximianopolis epiſcopo,* Σεβήρου Μαξιμιανουπόλεως, tanquam ſub ſe conſtituto. καὶ ὑπὲρ τῶν ὑπ' ἐμέ.

XV. ECCLESIA CHRYSOPOLIS.

SUb Boſtrenſi archiepiſcopatu in ultima notitia Latina apud Carolum à ſancto Paulo, & in Willelmo Tyrio lib. 14. cap. 12. eccleſia Chryſopolis eſt. An-non hæc civitas ab auro appellata, eadem fuerit atque די זהב *Dizahab* illa cujus Hebræa ſcriptura meminit ipſo libri Deuteronomii initio, ubi noſtra tranſlatio habet, *ubi eſt auri plurimum!* Illic enim civitas Arabiæ verſus Moabitidem indicatur.

I. JOANNES.

JOANNES Chryſopolis Arabiæ adfuit ſynodo Chalcedonenſi, ut fert Latina tranſlatio p. 90. In catalogo Latino hujus ſynodi Patrum provinciæ Arabiæ *Joannes Cyropolitanus* ſcribitur.

OBSCURIORUM ALIARUM SEDIUM quæ metropoli Boſtrorum ſubjectæ erant, epiſcopi.

CONSTANTINUS Boſtrorum, de quo jam ſæpe dictum eſt, metropolita, actione ſexta ſynodi Chalcedonenſis pro epiſcopis ſub ſe conſtitutis ſubſcribens, aliquos nominavit, quorum ſedes ignorantur, corruptis plurium, ut mihi videtur, Librariorum imperitia, tum Græcis, tum Latinis civitatum vocabulis. Hi nimirum.

Malchus *civitatis Aëni.* Sic habent codices Corbeïenſis & Divionenſis in nova collectione conciliorum Baluzii, juxta atque Græcus fert textus, Μάλχου πόλεως Αἴνυ. Latina tranſlatio, *civitatis Avaræ.*

Gautus civitatis Neelorum Græcè Γαυτοῦ πόλεως Νεέλων. Latini codices, *Gautone civitatis Nehelon,* alias *Elon, Elorum:* in editis, *Alanorum.* Annon hæc urbs ſit, quæ *Eleale* Iſaiæ 16. v. 9. Hieremiæ 48. v. 34. in terra Moab!

Anaſtaſius *civitatis Eutimiæ,* Αναςασίου πόλεως Εὐτιμίας. Latina tranſlatio *Anithæ.* Codices vero Latini alii *Eutimiæ.*

Digitized by Google

V. PROVINCIA CILICIÆ PRIMÆ.

I. ECCLESIA TARSENSIS METROPOLIS.

TARSUS Ciliciæ metropolis haud procul à mari, ad Cydnum fluvium, qui ipſam interfluit poſita, Geographis omnibus paſſim aliiſque ſcriptoribus Græcis & Latinis notiſſima, quam Baſilius Seleuciæ in Iſauria epiſcopus lib. XI. de Miraculis S. Teclæ martyris primam Orientalis tractûs eſſe prædicat, ad quam appellerent quicumque Orientem verſus pergerent, ob portûs utique opportunitatem, qui, Strabone teſte, lacu conſtabat: quæ pulcritudine, magnitudine, cæteriſque ornamentis ſplendida opulentaque haberetur. Gloriari poſſet *civitas libera,* ait Plinius; libertate ſcilicet donata, quia Cæſari priori nec-non poſteriori, Julio nimirum & Octaviano Auguſto adverſus Pompeium & Caſſium totis ſtudiis cives ejus adeo faverant, ut eam *Juliopolim* vocarent, ut Dio teſtatur lib. 47. p. 342. Hinc Paulus Apoſtolus, quia Tarſenſis, civis quoque Romanus erat, qui Tarſum patriam cœleſti doctrina imbuere inprimis ſategit, Hieroſolymis ad eam itinere ſuſcepto. In ea quippe manſit, donec à Barnaba quæſitus, Antiochiam inde ductus fuit. Quocirca quum multi de Cilicia Gentiles Chriſto nomen dediſſent, quod nonnulli qui ex Judæis crediderant, alios circumcidi legemque Moſaïcam obſervare vellent, Apoſtoli in Hieroſolymitana ſynodo epiſtolam non Antiochiæ ſolum Syriæque fidelibus, ſed etiam Ciliciæ ſcripſerunt, quam refert Lucas Act. 15. v. 23. *Apoſtoli & ſeniores fratres, his qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus, ſalutem.* Tum deinde per Ciliciam Chriſti fides magis magiſque aucta eſt, ac innumerorum Martyrum trophæis illuſtrata; quorum variis in martyrologiis & menologiis frequens memoria fit.

EPISCOPI TARSI.

I. JASON.

COgnatus fuit Apoſtoli Pauli *Jaſon,* ut ipſe Paulus ad Romanos 16. v. 21. teſtatur: *ſalutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius & Jaſon, & Soſipater cognati mei.* In Menæis Græcis Tarſi natus dicitur, hujuſque urbis primus antiſtes, utique ex ementiti Dorothei Tyri catalogo Diſcipulorum Chriſti, cujus ſubleſta fides eſt.

II. URBANUS.

In actis Græcis de ſanctis Petro & Paulo Apoſtolis, quæ à Bollandi Continuatoribus edita ſunt ad diem 29. Junii, *Urbanus* à Paulo Tarſenſibus epiſcopus datus legitur, poſt Jaſonis utique obitum, modo Jaſon Tarſenſis eccleſiæ curam geſſerit.

III. ATHANASIUS *Martyr.*

Sub Valeriano Imperat. martyrio functus eſt *Athanaſius* Tarſi epiſcopus, ex Martyrologio Romano die 22. Aug. *Tarſi SS. Athanaſii epiſcopi & martyris, & Anthuſæ nobilis feminæ, quam ipſe baptizaverat, & duorum*
A *ejus ſervorum, qui ſub Valeriano Imper. paſſi ſunt.* Sic Menæa quoque eadem die. Lambecius Bibl. Cæſareæ cod. XIV. martyrium Anthuſæ ejuſque puerorum ſeu filiorum Neophyti & Chæreſimi, nec-non Athanaſii epiſcopi Tarſi, qui eos baptizavit, contineri refert.

IV. HELENUS.

Tarſenſi jam eccleſiæ præerat *Helenus,* quo tempore Fabio Antiocheno defuncto, Demetrianus ſucceſſit; quod conſtat ex Dionyſii Alexandrini ad Cornelium Papam de
B Novato epiſtola, cujus meminit Euſebius lib. 6. hiſt. eccl. cap. 46. qua nempe ſignificabat, *ſe* ὑπό τε Ἑλένου τοῦ ἐν Ταρσῷ τῆς Κιλικίας ἐπισκόπου, *ab Heleno Tarſi Ciliciæ epiſcopo, & à cæteris qui cum eo convenerant, Firmiliano ſcilicet, Cappadociæ, & Theoctiſto Palæſtinæ provinciæ epiſcopis invitatum eſſe, ut ad ſynodum Antiochenam accurreret, in qua quidam Novati ſchiſma confirmare tentabant;*

Digitized by Google

ECCLESIA TARSENSIS.

ſibi nuntiatum eſſe quod Fabius diem extremum obiiſſet, Demetrianus vero ejus in locum eſſet conſtitutus Antiochenæ eccleſiæ epiſcopus. Ad Antiochenam itaque ſynodum quæ Novati cauſa celebrabatur, Helenus venerat anno circiter 253. De ipſo, ut de Firmiliano, deque omnibus per Ciliciam & Cappadociam ſacerdotibus, Stephanus Papa ſubinde ſcripſit, ſe ab eorum communione diſcedere paratum, quod hæreticos rebaptizarent. In ſynodis inſuper Antiochenis duabus Helenus ſedit, quæ Pauli Samoſateni Antiochiæ præſulis hæretici cauſa coactæ ſunt, ut perhibetur apud Euſebium lib. 7. c. 27. 28. & 29. Quinimo ſynodi poſterioris epiſtolæ Dionyſio Romano, Maximo Alexandrino, & ad catholicam omnem eccleſiam ſcriptæ, ante alios epiſcopos qui ſacro illi conventui aderant primus nominatur: *Dionyſio, Maximo, &c.* Ἕλενος, καὶ Ὑμέναιος καὶ Θεόφιλος, *Helenus, & Hymenæus, & Theophilus, &c.*

V. Clino.

Acta S. Pelagiæ Tarſenſis virginis & martyris, cujus annua memoria à Græcis recolitur die 4. Maii & 5. Octobris, hanc à *Clinone* Tarſenſi epiſcopo baptizatam, & eo erudiente martyrium obiiſſe, ſepultamque ab ipſo tradunt; quæ tamen Henſchenio & Papebrochio ſuſpecta ſunt, ut & quæcumque de Pelagia in Menæis recitantur. Cæterum Menæa Græca quæ Venetiis proſtitere, pro Clinone vel Clino *Quartum* habent, quibus conſentanea illa ſunt quæ Latine reddita exſtant tom. 2. Antiq. lect. Caniſii. Alioqui *Helenum* pro Clino legendum putavero.

VI. Lupus.

Synodis Ancyranæ & Neocæſarienſi quæ exeunte perſequutione, ante Nicænum concilium habitæ ſunt, ſubſcriptus legitur *Lupus Tarſenſis Ciliciæ*, poſt Agricolaum Cæſareæ Palæſtinæ.

VII. Theodorus I.

Tarſenſem eccleſiam poſt Lupum ſuſcepit *Theodorus I.* Auxentii Mopſueſtiæ epiſcopi frater junior, Athenis egregie eruditus, ut mihi Suidas auctor eſt in *Auxentio:* Ἀδελφὸς νεώτερος ἦν Θεόδωρος, ἀνὴρ τῶν Ἀθήνησι παιδευθέντων, ὃς καὶ αὐτὸς χρόνον ὕστερον ἐπισκοπὴν τῆς Ταρσοῦ ἐκκλησίας ἔτυχε κληρωσάμενος. Hujus auditorem aliquando fuiſſe ſubdit Aëtium Anomœorum principem. Atqui epiſcoporum Ciliciæ qui Nicæno concilio interfuerunt, primus eſt *Theodorus Tarſenſis*.

VIII. Antonius.

Philoſtorgius Arianus *Antonium* Tarſi epiſcopum è diſcipulis Luciani Martyris unum fuiſſe narrat lib. 2. cap. 14. Ἀντώνιον μὲν Ταρσοῦ τῆς Κιλικίας, qui perinde atque Leontius illibatam pietatem ſervaverit, ſeu ſimulaverit potius. Hujus apud horum temporum ſcriptores vel deſcriptores alios nulla mentio.

IX. Silvanus.

X. Acacius.

Sub Conſtantio Imperat. Tarſi epiſcopus *Silvanus* fuit, qui certe Antonio proxime ſuffectus ſit, vir Semi-arianorum imo & Macedonianorum partibus addictus, qui cum ſuis bene multis in Seleucienſi ſynodo à Georgio Alexandrino, Acacio Cæſarienſi, aliiſque apertioribus Arianis ſe ſegregavit. Ea ſoluta, in altero quod Ariani Conſtantinopoli habuerunt conventiculo, ſacerdotio unà cum Eleuſio Cyzici nonnulliſque aliis deſtitutus fuit, ſedeque ſua pelli juſſus à Conſtantio. Poſt vero quia Verbum Patri ſubſtantia nullo diſcrimine ſimile credebat, in Lampſaceno concilio ſub Valente Imp. Nicænam fidem profeſſus eſt, & à ſynodo cum Euſtathio Sebaſtiæ, ac Theophilo Caſtabalorum in occiduas partes ad Valentinianum Imper. alterum delegatus anno 366. Unde anno circiter 370. cum Liberii Papæ & Romanæ ſynodi litteris in Orientem rediit: quod apud Baſilium magnum epiſtola 60. legere eſt, qui & Silvanum *Beatum* appellare non dubitat, καὶ μακάριον Σιλουανόν. Sedem eum poſtea recepiſſe non abſurde conjectavero; quando in primis circa annum 366. Ariani effecerunt ne à Semi-arianis ſynodus Tarſi indicta celebraretur, propter Silvanum utique hujus urbis epiſcopum. Multa de eo Theodoretus lib. 2. hiſt. eccl. cap. 27. Sozomenus lib. 6. c. 7. Epiphanius hær. 73.

ACACIUS

Deſtituto, ut dictum eſt, Silvano ab Arianorum Conſtantinopolitana ſynodo, Acacius Cæſarienſis qua maxima tunc auctoritate valebat, quum per Orientis eccleſias epiſcopos hæreſi ſuæ addictos impunè crearet, Tarſenſi *Acacium* alterum præfecit. Philoſtorgius l. 5. cap. 1. Sedem hanc eo forſan tempore occupabat adhuc quo Baſilius magnus epiſtola 203. & 204. eccleſiam hanc ab hæreticis ſubactam dolebat.

XI. Diodorus.

Theophanes ad annum 1. Theodoſii, ſeu Chriſti 379. *Diodorum* Tarſenſis eccleſiæ epiſcopum à Meletio Antiocheno ordinatum refert, quem tamen ante biennium inter centum quadraginta ſex epiſcopos ſynodi Antiochenæ ſub eodem Meletio ſediſſe comperimus, ex ejus ſubſcriptione quæ ſubjecta

legitur expoſitioni fidei ſynodi Romanæ ſub Damaſo Papa habitæ, in collectione Lucæ Holſtenii pag. 177. Anno 380. Conſtantinopolitano concilio generali interfuit, à quo cum Pelagio Laodiceno delegatus eſt, ut Syriæ Orientiſque eccleſias luſtraret, & epiſcopos catholicos paſſim conſtitueret, ejectis hæreticis, Meletio ſcilicet Antiocheno annuente, qui tunc nimis per ſenium fatiſcebat, ut tantos labores ſuſciperet. Inſequenti anno auctor fuit, ut ejuſdem ſynodi Patres, qui in urbem regiam revocati erant, Nectarium ex Ciliciæ præfecto Byzantinum epiſcopum ordinarent: quin & ipſe cum Acacio præſertim Berrhœenſi Flavianum Antiochenum præſulem in Meletii defuncti locum, præter fas omne conſecravit. Joannem Chryſoſtomum, & Theodorum Mopſueſtenum ſacras litteras docuit, de cujus eruditione Hieronymus in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum: *Exſtant*, inquit, *ejus in Apoſtolum commentarii, & multa alia ad Euſebii magis Emiſſeni characterem pertinentia: cujus quum ſenſum ſequutus ſit, eloquentiam imitari non potuit propter ignorantiam ſæcularium litterarum.* Alias ſcripturæ divinæ etiam veteris enarrationes ediderat, quarum ſexcenta excerpta in catenis Græcis viſuntur. Dum Apollinaris errorem ardentius inſequitur, Neſtorianæ hæreſi præluſit, unde cum diſcipulo ſuo Theodoro damnatus merito fuit in quinta ſynodo generali.

XII. Phalerius.

Epiſcopus Tarſenſis qui S. Joannis Chryſoſtomi ætate ſedebat, ex adverſariis certè illius erat, ut Chryſoſtomus ipſe queritur epiſt. 204. ad Pœanium: *ὁ δὲ Αἰγῶν, καὶ ὁ Ταρσοῦ, ὡς ἔγνων μετ' ἐκείνων τάττονται. Epiſcopi Ægarum & Tarſi, ut audivi, à partibus illorum ſunt, & Gabalenſis quibuſdam amicorum noſtrorum ſignificavit, illos à Conſtantinopolitanis cogi ut ipſorum iniquitati aſſentiantur.* Palladius quoque in dialogo de vita Joann. Chryſ.e piſcopum Tarſi ſancto pontifici, ut & Porphyrium Antiochenum, fuiſſe infenſos teſtatur. Is erat, nî fallor, Phalerius qui Conſtantinopolitani concilii ſententiæ de Agapio & Bagadio ſubſcripſit anno 394. Φαλέριος Ταρσοῦ, vix dubium eſt quin Diodoro proxime ſucceſſerit anno 392.

XIII. Dositheus.

Ex epiſcopo Seleucienſi Tarſenſis metropolita factus fuit *Doſitheus* ab Alexandro Antiocheno Porphyrii ſucceſſore. Ita Socrates lib. 7. cap. 35. ubi de tranſlationibus epiſcoporum diſputat.

XIV. Marianus.

Eodem tempore quo Dexianus Seleuciæ Iſauriæ epiſcopatum gerebat, Tarſenſi eccleſiæ præerat *Marianus*, Baſilio Seleucienſi teſte lib. 2. de miraculis ſanctæ Teclæ c. 13. ubi narrat Marianum, quum natura levis & ad iram facilis eſſet, infenſum animum Dexiano prætuliſſe: & quia fieri non poterat, ut tanto viro ſuperior evaderet, ut pote qui non valde ſanus & cordatus erat, non aliter ſe ultum eſſe quam contumelia in Martyrem Teclam illata. Quocirca inſtante Virginis ſolemnitate, ad quam Cilices Seleuciam concurrebant, in eccleſia edixit, ne Tarſo illuc profectio fieret. Dementiæ vero ſuæ pœnam tulit Marianus repentina morte poſt quintum ſextum-ve diem exſtinctus, quam ſanctiſſima Tecla in feſti ſui pervigilio Caſtori cuidam prænuntiarat.

XV. Helladius.

Helladius Tarſenſis epiſcopus ſedebat, quo tempore Neſtorius impietatem ſuam erga Chriſtum effudit: quumque Epheſum ad ſynodum generalem veniſſet, ab ea ſe ſegregans cum Joanne Antiocheno & reliquis Orientalibus, ſacerdotio concilii legitimi ſententiâ deſtitutus eſt, quum interim variis ſuorum geſtis adeſſet & ſcriberet. Quin & ſynodo Tarſi celebrata, cui Joannes Antiochenus præſidebat, ſententiam iterum una cum illis dixit in Cyrillum Alexandrinum & reliquos catholicæ partis epiſcopos qui Neſtorium Epheſi damnaverant. Poſt vero anno 434. coacta provinciæ ſuæ ſynodo altera, ſancitam pacem Joannem inter & Cyrillum approbavit, dataque ad Imperatores ſynodica confirmavit, quam Lupus Latine edidit cap. 192. collectionis. Legenda vero de illo capita 66. 136. 141. 174. 201. nec non 130. Ante epiſcopatum Helladius monaſticam vitam coluerat in monaſterio Rhoſenſi S. Theodoſii Antiocheni, quo defuncto cœnobii præfecturam geſſit, ac poſt annos ſexaginta Cilicum metropolim regendam ſuſcepit. *ὃς ἑξήκοντα μὲν ἐν ἐκείνοις τοῖς πόνοις διετέλεσεν ἔτη, ἔπειτα τὴν Κιλίκων θεόθεν ἐδέξατο προεδρείαν*, ait in hiſtoria Religioſa Theodoretus, additque Helladium priſtinam non deſeruiſſe Philoſophiam, ſed laboribus illis prioribus ſudores alios adjeciſſe.

XVI. Theodorus II.

Latrocinio Epheſino adfuit, ejuſque decretis ſuffragatus eſt, Θεόδωρος ἐπίσκοπος Ταρσοῦ, *Theodorus epiſcopus Tarſi*, qui factum revocavit in concilio Chalcedonenſi, cujus definitionibus fidei ſubſcripſit actione 6. pro

Digitized by Google

ECCLESIA TARSENSIS.

ſe & pro epiſcopis de provincia ſua abſentibus, Saluſtio Coryci, & Matroniano Pompeiopolis.

XVII. Pelagius.

Tarſi metropolita erat *Pelagius,* cui uti cæteris, Leo Auguſtus accepta Proterii Alexandrini nece, ſcripſit, ut de illo facinore & de concilio Chalcedonenſi cum provinciæ ſuæ ſynodo ſententiam ſuam exponerent: *Pelagio,* inquam, *reverentiſſimo epiſcopo Tarſi Ciliciæ primæ:* Leoni proinde viciſſim ſynodicam, uti par erat, ſubſcripſit, quæ ſupereſt ex collectione Epiphanii.

XVIII. Nestor.

Neſtorem Tarſi Zeno Imperator, Petro Cnapheo Antiochenæ eccleſiæ Tyranno hæretico inſtigante, ſede ſua expulit an. 489. ut fert Theophanes ad annum 16. Zenonis, cujus textus mancus & obſcurus reſtituendus venit ex Anaſtaſii ſaltem tranſlatione, in qua meliori ſerie legitur: *Aſt Imperator Zeno requie potitus à barbaris, ab Antiochena Calandionem pellit eccleſia, exulem faciens apud Oaſim, Petrumque Cnapheum conſtituit; Neſtorem autem Tarſenſem, Cyrum Hierapolitanum, Joannem Cyrrheſtenſem, Romanum Chalcedonenſem, &c. ſub oſtentu favoris quaſi circa tyrannos exhibiti, ſed veritate propter non receptum Henoticon abigi præcepit eccleſiis.*

S. Fulgentius epiſtola 14. ad Ferrandum diaconum, *Joannem* Tarſenſem ſuo ævo hoc eſt circa ſæculi ſexti initia, ſediſſe ſignificat, & Ferrandi familiarem. *Rogo etiam,* inquit, *ut librum de regula fidei relegendum nobis jubeas deſtinare, & epiſtolam ad Joannem Tarſenſem, ubi de malefico quodam judici non tradendo memini diſputatum.* At non Tarſi Ciliciæ metropolita fuit, ſed Tarazæ Numidiæ epiſcopus.

XIX. Syncletius.

Ephræmius Antiochenus Patriarcha conatum quemdam ſuum contra Acephalos data epiſtola *Syncletico* Tarſenſi nuncupavit, quem Photius in Bibliotheca codice 228. regeſſit. ἄλλη δὲ πρὸς Συγκλητικὸν τοὔνομα, Ταρσοῦ δὲ μητροπολίτην αὐτὸν, τὸ γράμμα οἶδεν. *Alia ad Syncleticum epiſtola, quem Tarſi metropolitam fuiſſe ſcriptum ipſum indicat.* Rurſus: ὅτι Συγκλητικός· τῆς Ταρσοῦ δὲ τοῦτον ὁ προλαβὼν λόγος ἐπίσκοπον εἶπεν. *Syncleticus, qui ſermone præcedente Tarſi epiſcopus fuiſſe dictus eſt.* Eodem loci Photius ſubinde refert quid in ſynodo quadam ſua Ephræmius egerit ob eumdem Syncleticum τῆς Ταρσοῦ, *Tarſi præſulem,* qui acceptis male-ſanæ doctrinæ libellis à quibuſdam, in hæreſis Eutychianæ ſuſpicionem cum Stephano monacho ſyncello ſuo incurrerat: Syncletico rectam fidem coram patribus qui aderant profeſſo, ſolutum concilium fuit.

XX. Petrus.

Tarſenſem eccleſiam ante quintam ſynodum *Petrus* regebat, quando Byzantinæ Menas præerat, quod apparet ex conſtituto Vigilii Papæ, qui ab ipſo aliiſque Theodori Cæſarienſis aſſectatoribus ſinceræ fidei profeſſionem exegit. Adfuit ſubinde concilio generali quinto, cui & ſubſcripſit, *Petrus miſericordia Dei epiſcopus Tarſi metropolitanæ civitatis.*

XXI. Theodorus III.

Inter ſextæ ſynodi Patres ſedit & ſubſcripſit, Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ταρσοῦ μητροπόλεως τῆς πρώτης τῶν Κιλίκων ἐπαρχίας. *Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Tarſi metropolis primæ Ciliciæ provinciæ.*

XXII. * * *

Circa annum mundi 6463. Chriſti 955. quum Ameras Saracenorum dux qui Tarſi dominabatur, exercitum in Byzantinos moviſſet, militibus in Herculis vicum prædatum miſſis, accidit ut preſbyter quidam nomine Themel, qui ſacrificium incruentum peragebat, audita eorum incurſione, omiſſo ritu ſacro, ita ut erat ſacras veſtes indutus, ſignaculum eccleſiæ manibus corripiens, hoſtes irruentes adortus ſit, multiſque ab eo vulneratis reliqui fugæ ſe dediderunt. Cæterum ſacerdos ab epiſcopo à ſacris excluſus eſt, ἀποκλεισθεὶς δὲ παρὰ τοῦ ἐπισκόπου τῆς ἱερουργίας quumque veniam non impetraret, ad Saracenos ſe contulit, ac Chriſtiana fide ejurata, Cappadociam ejuſque fines ad Aſiam uſque minorem infeſtis armis diu dureque populatus eſt. Cedrenus & Curopalata.

II. ECCLESIA POMPEIOPOLIS.

POMPEIOPOLIS Ciliciæ primæ civitas eſt in notitiis, quæ Strabone teſte Σόλοι, pridem dicebatur, imo Ptolemæo quoque & aliis ſcriptoribus; ex quibus Quintus-Curtius lib. 3. c. 7. *Solos* dixit. Apud Plinium, pro veteri diphthongi Græcæ οι pronuntiatione *Soloe*

ECCLESIA POMPEIOPOLIS.

ſcribitur, ut apud Melam qui lib. 1. cap. 13. ait: *Urbs eſt olim à Rhodiis, Argiviſque, poſt piratis, Pompeio aſſignante, poſſeſſa, nunc Pompeiopolis, tunc Soloë.* Pompeiopolis unde ſit vocitata, Strabo explicat lib. 14. *Pompeiopolis juxta Iſſum jacens, alterius Ciliciæ initium eſt, Achæorum opus & Rhodiorum qui ex Lindo venerunt. In hanc hominum frequentia deſtitutam Pompeius magnus piratarum reliquias tranſtulit, quos judicabat potiſſimum ſalute & cura aliqua dignos,* καὶ μετωνόμασε Πομπηϊόπολιν, *& mutato nomine Pompeiopolim appellavit.*

EPISCOPI POMPEIOPOLIS.

I. SOPHRONIUS.

PRimus Pompeiopolis Ciliciæ qui mihi occurrerit epiſcopus, eſt *Sophronius,* qui cum aliis orthodoxis præſulibus, in Antiochena ſynodo ſub Meletio, libello ſupplici, quo conſubſtantialis fides confirmabatur, Joviano Imp. mittendo ſubſcripſit, Σωφρόνιος Πομπηϊουπόλεως, *Sophronius Pompeiopolis.*

II. PHILOMUSUS.

In indice Patrum concilii Conſtantinopolitani generalis prioris inter Ciliciæ epiſcopos legitur *Philomuſus Pompeiopolis.* Quidam codices Latini habent *Filonius,* non ſine Librariorum errore.

III. MATRONIANUS.

Epheſum ad ſynodum generalem cum Joanne Antiocheno *Matronianus* Pompeiopolis venit, ubi cum illo ſuiſque Orientalibus adverſus Cyrillum Alexandrinum & legitimam ſynodum ſtetit, variiſque illorum actis litteriſque ſubſcripſit, unde catholica communione ſententia œcumenici concilii extorris quoque factus fuit. Poſt autem anno 434. ſynodo Helladii Tarſenſis interſuit, in qua rata facta eſt pax quam Joannes cum Cyrillo pepigerat. Theodorus Tarſi Helladii ſucceſſor in concilio Chalcedonenſi pro Ma-
A troniano abſente ſubſcripſit, *Theodorus epiſcopus Tarſi metropolis, pro me & epiſcopis abſentibus ſub me conſtitutis, Saluſtio Coryci,* καὶ Ματρωνιανοῦ Πομπηϊουπόλεως, *& Matroniano Pompeiopolis conſentiens ſubſcripſi.*

IV. JOANNES.

Canonibus ſynodi in Trullo dictæ, ſeu Quini-ſextæ, nomine vulgatis ſubſcriptus legitur: Ἰωάννης ἐπίσκοπος Πομπηϊουπόλεως τῆς Κιλίκων ἐπαρχίας. *Joannes epiſcopus Pompeiopolis Cilicum primæ provinciæ.*

B

V. DIONYSIUS.

Sub Andronico Palæologo I. Imperatore epiſcopis Antiochenæ diœceſis in diverſa ſtudia ad Patriarcham eligendum diviſis, *Dionyſium Pompeiopolis epiſcopum Cilices Patriarcham elegerunt,* οἱ μὲν κατὰ Κιλικίαν τὸν Πομπηϊουπόλεως Διονύσιον: vicerunt Syri, qui, cunctante Dionyſio, Cyrillum Tyri conſtituerunt. Ita Pachymeres lib. 1. cap. 19. Nicephorus vero Calliſtus, lib. 14. cap. 49. Dionyſium ſubinde Cyrillo ab omnibus tandem ſuffectum innuit. Arſenio, inquit, Cyrillus Tyri ſucceſſit, cui Dionyſius Pompeiopolis, καὶ τούτου δὲ ὁ τῆς Πομπηϊουπόλεως Διονύσιος.

III. ECCLESIA SEBASTÆ.

SEBASTE Ciliciæ oppidum fuit, in inſula Eleuſa poſitum, quæ parum à continente diſtabat. Hoc Archelaus Cappadox Trachea Cilicia ab Auguſto Cæſare obtenta, Sebaſtes nomine donavit: quod Joſephus tradit lib. 6. Antiq. Jud. cap. 8. Ejus meminere Strabo & Ptolemæus. Habent notitia Hieroclis aliaque vetus.

EPISCOPI SEBASTÆ.

I. MINODORUS.

BEne doctiſſimus Baluzius in notis ad ſynodicum ex Tragœdia Irenæi auguratus eſt *Minodorum,* vel Coryci, vel Sebaſtæ epiſcopum fuiſſe, qui ſynodo Tarſenſi affuerit, in qua Cyrillum Alexandrinum inter & Joannem Antiochenum pax redintegrata eſt, ac primæ Ciliciæ epiſcopis admiſſa fuit: quod compertum efficitur initio epiſtolæ ejuſdem ſynodi ad Imperatores Theodoſium & Valentinianum, quæ extat cap. 192. collectio-
C nis ex Tragœdia Irenæi. Cæterorum enim qui in ea nominantur epiſcoporum ſedes ex aliis monumentis ad Epheſinum concilium ſpectantibus notæ ſunt: ſed & Saluſtius tunc temporis Coryci eccleſiæ præerat; Minodorus igitur Sebaſtæ.

II. ALEXANDER.

Ad Epheſinam ſynodum ſecundam venit *Alexander* Sebaſtæ Ciliciæ, illiuſque profanis decretis ſuffragatus eſt, ubi dicitur ἐπίσκοπος

ECCLESIA SEBASTÆ.

Σεβαςῆς Ταρσοῦ, *epiſcopus Sebaſtæ Tarſi*. Poſt bienium in concilio Chalcedonenſi errorem emendavit, in cujus actis quæ Latinè exſtant act. 3. & alibi dicitur in ſubſcriptionibus, *Alexander epiſcopus Sebaſtiæ Ciliciæ*.

III. Anatolius.

Quintæ ſynodo generali, in qua Ruffinus Sebaſtæ Armeniæ metropolita ſedebat, ſubſcriptus legitur *Anatolius humilis epiſcopus Sebaſtæ*, non certe etiam Sebaſtæ Palæſtinæ.

IV. ECCLESIA AUGUSTÆ.

ALtera Ciliciæ civitas fuit *Auguſta*, Latino vocabulo dicta, cujus eſt apud Plinium mentio, qui poſt Anazarbenos Auguſtam & Caſtabala ponit; habet & Ptolemæus. In notitia Hieroclis præter Sebaſten Αὐγουςία, ſeu Αὔγουςα potius, legitur: & in Græca veteri altera Αὐγουςούπολις *Auguſtopolis*. Juxta mare haud procul à Pyramo fluvio poſita erat, cui ſui quoque epiſcopi fuerunt.

EPISCOPI AUGUSTÆ.

I. Piso.

COncilii Antiocheni quod ſub Meletio archiepiſcopo, anno 363. celebratum fuit, epiſtolæ ad Jovianum Imp. ſubſcripſit Πίσων Αὐγούςης, *Piſo Auguſtæ*.

II. Tatianus.

Inter epiſcopos Orientalis diœceſis, qui Epheſi ac deinceps cum Joanne Antiocheno Neſtorii cauſam adverſus legitimam ſynodum aliquandiu defenderunt, variiſque illorum actis ac litteris ſubſcripſerunt, *Tatianus epiſcopus Auguſtæ* reperitur, qui an. 434. in ſynodo Tarſenſi paci Cyrillum inter & Joannem ſancitæ ultro conſenſit.

III. Theodorus.

In ſynodo Chalcedonenſi ſedit, ſubſcripſitque Θεόδωρος ἐπίσκοπος Αὐγούςης, *Theodorus epiſcopus Auguſtæ*, Ciliciæ primæ ſcilicet, ut ex indice Latino Patrum hujus ſynodi exploratum fit.

V. ECCLESIA CORYCI.

CORYCUS Ciliciæ primæ civitas, de qua Plinius, *Juxta mare Corycos, eodem nomine oppidum & portus & ſpecus*. Mela lib. 1. cap. 13. *Corycus*, ait, *oppidum portuſque ſalo incingitur, anguſto tergore continenti annexum*. Hinc Straboni ἄκρον ſeu promontorium eſt mari imminens. Addit Mela: *Supra ſpecus eſt nomine Corycus ſingulari ingenio, & ſupra quam deſcribi facile ſit eximius*. Miranda reliqua de hoc ſpecu Pomponius ſubjungit, legenda prorſus. Illic Crocum optimum naſci auctor eſt Strabo, agro virentibus virgultis referto. Ciliciæ primæ Corycus attribuitur in notitiis.

EPISCOPI CORYCI.

I. Germanus.

IN indice epiſcoporum Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis prioris inter epiſcopos Ciliciæ cenſetur *Germanus Corycenſis*.

II. Sallustius.

Epheſi cum Joanne Antiocheno & aliis Orientalibus adverſus Cyrillum Alexandrinum & legitimam ſynodum generalem ſtetit *Salluſtius Coryci epiſcopus*, poſtquam conteſtationi ſubſcripſerat multorum epiſcoporum qui interceſſerant, ne Cyrillus Alexandrinus concilium inchoaret: quocirca ipſe quum aliis communionis exſors fieri meruit. Poſt triennium anno ſcilicet 434. in ſynodo Tarſenſi initam Cyrillum inter & Joannem concordiam amplexus eſt. Act. 6. concilii Chalcedonenſis Theodorus Tarſi metropolita pro ſe & pro Salluſtio Coryci abſente ſubſcripſit, καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀπόντος ἐπισκόπου τοῦ ὑπ᾽ ἐμὲ Σαλουςίου Κωρύκου. Quanquam Salluſtius idem Coryci in indice Latino Maffæi aliorumque, ſubſcripſiſſe fertur *per Philippum Adanenſem*.

III. Archelaus.

Synodo Conſtantinopolitanæ ſub Menna interfuit & ſubſcripſit *Archelaus epiſcopus Coryci*, anno 580. quum paulò ante perinde ſubſcripſiſſet libello eccleſiarum Orientis adverſus Severum Antiochenum, ejuſque aſſectatores hæreticos, quem cum aliis Antiochenæ diœceſis epiſcopis Agapeto Papæ exhibuit.

IV. Cyprianus.

Digitized by Google

ECCLESIA CORYCI.

IV. CYPRIANUS.

In concilio generali quinto ſedit *Cyprianus* A Coryci. *Cypriano reverentiſſimo epiſcopo Coryci.*

V. JOANNES.

Anno 680. inter ſynodi ſextæ generalis patres ſedit *Joannes Corycenſis:* qui & Trullanis canonibus ſubſcriptus reperitur, Ἰωάννης ἐπίσκοπος πόλεως Κυρίκου (lege Κωρύκου) τῆς τῶν Κιλίκων ἐπαρχίας, *Joannes epiſcopus civitatis Coryci, provinciæ Cilicum.*

VI.

ECCLESIA ADANORUM.

ADANA Plinio, Ptolemæo, aliiſque notiſſima Ciliciæ Tracheæ civitas, Tarſi vicina ad Sarum flumen, ait Procopius lib. 5. de ædif. cap. 5. ex montibus defluens, navigiis aptum, cui pontem Juſtinianus ſuperſtruxit. Ciliciæ primæ attribuitur in notitiis.

EPISCOPI ADANORUM.

I. PAULINUS.

IN indice Patrum concilii Nicæni de provincia Ciliciæ legitur *Paulinus Adanon*, ſeu Adanorum, *Adanenſis.*

II. PISO.

Cum epiſcopis Arianis qui à ſynodo Sardicenſi Philippopolim in Thracia ſeceſſerunt, aderat, eorumque epiſtolæ ſubſcripſit *Piſo epiſcopus à Vanis*, ſive *ab Adana*, qui proinde Arianicam factionem poſthac ejuraverit, quippe qui ſubſcriptus quoque legitur epiſtolæ ſynodi Antiochenæ ad Jovianum Imp. C qua *conſubſtantialis* fides, Meletio præſide, aſſerta eſt: Πίσων Ἀδάνων διὰ Λαμυδρίωνος πρεσβυτέρου. *Piſo Adanorum per Lamydrionem preſbyterum.* Socrat. lib. 3. cap. 21.

III. CYRIACUS.

Conſtantinopolitano concilio generali primo ſubſcripſit *Cyriacus Adanenſis*, qui ſane Nectarium regiæ illius urbis antiſtitem deſignatum ſacerdotalibus diſciplinis imbuit, ut Sozomenus refert lib. 7. c. 10. τοῦτον γὰρ αὐτῷ συγγενέσθαι ἐπὶ ἴνα χρόνον ᾔτησε Διόδωρον τὸν D Ταρσέων ἐπίσκοπον. *Hunc enim ut aliquantum temporis ſecum adeſſet, à Diodoro Tarſenſi poſtulavit.* Id quod, obiter dicam, mihi ſignificat, abſque metropolitæ ſui ſententia epiſcopis non licuiſſe extra parœciarum diœceſium-ve ſuarum fines morari. Deſignatus quoque fuit ab ea ſynodo, qui Romam ad Damaſum Papam ſynodicam ferret.

IV. ANATOLIUS.

Inter Joannis Chryſoſtomi epiſtolas centeſima decima Cucuſo data exſtat Ἀνατολίῳ E ἐπισκόπῳ Ἀδανῆς, *Anatolio epiſcopo Adanæ*, cui ſcribebat tanquam viro ſibi amiciſſimo, at cui ipſe facie minimè notus erat. Hunc aliqui eſſe illum ſuſpicantur, qui ejuſdem Joannis cauſa ſedem ſuam deſerere coactus, in Gallias ſeceſſit. Ἀνατόλιον ἔφασαν εἶναι εἰς B Γαλλίας, *Anatolium in Galliis eſſe aiunt.* Palladius dialog. pag. 196.

V. CYRILLUS.

Ad Epheſinam ſynodum venit *Cyrillus* Adanæ ante Joannem Antiochenum, & conteſtationi ſubſcripſit multorum epiſcoporum, qui interceſſerunt, ne Cyrillus Alexandrinus concilii celebrationem auſpicaretur ante Joannis adventum, quem in omnibus ſequutus eſt. In ſynodo Tarſenſi anno 434. pacem admiſit quæ inter Alexandrinam eccleſiam & Antiochenam ſancita erat.

VI. PHILIPPUS.

Synodo Chalcedonenſi interfuit *Philippus epiſcopus Adanæ*, Φιλίππου Ἀδάνης, in Latina tranſlatione additur, *prima Ciliciæ:* Ipſe quoque ſubſcripſit epiſtolæ ſynodi Ciliciæ primæ ad Leonem Imp.

VII. * * *

Circa annum 538. vixiſſe fertur Theophilus Adanenſis eccleſiæ vicedominus ſive œconomus, qui, vacante ſede, à clero & populo civitatis epiſcopus electus, & facto decreto invitus ad metropolitanum miſſus à quo conſecraretur; quum autem obſtinatius munus detrectaret, ejus loco alter electus fuit, qui illum ab œconomi officio removit, & alterum conſtituit. Id quod Theophilo graviſſimi lapſus occaſio fuit; quemadmodum fuſe in actis ejus narratur. Vid. apud Bollandum die 4. Febr. De quorum actorum veritate non eſt hîc inquirendi locus. Dicam ſolum initio illorum legi Adanam ſecundæ Ciliciorum regionis.

VIII. JOANNES.

In ſexta ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Ἀδάνων. *Joannes miſericordia Dei epiſcopus civitatis Adanorum.*

VII. ECCLESIA MALLI.

Mallus haud procul à mari, in loco edito poſita Ciliciæ civitas, ab Amphilocho & Mopſo filio Apollinis & Mantus condita, ut narrat Strabo: juxta quam Pyramus fluvius in mare ab ortu effunditur. Plinius Malli meminit, & Ptolemæus, nec illam notitiæ omiſerunt.

EPISCOPI MALLI.

I. Bematius.

In ſynodo quadraginta ſex epiſcoporum quæ Antiochiæ anno 377. Meletio præſide celebrata eſt, in qua Tomus Damaſi Papæ, contra Arianos Macedonianoſque & alios hæreticos lectus fuit, ſedit & ſubſcripſit *Bematius Malliotarum*. Collectio Lucæ Holſtenii.

II. Valentinus.

Ad Epheſinum concilium generale *Valentinus epiſcopus Malli* quum veniſſet, conteſtationi ſubſcripſit multorum epiſcoporum, qui interceſſerunt, ne Cyrillus Alexandrinus illam auſpicaretur ante adventum Joannis Antiocheni, aliiſque Orientalium pro Neſtorio geſtis ſubſcriptione ſua ſuffragatus eſt: ſubinde vero in ſynodo Tarſenſi eccleſiæ Orientalis cum A Alexandrina & catholica unionem admiſit.

III. Chrysippus.

Concilio Chalcedonenſi interfuit & ſubſcripſit Χρύσιππος ἐπίσκοπος πόλεως Μάλλυ, *Chryſippus epiſcopus civitatis Malli.*

IV. Attalus.

Subſcriptus quoque decreto ſynodico Gennadii Conſtantinopolitani contra ſimoniacos legitur Ἄτταλος Μαλλωτῶν, *Attalus Mallenorum.*

V. Cosmas.

Adſuit & ſubſcripſit quintæ ſynodo generali, *Coſmas miſericordia Dei epiſcopus Malli.*

VIII. ECCLESIA ZEPHYRII.

Notitiæ duæ Hieroclis & altera vetus, *Zephyrium* habent inter Ciliciæ urbes. Promontoria duo memorat Strabo multum diſparata, quæ hoc nomine vocantur, quæ etiam Ptolemæus. Zephyrium civitatem agnovit Plinius, de quo Hieronymus in cap. 47. Ezechiëlis ad has voces v. 15. *Ibuntque confinia* (terræ Iſraël) *uſque Zephrana*, ait, *quam urbem Zephyrium oppidum Ciliciæ vocant*, ceu terminus littoris Syriæ & Palæſtinæ fuerit.

EPISCOPI ZEPHYRII.

I. Aerius.

In indice Patrum concilii Conſtantinopolitani generalis prioris, inter Ciliciæ epiſcopos *Aërius Zephyrienſis* legitur.

II. Zenobius.

Zenobii Zephyrienſis epiſcopi epiſtola exſtat ad Alexandrum Hierapolis, qua querebatur Meletium Mopſueſtiæ epiſcopum civitate ſua Joannis Antiocheni juſſione pulſum: in ſynodico nimirum ex Tragœdia Irenæi, cujus cap. 190. de eodem Zenobio hæc dicuntur: *Ultro quidem reliquit eccleſiam: poſt hæc vero in Tiberiadem relegatus eſt; ſed inde fugiens, dum ſe hunc ipſum denuntiaſſet exiſtere.* Quibus conſtat eum Neſtoriana labe infectum fuiſſe, quamlibet initio epiſtolæ epiſcoporum Ciliciæ primæ ad Imperatores B Theodoſium & Valentinianum, qua pacem eccleſiarum Orientalis & Alexandrinæ ratam habebant, Zenobius cum aliis nominetur.

III. Hypatius.

In indicibus Latinis epiſcoporum qui ſynodo Chalcedonenſi interfuerunt, *Hypatius Zephyrienſis* inter Ciliciæ primæ præſules reperitur, qui multis ejuſdem concilii decretis ſubſcripſit, ut & poſt annos ſex epiſtolæ ſynodi ſuæ provinciæ ad Leonem Imp.

IV. Petrus.

Quini-ſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur Πέτρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Ζεφυρίου τῆς πρώτης τῶν Κιλίκων ἐπαρχίας. *Petrus indignus epiſcopus Zephyrii primæ Cilicum provinciæ.*

In variis codicibus tranſlationis actorum ſynodi Chalcedonenſis, præter Acacium Antiochiæ Iſauriæ qui in eodem concilio ſedebat, adfuiſſe etiam legitur *Leomanditus Antiochiæ Ciliciæ*, quod nomen Librariorum inſcitia corruptum nemo non ſenſerit, ad quod reſtituendum exemplaria nulla Græca ſuppetunt. In eodem concilio aderant Antiochiæ Piſidiæ metropolita, & Acacius *Antiochiæ Iſauriæ*. Quænam Antiochia Ciliciæ fuerit, mihi hactenus incompertum eſt.

Digitized by Google

VI. PROVINCIA CILICIÆ SECUNDÆ.

I. ECCLESIA ANAZARBI METROPOLIS.

CILICIA ſecunda à prima avulſa eſt Theodoſii II. Imperatoris ſanctione, qua *Anazarbo* metropolitica jura conceſſa ſunt, cum præfecto, καὶ Κιλικίαν δευτέραν ἀπομερίσας τῆς πρώτης, ἐποίησεν ἐπαρχίαν, δοὺς δίκαια μητροπόλεως, καὶ ἄρχοντα Ἀναζάρβῳ τῇ πόλει. Hæc tradit Joannes Malalas in Chronico. Atqui Anazarbus proinde ſecundæ Ciliciæ metropolis etiam eccleſiaſtica facta eſt, ut in utraque notitia, non Hieroclis ſolum, verum etiam veteri altera, & in actis ſynodorum paſſim notatur. Quæ civitas *quingentis ſtadiis ab Ægis diſtans*, ἣ ἀπέχει ἀπὸ τῆς Αἰγαιῶν πόλεως σταδίους φ′. à vicino monte Anazarbo nomen habuit, unde Ptolemæo dicitur Καισάρεια πρὸς Ἀναζάρβῳ, *Cæſarea ad Anazarbum*. Plinius vero, *Anazarbeni, qui nunc Cæſarea*, à Cæſare Auguſto ſcilicet, quod ipſe magis iterum ſignificat, ubi ait: *Intus Anazarbeni, qui nunc Cæſarauguſtani:* Cæterum priſcum poſtea nomen retinuit, quod Græci recentiores aliquantùm identidem immutarunt, ut Ἀνάβαρζον *Anabarzum* efferrent vel ſcriberent. In Mediterranea, ut apparet, eam Plinius collocavit, ut & Ptolemæus. Urbem *illuſtriſſimam* ἐπιφανεστάτην apud Cilices vocat Procopius hiſt. arcan. cap. 18. quæ ſub Juſtino Seniore Imp. terræ motu tota corruit, quam cladem tertia vice prius pertulerat, Evagrio teſte lib. 4. cap. 8. Eam vero Juſtinus pecuniis ſuis inſtauravit, ex quo *Juſtinopolim* potius nuncupatam, quam *Juſtinianopolim* autumo, licet altero hoc nomine in quorundam conciliorum geſtis donetur; niſi forſan reſtauratio civitatis abſoluta fuerit Juſtiniano Imperatore.

EPISCOPI ANAZARBI.

I. MARIS.

ANAZARBI epiſcopum fuiſſe *Marim* nomine indicat epiſtola, quæ inter Ignatianas Oxonii in Anglia an. 1708. edita eſt, Mariæ proſelytæ Caſtabalorum ad Ignatium Martyrem, ubi ait; *hujus gratia deprecamur dignificantes* (orantes) *mitti nobis à tuo intellectu, Marin amicum noſtrum* (vel veſtrum ὑμῶν) *epiſcopum Emelapes Neapoleos, ejus quæ eſt ad Zarbo* (Zarbum) τούτου ἕνεκεν παρακαλοῦμεν ἀξιοῦντες ἀποστεῖλαι ὑμῶν (ἡμῶν) παρὰ τῆς συνέσεως Μάριν τὸν ἑταῖρον ἡμῶν ἐπίσκοπον τῆς Ημελάπης Νέας πόλεως τῆς πρὸς τῷ Ζάρβῳ.

II. ATHANASIUS.

In libro ſynodico Græco, ubi de ſynodo generali Nicæna mentio, *Athanaſius Anazarbi*, veluti purus putus Arianus à Patribus damnatus fertur, quem tamen concilio illi interfuiſſe, index qui Latine exſtat non prodit. At Philoſtorgius apud Nicetam Choniatem lib. 5. Theſ. cap. 7. hunc Arii patronis qui pro illo Nicææ ſteterunt, accenſebat. Arius plane in epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem Athanaſium hunc inter præſules impietatis ſuæ propugnatores laudabat, apud
A Theodoretum lib. 1. hiſt. cap. 5. Athanaſius quoque magnus in libro de ſynodis teſtis eſt, illum pro Ario ad Alexandrum Alexandrinum ſcripſiſſe, fuiſſeque Luciani quondam martyris diſcipulum. Philoſtorgius lib. 3. addebat ab eodem Athanaſio Aëtium Arianorum nequiſſimum excultum valde fuiſſe, cui & ſanctos Evangeliſtas ſit interpretatus.

III. MAXIMIANUS.

Anno 423. Anazarbi metropolita erat *Maximianus*, quo præſide damnatus eſt in
B Anazarbena ſynodo Julianus Pelagianus, quod Marius Mercator refert in præfatione ad ſymbolum Theodori Mopſueſteni. Epheſum ille quum veniſſet ad generale concilium quod propter Neſtorii hæreſim cogebatur, conteſtationi ſubſcripſit multorum epiſcoporum qui interceſſerunt, ne Cyrillus Alexandrinus concilii celebrationem inchoaret, non exſpectato Joannis Antiocheni & Orientalium adventu. Quocirca priori actioni quum non interfuiſſet, Joanni Patriarchæ ſuo adhæſit, unde legitimæ ſynodi parem cum reliquis Orientalibus ſententiam excommunicationis

Digitized by Google

ECCLESIA ANAZARBI.

ſubiit. Synodum inſuper pro Neſtorio Anazarbi habuit, cujus ſynodica cum aliis ejuſdem Maximiani ſeu Maximini, in collectione ex Tragœdia Irenæi capp. 109. 113. legitur. Poſthac autem ſancitam Antiochenos inter & Alexandrinos, imo catholicos, pacem in ſua ſynodo amplexus eſt, quorum ſynodica viſitur cap. 159. collect. illius.

III. Valerius.

In ſynodo Antiochena, quæ propter Athanaſium Perrhenſem, Domno Patriarcha præſide, habita eſt, ſedebat *Valerius Anazarbi epiſcopus*, qui & ſententiam cum aliis in Athanaſium tulit.

IV. Cyrus.

Concilio Chalcedonenſi interfuit *Cyrus* Anazarbi, unuſque Patrum fuit qui act. 4. à ſynodo deſignati ſunt, uti definitionem fidei quam Anatolius Conſtantinopolitanus condiderat, accuratiorem redderent, quare act. 6. ſubſcripſit, *Cyrus epiſcopus Anazarbi metropolis Ciliciæ*. Act. 14. agitata iterum cauſa Athanaſii Perrhenſis, ubi Maximus Antiochenus hunc epiſcopatu jure dejectum pronuntiavit, Cyrus Anazarbi dixit: ὁ Θεὸς δι' ὑμῶν ἐλάλησεν, *Deus per vos loquutus eſt*.

V. Oreſtes.

Anazarbi metropolita erat *Oreſtes* anno 456. quo ad ipſum, ut ad alios metropolitas, Leo Auguſtus ſcripſit de nece ſancti Proterii Alexandrini, *Oreſti reverentiſſimo epiſcopo Anazarbi Ciliciæ ſecundæ*. Reſponſoria ejus ſynodi ad Imperatorem epiſtola in Epiphanii collectione non exſtat.

VI. Antarchius.

Ex Dionyſii Jacobitarum Patriarchæ Chronico, *Antarchius* Anazarbi metropolita Monophyſitarum ſectæ deditus, à Juſtino I. in exilium pulſus eſt anno 518. *Aſſeman. diſſert. de Monophyſ. to. 2. Bibl. Orient.*

VII. Joannes.

Anazarbenſem metropolim curabat *Joannes* tempore Juſtiniani I. Imp. cujus juſſu ſynodum Mopſueſtiæ celebravit, an. 550. in qua quæſita ſunt quæ ad Theodori Mopſueſteni memoriam ſpectarent. Cujus ſynodi acta cum Juſtiniani epiſtola ad Joannem relecta regeſtaque ſunt collatione 5. concilii quinti generalis, in quibus *Joannes Juſtinianopolis metropolita* dicitur.

VIII. Ætherius.

Quinto concilio generali ſucceſſor ejus adfuit & ſubſcripſit *Ætherius epiſcopus Anazarbenſium, ſeu Juſtinianopolitarum metropolita.*

IX. Stephanus.

Sextæ quoque ſynodo generali, Στέφανος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Αναζαρβέων μητροπόλεως τῆς δευτέρας τῶν Κιλίκων ἐπαρχίας, *Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Anazarbenſium metropolis ſecundæ Cilicum provinciæ.*

X. Iſidorus.

Canonibus Trullanæ, quæ dicitur, ſynodi ſubſcriptus legitur Ισίδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Αναζαρβέων μητροπόλεως τῆς δευτέρας τῶν Κιλίκων ἐπαρχίας, *Stephanus miſeratione divina epiſcopus Anazarborum metropolis ſecundæ Ciliciæ provinciæ.*

XI. Joannes.

Recentiori ſed obſcura ætate ſedebat Anazarbi metropolita *Joannes*, in cujus gratiam Joſephi Geneſii Chronicon, ex Georgio Syncello & Theophane concinnatum ab Olympio quodam deſcriptum eſt. Codex ille aſſervatur in bibliotheca collegii Paulini Lipſienſis, in cujus calce hi verſus ſubnectuntur:

Λωΐστος ἀνὴρ ἄριστος, ὡς ἐγὼ κρίνω
Γεώργιός τε, φημὶ, καὶ Θεοφάνης
Τῶν χρονογράφων, τῆσδε τῆς βίβλου πατὴρ
Ιωάννη σὺ λάβε φίλου δαιμόνων,
Ο τῶν προέδρων πρῶτος, ἀλλὰ καὶ θύτης
Διοκαισαρείας τῆς Αναζάρβης
Ολύμπιος Ολύμπιος.

Quorum verſuum ſenſus ille eſt: *Inter recentes ſcriptores, optimus, quantum ego arbitror, Georgium dico & Theophanem, chronologos, eſt hujus libri auctor. Sume ergo tibi, Joannes, hoc opus, vir dilecte Deo, præſulum primus, atque etiam pontifex Diocæſariæ, quæ eſt Anazarbus.* Joſephus hic Geneſius clarebat ſub Conſtantino Porphyrogenneto, circa annum 940. vide Guillelmum Cave, *edit. Genev. an. 1705. pag. 499.*

XII. Theodoretus.

Antiochena eccleſia Græca Michaële Palæologo Imper. Euthymii Patriarchæ obitu paſtore viduata, *Theodoreti* Anazarbi conſiliis in regia urbe Theodoſius cognomento Princeps ſuffectus fuit, veluti narrat Pachymeres to. 1. lib. 6. c. 5. quin & Euthymio ægrotanti Theodoretus noſter ſuaſerat, ἡ τοῦ Αναζάρβου Θεοδωρήτου βουλὴ, ut è diœceſi ſua epiſcopos nonnullos advocaret, qui, ubi ipſum mori contigiſſet, ſucceſſorem quantocius eligerent: ne, ut conjicio, Patriarchæ deſignatio Byzantinorum voluntati permitteretur.

Digitized by Google

II. ECCLESIA MOPSUESTIÆ.

URbs eſt Ciliciæ Mopſueſtia, ait Procopius lib. 5. de ædificiis cap. 5. *Vatis ut ferunt Mopſi antiqui opus:* unde Μοψουεστία compoſita vox Mopſi lares ſignificat, Procopio Stephanus Byzantinus occinit. Plinio *Mopſos liberum* dicitur, *Pyramo impoſitum*, Ciliciæ fluvio, qui, Procopio teſte, *ſingulare urbi* Mopſueſtiæ *ornamentum ferebat*. De hac civitate Hadrianus Imp. bene meritus erat, quando cives ejus in nummo Antonini, *Hadriani Mopſeatæ* dicuntur ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΜΟΨΕΑΤΩΝ, imo in inſcriptione Græca apud Gruterum pag. 255. n. 4. urbs Ἀδριανὴ Μοψουεστίας. Hierocli & alteri notitiæ Ciliciæ ſecundæ cenſetur: quæ ab Arabibus poſthac *Meliſſa* vocata eſt.

EPISCOPI MOPSUESTIÆ.

I. Theodorus I.

EX ſynodico Græco, ſeu compendioſa rerum in variis ſynodis geſtarum narratione quam Juſtellus publici juris fecit, ac Philippus Labbe in ſua paſſim conciliorum editione, comperimus, concilio alteri Antiocheno, in quo Paulus Samoſatenus Antiochena demum ſede ejectus eſt, *Theodorum* adfuiſſe Mopſueſtiæ epiſcopum Θεόδωρος ὁ Μοψουεστίας, ut proinde Theodorus ille ſit, qui in capite epiſtolæ ad Dionyſium Romanum, omnemque eccleſiam catholicam, ante Malchionem Antiochiæ preſbyterum, qui præcipuas in B Paulo profligando partes habuit, nominatur, apud Euſebium lib. 7. cap. 30.

II. Macedonius.

Nicænæ ſynodo adfuiſſe legitur in indice *Macedonius Mopſeates*, vir Arianicæ poſtea factionis, qui à ſynodo Tyria in Mareoten Ægypti miſſus criminationes iniquas adverſus Athanaſium ſtructas corroboravit. Synodo item Antiochenæ quæ anno 335. in Encæniis celebrata eſt, interfuit, cujus etiam ad Julium Papam litteris ſubſcripſit, quando C Julii Papæ epiſtolæ initio nomen ejus, ut aliorum Orientalium, præfigitur. Legatus ab Euſebianis illius ſynodi in Italiam perrexit ad Conſtantem Auguſtum cum profeſſione fidei ipſorum: quæ cuncta perhibet Athanaſius lib. de ſynodis, & Apologia ſua ſecunda. De eo legendus Photius cod. 257. Dubium non eſt quin Macedonius ille ſit qui in ſubſcriptionibus epiſtolæ epiſcoporum conventus Philippopolitani adverſus Patres Sardicenſes, errore Librariorum *epiſcopus ab Amarquetias* corruptiſſime legitur. Aiunt in illa ſua ſyno- D dica Ariani, *Macedonium epiſcopum & confeſſorem à Mopſo*, Paulini quondam Daciæ epiſcopi maleficiorum propter quæ ab eccleſia pulſus erat, libros combuſſiſſe. Hæc apud Hilarium Fragmento III. in quo diſerte ſcriptum eſt, *Paulino quondam epiſcopo Daciæ*, non *Antiochiæ*, ut neſcio quo auctore viſum eſt doctiſſimo Valeſio quum Annotationes ſcri- A beret in cap. XI. lib. 3. hiſt. Sozomeni, ubi anxiè inquirit quiſnam ille ſit Paulinus Antiochiæ, cujus libri maleficiorum à Macedonio combuſti ſunt. Hilarius libro de ſynodis teſtatur Macedonium iterum adfuiſſe concilio Sirmienſi, quod Photinum ejuſdem urbis epiſcopum proſcripſit.

III. Auxentius I.

Martyrologium Romanum die 18. Dec. *Auxentii* Mopſueſteni præſulis memoriam habet: *Mopſueſtiæ in Cilicia S. Auxentii epi- B ſcopi, qui olim ſub Licinio miles, potius elegit cingulum exuere, quam uvas Baccho offerre, factuſque epiſcopus, præclarus meritis, in pace quievit*. Quæ fuſius enarrantur à Suida in voce Αὐξέντιος. Cæterum Philoſtorgius lib. 5. num. 1. & 2. narrabat Aëtium anno 359. à Conſtantinopolitano conventu Acacianorum epiſcopatus gradu dejectum quod τὸ ἀπαράλλακτον invexiſſet, ceu Filius nullo à Patre diſcrimine differret, quod aliàs impugnaverat, Mopſueſtiam Ciliciæ relegatum ab Auxentio epiſcopo humaniſſime exceptum. Ὁ C Ἀέτιος ὑπὸ Αὐξεντίου τοῦ Μοψουεστίας ἐπισκόπου ἐς τὰ μάλιστα φιλοφροσύνης ἀξιοῦται, quocirca Acacio agente Amblada iterum exulare juſſum. Sedebat proinde Auxentius circa tempora Seleucienſis ſynodi, quibus ab Acacii factione alienus non cenſebatur.

IV. Protogenes.

In quinta ſynodo generali collatione 5. quum de Theodoro Mopſueſteno ageretur, Mopſueſtenæ eccleſiæ diptycha ſacra lecta ſunt, ex quibus oſtenſum eſt, Theodori nomen in ſacrorum myſteriorum celebratione D recitatum non fuiſſe, ut pote hæreſis jure ſuſpecti. In illis vero tabulis primus occurrit *Protogenes*, cujus tamen ætatem diligenter aſſequi facile non eſt.

V. Zosimus I.

VI. Olympius.

Illis in tabulis eccleſiæ Mopſueſtenæ

Digitized by Google

ECCLESIA Mopſueſtiæ.

Protogenem *Zoſimus* ſequitur, Zoſimum *Olympius*, qui ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis prioris Patrum unus fuit, *Olympius Mopſueſtienſis*.

VII. CYRILLUS.

VIII. THEODORUS II.

Olympio in diptychis ſuccedit *Cyrillus*, mox *Theodorus* ille famoſus qui patria quidem Antiochenus fuit, Diodori Tarſenſis diſcipulus, & S. Joannis Chryſoſtomi ſtudiorum ſocius, nec-non Antiochenæ eccleſiæ preſbyter, poſt quum ab eruditione multam ſibi famam comparaſſet, Mopſueſtenæ præfectus fuit, ſed ob varios quos admiſit errores proſcribi poſthac meruit. In quinta præſertim ſynodo generali ſedebat & in concilio Conſtantinopolitano, in quo Bagadii & Agapii qui de Boſtrorum epiſcopatu contendebant, cauſa tractata fuit. Eccleſiam Mopſueſtenſem totis triginta ſex annis rexit, teſte Theodoreto, ἓξ καὶ τριάκοντα ἐν τῇ προεδρίᾳ διετέλεσεν ἔτη, adeoque pontificatum auſpicatus erit anno 391. quandoquidem 427. interiit, ut Chriſtianus Lupus oſtendit in epiſtola 45. ſynodici ex Irenæo. Sedebat quidem quo tempore Joannes Chryſoſtomus Cucuſum deductus eſt, ut ſanctus hic doctor epiſtola ſua 204. ſignificat, Pœanium rogans, ut quando Ægarum & Tarſi epiſcopi ſibi faventes non erant, *ad propinquum ſuum dominum Theodorum* ſcriberet, τῷ ἀνεψιῷ σου τῷ κυρίῳ ἐπισκόπῳ, τῷ Θεοδώρῳ. Toto vitæ ſuæ curriculo ſexcenta ſcripta edidit, quæ Theodoretus, ut & virum miris laudibus extollit; qui in ſuis ipſe in libros ſacros commentariis male ſanas aliquas illius opiniones identidem refellit, quanquam ſuppreſſo Theodori nomine. Aliquantis ab ejus obitu annis Sergius Cyri epiſcopus hunc cum Diodoro Tarſenſi, Theodoreto itidem Cyri, & Neſtorio in ſanctos referre voluit, qua de cauſa exauctoratus fuit. Quæ circa Theodorum geſta ſunt nemini non ex variis noſtræ etiam ætatis ſcriptoribus comperta ſunt.

IX. MELETIUS.

Theodoro proxime ſucceſſit *Meletius*, qui quum Epheſum ad ſynodum generalem veniſſet, Neſtorii cauſam pertinaciſſime defendit; non ſolum enim Joanni Antiocheno & aliis Orientalibus adhæſit adverſus legitimam ſynodum, ſed & poſt ſancitam pacem inter Antiochenam eccleſiam & Alexandrinam in malis perſeverans ab ipſo Joanne Antiocheno depoſitus fuit, & quum in Mopſueſtiæ territorio latitans miniſteria eccleſiaſtica obire non dubitaret, imperatorio edicto in exilium deportatus eſt Melitenen Armeniæ, ubi fato functus eſt, *multa millia* μυρία *paſſus ab Acacio ejus eccleſiæ præſule,* aiebat in Tragœdia Irenæus cap. 190. vide cap. 176. in quo præceptum Dionyſii magiſtri militum ad Clariſſimum judicem ſecundæ Ciliciæ de deducendo Melitinam *Meletio quondam Mopſueſtenæ civitatis epiſcopo.*

X. CHOMATIUS, *ſive* THOMAS.

Exauctorato Meletio *Chomatius* à Joanne Antiocheno ſubrogatus fertur cap. 176. ſynodici ex Irenæo, in epiſtola ſcilicet deprecatoria Joannis ad Theodoſium & Valentinianum Imp. *Et conſonans ejus* (Dionyſii præſidis utriuſque militiæ) *accipientes præceptum prævalere potuimus malignitati Meletii, qui pridem Mopſueſtiæ epiſcopus fuit, ſubjicientes eum depoſitioni. Introduximus autem & præfecimus huic populo & gregibus Chriſti Chomatium Deo amiciſſimum epiſcopum.* Hic quum Orthodoxam fidem coleret, in eccleſiæ tamen ſuæ diptycha relatus non eſt, niſi idem ſit Thomas qui poſt Cyrillum legitur. In ſynodo Antiochena ſub Domno Patriarcha, in qua Athanaſii Perrhenſis cauſa judicata eſt, ſententiam in ipſum dixit Θωμᾶς Μοψουεστίας, *Thomas Mopſueſtiæ;* quin & in altera rurſum Antiochena, in qua de Iba Edeſſeno actum fuit, anno 449. quarum acta videas act. 14. & 10. ſynodi Chalcedonenſis. Quocirca in poſtulatione Joannis Antiocheni, quæ Latine dumtaxat exiſtit, Chomatium pro Thoma ſcriptum puto. In epiſtola ejuſdem Joannis ad Proclum Conſtantinopolitanum, eſſe dicuntur qui *in Cilicia effrænate reſiſtant paci.* Sunt namque adhuc, inquit, rebellantium ex conſpiratione Neſtorii contra venerатorem veſtrum Domnum *Choneum, quem juvare dignare. Qui Chomeus hic* ſcribitur, Thomas & Chomatius dicendus erat.

XI. BASSIANUS.

Sequitur Thomam *Baſſianus*, non quidem ex diptychis compertus nobis, ſed ex ſolis Chalcedonenſis ſynodi actis, cujus vices ſupplevit Sophronius chorepiſcopus, actione præſertim ſexta, Σωφρονίου χωρεπισκόπου, ποιουμένου λόγον ὑπὲρ Βασσιανοῦ ἐπισκόπου Μοψουεστίας, *Sophronio chorepiſcopo verba faciente pro Baſſiano epiſcopo Mopſueſtiæ.*

XII. JOANNES.

XIII. AUXENTIUS II.

Thomam ſequitur in tribus illis diptychis *Joannes*, deinde *Auxentius;* de quo ſecundo illo Auxentio potius quam de primo intelligenda arbitror, quæ in vita S. Nicetæ martyris apud Surium die 15. Sept. referuntur:

Digitized by Google

nimirum quum Marcianus miles quidam Mopſueſtienſis in patriam ſuam S. Nicetæ, A quem Athanarichus Arianus dux Gothorum impie necaverat, reliquias attuliſſet, Auxentium ejuſdem urbis epiſcopum nullius eorum partis compotem fieri valuiſſe. Quin, erecta poſtmodum ſanctis martyribus Taracho, Probo, & Andronico, qui Tarſi paſſi erant, eccleſia, quum Anazarbenis corporis Nicetæ portionem obtuliſſet, quo reliquiarum eorum pars aliqua ſibi ab eis concederetur, promiſſis ſtare non valuit, miraculorum vi impeditus.

XIV. Palatinus.

XV. Julianus.

B

Auxentio ſuccedit *Palatinus* in ſacris illis diptychis, de quo nihil aliàs occurrit: Palatino *Julianum* ſubjicio, quem Petro Fullone Antiochenæ diœceſis pervaſore agente, Zeno Imperator Mopſueſtia expulit anno imperii ſui 16. eo quod decretum, quod *Ἑνωτικὸν* vocabat, ille non admiſerat. Hæc poſt Theophanem ejus interpres Latinus Anaſtaſius. Ejus nulla in diptychis illis mentio, ejus, ut puto, nomine ex illis à Fullone eraſo, nec ſubinde reſtituto.

XVI. Jacobus.

Quando *Jacobus* in diptychis poſt Palatinum legitur, eum ut pote catholicum præſulem à Petro illo hæretico vix Juliano ſubrogatum credidero, niſi poſthac ſub catholicæ eccleſiæ præſulibus ad ſanam fidem, quam forſan ſimulaverat, redierit.

XVII. Zosimus II.

Julianum conſequitur in diptychis duobus *Zoſimus* alter. Alia diptycha deſinunt in Jacobo.

XVIII. Theodorus III.

Poſt Julianum diptycha duo *Theodorum* habent, qui fatentibus cunctis Mopſueſtenæ eccleſiæ preſbyteris & diaconis, ante tres annos obierat quam Mopſueſtiæ ſynodus Juſtiniani Imp. juſſu cogeretur ad habendum de Theodori alterius hæretici, de quo dictum eſt, tractatum. De Galatia illum veniſſe ejuſdem ſynodi acta produnt; unde concluſum eſt diverſum eum fuiſſe à Theodoro illo ſecundo. Legenda acta concilii quinti generalis collat. 5.

XIX. Simon.

Poſt Theodorum *Simon*, ſive *Simeon*, pro varia amborum diptychorum lectione, qui exiguo ut apparet, tempore Mopſueſtienſi eccleſiæ præfuit. Nam Coſmas tertio à Theodori obitu anno epiſcopatum gerebat.

XX. Cosmas.

Sedebat *Coſmas* quo tempore Juſtiniano Auguſto jubente ſynodus Mopſueſtiæ propter Theodorum hæreticum habita eſt, in qua C quæſitum eſt an ille à Mopſueſtienſibus ſanctus & orthodoxus cenſitus eſſet. Exſtat de hoc concilio habendo *Juſtiniani Coſmæ epiſcopo Mopſueſtiæ epiſtola*, collat. 5. concilii 5. generalis.

XXI. Sophronius.

Sæculo labente decimo-tertio vel decimo-quarto inchoato, *Sophronius* Mopſueſtiæ epiſcopus erat, quem ad Antiochiæ ſedem promotum Nicephorus Calliſtus lib. 14. hiſt. cap. 39. ſcribit: *Cyrilli alterius ſucceſſor fuit Clariſſimus Dionyſius*, inquit, *cujus ſucceſſor præclarus Mopſueſtiæ Sophronius*, οὗ διάδοχος ὁ Μοψουεστίας Σωφρόνιος.

III. ECCLESIA ÆGARUM.

ÆGÆ maritima Ciliciæ ſecundæ civitas, de qua Plinius, *oppidum Ægæ liberum.* Strabo: *Poſt Mallum ſunt Ægæ, oppidum quod ſtationem navium habet.* Quocirca Lucanus lib. 3. *extremæ reſonant navalibus Ægæ.* In notitiis, ubi de Cilicia ſecunda, tertio loco ponuntur Αἰγαί, *Ægeæ;* unde Joannes & Cyrus hæretici inſignes Neſtoriani à patria *Ægeatæ* dicti. Hac in urbe erecta à Juſtiniano I. eccleſia eſt in honorem SS. Coſmæ & Damiani, quos nempe Menæa Græca ibidem paſſos ferunt die 26. Octobris, ac ſub Lyſia præſide, Diocletiano imperante; ut proinde in Romano martyrologio & breviario perperam legantur martyrium obiiſſe Ægeæ in urbe Arabiæ, quæ nuſquam extitit. Quanquam alia monumenta produnt ſanctiſſimos fratres ambos Cyrrhi in Euphratenſi provincia paſſos; imprimiſque Theodoretus epiſt. quæ exſtat cap. 133. collect. ex Tragœdia Irenæi.

EPISCOPI ÆGARUM.

I. Zenobius *Martyr.*

MENÆA Græcorum die 30. Octobris memoriam recolunt *ſancti Zenobii* martyris, quem Ægeis ἐν Αἰγαῖς natum ferunt, Theodoro & Tecla parentibus, tum poſthac patriæ

Digitized by Google

ſuæ pontificem renuntiatum, qui quum multos ægros à medicis deſperatos curaſſet, ad A Lyſiam præſidem ductus eſt, cui ſe ſociam adjunxit Zenobia ſoror. Qui primum cæſi, cubili ferreo impoſiti, in cacabum ferventem injecti, divinitus erepti ſunt: & quum ſacra dæmonibus facere recuſaſſent, capite minuti ſunt. Horum acta apud Metaphraſtem habentur, ſed interpolata. Vide Baronium ad annum 285.

II. Tarcodimantus.

Nicetas ex Philoſtorgio Ariano è Cilicia *Tarcodimantum Ægon* ſive *Ægarum*, in Ni- B cæna ſynodo pro Ario cum aliis ſediſſe refert. Qui nempe in indice Patrum ſanctiſſimi illius concilii *Tarcodimantus Ægeates* dicitur. Atqui ejuſmodi nomen *Tarcodimantos* Ταρκοδίμαντος, veteri uſu apud Cilices receptus erat, Strabone teſte, ubi ait; *Mallum, Ægeas, Amanicas portas, in quas Amanus mons deſinit, à Tauro deſcendens, qui ultra Ciliciam eſt, ſemper à tyrannis loca munitiſſima obtinentibus occupatus ætate ſua* (ſub Tiberio Aug.) *ſub poteſtate fuiſſe Tarcodimanti, viri memoria digniſſimi, qui ob præclara facinora rex à Ro- C manis eſt appellatus, qui & poſteris ſuis ſucceſſionem tradidit.* Tarcodimantus epiſcopus Arianus Antiochenæ ſynodo interfuit anno 335. vel 340.

III. Patrophilus.

Baſilii magni epiſtola 82. inſcribitur Πατροφίλῳ ἐπισκόπῳ Αἰγῶν, *Patrophilo epiſcopo Ægarum*, quæ laudata eſt collat. 5. ſynodi generalis 5. ubi pro *Ægarum*, Latinorum Librariorum errore legitur *Megarum*, laudatur quoque à Facundo Hermianenſi lib. 4. c. 2. D Ex ea comperimus Patrophilum Euſtathii Sebaſtenſis ſtudioſum fuiſſe, ita ut Baſilii, cui Euſtathius multiplicis erroris cauſa ſuſpectus erat, amicitiam colere deſiiſſet: quam tamen ſibi conciliare iterum curavit, ut apertum ſit ex Baſilii epiſt. 85.

IV. * * *

Ægarum epiſcopi quem, ut Tarſenſis, inſenſum ſibi queritur Joannes Chryſoſtomus epiſtola 204. nomen ignoratur. Ὁ δὲ Αἰγῶν, ait, ὡς ἔγνων, καὶ ὁ Ταρσοῦ, μετ' ἐκείνων τάττονται. *Ægarum præſul, ut accepi, & Tarſenſis, cum illis contra nos ſtant.*

V. Eustathius.

Theodoretus epiſtolam 70. ſuam ſcripſit Εὐσταθίῳ ἐπισκόπῳ Αἰγῶν, *Euſtathio epiſcopo Ægarum*, de Maria nobiliſſima quadam femina. Quo tempore ſynodus Chalcedonenſis celebrabatur Ægarum epiſcopus ſedebat idem Euſtathius, pro quo aliiſque de ſua provincia abſentibus act. 6. ſubſcripſit Cyrus Anazarbi Εὐσταθίου Αἰγῶν, *pro Euſtathio Ægarum*, ut bene Græcus contextus habet, cum Latina tranſlatio mendoſe prorſus ferat, *Euſtathio Rhiſorum, Alexandro Ægaorum.*

VI. Julius.

Ex Dionyſio Jacobitarum Patriarcha, *Julius Ægon* ſeu *Ægarum* Ciliciæ Juſtini I. Imp. mandato in exilium pulſus fuit, quod Monophyſiticam hæreſim deſerere recuſaret. *Aſſem. diſſert. de Monophyſitis.*

VII. Thomas.

Synodo Mopſueſtiæ in qua Juſtiniani Imp. juſſu quæſita ſunt quæ apud Mopſueſtienſes de Theodoro quondam ipſorum epiſcopo monumenta ſupereſſent, aderat *Thomas epiſcopus Ægarum*, qui ſynodi geſtis & epiſtolæ ad Imperatorem ſubſcripſit.

VIII. Paschalius.

Ejuſdem omnino civitatis antiſtes fuit, qui quintæ ſynodo generali adfuiſſe & ſubſcripſiſſe, una cum aliis Antiochenæ diœceſis præſulibus legitur *Paſchalius miſericordia Dei epiſcopus Ægii*, pro *Ægarum.*

IV. ECCLESIA EPIPHANIÆ.

EPIPHANIA ſecundæ Ciliciæ civitas eſt in ambabus notitiis, apud quam Cicero ſe, quum in Cilicia ageret, caſtra feciſſe teſtabatur lib. 15. epiſt. 5. itinere diei unius ab Amano monte, nec procul Iſſo. In mediterranea proinde eſt Ptolemæo, ut & Plinio, cui *Epiphania quæ antea Eniandos:* meminit & Appianus de bello Mithridatico: quin & Evagrii Scholaſtici hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptoris patria fuit.

EPISCOPI EPIPHANIÆ.

I. Amphion.

UNus ex præſtantiſſimis confeſſoribus, qui poſtremæ perſequutioni Maximini ſuperſtites fuere, *Amphion* fuit Epiphaniæ Ciliciæ epi- E ſcopus, qui Ancyrano & Neocæſarienſi conciliis ſubſcriptus legitur, rurſumque ſubinde Nicæno, καὶ Ἀμφίων ὁ Ἐπιφανείας τῆς Κιλίκων, Sozomeno

Digitized by Google

Sozomeno teſte lib. 1. cap. 10. Athanaſius diſputatione 1. contra Arianos, inter eccleſiæ magiſtros, qui ſcriptis ſuis hæreſim hanc expugnarunt, Lupum & Amphionem Cilices poſuit, τῶν ἀπὸ τῆς Κιλίκων. An-non ipſe eſt Amphion, qui Euſebio Nicomedienſi ob eamdem hæreſim à ſancta ſynodo exauctorato ſuffectus fuit, Epiphania proinde Nicomediam tranſlatus! Sic equidem cenſuit Baronius: verum Nicæna ſynodus nequaquam probavit ejuſmodi tranſlationes epiſcoporum. Non mihi placet in Ancyranæ & Neocæſarienſis ſynodorum ſubſcriptionibus legi: *Amphion Epiphaniæ ſecundæ Ciliciæ*; Cilicia nondum in duas provincias diviſa. Amphionis hujus memoria fit in Martyrologio Romano die 12. Junii: *In Cilicia S. Amphionis epiſcopi, qui tempore Galerii Maximiani confeſſor fuit egregius.*

II. Hesychius.

Inter Patres ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis prioris de provincia Ciliciæ legitur *Heſychius Epiphaniæ.*

III. Polychronius.

Polychronius Epiphaniæ epiſcopus tempore concilii Epheſini ſedebat, à quo receſſit cum Joanne Antiocheno & cæteris Orientalibus, eorum decretis litteriſque adverſus Cyrillum Alexandrinum ſubſcribens; unde catholica communione privatus cum illis fuit, cui tandem, ſancita anno 434. pace, reſtitutus fuit. Synodo poſthac Antiochenæ adfuit, in qua Domno Patriarcha præſide Athanaſius Perrhenſis judicatus eſt, & ſacerdotio dejectus; itemque Chalcedonenſi concilio, cujus definitionibus actione 6. præſertim ſubſcripſit, perinde atque Eutychianus Epiphaniæ ſecundæ Syriæ, per Meletium Lariſſæ.

IV. Marinus.

Epiphaniæ profecto Ciliciæ epiſcopus erat *Marinus*, qui ſynodali decreto Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis ſubſcriptus poſt Baſilium Alexandriæ legitur, Μαρεῖνος Ἐπιφανείας.

V. Nicetas.

Ex actis ſynodi Mopſueſtienſis quæ Juſtiniani Imp. juſſu habita eſt, compertus nobis eſt *Nicetas* Epiphaniæ, qui omnibus quæ in ea geſta ſunt ſuffragatus eſt. Poſthac in ſynodo quinta generali ſedit & ſubſcripſit *Nicetas miſericordia Dei epiſcopus Epiphanienſium.*

VI. Basilius.

Canonibus ſynodi quam vocant in Trullo ſubſcriptus quoque legitur Βασίλειος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἐπιφανείας, δευτέρας τῶν Κιλίκων ἐπαρχίας, *Baſilius indignus epiſcopus Epiphaniæ ſecundæ Cilicum provinciæ.*

VII. Paulus.

Ex Dionyſii Patriarchæ Jacobitarum Chronico Epiphaniæ Ciliciæ epiſcopus erat *Paulus*, quo tempore Severus Antiochenam ſedem tyrannico more tenebat, quumque Chalcedonenſem ſynodum admittere nollet, à Juſtino Imp. anno 518. in exilium miſſus eſt. *Aſſeman. diſſert. de Monophyſitis.*

V. ECCLESIA IRENOPOLIS.

Irenopolim Ptolemæus in Cilicia Lacanitide collocat, quæ Neronias appellata quoque fuerat à Nerone Cæſare; unde Narciſſus urbis hujus epiſcopus, uti modò Irenopolis, ac modo Neroniadis antiſtes à variis ſcriptoribus dicitur, ita ab Athanaſio in apologia de fuga ſua, *civitatis Neronis*, τὸν ἀπὸ τῆς πόλεως Νέρωνος. Cæterum in notitiis Εἰρηνούπολις dicitur. Theodoretus lib. 1. hiſt. cap. 7. de Narciſſo loquens, *Neronias*, inquit, *Ciliciæ civitas eſt*, ἣν νῦν Εἰρηνούπολιν ὀνομάζομεν, *quam nunc Irenopolim nominamus.*

EPISCOPI IRENOPOLIS.

I. Narcissus.

In Ancyranæ nec-non Neocæſarienſis ſynodi ſubſcriptionibus legitur *Narciſſus Neroniadis Ciliciæ ſecundæ*. Jam mihi diſplicere dixi voces iſtas, *Ciliciæ ſecundæ*. E præcipuis Arianis unus fuit, qui in indice Patrum Nicænorum inter epiſcopos Ciliciæ perinde cenſetur, *Narciſſus Neroniadis*. Quod confirmat Nicetas Choniates in Theſauro lib. 5. cap. 7. ex Philoſtorgio. Symbolo Nicæno catholicam mentem ſimulans tandem ſubſcripſit. Adfuit ſubinde variis Arianorum ſynodis, præſertim Antiochenæ anno 335. à qua delegatus eſt ad Conſtantem Imp. & Occidentis epiſcopos cum Theodoro Heracleæ, Marco Arethuſæ, & aliis. Sardicam venit ad concilium quod celebrabatur, mox vero Philippopolim cum factionis Arianicæ epiſcopis ſecedens epiſtolæ illorum ſubſcripſit. Athanaſius in fine apologiæ de vita ſua, hunc ob mala plurima quæ perpetrarat ordine ſuo

Digitized by Google

ECCLESIA IRENUPOLIS.

tertia vice dejectum tradit variis in conciliis. Ὁ δὲ Νάρκισσος ἄλλατε πολλὰ κακὰ ἔχων, καὶ τρίτον ἐν διαφόροις συνόδοις καθῃρέθη. In Seleucienſis ſynodi quæ ſuperſunt monumentis, aliiſque deinceps ejus mentio nulla fit, uti nec in Conſtantinopolitanæ Arianorum, unde augurari licet eum ante annum 359. diem extremum obiiſſe.

II. Indimus.

In prædatoria quæ dicta eſt ſynodo Epheſina *Indimus* Irenopolis profanis ejus actis ſuffragatus eſt: poſt biennium vero in Chalcedonenſi ſynodo quod male geſſerat, emendavit, actione præſertim ſexta inter Ciliciæ epiſcopos ſubſcribens, Ἴνδιμος ἐπίσκοπος Εἰρηνουπόλεως, *Indimus epiſcopus Irenopolis*. Cujus nomen iterum legitur in ſubſcriptionibus decreto ſynodici Gennadii Conſtantinopolitani contra Simoniacos.

III. Basilius.

Ex Suida compertus nobis eſt *Baſilius* Neroniadis, quem Anaſtaſio Imperatore vixiſſe prodit. Βασίλειος ἕτερος ἐπίσκοπος Εἰρηνουπόλεως τῆς Κιλικίας, ἐπὶ Ἀναστασίου βασιλέως, τὸν φρένα καὶ τὴν ἄσκησιν τῷ ὁμωνύμῳ Βασιλείῳ Καισαρείας ἐοικώς, ἔγραψε κατὰ Ἀρχελάου πρεσβυτέρου Κολωνείας. *Baſilius alter epiſcopus Irenopolis Ciliciæ, Anaſtaſio Imperatore, ingenio & aſceticæ vitæ genere Baſilio Cæſarienſi non abſimilis. Scripſit contra Archelaum Coloniæ preſbyterum.* Hunc Guillelmus Cave in hiſtoria litteraria, nullo auctore, à Baſilio Cilice Antiochenæ eccleſiæ preſbytero non diſtinguit. At certe quæ Photius de Baſilii Cilicis ſcriptis & ingenio perhibet, Baſilii Magni indolem & eruditionem non prorſus referunt.

IV. Joannes.

Eodem Anaſtaſio Imp. Severo hæretico Antiochenam eccleſiam occupante, Irenopolis epiſcopus erat *Joannes,* quem Juſtinus Imp. ob Monophyſiticam hæreſim procul amandavit anno 518. *Aſſem. diſſert. de Monophyſ.*

V. Procopius.

In ſynodo Mopſueſtiæ quæ anno 550. Juſtiniani Imp. juſſu celebrata eſt, *Procopius epiſcopus Irenopolis* ſedit.

VI. Paulus.

Synodi quini-ſextæ canonibus ſubſcriptus legitur, Παῦλος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Εἰρηνουπόλεως τῆς δευτέρας τῶν Κιλίκων ἐπαρχίας, *Paulus indignus epiſcopus Irenopolis ſecundæ Ciliciæ.*

VI. ECCLESIA FLAVIADIS.

Quæ Ptolemæo *Flaviopolis*, Φλαυιόπολις dicitur in Characene regione poſita, hanc paſſim apud Eccleſiaſticos ſcriptores, in notitia utraque, nec non in Itinerario Antonini Flaviadem nominatam videmus.

EPISCOPI FLAVIADIS.

I. Alexander.

In Jure Græco-Romano lib. 4. p. 295. *de tranſlationibus epiſcoporum*, legimus *Alexandrum* Flaviadis quæ ſub metropoli eſt Anazarbi, à Narciſſo Hieroſolymitano deſignatum eſſe Hieroſolymorum Antiſtitem. Quæ intelligenda non ſunt niſi de Alexandro quem Euſebius lib. 6. cap. XI. in Cappadocia primum epiſcopatum geſſiſſe narrat, indeque Hieroſolymam tranſiiſſe. Nimirum Cappadocia Ciliciæ contermina erat, ut Flaviopolis ejus tempore Cappadociæ proinde cenſita ſit: quando inprimis dudum ante magni Conſtantini ætatem vixit, à quo altera Romani imperii partitione facta, Cilicia magis quam ante à Cappadocia diſtracta fuit. Atqui Alexander Chriſtianæ fidei confeſſionem prius obierat, quam in Palæſtinam tranſiret. Eccleſiæ vero Hieroſolymitanæ regimen ſuſcepit Alexandro Severo Mammææ filio Imperatore.

II. Nicetas.

In indice Patrum ſynodi Nicænæ de provincia Ciliciæ legitur *Nicetas Flaviadis,* quin & ad calcem Antiochenæ ſynodi in codicibus Latinis.

III. Joannes.

Chalcedonenſi ſynodo inter Ciliciæ præſules adfuit & ſubſcripſit Ἰωάννης ἐπίσκοπος Φλαβιάδος, *Joannes epiſcopus Flaviadis.*

IV. Andreas.

In Mopſueſtienſi ſynodo epiſcoporum ſecundæ Ciliciæ quæ Juſtiniani Imp. mandato celebrata eſt, ut inquirerent de his quæ Theodorum Mopſueſtenum ſpectabant, aderat *Andreas Flaviadis*. Collat. 5. ſynodi quintæ generalis.

V. Georgius.

In concilio generali ſexto ſedit & ſubſcripſit *Georgius miſericordia Dei epiſcopus civitatis Flaviadis ſecundæ provinciæ Ciliciæ.* In

Digitized by Google

Græcis ſubſcriptionibus ſolum legitur, Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Φλαβιάδος, A *Georgius epiſcopus civitatis Flaviadis.*

VI. Eustratius.

In capite Juris Græco-Romani in quo *de tranſlationibus epiſcoporum* diſputatur, fertur *Euſtratium* quoque ex Flaviadis epiſcopo à Nicephoro Phoca Antiochenum Patriarcham deſignatum eſſe, de quo jam in Patriarchis Antiochenis.

VII. ECCLESIA CASTABALORUM.

Castabala, neutro genere dicta, civitas Mopſueſtiæ proxima fuit, Ptolemæo & Plinio nota, quam Hierocles & vetus notitia non omiſere. Apud Plinium *Caſtabla* legitur. Conſtantinus Porphyrogenneta Mamiſtam poſtmodum appellatam teſtatur, Καστάβαλα Κιλικίας, ἡ νῦν Μάμιστα, *Caſtabala Ciliciæ, quæ nunc Mamiſta* dicitur.

EPISCOPI CASTABALORUM.

I. Maris.

Inter primos Caſtabalorum epiſcopos cen- B ſendum puto *Marim*, cujus mentio in epiſtola Ignatio adſcripta ad Heronem diaconum Antiochenum, in cujus fine legitur: *Marim eum qui eſt in Neapoli quæ juxta Anazarbum eſt; epiſcopum ſaluto in Domino*, Μάρειν τὸν ἐν Νεαπόλει τῇ πρὸς Ἀναζάρβῳ προσαγορεύω ἐν Κυρίῳ. Nam ad Mariam Caſtabalitem alia ejuſdem Ignatii nomine inſcripta epiſtola exſtat, quæ ad illam miſſa dicitur Neapolim, quæ eſt juxta Zarbum, vel Anazarbum, monti utique Anazarbo vicina, vel urbi, πρὸς Μαρίαν εἰς Νεάπολιν τὴν πρὸς τῷ Ζάρβῳ Ἰγνάτιος. C

II. Moyses.

In indice Patrum concilii Nicæni, & in ſubſcriptionibus ſynodi legitur *Moyſes Caſtabalæ.*

III. Theophilus.

Socrates lib. 3. hiſt. cap. 21. *Theophilum* Caſtabalorum inter Semi-arianorum factionis ponit epiſcopos, qui Joviani Imp. tempore Macedoniani audiebant. Sub Valente Auguſto ab Orientalibus qui in Seleucienſi ſy- D nodo ab Arianis ſeceſſerant, ad Liberium Papam una cum Euſtathio Sebaſteno & Silvano Tarſenſi delegatus fuit, ut Romanam fidem profiterentur, ejuſdemque eccleſiæ communionem potius quam Eudoxii Antiocheni inirent. Hos Liberius admittere ſtatim noluit, ut-pote Nicænæ confeſſioni frequenter refractarios; poſt vero quia ſanam mentem libello dato proferebant, à Pontifice ſuſcepti ſunt. Legendus Socrates lib. 4. c. xi. Baſilius magnus Theophili amicitiam coluit, etſi erga ſe non ſatis æquum videbat, quod E ex epiſtolis 169. & 309. quas ad illum ſcribit, planum fit. In epiſtola 309. Theophilum uti deſideratiſſimum & religioſiſſimum complectitur.

IV. Hesychius.

Epiſcoporum Orientis qui ab Epheſina ſynodo cum Joanne Antiocheno ſeceſſionem fecerunt *Heſychius* Caſtabalorum unus fuit, qui multorum conteſtationi ſubſcripſit, ne Cyrillus Alexandrinus concilium inchoaret ante Joannis adventum, aliiſque pluribus quæ ab illis Orientalibus adverſus legitimum concilium factitarunt. Unde cum aliis communionis exſors factus fuit. Vide collect. ex Tragœd. Iren. capp. 7. 13. 23. Cap. 156. ejus exſtat ad Meletium Mopſueſtenum epiſtola, qua nuntiabat ſecundæ Ciliciæ ſuæ epiſcopos initam Joannem inter & Cyrillum pacem ſic admiſiſſe, ut illa tamen in ſynodicis ſuis litteris exciperent, quæ in Joannis epiſtola ſuperfluè ſcripta videbantur. Cæterum monebat id curandum in primis eſſe, *ut indiſruptum maneat corpus Eccleſiæ Domini noſtri Chriſti.*

V. Paregorius.

Cyrus Anazarbi metropolita actione 6. ſynodi Chalcedonenſis ſubſcripſit pro ſe & pro epiſcopis ſub ſe conſtitutis qui aberant, in quibus *Paregorius Caſtabalorum*, καὶ ὑπὲρ τῶν ἀπόντων ἐπισκόπων ὑπ᾽ ἐμὲ, Παρηγορεὶς Κασταβάλων.

VI. Stephanus.

In Mopſueſtiæ ſynodo epiſcoporum ſecundæ Ciliciæ quæ Juſtiniani juſſu ad res Theodori quondam Mopſueſteni præſulis inquirendas convenit, ſedebat *Stephanus Caſtabalorum.* Collat. 5. quintæ ſynodi generalis.

VII. Theodorus.

In ſubſcriptionibus canonum ſynodi quiniſextæ legitur *Theodorus minimus epiſcopus Caſtablorum*, Θεόδωρος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Κασταύλων, ſeu Καστάβλων, quum amanuenſibus Græcis familiare ſit υ pro ϐ ſcribere. Superius monui apud Plinium *Caſtabla* dici.

BIBLIOTECA CENTRAL

Digitized by Google

VIII.

ECCLESIA ALEXANDRIÆ.

ALEXANDRIA Ciliciæ *penes Iſſum*, vel *ad Iſſum* κατὰ Ἰσσὸν dicta Ptolemæo, qui illam Syriæ aſſignavit; Ciliciæ vero, *oppidum Iſſos, deinde Alexandria*, Plinio. Stephanus quoque Byzantinus hanc in Cilicia poſitam ait, & in notitiis Hieroclis & Græca altera Ciliciæ ſecundæ cenſetur. Prope Iſſicum vero ſinum jacet, & hodieque *Alexandretta*, velut *Alexandria minor*, *Aleſſandrona*, & *Scandareta* nominatur.

EPISCOPI ALEXANDRIÆ.

I. HELENUS.

MEnologium Græcorum die 24. Decem- A bris *Heleni* Alexandriæ epiſcopi meminit, qui beatam Eugeniam baptizavit ſub Commodo Imperat. Qui quum inter Alexandriæ Ægypti epiſcopos non occurrat, Alexandriæ ad Iſſum aſſignandus venit.

II. ARISTIO *Martyr*.

Græci in Menologio die 3. Sept. memoriam agunt, *ſancti Ariſtionis Alexandriæ epiſcopi qui igne probatus migravit in cælum.* Sic Menologium Latine verſum quod editum eſt to. 2. Antiq. lect. Henrici Caniſii: Atqui B Ariſtio magnæ Alexandriæ Ægypti antiſtes prorſus non fuit, non alterius proinde ab Alexandria Ciliciæ.

III. THEODORUS *Martyr*.

In eodem Menologio die 12. Septembris celebratur *natalis ſancti martyris Theodori epiſcopi Alexandriæ, quem Alexandrini homines comprehenderunt, eo quod Chriſtum libera voce prædicaret, furore ſuccenſi ſpinis coronatum, in maxilla percuſſum & per urbem circumductum in profundum mare demerſerunt, ex* C *quo divina providentia ſervatus, præſidis juſſu obtruncatus eſt, & à fidelibus viris in eadem Alexandrina civitate ſepultus.* Nec ille quoque Alexandriæ Ægypti epiſcopus fuit: nec alterius proinde ab illa quæ ad ſinum Iſſicum jacet.

IV. HESYCHIUS.

In indice Patrum Nicænorum de provincia Ciliciæ legitur *Heſychius Alexandriæ minoris*, ut & in ſubſcriptionibus ſynodi Antiochenæ.

V. PHILOMUSUS.

Inter ſynodi Conſtantinopolitanæ prioris Patres de provincia Ciliciæ legitur quoque *Philomuſus Alexandrinus per Alypium preſbyterum.* Quanquam nonnulli codices Latini habent *Theophilus Alexandrinus*, quod maxime probavero, ut Librariorum oſcitantia bis *Philomuſus* ſcriptum ſit, *Philomuſus* ſcilicet *Pompeiopolitanus* & *Philomuſus Alexandrinus*.

VI. * * *

VII. BARANES.

Maximinus Anazarbi in ſua ad Alexandrum Hierapolis epiſtola quæ exſtat cap. 109. ſynodici ex Tragœdia Irenæi, querebatur *Alexandrinum* & Rhoſſium epiſcopos à ſua ſynodo ſe ſegregaſſe, ut pacem quæ inter Antiochenam & Alexandrinam eccleſiam inita erat, amplecterentur.

An-non vero ipſe eſt *Baranes* Alexandriæ ſecundæ Ciliciæ epiſcopus, qui in concilio Antiocheno ſedit, in quo Athanaſii Perrhenſis cauſa, Domno Patriarcha præſide diſceptata, judicata eſt. Βαράνης ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας, act. 14. concil. Chalced.

VIII. JULIANUS.

In ſynodo Chalcedonenſi *Julianus* Alexandriæ non ſedit quidem, ſed Cyrus Anazarbi metropolita pro eo ut pro aliis provinciæ ſuæ epiſcopis abſentibus ſubſcripſit act. 6. Ἰουλιανοῦ Ἀλεξάνδρου, emendandum Ἀλεξανδρείας, ut fert verſio Latina, *Juliano Alexandriæ minoris.*

IX. BASILIUS.

Synodico decreto Gennadii Conſtantinopolitani contra Simoniacos ſubſcriptus inter duos Antiochenæ diœceſis epiſcopos viſitur, Βασίλειος ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας, *Baſilius epiſcopus Alexandriæ.*

X. URBICIUS.

Aderat *Urbicius epiſcopus Alexandrini oppidi* concilio provinciæ Ciliciæ ſecundæ, quod Juſtiniano Auguſto jubente celebratum eſt, ad inquirendum quæ ad Theodorum D Mopſueſtiæ quondam pontificem ſpectarent. Acta exſtant collat. 5. ſynodi quintæ generalis.

XI. PAULUS.

Quo tempore Severus hæreticus in Antiochenam diœceſim graſſabatur, Alexandriæ minoris ſedem occupabat *Paulus* Monophyſita alter, quem Juſtinus Imper. anno 518. procul amandavit. *Aſſem. diſſert. de Monoph. ex Dionyſii Jacobitarum Patriarchæ Chronico.*

Digitized by Google

XII. Euſebius.

Sexcentis in codicibus Græcis hinc inde reperiuntur *Euſebii* Alexandrini nomine inſcripti ſermones de variis argumentis, quorum excerpta quædam exſtant in Parallelis etiam Rupefucaldinis Joannis cujuſdam monachi, quæ aſſervantur in Bibliotheca collegii Pariſienſis Ludovici Magni, Joanne Damaſceno, ut oſtendi, longe anteriora. Nullus vero in Patriarcharum Alexandrinorum ſerie *Euſebius* occurrit, ante decimi ſaltem ſæculi medium, nec certe deinceps. Hinc mea quidem ſententia, ille ſermonum ſcriptor vel Alexandriæ Syriæ epiſcopus fuerit, vel Alexandrinæ ſedis Melchiticæ adminiſtrator, omni illo quo ea vacavit tempore, ſub prioribus Califis Saracenis, totis octoginta annis. Olim conjiciebam Euſebium hunc Alexandriæ epiſcopum appellatum fuiſſe amanuenſium errore, quod ſermones illi meræ reſponſiones eſſent ad interrogata Alexandri cujuſdam. Exempli gratia in cod. Cæſareo CCX. n. decimo-quinto à fol. 124. pag. 1. ad fol. 129. pag. 1. habetur *ſermo S. Euſebii epiſcopi Alexandrini de jejunio.* τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Εὐσεβίου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας λόγος περὶ νηστείας; cui hæc præmittuntur: Παραγινομένης τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς τῶν νηστειῶν, προσελθὼν ὁ Ἀλέξανδρος τῷ μακαρίῳ Εὐσεβίῳ ἐπισκόπῳ Ἀλεξανδρείας, λέγει· δέομαί σου, κύριέ μου, δίδαξόν με, πῶς ὀφείλει ἄνθρωπος Χριστιανὸς ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν ἁγίων νηστειῶν κ. τ. ε. *Adveniente ſanctæ Quadrageſimæ jejunio, accedens Alexander ad*
A *beatum Euſebium epiſcopum Alexandriæ, dixit: Quæſo, Domine mi, doce me, quomodo debeat homo Chriſtianus in diebus ſanctorum Jejuniorum, &c.* Ubi fatendum Euſebium hunc diſertiſſime epiſcopum Alexandriæ nuncupatum; at non iterum in eodem codice n. 21. ubi ejuſdem Euſebii epiſcopi ſermo alter habetur *de memoria ſanctorum;* τοῦ μακαρίου ἐπισκόπου Εὐσεβίου περὶ μνείας ἁγίων. Perinde vero hæc præmittuntur: Μιᾷ τῶν ἡμερῶν μνήμη μαρτύρων ἐπελεῖτο ἐν τῇ πόλει, καὶ προσελθὼν ὁ Ἀλέξανδρος, τῷ μακαρίῳ Εὐσεβίῳ ἐπισκόπῳ λέγει. *Quadam*
B *die memoria martyrum agebatur in civitate, & accedens Alexander ad B. Euſebium epiſcopum, ait.* Hic porro codex chartaceus eſt, ac recentioris proinde ætatis. In codice Regio 2923. alius occurrit ejus ſermo *de Aſtronomis,* atque epiſcopus & monachus dicitur, Εὐσεβίου ἐπισκόπου καὶ μοναχοῦ περὶ ἀστρονόμων: atque in præfatione perinde fertur, *tranſactis diebus non paucis, Alexandrum ad B. Euſebium epiſcopum acceſſiſſe,* Ἡμερῶν διελθουσῶν οὐκ ὀλίγων προσελθὼν ὁ Ἀλέξανδρος λέγει τῷ μακαρίῳ ἐπισκόπῳ: Κύριε ἤκουσα ἀπό τινων ὅτι κατ' ἄστρον
C γεννᾶται ἄνθρωπος κ. τ. ε. ubi Alexandriæ epiſcopus minime dicitur, uti nec in codice Palatino Vaticano 63. In codice Cæſareo altero CCXLIX. *Euſebii archiepiſcopi Alexandriæ* oratio legitur *in Lazarum & divitem de Eleemoſyna.* τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Εὐσεβίου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας. Hic vero codex annoſus non eſt.

IX.

ECCLESIA CITIDIOPOLIS.

Citidem regionem in Cilicia mediterranea Ptolemæus collocat, cui unam dumtaxat urbem aſſignat *Olbaſa,* Κίνδος δὲ Ὄλβασα: quam ex conſequenti eamdem eſſe ſentio, quæ Citidiopolis ſubinde dicta eſt.

EPISCOPI CITIDIOPOLIS.

I. Siſinnius.

Unus mihi occurrit Citidiopolis epiſcopus *Siſinnius* in ſubſcriptionibus canonum Trullanorum: Σισίννιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κιδιδιουπόλεως, *Siſinnius indignus epiſcopus Citidiopolis:* ubi poſt alios Ciliciæ epiſcopos legitur.

X.

ECCLESIA RHOSI.

Rhosus Ciliciæ ſecundæ civitas eſt, Hierocli & in notitia veteri, aliiſque eccleſiaſticis monumentis; de qua Theodoretus cap. 10. hiſt. Relig. *Rhoſus,* ait, Κιλίκων πόλις, *urbs Cilicum ad dexteram eorum qui in ſinum Cilicium navigant.* Plinio vero, ut & Ptolemæo, Syriæ attribuitur: *Oppidum,* inquit, *Rhoſos, & à tergo portæ, quæ Syriæ appellantur intervallo Rhoſiorum montium & Tauri.* Quibus prævivit Strabo lib. 16. ubi de Syria: *His ad mare eſt Seleucia & Pieria mons Amano continuus, & Rhoſus inter Iſſum & Seleuciam:* adeoque in finibus Ciliciæ ac Syriæ. Alii Rhoſum ſcribunt, Rhoſſum alii.

ECCLESIA RHOSI.

EPISCOPI RHOSI.

I. Antipater.

A

ANTIOCHENO concilio quod Meletio præſide ad conſubſtantialis fidem adſtruendam celebratum eſt anno 363. adfuit, ſynodicæque ad Jovianum Imp. epiſtolæ ſubſcripſit Ἀντίπατρος Ῥώσου, *Antipater Rhoſi.*

II. Porphyrius.

S. Joannis Chryſoſtomi epiſtola 109. inſcribitur Πορφυρίῳ Ῥώσου, *Porphyrio Rhoſi.*

III. * * *

Cap. 109. collectionis ex Tragœdia Irenæi epiſtola eſt Maximini Anazarbi ad Alexandrum Hierapolis, qua mœret Alexandrinum & *Rhoſſium* epiſcopos ab Anazarbenſi quam coëgerat ſynodo ſe ſegregaſſe, ut initam à Joanne Antiocheno cum Cyrillo Alexandrino pacem foverent. Amborum nomina tacentur. B

IV. Julianus.

Paſſim in actis concilii Chalcedonenſis inter epiſcopos Ciliciæ utriuſque nominatur, ſubſcriptuſque reperitur actione præſertim 6. Ἰουλιανὸς ἐπίσκοπος Ῥώσου, *Julianus epiſcopus Rhoſi.*

V. Antoninus.

Mopſueſtiæ ſynodo ſecundæ Ciliciæ in qua Juſtiniano Imp. mandante quæſita ſunt, quæ ad Theodorum Mopſueſtenum ſpectarent, intererat *Antoninus Rhoſorum epiſcopus,* qui rebus in ea geſtis ſancitiſque ſubſcripſit.

VI. Theodorus.

Theodorum ex monacho cœnobii Turrium in Palæſtina ad Jordanem Rhoſi epiſcopum eſſe factum Joannes Moſchus auctor eſt cap. 100. Prati ſpirit. ſeque ab eo accepiſſe ait, quod eodem capite de Petro Pontico ejuſdem monaſterii aſceta narrat.

Digitized by Google

VII. PROVINCIA SECUNDÆ SYRIÆ.

I. ECCLESIA APAMEÆ METROPOLIS.

JOANNES Malalas in Theodoſio juniore pag. 69. perhibet, hunc Imperatorem Syriam ſecundam à prima diviſiſſe, dediſſeque *Apameæ* metropolitica jura atque Præfectum. Ὁμοίως δὲ καὶ ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Συρίαν δευτέραν ἀπομερίσας, δοὺς δίκαιον μητροπόλεως καὶ ἄρχοντα Ἀπαμείᾳ τῇ πόλει. Apamea porro Syriæ urbs ad Orontis & Marſyæ confluentem condita eſt à Seleuco Nicatore ſeu inſtauratore, cujus propter concordiam ſorores Strabonis ætate dicebantur, Antiochia, Laodicea, & Seleucia. A Seleuci uxore Apamea nomen habuit, urbs magna parte probe cincta. *Eſt enim,* inquit Strabo, *collis quidam in campo bene munitus, quem Orontes, & ingens quidam lacus circumpoſitus & latæ paludes peninſulam faciunt, tum prata paſcendis equis & bobus eximia magnitudine diffunduntur. Urbs in tuto jacet, & Cherroneſus è re ipſa vocata eſt.* In notitia Hieroclis Apamea ſecundæ Syriæ, quæ & Salutaris, metropolis eſt, & in veteri eccleſiaſtica Græca. Ita quoque in Actis ſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna habitæ, act. 5. ubi regeruntur quæ in ſynodo ejuſdem provinciæ Syriæ patrata ſunt in cauſa Petri Apameæ epiſcopi hæretici, civitas eadem metropolis paſſim appellatur, cui ſanctus, manſuetuſque ac ſanæ fidei epiſcopus alter eſſet ordinandus: quinimo in iiſdem ſynodi ſecundæ Syriæ actis Apameenſes antiſtites *archiepiſcopi* paſſim nuncupantur, ἄχρι τοῦ μακαριωτάτου Ἰσαακίου, τοῦ γενομένου ἡμῶν ἀρχιεπισκόπου, *uſque ad beatiſſimum Iſaacium qui archiepiſcopus noſter fuit.* Quem titulum aliis inferioris ejuſdem gradus metropolitis, vix tunc temporis conceſſum quiſquam repererit; quando nempe ſoli primarum ſedium pontifices eo ornabantur. Circa Apameam monaſteria plurima exſtiterunt, in primiſque extra mœnia civitatis, beatorum Romani, Heſychii, Dorothei. Serius vero hac in urbe, ut in omni vicina regione recepta religio eſt, ut quo tempore Theodoſius profanorum numinum dirui templa præcepit, pauci Apameæ Chriſtiani fuerint, qui Marcellum epiſcopum à Gentilium furore defenderent. Atqui *Hama* ab Arabibus truncato nomine vocitatur.

EPISCOPI APAMEÆ.

I. ARISTARCHUS.

SI Dorotheo Tyri credimus, primus Apameæ epiſcopus *Ariſtarchus* fuit, quem Apoſtolus ad Coloſſenſes 4. verſ. 20. *concaptivum* ſuum appellat, qui genere Macedo erat, & Paulum comitabatur in eo tumultu quem Demetrius argentarius adverſus Paulum Epheſi excitavit; ejus iterum mentio eſt in epiſtola ad Philemonem. Dorotheum de more ſuo ſequuntur auctorem Menæa Græcorum ad diem 14. April. Sinceriora monumenta vellem.

II. HIEREMIAS.

Blaſius Terzi in Syria ſacra quam Italico idiomate deſcripſit, Romæ edita anno 1530. pag. 99. hæc habet: *Primo Veſcovo di Apamea fù Gieremia diſcepolo degli Apoſtoli, aſſonto al governo di queſta chieſa ne primi anni del terzo ſecolo, e celebrò concilio Nicæno.* Quæ inſulſa
A proſus omitto. Cæterum Apameenſis eccleſiæ traditioni nonnihil indulgendum quæ *Hieremiam* inter primos inſtitutores ſuos habet. Vid. Cl. de la Roque in Itiner. montis Libani.

III. THEOPHILUS.

Auctor libri qui *Prædeſtinatus* appellatur lib. 1. qui de hæreſibus eſt, cap. 39. ſcribit ab Epiphanio ferri Angelicos hæreticos ſua ætate defeciſſe, victos à *Theophilo Apameæ epiſcopo.* Nulla quidem Theophili Apameni
B apud Epiphanium mentio eſt. Cæterum Angelici illi ſectarii in Meſopotamia orti erant, ut non male ab Apameæ epiſcopo expugnati ſint.

IV. ALPHEIUS.

Inter Nicænæ ſynodi Patres cenſetur

ECCLESIA APAMEÆ.

Alphius ſeu *Alpheius Apameenſis*, quem Latini quidem codices non ſine Librariorum errore *Alypium* dicunt. In ſubſcriptionibus concilii Antiocheni quod anno 341. convenit, legitur *Alphius Apameenſis*.

V. Uranius.

Synodicæ Antiochenæ ad Jovianum Imp. de recipienda fide conſubſtantialis ſubſcripſit Οὐράνιος Ἀπαμείας, *Uranius Apameæ*. Socr. lib. 3. cap. 25.

VI. Joannes I.

Joannes illuſtri genere ortus, ſed ſuis rectè factis longe præſtantior, quum non doctrina ſolum, ſed vita ad virtutem bene comparata fulgeret, dignus habitus eſt, quem Meletius Antiochenus Apameenſibus epiſcopum conſecraret. Quocirca turbulentis Valentis Augusti temporibus, cœtum illorum qui veram fidem fovebant, gubernavit, Stephano qui ab eodem Meletio eccleſiæ Germaniciæ præfectus poſtmodum fuit, adjutore & ſocio. Quæ Theodoretus ſcripſit lib. 5. hiſt. cap. 4. Synodo Conſtantinopolitanæ generali primæ adfuit *Joannes Apamienſis*.

VII. Marcellus *Martyr*.

Joannis ſucceſſor fuit vir alter præſtantiſſimus, & ſpiritu fervens *Marcellus*, qui, uti Theodoſii magni lege ſancitum erat, Apameenſium Gentilium delubrum inſigne, in loco qui Aulon dicebatur, ædificatum, aliaque fana, non ſine divini numinis ope quum diruiſſet, ipſe tandem ab iiſdem civibus ſuis qui idolorum cultui addicti nimium erant, in rogum projectus martyr Chriſti evaſit. Theodoretus lib. 5. c. 21. Sozomenus lib. 7. cap. 15. Menologium Græcorum memoriam ejus recolit die 14. Auguſti, ac Martyrologium item Romanum.

VIII. Agapetus.

Marcelli frater & ſucceſſor *Agapetus* fuit, poſtquam Arianici furoris tempore monaſticis virtutibus claruiſſet, ex Theodoreto lib. 5. eccl. hiſt. cap. 27. Enimvero angelicis diſciplinis à S. Marciano inſtitutus, quum ſuſcepta virtutum ſemina ſpargeret & dilataret, adeo clarus evaſit, *ut Apameenſi epiſcopali ſede dignus habitus ſit*, καὶ τῆς οἰκείας πατρίδος ἐμπιστευθῆναι τὴν ἐπιμέλειαν, *& ſuæ ipſius patriæ curam ſuſciperet*, ait idem Theodoretus in Hiſt. Relig. ubi de S. Marciano, cap. 3.

IX. Alexander.

Epiſcoporum Orientis qui ab Epheſina ſynodo ſeceſſionem fecerunt, ſuo Patriarchæ Joanni nimium adhærentes, unus fuit *Alexander* Apameæ metropolita, qui uti ſchiſ-
A maticus, perinde atque alii catholicæ communionis exſors pronuntiatus eſt à ſancto concilio. Apringius Chalcidis ejus vices geſſit inter eos qui ab illa ſynodo Orientalium Conſtantinopolim ad Imp. delegati ſunt. Decretis omnibus factionis ſuæ aſſenſus eſt & ſubſcripſit, donec Antiochenam inter & Alexandrinam eccleſiam ſancita pax fuit anno 434. Quæ ex ſynodico Irenæi & actis Epheſini concilii comperta ſunt.

X. Domnus.

B Apameæ epiſcopus erat *Domnus*, quo tempore Theodoretus, aliique Orientis epiſcopi, poſt prædatoriam ſynodum Epheſinam ſedibus ſuis ejecti ſunt. Quod quidem ille Domno ipſi epiſtola 87. ſignificat Δόμνῳ ἐπισκόπῳ Ἀπαμείας, *Domno Apameæ epiſcopo inſcripta*. Ad ſynodum deinde Chalcedonenſem acceſſit cujus decretis ſubſcripſit *per manum Meletii Lariſſæ*, qui & pro ipſo verba fecit. Quamobrem Domni hujus & ſucceſſorum nomina ad Iſaacium uſque deceſſorem ſuum Petrus Apameenſis itidem epiſcopus
C hæreticus ſacris tabulis expunxit, quin & illius oſſa diſtraxit, prædiaque vendidit. Legenda acta ſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna, actione 5.

Leo Imperator anno 458. litteras ſuas dedit metropolitis quibuſdam & epiſcopis ut ſententiam cum ſua ſynodo dicerent de nece S. Proterii Alexandrini & de concilio Chalcedonenſi, inter quos *Epiphanio reverentiſſimo epiſcopo Apameæ Syriæ ſecundæ;* qui tamen Epiphanius ſynodicæ epiſcoporum ejuſdem provinciæ ad Imp. prior ſubſcribens epiſco-
D pus dicitur Epiphaniæ, non Apameæ.

XI. Conon.

Joannes Malalas in Chronico, inter factionis Iſauricæ quæ Zenone Imp. accidit, duces, *Cononem* Fuſciani filium exhibet, qui Apameenſis epiſcopus prius fuerat, καὶ Κόνωνα, τὸν Φυσκιανοῦ, τὸν ἐπίσκοπον Ἀπαμείας. Hunc haſta transfixum ſubdit. Evagrius lib. 3. hiſt. cap. 35. illum nude *Apameæ Syriæ præſulem* dicit, μεθ' ὧν, inquit, καὶ Κόνων ἐτύγχανεν ὢν, ἐπίσκοπος ὁ ἐν Ἀπαμείᾳ τῆς Σύρων ἐπαρχίας
E γεγονώς. Quid ſi in rebellionem hanc conſpiraverit, quia à Petro Cnapheo Antiochenæ eccleſiæ Tyranno exauctoratus?

XII. Joannes II. *hæreticus*.

Paulus Cnapheus occupata ſecundò ſede Antiochena *Joannem* hæreſis ſuæ ſocium Apameæ metropolitam deſignavit, qui à civibus rejectus Antiochiam rediit, anno circiter 477. Poſt vero Petrum ipſum epiſcopatus ſui

Digitized by Google

ſui auctorem Antiochena ſede pepulit, quam ipſe occupavit. De quo Joanne qui Codonatus cognominabatur, dictum eſt in metropolitis Tyri, & Patriarchis Antiochiæ.

XIII. Marinus.

Ex Zacharia Melitenenſi apud Aſſemanum to. 2. Bibl. Orient. pag. 59. *Marinus Apameenſis epiſcopus,* Anaſtaſio Imp. auctor fuit ut clauſulam *qui crucifixus eſt,* Triſagio hymno adderet; *Maximum* dicit Victor Tunnunenſis, errore forſan amanuenſis.

XIV. Petrus *hæreticus.*

Sæculo ſexto jam adulto, Anaſtaſio Imp. *Petrus* Severi Antiocheni hæretici ſodalis, Monophyſita impurus, Apameenſem ſedem tenuit, quam pecuniis datis emerat; qui Anaſtaſio defuncto, à Juſtino Imperatore exilio multatus fuit, damnatus vero interim variis in ſynodis epiſcoporum Syriæ & Palæſtinæ, ac tandem in concilio Conſtantinopolitano ſub Menna. Cujus nefanda facinora graphice deſcripſerunt Apameenſis eccleſiæ clerici, dato ad ſecundæ Syriæ præſules libello, tum ipſimet ejuſdem epiſcopi data epiſtola ad Agapetum Papam. Quæ monumenta omnia regeſta exſtant actione 5. illius concilii ſub Menna, cujus in Severum, Petrum Apameæ, Zoaram monachum & Anthimum Conſtantinopolitanum ſententiam Juſtinianus Imp. edicto firmavit.

XV. Isaacius.

Petro hæretico ſuffectus omnino eſt *Iſaacius,* cujus mentio fit in actis quæ actione 5. concilii Conſtantinopolitani ſub Menna regeſta ſunt, illis ſcilicet quæ Juſtino Imperatore à delegatis judicibus de Petri Apameenſis facinoribus quæſita probataque erant, ubi clericos Apameenſes ſæpe adverſus illum expoſtulaſſe legimus quod deceſſorum ſuorum à beatiſſimo Domno ad Iſaacium archiepiſcopum uſque nomina ex ſacris Diptychis expunxiſſet, ἀπὸ μακαριωτάτου Δόμνου, ἄχρι τοῦ μακαριωτάτου Ισαακίου τοῦ γενομένου ἡμῶν ἀρχιεπισκόπου. Flagitabant inſuper eccleſiæ ſuæ mores reſtitui, qui uſque ad obitum felicis memoriæ Iſaacii archiepiſcopi perſeveraverant.

XVI. Paulus.

Iſaacii utique ſucceſſor fuit *Paulus,* vir apprime catholicus, actione 5. nimirum ſynodi illius Conſtantinopolitanæ ſub Menna lectus eſt libellus ſupplex ad Juſtinianum Imp. *Pauli Apameæ, & reliquorum ſecundæ Syriæ epiſcoporum,* nomine inſcriptus, παρὰ Παύλου ἐπισκόπου Απαμείας, καὶ τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων τῆς δευτέρας Συρίας quo fidem orthodoxam profitebantur, querelaſque ſuas in Severum & Zoaram monachum texebant.

XVII. Thomas.

Quintæ ſynodo generali interfuit *Thomas* metropolita Apameæ ſecundæ Syriæ, qui cum multis è patribus delegatus fuit ad Vigilium Papam, ut illum ad ſynodum invitarent. Vir fuit virtute & rectè factis præſtantiſſimus, qui Choſroi Perſarum regi inſolentius Apameam verſus eunti occurrit, quo furorem ejus cohiberet, & quum oſtenſo pretioſiſſimo vivificæ crucis ligno cives ſuos ad preces Deo fundendas excitaſſet, divinis quibuſdam portentis certam illi ſalutis fiduciam accepere. De Thoma Apameenſi legendi Procopius lib. 2. de bello Perſico cap. XI. & Evagrius lib. 4. cap. 26.

Apamea tandem à Choſroë capta ſub Juſtini junioris principatu, epiſcopus & præfectus urbis in Perſidem abducti ſunt; Thomas ne epiſcopus ille fuerit, an alter, incertum.

Non capio prorſus quid ſibi velit Blaſius Terzi in Syria ſacra pag. 99. ubi de Apameæ epiſcopis agit. *Anſelmo,* ait, *reggea queſta chieſa negl'anni di Giuſtiniano quando la città fù devaſtata dal Re di Perſia, e condotti in ſervitù il veſcovo e'l Prefetto con tutti gli habitanti, e da qual tempo non fù mai più reſtorata, reſtando fin' ora imboſchita, e vuota di habitatori: ſe altrimente ſcrivono i moderni, è un manifeſto equivoco.* Nomen *Anſelmo* ſive Anſelmus, Teutonicum eſt, nec Græcum, nec Latinum, adeoque epiſcopo ſexti ſæculi Græco indignum.

XVIII. Thomarichus.

Anno 24. Conſtantis II. Heraclii filii Imp. Chr. 648. Buſur Saracenorum exercitus Dux *præter Romaniam ingreſſus eſt,* ait Theophanes, καὶ ἀπέθανεν Θωμάριχος ἐπίσκοπος Απαμείας, *obiitque Thomarichus epiſcopus Apameæ.* Qui proinde alius fuit à Thomaricho illo epiſcopo qui ab altero Saracenorum duce Moavia ad Aradenſes miſſus eſt, ut illos ad deditionem hortaretur.

XIX. Georgius.

Georgius Apameenſis in Syria, à Philippico Imp. Monotheleticæ hæreſis inſtauratore Martyropolim tranſlatus fuit. *Theoph. ad ann. 1. ejuſdem Philippici,* ſeu *Chriſti 711.*

Digitized by Google

II. ECCLESIA ARETHUSÆ.

ARETHUSA Syriæ civitatula inter Emeſam & Epiphaniam, Straboni, Plinio, Ptolemæo, inter ſecundæ Syriæ urbes cenſetur in notitia Hieroclis & veteri Græca, cujus incolæ ut alii Syriæ Cœles ſive Cavæ, vix ægre tandem ad Chriſti cultum ab idolis traducti ſunt ſæculo labente quarto.

EPISCOPI ARETHUSÆ.

I. EUSTATHIUS.

NICÆNÆ ſynodo interfuit *Euſtathius Arethuſius.*

II. MARCUS I.

In Antiochena ſynodo quæ ob eccleſiæ illius urbis Encænia celebrata eſt, ſedit *Marcus Arethuſæ epiſcopus:* unde cum aliis Euſebianæ factionis in Gallias ad Conſtantem Imp. miſſus, ad ſuos Sardicam reverſus eſt, cum quibus Philippopolim ſeceſſit, & ipſorum adverſus Sardicenſe concilium epiſtolæ ſubſcripſit, *Marcus epiſcopus ab Arethuſa.* Ad Sirmienſe concilium quod Photini B epiſcopi cauſa cogebatur, quum veniſſet, formulam fidei primam condidit, variis adjectis anathematibus quibus illius impietas confodiebatur. Subſcripſit Semi-arianorum epiſtolæ, perfectam Filii cum Patre ſimilitudinem ſecundum eſſentiam aſſerentium, quæ ante Sirmienſem ſynodum edita eſt, quamque Epiphanius recitat hæreſi 73. Sub Juliano Apoſtata, eo præſertim nomine quod Conſtantio Imp. aram & fanum idolorum everterat, à Gentilibus tentus acerbiſſimis ſuppliciis martyrium obiit, quod Theodoretus C lib. 3. hiſt. cap. 6. deſcribit, Sozomenus quoque lib. 5. cap. 9. inprimis vero Gregorius theologus oration. 4. ſeu invect. 1. in Julianum. Marci ſolemnis memoria eſt in Menologio Græcorum die 20. Martii, utique propter eximias laudes quibus illum Nazianzenus, Theodoretus & alii illum ornarunt, quodque ad Semi-arianos demum tranſiens, non ſic poſtremis vitæ ſuæ annis alienus viſus ſit, velut & Silvanus Tarſi, Baſilius Ancyræ A & alii, quos Baſilius magnus, Hilarius, Athanaſius ipſe pro catholicis habuerunt.

III. MARCUS II.

Synodo Chalcedonenſi adfuit, ejuſque decretis ſubſcripſit *Marcus epiſcopus Arethuſæ, per Timotheum epiſcopum Balanæorum.*

IV. EUSEBIUS.

Epiſtolæ ſynodicæ ſecundæ Syriæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini & ſynodo Chalcedonenſi ſubſcripſit *Euſebius epiſcopus Arethuſæ.*

V. SEVERIANUS.

Severianus ſæculo ſexto inchoato, Arethuſæ epiſcopus ſedebat, qui cum Coſma Epiphaniæ, acceptas Severi Antiocheni de ineunda ejus communione litteras repudiavit: quin per Aurelianum Epiphanienſis eccleſiæ diaconum libellum ei miſit, de quo Evagrius lib. 3. c. 34. propter quod ejus factum quum exilio multandus eſſet, cives ejus ſumtis armis Imp. Anaſtaſii juſſibus reſtiterunt. Quo principe defuncto, ſubſcripſit libello quo ſecundæ Syriæ ſynodus Severum, Petrum Apameenſem & Zoaram monachum damnabat.

VI. ABRAAMIUS.

Conſtantinus Apamienſis preſbyter Monotheleta, ut ſui fidem faceret, actione 16. ſextæ ſynodi generalis ſe ab *Abraamio epiſcopo Arethuſæ* ordinatum dixit: χειροτονηθεὶς ὑπὸ Ἀβραμίου ἐπισκόπου Ἀρεθούσης.

III. ECCLESIA EPIPHANIÆ.

EPIPHANIA Syriæ ſecundæ civitas in Notitiis, ad Orontem poſita Lariſſam inter & Arethuſam, ut Ptolemæus & Plinius produnt, indito utique nomine ab Antiocho Epiphane. Evagrius ipſe Epiphanienſis epiſcopos Epiphaniæ & Arethuſæ Apameenſi metropoli obnoxios fuiſſe confirmat, τῆς ὑπὸ Ἀπάμειαν ἱερίας.

EPISCOPI EPIPHANIÆ.

I. MAURICIUS.

IN ſynodi Nicænæ catalogo legitur *Mauricius Epiphanienſis,* ut & in ſubſcriptionibus D Antiochenæ anno 341.

II. EUSTATHIUS.

Arianorum ſocius fuit *Euſtathius* Epiphaniæ, tum in conventu Philippopolitano cujus epiſtolæ ſubſcripſit, tum in Seleucienſi ſynodo

in qua Georgii Alexandrini & Acacii Cæſarienſis formulæ fidei ſubſcripſit, Εὐςάθιος ἐπίσκοπος Ἐπιφανείας, *Euſtathius epiſcopus Epiphaniæ*, apud Epiphanium hær. 73. Cæterum ſub Juliano Apoſtata quum audiſſet Gentiles in eccleſiam ſuam Bacchi idolum cum tibiis & tympanis intuliſſe, Dominum precatus ne ejuſmodi facinus oculis ſpectare cogeretur, repente animam efflavit. Quocirca Chronici Paſchalis auctor hunc inter martyres habet.

III. Eusebius.

Inter epiſcopos Syriæ Cœles qui in concilio Conſtantinopolitano generali priori ſederunt, B legitur *Euſebius Epiphanienſis;* qui à Patribus cum Priſciano Cæſareæ Palæſtinæ, & Cyriaco Adanorum Romam ad ſynodum quæ illic celebrabatur, delegatus fuit.

IV. Stephanus.

Antiochenæ ſynodo in qua Athanaſii Perrhenſis cauſa judicata eſt, aderat *Stephanus Epiphaniæ epiſcopus*. Actione 14. concilii Chalcedonenſis.

V. Eutychianus.

Chalcedonenſi ſynodo interfuit & ſubſcripſit, act. præſertim 6. Εὐτυχιανὸς ἐπίσκοπος Ἐπιφανείας, *Eutychianus epiſcopus Epiphaniæ ſecundæ Syriæ, per Meletium epiſcopum Lariſſæ.*

VI. Epiphanius.

Synodi provinciæ ſecundæ Syriæ epiſtolæ A ad Leonem Imperatorem ſubſcripſit *Epiphanius epiſcopus Epiphaniæ.*

VII. Cosmas I.

Severi Antiocheni ſynodicas litteras communionemque repudiavit *Coſmas* Epiphaniæ, & cum Severiano Arethuſæ aliiſque illum à ſacerdotio alienum pronuntiavit, miſſo in eam rem Aureliano diacono Epiphanienſi, qui habitu muliebri indutus depoſitionis libellum ei tradidit. Propter quod facinus quum Anaſtaſius eum exulare juſſiſſet, Epiphaniæ, ut Arethuſæ, cives ſtrenuè obſtiterunt.

VIII. Sergius.

Libello ſynodi ſecundæ Syriæ ad Juſtinianum Imper. de Severo, Petro Apameæ, & Zoara, ſubſcripſit *Sergius epiſcopus Epiphaniæ.*

IX. Cosmas II.

Sæculo octavo labente *Coſmas* Comanites Epiphaniæ quæ juxta Apameam Syriæ poſita eſt, epiſcopus apud Theodorum Antiochenum Patriarcham à civibus accuſatus eſt, quod ſacra vaſa diſtraxiſſet; quorum pretium C quia reddere non poterat, ad Iconoclaſtas defecit. Quamobrem à tribus Orientis Patriarchis, eorumque ſuffraganeis, in die ſancto Pentecoſtes poſt Evangelii ſacram in Miſſa lectionem, communi ſententia, vocibuſque ab uno quoque ſeorſim damnatus fuit. Theophanes ad ann. 23. Conſtantini Copronymi, Chriſti 763.

IV.

ECCLESIA LARISSÆ.

LARISSA urbs Syriæ, à Macedonibus ſic dicta ob Lariſſam Macedoniæ civitatem, ad Orontem fluvium poſita eſt, inter Apameam & Epiphaniam. Lariſſæos dicit Plinius, nec Strabo, Ptolemæus, Stephanus aut alii eam omiſere, uti nec notitiarum deſcriptores.

EPISCOPI LARISSÆ.

I. Gerontius.

IN Nicænæ ſynodi epiſcoporum indice, de D provincia Syriæ ultimus eſt *Leontius Lariſſenſis*. Quanquam nonnulli codices habent *Gerontius:* quin etiam in ſubſcriptionibus canonum ſynodi Antiochenæ legitur, *Gerontius Lariſſæ Cœles Syriæ.*

II. Zoilus.

In Seleucienſi ſynodo Georgio Alexandrino, Acacio Cæſarienſi, & aliis factionis ipſorum ſe junxit eorumque ſymbolo ſubſcripſit Ζωΐλος ἐπίσκοπος Λαρίσσης τῆς Συρίας, *Zoilus epiſcopus Lariſſæ Syriæ*, apud Epiphanium hær. 73. n. 26. Poſthac autem orthodoxis adhæſit, & epiſtolæ ſynodi Antiochenæ ad Jovianum Imp. qua Nicæna fides confirmabatur, perinde ſubſcripſit. Socrates lib. 3. cap. 21.

III. Patrophilus.

Inter epiſcopos qui Conſtantinopolitanæ ſynodo generali priori interfuerunt, cenſetur *Patrophilus Lariſſenſis*, de provincia Syriæ.

IV. Julianus.

Epheſi contra legitimam ſynodum generalem à Joannis Antiocheni & reliquorum Orientalium partibus ſtetit *Julianus epiſcopus Lariſſæ Syriæ*, variiſque eorum ſcriptis ſuffragatus eſt, unde meruit catholica communione æque ac alii privari.

Digitized by Google

ECCLESIA LARISSÆ.

V. Meletius.

In Chalcedonenſi concilio actione præſertim 6. pro Domno Apameenſi, inter metropolitas ſubſcripſit *Meletius epiſcopus Lariſſæ, ſermonem faciens, & pro ſanctiſſimo Domno epiſcopo Apameæ ſecundæ Syriæ, & pro me*, inquit, *definiens ſubſcripſi.* Μελίτιος ἐπίσκοπος Λαρίσης, ποιούμενος τὸν λόγον καὶ ὑπὲρ τοῦ ὁσιωτάτου Δόμνου ἐπισκόπου Ἀπαμείας Συρίας δευτέρας, καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ ὁρίσας ὑπέγραψα. In collectione nova Cl. Baluzii Latini codices habent, *Meletio epiſcopo Lariſſæ obtinente locum reverentiſſimi epiſcopi Apameæ Syriæ Domni:* ut proinde Domnus propter valetudinem, aliam-ve cauſam concilio adeſſe nequiverit. Subſcripſit etiam Meletius pro Eutychiano Epiphaniæ.

VI. Diogenes.

In epiſtolæ ſynodi ſecundæ Syriæ ad Leonem Imp. de concilio Chalcedonenſi ſubſcriptionibus, legitur *Diogenes epiſcopus Lariſſenus.*

VII. Eusebius.

Sic perinde epiſtolæ ſynodicæ epiſcoporum ſecundæ Syriæ ad Joannem Conſtantinopolitanum, qua fidem ſuam teſtabantur, Severique Antiocheni & Petri Apameenſis facinora, ſubſcripſit Εὐσέβιος ἐπίσκοπος Λαρίσης, *Euſebius epiſcopus Lariſſæ.*

VIII. Stephanus.

B Compertus nobis etiam eſt *Stephanus* epiſcopus Lariſſæ ex ſubſcriptionibus libelli epiſcoporum ejuſdem provinciæ Syriæ ſecundæ ad Juſtinianum Imper. quo Severi, Petri, & Zoaræ monachi damnationem confirmari poſtulabant.

V. ECCLESIA MARIAMMÆ.

MARIAMME Μαριάμμη Syriæ civitas Ptolemæo, aliiſque dicta, à qua Plinius *Mariammitanos* dicit, lib. 5. c. 23. Macedonum in Syriam adventu antiquior. Nam Arianus lib. 2. Expeditionum Alexandri, Stratoni Aradi Regulo ab Alexandro Mariammen urbem, Μαριάμμην πόλιν datam teſtatur. In notitiis ſecundæ Syriæ cenſetur.

EPISCOPI MARIAMMÆ.

I. Paulus.

SYnodo Chalcedonenſi act. 6. ſubſcripſit Παῦλος ἐπίσκοπος Μαριάμμης, *Paulus epiſcopus Mariammes.*

II. Magnus.

In ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodi ſecundæ Syriæ ad Leonem Imperatorem legitur *Magnus epiſcopus Mariamnæ Euphrateſiæ*, quæ poſtrema vox Euphrateſiæ mihi ſuſpecta eſt, quando Mariamme vel Mariamne mari vicinior fuit Aradum verſus, procul ab Euphrate, ut & cæteræ civitates ſecundæ Syriæ.

III. Cyrus.

C Epiſtolæ epiſcoporum ſecundæ Syriæ ad Joannem Conſtantinopolitanum primus ſubſcripſit *Cyrus epiſcopus Mariammes*, Κῦρος ἐπίσκοπος Μαριάμμης.

IV. Ætherius.

Adfuit ſynodo Conſtantinopolitanæ quæ Menna Patriarcha præſide habita eſt an. 536. *Ætherius*, quum ante in Syria ſubſcripſiſſet libello epiſcoporum ſecundæ Syriæ, qui ad Agapetum Papam in urbe regia agentem delatus eſt, adverſus Severum, Petrum Apameæ, Zoaram, & Anthimum Conſtantinop.

VI. ECCLESIA SELEUCOBELI.

SELEUCOBELUS, ſive *Seleucia* altera, ad Belum poſita, montem ſcilicet non amnem, qui procul abeſt, in Phœnicia prope Ptolemaïdem fluens. A quo monte Chalcis ad Belum quoque dicta eſt. Seleuciæ ad Belum meminit Plinius, nec-non Ptolemæus. *Seleucobelum* ſcribunt Hierocles, Stephanus, & notitia vetus altera.

EPISCOPI SELEUCOBELI.

I. Quintilianus.

SELEUCOBELO aſſigno epiſcopum ſanctum illum *Quintilianum*, cujus memoria eſt in Menologio veteri quod Latinè exſtat to. 2. antiq. lect. Caniſii, ad diem 16. Novemb. *Eodem die commemoratio S. P. N. Quintiliani epiſcopi Seleuciæ.* Plura non reperi, quibus

Digitized by Google

ECCLESIA SELEUCOBELI.

de civitate, & ejus ævo magis conſtet.

II. Aristonicus.

Epiſtolæ ſynodi Antiochenæ ſub Meletio ad Jovianum Imper. ſubſcripſit *Ariſtonicus Seleucobeli*, Αριστόνικος Σελευκοβήλου. Socr. lib. 3. cap. 21.

III. Marcianus.

Inter epiſcopos Syriæ Cœles in ſynodo Conſtantinopolitana priori generali ſedebat *Marcianus Seleucopolitanus*, ſeu *civitatis Seleuci*, Σελεύκου πόλεως, cum Byza Seleucienſi, ſive Seleuciæ primæ Syriæ.

IV. Diogenes.

Ab Alexandro Antiocheno *Diogenes*, ex bigamo Seleucobeli epiſcopus factus eſt, Theodoreto teſte epiſtola 110. Epheſum venit cum Joanne Antiocheno ad ſynodum generalem, ipſeque ut Orientales alii qui ſeceſſionem fecerunt, à communione catho-A lica ſemotus eſt. Subſcripſit itaque litteris variis & decretis adverſus legitimam ſynodum, ut videre eſt in collectione ex Tragœdia Irenæi, aliiſque Epheſinæ ſynodi actis.

V. Eusebius.

Synodo Chalcedonenſi adſuit & ſubſcripſit *Euſebius epiſcopus Seleucobeli*, Εὐσέβιος ἐπίσκοπος πόλεως Σελευκοβήλου.

VI. Elias.

Inter ſubſcriptiones epiſtolæ ſynodi ſecun-B dæ Syriæ ad Leonem Imp. *Elias epiſcopus Seleucobeli*.

VII. Cyriacus.

Libello epiſcoporum ſecundæ Syriæ ad Juſtinianum Imp. adverſus Severum Antiochenum & alios hæreticos ſubſcripſit *Cyriacus epiſcopus Seleucobeli*.

VII.

ECCLESIA RAPHANÆÆ.

Raphanæa, vel etiam voce plurali Raphanææ, Ῥαφαναῖαι, ſecundæ Syriæ civitas eſt in notitiis Hieroclis & veteri, quam Plinius inter urbes Decapolis Syriæ à quibuſdam cenſitam ait, velut & Damaſcum. Hic non omittam Joſephum lib. 7. de bello cap. 13. narrare Titum fluvium illum neſcio quem inviſiſſe, *qui inter Arcaam & Raphanaam flueret*: ut proinde Arcæa, ſive Arce, regni Agrippæ ſeu Chalcidis oppidum, Raphanæa haud procul diſtaret.

EPISCOPI RAPHANÆÆ.

I. Bassianus.

In indice Patrum ſynodi Nicænæ *Baſſianus Raphaneenſis*.

II. Gerontius.

Inter ſubſcriptiones epiſcoporum conventus Philippopolitani adverſus Sardicenſem ſynodum, legitur *Gerontius epiſcopus à Lamphania*. Emendo *Raphanaa*.

III. Basilius.

Sic quoque inter epiſcopos de Cœleſyria qui Conſtantinopolitano concilio generali priori adfuerunt, *Baſilius Raphanaenſis*.

IV. Lampadius.

Synodo Chalcedonenſi adfuit & ſubſcripſit Λαμπάδιος ἐπίσκοπος πόλεως Ῥαφαναίων, *Lampadius epiſcopus civitatis Raphanaorum* C *ſecunda Syria*.

V. Zoilus.

Epiſtolæ ſynodi ſecundæ Syriæ ad Joannem Conſtantinopolitanum adverſus Severum, Petrum Apameæ & alios hæreticos, & qua fidei ſuæ rationem reddebat, ſubſcripſit *Zoïlus epiſcopus Raphanaa*.

VI. Nonnus.

Nobis demum compertus eſt *Nonnus* Raphanææ epiſcopus, ex ſubſcriptionibus epiſcoporum Syriæ quæ ſubjectæ ſunt libello ipſorum ad Juſtinianum Imp. adverſus Severum ejuſque ſocios, nec-non Anthimum Conſtantinopolitanum.

VIII.

ECCLESIA BALANÆÆ.

Balanæa urbs Syriæ, Straboni, Plinio & aliis ad mare poſita; Ptolemæus *Balanaas* dicit, Βαλαναῖαι. Ex qua civitate Porphyrium philoſophum, infauſtum germen ortum mihi ſuſpicio eſt, quando apud Chryſoſtomum, & alios quoſdam auctores genere Βαταναιώτης, *Batanaïotes* legitur, utique pro Βαλαναιώτης *Balanaotes*. Secundæ Syriæ cenſetur in

Digitized by Google

ECCLESIA BALANÆÆ.

quibuſdam actis ſynodorum; Theodoriadis novæ provinciæ quam Juſtinianus inſtituit, cenſita eſt, ſed Theodorias provincia vix inter eccleſiaſticas videtur numeranda.

EPISCOPI BALANÆÆ.

I. Euphration.

Nicænæ ſynodo de Syria adfuiſſe legitur *Euphration Balanaon*, ſeu *Balanaarum:* quidam codices Latini *Balanavtes*, qui ſubinde in Antiochena ſynodo ab Arianis deſtitutus fuit anno 335. Hunc Athanaſius in apologia ad Conſtantium admodum prædicat: *Balanææ lugent*, inquit, *ob Euphrationem virum eximium & admirabilem*, Βαλαναῖαι δ' Εὐφρατίωνα τὸν θαυμασιώτατον. Ex quo loco emendatur textus alter Athanaſii in epiſtola ad ſolitarios, ubi inter epiſcopos quos Ariani ſedibus ſuis ejecerant, Euphrationem iterum memorat, Εὐφρατίων ἐν Καλάναις pro ἐν Βαλαναίαις, *Euphration in Balanæis*.

II. Timotheus.

Conciliabulo Epheſino adfuit *Timotheus* Balanæarum; quin etiam in concilio Chalcedonenſi emendavit quod illic male geſſerat, veræ fidei definitionibus, aliiſque melioribus
A decretis ſubſcribens actione præſertim ſexta, Τιμόθεος ἐπίσκοπος Βαλαναιῶν, *Timotheus epiſcopus Balanaarum.*

III. Theodorus.

Anno 536. ſedebat *Theodorus* Balanææ, qui libello ſupplici epiſcoporum ſecundæ Syriæ ad Juſtinianum Imp. adverſus Severum, Petrum Apameæ metropolis, & alios, ad hunc modum ſubſcripſit: Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ
B ἐπίσκοπος τῆς ὑμετέρας Βαλαναιωτῶν, *Theodorus epiſcopus veſtræ Balanaotarum civitatis, orans pro religioſo veſtro, & à Deo cuſtodito Imperio ſupplicavi.* Act. 5. ſyn. ſub Menna.

IV. Stephanus.

Quintæ ſynodo generali interfuit, & ſubſcripſit *Stephanus Dei miſericordia epiſcopus civitatis Balanaon*, ſive *Balanaarum*.

Digitized by Google

VIII. PROVINCIA EUPHRATENSIS.

I. ECCLESIA HIERAPOLIS METROPOLIS.

HIERAPOLIS quam indigenæ *Maboug* appellitabant, à Strabone nobiliſſimo alioqui ſcriptore, trans Euphratem fluvium ponitur; oſcitantius prorſus, eam ab Edeſſa non ſecernens: *Euphratem tranſeunt*, inquit, *juxta Anthemuſiam in Meſopotamia. Quatuor ſchænorum ſpatio trans flumen eſt Bambyca, quam Edeſſam & Hierapolim quoque, id eſt ſacram urbem vocant. In ea Atargatim Syriam deam colunt.* ἡ μὲν οὖν ἀνάβασις τοῦ Εὐφράτου, καὶ τὴν Ἀνθεμουσίαν ἐστὶν αὐτοῖς, τόπον τῆς Μεσοποταμίας· ὑπέρκειται δὲ τοῦ ποταμοῦ, σχοίνους τέτταρας διέχουσα ἡ Βαμβύκη, ἣν καὶ Ἔδεσσαν καὶ Ἱερὰν πόλιν καλοῦσιν· ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Συρίαν θεὸν τὴν Ἀταργάτιν. Strabo, lib. 16. p. 748. *Bambycem* vocat Strabo Βαμβύκην, nonnulla nominis *Maboug* corruptela. At melius Hierapolis ſitum Plinius indicavit lib. 5. cap. 23. cujus titulus eſt *de Cæleſyria*, veteri ſcilicet omni. *Cæle habet Apamiam*, inquit, *Marſya amne diviſam à Nazerinorum tetrarchia. Bambycem, quæ alio nomine Hierapolis vocatur, Syris vero Magog. Ibi prodigioſa Atargatis, Græcis autem Derceto dicta, colitur.* Nemo non videat pro *Magog* eſſe legendum *Mabog*, unde Græci Bambycem fecerunt. Quanquam Atargatim Hierapoli cultam perperam ſubjunxit. Auctor ſiquidem anonymus opuſculi *de Dea Syra*, quod habetur inter Luciani dialogos, diſerte teſtatur Dercetum ſeu Atargatim Edeſſenorum numen fuiſſe, cujus ſimulacrum media parte ſuprema feminam, infima piſcem referebat. Deam vero Syram, quæ Hierapoli ἐν τῇ Ἱρῇ πόλει colebatur, mulierem integram. Cæterum Æliano lib. 12. hiſt. Animal. c. XI. *ad Bambycen olim appellatam, quam Seleucus Hierapolim nuncupavit, ſunt piſces ſacri*, κατὰ τὴν πάλαι Βαμβύκην, καλεῖται δὲ νῦν Ἱεράπολις Σελεύκου ὀνομάσαντος τοῦτο αὐτήν, ἰχθύες εἰσὶν ἱεροί. Verùm diſſidium hoc auctorum mea non intereſt componere. Ab Æliano didiciſſe ſufficiat urbem Bambycem ſeu Maboug à Seleuco rege Hierapolis nomine donatam. Quæ quum *capaciſſima eſſet*, ut Ammianus Marcellinus loquitur lib. 23. cap. 2. ob amplitudinem ſub Romanis principibus caput evaſit Comagenæ provinciæ; quæ quoniam flumine Euphrate terminatur Εὐφρατησία, *Euphratenſis provincia* appellata eſt. *Comagena nunc Euphratenſis*, ait idem Ammianus Marcellinus lib. 14. cap. 26. *clementer aſſurgit Hierapoli, veteri Nino, & Samoſata civitatibus amplis illuſtris.* Qui tamen vapulaturus etiam venit, qui veterem Ninum in Syria cis Euphratem ponat, quæ ad Tigrim prorſus ſtructa fuerat, & cujus vix Ammiani ætate parietinæ exſtabant. Euphratenſis itaque provincia à Syria ad flumen uſque pertinebat, atque non Euphratenſis ſolum, ſed *Euphratenſis Auguſta* cognominatur in geſtis ſynodorum, ab Auguſto utique Cæſare, à quo in provinciam Romanam Comagena redacta fuerit. Hujus porro metropolis Hierapolis fuit, quam Procopius lib. 2. de ædificiis cap. 9. *Omnium hujus tractus civitatum principem eſſe, nobiliſſimamque* aſſerit. τὴν Ἱερὰν πόλιν, ἥπερ ἁπασῶν πρώτη τῶν τῇδε τυγχάνει οὖσα.

EPISCOPI HIERAPOLIS.

I. PHILOTIMUS.

INter Nicænæ ſynodi patres in indice cenſetur *Philotimus* Hierapolitanus; in margine editionis Labbeanæ appoſitum legitur, *Philoxenus*.

II. THEODOTUS.

Theodoretus lib. 5. cap. 14. *Theodotum* à ſanctiſſimo Samoſatorum præſule Euſebio ſub Valente clam ordinatum Hierapolis epiſcopum perhibet, *virum*, inquit, *cujus ſincera vivendi diſciplina ad hodiernum diem celebratur.* In hiſtoria vero religioſa, ubi de ſancto Marciano, eumdem à monaſticæ vitæ exercitiis & manſuetudine commendat, Marcianum Chalcidenſis regionis ſolitarium ab eo, Flaviano quoque Antiocheno, Acacio

Digitized by Google

ECCLESIA HIERAPOLIS.

Berrhœenſi, Euſebio Chalcidenſi, & Iſidoro Cyrenſi viſitatum narrans. Anno 381. Theodotus concilio Conſtantinopolitano generali priori interfuit, qui in catalogo Latino Patrum *Theodorus* corrupte ſcribitur.

III. Alexander.

Neſtorianæ hæreſis pervicaciſſimus propugnator fuit *Alexander* Hierapolis metropolita, qui non ſolum cum Joanne Antiocheno & reliquis Orientalibus ab Epheſina ſynodo ſeceſſit, variiſque eorum geſtis litteriſque ſuffragatus eſt; verum etiam, pace Cyrillum inter Alexandrinum & Joannem compoſita, adverſus omnium orbis eccleſiarum concordem ſententiam, Neſtorium obſtinato animo defendit; unde urbe ſedeque Hierapolitana, Imperatoris juſſione urgente, cedere coactus eſt. Quæ omnia ex actis ſynodi Epheſinæ, præſertimque ex collectione ex Tragœdia Irenæi comperta ſunt, in qua collectione frequentes ſunt Alexandri ad varios epiſtolæ, quibus impiam Neſtorii doctrinam tuetur. Legendum inprimis caput 184. ejuſdem ſynodici. Cap. 190. Irenæus ait: *Alexander epiſcopus Hierapolis Euphrateſiæ, qui & exiliatus eſt in Famothin, Ægypti metallum.*

IV. Panolbius.

Deſtituto ob hæreſim Alexandro, Hierapolis metropolita ſuffectus eſt *Panolbius*, qui Athanaſium Perrhenſem variorum criminum à clericis ſuis accuſatum & quum ſæpe vocatus eſſet, judicio ſe ſiſtere detrectantem, in provinciæ ſuæ concilio epiſcopatu dejecit. Quod eo tempore geſtum eſt, quo Cyrillus adhuc Alexandrinæ, & Proclus Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præerant; quippe quorum opem, Domno Patriarchatum Antiochenum gerente, Athanaſius imploraverit, quæ aperta fiunt ex mutuis Cyrilli Proclique epiſtolis, nec-non actis ſynodi Antiochenæ ſub Domno, quæ relecta ſunt act. 14. concil. Chalced. Obiit porro Cyrillus anno 444.

V. Joannes.

In actis concilii Antiocheni ſub Domno habiti, de Athanaſii Perrhenſis cauſa, frequens eſt mentio *Joannis* metropolitæ Hierapolis, ac Patres qui aderant omnes pronuntiarunt, oportere alterum pro Athanaſio à Joanne metropolita Hierapolis quam primum ordinari. Quod tamen non niſi à Stephano Joannis ſucceſſore patratum eſſe conſtat, ex libello Sabiniani qui Athanaſio ſuffectus fuit, ad Imperatores, quem exhibent quoque acta ſynodi Chalcedonenſis. ἐγχειριϑείσης μοι κατὰ κανόνας τῆς Περρηνῶν ἐκκλησίας διὰ τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου καὶ μητροπολίτου ἡμῶν Στεφάνου. A *Credita mihi ſecundum canones Perrhenorum eccleſia per ſanctiſſimum epiſcopum & metropolitam Stephanum.*

VI. Stephanus II.

Joannem itaque *Stephanus* excepit, Sabiniani Perrhenſis ordinator, anno 446. qui poſt biennium ſynodo alteri Antiochenæ adfuit, in cauſa Ibæ Edeſſeni. Nam quum nomen ejus è Græcis ſubſcriptionibus exciderit, in Latinis ſupereſt, *Stephanus epiſcopus Hierapolitanus, hæc interloquutus ſum.* In B libello Samuëlis & aliorum preſbyterorum Edeſſæ ad Photium Tyri, cui Theodoſius Imp. inquirenda commiſerat, quæ ad Ibæ negotium ſpectarent, Domnus archiepiſcopus Antiochenus *Hierapolim veniſſe* dicitur, *ut Dominum Stephanum religioſiſſimum epiſcopum inthronizaret*, παραγίνεται εἰς Ἱεράπολιν εἰς τὸν ἐνθρονιασμὸν τοῦ κυροῦ Στεφάνου τοῦ θεοσεβεστάτου ἐπισκόπου. Subinde Stephanus ad Chalcedonenſe concilium profectus eſt, cujus decretis ſubſcripſit act. præſertim 6. pro ſe & abſentibus epiſcopis qui ſub ipſo conſtituti erant. C Anno 456. ad eum, ut ad metropolitas reliquos Leo Imp. ſcripſit de nece S. Proterii Alexandrini. Imperatori ſynodicam ſuæ provinciæ miſit, qua facinus atrox deteſtabantur, & Chalcedonenſe concilium confirmabant. Synodali demum decreto Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis ſubſcriptus legitur Στέφανος ἐπίσκοπος μητροπόλεως Ἱεραπόλεως Εὐφρατησίας, *Stephanus epiſcopus metropolis Hierapolis Euphratenſis.*

VII. Cyrus.

D Theophanes ejuſque adeo interpres Latinus Anaſtaſius bibliothecarius, ad annum 10. Zenonis Auguſti, narrant, Imperatorem hunc Petro Cnapheo ſuggerente epiſcopos complures orthodoxos ſedibus ſuis ejeciſſe, obtentu impenſi neſcio cujus erga tyrannos favoris; revera autem, quod Henoticum ſuum decretum admittere noluerant, in quibus Neſtorem Tarſenſem, *Cyrum Hierapolitanum*, Κῦρον Ἱεραπόλεως, &c. Id quod plane ante annum 13. Zenonis accidiſſe oportet, quo Cnapheus ille periit.

VIII. Philoxenus.

E Qui Xenaias prius vocabatur, genere Perſa, fortuna ſervus, Satanæ mancipium, ſuperſtitione Manichæus, qui à domino ſuo Calandione Antiocheno fugiens, in pagis Antiochiæ vicinis verſabatur, clericum, etſi baptiſmo nondum expiatus erat, ſe fingens, hic à Petro illo Fullone, qui tertia vice Antiochenam ſedem anno 485. occupaverat,

Hierapolis

Digitized by Google

Hierapolis eſt metropolita conſtitutus, *Philoxenuſque* vocatus. Hæc Theophanes ad annum 16. Zenonis, poſt Theodorum Lectorem, qui Xenaïam à Petro illo pro Cyro Hierapolitanis datum ait, quem aliquantò poſt epiſcopi ex Perſide venientes vernam apud ſe egiſſe arguerunt, nec baptiſmo tinctum. Evagrius lib. 3. cap. 31. multa alia ex epiſtola monachorum Palæſtinæ ad Alciſonem recitat de Xenaïa, qui præ cæteris litem hanc Flaviano Antiocheno moverit, uti Diodorum, Theodorumque, Theodoretum, Ibam, Eutherium, Cyrum, Joannem Ægæotam, & alios, nec omiſſo Chalcedonenſi concilio damnaret. Atqui Flavianus hic II. Antiochenus anno 496. Palladio ſucceſſerat, & anno 510. Anaſtaſio Imp. Petram relegatus fuit. Philoxenus vero ab Anaſtaſio Imperat. Conſtantinopolim anno 507. accerſitus fuit. In Sidonenſi ſubinde conciliabulo primas tenuit anno 509. Anno vero 518. à Juſtino Imp. in exilium pulſus fuit, ex Dionyſii Patriarchæ Jacobitarum Chronico. Legenda quæ de eo congeſſit Aſſemanus to. 2. Bibl. Orient. p. 10. & ſeqq. Nec vero hîc omittam à Syris auctoribus ei adſcribi tranſlationem primam librorum Novi Teſtamenti è Syriaco in Græcum ſermonem, velut etiam to. 2. pag. 23. 91. & 334.

IX. Theodorus.

Inter Patres ſynodi quintæ generalis ſedit & ſubſcripſit *Theodorus epiſcopus Hierapolis Syriæ.*

X. Stephanus II.

Evagrius lib. 6. cap. 20. auctor eſt *Stephanum* Hierapolis Syriæ Euphratenſis epiſcopum ſcriptis conſignaſſe vitam & martyrium S. Golanduch Perſæ, qui ſub Choſroë I. Perſarum rege, Juſtiniani vel Juſtini junioris temporibus paſſus eſt; quanquam Evagrius Stephanum primum ſeu anteriorem Hierapolis epiſcopum dicit, ὁ πρότερος ἐπίσκοπος Ἱεραπόλεως, ut alterum ejuſdem nominis poſteriorem exſtitiſſe videatur innuere.

II. ECCLESIA CYRRHI.

CYRUS, ſeu *Cyrrhus* potius aut Cyrrhum, neutrius generis vocabulo, ut apud Plinium alioſque veteres fertur, caput Cyrrheſticæ regionis, quæ ab illa nomen habet, Euphratenſis Syriæ civitas, Straboni quoque, Ptolemæo aliiſque notiſſima, ut & notitiarum deſcriptoribus. Duorum dierum itinere Antiochia, Theodoreto teſte cap. 2. hiſt. relig. diſtabat. A Judæis è Babylonia regredientibus in honorem Perſarum regis Cyri fundatam fabulabantur olim, apud Procopium lib. 2. de ædific. cap. XI. Quam Juſtinianus quod urbem Reip. utilem duceret, & pro eximia ſua in SS. Coſmam & Damianum devotione, quorum corpora juxta illam condita eſſent, firmiſſimis muris munivit ampliſſimiſque ædibus ornavit, de quibus SS. Coſmæ & Damiani ſacris pignoribus prope Cyrum conditis, legendus Theodoretus epiſt. 104. In notitia veteri eccleſiaſtica Cyrrhus Ἁγιόπολις appellatur, ceu *ſanctorum civitas:* quidni propter ſanctos illos Coſmam & Damianum! De quibus Theodoretus ipſe Cyrrhi epiſcopus epiſtola ad Magiſtrum militum quæ exſtat cap. 133. ſynodici ex Tragœdia Irenæi, ſcribebat. *Grandem contra nos multitudinem congregantes, incendere minabantur ſanctorum, bonorumque victorum & athletarum Chriſti Coſmæ & Damiani baſilicam, & quod minabantur forſan opere perpetraſſent, niſi occurſum noſtrum reverita multitudo fugiſſet.* Plane Joannes Malalas ſanctos medicos Coſmam & Damianum, in Cyrrheſtica regione, ſub Carino Auguſto, quum in Perſas proficiſceretur, ab ipſorum hero vel magiſtro, qui adverſus ipſos invidia percitus erat, poſt Imperatoris diſceſſum, neci Chriſti cauſa datos perhibuit, καὶ μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τὸν αὐτὸν βασιλέα Καρῖνον ἐκ τῆς Κυρηστικῆς εἰς τὰ Περσικά, δόλῳ ὁ ἐπιστάτης τῶν ἁγίων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ, λαβὼν αὐτοὺς μετὰ τῶν ἰδίων αὐτοῦ ἀνθρώπων ἐν τοῖς ὄρεσιν ἐκρήμνισεν αὐτούς, ὡς ὄντας ἐκ τοῦ δόγματος τῶν Χριστιανῶν. Theodoretus in hiſtoria religioſa cap. XI. ubi de S. Juliano, ædem S. martyris Dionyſii Cyri extitiſſe refert. Sub Cyrrhi autem epiſcopo octingentas eccleſias fuiſſe ſcribebat idem Leoni magno Papæ: καὶ ἐν ὀκτακοσίαις ἐκκλησίαις ἔλαχον ποιμαίνειν· τοσαύτας γὰρ ἡ Κύρρου παροικίας ἔχει. Fuerunt & plurima illic quoque monaſteria.

EPISCOPI CYRRHI.

I. Syricius.

NICÆNÆ ſynodo inter Syriæ epiſcopos interfuiſſe legitur *Syricius Cyrreſtenſis* vel *à Cyro,* nec non Antiochenæ, in ſynodi hujus canonum ſubſcriptionibus.

II. Augarus.

In Seleucienſi ſynodo Georgium Arianum Alexandrinum, Acacium Cæſarienſem & alios ejuſdem factionis ſectatus eſt *Augarus epiſcopus Cyrrhi Euphratenſis,* eorumque

Digitized by Google

ECCLESIA CYRRHI.

formulæ ſubſcripſit, Αὐγαῖος ἐπίσκοπος Κύῤῥου Εὐφρατησίας.

III. Asterius.

Valente Imperatore *Aſterius*, vir ſophiſticæ artis peritiſſimus, qui Acacii Perrhenſis magiſter aliquando fuit, quum ad Arianos defeciſſet, Cyrrhi ſedem obtinuit. Quocirca Cyrrhenſis eccleſiæ presbyteri Julianum quemdam ſanctitate inſignem rogarunt, ut tanto malo remedium à Deo impetraret: cujus precibus jejuniiſque Deus annuit, ut poſt unius diei ægritudinem Aſterius è vivis excederet, audita voce iſta: *Stulte, hac nocte repetunt à te animam tuam. Quæ vero mala, retiaque, & laqueos paraſti, tua erunt, nec alteri.* Hæc ab Acacio narrata ſibi ſcripſit Theodoretus hiſt. relig. cap. 2.

IV. Isidorus.

Sub eodem Valente Imperat. Cyrrhenſi eccleſiæ *Iſidorus* datus fuit ab Euſebio Samoſatenſi, ut fert Theodoretus lib. 5. hiſt. eccl. cap. 4. Cujus nomen exſtat in catalogo epiſcoporum *provinciæ Auguſtoeuphrateſiæ*, qui ſynodo Conſtantinopolitanæ generali priori interfuerunt. Flavianum Antiochenum, qui cum aliis epiſcopis viriſque ſpectatiſſimis Marcianum Cyrrhenſem monachum inviſebat, comitatus fertur ab eodem Theodoreto cap. 3. hiſt. religioſ. Quo anno epiſcopatum inierit, ac diem obierit, in incerto eſt.

V. Theodoretus.

Iſidoro quis proxime ſucceſſerit, nullo certo teſte docemur; at *Theodoretus* Cyrrhi itidem epiſcopus epiſtola 103. quam anno 449. Leoni magno Papæ ſcribebat, teſtatur ſe vigeſimum-ſextum epiſcopatus annum egiſſe. Qua in epiſtola ſtrictim recitat, quæ pro eccleſia catholica hactenus geſſerat, quos libros ediderat. Anno itaque 423. epiſcopus fuerat conſecratus. Ea non refero quæ contra ſynodum Epheſinam & Cyrillum Alexandrinum pro Neſtorio geſſerit, unde meruerit ab Imperatore Theodoſio è diœceſis ſuæ terminis egreſſu interdici. Dicam ſolum eum ante Joannis Antiocheni & Orientalium adventum Epheſi fuiſſe, & conteſtationi epiſcoporum qui interpellarunt ne Cyrillus Alexandrinus, illis abſentibus, concilium auſpicaretur, ad hunc modum ſubſcripſiſſe: *Theodoretus epiſcopus Cyri Auguſtæ Euphrateſiæ.* A Dioſcoro Alexandrino cujus odium incurrerat, epiſcopatu privatus fuit. Quam ob cauſam Leonis patrocinium, ea quam dixi epiſtola, imploravit, cujus ſententia catholicæ communioni, ſedique reſtitutus fuit. Cæterum à Chalcedonenſi ſynodo non ante receptus in totum fuit, quam Neſtorio coram patribus anathema diſertè dixiſſet. Quod ab ipſo ſincere præſtitum exploratum habeo ex declaratione fidei quam de Trinitate & Incarnatione edidit. Hanc apud me manu exaratam habeo. Obiit, Gennadio in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis teſte, circa annum 457. Leone imperium moderante.

VI. Joannes.

Sub Baſiliſco, qui Zenoni imperium eripuerat, *Joannes* Cyrrhi epiſcopus, ſynodum in urbe ſua coegit, propter Petrum Cnapheum qui Antiochenam ſedem nuper iterum arripuerat. Liber Græcus Synodorum tomo 4. Concil. edit. Labb. col. 1151. ubi notandæ ſynodi voces iſtæ: Ἰωάννης δὲ Κύρου ἐπίσκοπος ὁ μακάριος, τὸν Κναφέα Πέτρον, καὶ πάλιν ἐν Ἀντιοχείᾳ ὁρῶν ἀθέως πολιτευόμενον, καὶ Βασιλίσκου τὸ κράτος ἐχόμενον πρὸς ἀσθένειαν, σύνοδον θείαν καὶ ἱερὰν ἐν τῇ πόλει αὐτοῦ συνεκρότησε, καὶ τὸν Κναφέα Πέτρον ἀνεθεμάτισε. *Beatus vero Joannes Cyrrhi epiſcopus, quum Petrum Fullonem Antiochiæ iterum impiè agentem, & Baſiliſci potentiam deficientem, divinam ſacramque ſynodum ſua in urbe congregavit, & Petrum Fullonem anathemate feriit.* Quæ nonnullam fuiſſe Joannis Cyrrhenſis in provinciæ Euphratenſis eccleſias auctoritatem evincunt.

VII. Sergius I.

Compertus nobis eſt *Sergius* Cyrrhi epiſcopus ex collatione 8. concilii quinti generalis, ubi narratur Sergium, Anaſtaſio Imp. defuncto, ſtatim ab inito epiſcopatu, non ſolum probaſſe quod Andronicus presbyter & Georgius diaconus antea geſſerant, Theodoreti, ceu ſancti cujuſdam imagine currui impoſita, & per urbem vecta, verum etiam in honorem ejuſdem Theodoreti, Diodori Tarſenſis, Theodori Mopſueſteni, quin & Neſtorii cujuſdam martyris, illius utique impii hæretici, collectam celebraſſe: quibus in ſynodo multorum præſulum comprobatis, ab epiſcopatu ejectus eſt, & ad mortem uſque extra ſanctam eccleſiam extorris manſit, quamlibet ſe catholicam quatuor conciliorum fidem tenere profiteretur, Neſtoriumque & ejus hæreſim ejuraret: propter cujus facinus emendandum Hypatius magiſter militum Orientis à Juſtino ſeniore miſſus eſt. Horum vero teſtes coram ſynodi quintæ patribus Diodorus archidiaconus & primicerius notariorum appellavit Theopolitanæ ſive Antiochenæ ſanctæ eccleſiæ clericos, inprimiſque Dionyſium Seleucienſem, Hermeſigenam presbyterum urbis regiæ, & Heraclium Theopolitanæ.

Digitized by Google

ECCLESIA CYRRHI.

VIII. Sergius II.

Quum Sergius ille I. Neſtorianæ verſutiæ nimium ſtudioſus eſſet, ejus in locum ſuffectus eſt *Sergius* alter, contrariæ hæreſi, Monophyſitarum ſcilicet addictiſſimus, adeoque, ut veriſimile eſt, à Severo Antiochenæ eccleſiæ tyranno. Nam Juſtino I. imp. anno 518. Sergius Cyrrhi epiſcopus, qui Chalcedonenſem ſynodum, Monophyſitarum errore re-
A probaret, in exilium pulſus eſt, Dionyſio Jacobitarum patriarcha teſte. Hic ſubinde anno 535. Juſtiniano I. Imper. præcipuus fuit Severianorum illorum epiſcoporum, quibuſcum Hypatius Epheſinus & catholici præſules alii collationem Conſtantinopoli habuere, cujus acta etiamnum exſtant.

III. ECCLESIA SAMOSATENSIS.

SAMOSATA, nomine plurali neutro, quin etiam feminino dicta civitas, ad Euphratem ſub Tauro monte poſita, *Comagenes* caput fuit Plinio. Sic Strabo: *Comagene parva regio eſt, & urbem habet natura munitam Samoſata, regni caput: nunc provincia facta eſt. Circumjacet regio, quanquam parva, fecunda tamen.* Urbem tamen maximam dicit Joſephus lib. 7. Antiq. cap. 28. Ammianus quoque Marcellinus lib. 14. cap. 8. & lib. 18. cap. 4. ſubfuiſſe tamen poſthac Hierapoli notitia Hieroclis aliaque monumenta eccleſiæ ferunt. Hodie *Sempſat* pronuntiant. Sæculo nono graſſante per Orientem Mohammedana lue, aliiſque itidem hæreſeum peſtibus, Samoſatenſis eccleſia cum Amidenſi in unam ſub uno epiſcopo coaluerat, quantum colligere fas eſt ex actis ſynodi Photianæ ſub Baſilio Imp.

EPISCOPI SAMOSATENSES.

I. Peperius.

INter Nicæni concilii patres in indice legitur *Peperius Samoſatenſis*, ut & in ſubſcriptionibus Antiocheni, quod anno 335. vel 341. celebratum ferunt.

II. Eusebius I. *Martyr.*

III. Eunomius *intruſus hæreticus.*

IV. Lucius *item intruſus.*

Anno 361. epiſcopatum Samoſatenſem *Euſebius* gerebat, quo partes ſuas habuit in promovendo Meletio ad Antiochenam ſedem; quippe electionis ejus decretum tam qui Arianicæ factionis erant, quam qui catholicæ fidei, cuſtodiendum crediderunt: ut fert Theodoretus lib. 2. hiſt. cap. 27. Anno 363. ſynodicæ concilii Antiocheni ad Jovianum Imp. de fide Conſubſtantialis ſtabilienda ſubſcripſit. Baſilium magnum ſub Valente Aug. Cæſareæ in Cappadocia epiſcopum eligi curavit, ſeſeque ambo arctiſſima caritate mutuo ſemper complexi. Anno 372. ſubſcripſit epiſtolæ Meletii Antiocheni, Baſilii & aliorum Orientis epiſcoporum ad Occidentales, quæ inter Baſilianas 69. eſt. Valentis juſſu in Thra-
EUNOMIUS. ciam relegatus eſt, eique *Eunomium* neſcio quem ſubrogaverunt, qui-cum nulla in re Samoſatenſes communicarunt, ita ut balnei aquam qua lotus erat, impuram haberent: quod in cauſa fuit cur civitate ceſſerit. Ejus
LUCIUS. loco Ariani *Lucium* ſuffecerunt, quem ob efferos mores Samoſatenſes magis averſati ſunt. Gregorius Nazianz. epiſtolam ſuam 28. ſcripſit πρὸς Εὐσέβιον ἐπίσκοπον Σαμοσατέων ἐν
B ἐξορίᾳ ὄντα, *ad Euſebium epiſcopum Samoſatenſem in exilio agentem.* Exſtant aliæ ejuſdem ad ipſum litteræ. Tandem Valente exſtincto an. 378. Euſebius, Gratiano imp. annuente, eccleſiam repetiit ſuam, eccleſiaſque vicinarum urbium & provinciarum luſtrando, epiſcopos paſſim orthodoxos ordinabat. Adfuit ſynodo alteri Antiochenæ ſub finem anni 379. cujus decretis ſtatim poſt Meletium ſubſcriptus legitur in collect. Holſteniana. Dolichen deinde in urbem Syriæ ingreſſus ut Marim epi-
C ſcopali throno imponeret, ab Ariana muliere, miſſa in caput ejus tegula, interfectus eſt. Theodoretus multa de eo habet lib. 4. c. 14. lib. 5. cap. 4. & alibi. Exſtant Baſilii & Gregorii theologi ad ipſum litteræ multæ. Memoria ejus annua in menologio Græcorum & martyrologio Latinorum recolitur die 22. Junii.

V. Antiochus.

Euſebii ſororis filius *Antiochus* Samoſatenſis poſt ipſum epiſcopus renuntiatus eſt, qui, quum catholicæ fidei amantiſſimus eſſet,
D minime permiſit, ut cum provinciæ ſuæ Euphratenſis epiſcopis aliis qui ad eum ordinandum de more convenerant, Jobianus Perrhenſis ſibi manus imponeret, ut pote qui Ariana communione pollutus fuiſſet. Hæc Theodoretus lib. 4. cap. 18. Ejus nomen legitur in indice epiſcoporum ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis primæ.

VI. * * *.

Flavianus I. Antiochenus ſynodum coegit

Digitized by Google

propter Maſſalianos hæreticos, quos in Syriæ partibus latere deprehenderat, atque cum aliis epiſcopis Byzes Seleuciæ, Marathas Sopharenorum, nec non epiſcopus *Sami*, καὶ Σάμε, leguntur ſediſſe cod. 52. biblioth. Photii. Verum pro Σάμε legendum potius duco Σαμοσάτων, *Samoſatorum*.

VII. Andreas.

Quo tempore Epheſina ſynodus coacta eſt, *Andreas* eccleſiæ Samoſatenſi præerat, ad eam tamen cum Joanne Antiocheno ſuiſque Orientalibus non acceſſit: ſed contra duodecim Cyrilli Alexandrini capitula ſeu anathematiſmos, quibus Neſtorii impietas vapulabat, calamum ſtrinxit, cujus lucubrationem Cyrillus viciſſim refellit. In collectione ex Tragœdia Irenæi cap. 43. *epiſtola eſt ſanctæ memoriæ Andreæ epiſcopi Samoſatæ ad Alexandrum epiſcopum Hierapolitanum de Rabbula epiſcopo Edeſſeno, qui ſe ab Orientali ſynodo ſeparavit.* Querebatur Rabbulam præſumere Theodorum beatum, *rectæ glorificationis* (ὀρθοδοξίας) *magiſtrum anathematizare*, & illos etiam qui volumina illius legunt, *inſuper & illa quæ ſcripſimus*, inquit, *& qui non portaverint ad combuſtionem Theodori codicem, & eos qui præter illa quæ Cyrilli ſunt, ſapiunt.* Cap. 59. altera ejus epiſtola eſt ad eumdem Alexandrum, qua Cyrillo Apollinaris alterius appellationem impingebat, adjecta ad dicti confirmationem inſomnii narratione. Aliæ demum cap. 62. & 63. aliæque rurſus viciſſim ad ipſum, quibus ejus pro Neſtorio pertinacia efferebatur. Anno vero 432. concilio interfuit Antiocheno, in quo de pace cum Cyrillo ineunda tractatum eſt. Qua ſancita nihilominus Andreas ad ſynodum quam Alexander metropolita ſuus ad illam impugnandam apud Zeugma oppidum cogebat, ſe venturum promiſit, anno nimirum 433. Cæterum ille qui tot eas epiſtolas ex collectione Irenæi excerpſit, cap. 187. ubi Hypomneſticon viſitur Joannis Antiocheni ad clerum Hierapolitanum, quo ſignificabat optimos ex Deo amantiſſimis epiſcopis ad Alexandrum à ſe deſtinatos, qui eum commovere poſſent, ne infeſtaret eccleſiaſticam pacem quam Deus orbi præter ſpem largitus erat, addit: *Quod per nullum epiſcoporum fecit Joannes niſi per Theodoretum & Andream.* Inſuper inter obſtinatiores Neſtorii patronos, in quos Imperator animadvertit, minime cenſentur, c. 190. Quinimo c. 109. Maximinus Anazarbi Alexandro Hierapolis ſcribit, ſe multo ſtupore affectum, ubi ex ſanctitatis ipſius litteris comperit, *illum qui eſt Germaniciæ* (Joannes) *& eum qui eſt Samoſatenorum* (Andreas) *ſemetipſos abrupiſſe à ſancto ejus concilio* quod Zeugmati celebraverat. Cap. 106. Andreas ipſe ad œconomos eccleſiæ Hierapolitanæ poſt allatam Alexandria epiſtolam communionis ſcribens: *Ego*, aiebat, *& amplector pacem, & omnibus ubique ſanctiſſimis epiſcopis communico, & ſanctiſſimo epiſcopo Sixto, & Cyrillo, & Maximiano, & Rabbulæ, & Melitinenſi, & omnibus Ponticis*, & catholicam fidem profeſſus ſe pacis tenaciſſimum fore declarat.

VIII. Rufinus.

Prædatoriæ ſynodo Epheſinæ interfuit *Rufinus epiſcopus Samoſatenſis*, cujus decretis aſſenſus eſt: quod facinus poſt biennium emendavit in ſynodo Chalcedonenſi, ejus definitionibus ſubſcribens. Ῥουφῖνος ἐπίσκοπος Σαμοσάτων.

IX. Eusebius II.

Euſebius Samoſatorum ex epiſcopis illis fuit, quos Zeno Imperator Cnapheo inſtigante, eccleſiis ſuis expulit, obtentu quidem quod tyrannis faviſſent, re tamen ipſa quod Henoticon edictum reſpuerent. Theoph. ad annum 16. Zenonis.

X. Abraham I.

In ſynodo Photiana quæ ſub Baſilio Imp. & Joanne VIII. habita eſt, act. 4. *Abrahami* Amideni & Samoſatenſis, epiſtola ſeu vera, ſeu fictitia ad Photium lecta eſt, qua ei gratulabatur de reſtitutione in Byzantinam ſedem, & Hieroſolymitani Patriarchæ mortem nuntiabat. De eo rurſum in eccleſia Amidæ.

XI. Abraham II.

Anno mundi 6450. ſeu Chriſti 942. Conſtantinus Porphyrogennetus Imp. pacem cum Amira Edeſſeno compoſuit, ea lege, ut quam flagitabat Chriſti imaginem & epiſtolam ad Abgarum regem quæ Edeſſæ ſervabantur, ſibi mitteret, & Ἀβραάμιον τὸν θεοφιλῆ τοῦ Σαμοσάτου ἐπίσκοπον, *Abraamium Samoſati epiſcopum*, tunc Byzantii agentem deſignavit qui illas reciperet, & ad ſe deferret. Conſtant. Porphyr. de imag. Edeſſena.

Digitized by Google

IV.

ECCLESIA DOLICHES.

DOLICHE provinciæ Euphratenſis oppidum, cujus meminere Ptolemæus & Antoninus in Itinerario, à quibus circa Zeugma ponitur. Hoc habent etiam notitiæ Hieroclis & Græca vetus, quod exiguum fuiſſe teſtis eſt Theodoretus lib. 5. hiſt. cap. 4. πολίχνη δὲ αὕτη σμικρά.

EPISCOPI DOLICHES.

I. Archelaus.

IN ſynodi Nicænæ Patrum indice legitur *Archelaus Dolichenus*, & in ſubſcriptionibus Antiochenæ anno 341.

II. Olympius.

Epiſtolæ epiſcoporum Arianorum qui è Sardicenſi ſynodo Philippopolim ſeceſſerunt, poſt Stephanum ab Antiochia ſubſcriptus legitur *Olympius epiſcopus à Dolicheas*, ſive *à Doliche*.

III. Cyrion.

In Seleucienſi ſynodo, Georgio Alexandrino, Acacio Cæſarienſi, aliiſque Arianis ſe dedidit, illorum inſuper formulæ fidei ſubſcribens, Κυρίων ἐπίσκοπος Δολίχης, *Cyrion epiſcopus Doliches*. Epiphan. hær. 73. n. 26.

IV. Maris.

Ab Euſebio Samoſatorum epiſcopo ordinatus fuit *Maris*, quo tempore ab exilio reverſus ille, Orientis eccleſias, Valente mortuo, luſtrabat, per civitates orthodoxos præſules conſtituens. Quum autem ad Marim in epiſcopali ſede collocandum, Dolichen veniſſet, in ipſo urbis ingreſſu Ariana mulier, tegula in caput ejus dejecta, ipſum vulneratum interfecit. Interim Maris Doliches epiſcopatum geſſit, quem Theodoretus virum omni laude dignum, variis virtutum ornamentis præditum tradit, ἀξιέπαινον ὄντα, καὶ πολλοῖς εἴδεσιν ἀρετῶν ἠγλαϊσμένον. Cenſetur inter Conſtantinopolitani concilii Patres *Maris Dolichenſis*.

V. Abibus.

Dolichenſem ſedem *Abibus* tenebat circa tempora ſynodi Epheſinæ, ad quam tamen propter graviorem ætatem non venit, ſed Neſtorii partes obſtinatiſſime alioqui propugnavit, ut ejus libello conſtat quem ad Alexandrum Hierapolitanum, Theodoretum, & alios ſcripſit, quique refertur c. 134. collect. ex Tragœdia Irenæi, nec non ex epiſtola quæ ſubjungitur Alexandri, Theodoreti, Abibi, & aliorum Euphratenſis provinciæ epiſcoporum ad Auguſtas. Demum, quum à pertinacia non deſciſceret, epiſcopatu ejectus eſt, ut fertur cap. 190. ejuſdem collectionis, *Abibus* A *Dolichii, quo ejecto ab eccleſia, alter ordinatus eſt*, à Joanne Antiocheno ſcilicet. Abibum grandævum fuiſſe, quando in ipſum animadverſum eſt, epiſt. 132. Theodoretus ſignificat, cujus voces mox recitabo.

VI. Athanasius.

Abibo ſuffectus fuit *Athanaſius*, à quo preſbyter erat ordinatus, & Dolichenſis eccleſiæ œconomus factus, quem à Joanne Antiocheno, non à metropolita Hierapolitano conſecratum Theodoretus carpit epi- B ſtola ad magnificentiſſimum magiſtrum militum, quæ exſtat cap. 133. ſynodici. *Expoſcat ab eis*, inquit, *magnificentia tua pro impietate commiſſa in ſanctiſſimum Abibum epiſcopum, quem nobis ejecerunt ſemivivum, nec finem vitæ in lectulo expectare permittentes, qui nec libellos refractarios dedit, neque delirus eſt factus, nec perdidit intellectum, ſicut mentiuntur. Nonne perquam optimè à communione eorum nos ipſos abſcidimus! Sed juſti judicis judicium formidantes. Scimus namque ſubtiliter Athanaſii vitam. Deprehenſus eſt enim & apud nos in* C *xeneona turpiter vivens, & vivunt adhuc ex eis qui eum detexerunt multi, & teſtimonio digni. Sed & in regia urbe multos habet, qui conſpexerunt ejus illecebras, præfectianos, magiſtrianos, & publicos civitatis, quorum teſtimonia in ſcripto nos legimus, & qui eum conſecravit illicite*, Joannes ſcilicet Antiochenus. Similia dixit epiſtola altera quæ exſtat cap. 128. *Quæ ei concedit regula*, inquit, *ut in aliena parochia conſecret! Et Marinianum Deo amabilitas tua plus omnibus novit, & de Athanaſio clariſſime audis. Unde cognoſcat religioſitas tua, quod* D *à communione talia præſumentis nos ipſos abſcidimus, timentes judicium Dei.* Cæterum Athanaſius, ſexcentis ſacramentis, dato etiam libello coram multis teſtibus promiſerat, ſe Dolichenſis eccleſiæ regimen non ſuſcepturum, ſuperſtite in vivis Abibo. Sed promiſſis non ſtetit, nec patris ſenium miſeratus, nec menſæ communionem reveritus, tanquam tyrannus Dolichium apprehendit. Quæ quidem repetit iterum epiſtola altera Magiſtro militum data, quæ habetur itidem cap. 133.

Digitized by Google

ECCLESIA DOLICHES.

VII. Timotheus.

Synodo Antiochenæ in qua de Athanaſio A Perrhenſi actum eſt *Timotheus* epiſcopus Δολίχης *Doliches* interfuit, ut geſta ſynodi ferunt, quæ lecta ſunt act. 14. concilii Chalcedonenſis. Inter patres ejuſdem Chalcedonenſis concilii ſedit & ſubſcripſit actione 6. Τιμόθεος ἐπίσκοπος Δολίχης, *Timotheus epiſcopus Doliches;* ſubinde rurſum decreto Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis. Tempore ſynodi ſpuriæ Epheſinæ ſecundæ, amicas ab eo litteras Theodoretus accepit, cui reſcripſit epiſtolam ſuam 130. inſerta orthodoxæ de Incarnatione fidei expoſitione, quam ille poſtulaverat.

VIII. Philoxenus.

Epiſcoporum Severianorum, quibus celebris collatio Conſtantinopoli Juſtiniano Imp. anno 532. vel 533. habita eſt, unus erat *Philoxenus* epiſcopus Doliches, qui veritate victus, ejurato errore, catholicam communionem amplexus eſt, aliis in hæreſi perſeverantibus. A Severo, quo tempore Antiochenam ſedem Anaſtaſio Imp. tenebat, ordinatus fuiſſe Philoxenus videtur, ſed Doliche pulſus ſub Juſtino ſeniore. Philoxeni Hierapolitani ex ſorore nepos dicitur à Gregorio Bar-hebræo. *Aſſemanus tom. 2. Bibliotheca Orient. pag. 327.*

V. ECCLESIA GERMANICIÆ.

GERMANICIA ad Amanum montem poſita, Ptolemæo teſte, *in loco,* ait Theodoretus lib. 2. cap. 25. *quo Syrorum & Cappadocum fines terminantur, ſubjecta autem dinoni Euphratenſis provinciæ,* quæ infauſti Neſtorii infelix patria fuit. Hanc perinde Hierocles habet, vetuſque notitia.

EPISCOPI GERMANICIÆ.

I. Salomon.

IN indice Patrum ſynodi Nicænæ legitur B *Salomon Germaniciæ,* imo & inter ſubſcriptiones canonum Ancyranæ & Neocæſarienſis, *Salaninus,* vel *Salamenus Germaniciæ Syriæ Cæles* dicitur.

II. Eudoxius.

Eudoxius Arabiſſi in Armenia minori natus, Cæſario martyre parente, ſi Philoſtorgio lib. 2. n. 15. credimus, Luciani quoque martyris diſcipulus, Arianæ hæreſi nomen dedit, atque ab Euſebianis ſtatim poſt ejectum Antiochia Euſtathium Germaniciæ epi- B ſcopus eſt creatus, ut fert Athanaſius epiſt. ad Solitarios. Qui in ſubſcriptionibus epiſtolæ encyclicæ conventus Arianorum Philippopolitani legitur, *Eudoſius epiſcopus à Germanici,* emendandum *Eudoxius epiſcopus à Germanicia.* Cum Martyrio & Macedonio formulam fidei condidit, quæ ob prolixitatem μακρόστιχος dicta eſt, quamque Occidentis epiſcopi ad ſe miſſam rejecerunt. Sozomenus lib. 3. cap. 11. At certe eodem Sozomeno teſte cap. 13. inter Chriſtianorum doctiſſimos cum aliis quibuſdam de catholico grege C cenſebatur. Quum Conſtantinopoli ageret, accepto Leontii Antiocheni obitu, Conſtantio Imper. annuente nulla mora profectus, ejus ſedem occupavit, tum deinceps Conſtantinopolitanam.

III. Stephanus.

Germaniciæ epiſcopus ordinatus eſt à Meletio Antiocheno *Stephanus,* qui Joanni Apameæ in his quæ ad veram fidem aſſerendam ſpectarent, ſe ſocium dediderat, vir multiplici nomine laudatus. Ubi nempe Meletius Germaniciam ab Eudoxio Ariana labe pollutam vidit, Stephanum ut pote humanis diviniſque litteris ab ineunte ætate inſtructum, illuc ad morbum curandum miſit: cujus non vana ſpes fuit, nam ejus doctrinæ ſtudio lupi in oves erant mutati. Theodoretus lib. 5. cap. 4.

IV. Joannes.

Tempore quo Neſtoriana impietas prodiit, ſedebat Germaniciæ *Joannes,* qui ad ſynodum Epheſinam non venit, erga hæreticum nonnihil propenſior. In collectione ex Tragœdia Irenæi cap. 105. ad ipſum epiſtola eſt Alexandri Hierapolitani, qua declarabat *ſe decies mille mortes* excepturum potius, quam cum Cyrillo communicaret. Cæterum quum Alexander provinciæ ſuæ ſynodum coëgiſſet, ut initæ Antiochenam inter & Alexandrinam, imo catholicam eccleſiam concordiæ obſiſteret, ab eo Andreas Samoſatenſis & Joannes Germaniciæ receſſerunt. Quorum defectionem mœret Maximinus Anazarbi epiſtola ad Alexandrum cap. 109. Exſtant epiſtolæ tres Theodoreti eidem Joanni Germaniciæ epiſcopo, qui ſubinde Chalcedonenſi ſynodo quum adeſſet, ejus decretis, ut

Digitized by Google

epiſtolæ S. Leonis ad Flavianum ſubſcripſit. In primis verò act. 8. paulo duriùs cum ipſo actum eſt, ac tanquam homo hæreſis ſuſpectus, anathema Neſtorio diſerte dicere juſſus eſt, quod ultro præſtitit. Ejus quoque nomen legitur in ſubſcriptionibus decreti ſynodici Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis, quod anno 459. datum fertur.

V. Thomas.

Germaniciæ epiſcopus *Thomas* dicitur, de Severianorum grege qui cum quinque ejuſdem hæreſis præſulibus collationem habuit ſub Juſtiniano in urbe regia cum Hypatio A Epheſino duobuſque aliis, anno 533. Jam pridem vero, hoc eſt anno 518. Germanicia, in exilium pulſus erat à Juſtino I. Imp. quod hæreſim ejurare noluiſſet, ut Dionyſius Jacobitarum Patriarcha teſtatur. Ad eum Severus epiſtolas ſcripſit, quarum fragmenta paſſim in catenis Græcis occurrunt. Editam ab eo liturgiam ſacram ſervant Jacobitæ in Miſſali ſuo, cujus Fauſtus Naïronus in Enoplia meminit; Latinam vero fecit ediditque vir undequaque doctus Euſebius Renaudot, cum multis aliis Orientalium.

VI. ECCLESIA ZEUGMATIS.

Zeugma oppidum Euphrati impoſitum, quo loco Xerxes Perſarum rex flumen juncto ex navigiis ponte trajecit, unde illi nomen *Ζεῦγμα* quod juncturam ſignificat. Quod Theodoretus in hiſtoria religioſa cap. 5. perhibet, ubi de Publio monacho, qui Zeugmate oriundus erat. Quanquam Romani ſcriptores Plinius lib. 34. c. 15. & Dio Caſſius lib. 11. pag. 128. Zeugma dictum ferunt ab eo quod Alexander magnus illic Euphratem trajecerit, quod Arianus lib. 3. Thapſaci contigiſſe prodit. At certe conſuetus, Strabone teſte, Romanis erat Euphratis trajectus. ἐνταῦθα δὲ νῦν ἐστὶ τὸ Ζεῦγμα τοῦ Εὐφράτου, *Zeugma Plinio 72. paſſuum à Samoſatis diſtabat, tranſitu Euphratis nobile.* In notitiis Euphratenſis provinciæ cenſetur, quod Procopius à Juſtiniano Imp. inſtauratum dixit lib. 2. de ædif. cap. 9.

EPISCOPI ZEUGMATIS.

I. Bassus.

In indice Patrum Nicænorum legitur *Baſſus Zeugmatites;* quin etiam in ſubſcriptionibus Antiochenæ ſynodi.

II. Antonius.

Inter epiſcopos Arianicæ factionis qui Philippopolim à Sardicenſi ſynodo ſecedentes, epiſtolæ encyclicæ ſubſcripſerunt, legitur quoque *Antonius epiſcopus à Zeumate;* emendandum *à Zeugmate.*

III. Sabinianus.

Sabinianus ſubſcriptus reperitur epiſtolæ ſynodi alterius Antiochenæ ad Jovianum Imp. annò 363. *Σαβινιανὸς Ζεύγματος, Sabinianus Zeugmatis.* Socrat. lib. 3. cap. 25.

IV. Aphthonius.

Zeugmatis civitatis epiſcopus fuit *Aphthonius* ſæculo quarto labente, qui monachus primum egerat in cœnobio ſancti Publii, quo defuncto monaſterii regimen accepit cum Theotecno monacho altero, ita ut Theotecnus eorum qui græcè loquerentur curam gereret, eorum vero qui ſyriacè, Aphthonius, ambo vivæ columnæ & imagines virtutis ſancti Publii. Aphthonius poſtquam chorum hunc quadraginta annos rexerat, in pontificem aſſumptus eſt, utique Zeugmatis, quo in munere nec pelliceam veſtem, nec tuni- B cam caprinis filis textam mutavit. Theodoretus hiſt. relig. cap. 5. in Publio.

V. Heliades.

Ad Epheſinam ſynodum *Heliades* Zeugmatis venit cum Joanne Antiocheno, aliiſque Orientalibus, quorum variis adverſus Cyrillum Alexandrinum & legitimum concilium decretis & litteris ſubſcripſit, viciſſimque meruit, perinde atque erroris ſui ſocii, catholica communione privari. Adſuit ſynodo provinciæ Euphratenſis, quam Alexander C Hierapolitanus coegit anno elapſo à ſancita Antiochenam inter & Alexandrinam eccleſiam pace: in quo conventu Neſtorii cauſam tueri non dubitarunt. Quorum ſynodica ad epiſcopos Syriæ, ſecundæ Ciliciæ & ſecundæ Cappadociæ edita eſt cap. 129. collectionis ex Tragœdia Irenæi. Huic Alexander ſolus ſubſcriptus legitur ad hunc modum: *Ego vero Alexander, qui veſtram ſanctitatem ſaluto, ultra annum jam, ſicut noſtis, habeo quod poſt adventum domini Pauli* (Emiſeni) *memetipſum à communione Antiocheni ſejunxi.* D Idem de Heliade & aliis qui aderant, cenſendum venit. Cæterum Heliades in errore diutius perſeveraſſe non videtur, quippe c. 190. non numeratur inter epiſcopos qui ob ſuam in Neſtorio defendendo pertinaciam, eccleſiis ſuis ejecti ſunt.

Digitized by Google

ECCLESIA ZEUGMATIS.

VI. Evorcius.

Concilio Antioc. in quo de Iba Edeſſeno primùm tractatum fuit, aderat ſubſcripſitque Εὔορκιος ἐπίσκοπος Ζεύγματος, *Evorcius epiſcopus Zeugmatis,* qui in codicibus latinis *Evolcius* dicitur. Vide act. 10. concilii Chalcedonenſis, cui & ipſe interfuit & ſubſcripſit, act. præſertim 6. Εὔολκιος ἐπίσκοπος Ζεύγματος, A *Evolcius epiſcopus Zeugmatis,* & alibi paſſim Εὔολκιος, *Evolcius* perinde nominatur.

VII. Julianus.

Adſuit ſubſcripſitque ſynodo quintæ generali anno 553. ſub Juſtiniano Aug. *Julianus miſericordia Dei epiſcopus Zeugmatis.*

VII.

ECCLESIA PERRHÆ.

Perrha in notitiis Hieroclis & Græca veteri provinciæ Euphratenſis civitas eſt, quam Strabo & Plinius neſciviſſe videntur; at non Ptolemæus, cui in Cyrrheſtica ponitur Γέῤῥη *Gerrhe,* librariorum plane facili lapſu, pro Πέῤῥη *Perrhe.* In Itinerario Antonini, Samoſatis 24. milliariibus diſtat.

EPISCOPI PERRHENSES.

I. Jobinus.

Constantinopolitanæ ſynodi primæ generalis patribus accenſetur inter epiſcopos Euphrateſiæ provinciæ, *Jobinus Pellenſis,* legendum omnino *Perrhenſis.* Cujus exſtat ad Baſilium epiſtola, ut & Baſilii ad ipſum amantiſſima, Ἰωβίνῳ ἐπισκόπῳ Πέῤῥης *Jobino epiſcopo Perrhes.* Ita ferunt codices Mſſ. non Κέῤῥης, ut edita, aut Πέργης. Hic aliquando Arianis adhæſerat: unde quum ad Antiochum Samoſatenſem ordinandum cum aliis de eadem C provincia acceſſiſſet, paſſus ille non eſt à Jobino ſibi manus imponi, quod jam in Antiocho obſervatum eſt, ex Theodoreto lib. 4. hiſt. eccl. c. 14. Cæterum ſub Valente Imp. unus fuit Orientalium epiſcoporum, qui pro recta fide tuenda ad Romanum & Occidentales ſcripſerunt, quorum epiſt. 69. eſt inter Baſilianas.

II. Athanasius.

Celebris eſt ac ſane famoſus *Athanaſius* ille Perrhenſis epiſcopus, propter quem, quum D criminum multorum reus ageretur, Domnus Patriarcha concilium Antiochiæ coegit, in quo ille ad ordinem redactus fuit, quum vadimonium deſeruiſſet; cujus ſynodi acta in Chalcedonenſi relecta ſunt act. 14. Domnique judicium confirmatum, niſi Athanaſius intra menſes octo à criminibus objectis ſeſe coram Maximo Antiocheno ejuſque ſynodo purgaret. Sibi nimirum injuriam à provinciæ ſuæ præſulibus irrogatam cauſatus jam ante E fuerat in ſynodo Conſtantinopolitana, cui Proclus præſidebat; imo & apud Cyrillum Alexandrinum, quod utriuſque Procli & Cyrilli litteris quæ Chalcedone lectæ ſunt, ſignificabatur. Cæterum quum à Dioſcoro Alexandrino in Epheſina ſynodo deprædatoria reſtitutus eſſet, nihilominus Chalcedonenſis B concilii definitionibus actione 6. ſubſcriptus reperitur.

III. Sabinianus.

Athanaſio Antiocheni concilii ſententia deſtituto, *Sabinianus* ejus loco ſuffectus & ordinatus fuit à Stephano Hierapolitano. Quia vero Dioſcorus Athanaſium, ut dictum eſt, reſtituerat, ſede cedere Sabinianus coactus fuit. Quocirca ad concilium Chalcedonenſe veniens, dato ad Imperatores libello, queſtus C eſt ſe credita ſibi à Stephano metropolita ſuo eccleſia Perrhenorum ejectum Dioſcori Alexandrini auctoritate, ſeu tyrannide potius, introducto in illam Athanaſio, viro qui in Antiochenorum ſplendidiſſima civitate à multis amantiſſimis Dei epiſcopis depoſitus erat. Quocirca actione 14. ſynodi Chalcedonenſis proceres collectis patrum ſuffragiis pronuntiarunt: *Sabinianus reverentiſſimus epiſcopus, quoniam poſt depoſitionem Athanaſii reverentiſſimi ordinatus eſt à provinciali concilio in Perrhenorum civitatis epiſcopatu, ſicut nos perſpi-* D *cimus, manere debet .... Athanaſius vero depoſitus, tanquam evocationibus non obaudiens, poſt ea verò ex una parte à Dioſcoro epiſcopatum tenere juſſus, interim debet quieſcere.* Addiderunt vero Athanaſii cauſam oportere iterum à Maximino Antiocheno ejuſque ſynodo intra menſes octo judicari, ut ſi inſons comperiatur, epiſcopatum recipiat; interim Sabinianus epiſcopatus honorem ſervet, ſed infra Athanaſium, & ei de facultatibus eccle- E ſiæ provideatur. Athanaſii cauſam inſtauratam nuſquam legimus.

IV. Gamalinus.

Imperante Byzantinis Anaſtaſio, & Severo hæretico Antiochenam ſedem occupante, ejuſdem ſectæ Perrhorum ſeu Perrharum epiſcopus erat *Gamalinus,* qui cum Paulo Edeſſeno

Digitized by Google

Edeſſeno monachos quoſdam ſimulatores, qui ceu panem non ederent, nec aquam nec vinum biberent, conſecratis panibus ſæpe per diem veſcebantur, & calice pleno vivifici ſanguinis aqua ferventi miſto reficiebantur, uti par erat, exagitavit. Quæ Joſephus Simonius Aſſemanus Maronita in Bibliotheca Orientali tom. 1. pag. 409. refert ex Chron. Dionyſii Jacobitarum Patriarchæ & Joannis Aſiæ epiſcopi, qui Juſtiniano, inquit, imperatore ſcribebat.

ECCLESIA PERRHÆ.

V. Eustathius.

Gamalino utique ſucceſſit *Euſtathius* epiſcopus Perrhæ, quem Juſtinus I. Imper. ob Severi hæreſim, quam mordicus tenebat, ab ea procul abegit anno 513. *Aſſemanus diſſert. de Monophyſ. ex Dionyſii Patriarchæ Chronico.*

VIII. ECCLESIA EUROPI.

EUROPUM oppidum Plinius in Syria ponit, ut & *Thapſacum quondam*, ait, *nunc Amphipolis*. Ptolemæus ad Euphratem, notitiæ ambæ in provincia Euphratenſi. Quocirca Procopius lib. 2. de ædific. c. 9. Εὔρωπον Εὐφρατησίας φρούριον, *Europum Euphratenſis caſtrum* à Juſtiniano munitum refert.

EPISCOPI EUROPI.

I. David.

IN ſynodo Chalcedonenſi act. 6. Stephanus Hierapolis metropolita pro ſe & epiſcopis ſub ſe conſtitutis abſentibus ſubſcripſit, in quibus Uranius Surorum, Maras Urimorum, *David civitatis Europi*, Δαβὶδ πόλεως Εὐρώπου. Qui proinde David ille eſt, qui in ſynodo Hierapolitana, Alexandro Hierapolis præſide, initæ inter Cyrillum Alexandrinum & Joannem Antiochenum communioni detraxerunt, datis ad Ciliciæ utriuſque, Cappadociæ ſecundæ & Syriæ epiſcopos litteris, in quarum inſcriptione Alexander ipſe, *Theodoretus* Cyri, *Heliades* Zeugmatis, *Abibus* Doliches, *Maras* Urimorum, *David* proinde Europi, & *Acilinus* Barbaliſſi nominantur. Ad quos utriuſque Ciliciæ epiſcopi, qui Neſtorio favebant, viciſſim reſcripſerunt. Quæ legenda in collectione ex Irenæo Tyrio c. 129. 130. 131. Cæterum à Davide Neſtorium eſſe abjectum admodum veriſimile eſt.

IX. ECCLESIA URIMORUM.

URIMA, Ptolemæo civitas eſt ad Euphratem poſita, apud quem Οὔριμα *Urema* legitur, vitio utique Librariorum qui υ pro ι ſcripſerunt, ut ſæpe fit. Sic pari vitio apud Hieroclem, Σύριμα *Surima*, unde demenda littera Σ, *S.* In veteri notitia altera, Ὀρίμων *epiſcopus Orimorum*, Euphratenſis provinciæ cenſetur, & in actis ſynodorum modo Οὐρίμα, modo Ὠρίμα, *Orima* reperi.

EPISCOPI URIMORUM.

I. Abraamius.

EPiſtolæ ſynodi Antiochenæ ad Jovianum Imp. de ſtabilienda *conſubſtantialis* doctrina ſubſcripſit Ἀβραάμιος Οὐρίμων, *Abraamius Urimorum*. Socrat. lib. 3. cap. 25.

II. Maras.

Sedebat *Maras Urimorum* in Antiocheno concilio, in quo Domno Patriarcha præſide Athanaſii Perrhenſis cauſa judicata eſt, Μάρα Οὐρίμων, quem Maram eſſe illum dixi qui in ſynodo Alexandri Hierapolitani cum Theodoreto & aliis quinque Euphratenſis provinciæ epiſcopis ſancitam nupero anno inter Cyrillum Alexandrinum & Antiochenum Joannem concordiam damnaverat, velut eorum ad Ciliciæ utriuſque, & Cappadociæ ſecundæ præſules epiſtola, reſponſoriaque harum provinciarum conſtat, quæ habentur cap. 129. 130. 131. collectionis ex ſynodico. Verum pertinaciam Maras poſtea depoſuit, quando nihil ei ab Imperatore actum eſt, ſed & pro ipſo abſente Stephanus Hierapolitanus metropolita ſubſcripſit, actione 6. concilii Chalcedonenſis, Μάρα πόλεως Οὐρίμων, *Mara civitatis Urimorum.*

III. David.

Anno Græcorum 1156. Chriſti 845. ſedebat *David Uremæ caſtri, quod apud Euphratem ſitum eſt*, ut fertur in epigraphe codicis Syriaci Nitrienſis orationum ſancti Gregorii Theologi, quam Aſſemanus Maronita recitat to. 1. Bibl. Orient. p. 171.

Digitized by Google

X. ECCLESIA NEOCÆSAREÆ.

NEOCÆSAREA, quæ in notitia Græca veteri Cæſarea Καισάρεια dumtaxat ſcribitur, à nullo ſcriptore qui Procopii ætatem anteceſſerit, memoratur, præterquam Theodoreto & in actis conciliorum. Procopius autem lib. 2. de ædif. cap. 9. Neocæſaream & Zeugma *oppida nomine tenus dumtaxat* fuiſſe ſcribit, πολίχνια μὲν ἄχρι ἐς τὸ ὄνομα ἤστην, & mœnibus maceriæ ſpeciem referentibus cincta quum eſſent, quæ facilem hoſtibus aditum darent, à Juſtiniano inſtaurata fuiſſe & munita. Ad Euphratis ripam collocatur à Theodoreto, cujus voces mox recitabo. Atqui eadem forſan fuerit, quæ Cæſara nominatur Willelmo Tyrio, aliiſque bellorum ſacrorum ſcriptoribus.

EPISCOPI NEOCÆSAREÆ.

I. PAULUS.

IN indice Latino epiſcoporum Syriæ Cœles A qui concilio Nicæno interfuerunt, *Paulus Neocæſarienſis* numeratur; nec non in Arabico Seldeni, in quo Paulus Cæſareæ novæ epiſcopus dicitur; quem certè Theodoretus lib. 1. c. 7. ad eam veniſſe ſcribit. Καὶ Παῦλος Νεοκαισαρείας, *Paulus Neocæſareæ*, (φρούριον δὲ τοῦτο τῆς τοῦ Εὐφράτου παρακείμενον ὄχθαις. *Eſt hoc quidem Caſtellum ad Euphratis littora jacens*) *quem Licinii rabies torſerat. Nam primùm ambæ illi manus vinctæ ſunt, tum ferrum candens illis admotum, quo nervi quibus articuli moventur, contracti labefactatique ſunt.* Sic B quoque Nicephorus Calliſtus Nicænæ ſynodo adfuiſſe ait Παῦλον τὸν Νεοκαισαρείας, *Paulum Neocæſareæ*, illius ſcilicet quæ ripæ Euphratis appoſita eſt, ὄχθῃ δὲ τῇ τοῦ Εὐφράτου αὕτη παράκειται. Atqui Nicephorus Theophanem Simeonemque logothetam de more exſcribebat. Addit Georgius Cæſareæ Cappadociæ preſbyter in ſua Patrum Nicænorum laudatione to. 2. Auct. Bibl. PP. *Paulum genitalibus membris igne ademtis, Licinii amentiæ ludibrium factum*, τὰ γεννητικὰ τῶν μορίων διὰ πυρὸς ἀποβαλόντα, τῆς Λικινίου μανίας γενόμενος C παίγνιον. Cæterum nomen ejus occurrit in ſubſcriptionibus Antiocheni concilii an. 341.

II. MELETIUS.

Neocæſareæ epiſcopus *Meletius* fuit tempore ſynodi Epheſinæ, contra quam cum Joanne Antiocheno ſuiſque Orientalibus pro Neſtorio ſtetit; unde communionis exſors eſt factus, quum variis illorum ſynodicis ſubſcripſiſſet, ut videre eſt c. 7. 13. & 28. collectionis ex Irenæo, ubi dicitur *Meletius epiſcopus Cæſareæ Auguſtæ Euphrateſiæ*. Ibidem cap. 128. exhibetur Theodoreti ad ipſum epiſtola adverſus pacem quam Joannes Antiochenus cum Cyrillo Alexandrino ſanciverat, deque Mariniano & Athanaſio quos Joannes pro Acilino Barbaliſſi, & Abibo Doliches epiſcopos fecerat.

III. PATRICIUS.

Synodo Chalcedonenſi interfuit *Patricius Neocæſareæ*, Πατρίκιος Νεοκαισαρείας, *Patricio Neocæſareæ civitatis Auguſtæ Euphrateſiæ*. Sic Latini codices act. 1. & 3. quin etiam in ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodi ejuſdem ad Leonem Papam, quæ exſtant in nova collectione concil. Cl. Baluz. pag. 1371. & alibi ex quibus emendandus index Patrum ejuſdem concilii, in quo poſtremus epiſcoporum provinciæ Auguſtæ Euphratenſis eſt *Ruffinus Neocæſarienſis*, poſt *Patricium Perrhenſem*; quod amanuenſium oſcitantia factum.

IV. JOANNES.

In ſynodo quinta generali ſedit & ſubſcripſit *Joannes miſericordia Dei Neocæſareæ Euphrateſiæ*.

V. STYLIANUS MAPPA.

Vix ægreque Neocæſareæ Euphratenſis epiſcopis accenſeo *Stylianum Mappam*, ſtrenuum Photii Conſtantinopolitanæ eccleſiæ tyranni adverſarium; quamlibet id in ejus aliorumque epiſcoporum Conſtantinopolitanæ diœceſis ad Stephanum Papam feratur inſcriptione Στυλιανοῦ ἐπισκόπου Νεοκαισαρείας Εὐφρατησίας, *Styliani epiſcopi Neocæſareæ Euphratenſis*. Neocæſarea Ponti Polemoniaci metropolis, & Neocæſarea Bithyniæ Byzantino præſuli ſuberant, non Euphratenſis, quæ inſuper non Romanis Imperatoribus, ſed Saracenorum Caliphis parebat.

Digitized by Google

XI. ECCLESIA BARBALISSI.

BARBALISSUM, quam notitiæ omiſerunt, Euphratenſis Syriæ oppidum fuiſſe teſtis eſt Procopius lib. 2. de ædific. cap. 19. cujus nempe ut aliarum urbium muros Juſtinianus refecit. *Parem curam dignatus eſt*, inquit, *in oppida caſtellaque omnia, in extremis Euphratenſis provinciæ finibus poſita, Barbaliſſum, Neocæſaream, Gabula, Pentacomiam, quæ eſt ad Euphratem, atque Europum*. Nulla Barbaliſſi in notitiis mentio, quæ caſtrum potius erat, quam civitas.

EPISCOPI BARBALISSI.

I. Antonius.

IN catalogo Arabico Nicænorum Patrum num. 216. legitur *Antonius Barbaleſius*, utique *Barbaliſſi* epiſcopus.

II. Aquilinus.

Barbaliſſi epiſcopum, quem Græci Ἀκιλῖνον dicunt, interpretibus Latinis eſt *Acilinus*, qui melius Latine *Aquilinus* nominandus eſt. Ex capp. 129. 130. & 131. comperimus eum Neſtorii defenſionem mordicus ſuſcepiſſe, & ex illis unum fuiſſe qui in ſynodo Hierapolitana cum Alexandro metropolita ſuo initæ B Alexandrinam inter & Antiochenam eccleſiam paci repugnarunt. Inſuper c. 190. hæc feruntur, quibus conſtat illum pertinaciam non ex toto depoſuiſſe: *Acilinus Barbaliſſi Euphrateſiæ. Hic à caſtro quidem* (Barbaliſſo ſcilicet) *fugatus eſt, dum communicare Antiocheno non acquieſceret. Poſthæc autem communicavit* A *quidem, non tamen & homicidio aſſenſit*, hoc eſt exilio Neſtorii in Oaſim, quo tandem conſumptus periit. Vir noſtro ævo doctiſſimus Tillemontius poſt Cl. Baluzium Aquilinum Barbaliſſi epiſcopatu dejectum & fugatum à Dioſcoro Alexandrino exiſtimat, eumque perperam apud Evagrium dici epiſcopum Bibli, pro Barbaliſſi.

III. Marinianus.

Duabus in epiſtolis Theodoreti, quæ Latine prodierunt in collectione ex Irenæo B cap. 128. & 133. *Marinianus* à Joanne Antiocheno, metropolita Euphratenſis provinciæ Alexandro poſthabito, ordinatus dicitur, ac certe contra regulas, ut Theodoreto tunc temporis videbatur. Atqui doctiſſimus Baluzius in ſuis ad epiſtolas illas obſervationibus, Marinianum Aquilino ſuffectum cenſuit.

XII. ECCLESIA SURORUM.

SURORUM meminit Ptolemæus, ubi de oppidis ad Euphratem poſitis, quæ Palmyræ ſubjecta erant: ſic quoque Plinius qui *prope Sura Philiſcum ſtare*, ait, *oppidum Parthorum ad Euphratem*. Procopius lib. 2. de bello Perſico cap. 6. Sura Sergiopoli, de qua mox dicetur, centum viginti-ſex ſtadiis diſparata fuiſſe prodit. Libro autem 2. de ædific. cap. 9. *Surorum oppidum ad fluvium Euphratem perinde ſtatuit*, τὸ Σούρων πόλισμα πρὸς τῷ Εὐφράτῃ ποταμῷ κείμενον, cujus mœnia labaſcentia à Juſtiniano refecta, & antemurali munita. In notitiis duabus Euphratenſis provinciæ civitas eſt.

EPISCOPI SURORUM.

I. Uranius.

STEPHANUS Hierapolis metropolita in C ſynodo Chalcedonenſi act. 6. ſubſcripſit, tam pro ſe quam pro epiſcopis ſub ſe conſtitutis abſentibus, in quibus *Uranius civitatis Surorum*, Οὐρανίου πόλεως Σούρων.

II. Marion.

Ex Dionyſio Jacobitarum Patriarcha in Chronico *Marion* Suræ vel Surorum epiſcopus, qui ſub Anaſtaſio Imperat. Monophyſiticam hæreſim profeſſus erat, à Juſtino I. in exilium pulſus eſt, quum noluiſſet eam ejurare. *Aſſemanus Maronita diſſertatione de Monophyſitis*.

III. * * *

Procopius lib. 2. de bell. Perſ. c. 6. ſcribit, *Surenorum*, Σούρων epiſcopum, cujus nomen tacuit, à civibus ad Choſroem Perſarum regem qui oppidum obſidebat, delegatum, qui ſponſo pecuniæ pretio rogaret, ut urbi ſuæ parceretur: ſed eo cum ſimulato honore reducto, Perſæ injecto in valvas lapide, ingrediuntur, domos diripiunt, civium alios trucidant, captivos alios ducunt, oppidum incendunt, & ſolo æquant.

XIII.

ECCLESIA SERGIOPOLIS.

SERGIOPOLIS in veteri notitia provinciæ Euphratenſis cenſetur, quæ à S. Sergio martyre nomen habuit, quum aliàs à Syris dicta eſſet Roſapha vel Roſiphta. Urbis hujus initia & incrementa Procopius recitat lib. 2. de ædif. cap. 3. *Templum eſt in Euphratenſi, Sergio magni nominis ſancto nuncupatum, quem adeo venerati ſunt veteres, ut locum Sergiopolim appellaverint. Muro humili illud ſepſerant, quod ſatis foret prohibendis harum partium Saracenis. Poſt donariis & ſacra ſupellectili auctum ſumme claruit. Quod reputans Juſtinianus Imp. curam eo contulit; mœnia loco præſtantiſſima circumdedit, aquæ copiam providit, immenſa ejus collecta vi in receptacula. Inſuper domos, porticus aliaque exſtruxit ædificia quibus urbes ornari ſolent: præſidium quoque militare impoſuit, quod muros, quum res poſceret, tueretur. Profecto Choſroes Perſarum rex, quum urbis capiendæ cupidus, magnis illam copiis obſediſſet, munitionis firmitate prohibitus, re infecta, obſidionem ſolvit.* Cæterum ante tempora Juſtiniani locus ille epiſcopos proprios obtinuit. Joannes ſiquidem Antiochenus archiepiſcopus, quum Alexander Hierapolitanus communionem ipſius abjeciſſet, ad martyrium ſancti Sergii, quod ſub Hierapolis erat eccleſia veniens, noviter illic ac contra morem ordinavit epiſcopum. Quocirca Alexander ille, & alii ſuæ ſynodi epiſcopi, epiſtola ad Auguſtas, quæ 135. eſt in collectione ex Irenæi Tragœdia, rogant ut ab Imperatore obtineant *baſilicam ſancti Sergii martyris ſecundum priſtinum morem ſub eccleſia eſſe hujus metropolis, uti erat antequam & magnum idipſum templum fabricatum eſt, & illi altiſſimi muri & alia extra eamdem munitionem ædificia.* Quibus poſtremis verbis apparet circa ſancti Sergii baſilicam extitiſſe pridem munitionem validam ſatis, quam Juſtinianus nonniſi inſtauraverit & auxerit.

EPISCOPI SERGIOPOLIS.

I. * * *.

PRimus Sergiopolis epiſcopus creatus eſt ab Antiocheno Joanne poſt tempora ſynodi Epheſinæ, quem Alexander Hierapolitanus in ſua quam appellavi ad Auguſtas epiſtola non nominat; queritur ſolum epiſcopum à Joanne *noviter in martyrio ſancti Sergii contra morem ordinatum, cujus nec latet iniquitas,* inquiunt, *ſed omnibus nota eſt.* Quæ ut pote ab hominibus iratis profecta, non prorſus fidem habent.

A

II. CANDIDUS.

Procopius lib. 2. de bello Perſarum capite 5. refert *Candidum* Sergiopolis epiſcopum captis à Choſroe Suris duodecim millia captivorum ea redemiſſe conditione, ut ſingulis annis duo millia librarum aurearum ſolveret; ſin vero, duplum adderet, & epiſcopatu cederet. Qui promiſſis non ſtans, quod nimiam hanc ſummam ſolvendo non eſſet, male mulctatus eſt à Choſroe, qui quum pecuniam promiſſam, & quam inſuper exigebat, tandem accepiſſet, illum ad ſuos regredi non permiſit.

III. ABRAAMIUS.

Quintæ ſynodo generali inter metropolitas ſedit atque ſubſcripſit *Abraamius Dei miſericordia epiſcopus Sergiopoleos metropolitanæ civitatis.*

XIV.

ECCLESIA MARIANOPOLIS.

MARIANOPOLIS Μαριανόπολις Euphratenſis provinciæ civitas eſt ſub Hierapoli in actis ſynodi Chalcedonenſis, quæ prorſus diſtinguenda eſt à Mariamne ſecundæ Syriæ oppido, quod Straboni, Plinio, Stephano Byzantino Phœniciæ aſſignabatur. Unde male Carolus à S. Paulo de Marianopoli ſcripſit: *Sed aliis eſt ſub Apamea, in Syria ſecunda.* Nulla tamen ejus eſt in notitiis mentio; at à Mariano quopiam nominata erit.

EPISCOPI MARIANOPOLIS.

I. COSMAS.

STEPHANUS Hierapolis metropolita act. 6. Chalcedonenſis concilii pro ſe & epiſcopis ſub ſe conſtitutis abſentibus ſubſcribens, *Coſmam civitatis Marianopolis* memoravit, Κοσμᾶ Μαριανόπολεως.

Digitized by Google

IX. PROVINCIA OSRHOENES.

I.
ECCLESIA EDESSÆ METROPOLIS.

OSRHOENE trans fluvium Euphratem poſita regio, quæ Arabia olim propter incolas ex Arabia profectos audiebat, à potiori urbium ſuarum nomen habuit, Edeſſa nimirum, quæ à fonte perlucidis undis illic fluente *Callirrhoë* vocitata fuit, & per ſyncopen *Rhoë*. Sic nempe Plinius lib. 4. c. 24. *Arabiam*, inquit, *inde læva Morcon* (lege *Orcon*) *dictam regionem triſchœna menſura, dextraque Comagenen diſterminat Euphrates .... Arabia ſupradicta habet oppida, Edeſſam, quæ quondam Antiochia dicebatur, Callirrhoen à fonte nominatam.* Edeſſa autem nuncupata fuit à Macedonibus incolis, propter Edeſſam Macedoniæ, poſtquam illa à temporibus Alexandri magni potiti ſunt; ſed & *Juſtinopolis* dicta fuit, ex quo Juſtinus I. Imp. eam exundantibus aquis everſam inſtauravit. Cæterum à priſco ſuo nomine Græco *Rhoë* à Saracenis qui illam poſthac obtinuerunt; *Ourfa* ſubinde audivit. Aſſem. to. 2. bibl. Orient. excerptum affert commentarii Syriaci S. Ephræm diaconi Edeſſeni, quo priſcum Edeſſæ nomen fuiſſe *Arach* docemur, eamque à Nemrodo conditam. *Regnavit*, inquit, *in Arach, quæ eſt Edeſſa.* Nec tacendum in Syriaco Chronico Edeſſeno primum Edeſſæ Regem *Orrhoeu* dici, à quo proinde tota regio *Oſrhoëne* nuncupata ſit. Quod etiam adſtruitur teſtimonio Procopii lib. 1. de bello Perſico cap. 17. *Edeſſa cum ipſis circa locis Oſrhoëne. Eſt enim Oſroës viri nomen qui hic regnavit ſub prioribus Imperatoribus, quando hi coloni Perſis fœderati erant.* Edeſſa autem Plinio in Arabia poſita dicitur; quum nempe magnam Tranſeuphratenſis regionis partem Arabes olim occupaſſent, dudum ante Domini adventum, imo Alexandri & Perſarum tempora. Quocirca Tacitus lib. 12. cap. 3. Arabum regem Abgarum Edeſſæ dominum fuiſſe ait, quo tempore Claudius Cæſar Romanis imperabat. Is profecto Abgarus ipſe eſt, ad quem à Juda, ſive Thoma Apoſtolo, Thaddæus ſeptuaginta Chriſti diſcipulorum unus miſſus fuit, à quo Chriſtianas leges doceretur. Quod quidem eo felici exitu factum eſt, ut Rex cum civibus ſuis nomen Chriſto dederit, altaſque ibi radices religio egerit. Id Euſebius in fine lib. 1. hiſt. eccleſ. anno à Nativitate Domini 43. contigiſſe fert, ex veteri tranſlatione Latina quam Rufinus Aquileïenſis elaboravit; necnon ex editione Roberti Stephani Græca, ut vero Henricus Valeſius in regio codice aliiſque duobus reperit, anno trecenteſimo quadrageſimo tertio, Græcorum ſcilicet τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ τρίτῳ ἔτει, qui incidit in annum 15. Tiberii Cæſaris ab Auguſti morte regnantis; cui nempe anno veteres ut plurimum eccleſiæ ſcriptores, paſſionem Domini reſurrectionemque aſſignarunt. Sed poſteriorem hanc Valeſii lectionem vix probavero, quando certum eſt Apoſtolos gentibus evangelium vix annuntiaſſe ante duodecimum à Chriſti paſſione & Aſcenſione annum. Quæ narrat ibidem Euſebius, imo & Syrorum monumenta ferunt de ſcriptis Salvatori Chriſto ab Abgaro rege, & Chriſti Abgaro regi litteris excutere non vacat, quando viri docti fere omnes has ad ſpurias amandandas cenſent. Sat ſit nobis à primæva Chriſtiani nominis ætate, Edeſſenorum eccleſiam coïviſſe, quando tertio quartoque Chriſti ſæculo cunctis ratum erat, Edeſſenos ad fidem fuiſſe converſos à Thaddæo Chriſti diſcipulo quem illuc Thomas Apoſtolus miſerat. Sed & ejuſdem Apoſtoli Thomæ corpus primis illis temporibus Edeſſæ quieſcebat, tranſlatum illuc ex India, quemdamodum Rufinus lib. 2. hiſt. eccleſ. cap. 5. teſtatur. Sanctus quoque Joannes Chryſoſtomus homil. 25. in epiſtolam ad Hebræos, quum quatuor dumtaxat Apoſtolorum ſepulcra omnibus nota eſſe aſſerat, Thomam poſtremo loco memorat, Πέτρου μὲν γὰρ καὶ Παύλου, καὶ Ἰωάννου καὶ Θωμᾶ δῆλοι οἱ τάφοι. *Sepulcra quidem Petri, Pauli, Joannis & Thomæ comperta ſunt, non item reliquorum.* Andream tacuit, cujus corpus Conſtantinopolim tranſlatum fuerat à Conſtantio Imp. quia utique non in urbe regia, ſed Antiochiæ homilias in epiſtolam ad Hebræos habuit. Ex Euſebio in Chronico ad annum 1. Macrini Imper. *Augarus vir ſanctus regnavit Edeſſæ, ut vult Africanus*, adeoque paulo poſt

Digitized by Google

tertii ſæculi initia. Eodem ſæculo labente celebris Edeſſæ ſchola erat, cujus præſes Macarius Luciani martyris præceptor fuit, ejuſque ſucceſſores rectæ fidei tenaces fuerunt ad tempus uſque Zenonis Imper. quo Neſtoriana lue labefactari cœpit. In eccleſiæ Edeſſenæ laudem maximam cedit, quod ſæculi quarti medio Julianus Auguſtus Apoſtata ad bellum Perſicum pergens, Edeſſa conſulto declinavit, quod tota Chriſtiana eſſet; ſed & omni illo tempore quo Romani Imperatores, Conſtantius & Valens Arianam impietatem ſtatuere conabantur, catholica fides Edeſſæ integra & incolumis perſeveravit.

In notitia Hieroclis & duabus aliis Oſrhoënes metropolis eſt Edeſſa, civilis & eccleſiaſtica.

EPISCOPI EDESSÆ.

I. THADDÆUS.

II. MARIS. AGIS.

Ex Euſebio, jam dictum eſt, à *Thaddæo* qui non Judas Cananæus Apoſtolus fuit, ſed è ſeptuaginta Domini diſcipulis, Abgarum Edeſſæ regem vel toparcham, ejuſque populum Chriſtianas edoctum leges fuiſſe, ut primus hujus urbis epiſcopus cenſitus ſit, eccleſiarum Syriæ & Meſopotamiæ teſtimonio. Duos addunt ejus extitiſſe diſcipulos Marim & Agim, à quibus, dum in ulteriores regiones evangelii prædicandi cauſa pergeret, in Oſrhoëne viciniſque provinciis religio propagata ſit: quorum proinde alter Edeſſenæ eccleſiæ regimen obierit.

III. BARSYMÆUS *martyr.*

Sub Trajano Imper. *Barſymæum* Edeſſæ epiſcopum ſediſſe, & Chriſti cauſa martyrem occubuiſſe perhibet Menologium Græcorum, ex quo Martyrologium Romanum ad 30. diem Januarii hæc habet: *Edeſſæ in Syria S. Barſymæi epiſcopi, qui quum Gentiles plurimos convertiſſet ad fidem, & præmiſiſſet ad coronam, eos ſequutus eſt ſub Trajano cum corona martyrii.* Ejus quoque mentio fit die 29. ejuſdem menſis, ubi de ſanctis martyribus Sarbelio & Barbea ſorore ejus, *qui à B. Barſymæo baptizati, in perſequutione Trajani ſub Lyſia præſide coronati ſunt.* Qui Græcis Βαρσυμαῖος, Latiniſque Barſymæus, Syris *Barſaumas* trito nomine dicitur. Atqui Barſymæus utique martyrium obiit quo tempore Trajanus, Euphrate trajecto, Meſopotamiam Romani juris fecit.

IV. * * *.

Concilio provinciæ Oſrhoënes in quo de ſolemnitate Paſchatis Dominica die agenda ſtatutum fuit, præerat omnino Edeſſæ metropolita, cujus nomen Euſebius omiſit.

V. CONO.

Chronicon Edeſſenum quod Joſephus Simonius Aſſemanus Maronita Romæ to. 1. Bibl. Orient. edidit, hæc habet n. 12. *Anno ſexcenteſimo vigeſimo quarto* (Græcorum ſcilicet, ſeu Æræ Seleucidarum) *jecit fundamenta eccleſiæ Edeſſenæ Cono epiſcopus;* adeoque anno Chriſti 228. Hic *Cognatus* dicitur Metaphraſtæ, ad diem 15. Novembris, ubi acta refert ſanctorum confeſſorum & martyrum Samonæ, Guriæ, Abydi & aliorum, quorum initium iſtud eſt apud Laurentium Surium: *Agebatur ſexcenteſimus annus ab imperio Alexandri Macedonis, novem autem annos jam tranſegerat Diocletianus ſceptra tenens Romana, & ſextum conſulatum obtinebat Maximianus. Abgarus autem Zoaræ filius his temporibus erat prætor, & Cognatus epiſcopus Edeſſenorum, & magna perſequutio concitabatur adverſus omnes qui erant ſub ditione Romana.* Joſue Edeſſenus in chronico Perſidis quod Aſſemanus eodem bibliothecæ ſuæ volumine edidit, cœmeterium ab eodem Conone epiſcopo nomen habuiſſe prodit p. 271.

VI. SAADES.

Pergit eodem n. 12. Chronicon Edeſſenum: *Anno ſexcenteſimo vigeſimo-quarto jecit fundamenta eccleſiæ Edeſſenæ Cono epiſcopus, & abſolvit ædificium Saades epiſcopus ejus ſucceſſor* (Cononis ſcilicet.) Sedit itaque Saades ab anno 313. ad annum 324.

VII. AITALLAHAS.

Chronicon idem. *Anno ſexcenteſimo trigeſimo quinto excitatum eſt cæmeterium Edeſſæ, diebus Aitallahæ epiſcopi, anno prius quam ſynodus Nicææ celebraretur.* Mox ſequitur: *Anno ſexcenteſimo trigeſimo quinto factus eſt Aitallahas Edeſſæ epiſcopus, qui cæmeterium, & latus eccleſiæ auſtrale ædificavit.* Epiſcopatum itaque Aitallahas iniit anno 324. qui Nicææ ſynodum præceſſit: ſed & ipſe omnino eſt, qui in ejuſdem concilii Patrum indicibus Latinis *Etholius* & *Etholicus*, pro variis codicibus, ſcribitur. Quin etiam ipſe eſt qui majori corruptela *Ætherius Edeſſenus* legitur ſubſcriptus canonibus Antiochenæ ſynodi.

VIII. ABRAHAM.

In Chronico Aitallaham excipit *Abraham*, quem obiiſſe fert *anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo*, ſive Chriſti anno 361.

IX. BARSES.

Abrahamo ſuffectus eſt *Barſes*, eodem

Digitized by Google

Chronico teſte, ex *urbe Harran Imperatoris juſſu* (Conſtantii ſcilicet, qui tunc in his par- A tibus agebat) *Edeſſam tranſlatus*, ipſo anno 672. ſeu Chriſti 361. Atqui *Barſes*, ſive *Barſa*, ſinceræ prorſus fidei tenax erat, quippe cujus cauſa à Valente Imper. in Aradum inſulam eſt relegatus, moxque Oxyrynchum in Thebaïde, ac tandem in extremæ oræ quæ Barbaris vicinior erat caſtrum, cui *Philo*, Φιλὼ, nomen; quum interim Arianus Imp. per Modeſtum præfectum in Edeſſæ clericos & cives ſuo more ſæviret. Tunc Barſem provectæ ætatis fuiſſe Theodoretus teſtatur lib. 4. cap. 16. illi vero dum Aradi exulabat Baſilius B magnus amantiſſimas litteras dedit 326. 327. Hunc Sozomenus nulli certæ eccleſiæ fuiſſe addictum ſcribit, uti nec Eulogium, qui ſucceſſor ejus fuiſſe fertur: quod Henricus Valeſius ſuis in annotationibus hoc ſenſu accipiendum auguratur, ut uterque vacantis loci epiſcopi facti ſint honoris cauſa, tum illis deinde tradita ſedes fuerit quam tenerent. Cæterum Chronico credendum ſatius eſt, ut & Theodoreto, qui hunc & Eulogium Edeſſæ epiſcopatum geſſiſſe tradunt. In Martyrologio Romano die 30. Januarii, poſt C S. Barſymæi epiſcopi Edeſſeni & martyris memoriam ſtatim ſequitur: *Ibidem S. Barſem epiſcopi, gratia curationum illuſtris, qui Valente Imp. in extremis illius regionis oris ob fidem catholicam relegatus, vitam finivit.* Obiter monendum Martyrologii compilatores nimium hoc loci indiligentiam ſuam prodere, ubi Barſen in extremas illius regionis ſive Meſopotamiæ oras relegatum, illic vivere deſiiſſe dicunt, quum ex iis quæ prædixi certo certius eſt eum in Phœniciam primùm, tum deinde ad extremas uſque Thebaïdis D oras amandatum fuiſſe. Atqui Chronicon rurſum fert *anno ſexcenteſimo octogeſimo nono, menſe Martio obiiſſe Mar Barſen Edeſſæ epiſcopum*, hoc eſt anno Chriſti 378. Additur, eodem anno die 27. Decembris (Canan) poſtliminio reverſos orthodoxos Edeſſenos, Valente defuncto, eccleſiam recuperaſſe, qui ea & urbe ejecti erant menſe Septembri anno 373.

Menolog. Caniſii, 15. Oct.

X. Eulogius.

Ex Chronico n. 34. ad ann. 689. Græco- E rum, Chriſti 378. *per idem tempus factus eſt Mar Eulogius epiſcopus, anno nimirum quo Theodoſius magnus imperare cœpit: & ipſe quidem Mar Eulogius ædificavit templum S. Danielis, quod Domus Mar Domitii appellatum eſt.* Nimirum Modeſtus quidem Præfectus, quum Edeſſæ ſub Valente ageret, Eulogium ejuſdem urbis primicerium preſbyterum, & Protogenem qui ſecundus erat, Antinoum Ægypti eodem tempore quo S. Barſem relegaverat; ſedata vero Valentis interitu perſequutionis procella, Eulogius in patriam rediit, moxque Barſæ ſucceſſor factus eſt anno 378. aut potius 379. quo ſtatim concilio adfuit Antiocheno, ejuſque definitioni fidei quæ Romam miſſa fuit, ſubſcriptus legitur in collectione Holſteniana, *Eulogius Edeſſenus, ſimiliter credo, & ſubſcripſi.* Anno ſubinde 381. ad concilium Conſtantinopolitanum generale primum venit, quod non ſolum ex catalogo conſtat Patrum hujus ſynodi, quem Latinum habemus, verum etiam ex Theodoreto lib. 5. hiſt. eccl. cap. 8. ubi Eulogium Edeſſæ inter præcipuos hujus ſacri conventus præſules habet, Εὐλόγιος ὁ Ἐδέσσης. In Chronico Edeſſeno n. 37. obiiſſe ſcribitur *anno ſexcenteſimo nonageſimo octavo, feria 6. crucifixionis*, quam nempe Paraſceves ſanctæ dicimus, quæ hoc anno incidit in diem 23. Aprilis, uti recte monet Aſſemanus. Martyrologium Romanum die 5. Maii habet: *Edeſſæ in Syria S. Eulogii epiſcopi & Confeſſoris.*

XI. Cyrus I.

Eulogium excepit *Cyrus*, de quo Chronicon num. 38. *Anno ſeptingenteſimo-quinto, menſe Ab*, ſive Auguſto, *die 22. advexerunt arcam Mar Thomæ Apoſtoli in Templum magnum, ejus nomine dicatum, in diebus Mar Cyri epiſcopi.* De hoc Cyro hujus nominis primo Edeſſæ epiſcopo, apud Græcos & Latinos ſcriptores nihil reperi, neque de aliis quatuor qui illi ſucceſſere. Chronicon vero poſthac habet num. 41. *Anno ſeptingenteſimo-ſeptimo die 22. Thamuz*, ſive Julii, *migravit ex hoc ſæculo Mar Cyrus Edeſſæ epiſcopus;* anno proinde Chriſti 395. vel 396.

XII. Silvanus.

Cyri ſucceſſor proximus fuit *Silvanus*, ex eodem Chronico n. 42. *Anno ſeptingenteſimo-octavo factus eſt Mar Silvanus Edeſſæ epiſcopus*, hoc eſt anno 396. ac poſt biennium obiit, ut mox ibidem ſequitur n. 43. *Anno ſeptingenteſimo-decimo, die 17. Tiſrin prioris*, ſive Octobris, *obiit Mar Silvanus Edeſſæ epiſcopus.*

XIII. Phacidas.

XIV. Diogenes.

Chronicon num. 44. *Eodem anno, die 23. Tiſrin poſterioris*, i. e. Novembris, *ordinatus fuit Mar Phacidas Edeſſæ epiſcopus.* Sed poſt annos decem epiſcopatum abdicavit, eique ſuffectus eſt Diogenes anno 409. ut habetur in Chronico num. 48. *Anno ſeptingenteſimo vigeſimo factus eſt Mar Diogenes Edeſſæ epiſcopus, qui templum Mar Barlahæ ædificare*

Digitized by Google

ECCLESIA EDESSÆ.

cœpit. Deinde ſequitur: *Eodem anno in Neomenia menſis Ab*, vel Auguſti, *deceſſit Mar* A *Phacidas Edeſſæ epiſcopus*. Diogenes vero duos dumtaxat annos ſedit, non prorſus plenos.

XV. Rabbulas.

Poſt Diogenem ad Edeſſenam ſedem evectus eſt *Rabbulas* ex Chronico num. 51. *Anno ſeptingenteſimo vigeſimo-tertio Rabbulas Edeſſenum epiſcopatum capeſſivit. Hic Imperatoris juſſu ædificavit templum ſancti Stephani quod antea domus Sabbati fuerat, id eſt ſynagoga Judæorum.* Annus Græcorum 723. eſt B Chriſti 412. Rabbulæ initia deſcribuntur in vita ſancti Alexandri Acœmeti, quæ Latine edita eſt inter Acta SS. ad diem 15. Januarii. Ea fertur Rabbulum ſive Rabbulam, qui neſcio cujus urbis præfectus erat, ex Gentili Chriſtianum factum, viſo miraculo quod Deus Alexandri precibus exoratus ediderat, ejus ſe mox diſciplinæ ſubdidiſſe, tum altero rurſum patrato, reipublicæ munus quod gerebat, reſignaſſe, uxori bona quæ ab ea acceperat, reſtituiſſe, filiabuſque ſuis, ſervos item ſuos libertate donaſſe: uxorem, annuente C marito, in monaſterium quod exſtruxit una cum filiabus, & ancillis Deo ſerviiſſe, quum ille interim eremum petiiſſet. Poſt vero Edeſſena ſede paſtore viduata, ab univerſa civitate, circumvicinaque regione poſtulatus eſt epiſcopus, moxque divinæ cognitionis magiſter eſſe factus dicitur, non ſolum Syris, Armenis ac Perſis, ſed toti fere orbi terrarum. Erecta jam olim Edeſſæ erat Syriacæ dialecti ſchola in urbium vicinarum commodum, ad quam viri principes & locupletes alii filios ſuos inſtitutionis gratia mittebant. Rabbulas vero D Gentilium liberos ad ſe bis ſingulis menſibus accerſebat, quos veritatis verbis erudiret. Id quod totis triginta annis egiſſe dicitur in S. Alexandri vita. Verum non tot ille annis prorſus ſedit, ſed viginti tribus dumtaxat. Quo tempore Neſtorius Conſtantinopoli impietatem propalavit ſuam, Rabbulas cum Joanne Antiocheno & Orientalibus aliis Epheſum quò ſynodus generalis cogebatur, venit: ſed Joanni ejuſque ſociis primùm adhærens, quibuſdam eorum geſtis ſuffragatus eſt, à legitima ſynodo ſecedens. Mox E vero, errore agnito, ab eis deſcivit, Neſtorium, quin etiam Theodorum Mopſueſtenum, à quo mali labes orta erat, proſcindere non dubitavit. Joannes Antiochenus, coacto Oſrhoënes epiſcoporum concilio animadvertere in Rabbulam propoſuit, quod tamen minime præſtitit. Poſt, ſancita pace Antiochenam inter & Alexandrinam eccleſiam, Andreas Samoſatenſis, qui Rabbulæ diu, ut & concordiæ adverſatus fuerat, cum eo reconciliatus, palam gloriabatur ſe cum Sixto Romano, Cyrillo Alexandrino, Maximiano Conſtantinopolitano, & Rabbula Edeſſeno communicare. Quod ex capp. 7. 13. 25. 43. 44. & 106. collectionis ex Tragœdia Irenæi Tyrii compertum fit. Ad Rabbulam exſtant magni Cyrilli epiſtolæ, ac Rabbulæ ad Cyrillum. Qua ſollicitudine veræ fidei ſinceritatem ſervari curabat, unà cum Acacio Melitenenſi Armenis litteras dedit de non legendis Theodori Mopſueſteni voluminibus. Obiit, ex Chronico Edeſſeno num. 59. *anno ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſexto, die 8. menſis Ab*, ſive Auguſti, adeoque anno Chriſti 436. enimvero Rabbulas anno 435. in vivis ſuperſtes erat, quo nempe Theodori Mopſueſteni libros hæreſis accuſabat. Theodorus lector Rabbulam ante obitum oculis captum fuiſſe prodit, & cæcum Ῥαββουλᾶς Ἐδέσσης τυφλὸς ἦν.

XVI. Ibas.

XVII. Nonnus.

XVIII. Ibas *ſecundùm*.

XIX. Nonnus *ſecundùm*.

Quo anno Rabbulas Edeſſæ epiſcopus ex hoc ſæculo migravit, *magnus* ei *Ibas ſuffectus fuit*, ait Chronicon. *Hic novam*, inquit, *eccleſiam ædificavit, quæ hodie Apoſtolorum dicitur*. Atqui Chronici ſcriptor, *Ibam magnum* appellans, ſe alienum eſſe ſignificat à Jacobitica hæreſi, cui Ibas Edeſſenus inviſus admodum fuit. Enimvero Ibas Neſtorianæ impietatis ſæpe reus actus eſt, inprimis epiſtolæ cauſa ad Marim Perſam ſcriptæ, qua Neſtorium non jure damnatum innuens, Cyrillo Alexandrino detrahebat, Theodorumque Mopſueſtenum commendans, catholicam fidem diſerte ſatis non profitebatur. Hujus delatores erant ipſimet Edeſſenæ eccleſiæ clerici, qui alias quoque blaſphemias ab eo de Chriſto prolatas aſſerebant. Ejus cauſa in Antiocheno concilio diſceptata primum fuit anno 448. Domno archiepiſcopo præſide; quumque innocuus judicatus eſſet, accuſatores ejus Conſtantinopolim profecti, judices alios ab Imperatore deſignari impetraverunt, Photium ſcilicet Tyri, Euſtathium Beryti & Uranium Himerorum, qui cum epiſcopis aliis Berytum convenientes, ac ſubinde Tyrum Ibam iterum abſolverunt, & cum clericis reconciliarunt. Cæterum Ibas urbe ſua Imperatoris Theodoſii juſſu exactus eſt, & Antiochiam tranſvectus, ſed & anno inſequenti à Dioſcoro Alexandrino in Epheſina ſynodo ſecunda epiſcopatu deſtitutus fuit, eique ſuffectus *Nonnus*, Tabenneſiota NONNUS. monachus,

Digitized by Google

monachus, uti fertur in vita S. Pelagiæ, atque adeo, ut augurari licet, natione Ægyptius.

IBAS iterum.

Poſt biennium Ibæ cauſa iterum in Chalcedonenſi concilio actione 10. cognita eſt, illeque purgatus iterum fuit, ſuæque ſedi redditus. Hinc moroſi Eutychianorum poſtea ſuſurri in ſanctiſſimam iſtam ſynodum, à qua nec ejus ad Marim epiſtola proſcripta eſſet. Demum vero in quinta ſynodo generali epiſtola quoque Ibæ cenſoria nota inuſta fuit, auctoris vero memoriæ parcitum eſt, quippe qui catholicam fidem integram Chalcedone coram patribus confeſſus erat. In Chronico Edeſſeno n. 64. fertur: *Anno ſeptingenteſimo quinquageſimo nono Ibas epiſcopus Edeſſa exceſſit die prima Januarii, cui Nonnus ſubſtitutus fuit die 21. Thamuz*, ſive Julii, *tenuitque ſedem annis duobus, & fecit ſacrarium in eccleſia.* Quæ accurata non ſunt: nam Ibæ Nonnus ſuffectus non eſt niſi in ſpuria illa ſynodo Epheſina ſecunda, quæ an. Græcorum 760. & Chriſti 449. convenit, ut prædictum eſt, inchoataque fuit die 8. Auguſti.

NONNUS ſecundùm.

Nonnus itaque duobus annis, Iba ejecto, epiſcopatum Edeſſenum geſſit, qui ad Chalcedonenſe concilium profectus, veræ fidei definitionem & Leonis papæ ad Flavianum epiſtolam amplexus eſt inter metropolitas ſedens, & act. 6. ſubſcribens: Νόννος ἐπίσκοπος τῆς Ἐδεσσηνῶν πόλεως. *Nonnus epiſcopus civitatis Edeſſenorum.* Verum ſubinde Iba act. 10. decretoria patrum ſententia reſtituto, Maximi Antiocheni judicio permiſſum eſt, ut Nonno ſedem alteram provideret. Quocirca Heliopolitanam in Syria Libani eccleſiam ſortitus eſt, ut & Saracenos circumvicinos veri numinis cultum doceret. Id quod diſertè ſignificatur in vita S. Pelagiæ, quam poſtmodum ab impudicitiæ pelago revocavit. Ibi nempe diabolus Nonnum ſic alloquutus inducitur: *Non tibi ſufficiunt triginta millia Saracenorum quos mihi rapuiſti & baptizaſti! Non tibi ſufficiebat me à te de tuis Heliopolitanis ejectum! Quoniam quum ipſa civitas mea eſſet, meque omnes ejus habitatores adorarent, tu mihi illam rapuiſti, Deoque tuo obtuliſti.* Atqui ex Chronico Ibas uſque ad annum 467. ſuperſtes in vivis fuit; cujus ſedem continuo Nonnus repetiit, ut Chronico fertur. *Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo nono, die 28. Octobris requievit Ibas Edeſſæ epiſcopus, & in locum ejus reverſus Nonnus, ædificavit templum S. Joannis-Baptiſtæ & noſocomium pauperum invalidorum extra portam Bethſemes. Exſtruxit autem in eodem noſocomio templum ſanctorum Coſmæ & Damiani. Præterea monaſteria turreſque ædificavit, ſed & pontes fecit & vias exæquavit.* Quo tempore ſedem Edeſſenam iterum tenebat, dum Antiochiæ ageret, contigit celebris illa Pelagiæ inſignis meretricis converſio, quam ad meliorem frugem divino nutu tranſtulit, quemadmodum à Jacobo Edeſſenæ eccleſiæ diacono, in ejuſdem Pelagiæ vita narratur. Obiit itaque Nonnus anno Chriſti 471. cujus memoria in Martyrologio Romano recolitur die 2. Decembris.

XX. CYRUS II.

Nonni proximus ſucceſſor *Cyrus* II. fuit ex Chronico n. 71. *Anno ſeptingenteſimo octogeſimo ſecundo deceſſit Nonnus Edeſſæ epiſcopus, cui Cyrus ſubſtitutus fuit.* Ejus tempore ex eodem Chronico, *anno octingenteſimo Perſarum Schola ex urbe Edeſſa deleta eſt;* anno proinde Chriſti 488. à Zenone Imp. ut narrabat Theodorus lector libro 2. quod & alii hiſt. eccl. ſcriptores confirmant. Cui Scholæ antea præfuerat Maris Perſa, Neſtorianus ille ad quem Ibas epiſtolam, de qua dictum eſt, ſcripſit, tum deinde Maro Elita preſbyter ipſe Edeſſenus. Iſaac Edeſſæ epiſcopus apud Aſſemanum to. 1. Bibl. Or. p. 203. præcipuos illius Scholæ alumnos memorat, Acacium ſcilicet Aſſyrium, Barſaumam Maræ Carduenſis ſervum, Maanem Hardaſcirenſem, Abſotum Ninivitam, Joannem Garmachitam, Michæam, Paulum Cachæi ex oppido Huzitarum, Abraham Medum, Narſem leproſum, Ezeliam ex oppido Maris, Neſtorianos omnes, quos Ibam foviſſe ait; ſed à Cyro epiſcopo Edeſſa fugatos, Scholaque funditus everſa, templum ejus loco nominis ſanctæ Dei-genitricis excitatum. At Cyrus, qui ſub Anaſtaſio quoque Imper. vixit, Monophyſitarum erroris inſimulatur, in quem nimio erga Neſtorianam impietatem odio impegerit. Quamobrem ab Hormiſda Pontifice Romano in epiſtola ad preſbyteros, diaconos & archimandritas Syriæ ſecundæ, Petro Apameenſi, ſimilibuſque hæreticis accenſetur, Κύρου τοῦ Ἐδέσσης, *Cyri Edeſſæ.* Data epiſtola eſt anno poſt conſulatum Agapeti, ſive Chriſti 518. quæ lecta fuit act. 5. ſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna. Obierat vero Cyrus ex Chronico anno 497. *Anno octingenteſimo nono menſe Chaziran*, ſeu Junio, *die ſexta migravit ex hac luce Cyrus Edeſſæ epiſcopus, cui ſuffectus fuit Petrus, & Edeſſam ingreſſus eſt die duodecima Ilul* (Septembris) *ejuſdem anni.*

XXI. PETRUS.

Edeſſæ itaque epiſcopus fuit poſt Cyrum II. *Petrus* anno 497. cujus tempore Cabades Perſarum rex obſeſſa urbe, ſancti Sergii templum & Aquilonarem baſilicam confeſſorum dumtaxat incendit. N.° deinde 82. in Chronico legitur: *Anno octingenteſimo vigeſimo*

Digitized by Google

ECCLESIA EDESSÆ.

primo, ſabbato Reſurrectionis obdormivit Petrus Edeſſæ epiſcopus, cui Paulus ſubrogatus fuit; anno proinde Chriſti 510. Sabbato ſancto, quod in diem 10. Aprilis incidit, Petrus vivere deſiit. Aſſemanus p. 268. ex Joſue Stilytæ hiſtoria narraverat, Petrum præter conſuetas anni ſolemnitates, feſtum quoque Hoſannarum indixiſſe, ritum item benedictionis aquæ in nocte Epiphaniæ; chriſma univerſo ſpectante populo feria quinta myſteriorum (in cœna Domini) conſecraſſe; quos nempe ritus qui Antiochiæ jam & alibi recepti erant, in Edeſſæ eccleſiam invexit.

XXII. PAULUS I. *primùm.*

XXIII. ASCLEPIUS.

XXIV. PAULUS *ſecundùm.*

Petro itaque *Paulum* fuiſſe ſubrogatum conſtat ex Chronico, quem Severianæ quoque ſectæ addictum fuiſſe apparet, ut-pote qui, Juſtini I. Imper. juſſu Edeſſa ejectus eſt anno 518. ut alii ejuſdem generis ex aliis eccleſiis Orientis. Sic enim de illo Chronicon habet: *Anno octingenteſimo trigeſimo primo, quarta Novembris, Patricius Edeſſam venit, ut Paulum ea pelleret, adegitque hominem, ut alterutrum admitteret, aut ſcilicet ſynodo ſubſcribens epiſcopatum retineret; ſin vero nihil perſuaſus, ſedem dimitteret. Aſt ille aſſenſus non eſt, ſed ad baptiſterium confugit. Quod videns Patricius, veritus terribile Imperatoris mandatum, Paulum è baptiſterio coactus eſt extrahere, ac Seleuciam deportandum tradere. Imperator vero, ubi audivit Paulum fuiſſe è baptiſterio abſtractum, juſſit eum ſuæ ſedi reſtitui, ſperans eum à propoſito receſſurum, ſynodumque recepturum. Quatuor ergo & quadraginta poſt diebus ſedem ſuam recuperavit, diuque diſtulit ne ſynodum reciperet. Ubi vero Imperator didicit eum à ſententia ſua non deſciſcere, præcepit ut Euchaïta in exilium deportaretur. Paulo itaque Edeſſa ejecto die 27. Thamuz,* ſeu Julii, *anno octingenteſimo trigeſimo tertio, ſuffectus eſt Aſclepius, qui urbem ingreſſus eſt vigeſima tertia Tiſrin prioris,* ſive Octobris, *anni octingenteſimi trigeſimi quarti, exactis ab expulſione Pauli tribus menſibus.*

ASCLEPIUS.

Sequitur in eodem Chronico de *Aſclepio: Die vigeſima quarta Octobris ſtatim à promotione ſua Aſclepius Edeſſæ epiſcopus, monachos Orientales, eorumque ſodales cœnobitas ejuſdem cum illis ſententiæ ejecit, quod Chalcedonenſe concilium reſpuerent.* Rurſum num. 91. & 92. *Anno octingenteſimo trigeſimo ſexto aquarum illuvie quarta jam vice Edeſſa infeſtata eſt, quæ disjectis mœnibus ædificia urbis proſtraverunt, civeſque ejus ſuffocaverunt, cum ingenti totius urbis clade. Quo infortunio territus Aſclepius epiſcopus, relicta Edeſſa Antiochiam petiit ad*

A *Euphraſium Patriarcham, qua in urbe poſt ſexaginta circiter dies exſtinctus eſt, vigeſima ſeptima menſis Chaziran,* ſive Junii, *ejuſdem anni. Corpus quarta die menſis Ilul,* ſive Septembris, *ejuſdem anni Antiochia deportatum, in eccleſia S. Barlahæ prope S. Nonnum epiſc. ſepultum fuit.* Obiit itaque Aſclepius an. Dom. 524.

PAULUS ſecundùm.

Pergit Chronicon de Pauli reſtitutione: *Paulus autem audito Aſclepii obitu, pœnitentia ductus Mar Juſtiniano Patricio ſupplicavit, libellumque dedit ad Euphraſium Patriarcham. Quamobrem, tum propter libellum, tum propter*

B *litteras glorioſi religioſiſſimique Mar Juſtiniani Patricii reſtitutus fuit, ſedemque ſuam recuperavit, & octava Adar,* ſive Martii, *anni octingenteſimi ſeptimi poſt menſes octo ab obitu Aſclepii Edeſſam ingreſſus eſt. Vixit Paulus epiſcopus, poſtquam ad ſedem ſuam tertia vice rediit, menſes octo, demptis octo diebus. Trigeſima autem menſis Tiſrin prioris,* ſive Octobris *anni octingenteſimi trigeſimi octavi defunctus eſt,* hoc eſt anno 527.

Cuncta iſta Chronico Edeſſeno feruntur, quibus Aſſemanus in annotationibus ex

C Chronico Dionyſii Jacobitarum Patriarchæ hæc addit, Paulum poſtquam à Patricio ſua ſede expulſus fuit, Euphraſii Antiocheni Patriarchæ conſilio reſtitutum, ita ſcilicet ut concilium Chalcedonenſe corde amplecteretur, quod ore apud ſuos damnare ſimularet. Sed putidiſſimam Monophyſitarum fabulam eſſe cenſet vir eruditus, ne Paulum præſtantiſſimum præſulem ad orthodoxam rediiſſe fidem faterentur. Subinde vero refert memoriam ejus haberi in Kalendario Jacobitarum die 28. Aug. his verbis: *Mar Pauli epiſcopi*

D *Edeſſeni ſcripturarum interpretis,* ſive enarratoris. Ex eodem Dionyſii Chronico prolixam Joannis Aſiæ epiſcopi qui ſub Juſtiniano Imperatore vixit, narrationem affert de monachis quibuſdam qui à veritate aberrarent, in quibus convincendis Paulus epiſcopatus ſui initio cum Gamalino Parin, ſive Perrharum operam poſuerat, in cujus fine Paulus & Gamalinus ſanctorum nuncupatione ornantur: *In hunc errorem inſurrexerunt S. Paulus Edeſſenus & S. Gamalinus epiſcopus Perrharum.* Quod iterum argumento eſſe poſſit,

E utrumque illum epiſcopum Severianam ſectam, Jacobiticam-ve coluiſſe.

De Aſclepio, qui Paulo ſubrogatus fuit, Aſſemanus hæc etiam ſcribit ex Dionyſii Jacobitæ Chronico: *Paulus paucis à recuperata ſede diebus, Charrharum exſtincto antiſtite, ſubrogare cupiebat presbyterum quemdam Edeſſenæ eccleſiæ Aſclepium nomine. Huic frater erat in Regia urbe Præfectus Prætorio, qui quum à Paulo alium Charrhis deſignatum epiſcopum*

Digitized by Google

intellexiſſet, ab eo ſe poſthabitum indigne ferens, fratrem adiit, Paulumque quod Chalcedonenſem A *ſynodum non admitteret, accuſavit. Ita res ad Imp. deducitur, qui ſcriptis ad Phareſmanem Militiæ præfectum litteris mandat, Edeſſena eccleſia Paulum ejici, & Aſclepium ejus in locum præfici.* Ex eodem Joanne Aſiæ & Dionyſio ſubdit Maronita doctus, monachos Orientis unius in Chriſto naturæ aſſertores, inſtigante Aſclepio à Phareſmane exagitatos, ſed mox Theodora auguſta agente, Belizzariique opera revocatos: poſt vero procurante Elizæo illorum ordinis monacho, & Antiocheno Patriarcha Ephræmio apud Principem agente, rurſus expulſos B eſſe. Cæterum Aſclepium urbis ſuæ aquarum exundatione dirutæ pertæſum ad Euphraſium Patriarcham ſe recepiſſe, quod cives qui evaſerant, in ipſum tanquam malorum ſuorum cauſam inſurrexiſſent, nimia ſua erga ſanctos viros monachos illos ſævitia: verum non attendit vir eruditus, Euphraſium Ephræmii deceſſorem, non ſucceſſorem fuiſſe.

XXV. Andreas.

Ex Chronico Edeſſeno n. 95. Paulus reſtitutus *ſucceſſorem habuit Andream, qui Edeſ-* C *ſam ingreſſus eſt menſe Sebat,* ſive Februario, *ejuſdem anni octingenteſimi trigeſimi octavi,* Chriſti 527. Hunc Aſſemanus & Adæum ſucceſſorem ejus, omiſſos ait in Dionyſii Jacobitæ Chronico, quos nempe nihil curaret, ut pote qui à Jacobitarum ſecta alieni fuerint, Chalcedonenſis ſynodi fidem tenentes. Obiit Andreas anno 844. Chriſti 533. *die ſexta Decembris, & conditus eſt in æde S. Barlahæ prope oſſa Mar Nonni & Mar Aſclepii.* Interim Neſtorianis Edeſſenis epiſcopus præerat Thomas nomine de quo ſuo D loco dicetur in diœceſi Chaldæorum, ſive Neſtorianorum.

XXVI. Adæus.

XXVII. Amazonius.

Chronicon Andreæ obitu recitato pergit: *Ei ſuffectus eſt Adæus, Edeſſam ingreſſus die 28. menſis Ab,* ſive Auguſti. Hucuſque Edeſſenorum metropolitarum ſucceſſio in illo Chronico. Atqui *Adæus* iſte Aſſemano idem eſt ac Amazonius, qui ſynodo quintæ generali anno 553. interfuit & ſubſcripſit, E *Amazonius Edeſſenæ urbis metropolitanus epiſcopus.* Id vero certo mihi teſte conſtare vellem. Dionyſius in Chron. omiſſis Andrea & Adæo, Edeſſenam eccleſiam à *Jacobo Baradæo, Zanzalo illo,* à quo Jacobitæ dicti ſunt, occupatam ait ad annum 889. ſub Juſtino II. Tiberio II. & Mauritio Impp. quod à vero videtur abhorrere; eo magis quod illum aiunt Edeſſa egreſſum nulli certæ ſedi addictum fuiſſe, quo facilius hæreſim ſuam propagaret.

XXVIII. Theodorus.

Horum utique Imperatorum ævo Edeſſæ epiſcopus ſedebat *Theodorus;* quo, inquam, urbs illa Romanis adhuc Principibus parebat, ac ſaltem ante Saracenica tempora. Ejus capita centum *vitæ practicæ,* ſive aſceticæ exſtant, quæ Petrus Poſſinus è Societate Jeſu, ex vetuſto codice eruta in Theſauro Aſcetico edidit, habenturque in Cæſareo cod. 224. hoc titulo, Τοῦ ὁσίου Θεοδώρου ἀρχιεπισκόπου Εδέσσης κεφάλαια πρακτικὰ ἑκατὸν, *Theodori archiepiſcopi Edeſſæ capita practica centum.* Excerptum quoque legitur in codice Cæſareo altero n. 251. inter variorum aſcetarum ſententias, his verbis incipiens: Στυλίτης τις ἦν ἐν Εδέσσῃ τῇ πόλει, καὶ παρέβαλεν ὁ ἐν ἁγίοις Θεόδωρος ὁ ἀρχιεπίσκοπος τῆς αὐτῆς πόλεως, μεθ' οὗ καὶ ἐποίησεν ὁμιλίαν. κ. τ. ἑ. *Stylita quidam Edeſſæ erat, quem archiepiſcopus ejuſdem urbis conveniens, inter alios ſermones, &c.* Plura vellem Lambecius exſcripſiſſet, quibus Theodori ætas melius forſan nobis innoteſceret. In Coiſliniano cod. 124. olim 207. quo capita habentur ejuſdem Theodori 92. dicuntur eſſe *Theodori primùm monachi in laura ſancti Sabæ, deinde archiepiſcopi Edeſſeni.*

XXIX. * * *

Theophylactus Simocata lib. 3. hiſt. c. 2. narrat Priſcum Mauritii Imperat. ducem ad exercitum qui in ſe tumultuarat iterum atque iterum ut motus eorum compeſceret, *epiſcopum Edeſſenum* miſiſſe.

XXX. * * *

Ex Theophane ad ann. 19. Heraclii Imp. ſcribit Edeſſenam eccleſiam, quam Neſtoriani ſub Choſroë II. Perſarum rege occupaverant, catholicæ rurſum fidei antiſtitem accepiſſe.

XXXI. Jacobus.

Sæculo ſexto vel ſeptimo *Jacobus* Edeſſæ epiſcopus vixit, cujus hymni complures exſtant in libris eccleſiaſticis Syrorum, Fauſto Nairone teſte, in Enoplia fidei pag. 48. qui addit mentionem fieri in Calendario Maronitarum, die 27. Januarii, *S. Ephræm diaconi, & S. Jacobi Edeſſeni.*

XXXII. Paulus II.

Romano Diogene Imperatore in partibus Orientis cum exercitu agente, *Paulus ſuperioris Edeſſæ præſul,* Παῦλος πρόεδρος ὁ τῆς Εδέσσης κατεπάνω, quum audiſſet conſilia de imperio illi abrogando agitari, eo dimiſſo Conſtantinopolim verſus iter arripuit. Edeſſæ utique, non Macedoniæ, ſed Oſrhoënæ epiſcopus

Joan. Curopal. hiſtor. pag. 843.

erat Paulus, quippe quam tunc temporis, anno ſcilicet 1071. Imperatores Græci tenebant. A

XXXIII. * * *

Anno 1097. quo Franci bellum ſacrum Saracenis in Syria intulerunt, Balduinus Bononienſis noſter, Godefridi Bullonii Ducis frater, Euphratem uſque cum copiis ſuis perrexit, flumenque tranſiit ab Edeſſenis invitatus, ut eis auxilio eſſet. Legatos ſcilicet ad eum miſerat Edeſſæ curator, *epiſcopum* cum duodecim primoribus civitatis, quorum deinceps conſiliis regionem ille omnem tunc adminiſtravit.

XXXIV. CELSUS.

Inter codices Græcos Vaticanos, qui olim Abrahami Maſſud Maronitæ fuerant, qui num. 19. inſignitur, continet *Celſi epiſcopi Edeſſæ de natura hominis opuſculum.*

XXXV. ABDELMESSIAS.

Abugalebus Edeſſenus epiſcopus Jacobita cenſuris irretitus à ſuo Patriarcha Athanaſio, Francorum Patriarcham Antiochenum adiit adverſus illum expoſtulaturus: Athanaſius vero ab Antiochiæ principe per *Abdelmeſſiam* epiſcopum Melchitarum Edeſſenum obtinuit, ut ad cœnobium Eliæ in Cancrata Amidenſis regionis pago ſe reciperet. B. Or. to. 2. p. 359.

II. ECCLESIA CONSTANTINÆ.

QUæ *Conſtantina* in notitiis Oſrhoënes civitas dicitur, hæc Straboni, Plinio, Ptolemæo, aliiſque veteribus Nicephorium nominabatur, & Tela recentioribus & indigenis, quia in colle poſita erat. Maximianopolis ſubinde appellata eſt, à Galerio Maximiano Imp. qui illam à Perſis everſam inſtauravit, civeſque ejus multis muneribus donavit, tributa in triennium dimiſit. Joannes Malalas Chronographiæ part. 1. pag. 414. & part. 2. p. 10. narrat, *Maximianopolim Oſdroënes poſt direptionem quam à Perſis paſſa erat, immiſſa à Deo plaga* (id eſt terræ motu) *everſam à Conſtantino Imper. inſtauratam:* ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ Κωνσταντίνου ὑπὸ θεομηνίας Μαξιμιανούπολις τῆς Οσδροηνῆς τὸ δεύτερον αὐτῆς πάθος, τὸ μετὰ τὸ ληϊσθῆναι ὑπὸ τῶν Περσῶν. *Conſtantinum vero Imperatorem eam, mœniaque ejus inſtauraſſe, multa dona iis qui evaſerant conceſſiſſe, eamque de ſuo nomine Conſtantinam dixiſſe,* καὶ μετεκάλεσεν εἰς τὸ ἴδιον ὄνομα Κωνσταντίναν. Sic etiam Procopius Conſtantinam quæ à Conſtantino magno nomen habuit, haud procul Theodoſiopoli poſitam, atque à Juſtiniano munitam, derivatis in eam aquis locupletatam ſcripſit lib. 2. de ædif. cap. 5. In notitiis quibuſdam *Conſtantia* legitur, & apud Suidam, quod Librariorum oſcitantiæ vitium eſt, qui forſan *Conſtantinam* Oſrhoënes pro *Conſtantia* Meſopotamiæ acceperant.

EPISCOPI CONSTANTINÆ.

I. SOPHRONIUS.

INter Chalcedonenſis ſynodi Patres ſedit & ſubſcripſit Σωφρόνιος ἐπίσκοπος Κωνσταντίνης, *Sophronius epiſcopus Conſtantinæ;* Oſrhoënes prorſus, ut ex indice Latino certum fit. Quin dudum antea ſederat in Antiochena ſynodo, in qua Athanaſii Perrhenſis cauſa judicata eſt. Ex act. 10. concilii Chalcedonenſis, atque ex Chronico Edeſſeno à Dioſcoro Alexandrino, in Epheſina ſynodo ſecunda latrocinali anathemate percuſſus dicitur una cum Domno Antiocheno, Irenæo Tyri, Iba Edeſſæ & Daniele Charrarum. B

II. PAULUS.

Zeno Imp. Petro Cnapheo qui Antiochenam ſedem arripuerat, ſuggerente, epiſcopos qui ἑνωτικὸν, *unitivum* edictum ſuum reſpuebant, ab eccleſiis quibus præerant, ejecit, ac ſi tyrannis qui adverſus ipſum conjuraverant, faviſſent: quorum unus fuit *Paulus Conſtantinæ.* Theophan. ad ann. 16. Zenonis.

III. BARRHADADES.

Anaſtaſio Imperatore ſedebat *Barrhadades* epiſcopus Telæ ſive Conſtantinæ, quando Cabades Perſarum rex exercitum ſuum ad eam urbem admovit, quam Judæi ipſi prodere decreverant. Cujus conſilii certus Petrus comes quem Perſæ captivum tenebant, veſtes quas in urbe depoſuerat, rogans ut ſibi repetere liceret, ad mœnia propius acceſſit, Romanoſque de Judæorum perfidia monuit. Barrhadades interim urbis muros circumvadens, cives adhortabatur ut ſtrenue hoſtibus reſiſterent; aqua eos in Bap- C tiſmo benedicta adſpergebat, Euchariſtiam poſcentibus porrigebat, ne quis ejus ſumendæ prætextu vel deſiderio, ſtationem deſereret. Sed & ad Cabadem audacter egreſſus, ei perſuaſit ut obſidionem ſolveret. Procopius libro 3. de bello Perſico cap. 12. hunc Baradatum dicit Conſtantinæ urbis epiſcopum, virum ſanctiſſimum, qui & Cabade Perſarum rege familiariter uti ſolebat, ὧν δὲ

Digitized by Google

Κωνσταντίνης ἱερεὺς τότε Βαραδάτος, ἀνὴρ δίκαιός τε καὶ τοῦ Θεοῦ εἰς τὰ μάλιστα φίλος, *cujus preces ad omnia quæcumque vellet impetranda efficaciſſimæ fuerunt, cujus vel ipſe vultus intuentibus perſuadebat, virum eſſe qui gratia plurimum apud Deum valeret.* Quocirca Celer Romanæ militiæ præfectus ejuſdem Barrhadadis precibus conceptam adverſus Edeſſenos iram confeſtim depoſuiſſe fertur. Claruit circa annum Græcorum 818. Chriſti 506. ac deinceps, ex Joſue Stylita, ex cujus Chronico hæc aliaque recitat Aſſemanus tom. 1. Biblioth. Orient. pag. 277. & 282.

IV. Joannes.

Barrhadadi utique ſucceſſit *Joannes*, quem Dionyſius Jacobitarum Patriarcha anno 503. Telæ epiſcopum fuiſſe ait, adeoque Conſtantinæ Oſrhoënes, Severianorum ſectæ deditus. Quocirca anno Græcorum 823. Chriſti 512. Sidonenſi ſynodo interfuit. Poſt vero à Juſtino Imp. in exilium abactus; quin & Dionyſius *eum Antiochiæ martyrio functum* ait, per Ephræmium Amidenſem, Orientis tunc temporis comitem, qui ſubinde Antiochenus Patriarcha fuit. Quo necis genere Joannes perierit, Dionyſius ſiluit; hunc vero uti Dionyſius, ita & Jacobitarum grex omnis, tanquam martyrem colunt die præſertim Februarii 6. Vide to. 2. Bibl. Orient. pag. 53. & 54. At certe in vivis adhuc agebat anno 533. quo Conſtantinopoli interfuit celebri illi colloquio quod catholicos inter & Severianos habitum eſt, unuſque interloquutorum hæreticorum fuit.

V. Thomas.

Quintæ ſynodo generali interfuit & ſubſcripſit *Thomas Conſtantinæ civitatis Oſrhoënæ* Κωνσταντίνης.

VI. * * *

Theophylactus Simocata lib. 3. hiſt. c. 2. narrat quid à *Conſtantina in Meſopotamia epiſcopo* patratum ſit, quo tempore ea urbs à Perſis obſidebatur. Quod de *Conſtantia* non eſſe dictum puto.

III. ECCLESIA CALLINICI.

OSRHOENES oppidum ſeu civitas *Callinicus* fuit, ad Euphratem à Seleuco Callinico condita, ut in Chronico Paſchali fertur; quæ Juliani Apoſtatæ Auguſti ævo munimentum robuſtum erat, Ammiano Marcellino teſte lib. 23. cap. 2. *commercandi opimitate gratiſſimum.* Hanc Choſroës I. Perſarum rex expugnavit & diruit, teſte Procopio lib. 2. de bello Perſ. c. 21. qui & à Juſtiniano refectam ait lib. 2. de ædif. c. 2. Hierocli in notitia Oſrhoënes civitas eſt, eadem quæ *Leontopolis*, Λεοντόπολις, ἡ καὶ Καλλίνικος. Enimvero in chronico Edeſſeno num. 70. fertur, *Leonem Imp. anno 777. ædificaſſe Callinicum in Oſrhoëne, quam de ſuo nomine Leontopolim appellavit, & epiſcopum in ea conſtituit.* At certe diu ante Leonem Aug. Callinici epiſcopus ſedebat, ut mox certum fiet. In notitia altera, legitur Καλλίνικος ἤτοι Λεοντόπολις.

EPISCOPI CALLINICI.

I. * * *

CElebris hiſtoria eſt ſynagogæ Judaïcæ Callinici à Chriſtianis, epiſcopo loci, ut ferebatur, ſuadente crematæ, quam Theodoſius Magnus Imp. à præſule nulla mora reſtitui mandavit; mox vero juſſionem revocavit accepta à S. Ambroſio Mediolanenſi deterritus epiſtola, quæ S. Doctoris epiſtolarum primæ claſſis 40. cenſetur. *Relatum eſt*, ait Ambroſius, *à Comite Orientis militarium partium, incenſam eſſe ſynagogam, idque auctore factum epiſcopo. Juſſiſti vindicari in cæteros, ſynagogam ab ipſo exædificari epiſcopo. Tum, ſi ædificio*, pergit, *incenſo moveris viliſſimo, non recordaris, Imperator, quantorum Romæ domus præfectorum incenſæ ſint, & nemo vindicavit! Idcirco, ſi quis Imperatorum voluit factum ſeverius reprehendere, ejus magis qui tanto eſt perculſus diſpendio, cauſam gravavit. Quid igitur dignius, ut Callinici caſtri in parte aliqua ædificiorum incendium, an urbis Romæ vindicandum æſtimaretur, ſi oporteret tamen! &c.* Atqui facinus iſtud anno 388. contigiſſe accuratiore putatione conſtat.

II. Damianus.

Chalcedonenſi concilio interfuit *Damianus Callinici* vel *Callinicopolis*, ut Latinæ tranſlationis actorum ſynodi codices ferunt. Sic index Patrum Latinus: *De provincia Oſdroenſi*, Damianus Callinicopolitanus; qui & poſt annos ſeptem ſubſcripſiſſe legitur epiſtolæ ſynodi ejuſdem provinciæ ad Leonem Imp.

III. Paulus.

Anno 518. Callinici ſedem tenebat *Paulus* Severi Antiocheni Patriarchæ hæretici aſſectatorum unus, quem Juſtinus Imp. hæreſi pertinacius addictum procul amandavit, quique

in cœnobio Seleuciæ apud Edeſſam convertendis è Græco idiomate in Syriacum Severi A adverſus Julianum Halicarnaſſenſem libris, aliiſque perinde vacabat, inter quos Severi ejuſdem Octoëchus memoratur: unde apud Jacobitas *Interpres Librorum* dicitur in ipſorum Kalendario ad diem 23. Auguſti. Plura de eo contulit Aſſemanus to. 1. Bibl. Orient. pag. 569. & to. 2. pag. 46. & ſeq.

IV. Joannes.

Circa ejuſdem ſæculi ſexti medium ſedebat *Joannes Callinici epiſcopus,* quem Dionyſius Jacobitarum Patriarcha præcipuis illius ævi Monophyſitis, ſive Severianis accenſet, ad annum circiter Chriſti 546. quando ſcilicet hæreticis illis Jacobitarum appellatio indita nondum erat.

IV. ECCLESIA BATNARUM.

Batnæ vel *Batnan* Juliani Auguſti ævo Oſrhoënes provinciæ municipium erat, è quo Ammiano Marcellino lib. 23. cap. 2. teſte, Carrhas ille venit. Procopio vero lib. 2. de Bello Perſico cap. 2. oppidum exiguum, nulliuſque momenti cenſetur, unius diei ſpatio Edeſſa diſparatum: illud vero, ex eodem auctore lib. 2. de ædif. c. 7. muris quibus carebat, Juſtinianus Imp. ſepſit. Joſue Stylita in Chronico Syriaco teſtatur Butnan *Sarugi* caſtrum fuiſſe, cujus mœnia labefactata, aliaque ruentia ædificia Eulogius Edeſſæ præfectus, ſub Juſtiniano utique, inſtauravit. Quo etiam teſte comperimus *Sarugum* dictam fuiſſe regionem, in qua Batnan caſtrum urbeculaque ſtaret: unde Jacobitis ſcriptoribus *Batnan Sarugi* vocatur, & Batnan præſules epiſcopos *Sarug* perinde appellant. Sed & Nubienſi nulla mentio nominis Batnan, ſed Sarug diar-Motdhar caput & metropolis eſt, quam & ab Harram unius diei itinere remotam fert. Sarugiam Willelmus Tyrius dicit lib. 7. cap. 7. Cæterum Batnas in Oſrhoëne ponunt notitiæ Græcæ ambæ & Antonini Itinerarium.

EPISCOPI BATNARUM.

I. Abraamius.

INter Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis prioris Patres, de provincia Oſrhoënes cenſetur *Abraamius* Batnonenſis, ſive Batnon, ad quem, quum multa exilia pro fide catholica ſub Valente Imp. toleraret, Baſilii magni epiſtola exſtat 316. Cæterum in cod. Auguſtano Baſilii ejuſdem epiſtola 14. eſt quæ in editis 236. & inſcribitur Ἀβεργίῳ ἐπισκόπῳ Βάτνων, ſed legendum prorſus Ἀβρααμίῳ.

II. Dadas.

In ſynodo quæ Antiochiæ à Domno ar- C chiepiſcopo in cauſa Ibæ Edeſſeni habita eſt, in qua & prima vice judicata eſt, ſedebat *Dadas epiſcopus Batnarum,* Δάδας ἐπίσκοπος Βάτνων τὰ αὐτὰ διελάλησα.

III. Basilius.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Oſrhoënes ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcriptus legitur *Baſilius Balienſis:* legendum vero *Batnenſis.*

IV. Jacobus.

Apud Jacobitas celebratiſſimus eſt *Jacobus epiſcopus Sarug* ſive Batnorum, qui libros complures de divinis rebus ſcripſit, propter quæ apud illos *Doctoris* cognomento indigitatur. Hujus vitæ compendium ſyriacè latinèque clariſſ. Aſſemanus edidit, to. 1. bibl. Orient. quo fertur patriam habuiſſe *Carta-* B *mum* ad Euphratem; dum juvenilis adhuc ætatis erat, eloquentia & doctrina ſic claruiſſe, ut eum vigeſimum ſecundum vitæ annum agentem epiſcopi aliquando audituri convenerint de ſacris ſcripturis diſſerentem. Sexaginta ſeptem annos cum dimidio natus erat, quando demum in Sarugi epiſcopum eſt aſſumptus, *anno Græcorum 830. à Chriſti adventu 519.* Diem vero poſtremum obiit, & in urbe Sarugi ſepultus fuit anno 833. Chriſti proinde 522. die 19. Novembris, tranſacto vitæ ſuæ ſeptuageſimo, epiſcopatus vero al- C tero cum dimidio. Dionyſius Jacobitarum Patriarcha, qui ſæculo circiter à Chriſti nativitate octavo medio vixit, hunc uti *Sanctum* habet in ſuo Chronico, in quo hæc de ipſo narrat: *Antequam Paulus* (Antiochiæ Patriarcha catholicus) *è vivis excederet, ſanctum eximium-ve Mar Jacobum doctorem Batnorum Sarugi accerſivit; qui eò proficiſci recuſabat, quod cerneret Paulum ſanæ fidei non eſſe. Quumque Paulus eum nihilominus urgeret ut ad ipſum accederet, hic ante altare procumbens, cum gemitu & lacrymis ſic orabat: Domine* D *Deus, qui abſcondita cordis noſtri, & renes ac cor ſcrutaris, ſi noſti Paulum duarum naturarum infamia teneri, ne permittas me in ejus conſpectum venire. Quum itaque ire compulſus eſſet, ex urbe Batnis egreſſus, in monaſterium quoddam* Perſarum *nuncupatum, Edeſſa ſex mille paſſus diſtans divertit; ubi pernoctans*

Digitized by Google

revelationem de exitu ſuo accepit, pulſuſque eſt in civitatem ſuam reverti. Sine mora juſſit eos qui ſe comitabantur jumentum celeriter aptare, celeriterque in urbem regredi, ſequuturum ſe dicens poſt duos dies, mortem ſcilicet ſuam prænuntians, ſicque mirantibus cunctis urbem repetiit ſuam. Quò quum perveniſſet, de eccleſia, deque univerſa doctrina ſua teſtamento diſpoſuit, & poſt biduum è ſæculo migravit. Tunc vero omnibus virtus orationis ejus ſancti patuit, ejuſque doctrinæ fama per univerſam Dei eccleſiam, totamque Syriam evulgata eſt, cunctis admirantibus Deoque grates agentibus. De cujus obitu Paulus certior factus, Moyſen quemdam ejus in locum ordinavit. Rurſum Dionyſius idem ſcribit: *Anno 833. obiit ſanctus Mar Jacobus, doctor, epiſcopus Batnorum Sarugi, cui Moyſes ſuffectus fuit.* Hæc ille Jacobitarum primarius antiſtes, qui nunquam Jacobum inter ſanctos & eccleſiæ doctores habuiſſet, ſi in lucubrationibus quas ille, ſive dum preſbyter, ſive dum epiſcopus erat, Chalcedonenſem de Deo carne facto fidem profeſſus eſſet. Doctiſſimus Renaudotius in annotationibus ad ejuſdem Jacobi Sarugenſis *Anaphoram* ſive liturgiam Syriacam obſervat, « Neſtorianæ hiſtoriæ ſcriptoribus Jacobum æqualem fuiſſe Acacio, quem vigeſimum ſecundum Catholicorum ſuorum numerant; litteris ſacris operam dediſſe in ſchola Edeſſena, quæ florentiſſima tunc fuit, & initio Neſtorianorum opinioni adhæſiſſe: poſtquam vero Anaſtaſium Imp. Severo plurimum tribuere, & in ejus ſententiam conſenſiſſe intellexit, unius naturæ fidem profeſſum eſſe, illamque acriter defendiſſe. » Plane Aſſemanus excerptum profert ejus ad Samuëlem epiſtolæ, qua Neſtorium rejiciebat, qui duas naturas per ſe ſubſiſtentes poneret, tum alios perſtringebat, *ejuſdem cum illo ſententiæ, qui pravam hanc doctrinam callide ſtabilire & artificioſe obtrudere volentes ſervari oportere uniuſcujuſque naturæ proprietatem.* Quibus procul dubio catholicos, ceu Neſtorio affines carpebat, qui cum Leone Papa in ipſius ad Flavianum epiſtola, utriuſque naturæ A proprietatem ſalvam in Chriſto ſtare docebant. Hanc epiſtolæ partem Aſſemanus à Severianis Jacobitis adulteratam aſſerit, utinam probaret. Quamquam non omittam Timotheum Conſtantinopolitanum preſbyterum in ſuo de hæreticorum receptione opuſculo, ubi de Jacobo Zanzalo, à quo Monophyſitæ appellari Jacobitæ cœperunt, monere, *alium hunc eſſe à Jacobo Batnarum, qui orthodoxus fuit*, καὶ Ἰάκωβος, οὐχ ὁ τῶν Βατνῶν ὀρθόδοξος, ἀλλ' ὁ αἱρετικός. Propter quem Timothei locum conjiciendum datur, Jacobitas ſuæ ſectæ per B ſummum nefas vindicare ſtuduiſſe Jacobum Batnarum, ob eximiam illam qua in Orientis partibus claruerat, eruditionem. Timotheum porro iſtum eumdem eſſe putavit vir doctus, atque Timotheum illum qui ex preſbytero & Sceuophylace magnæ eccleſiæ in Byzantinum archiepiſcopum promotus eſt ab Anaſtaſio Monophyſitici dogmatis acerrimo vindice, ſed manifeſtiſſimo errore, ac centum fere annorum prochroniſmo, quando Timotheus preſbyter de hæreticorum receptione ſcribebat poſt Juſtiniani Imper. tempora, ſub C Mauritio & Phoca, imo & Heraclio Impp. Non omittam Jacobum Batnon & Sarugi paſſim à Moyſe Barcepha laudari in opere *de Paradiſo,* quod Andreas Maſius è Syriaco idiomate in Latinum convertit.

V. Moyses.

Anno itaque, ut prædictum eſt, Græcorum 833. Chriſti 521. Jacobo defuncto, à Paulo Antiocheno Patriarcha *Moyſes* orthodoxus Batnarum ſive Sarugi epiſcopus conſtitutus eſt, Dionyſio Jacobitarum Patriarcha D duobus in locis teſte.

VI. Julianus.

Moyſi utique ſuffectus erit *Julianus,* qui in quinta ſynodo ſedit & ſubſcripſit, *Julianus miſericordia Dei epiſcopus Batnon,* ſive *Batnarum.*

V. ECCLESIA CHARRARUM.

Charræ oppidum antiquum Ammiano Marcellino lib. 23. cap. 2. ex quo in Perſidem viæ duæ dividuntur, læva per Adiabenam & Tigridem, dextra per Aſſyrios & Euphratem. Omitto Ptolemæum & Plinium, qui hujus quoque urbis meminerunt, *Charras Craſſi clade nobiles* dixit Plinius. Communis aſſertio eſt, hanc eamdem eſſe civitatem quæ Harram in Geneſi dicitur, unde Abraham Euphrate trajecto in terram Chanaan venit, & quo Jacob ad Laban avunculum ſuum perrexit. Sic Hieronymus in locis Hebraïcis: *Charran civitas Meſopotamiæ trans Edeſſam, quæ uſque hodie Charra dicitur, ubi Romanus cæſus eſt exercitus.* Quanquam difficultate non caret, quod poſt Euſebium Charras ultra Edeſſam ponit, quando ſcriptoribus aliis ad Chaborum amnem haud procul ab Euphrate jacet. Charris progreſſus primis ſæculis non fecit religio Chriſtiana; Julianus ſiquidem Apoſtata contra Perſas

Digitized by Google

ECCLESIA CHARRARUM.

vadens, Edeſſa omiſſa, quæ tota Chriſto dedita eſſet, Charras potius petiit; ſed & ſæculo ſexto Choſroi Perſarum regi in Romanorum ditionem invadenti, quum Charreni cives obviam veniſſent, injunctam eis pecuniæ ſummam quam afferebant condonavit, quorum quidem pauci *Chriſtiani erant, alii priſcæ ſuperſtitionis,* ait Procopius lib. 2. de bello Perſico cap. 13. ὧν πλεῖστοι οὐ χριστιανοὶ, ἀλλὰ δόξης τῆς παλαιᾶς τυγχάνουσιν ὄντες. Hinc & utique quod in libello ſupplice Samuëlis & aliorum Edeſſæ preſbyterorum ad Photium Tyri & alios epiſcopos quos Imperator Theodoſius junior delegaverat, ut Ibæ Edeſſeni cauſam examinarent, Daniël Ibæ fratruelis modo ab illo *civitatis Charrarum* epiſcopus ordinatus dicitur, modo *civitatis Gentilium,* ἐπίσκοπον τῆς Ἑλλήνων πόλεως. Suos tamen Charrarum eccleſia viros ſanctitate inſignes habuit, quos Sozomenus laudat, Euſebium, Vitum, Protogenem, & Aaronem.

EPISCOPI CHARRARUM.

I. Abgarus.

Theophanes ad annum 3. Juliani Imp. narrat, eo Perſidis fines ingreſſo, hydriam aquæ in domo ruſticæ cujuſdam mulieris Chriſtianæ in vinum converſam, quod in vici eccleſiam ad *Abgarum* epiſcopum in vaſe latum fuit, poſtridie vero mulierem Charris crinibus ſuſpenſam repertam eſſe, quam non ſatis conſtat, fuerit-ne mulier illa Chriſtiana cui Deus vinum ex aqua fecerat. At certe Abgarum Charrarum præſulem fuiſſe narratio iſta ſatis ſignificat.

II. Barses.

Chronicon Edeſſenum num. 25. teſtatur, anno Græcorum 672. Chriſti 349. *Barſem epiſcopum ex urbe Charran Conſtantii Imp. juſſu Edeſſam eſſe tranſlatum.* Qui proinde ut fruſtra putavit Sozomenus lib. 6. hiſt. cap. 32. ex illis epiſcopis non erat, qui nulli ſedi addicti eſſent.

III. Vitus.

Anno Chriſti 371. Charrarum epiſcopus ſedebat *Vitus,* qui ſubſcriptus legitur epiſtolæ ſancti Baſilii ad Occidentales: ſed & Baſilius ei quoque data epiſtola ſignificavit, quanto ipſum honore haberet, ac ſanctiſſimum preſbyterum ipſi narraturum quæ apud Occidentales ad quos miſſus fuerat, obſervaſſet. Sozomenus lib. 6. cap. 33. Vitum monaſticam coluiſſe vitam ſcribit, mutorumque loquela celebrem fuiſſe aſſerit: Conſtantinum Imp. Κωνσταντῖνον quum primùm illum aſpexiſſet, declaraſſe hominem iſtum ſibi olim à Deo in viſu oſtenſum eſſe, cui omnes morem gerere deberent. Quod Conſtantio potius Conſtantini filio accidiſſe dixero, propter temporum rationem; nam *Vitus Charrenſis* in vivis adhuc agebat anno 381. quo ſynodo generali Conſtantinopolitanæ priori interfuit.

IV. Protogenes.

Ex monacho apud Charras exactiſſimæ vitæ *Protogenes* Edeſſenæ eccleſiæ preſbyter creatus, à Valente Imp. Ariano Antinoum in Thebaïdis urbem delatus, ludum ibi docendis pueris aperuit, miraculiſque editis claruit. Valente vero extincto in patriam reverſus Vito epiſcopo Charrenſi datus eſt, qui urbem Gentilium obſitam ſpinis coleret, cui ſubinde ſucceſſor datus fuit. Theodoretus hiſt. relig. cap. 17.

V. Abraamius.

Protogenis ſucceſſor *Abraamius* ex monacho epiſcopus factus, civitatem impietatis erroribus plenam aſſiduo labore ad Dei cultum magna ex parte traduxit, effecitque ut Spiritus ſegetibus abundaret. Priſcam quam inierat vivendi rationem nunquam mutavit, quin nec meloten ipſam quam olim induerat. Theodoſius junior Imper. hujus ſanctiſſimi antiſtitis videndi deſiderio captus, cum ad ſe adductum humaniſſime complexus eſt; cujus uxor Eudocia ac ſorores, etſi linguæ Græcæ ignarus erat, genua, manuſque prenſantes, rogabant ut ipſas apud Deum commendaret. In urbe regia Conſtantinopoli diem obiit poſtremum, cujus corpus Charras Imp. remiſit, quod in itinere à multis civitatibus, & Antiochia præſertim magnis honoribus exceptum eſt. Hæc Theodoretus hiſt. relig. c. 17.

VI. Daniel.

In concilio Antiocheno, quod Athanaſii Perrhenſis epiſcopi cauſa habitum eſt anno 444. ſedebat *Daniel Charrarum epiſcopus,* Δανιῆλος ἐπίσκοπος Καῤῥῶν, ſeu potius Χαῤῥῶν. Sed & in altero ſubinde in cauſa Ibæ Edeſſeni, cujus ipſe vel frater ἀδελφὸς, vel certe, ut alibi diximus, fratruelis erat. Id quod teſtantur Samuël & alii Edeſſæ preſbyteri, qui utrumque in jus tanquam diverſorum criminum reos vocaverunt. Atqui Daniëlem quem Ibas epiſcopum civitatis Charrarum, *civitatis,* inquam, *Gentilium* ἐπίσκοπον τῆς Ἑλλήνων πόλεως, conſtituerat, inprimis accuſabant quod mulierem viro nuptam deperiret. Ex Chronico Edeſſeno à Dioſcoro Alexandrino in Epheſina ſynodo ſecunda anathemate Daniël Charrarum perculſus dicitur cum Domno Antiocheno, Irenæo Tyri, Iba Edeſſæ, Sophronio Telæ, ſive Conſtantinæ, & Theodoreto Cyri.

VII. Joannes I.

VII. Joannes I.

Inter Chalcedonenſis concilii patres ſedit & ſubſcripſit *Joannes epiſcopus civitatis Carrarum*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος πόλεως Καῤῥῶν, qui poſt ſeptem annos ſubſcripſit quoque epiſtolæ ſynodi provinciæ Oſrhoënes ad Leonem Imperatorem, de nece S. Proterii Alexandrini, & ejuſdem Chalcedonenſis concilii auctoritate.

VIII. Stratonicus.

Ex hiſtoria Joſue Stylitæ qui de ſui temporis Anaſtaſio I. Imp. calamitatibus Syriaco ſermone ſcripſit, anno Græcorum 822. Chriſti 511. menſe Decemb. fami & peſtilentiæ quæ per Orientis provincias graſſabantur, ſucceſſit intolerandum frigus, & Edeſſenæ eccleſiæ œconomi Mar Turaël preſbyter & Mar Stratonicus juxta eamdem eccleſiam hoſpitium exſtruxere. Mar vero *Stratonicus* ſubinde Charrenſis eccleſiæ epiſcopus eſt creatus. To. 1. Bibl. Orient. pag. 271.

IX. Joannes II.

Eodem Anaſtaſio Imp. & Severo hæretico Antiochiæ eccleſiæ præſule, ſedebat *Joannes II. epiſcopus Harran ſive Charrarum*, Monophyſita, qui à Juſtino I. Imper. Anaſtaſio defuncto, amandatus eſt; ex Dionyſii Jacobitarum Patriarchæ Chronico. Hic à Jacobitis inter ſanctos colitur die 2. Decembris.

X. Constantinus.

XI. Leo.

Ex Joanne Simonio Aſſemano Maronita to. 1. Bibl. Orient. p. 466. in Cod. Vaticano Syriaco 24. epiſtola exſtat Eliæ Jacobiticæ ſectæ epiſcopi apologetica, qua teſtatur *Conſtantinum* epiſcopum Harran ſua ætate claruiſſe, ſcripſiſſeque *Expoſitionem Nicænæ Chalcedonenſiſque fidei*, in qua Elias Conſtantini ſucceſſorem Leonem ſic alloquitur: *Hunc igitur in modum ſcripſit Conſtantinus, qui veſter in urbe Haran præſul fuit, in libro cui titulus, Expoſitio definitionis ſynodorum Nicænæ & Chalcedonenſis.* Addit librum alterum ab eo editum adverſus Severum Antiochenum, eumque neſcio cujus Georgii alumnum dicit. Tertium ejus opus memorat, inſcriptum Anagnoſticon de hymno Triſagio, *ubi*, inquit, *mærorem populi ob ademtam è Triſagio hymno crucem callide levare Conſtantinus conatur.* Ex quibus compertum fit Conſtantinum & Leonem epiſcopos Haran orthodoxæ fidei patronos ſe præbuiſſe.

ECCLESIA CHARRARUM.

LEO.

Conſtantino ſucceſſit *Leo*, ad quem Elias ille Jacobita ſcribebat, quique diu poſt annum 700. floruit, quippe quum Elias Joannem Damaſcenum, ejuſque Dialecticam & librum *de Fide Orthodoxa* hæretico more perſtringebat, *Jannem* eum pro *Joanne* per ſummam injuriam appellat. Se autem à Damaſceno noſtro confutatum prodit, Tractatu illo, quem *Petri epiſcopi ſui Damaſceni nomine adverſus Jacobitas compoſuit*, ubi nempe libellum innuit quem *de recta ſententia* inſcriptum inter Joannis Damaſceni opera edidimus olim, quique in codicibus quibuſdam huncce titulum præfixum habet: Ἴσον λιβέλλου ὑπαγορευθέντος παρὰ Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ, ἐπιδοθὲν δὲ παρὰ Ἠλία ἐπισκόπου Πέτρῳ ἐπισκόπῳ Δαμασκοῦ, *Pariculum libelli dictati à Joanne Damaſceno, quemque Elias epiſcopus Petro Damaſci epiſcopo tradidit.* Libellus iſte rectæ fidei accurata profeſſio eſt, quam Elias epiſcopus ille Jacobita ejurata hæreſi amplexus videbatur, ſed quam poſthac abnegavit. Cæterum, quando hæc tempore ſancti Joannis Damaſceni Damaſci geſta ſunt, gravis mihi ſuſpicio eſt Conſtantinum & Leonem illos, non *Harran* ſive Charrarum Oſrhoënes epiſcopos fuiſſe, ut Aſſemanus putavit, ſed *Harran* Syriæ Libani, quæ metropoli Damaſco ſuberat, & cujus ſubinde epiſcopus quoque fuit Theodorus Abucaras nuncupatus, Joannis Damaſceni quondam auditor, quemadmodum jam ſuo loco evictum à nobis eſt.

VI. ECCLESIA CIRCESII.

Circesium Κιρκήσιον, vel, ut Eutropius, aliique Latini ſcriptores dicunt, *Circeſſus*, vel etiam ut Ammianus lib. 23. cap. 4. *Cercuſium, munimentum fuit tutiſſimum, & fabre politum, cujus mœnia Abora & Euphrates ambiunt, velut ſpatium inſulare fingentes.* Hoc à Diocletiano conditum tradit Eutropius, Procopius vero lib. 2. de ædif. cap. 6. à Juſtiniano inſtauratum. In notitia veteri epiſcopatuum Κιρκισία, *Circiſia* ſcribitur, quam Hierocles omiſit.

EPISCOPI CIRCESII.

I. Jonas.

Si qua fides Amro Matthæi Neſtorianarum rerum ſcriptori quem Hebed-Jeſu Sobenſis in collectione canonum appellat, *Jonas* Circeſii Nicænæ ſynodo primæ interfuit,

Digitized by Google

ECCLESIA CIRCESII.

ex eorum Orientis epiſcoporum numero qui aliqua corporis parte in nupera perſequutione mutilati fuerant. To. 1. Bibl. Orient. p. 170. & to. 3. pag. 588.

II. Abraamius.

In concilio Chalcedonenſi ſedit & ſubſcripſit *Abraamius epiſcopus Circeſii*, Ἀβραάμιος ἐπίσκοπος Κιρκισίου, qui rurſum ſubſcriptus legitur ſynodicæ epiſtolæ provinciæ Oſrhoënes ad Leonem Imp.

III. Nonnus.

Anno 518. Circeſii epiſcopus ſedebat *Nonnus* Monophyſita, qui ut-pote Severo Antiocheno addictior Juſtini Imp. juſſu in exilium miſſus eſt, quum hæreſim nollet ejurare. Quod teſtatur Dionyſius Jacobitarum A Patriarcha apud Aſſemanum to. 2. Bibliot. Orient. in diſſertatione *de Monophyſitis*. Hic in vivis ſuperſtes erat anno 532. unuſque fuit è Severianis epiſcopis, qui illo anno collationem Conſtantinopoli cum Hypatio Epheſino aliiſque catholicis epiſcopis habuerunt, *Nonnus epiſcopus Cereſinæ civitatis*, pro *Cerceſinæ*.

IV. David.

B Synodo Conſtantinopolitanæ ſub Menna Patriarcha interfuiſſe legitur *Davides epiſcopus Circeſii*, Δαβίδης ἐπίσκοπος Κιρκισίου.

V. Thomas.

Quinto item concilio generali adſuit & ſubſcripſit *Thomas miſericordia Dei epiſcopus Circeſii*.

VII. ECCLESIA RHÆSINÆ, *ſive* THEODOSIOPOLIS.

RHÆSINA Meſopotamiæ, ſive Oſrhoënes civitas, clara Romanis temporibus fuit, Perſarum exercitu illic fuſo à Gordiano juniore Imperat. quemadmodum Ammianus narrat lib. 23. cap. 74. Ptolemæus Rhæſinam inter Edeſſam & Maſium montem ſtare ſignificat, Stephanus vero ad Aboram, ſive Chaboram fluvium jacere cis montes Armeniæ. In eam Severus Imp. coloniam Romanorum deduxit, cujus eſt mentio in ejuſdem urbis nummo qui ſub Decio Imp. cuſus eſt. Theodoſiopolis ſubinde dicta eſt à Theodoſio magno, *qui hanc civitatem fecit*, ait Joannes Malalas, part. 2. pag. 40. *& Theodoſiopolim appellavit: ex quo tempore vicus ille civilia jura ſibi vindicavit uſque ad hæc tempora, Merobande & Saturnino coſſ.* ἐποίησε δὲ ὁ αὐτὸς (Θεοδόσιος) καὶ τὴν λεγομένην πρώην κώμην Ροφάεναν (Ρασάεναν) πόλιν, ἥτις μετεκλήθη Θεοδοσιούπολις, λαβοῦσα ἐκ τότε αὕτη κώμη καὶ δίκαια πόλεως, ἕως τοῦ νῦν ὑπατείας Μερωβαυδ. καὶ Σατορνίνου. Hanc Armeniæ majori Procopius attribuit lib. 1. de bello Perſico cap. 10. quamlibet in Meſopotamia poſita eſſet, ſed in Perſarmeniæ finibus, *ad Perſarmeniæ fines*, inquit, *parem huic urbem fecit*. (Daræ civitati Anaſtaſius Imp.) *in vico veteri, qui quum urbis dignitatem verbo tenus accepiſſet à Theodoſio Auguſto, ejus de nomine Theodoſiopolis dicebatur.* Plane eidem Procopio cap. 17. Meſopotamia ſuperior Armenia nuncupatur. In notitia Hieroclis, & veteri Græca, Theodoſiopolis Oſrhoënæ cenſetur. Ac quidem quum ſanctus Thomas Apoſtolus Edeſſæ urbis & Oſrhoënorum præcipuus patronus eſſet, Eunomius Theodoſiopolis ejuſdem Apoſtoli invocatione inanes reddidit conatus Varanis Perſarum regis qui eam obſidione premebat. Juſtinianus poſtmodum hac in urbe templum Deo in Dei-genitricis honorem exſtruxit, monaſteriumque refecit, cui *Petrios* nomen, in loco Cucarici.

EPISCOPI RHÆSINÆ.

I. Antiochus.

AB ipſis ſaltem Conſtantini magni temporibus epiſcopos ſuos habuit Rhæſina; nam in indice Patrum Nicænorum de provincia Meſopotamiæ legitur, *Antiochus Riſinatenſis*, nec-non in ſubſcriptionibus canonum Antiocheni concilii.

II. Eunomius.

Theodoretus lib. 5. hiſtor. eccl. cap. 37. narrat Gororanem Iſdegerdis Perſarum regis filium & ſucceſſorem, poſt Arcadii Imper. C obitum rupto cum Romanis fœdere, ſub Theodoſio juniore obſidione cinxiſſe urbem quæ de Imperatoris nomine dicebatur, ἐπώνυμον τοῦ βασιλέως, Theodoſiopolim proinde: illi vero divinum *Eunomium* civitatis epiſcopum reſtitiſſe, machinarum ejus vim retudiſſe, & barbaro regulo quodam ſacrum Dei templum ſe vaſtaturum incendio minitante, D balliſta quæ Thomæ Apoſtoli nomine inſcripta erat, lapidem injectum reguli caput comminuiſſe; unde Varanes, obtinendæ urbis ſpe amiſſa, obſidionem confeſtim ſolvit.

Digitized by Google

III. Joannes.

Concilio Antiocheno quod Athanaſii Perrhenſis epiſcopi cauſa an. 444. coactum eſt à Domno Patriarcha Antiocheno, & cujus geſta exſtant inter acta Chalcedonenſis concilii, adfuit *Joannes Theodoſiopolis*, ſive *Rhæſinæ*, Ἰωάννης Θεοδοσιουπόλεως.

IV. Olympius.

In Chalcedonenſi poſthac ſedit & ſubſcripſit *Olympius epiſcopus Theodoſiopolis majoris Armeniæ*, Ὀλύμπιος ἐπίσκοπος Θεοδοσιουπόλεως τῆς μεγάλης Ἀρμενίας.

V. Andreas.

Zeno Imp. Petro Cnapheo Antiochenæ eccleſiæ tyranno ſuadente, ut multos alios è ſuis eccleſiis præſules, ita quoque *Andream* Theodoſiopolis epiſcopum amandavit, qui edictum ſuum unitivum, ἑνωτικὸν, non admiſiſſent, καὶ Ἀνδρέαν Θεοδοσιουπόλεως. Theophan. ad ann. 16. Zenonis.

VI. Petrus.

Juſtinus I. *Petrum* Rhæſinæ epiſcopum in exilium egit anno 518. ob Severi hæreſim quam profitebatur; ex Dionyſii Jacobitarum Patriarchæ Chronico. Aſſem. tom. 2. Bibl. Orient. diſſert. *de Monophyſitis*.

VII. Ascholius.

Petro utique ſuffectus fuit *Aſcholius*, quem Dionyſius ille Patriarcha in Chronico narrat à Sergio quodam archiatro apud Ephræmium Antiochenum accuſaſſe hæreſis, ut conjectari licet, Monophyſiticæ. Addit Dionyſius: *Erat autem Sergius vir eloquens, & in litteris Græcis atque Syriacis verſatus, & doctiſſimus corporum medicus: voluntate quidem eunuchus, ut ex prologo colligitur, moribus vero admodum corruptis ac turpibus & luxuriæ vitio, nec-non avaritiæ inquinatis. Huic Ephræmius id quod ab ipſo rogabatur, ſpopondit, ſi ad Agapitum Romanum litteras pertuliſſet. Quod quum in ſe* A *recepiſſet Sergius, Romam profectus, Agapitum inde Conſtantinopolim deduxit.*

VIII. Daniel.

Hebed-Jeſu Sobenſis in catalogo ſcriptorum Syrorum cap. 152. meminit *Danielis* Rhæſinæ, qui volumina edidit adverſus Marcionitas, & adverſus *Manichæos hæreticos & Chaldæos*, ſive *Aſtrologos*; quos nempe omnes S. Ephræm Edeſſenus perinde confutarat. Atqui Daniël Rhæſinæ epiſcopus tempore Mar Abæ I. Neſtorianorum catholici ſedebat, B anno Chriſti 550. *Aſſem. to. 3. Bibl. Orient. pag. 223.*

IX. Sebastianus.

Inter epiſtolas ſancti Gregorii Papæ lib. 1. epiſtola 28. inſcribitur *Sebaſtiano epiſcopo Rhiſinenſi*, qua ſignificabat ſe multis precibus ab Imperatoribus poſtulaſſe, « ut virum beatiſſimum Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum, conceſſo uſu Pallii, ad B. Petri Apoſtolorum principis limina ſecum Miſſarum ſolemnia celebraturum tranſmitterent, quando C illi ad ſuam reverti ſedem minime licebat. Cæterum rogat, ut ejuſdem Domini Anaſtaſii animum cognoſcat, & quidquid ipſi hac de re placuerit, ſuis ſibi litteris indicet ». Rurſum lib. 5. epiſtola 42. eidem *Sebaſtiano epiſcopo Rhiſinenſi*, qui de Anaſtaſii Antiocheni diœceſi erat, comperimus, hunc ſanctiſſimo Papæ ſcripſiſſe pro amico quodam ſuo viro Romano, cujus tamen malitia Longobardorum gladios vicerat. Subdit ſe à Bonifacio defenſore accepiſſe, quod Anaſtaſius Patriarcha ipſi (Sebaſtiano) committere eccleſiam D alteram voluerit, ipſe vero renuerat, ejuſque ſenſum & ſapientiam laudat. Offert autem illi eccleſiam alteram quæ in Sicilia vacabat. Quod argumento mihi eſt Sebaſtianum urbem ſuam Perſarum incurſione utique deſolatam, deſerere compulſum.

VIII. ECCLESIA MARCOPOLIS.

Marcopolis Oſrhoënes civitas eſt in notitia veteri Græca, ejus vero nulla uſquam alibi mentio eſt, niſi in actis ſynodorum. Hanc à Marco Aurelio Antonino Cæſare dictam affirmare licet, cujus patrium nos nomen fugit.

EPISCOPI MARCOPOLIS.

I. Cyrus.

In ſubſcriptionibus nonnullarum litterarum, quas epiſcopi Orientis cum Joanne Antiocheno Epheſi adverſus legitimam ſynodum quæ illic celebrabatur, ac præſertim Cyril- D lum Antiochenum, Epheſinumque Memnonem ediderunt, *Cyrus Marcopolis epiſcopus* occurrit; unde meruit cum aliis ejuſdem factionis catholica communione à ſancto

ECCLESIA MARCOPOLIS.

concilio interdici. Exſtant illæ cap. 13. & 28. collectionis ex Tragœdia Irenæi.

II. Cajumas.

In ſynodo Chalcedonenſi ſedit, decretiſque illius ſubſcripſit *Cajumas epiſcopus Marcopolis*, Καιυμᾶς ἐπίσκοπος Μαρκουπόλεως, qui in indice Patrum ejuſdem concilii Latino inter epiſcopos Oſrhoënes cenſetur, *Cajumas Marcopolitanus*.

IX. ECCLESIA DAUSARORUM.

DAUSARA, Stephano Byzantino civitas eſt Edeſſæ vicina, πόλις περὶ Ἔδεσσαν. Procopio autem lib. 2. de ædif. cap. 6. Caſtellum dumtaxat dicitur Theodoſianopolitanorum ſive Rhæſinatenſium, quod Juſtinianus munivit: nec ſane ante hæc tempora Dauſarorum epiſcopi mentio occurrit.

EPISCOPI DAUSARORUM.

I. Nonnus.

Quinto concilio generali quod Juſtiniano Imp. Conſtantinopoli Trium capitulorum famoſorum cauſa celebratum eſt, adſuit & ſubſcripſit *Nonnus miſericordia Dei Dauſarorum epiſcopus*.

X. ECCLESIA HIMERII.

HIMERIUS vel *Himerium* Oſrhoënes civitas eſt in notitia veteri Græca epiſcopatuum, cujus nulla Hierocli mentio, etſi ſæculo ſaltem quarto notiſſima erat. In actis ſynodorum Ἱμέριος, *Himerius*, ſive Ἱμέριον, *Himerium*, & Ἱμερία, *Himeria* dicitur: Ἡμέριος, *Hemerius* vero Procopio lib. 2. de ædif. cap. 9. cujus nempe mœnia, τὰ τείχη, à Juſtiniano Imp. reſtituta ſunt, locuſque munitiſſimus factus eſt. Hanc tamen ille in Euphratenſi provincia collocat, Neocæſaream inter & Barbaliſſum, utique quia urbibus illis vicina erat ad Orientale fluminis latus.

EPISCOPI HIMERII.

I. Eustathius.

BASILIUS magnus epiſtolam ſuam quæ 30. cenſetur, dedit, velut Lucas Holſtenius monuit, Εὐσταθίῳ Ἱμερίων *Euſtatio Himerorum*, rogans eum ut ad ſe ſcriberet; ſibi quippe mutuo litterarum commercio aliquantum ſolatii affuturum, quo tempore Chriſti hoſtes continuis incurſionibus ejus ovile infeſtabant.

II. Jobianus.

Inter ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis prioris Patres ſedebat *Jobianus Himerienſis*.

III. Antonius.

Epheſi cum aliis Orientalibus ſuis ad Epheſinum concilium venit *Antonius epiſcopus Himerii*, variiſque eorum litteris & decretis quæ in legitimam ſynodum cuderunt, ſubſcriptus legitur in Collectione Caſſinenſi ex Tragœdia Irenæi Tyrii; unde catholica à Patribus communione privari meruit.

IV. Uranius.

In Antiochena ſynodo, quæ anno 444. propter Athanaſium Perrhæ habita eſt, ſedebat *Uranius epiſcopus Himerorum*; qui poſthac rurſum ad Epheſinam ſecundam ſynodum quum veniſſet, iniquis ejus decretis volens nolens ſuffragatus eſt, *Eulogio epiſcopo Edeſſeno ipſum interpretante*: Οὐράνιος ἐπίσκοπος Ἱμερίας, ἐπαρχίας Ὀσροηνῆς, ἑρμηνεύοντος αὐτὸν Εὐλογίου ἐπισκόπου Ἐδέσσης. Eo nimirum quod in illa Tranſeuphratenſi regione, Græcum idioma familiare non erat. Cæterum poſt biennium id quod male geſſerat, emendavit in concilio Chalcedonenſi, cui ſubſcripſit manu Pauli preſbyteri ſui, ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Παύλου πρεσβυτέρου μου.

V. Manus.

Zenone Imp. Petri Cnaphei Antiochenæ ſedis pervaſoris ſuggeſtionibus *Manus Himeriæ epiſcopus*, perinde atque alii rectæ fidei tenaces, ſua ſede pulſus eſt, ac ſi tyrannis faviſſet, re vero ipſa quod Zenonis Ἑνωτικὸν, unitivum edictum non probaret, καὶ Μάνον Ἱμερίας: quod quidem Theophanes narrat ad annum 16. Zenonis.

VI. Joannes *hæreticus*.

Aſſemanus tomo 2. Bibl. Orient. diſſert.

Digitized by Google

de Monophyſitis, ex Dionyſii Jacobitarum Patriarchæ Chronico refert, Juſtinum Imp. A ann. 519. *Joannem Amoriæ epiſcopum*, Chalcedonenſi ſynodo infenſum exilio relegaſſe, ubi profecto *Amoriam* Syrus amanuenſis pro *Himeria* poſuit. Agitur enim de Severi Antiocheni aſſectatoribus, qui in Syriæ & Oſrhoënes partibus eccleſias tenebant; nec ulla in iis civitas in notitiis occurrit quæ *Amoria* vocitata ſit. ECCLESIA HIMERII.

VII. Sergius.

Quintæ ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit *Sergius miſericordia Dei epiſcopus Himereos*, ſive *Himeriæ*.

XI. ECCLESIA NOVÆ VALENTIÆ.

NOtitia Hieroclis & Græca vetus inter urbes Oſrhoënes *Novam Valentiam* habent, cujus tamen nulla eſt apud alios ſcriptores mentio, niſi in quarumdam ſynodorum geſtis, in quibus *Valentia* dumtaxat ſcribitur; quæ, ut augurari licet, à Valente Imp. vel condita, vel refecta erit. Quia vero in actis quintæ ſynodi, ubi libellus recitatur quem Samuël, Cyrus & Eulogius Edeſſeni, Photio Tyri & Euſtathio Beryti adverſus Ibam præſulem ſuum obtulerunt, *Ballæus* & *Valentius* nomen idem ſunt: hinc in mentem venit an-non urbs quam Syri *Ballam* vel *Baliam* dicunt, haud procul *Callinico* diſtans, eadem ſit atque *Valentia*.

EPISCOPI NOVÆ VALENTIÆ.

I. Evagrius.

EPHESINÆ ſynodi prioris tempore ſedebat A *Evagrius epiſcopus Balentiæ* ſive Valentiæ, qui ſynodicis Joannis Antiocheni & Orientalium adverſus legitimum concilium ſubſcriptus legitur; unde & à legitima ſynodo cum aliis Orientalibus catholica communione privari meruit.

II. Basilius.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Oſrhoënes ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini, & Chalcedonenſis concilii auctoritate ſubſcriptus quoque legitur *Baſilius Balienſis*, id eſt *Valentienſis*. In nova & Regia Harduini collectionie, poſt Abrahamium epiſcopum Circeſii, legitur Baſilius epiſcopus Batnenſis.

XII. ECCLESIA MACEDONOPOLIS.

URbem *Macedonopolim* dictam nuſquam apud ſcriptores veteres, aut in notitiis reperi, ſed in geſtis dumtaxat ſynodorum, in quibus, tum Oſrhoënes, tum Meſopotamiæ attribuitur; in concilii Nicæni generalis primi actis, provinciæ Meſopotamiæ cenſetur, Oſrhoënæ vero in Chalcedonenſi. Quæ civitas Macedonum omnino, qui has regiones obtinuerunt ſub Alexandro magno, cjuſque ſucceſſoribus colonia erat.

EPISCOPI MACEDONOPOLIS.

I. Marcus.

IN Nicænorum Patrum indice, *de provincia Meſopotamiæ* legitur, *Marcus Macedonopolitanus*, qui quarto loco ponitur poſt Edeſſenum, Niſibenſem & Rhæſinatenſem. In B quibuſdam codicibus Mareas & Marinus dicitur, errore ſcilicet amanuenſium.

II. Daniel.

In ſynodo Chalcedonenſi ſedit, ejuſque decretis ſubſcripſit *Daniel epiſcopus Macedonopolis*, Δανιὴλ ἐπίσκοπος Μακεδονοπόλεως; qui in indice Patrum ſeptimus legitur epiſcoporum Oſrhoënes. Nomen ejus Latinè tantum ſupereſt initio actionis primæ.

XIII. ECCLESIA BIRTHÆ.

EX veteri notitia epiſcopatuum Græca *Birtha* vel *Birha* provinciæ Oſrhoënes civitas eſt, Βίρθα, quemadmodum & in Hieroclis Synecdemo, in quo tamen male ſcribitur *Birthra* Βίρθρα. Ammiano Marcellino lib. 20. cap. 8. *Virta munimentum valde vetuſtum erat, ut*

ECCLESIA BIRTHÆ.

ædificatum crederetur à Macedone Alexandro, in extremo quidem Meſopotamiæ ſitum, ſed muris velut ſinuoſis circumdatum & cornutis, inſtructioneque varia inacceſſum. Quæ quidem Virta eadem eſſe videtur ac Birtha. Hujus quoque meminit Procopius lib. 1. de ædif. c. 4. quippe quam Juſtinianus Imp. inſtauravit, *ad Euphratem*, inquit, *poſitam.*

EPISCOPI BIRTHÆ.

I. Sergius.

ANASTASIO I. Imp. *Sergius* epiſcopus Birthæ caſtri ad Euphratem, illud, Auguſto expenſas ſuppeditante, muris firmavit, quibus adverſus Perſarum incurſiones reſiſteret;
C quod quidem patratum eſt anno Græcorum 817. Chriſti 506. referturque à Joſue Stylita apud Aſſemanum, tom. 1. Bibl. Orient. pag. 282.

X. PROVINCIA MESOPOTAMIÆ.

I. ECCLESIA AMIDÆ METROPOLIS.

MESOPOTAMIAM provinciam Trajanus Auguſtus inſtituit ab Oſrhoëne ſejunctam, cujus metropolim eſſe *Amidam* voluit: quod Joannes Malalas in *Trajano* tradit: ὁ δὲ αὐτὸς βασιλεὺς ἐποίησε τὴν Ἀμίδαν μητρόπολιν, καλέσας ἐπαρχίαν Μεσοποταμίας, ὑπομειώσας αὐτὴν τῆς Ὀσδροήνης, ſic in textu legitur, δοὺς ἄρχοντα αὐτῇ καὶ δίκαιον μητροπόλεως. Cæterum in ſynodi Nicænæ patrum indice nulla habetur diviſionis hujus provinciarum ratio, quod ſaltem eccleſiarum adminiſtrationem ſpectat; quandoquidem Meſopotamiæ dumtaxat provinciæ ibi fit mentio, cujus primus cenſetur *Etholaus*, ſive *Athullas* Edeſſenus. Quocirca Amida metropolis eccleſiaſtica haberi cœpiſſe videtur, ex quo à Conſtantio Imper. inſtaurata fuit, firmiſſimiſque mœnibus munita, anno Imperii illius 4. ut fert ad illum annum Theophanes: τούτῳ τῷ ἔτει Κωνστάντιος Ἀμίδαν οἰκοδομεῖ, τειχίσας γενναίως. Theodoretus epiſtola 3. teſtatur, ſub Domno Antiocheno Edeſſenum & Amidenum vicinarum provinciarum duarum metropolitas fuiſſe; quod planum quoque ſit ex actis ſynodi præſertim Chalcedonenſis, quæ poſtmodum afferam. In notitia Hieroclis eadem urbs prima Meſopotamiæ cenſetur; in veteri quoque Græca epiſcopatuum, ἐπαρχία Μεσοποταμίας τῆς ἄνω, ἤτοι τετάρτης Ἀρμενίας, Ἀμίδα μητρόπολις; *Provincia Meſopotamiæ ſuperioris, ſive quartæ Armeniæ, Amida metropolis.* Quocirca Procopius lib. 1. de bello Perſico, cap. 14. ait, illum Meſopotamiæ tractum qui Amidam uſque pertinet, Armeniam quoque appellari. Amidæ porro nec Strabo, ſed nec Plinius, aut Ptolemæus, qui Trajano recentiores fuere, prorſus meminerunt. Ejus ſitum paucis deſcribit Ammianus lib. 18. cap. 13. Amida, inquit, haud longe à Tigride poſita *Aquiloni obnoxia, Nymphæo amni vicina, verticibus Taurinis umbratur.* Ea urbs ab indigenis hodie *Caramit* dicitur, ſive *Cara Amid,* id eſt, nigra Amid, propter arcem ejus munitiſſimam, lapidibus nigris exſtructam, in quos nec ferrum, nec ignis valet, ait Abulfeda. Quo tempore Severianorum Monophyſitarum hæreſis in Oriente invaluit, ea lues Amidæ magnas radices egit, ſubindeque in ea ſedem fixere Jacobitarum Patriarchæ ad annum uſque Chriſti 1176. quo Michaël Patriarcha quem *Magnum* appellarunt, ea urbe relicta Marden migravit. Dionyſius illorum itidem Patriarcha in Chronico tradit anno Græcorum 940. Chriſti 629. Heraclium Imp. Amidæ majorem eccleſiam ædificari præcepiſſe; quæ certe orthodoxorum, non Jacobitarum uſui eſſet.

EPISCOPI AMIDÆ.

I. SIMEON I.

AMIDENSES epiſcopos hic recenſebo, A quotquot ea in urbe ſediſſe reperiuntur ad tempora uſque Jacobitarum, ex Chronico Dionyſii Patriarchæ illorum, quod to. 2. Bibl. Or. p. 48. à Clariſſimo Aſſemano editum eſt.

Primo itaque loco ponitur *Simeon*, qui, Ebed-Jeſu teſte in epitome canonum ſynodalium part. 1. c. 15. ex Amro Neſtorianorum hiſtoriæ ſcriptore, interfuiſſe fertur Nicæno concilio priori. De eo quoque dictum eſt to. 1. ejuſdem Bibl. p. 170. 196. ac rurſum to. 3. p. 588.

II. MARAS I.

In ſynodo Conſtantinopolitana generali priori anno 381. ſediſſe legitur *Maras Amidenus*, qui *Mareas* quoque in codicibus quibuſdam ſcribitur.

III. ACACIUS.

Maræ utique proxime ſucceſſit *Acacius*, cujus annua mentio fit in Martyrologio Romano die 9. Aprilis. *Amidæ in Meſopotamia S. Acacii epiſcopi, qui pro redimendis captivis, etiam eccleſiæ vaſa conflavit & vendidit.* Quod eximiæ caritatis ejus facinus ex Socratis hiſt.

ECCLESIA AMIDÆ.

libro 7. capite 21. acceptum eſt, ubi nempe narratur, ipſimet Perſarum regi pergratum accidiſſe, Acacium Amidæ pontificem pretioſam eccleſiæ ſuæ ſuppellectilem venumdediſſe, ut captivos quos Romani è Perſide abduxerant, omni viatico inſtructos in patriam remitteret. Epiſtolas canonicas Acacius edidit, quas Mores Perſa Neſtorianus expoſuiſſe fertur. In catalogo Catholicorum Chaldæorum, ubi de Iſaac Catholico, perperam ſcriptum eſt Marulham Martyropolis cum Acacio Amidæ Conſtantinopolim reverſum, ſynodo centum & quinquaginta epiſcoporum, ſive ſecundæ generali interfuiſſe, quando in ea ſynodo ſediſſe *Maram*, non Acacium conſtat. Ad Acacium vero ſpectare arbitror quod in illo Catholicorum Orientis, ſive Chaldæorum catalogo iterum fertur, Amidenſem epiſcopum à Theodoſio juniore Imp. ad reges Perſidis Iſdegerdis liberos delegatum, qui cum Jabdallaha Catholico, dum illic moratus eſt, canones priſcos renovavit.

IV. Asterius.

Acacium in Dionyſii Chronico ſequitur *Aſterius*, qui tempore concilii Epheſini ſedens, cum Joanne Antiocheno & Orientalibus aliis adverſus legitimam ſynodum ſtetit, ſententiamque cum illis tulit in Cyrillum Alexandrinum & Memnonem Epheſinum, ſubſcripſitque eorum actis & epiſtolis, *Aſterius epiſcopus Amidæ.*

V. Pamphilus.

Aſterio utique ſuffectus eſt *Pamphilus*, cujus ad Joannem Antiochenum epiſtolæ fragmentum reperi in Regio codice 2961. Παμφίλου ἐπισκόπου Ἀμίδης πρὸς Ἰωάννην ἐπίσκοπον Ἀντιοχείας. Paucis in illo excerpto verbis declarat *Chriſtum paſſibilem fuiſſe non eo quod ante erat, ſed illo quod factus eſt, hoc eſt propria carne:* λέγοντες δὲ παθητὸν, τουτέστι τὸν Χριστὸν, ὁμολογοῦμεν αὐτὸν, οὐ τοῦτο (imo τούτῳ) παθόντα ὃ ἦν, ἀλλ' ὃ γέγονε, τουτέστι τῇ σαρκί.

VI. Simeon II.

Antiocheno concilio, in quo, Domno archiepiſcopo præſide Ibæ Edeſſeni cauſa an. 448. diſceptata eſt, aderat *Simeon epiſcopus Amidæ*, ſed & poſt annos tres Chalcedonenſi, cujus decretis act. præſertim 6. *ſubſcripſit pro ſe, & pro epiſcopis ſub ſe conſtitutis per Petrum preſbyterum.* Συμεώνιος ἐπίσκοπος Ἀμίδης τῆς μητροπόλεως ὑπέγραψα, καὶ ὑπὲρ τῶν ὑπ' ἐμὲ, Εὐσεβίου .... διὰ Πέτρου πρεσβυτέρου. Anno ſubinde 458. Leo Imp. ad ipſum ut & alios ditionis ſuæ Romanæ metropolitas ſcripſit de ſancti Proterii Alexandrini nece, *Simeoni reverentiſſimo epiſcopo Amidæ Meſopotamiæ:* A ſed in vivis Simeon ſuperſtes non erat, aut epiſcopatum abjecerat, quippe Maras ejus ſucceſſor Imperatori, coacta ſuæ provinciæ ſynodo, reſcripſit.

VII. Maras II.

Succeſſit itaque Simeoni *Maras II.* qui, acceptis Imperatoris litteris, coacta provinciæ ſuæ ſynodo, Leoni epiſtolam reſcripſit, qua tum patratum in Proterium facinus deteſtabatur, tum Chalcedonenſem fidem approbabat. Subſcripſit, *Maras Amidæ veſtræ Me-* B *ſopotamiæ.*

VIII. Joannes.

Anaſtaſio Imperatore circa ſæculi quinti exitum, Amidæ eccleſiam gerebat *Joannes*, qui anno circiter 502. diem obiit ante obſeſſam expugnatamque à Perſis civitatem. Hic monaſticum inſtitutum amplexus erat in Cartaminenſi cœnobio.

IX. Nonnus.

X. Thomas.

C

XI. Nonnus *iterum.*

Amida, quam, ut mox dixi, Perſæ ceperant, auro à Romanis redempta, Amideni à Flaviano II. Antiochiæ Patriarcha *Nonnum* Amidenſis eccleſiæ ſuæ preſbyterum & œconomum Joanni ſubrogari poſtularunt, quorum ille votis annuit. Quocirca Nonnus Thomam chorepiſcopum Conſtantinopolim ablegavit, ut Amidæ cives qui in ea agebant, in patriam revocaret, civibuſque ſuis beneficium aliquod impetraret. Ille vero Amidenſium D quorumdam, quos in urbe regia reperit, conſilio Amidæ epiſcopatum ambit, obtinetque ab Imperatore, qui Flaviano ſcripſit, ut ejus electionem ratam haberet. Quamobrem *Thomas* in patriam reverſus, Nonno ejecto, ſedem ejus occupavit. Atqui Nonnus Amida cedere coactus, à Flaviano Seleucienſi eccleſiæ præfectus fuit. Hæc Joſue Stylita, tomo 1. Bibl. Orient. p. 280.

THOMAS.

NONNUS iterum.

Cæterum *Nonnus*, poſtquam Severus qui Flaviani ſedem uſurpaverat, ad ordinem redactus, Antiochia fugere Juſtino I. Imper. E compulſus eſt, anno circiter 518. Amidam repetiit ſub Paulo II. Patriarcha Catholico Seleucienſi eccleſia ejectus, quum utique Severi hæreſim profeſſus eſſet. Verum Amidæ ſedem non ſtatim ille reſumſit, ſed poſt Thomæ obitum; quod quidem invitus & reluctans, urgentibus civium votis patraſſe dicitur: ſed exacto nondum tertio repetiti epiſcopatus menſe vivere deſiit. Atqui Thomas

Severi

Digitized by Google

Severi hæreſi perinde nomen dediſſe colligitur è laudibus quibus eum Dionyſius in A Chronico extollit, *virum* eum appellans *magnum & ſpiritualem, continentem monachum, ſanctum & miſericordem*. Hæc, inquam, Dionyſius de Nonno & Thoma ſcripſit ex Joanne epiſcopo Aſiæ. Vide to. 2. Bibl. Or. p. 50.

XII. Maras III.

Anno 520. *Maras* Nonno ſuffectus eſt, inſignis alter Severianus, quem Joannes Aſiæ apud Dionyſium mirum in modum commendaſſe legitur; verum paucis poſt annis, ac non plane duobus, quum propter Juſtini Imper. edictum epiſcopi Chalcedonenſi B concilio infenſi ſedibus quas occupaverant, abigerentur, *pervadente*, ut Jacobitæ ſcriptores loquuntur, *Meſopotamiæ regionem perſequutione*, Maræ data optio eſt, ut vel ſynodum admitteret, aut ſedem abdicaret: quod poſtremum quum elegiſſet, exilio Petram in Arabiæ deſerto relegatus fuit. Poſt vero Juſtiniano, ſeu Juſtino potius defuncto, Theodoræ Imperatricis opera, una cum ſororibus germanis ſuis Alexandriam migrare permiſſus eſt, ubi brevi ſubinde conceſſit fatis. Ejus oſſa ſoro- C res Samona & Nonna Amidam retulerunt, quæ in eccleſia Silæ quam ipſe Maras extruxerat, condita fuere. Bibl. Orient. tom. 2. pag. 48. & ſeqq.

Addit Aſſemanus Maram commentaria ſcripſiſſe in evangelia, quorum prologum inſertum eſſe ait Chronico Zachariæ Melitinenſis epiſcopi; illius ſcilicet Zachariæ rhetoris, cujus frequens eſt mentio apud Evagrium hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptorem. Addit Zachariam fol. 97. Codicis Syriaci Vaticani 24. obſervare hiſtoriam *adulteræ mulieris*, quæ D in Joannis cap. 8. refertur, ab eodem Mara deſcriptam fuiſſe: id quod Dionyſius quoque Barſalibæus in ſuis commentariis obſervavit: *Repertum ſcilicet eſſe in Evangelio Maræ Amidæ epiſcopi, qui Græci ſermonis peritus erat, ut Zacharias rhetor & epiſcopus Melitinenſis ſcribit, in Canone Evangelii octogeſimo nono caput ſingulare Joannis, quod non in omnibus exemplaribus exſtat, neque ipſum à quopiam interprete illuſtratum viſitur. Quare viſum ſibi eſſe totum textum iſto loco exſcribere: Et quadam die factum eſt, quum Jeſus doceret, obtu-* E *lerunt ei ſcribæ & Phariſæi mulierem quamdam, quæ ex adulterio concepiſſe deprehenſa erat, &c.* Maram Joannes Aſiæ uti fideliſſimum Severi diſcipulum ſummis extulit laudibus; eumdem Zacharias rhetor ejuſdem ſectæ ſcriptor *Sanctum* appellare non dubitavit. *Exſtat autem*, inquit, *in Evangelio ejuſdem ſancti Maræ epiſcopi, canone octogeſimo nono, &c.*

XIII. Abraham.

Mara Severiano Amida pulſo, Paulus Antiochenus epiſcopum hujus urbis ordinavit *Abrahamum* Amidenſis eccleſiæ clericum & diaconum, ſanæ fidei profeſſorem, cui *Barchili* cognomen erat. Hunc Dionyſius Jacobita, ex Joanne Aſiæ, Antiochia poſt conſecrationem ſuam Amidam reverſum, diram præ cunctis qui ipſum præceſſerant, *diabolo inſtigante*, perſequutionem in Monophyſitas moviſſe ait; quo nempe priſtinam fidem Amidæ reſtitueret, quam Chalcedonenſis ſynodus definierat. *Aiunt eum*, inquit, *fideles* (id eſt Severianos) *occidiſſe, crucibus & flammis intermiſſe*, Thomæ Gotho, ſcilicet Amidæ duci, tanquam rebelles eos deferentem quos ab orthodoxa fide alienos noverat. Hæc aliaque multa ab Abrahamo patrata recitat Aſſemanus tom. 2. Bibl. Orient. p. 52. ex illo Joanne Aſiæ epiſcopo, qui horum ſe teſtem oculatum fuiſſe affirmavit.

XIV. Eunomius.

Ex illo Dionyſii Jacobitæ Chronico Abrahamum excepit *Eunomius*, ordinatus anno 546. Bibl. Orient. to. 2. p. 48.

XV. Cyriacus I.

Tempore quintæ ſynodi generalis, hoc eſt anno 551. Amidæ epiſcopus *Cyriacus* ſedebat, qui illi ſacro conventui interfuit, ejuſque decretis ſubſcripſit: *Cyriacus miſericordia Dei epiſcopus Amidæ metropoleos*. Cyriacum hunc omiſit Dionyſius, ut apparet in recenſione epiſcoporum Amidæ, p. 40. Bibl. Or. Niſi ille idem Cyriacus ſit quem anno 578. ſediſſe eodem loci legimus.

XVI. Joannes II.

XVII. Cyriacus II.

Ex Dionyſii Chronico Eunomio, Cyriaco potius ſucceſſit *Joannes II.* anno 551. ceu Cyriacus illo eodem anno vivere deſierit; & Joanni *Cyriacus* alter proinde, anno 578. Interim vero Amidenſibus Jacobitis, Barhebræo teſte, Joſeph præerat, quem Petro Callinicenſi ſectæ ſuæ Patriarchæ manum impoſuiſſe ait.

XVIII. Simeon III.

Ante ſæculi ſexti finem Amidæ metropolita ſedebat *Simeon*. Nam Theophylactus Simocata qui Tiberii & Mauritii Impp. geſta litteris conſignavit, lib. 2. hiſt. cap. 3. narrat Philippicum ducem, dum in Mardis caſtello morabatur, imaginem Domini Edeſſenam ad Simeonem Amidæ epiſcopum miſiſſe,

Digitized by Google

Συμεώνῃ τῷ τὸν ἱερατικὸν Ἀμίδης θρόνον ἐπέχοντι, poſtquam, ea per exercitum ſuum circumducta, egregiam de Perſis victoriam retulerat, quod contigit anno Mauritii Imper. 5. Chriſti 586. Hunc porro Amidæ præſulem Dionyſius Patriarcha cum aliis non recenſuit, ut proinde reliqui qui in ejus Chronico ſequuntur, Thomas, Theodotus &c. mihi ad Jacobitarum diœceſim ſint amandandi.

XIX. Abraham II.

Amidæ Melchitarum ſive Orthodoxorum eccleſiam ſæculo nono labente gerebat *Abraham II.* ſi ſua fides eſt actis illius ſynodi, in

A qua de Photii in Byzantinum thronum reſtitutione tractatum eſt, Joanne Papa VIII. Romanam ſedem adminiſtrante. In iis lecta fertur epiſtola Abraham epiſcopi Amidæ & Samoſatorum ad Photium, cui gratulabatur de recepto patriarchatu. *τῷ ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐλλαμπομένῳ πατρὶ πατέρων κυρίῳ Φωτίῳ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως Ἀβραάμιος ἁμαρτωλὸς μαθητής σου μητροπολίτης Ἀμίδων καὶ Σαμοσάτων Ἀρμενίας. Illuminato à S. Spiritu, Patri patrum Domino Photio, Patriarchæ Conſtantinopolis, Abraamius peccator, diſcipulus tuus, metropolita Amidarum & Samoſatorum Armeniæ.*

II.

ECCLESIA NISIBIS.

NISIBIS vel *Neſibis* munitiſſima Meſopotamiæ civitas, velut nomen ejus indicat, quippe quod Hebraïce & Syriace præſidiariam ſtationem ſignificat, inter antiquiſſimas quoque cenſetur non Hieronymo ſolum, & Euſebio Cæſarienſi, verum etiam ſancto Ephræm Edeſſeno, qui eamdem eſſe illam ferunt, atque *Achad*, quæ Gen. 10. v. 10. à Nembrod exſtructa legitur. *Regnavit*, ait Hieronymus in Quæſt. Hebraïcis, *& in Arach, hoc eſt in Edeſſa, & in Achad, quæ nunc dicitur Niſibis.* A Græcis principibus qui Alexandro magno ſucceſſerunt, Antiochia Mygdonia iterum eſt appellata, quum ad fluvium Mygdonium dictum jaceret. Strabo lib. 16. *In Mygdonibus*, inquit, *Niſibis eſt, quam Antiochiam Mygdoniam appellarunt, ſub monte Maſio ſitam*, ὑπὸ τῷ ὄρει Μασίῳ κειμένην. De ea Ammianus lib. 25. cap. 13. *Niſibis*, inquit, *à Mithridatici regni temporibus, ne Oriens à Parthis occuparetur, viribus obſtitit maximis.* Infauſta, quia inſana prorſus, Juliani Apoſtatæ in Perſidem expeditio, in cauſa fuit, cur Jovianus ejus proximus ſucceſſor hoc Romanæ ditionis propugnaculum Perſis pacto fœdere reddiderit, maximo civium luctu, qui alio ſedes quærere ſunt coacti. Colonia quippe Romana erat à Septimio Severo Imp. illuc deducta. Hac mutatione rerum Niſibis ab Antiocheni Patriarchæ juriſdictione in poſterum avulſa eſt, & Catholici Chaldæorum ditionis facta.

EPISCOPI NISIBIS.

CONSTANTINUS Clinius in natalibus SS. Canonicorum ex Joanne de Nigra-valle, *S. Geminum Niſibenſem* memorat. Melius forſan ſcripſiſſet *Genuinum* vel *Ingenuum Sabionenſem*, qui à quibuſdam *Geminus* nominatur. Unde, illo dimiſſo, ad alios Niſibis pontifices pergo.

I. Jacobus.

Inſignis Chriſti Confeſſor omnium ore celebratus, *Jacobus* Niſibenſem eccleſiam gerebat, quo tempore cœpta à Diocletiano in fideles perſequutio, in Oriente ſæviebat. Huic Niſibis ipſa civitas patria fuit, quumque ſolitariam aliquandiu vitam egiſſet, à gentilibus ſuis ad pontificale munus provehi meruit. Conſtantino Imp. ad Nicænam ſynodum venit, & cum patribus aliis Arianam hæreſim proſtravit. Quum poſthac Conſtantinopolim petiiſſet, obnixis precibus à Deo impetraſſe fertur, ut Arius quem Imperator catholicæ communionis participem fieri

B volebat, turpi fato interiret. Rurſum ſubinde Conſtantio imperante, apud Deum effecit, ut Sapores Perſarum rex, qui Niſibim obſidebat, cœpto deſiſtere cogeretur, immiſſa in ejus exercitum ciniphum & culicum nube: quod quidem anno 350. contigit. Ejus vitam ſcripſit Theodoretus in hiſtoria religioſa: ejus quoque meminere eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores. S. Athanaſius orat. 1. contra Arianos hunc adverſus illos hæreticos calamum ſtrinxiſſe teſtatur, ὁ Ἰακώβε, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἀπὸ μέσης τῶν ποταμῶν, *Jacobi, aliorumque de Meſopotamia.* C Ex Chronico Bar-hebræi, exſtabant epiſtolæ conſolatoriæ SS. Jacobi Niſibenſis & Ephræm Syri, ad Papam Catholicum Seleuciæ ſcriptæ de dexteræ illius impedimento, quas tamen nonnulli exiſtimabant a Joſepho potius Catholico quum damnatus eſſet, fuiſſe compoſitas. Apud Armenos alia feruntur à S. Jacobo Niſibenſi ad S. Gregorium Illuminatorem, & epiſcopos alios Armenorum ſcripta.

ECCLESIA NISIBIS.

II. Volageſus.

Niſibis quam modo dixi, obſidionem, liberationemque *Volageſi* ejuſdem urbis epiſcopi epiſtola graphicè deſcriptam fuiſſe Chronicon Paſchale prodit pag. 291. φέρεται δὲ ἐν ἐπιστολῇ Οὐαλαγέσου ἐπισκόπου Νισίβεως κατὰ μέρος τούτων δηλούσῃ, *fertur Voageſi epiſcopi Niſibis epiſtola, qua hæc ſigillatim narrantur.* A Hic proximus S. Jacobi fuiſſe ſucceſſor videtur, quem Georgius Abulpharagius in Annalibus Arabicis *Babawathan* nominat corrupto utique vocabulo.

Niſibis epiſcopos qui urbe Romanis ademta deinceps ſederunt, in diœceſi Chaldæorum ſuo ordine recitabo.

III. ECCLESIA DARAS.

MEdii ævi ſcriptoribus Græcis notiſſima *Daras* civitas fuit, quæ & Anaſtaſiopolis dicta eſt, ut-pote ab Anaſtaſio Imp. condita, à quo & S. Bartholomæi corpore donata eſt. Ex veteri notitia *diſtare ſex millibus fertur à terminis & confiniis Perſidis & Aſſyriæ.* Δάρας ἀπὸ ἓξ μιλίων τῆς αὐτῆς πόλεως εἰσὶ τὰ μεθόρια καὶ οἱ ὅροι τῆς Περσίδος καὶ Ἀσσυρίας. Nulla ejus memoria in notitia Hieroclis, ut neque apud antiquiores auctores, quippe quæ ex ignobili vico ab Anaſtaſio excitata eſt, κώμην ἄδοξόν τινα τὰ πρότερα οὖσαν, ait Procopius lib. 2. de ædificiis capite 1. ubi & eam à Juſtiniano Imperatore novis munimentis auctam, Meſopotamiæ Ducis ſedem eſſe factam prodit, atque rurſum *Juſtinianam novam* idcirco nuncupatam. Sæpe diuque Perſis obſidentibus reſtitit; demum vero à Choſroë Anuſcicuano expugnata eſt Juſtino II. Imperatore, ut fert Evagrius lib. 5. cap. 10. Daras Græcis indeclinabili voce effertur, Syris tamen *Dara.* Blaſius Terzi in Syria ſacra pag. 94. ea de urbe ſcribit: *Quivi ſono oggi molti Chriſtiani di rito ſchiſmatico, ma privi di proprio paſtore ſoggiacendo nel colto a metropolita Edeſſeno. Il tempio principale ora conſecrato al glorioſo veſcovo Theodoro, che regge queſta chieſa circa gl' ultimi anni del ſeſto ſecolo.*

EPISCOPI DARAS.

I. Eutychianus.

ANno 506. Anaſtaſius Imp. expenſas ſubminiſtravit Thomæ Amidenſi epiſcopo Severiano, ut *Daras* vel *Daram* urbem in confinio Perſarum muniret. Operi præfecit Thomas quoſdam clericos ſuos, preſbyteros ſcilicet Cyrum Adum & Eutychianum, & alios diaconos. Urbi vero conditæ primus ab eodem Amidenſi præſule conſtitutus eſt *Eutychianus.* Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 58. ex Zacharia Melitinenſi ſive rhetore.

II. Thomas.

Secundus Daras epiſcopus fuit *Thomas* patria Rhæſinenſis, qui quum Chalcedonenſem ſynodum reprobaret, ea ſede pulſus eſt una cum preſbytero, exilioque decennali tranſacto, in monaſterio Tirenſi obiit anno 540. quo Coſrhoës I. Antiochiam cepit. Ibid. ex eodem Zacharia.

III. Mamas.

Anno 537. Indictione XV. eccleſiæ Daras B præerat *Mamas,* quumque Joannes Cotiſtes tyrannidem hac in urbe arripuiſſet, auctor ille civibus fuit, ut ab ipſis ad ordinem redigeretur, ac demum neci daretur. Marcellini Chron.

IV. Stephanus.

Quinto concilio generali adfuit & ſubſcripſit *Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Juſtinianæ novæ,* ſive *Daraſi.*

V. Theodorus.

C Si Blaſio Terzi credimus, ſæculo eodem ſexto deſinente, ſanctus ille *Theodorus* Daras epiſcopus ſedebat, cujus nomine primarium civitatis templum nuncupatum erat, ut ſuperius retulimus. Addit Terzi vitam illius fuiſſe ſcriptam à Georgio diacono: *Scriſſe la ſua vita Giorgio diacono nella lingua Syriaca, regiſtrata fra quelle de gl' altri ſanti dal Metaphraſte.*

IV. ECCLESIA MARTYROPOLIS & TACRITI.

MARTYROPOLIS Armeniæ quartæ quæ Sophanene dicebatur, civitas, à collectis SS. martyrum qui ſub Sapore & Varane Perſarum regibus paſſi fuerant, ſacris oſſibus & exuviis id nominis habuiſſe fertur ſæculo eccleſiæ quinto. Ad Nymphium fluvium condita erat, quindecim millibus paſſuum à fonte Tigris diſtans, ut fert notitia vetus: Μαρτυρόπολις· ἀπὸ δεκάπεντε μιλίων τῆς αὐτῆς πόλεως γεννᾶται ὁ Τίγρις ποταμός: unius diei & paulo amplius

Digitized by Google

ECCLESIA MARTYROPOLIS & TAGRITI.

intervallo Amida, Procopio teſte lib. 3. de ædif. cap. 2. qui rurſus lib. 1. de bello Perſico, hanc in Sophene collocat, ducentis & quadraginta ſtadiis ab eadem urbe ſemotam, Boream verſus prope Nymphium amnem, qui Perſas à Romanis diſterminabat. Hanc Cabades Perſarum rex, ut pote neglectam Anaſtaſio Imperatori eripuit, receptam vero Juſtinianus inſtauravit. Patrium ejus apud indigenas nomen fuit *Maipherakin*, unde & *Maiphoracta* dicta eſt, ipſe adeo utique vicus qui *Mazepracte* apud Ammianum Marcellinum lib. 24. cap. 43. ſcribitur. Ex Syrorum monumentis apparet ipſammet Martyropolim ſive Maipherakin epiſcopatum ſæculo quinto cum Tacritenſi coaluiſſe.

Atqui *Tacritum* vel *Tagritum* civitas altera Meſopotamiæ fuit, à Maipheracta diverſa prorſus, Abulphedæ & Nubienſi, verſus Aſſyriam poſtrema, itinere ſex dierum à Moſul diſtans, quam fluvius alluit Iſaacus dictus apud Arabes. Apud eum naſcitur *Degila* fluvius, ſive *Deglata* Tigris-ve minor, qui Bagdadum uſque fluit.

EPISCOPI MARTYROPOLIS.

I. MARUTHAS.

ISDEGERDE Perſarum rege *Maruthas* epiſcopatum Martyropolis geſſit, quam ſcriptores Syri ab ipſo conditam ferunt, quum eodem rege annuente, Martyrum Perſidis ſacras exuvias illuc tranſtuliſſet. Is eſt Maruthas ille qui Photio in Biblioth. Cod. 52. *Sopharenorum* Sophenenſium-ve epiſcopus dicitur, adfuiſſeque ſynodo Antiochenæ, quam Flavianus II. archiepiſcopus Maſſalianorum naſcentis hæreſis cauſa anno 382. coëgit, καὶ Μαρουθᾶ τοῦ Σωφαρηνῶν. Atqui ſanctus ille præſul inter Perſas agens, Iſdegerdi regi Magorum B verſutias mendaciaque retexit, conciliataque ſibi principis benevolentia chriſtianam fidem per ejus imperium admodum propagavit. Quod Socrates narrat lib. 7. hiſt. c. 8. quin & Abulpharagius in hiſtoria Arabica, ubi de Theodoſio juniore. *Valde propagatus eſt*, inquit, *Chriſtianiſmus opera Maruthæ epiſcopi Miapherakinenſis, qui à Theodoſio juniore ad Perſas miſſus erat.* Atqui Maruthas à Syris ſecundæ ſynodo generali adfuiſſe fertur: ſedit quoque in Antiochena quam Flavianus hujus urbis epiſcopus Maſſalianorum cauſa coëgit. C Quum vero rurſum Conſtantinopolim veniſſet ſub Arcadio Imperatore, S. Joannis Chryſoſtomi adverſariis adhæſit in ipſorum ad Quercum Chalcedonis ſuburbium ſynodo. Ab iis vero ſtatim, cognita ipſorum nequitia, deſcivit, & pro ſanctiſſimo pontifice & doctore ſtetit: quod quidem Chryſoſtomus ipſe perhibet epiſtola 14. ad Olympiadem, quin etiam Palladius in Dialogo. Hunc porro ſanctiſſimæ matronæ obſtrictim commendat; *ut eum è barathro extrahere ſatagat. Nam ejus*, inquit, *opera ad Perſidis negotia* D *maxime indigeo*, ad religionem ſcilicet apud Perſas amplificandam. Μαρουθᾶν τὸν ἐπίσκοπον μὴ διαλείπῃς τό γε εἰς σὲ ἧκον, θεραπεύουσα, ὥστε ἀνιμήσασθαι αὐτὸν τοῦ βαράθρου· μάλιστα γὰρ αὐτοῦ δέομαι διὰ τὰ ἐν Περσίδι. Dum porro Maruthas in Perſide agebat, cum Iſaaco Catholico in ſynodo quæ Seleuciæ anno Iſdegerdis undecimo in die Nativitatis Domini coacta eſt, A auctor fuit ut canones viginti-duo, vel etiam viginti ſex, quot clariſſimus Renaudotius in MS. Codice Syriaco legit, ſanciendæ diſciplinæ cauſa conderentur. Atqui ſanctus hic Maruthas Maipheractæ & Tagriti epiſcopus perinde dicitur, cujus nomine liturgia una ſacra inſcribitur, Syriaco ſermone ſcripta.

II. ZEBENNUS.

III. ***.

Chalcedonenſi concilio adfuit & ſubſcripſit *Zebennus epiſcopus Martyropolis*, Ζέβεννος ἐπίσκοπος Μαρτυροπόλεως.

Atqui Zebenno ſucceſſerit oportet unus è ſex illis epiſcopis Meſopotamiæ qui Leoni Imp. ſynodalem epiſtolam dederunt de nece impia S. Proterii Alexandrini, ſubſcriptique omiſſis urbium ipſorum nominibus leguntur, *Zaras*, ſcilicet, *Maronius, Reticius, Valaras, Maras & Abraamius*. At qui Reticius ibi ſcribitur, alterius ſedis præſul fuit, idem quippe ipſe eſt, qui in ſubſcriptionibus concilii Chalcedonenſis, act. 6. prætermiſſo itidem ſedis nomine, *Sericius* vocatur, Σηρίκιος. Latina tranſlatio habet, *Tyricius*.

IV. GEORGIUS.

Ex Theophane ad annum 1. Philippici Imp. Georgius Apameenſis epiſcopus Martyropolim tranſlatus eſt; Γεώργιός τε ὁ Ἀπαμείας ἐπίσκοπος μετετέθη ἐν Μαρτυροπόλει. Hic prorſus eſt Georgius ille, quem Aſſemanus tomo 1. Bibl. Orient. p. 465. *epiſcopum Tagritenſem* dicit. Ac certe, ex his quæ ibidem affert ex Eliæ Jacobitæ cujuſdam epiſcopi ad Leonem epiſcopum Haran apologetica epiſtola, certum fit Georgium Martyropolis quoque eccleſiæ præfuiſſe. *Quod autem in una Chriſti perſona confuſionem ponatis, palam faciet egregius ille vir qui veſter (* Melchitarum orthodoxorum *) in urbe Martyrum epiſcopus Georgius fuit.* Quæ recitans vir doctus, urbe Martyrum Tagritum quoque ſignificari declarat. Quod vero aſſerit Georgium Marty-

Digitized by Google

ropolis cujus epiſtolam Elias ille appellabat, circa annum 580. claruiſſe, hoc ſtare nequaquam poteſt, quando ipſe ſubjungit Georgii auditores fuiſſe Conſtantinum & Leonem epiſcopos Haran; hi ſiquidem ambo ſancti Joannis Damaſceni æquales erant, adeoque octavo ſæculo adulto & currente vixerunt: quin & ille Elias epiſcopus ad quem Georgius ſcripſit, quippe qui ejuſdem Joannis Damaſceni dialecticæ & libri de fide orthodoxa meminerat. *Sic enim ſcripſit Joannes Damaſcenus*, aiebat, *capite duodecimo ex iis centum & quinquaginta capitibus, quæ pro doctrina veſtræ defenſione diſputando compoſuit.* Quinimo Aſſemanus ipſe ibidem agnoſcit à Damaſceno noſtro Joanne editum *Tractatum* eſſe *adverſus Jacobitas ad Eliam Petri archiepiſcopi Damaſci nomine*, eumque ab Elia in epiſtola ad Georgium Conſtantini & Leonis magiſtrum appellatum fuiſſe. Claruit igitur Georgius non ſæculo labente ſexto, ſed octavo prorſus, & imperante Byzantinis Philippico nec-non Leone Iſauro, cujus adverſus ſacras imagines hæreſis illo in tractatu Damaſceni apertè ſatis his vocibus ſignificatur, ubi anathema dicitur omnibus hæreſibus quæ hactenus emerſerant, uſque ad illam quæ ea ipſa qua ſcribebat ætate prodierat adverſus ſanctam Chriſti Deique noſtri eccleſiam, μέχρι τῆς νῦν κινηθείσης κατὰ τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν ἐκκλησίας. Suus alibi dicendi locus erit de illo Tractatus ſeu libelli ejuſdem loco quo Damaſcenus Maronitas ſui ævi hæreticis accenſet. Quod demum Georgium noſtrum attinet, ſcripſit pro Chalcedonenſis concilii fide epiſtolam ad monachos cœnobii ſancti Matthæi Jacobitas, qui Maphrianorum Jacobitarum regimini ſuberant.

V. Basilius.

In actis ſynodi Conſtantinopolitanæ, quæ Photii Patriarchatui reſtituti cauſa habita eſt, *Baſilius Martyropolis epiſcopus Antiochenæ ſedis in ea vices obiiſſe fertur*, Βασίλειος ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Μαρτυροπόλεως καὶ τοποτηρητὴς Ἀντιοχείας.

VI. Maudiana.

A Michaële I. Jacobitarum Patriarcha Mardæ epiſcopus creatus eſt, Gregorio Barhebræo teſte, *Maudiana;* qui à civibus male habitus, Melitinenſium conſiliis Conſtantinopolim perrexit ad Imperatorem, cui cunctæ illæ regiones Orientis tunc temporis obnoxiæ ſæculo duodecimo erant. Ibi ejurata hæreſi catholicam Chalcedonenſis concilii fidem amplexus, Maipherakinenſem eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepit. To. 2. Bibl. Orient. pag. 368.

V. ECCLESIA SOPHENES.

SOPHENE Armeniæ quartæ, ut mox dictum eſt, regio cenſetur, cujus non idem epiſcopus fuit qui Martyropolis. Nam in ſynodo Chalcedonenſi utriuſque ſedis epiſcopi ſinguli ſediſſe reperiuntur.

EPISCOPI SOPHENES.

I. Arsaphius.

IN indice Latino Patrum Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis prioris, de provincia Armeniæ majoris legitur *Arſaphius Suphanenſis* vel *Sophenenſis*.

II. Euphemius.

Chalcedonenſi concilio de provincia Meſopotamiæ interfuit *Euphemius Suphaninenſis*, ſive *Sophenenes* vel *Sophenes* (utrumque enim dicunt vel ſcribunt auctores Græci.) Sic nempe fertur in indice Patrum Latino; quod è codicibus ſynodi Græcis, ut alia ſimilia quam plurima, excidit.

VI. ECCLESIA CASCHARORUM.

CASCHARA Meſopotamiæ urbem fuiſſe conſtat ex diſceptatione Archelai epiſcopi cum Mane Perſa Manichæorum impio hæreſis auctore, quam Epiphanius in Panariis adverſus hæreſes, hær. 66. exſcripſit, Latineque Laurentius Zucagnius ex Cod. Vaticano Romæ evulgavit. Diverſa autem hæc omnino eſt à Charris ſive Harran Oſrhoënes, etſi quibuſdam aliter videtur; nec longe abeſt Babylone & Seleucia: quando ex quo in Perſarum poteſtatem venit, Seleuciæ Catholico defuncto, ad Caſcharæ præſulem primariæ hujus ſedis adminiſtratio & cuſtodia ſpectat, donec archiepiſcopus ſit deſignatus. Quod quidem aiunt ab initio fuiſſe factitatum, quippe quum S. Maris Caſcharæ primitus religionem inſtituerit.

BIBLIOTECA · UNIVERSIDAD CENTRAL · DERECHO

Digitized by Google

ECCLESIA CASCHARORUM.

At vero ex relatione diſputationis Archelai cum Mane certum ſit, Caſcharam Meſopotamiæ, non Perſidis, cenſitam fuiſſe ſæculo eccleſiæ tertio labente ſub Probi Auguſti principatu, cujus tunc ditionis erat. Nam Manes in eam è Perſarum regno elapſus fuga evaſerat, irati adverſum ſe regis vindictam fugiens. At vero brevi ſubinde ea urbs in Saporis regis poteſtatem veniens Catholici Seleucienſis diœceſis facta eſt.

EPISCOPI CASCHARORUM.

I. Archelaus.

COngreſſum porro cum Mane hæreſiarcha A *Archelaus* epiſcopus habuit in Caſcharorum pago, quem Dioſcoridem appellabant, agente Marcello Caſcharorum urbis Meſopotamiæ cive, velut illius acta teſtantur. Quocirca Socrates lib. 1. hiſt. cap. 22. Archelaum diſerte Caſcharorum epiſcopum dicit. *Hæc non finximus*, inquit, *ſed ex libro Archelai epiſcopi Caſcharorum, quæ Meſopotamiæ civitatum una eſt, peracta retulimus*, ἀλλὰ διὰ λόγου Ἀρχελάου ἐπισκόπου Κασχάρων, μιᾶς τῶν ἐν Μεσοποταμίᾳ πόλεων, ἐντυχόντες συνηγάγομεν.

Archelai autem ſucceſſores alios recenſebimus in Chaldæorum diœceſi, cujus Caſchara civitatem factam poſtea fuiſſe diximus.

VII. ECCLESIA BEZABDES.

BEZABDA, vel *Bethzabda*, quam veteres ejus inſtitutores, Ammiano teſte lib. 20. c. 7. *Phœnicham* quoque appellarunt, *munimentum erat impendio validum in colle mediocriter edito poſitum, vergens in margines Tigridis, in regione Zabdichenorum.* Urbis hujus meminit Hieronymus in Chronico ad annum XI. Conſtantii Imper. quo à Perſarum rege Sapore, omiſſa Niſibi, expugnata fuit. Id quod tamen Theophanes factum narrat ejuſdem Conſtantii anno 24. Epiſcopos prius habuit ſuos quam à Perſis occuparetur, atque à Neſtorianis eadem ſedes metropolis titulo donata fuit. Ex quo in Perſicæ ditionis fuit, inſula facta eſt in Tigridis fluminis alveo; unde à Syris, uti Zabda ſimpliciori voce, ita & Gozarta ſive Gezira, hoc eſt inſula nuncupatur.

EPISCOPI BEZABDÆ.

I. Heliodorus.

II. Dausas.

ANno 23. perſequutionis Perſicæ, Sapores rex, adempto Romanis Zabdæo caſtro, inde novem millia virorum & mulierum abduxit, in quibus *Heliodorus* urbis epiſcopus, *Dauſaſque* & Mariab preſbyteri, Hebed-Jeſu, vel Abdjeſu diaconus. Heliodorus in pago Stacarta dicto graviter decumbens, Dauſam epiſcopum ordinavit, brevique ſubinde ad Dominum migravit. Dauſas continuo Mariabum chorepiſcopum creat. Tum vero captivis in varia loca diſperſis, Dauſas cum C Mariabo & Abdjeſu, aliiſque 297. viris & mulieribus ad montem Maſebdanum in pagum Gaphtam relegantur, ubi exquiſitis ſuppliciis ab Adarpharo præfecto cruciati, gladio demum cæſi ſunt, præter viginti quinque viros & mulieres qui adorato ſole mortem evaſere. In Synaxario Baſilii Imperatoris ad diem 19. Aprilis martyrium illorum paucis deſcribitur, eodemque prorſus modo, quo ex S. Maruthæ Tacritenſis hiſtoria refertur pag. 191. tom. 1. Bibl. Orient. Heliodoro quidem à Sapore parcitum eſſe Synaxarium poſt Marutham innuit; quod in cauſa forſan fuerit, cur Ammiano Marcellino teſte, Bezabdes vel Bezabdæ Chriſtianæ legis antiſtes in proditæ urbis B ſuſpicionem apud Romanos incurrerit, quam tamen Gentilis ipſe ſcriptor amolitur, aſſerens illum ad Saporem non alio animo deduci poſtulaſſe, niſi ut illum ab obſidendo caſtro dehortaretur. Dauſæ & Mariabi martyrium narrat Sozomenus lib. 2. c. 13. omiſſa Heliodori mentione: καὶ Δαυσᾶς, ὃς αἰχμάλωτος ἦν γενόμενος ὑπὸ Περσῶν ἀπὸ Ζαβδαίων χωρίου ὧδε προσαγορευομένου.

III. Maras.

Zabdæ ſive Bezabdæ epiſcopus fuit *Maras*, qui in indice Patrum concilii Chalcedonenſis *de provincia Meſopotamiæ, Zebenienſis* pro *Zabdenenſis*, Librariorum inſcitia dicitur: ipſeque alius proinde non eſt à *Mara* epiſcopo, qui ſubſcripſit anno 458. epiſtolæ ſynodi ejuſdem provinciæ ad Leonem Imp.

IV. Romanus.

Nupero ſæculo ſedebat *Romanus archiepiſcopus Zabdæ*, qui ſubſcriptus legitur teſtimonio Neophyti Patriarchæ Antiocheni de fide Orientalis eccleſiæ circa divinam Euchariſtiam, quod editum exſtat To. 3. de Perpet. Fid. pag. 743. & ſeqq.

Digitized by Google

VIII. ECCLESIA ARSAMOSATÆ.

QUod Polybio & Plinio *Armoſata* Armeniæ majoris oppidum dicitur, Euphrati flumini proximum, ipſa omnino eſt quæ aliis *Arſamoſata*, ad Arſaniam fluvium Dionyſio Jacobitarum Patriarchæ. Hanc Ptolemæus in tertio Armeniæ themate collocat ad Taurum montem; quod Tacitus confirmat lib. 15. cap. 5. cui *Caſtellum* appellatur, quum alii urbem vocitent. Nomen ejus *Armoſata* adſtruit nummus Mediceus.

EPISCOPI ARSAMOSATÆ.

I. AARON.

ANASTASIO I. Imp. Arſamoſatæ epiſcopus ſedebat *Aaron* Severianus Monophyſita, eamque ſedem tenuit, ab anno 503. ad 518. quo à Juſtino I. Imp. hæreſis cauſa in exilium eſt
A amandatus, quemadmodum Dionyſius Jacobitarum Patriarcha ſcribit. To. 2. Bibl. Or. diſſert. *de Monophyſitis*.

IX. ECCLESIA CEPHÆ CASTELLI.

CEPHÆ CASTELLUM ipſum eſt, ut opinor, quod in notitia epiſcopatuum veteri Græca Κάϛρον Ῥισηκῆφας, *Caſtrum Rhicephæ* ſcribitur, Meſopotamiæ provinciæ ſedes epiſcopalis.

EPISCOPI CEPHÆ CASTELLI.

I. NOE.

COncilio igitur Chalcedonenſi interfuit & ſubſcripſit *Noë epiſcopus Cepha Caſtelli.* Sic tranſlatio Latina, quum in Græco contextu ſolummodo legatur, Νωὲ ἐπίσκοπος Κηφᾶς, *Noë epiſcopus Cephæ.* In indice Latino poſt
B *Simeonem Amidenſem*, ſequitur *Noë Cæſarienſis Zephanenſis*, ſeu *Caſtri Cephæ.* Idem Noë ſubſcripſit epiſtolæ ſynodi provinciæ Meſopotamiæ ad Leonem Auguſtum de nece S. Proterii Alexandrini.

X. ECCLESIA VOLOGESOCERTÆ.

VOLOGESOCERTA eadem quæ Vologeſopolis, ſeu Vologeſis civitas, quam Vologeſes Parthorum rex, Plinio lib. 5. cap. 26. & Stephano Byzantino teſtibus, condidit, cui ſuus quoque ſub Amidæ metropolita epiſcopus fuit.

EPISCOPI VOLOGESOCERTÆ.

I. CAJUMAS.

SIMEON Amidæ metropolita actione 6. Chalcedonenſis concilii pro ſe & epiſcopis ſub ſe conſtitutis ſubſcribens, ſecundum nominaſſe legitur in editis *Cajumam Valarſecopolis*, Καϊυμᾶ Οὐαλαρσηκουπόλεως. Emendo
C Οὐαλαγησοπόλεως, *Valageſopolis*, vel *Vologeſopolis;* quod Græcè idem eſt ac Syriace *Vologeſocerta.* In indice Latino Patrum illius ſynodi de provincia Meſopotamiæ, quartus legitur *Cajumas Inzoles*, corruptione vocis altera.

XI. ECCLESIA CONSTANTIÆ.

QUo anno Conſtantius Imp. Amidam in Meſopotamia refecit & munivit, eodem in ea provincia civitatem alteram condidit, quam de ſuo nomine *Conſtantiam* nuncupari voluit, ſeptingentis ſtadiis Amida diſtantem, meridiem verſus; quod Theophanes refert ad annum ejuſdem Conſtantii 4. Ab hac urbe Conſtantinam Oſrhoënes omnino diverſam eſſe ſuo loco jam monui.

EPISCOPI CONSTANTIÆ.

I. THEOPEMPTUS.

BARONIUS ad annum Chriſti 715. acta
D publica appellat per eccleſiæ notarium conſcripta, de virgine abreptitia, quæ in eccleſia S. Joannis Baptiſtæ ad aquas Sylvias inter-

Digitized by Google

ceſſione ſancti Anaſtaſii martyris curata fuit, quibus comperimus eam patre *Theopempto* Conſtantiæ Syriæ epiſcopo genitam fuiſſe. Sic porro habent: *Imperante Domino noſtro piiſſimo perpetuo Auguſto Anaſtaſio magno Imp. anno primo, & poſt conſulatum ejuſdem ſerenitatis anno primo, temporibus sereniſſimi & beatiſſimi & apoſtolici ſummique Pontificis Conſtantini Papæ urbis Romæ epiſcopus Theopemtus* (Theopemptus) *nomine, natione Syrus, de civitate quæ appellatur Conſtantia, ante hos* A *modicos annos veniens in hanc civitatem Romanam, filiam unicam quam ſecum duxit, miſit in monaſterio ad diſcendas ſacras litteras. Quæ quum erudita eſſet in canticis & hymnis & lectionibus, vultu decora à multis in matrimonium petebatur: erat enim & dives valde. Quod conſiderans venerabilis pater ejus, eam Deo offerens, conſecravit in monaſterio S. Caſſiani, inter ancillas Dei, & reliquam ſubſtantiam ejus erogavit pauperibus in diverſa pia loca, &c.*

XII. ECCLESIA INGILORUM.

MESOPOTAMIÆ urbium una Aghel dicitur apud Hebed-Jeſu in Epitome canonum ſynodalium, part. 1. cap. 3. ait Aſſemanus to. 1. Bibl. Orient. pag. 144. & 173. ubi hanc ipſam eſſe cenſet, quæ *Ingila* in actis quintæ ſynodi generalis. S. Epiphanius hær. 40. Angelicos hæreticos nomen habuiſſe ſuſpicatur ab Ingilina ultra Meſopotamiam poſita, χώρας τῆς ὄντω Ἰγγιλίνη ἐπέκεινα τῆς Μεσοποταμίας χώρας κείμενον, ſive in extrema illius parte.

EPISCOPI INGILORUM.

I. ADÆUS.

HEBED-JESU, quem mox appellabam, Nicænæ ſynodo primæ adfuiſſe ſcribit *Adæum Aghel epiſcopum*. Tom. 1. Biblioth. Orient. pag. 171.

B

II. THEODORUS.

In quinta ſynodo generali ſedit & ſubſcripſit cum aliis de Syria epiſcopis, *Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Ingilon*, ſive *Ingilorum*.

XIII. ECCLESIA SINGARÆ.

SINGARA Meſopotamiæ civitas, quæ & *Sigara* dicitur, tribus fere manſionibus Abulfeda teſte, à flumine Tigri & ab urbe Moſul diſtabat, ad montem *Singaram* quoque nominatum. Unde perperam Ptolemæo Tigri appoſita fertur. Abſurdus forſitan non ero ſi regionem monti adjacentem ipſam eſſe putem terram *Sennaar* vel *Sinear*, quæ Babylonem uſque pertinebat; quando conſtat litteram Hebræam ע & Syram ܥ vulgo Latina *g* efferri ſolitam.

EPISCOPI SINGARÆ.

I. MARES.

EPiſcopus quidem orthodoxus Sigaræ vel Singaræ mihi nullus occurrit in Græcorum libris; verum Anaſtaſio Imperat. ibi ſedebat *Mares*, Severianus, quem Juſtinus I. Imper. ob Monophyſiticam hæreſim quam profitebatur, procul abegit. Defunctis aliis de eadem C ſecta præſulibus qui eodem tempore ſuis ſedibus pulſi fuerant, ſolus in vivis ſuperſtes Mares, (quem Gregorius Bar-hebræus *Carem* quoque nominat) Monophyſitas ſubinde epiſcopos paſſim conſtituit. Quo fit ut Jacobus Zanzalus ab eo univerſalis per Orientem epiſcopus ordinatus aſſeratur. Biblioth. Orient. to. 2. pag. 410. 411. to. 3. p. 406.

XIV. ECCLESIA MARONOPOLIS.

EX ſynodi dumtaxat Chalcedonenſis ſubſcriptionibus nobis conſtat urbem quæ Maronopolis diceretur in Meſopotamia exſtitiſſe, Simeon ſcilicet Amidæ metropolita pro epiſcopis abſentibus qui ſub ſe conſtituti erant actione 6. ſubſcribens, primum omnium *Euſebium Maronopolis* nominavit: quæ civitas omnino diverſa fuit à Macedonopoli Oſrhoënes, cujus epiſcopus *Daniël* in concilio præſens ſedebat.

XI. PROVINCIA

Digitized by Google

XI. PROVINCIA ISAURIÆ.

I. ECCLESIA SELEUCIÆ METROPOLIS.

ISAURIÆ provinciæ nomen ab Iſaura vel Iſauria civitate natum eſt, quæ antea *mœnium potens*, ait libro 14. Ammianus capite 7. *olim ſubverſa ut rebellatrix internecina, ægre veſtigia claritudinis priſtinæ monſtrat admodum pauca.* Straboni vero Iſaura duo vici dicebantur, quorum vetus optime munitus erat. Horum indigenæ & vicini ipſorum ſocii, aſperorum Tauri montis jugorum incolæ, quum varias circum regiones aſſiduis prædationibus infeſtarent, Iſauricæ gentis auctores fuere; quos Romani poſtea debellarunt, munitione veteri illa diruta. Atqui priſca regio, Iſauria, quæ non tam late patens erat, Pamphyliæ tunc temporis cenſebatur. *Ciliciæ,* ait Plinius, *Pamphyliam junxere, neglecta gente Iſaurica. Oppida ejus intus Iſaura, Clibanus, Lalaſſis.* Verum Iſaura oppidum, Iſauria provincia inſtituta, non illi contributum eſt, ſed Lycaoniæ. Iſaurorum regionis ſitum paucis deſcribit Zoſimus lib. 5. hiſt. cap. 25. ubi illorum incurſionem narrat. *Iſaurorum multitudo,* inquit, *quæ ſupra Pamphyliam & Ciliciam poſita, ſemper in inacceſſis & aſperrimis montibus degit,* ὑπερκείμενον Παμφυλίας καὶ Κιλικίας ἐν τοῖς ἀβάτοις τοῦ Ταύρου καὶ τραχυτάτοις ὄρεσιν ἀεὶ βιοτεῦον. Recentiorem vero Iſauriam Ammianus, loco jam à me laudato, *Ciliciæ dextro lateri annexam* dicit, *pari ſorte uberi palmite virentem & frugibus multis: quam mediam navigabile flumen Calycadnus interſcindit: & hanc quidem præter oppida multa, duas civitates exornare, Seleuciam & Claudiopolim, quam deduxit coloniam Claudius Cæſar.* Quocirca Iſauria nova maxima parte veteri conſtabat, adjectis præterea Ciliciæ Tracheæ civitatibus & oppidis quibuſdam, inprimiſque Seleucia, quæ gentis primaria caput facta eſt. In indice Patrum Nicænæ ſynodi Latino Iſauriæ & Lycaoniæ præſules permixtim eodem laterculo recenſentur; ex quo conjectandum datur, nonniſi poſt ſanctiſſimi hujus concilii tempora Iſauriæ provinciam fuiſſe ſeorſim inſtitutam, qualem notitia Hieroclis & Græca vetus epiſcopatuum repræſentant. Antiochenæ autem ſedi ſubjecta nova illa provincia fuit, quippe quæ Ciliciæ parte conſtaret, inprimiſque propter Seleuciam metropolim, quæ antehac inter Ciliciæ Tracheæ, ſive aſperæ, urbes fuerat. At vero Leo II. Imp. Iſaurus à patria dictus, Iconomachorum hæreſis auctor, uti provincias Italiæ & Illyrici complures Romanæ ſedi ademit, & Conſtantinopolitanæ obnoxias fecit, ita & Iſauriam Antiochena ſubduxit, eo colore quod Antiochia & reliquæ Orientalis diœceſis regiones præter Iſauriam à Saracenis ſubjugatæ erant.

De Seleucia, quæ *Tracheotis* appellatur, hæc memoratu digna Strabo narrat: *Holmum prius habitarunt, qui Seleucienſes dicuntur, ſed condita ad Calycadnum Seleucia, eò convenerunt. Nam deflectenti promontorium nomine Sarpedonem, quod littoream regionem facit, mox ſunt Calycadni oſtia, quibus proximum eſt Zephyrium promontorium. Per hunc fluvium Seleuciam navigatur in urbem bene habitatam, & à Cilicio & Pamphylio more plurimum diſcrepantem; ex qua fuere ætate noſtra viri ex Peripateticis memorabiles Athenæus & Plutarchus.* Condita autem Seleucia eſt à Seleuco Nicatore, in quam Holmi vel Holmiæ cives tranſlati fuerunt. Pluribus porro eam Baſilius Seleucienſis epiſcopus commendat lib. 1. de vita ſanctæ Theclæ, qui & ejus ſitum accurate ſatis deſcribit. *Urbs eſt,* inquit, *in ipſo aditu montium Orientem ſpectantium ſita, principemque locum inter Iſauriæ civitates habens, mari finitima, Calycadno fluvio vicina; qui aliquando è ſuperioribus locis, intimiſque Cetidis ortus receſſibus, regiones & arces plurimas præterlabens, & quà ad nos fertur, flumina plurima ex adjacentibus utrimque locis influentia excipiens, quæ in ſuis acceſſionibus in eam quæ à nobis cernitur amplitudinem illum augent, tandem apud nos in proximo mari quod ad Orientem & Meridiem verſus protenditur, noſque à Cypriis ſejungit, terminatur. Urbs eſt admodum illuſtris & jucunda, cui nihil menſuræ ad venuſtatem deſit, tanti vero ſplendoris & gradus, ut & plures ſuperet, & quibuſdam exæquetur;*

cum Tarſo autem nobili certet, montibus, ſitu, aëris temperie, fructuum copia, rerum venalium affluentia, aquarum facili uſu, balneorum elegantia, civium magnificentia, poëtarum ſuavitate, populi nitore, rhetorum in dicendo ubertate, eorum qui militiæ zona ornantur, præſtantia; hoc uno in hac mutua contentione Tarſo cedens, ſeque velut modeſte ſubmittens, ac primas illam ferre ſinens, quod illa urbs magni Pauli patria ſit, per quem ſanctam virginem noſtram habuimus. Mox narrat Baſilius, divinam Theclam adverſus Sarpedonium dæmonem, Apollinem in Sarpedonis promontorio Seleuciæ vicino coli ſolitum, nec-non adverſus Minervam arcium cuſtodem, ſeſe veluti murum oppoſuiſſe, ſalutiſque verbo Seleucienſibus annuntiato, doctrina multos imbuiſſe, cruciſque inſignitos nota Chriſti militiæ non ſine miraculis adſcripſiſſe, ibique demum vivendi fine per martyrium facto, ſepultam fuiſſe, eo in loco aperta ſponte terra, in quo ſacra liturgiæ menſa in periſtylo circumfulgente poſita eſt: templum ejus in urbis decorem uſumque tranſiiſſe, eo undique populis voti cauſa confluentibus. Quæ innuunt Teclæ nomine dicatum Deo ſacrum extra Seleuciæ muros fuiſſe.

In provincia Iſauriæ etſi non prorſus ampla, triginta fere epiſcopatus numerabantur, cujus multitudinis non alia ratio eſt, niſi quod in vicis majoribus erectæ ſedes epiſcopales fuerint, ut colligitur ex Baſilii magni ad Amphilochium Iconienſem & Lycaoniæ metropolitam epiſtola olim 406. nunc 190. qua ſignificat ſe regionis Iſaurorum eccleſias turbidis Arianorum temporibus curaſſe, quin etiam curandas Amphilochio commiſiſſe. Sic porro doctor ſanctiſſimus epiſtola laudata Amphilochio ſcribebat: *Prout dignum erat tua diligentia & cura, cujus ſemper ego laudator ſum, Iſauriæ eccleſiæ negotia procuraſti.* ὅτι μὲν οὖν τῷ παντὶ λυσιτελέστερον ἦν εἰς πλείονας ἐπισκόπους καταδιαιρεθῆναι τὴν μέριμναν, αὐτόθεν ἐστὶ δῆλον ἐπὶ τῷ τυχόντι νομίζω. *Ex quo nemini non exploratum eſſe ſentio, conducibilius omnino fuiſſe in plures epiſcopos ſollicitudinem partiri. Hoc enim tuam minime latuit intelligentiam, quodque res ita ſe habeat nobis recte ſignificaſti, manifeſtumque feciſti; verum facile non eſſe viros dignos reperire: præſtare autem unum aliquem probatum unicuique urbi præfici, cui ſingularum res incumbant adminiſtrandæ, dummodo ille Dei ſervus ſit. In primis id agendum eſt,* μικροπολιτείαις, ἤτοι ταῖς μικροκωμίαις, ταῖς ἐκ παλαιοῦ ἐπίσκοπον ἰσχυούσαις δοῦναι, περιϊσταμένους· καὶ τότε τὸν ἐκ τῆς πόλεως ἀναστησόμεθα, μήποτε ἐμπόδιον ἡμῖν πρὸς τὴν μετὰ ταῦτα οἰκονομίαν γένηται ὁ προβαλλόμενος, *& parvis oppidis, ſive primariis vicis, quæ ab antiquo epiſcopalem ſedem habuerunt, præſules demus, ne forte is qui provehendus eſt, nobis obſtaculo ſit ad res quæ ſubinde accident, procurandas, ſtatimque incipiamus cum domeſticis noſtris belligerare, multis imperare volentibus, nec ille ordinationes iſtas epiſcoporum admittat.* καὶ μὴ καταδέχηται τὰς χειροτονίας τῶν ἐπισκόπων. *Quod ſi operoſum iſtud ſit, quod pro tempore licebit, hoc prudentia tua curet; ut nempe Iſauro orbem ipſius deſcribat, quo vicinos ſuos ipſe queat ordinare.* Epiſtola altera ait, *ſe in Piſidiam uſque tranſiiſſe, ut cum regionis epiſcopis ſanciret quæ ad fratres de Iſauria ſpectarent.* Dein Amphilochium laudat quod Iſauriæ ſollicitudinem habuerit, ſibique arridere ait, epiſcopos dignos & ſelectos illic eſſe ab ipſo conſtitutos, deque exiguis illis eccleſiis componendis differit. Quanquam abſonum fortaſſe non erit Cataoniam, quæ Cappadociæ portio erat, Iſauriæ quoque cenſitam tunc fuiſſe; in qua nempe Ammiano Marcellino teſte, quem ſuperius appellavi, altera Iſauriæ urbium Claudiopolis fuerit, quam in Cataonia exſtitiſſe Cellarius oſtendit tom. 2. p. 229.

EPISCOPI SELEUCIÆ.

I. Agapetus.

In Nicænæ ſynodi Patrum indice, *Agapetus Seleucienſis* legitur, alias etiam *Agapius*, poſt nonnullos tamen Iſauriæ epiſcopos collocatus; cenſetur inſuper inter patres Antiochenæ ſynodi, de provincia Iſauriæ *Agapius Seleucienſis*.

II. Neonas.

Quum *Neonas* Seleuciæ epiſcopus ſederet, habita in hac urbe eſt ſynodus de toto Oriente generalis anno 359. in qua ille à Georgio Alexandrino & Acacio Cæſarienſi, cæteraque Arianorum factione ſecedens, reliquis ſe junxit qui meliorem de Deo Verbo ſententiam tenebant, etſi non plene Nicænam: A quocirca alterius partis hæreticæ epiſcopi Conſtantinopolim, cui Eudoxius Arianus datus præſul fuerat, iterum convenientes, qua apud Conſtantium valebant auctoritate, Neonam Seleuciæ epiſcopatu exemerunt.

III. Symposius.

IV. Samus.

Inter Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis primæ epiſcopos Iſauriæ primus cenſetur *Sympoſius Seleucienſis*. Baſilius epiſtola 190. B Amphilochio Iconienſi de eccleſiis Iſauriæ procurandis ſcribens, admonet, ut ſatagat, quò Iſaurus ſuo circulo circumſcribatur, & ad vicinos dumtaxat ſuos ordinandos manus admoveat, ubi videtur Seleucienſem indicare. Cæterum in fine ait, *Sympium* litteras

Digitized by Google

communionis ad ſe dediſſe, ſeque reſponſorias ſuas Amphilochio ipſi primum mittere, A legendas, ac, ſi libuerit augendas. Ubi pro *Sympio*, Σύμπιος, legendum omnino eſt Συμπόσιος, *Sympoſius*. Atqui Baſilius Seleucienſis lib. 2. de miraculis S. Theclæ cap. 15. narrat ſanctam virginem per inſomnium Maximum Seleuciæ itidem epiſcopum admonuiſſe, ne quiſquam in eccleſia martyrio-ve ſuo tumularetur, qui non Deo viveret, ὡς Συμπόσιος ἐκεῖνος ὁ θεσπέσιος, *velut Sympoſius ille divinus*: qui proinde in illa inſigni eccleſia ſepultus erat, cui ſocium addit Samum, virum etiam

SAMUS. divinum, ὡς Σαμὸς ἐκεῖνος ὁ θεῖος ἀνὴρ, qui B proinde Seleuciæ quoque præſul exſtiterat, ſi modo epiſcopi ſoli in eccleſiis tumulabantur.

Atqui *Samum* hunc divinum, tametſi Seleuciam urbem incoleret, frequentius in martyris ſanctiſſimæ templo commoratum addit Baſilius, bis in eam cum pſalmodia diebus ſingulis aſcendendo, δὶς ἑκάστης ἡμέρας αὐτὸν μετὰ ψαλμῳδίας.

V. Maximus.

Seleucienſis in Iſauria epiſcopus *Maximus* factus eſt, ex S. Joannis Chryſoſtomi diſcipulo, & monaſticæ vitæ ſocio, ut fert Socrates lib. 6. hiſt. cap. 2. Sozomenus quoque lib. 8. cap. 3. Baſilius Seleucienſis lib. 2. de miraculis ſanctæ Theclæ cap. 15. narrat ſanctam martyrem minime paſſam, ut Hyperachius vir alioqui commendabilis, in eccleſiæ ſuæ porticu humaretur; quamvis id permiſiſſet Maximus, præſtantiſſimus licet Seleuciæ præſul, τοῦ μεγίστου καὶ θεοτάτου ἀνδρὸς, τοῦ Μαξίμου λέγω, τοῦ τηνικαῦτα τῆς ἐκκλησίας ταύτης προεδρεύοντος, *viri*, inquam, *admirabilis*, τοῦ θαυμαστοῦ.

VI. Dexianus.

Ex preſbytero & cuſtode eccleſiæ ſanctæ Theclæ epiſcopus Seleucienſis evaſit *Dexianus*, quo pontificatum gerente, Marianus Tarſenſis cives ſuos deterrere conatus, ne Seleuciam ad virginis celebritatem vaderent, repentina morte periit. Quod Baſilius ille narrat lib. 2. cap. 17. 13. & 14. Venit ad Epheſinum concilium Dexianus, ubi conteſtationi ſubſcripſit multorum epiſcoporum qui obſtiterunt, ne Cyrillus Alexandrinus non expectato Joannis Antiocheni & Orientalium E adventu, ſynodum celebraret, tum ſubinde rurſum aliis Orientalium ſynodicis adverſus legitimum concilium actis & litteris ſubſcripſit, *Dexianus epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ metropolitanus ſubſcripſi.* Collect. ex Irenæo capp. 7. 13. 17. Quocirca communione à ſancta ſynodo exſors fieri meruit. Baſilius cap. 30. Dexianum iterum laudat ex aſſiduo cultu quo virginem Theclam proſequebatur, hunc Homeri verſu 154. Iliade π. commendans

Ὃς δὲ θνητὸς ἐὼν ἐπέβη ἵπποις ἀθανάτοισι.

Mortalis quamvis bigis cæleſtibus inſtans.

Tum addit: *Quum enim in publico ageret, vitamque duceret maxime civilem, nullo tamen modo ab illorum deceſſorum ſuorum virtute deſciſcebat, ſed totus in Chriſto poſitus, eadem quæ ipſi præſtabat. Cujuſmodi fuerunt etiam Carterius, Joannes & Philippus, qui hanc quidem palæſtram virtutis pro ſua quiſque virili excolentes, trutina vero exactius cum inter ſe, tum cum priſcis illis, vitæ præſtantia contendebant.* Atqui mox declarat Joannem epiſcopum fuiſſe Seleuciæ, ut hac dignitate à Carterio & Philippo diſtinctus fuerit.

VII. Joannes.

Baſilius rurſum quum ſtrictim *Joannem* cum Carterio & Philippo laudaviſſe, de eo ſtatim ſubdit: *Nam Joannem illum, nec epiſcopatus quidem ſedes à multis expetita, hujus ſacri exercitii arcuit inſtituto, ut cernere omnes queunt,* καὶ τοῦτ' ἔξεστιν ὁρᾷν, *qui ipſum ad eamdem exer-* C *citii lancem, quam jam olim cœperat, etiam nunc vitam ſuam moderantem intuentur,* ὁρῶσι. Quæ indicant ſcriptum à Baſilio volumen utrumque, in vivis adhuc ſtante Joanne, quum ipſe preſbyter ſolum & doctor eſſet. Quocirca cap. 27. ait: *Eadem martyr frequenter mihi in ſacerdotalem ſenatum numerumque doctorum & ſacerdotum adſcripto, in viſu adfuit,* καὶ τῆς ἱερατικῆς δέ μοι καταξιωθέντι γερουσίας, καὶ τοῦ καταλόγου τῶν διδασκάλων καὶ ἱερέων. Nota ἱερέων, non ἀρχιερέων, ut Lipſius minus accurate verterit, *in numerum pontificum ad-* D *ſcripto.*

VIII. Basilius.

Ex Seleucienſis itaque eccleſiæ preſbytero Joanni ſuffectus eſt *Baſilius*, qui Conſtantinopoli agens anno 437. Flaviani, nec-non Thalaſſii Cæſarienſis ſynodicis conventibus adfuit, in quibus Eutyches hæreſis convictus eſt. Anno autem inſequenti ad ſynodum Epheſinam ſecundam venit, in qua prædatoriis Dioſcori impreſſionibus & decretis quibus Eutyches abſolutus eſt, divinuſque Flavianus proſcriptus, non ſine proditionis ſuſpicione ſuffragatus eſt. Βασίλειος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Σελευκείας μητροπόλεως Ισαυρίας, *Baſilius miſericordia Dei epiſcopus Seleuciæ metropolis Iſauriæ.* Unde quum poſt biennium Chalcedonenſi ſynodo intereſſet, non ſine rigore cum illo actum fuit: noxam vero ſuam coram patribus eluere conatus eſt, erratorum petita venia, & catholicis definitionibus, ut & epiſtolæ magni Leonis Papæ, aſſentiendo

Digitized by Google

ECCLESIA SELEUCIÆ.

& ſubſcribendo. Ad eum Leo Imp. accepta nece ſancti Proterii Alexandrini, ut ad alios A metropolitas litteras ſacras miſit, mandans ut cum ſuæ provinciæ præſulibus habita ſynodo, ſuam de Chalcedonenſi concilio ſententiam ediſſererent: quod Baſilius præſtare non omiſit. Ut proinde anno quoque 458. adhuc ſuperſtes eſſet.

IX. Theodorus.

Quintæ ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit, B *Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Seleucienſium apud Iſauros metropoleos.* Alias quoque *Theodotus* dicitur, pro varietate codicum Latinorum, quando interim Græci non ſuperſunt.

X. Macrobius.

Unus ſextæ generalis ſynodi Patrum *Macrobius Seleucienſis* in Iſauria fuit, ejuſque decretis ſubſcripſit: Μακρόβιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Σελευκείας μητροπόλεως τῆς Ἰσαύρων χώρας, *Macrobius epiſcopus Seleuciæ metropolis regionis Iſaurorum.* Qui perinde ſubſcriptus reperitur canonibus Trullanis. Actione autem ſexta concilii codicem protulit geſtorum quintæ ſynodi itidem generalis, quo probatum eſt, libellum Vigilii Papæ quo Monotheletæ errorem ſuum tuebantur, ſuppoſititium eſſe. Quod utinam compertum ſatis eſſet.

II. ECCLESIA CELENDERIS.

Celenderis Ciliciæ priſcæ oppidum ſat vetuſtum fuit, quod à Sandoco Aſtynoi filio & Phaëthontis nepote conditum ferebat Apollodorus lib. 3. c. 13. Ad mare ſitum ait Strabo, cum portu: Tacitus vero munitum ſolummodo caſtellum dixit lib. 2. Annal. c. 80. A Celenderi autem nomen traxit Celenderitis regio apud Plinium, quam notitiæ ambæ ſecundam exhibent Iſauriæ civitatem.

EPISCOPI CELENDERIS.

I. Musonius.

Constantinopolitano concilio generali priori adfuiſſe legitur in indice Latino, *Muſonius Celenderitanus.*

II. Julianus.

In ſynodo Chalcedonenſi ſedebat, ejuſque definitionibus ſubſcripſit Ἰουλιανὸς ἐπίσκοπος Κελενδέρεως τῆς Ἰσαυρίας, *Julianus epiſcopus Celenderis Iſauriæ.* In codicibus Latinis apud Baluzianam collectionem novam conciliorum, modò *Julianus*, modò *Julius* ſcribitur, D qui proinde ipſe eſt *Julius epiſcopus Celendereos*, epiſtolæ ſynodi Iſauriæ ad Leonem Imperatorem ſubſcriptus.

III. Petrus.

Canonibus ſynodi quini-ſextæ, quæ *in* C *Trullo* quoque dicitur, ſubſcriptus legitur Πέτρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κελενδέρεως τῆς Ἰσαύρων ἐπαρχίας, *Petrus indignus epiſcopus Celenderis provinciæ Iſaurorum.*

IV. Eustathius.

In ſeptima ſynodo ſeu Nicæna ſecunda ſedit & ſubſcripſit Εὐστάθιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κελενδέρεως, *Euſtathius indignus epiſcopus Celenderis.*

V. * * *

Coram octavæ ſynodi generalis Patribus ſtetit *epiſcopus Celenderis*, cujus nomen omiſſum, à Photio utique ordinatus, ſaltem factioni ejus adverſus S. Ignatium deditus, cujus cauſam obſtinatiſſimo animo aſſeruit, cum duobus præſertim aliis.

III. ECCLESIA ANEMURII.

Anemurium, Ἀνεμούριον, veteris Ciliciæ promontorium & oppidum, Strabone teſte, ubi continentem dicit Crommyo Cypri promontorio appropinquare ad ſtadia 350. quod inſuper Pomponio Melæ Ciliciam à Pamphylia dirimebat: poſthac provinciæ Iſauriæ novæ attributum fuit, ut in notitiis duabus fertur, & in actis conciliorum.

EPISCOPI ANEMURII.

I. Jacobus.

Tempore ſynodi Chalcedonenſis Ane- E murii epiſcopus erat *Jacobus*, pro quo, ut pro aliis de Iſauria abſentibus, à Baſilio Seleucienſi ſubſcriptum eſt act. 6. Ἰακώβου Ἀνεμουρίου.

Digitized by Google

II. Euphronius

Epiſtolæ ſynodi Iſauriæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini & concilio Chalcedonenſi ſubſcripſit *Euphronius epiſcopus Anemorii.*

III. Joannes.

Aut Imerienſis in Oſrhoëne provincia, aut Anemorii in Iſauria epiſcopus fuit ille qui *Joannes Ammoriæ* dicitur in Chronico Dionyſii Jacobitarum Patriarchæ, & inter Monophyſiticæ ſectæ addictos præſules numeratur, quos Juſtinus I. Imperator ſedibus A expulit quas occupabant, anno circiter 518. *Aſſem. Maron. diſſert. de Monophyſ. tom. 2. Biblioth. Orient.*

IV. Mamas.

Canonibus quini-ſextæ ſynodi appoſitum cum aliis nomen *Joannis preſbyteri ſanctæ eccleſiæ Dei civitatis Anemorii, vices ſupplentis Mamantis ſanctiſſimi epiſcopi ſui:* Ιωάννης πρεσβύτερος τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας πόλεως τοῦ Ανεμουρίου, ὁ καὶ τὸν τόπον ἀναπληρῶν Μάμαντος τοῦ ἁγιωτάτου μου ἐπισκόπου, ὁρίσας ὑπέγραψα.

IV. ECCLESIA LAMI & CHARADRI.

LAMUS Ciliciæ antiquæ Tracheæ ſeu aſperæ urbs ad Lamum fluvium, ut narrat Strabo, à qua regio Λαμῶτις *Lamotis*, Ptolemæo; Iſauriæ poſthac cenſita eſt, ut notitiæ ferunt, & acta ſynodorum. In ſubſcriptionibus epiſtolæ ad Leonem Imp. idem Lami & Charadri epiſcopus. Ac Charadri quidem meminit Strabo, illamque arce munitam ait, cum ſtatione navium, Χαραδροῦς ἔρυμα καὶ αὐτὸ ὕφορμον ἔχον. *Civitatem* quoque dixerat Scyllax, & *portum*, Χαραδροῦς πόλις καὶ λιμήν.

EPISCOPI LAMI & CHARADRI.

I. Nunechius.

EPiſtolæ epiſcoporum Iſauriæ ad Leonem Auguſtum de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcriptus legitur, *Nunechius epiſcopus Latmi & Calendri;* duplici Librariorum errore; ut pro *Lami*, ſcripſerint *Latmi:* & pro *Charadri*, *Calendri.* Quanquam Strabo Λάτμον, *Latmum* habet. Actione 6. concilii Chalcedonenſis Baſilius Seleucienſis pro eodem Nu- B nechio *Charadrorum*, ut pro aliis ſub ſe conſtitutis epiſcopis ſubſcripſerat, Νουνεχίου Χαράδρων. Ut idem & Lami & *Charadri* præſul exſtiterit.

II. Eustathius.

Septimæ ſynodo interfuit & ſubſcripſit Εὐστάθιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Λάμου, *Euſtathius indignus epiſcopus Lami.*

V. ECCLESIA ANTIOCHIÆ *minoris.*

ANTIOCHIA Lamotidis regionis, quæ non alia videtur eſſe ab Antiochia ſuper Crago in Selenuntide Trachea, ſeu Selenuntis Ciliciæ aſperæ regione eſt, Ptolemæo. Antiochia minor dicta apud Conſtantinum Porphyrogennetum, hodie *Antiochena.* Marcellinus Comes in Chronico, *Indict. VI. Joanne Scytha & Paulino coſſ. Longinum Iſaurum, cognomento Selenunteum, qui Iſauricæ rebellionis ſub Anaſtaſio Imp. dux fuerat, apud Antiochiam Iſauriæ civitatem à Priſco comite captum, & Conſtantinopolim miſſum* narrat.

EPISCOPI ANTIOCHIÆ *minoris.*

I. Antonius.

INter epiſcopos Iſauriæ, qui Nicænæ ſynodo interfuerunt, *Antonius Antiochenus* cenſetur.

II. Theodosius.

In indice epiſcoporum ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis prioris *Theodoſius Antiochenus* inter Iſauros reperitur.

III. Acacius.

Synodo Chalcedonenſi de Iſauriæ pro- C vincia adfuit & ſubſcripſit act. 6. Ακάκιος ἐπίσκοπος Αντιοχείας Λαμώτιδος, *Acacius epiſcopus Antiochiæ Lamotidis.* Act. 6. idem Acacius in ſubſcriptionibus dicitur *epiſcopus civitatis Antiochiæ Iſauriæ.* Qui rurſum ſubſcripſit epiſtolæ ſynodi Iſauriæ ad Leonem Auguſtum. Ex his immanis error Latinorum amanuenſium corrigitur, qui in actis concilii Chalcedonenſis ſcripſerunt *Acacius epiſcopus Antiochiæ Leomanditus.*

Digitized by Google

IV. Zacharias.

Canonibus Trullanis ſubſcripſit inter epiſcopos Iſauriæ, Ζαχαρίας ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀντιόχου, *Zacharias minimus epiſcopus Antiochi* ſive *Antiochiæ*. A

V. Theophanes.

In actis ſynodi Conſtantinopolitanæ, in qua Photii reſtitutio rata habita eſt, adfuiſſe & ſubſcripſiſſe fertur, Θεοφάνης Ἀντιοχείας μικρᾶς, *Theophanes Antiochiæ parvæ*, ſeu *minoris*.

VI. ECCLESIA SELENUNTIS.

Selenus, vel *Selinus*, Σελινοῦς, ad fluvii ejuſdem nominis oſtium poſita, Ciliciæ quondam aſperæ civitas, Iſauriæ ſubinde facta eſt: De qua Baſilius Seleucienſis lib. 2. de miraculis S. Theclæ cap. 15. *Hæc Selenus urbs eſt maritima, & nunc quidem exigua, ſed quæ olim pacis tempore* (ante motiones & rebelliones Iſaurorum) *ampliſſima, florentiſſimaque fuit, invidiæ vero hoſtium hodieque obnoxia eſt; nulla quidem illis per eam illata injuria, ſed quod eorum hactenus vaſtationes evaſerit. Cingit hanc mare velut foſſa quædam, natura, non arte humana circumducta, juxtaque præruptum ſaxum impendens, uti caput galea tuetur, hoſtiumque incurſionibus inacceſſam reddit.* Atqui Trajanopolis etiam eſt nominata, ex quo Trajanus in ea diem poſtremum obiit. Inter urbes Iſauriæ cenſetur in notitiis.

EPISCOPI SELENUNTIS.

I. Neon.

In ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis Patrum indice de provincia Iſauriæ legitur *Neon Selinuntinenſis*. B

II. Alypius.

In ſubſcriptionibus Epheſinæ ſynodi generalis ſemel atque iterum legitur *Alypius epiſcopus civitatis Selenuntis*. Ut proinde ab Orientalibus, qui pro Neſtorio ſtabant, ſe ſejunxerit.

III. Ælianus.

Synodo Chalcedonenſi aderat, & *per ſubdiaconum ſuum Paulum definiendo ſubſcripſit Ælianus epiſcopus civitatis Selenuntis*, Αἰλιανὸς ἐπίσκοπος πόλεως Σελινοῦντος ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ τοῦ ὑποδιακόνου μου Παύλου.

IV. Theon.

Epiſtolæ epiſcoporum Iſauriæ ad Leonem Auguſtum de Proterii Alexandrini nece ſubſcriptus legitur *Theon epiſcopus Hellineſii*, corrupta ſcilicet voce, pro *Selinuntis*.

VII. ECCLESIA JOTAPES.

Jotape Plinio oppidum eſt Ciliciæ, aſperæ ſcilicet: nec alia ejus in veterum libris mentio, ſed in notitiis tantum & actis conciliorum.

EPISCOPI JOTAPES.

I. Marinianus.

Synodo Antiochenæ, in qua Domno Patriarcha præſide Athanaſii Perrhenſis cauſa agitata eſt, aderat *Marinianus Jotapes*, ut editores in margine actorum ſynodi Chalcedonenſis ſcripſerunt col. 728. edit. Labbei, quum in textu feratur Μαρινιανοῦ Ροσαφᾶς, *Mariniano Rhoſaphæ*. C

II. Ammonius.

Synodo Chalcedonenſi adfuit, & ejus geſtis aſſenſus eſt & ſubſcripſit, Ἀμμώνιος ἐπίσκοπος πόλεως Ἰωτάπης. *Ammonius epiſcopus civitatis Jotapes*, qui ſubinde ſubſcripſit epiſtolæ ſynodicæ epiſcoporum Iſauriæ ad Leonem Imp. ubi levi errore *Zotapæ* epiſcopus ſcribitur.

VIII. ECCLESIA DIOCÆSAREÆ.

Diocæsaream inter Iſauriæ civitates cenſent notitiæ, quin & acta ſynodorum, quæ utique altera eſt ab Diocæſarea Cappadociæ, cujus Plinius lib. 6. c. 3. & Ptolemæus meminere.

Digitized by Google

EPISCOPI DIOCÆSAREÆ.

I. Montanus.

INter patres primæ ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis de provincia Iſauriæ ſediſſe legitur *Montanus Diocæſarienſis*.

II. Successus.

Duæ celebres Cyrilli Alexandrini epiſtolæ exſtant ad *Succeſſum epiſcopum Diocæſareæ Iſauriæ*, Σουκκέσσῳ ἐπισκόπῳ Διοκαισαρείας τῆς Ἰσαυρίας, in quibus ſuam de Incarnato verbo doctrinam declarat, atque in ſecunda, quo ſenſu *unam Dei Verbi naturam incarnatam* dixerit.

III. Joannes.

Synodo Chalcedonenſi actione præſertim ſexta, inter Iſauriæ præſules ſubſcripſit *Joannes epiſcopus civitatis Diocæſareæ per Nilum lectorem ſuum*, Ιωάννης ἐπίσκοπος πόλεως Διοκαισαρείας ὁσίως ὑπέγραψα διὰ τοῦ ἀναγνώστου μου Νείλου.

IV. Hermophilus.

Epiſtolæ ſubinde epiſcoporum Iſauriæ ad Leonem Imp. de Chalcedonenſi ſynodo & ſancti Proterii Alexandrini nece ſubſcripſit *Hermophilus epiſcopus Diocæſareæ*.

V. Manzo.

In ſeptima ſynodo generali imaginum ſacrarum uſum & venerationem confirmavit *Manzo Diocæſareæ epiſcopus*, Μάνζων ἐπισκόπου Διοκαισαρείας Πρακενῶν. Quid vox Πρακενῶν, *Pracenorum*, ſignificet, non ſum aſſequutus. At Manzo cum Iſauriæ præſulibus numeratur.

IX. ECCLESIA LEONTOPOLIS.

QUæ fuerit Leontopolis Iſauriæ, cujus mentio eſt in actis ſynodorum, & à quo tandem Leone id nominis habuerit, comperire nuſquam potui. Cæterum in notitiis Græcis *Leontopolis Iſauriæ* archiepiſcopatus eſt, recentis utique inſtitutionis. Lib. 4. Juris Græco-Rom. pag. 277. in epiſtola Nicolai Patriarchæ ad Alexium Comnenum *de non auferendis epiſcopatibus à metropolitis*, lex adfertur Marciani Imper. qua vetabat, ne civitati ulli jus epiſcopatus aut privilegia alia auferantur, additurque ὑπεξαίρει δὲ καὶ τὰς ἐν Σκυθίᾳ ἐπαρχίας, καὶ Λεοντόπολιν Ἰσαυρίας, *excipit in Scythia exiſtentes provincias, & Leontopolim Iſauriæ*: ac ſi Leontopolis Iſauriæ epiſcopalibus juribus excidiſſet, quæ tamen ei ſubinde reddita erant. Theodorus Balſamon in expoſitione Nomo-canonis Photii tit. 8. cap. 1. allata conſtitutione qua fertur: *Si quis vel per divinum ſeu Imperatorium reſponſum civitatem aliquam, aut ſuo epiſcopo, aut territorio, aut alio jure privare audeat; exuitur bonis, & infamis redditur*, ſubdit: *Excipitur autem Tomenſium Scythiæ civitas. Illius enim epiſcopus reliquarum etiam civitatum curam gerit: Tum etiam Leontopolis Iſauriæ, quæ ſubeſt epiſcopo Iſauropolitano*, Lycaoniæ ſcilicet.

EPISCOPI LEONTOPOLIS.

I. Zacharias.

CAnonibus qui ſynodi quini-ſextæ dicuntur, ſubſcriptus reperitur, Ζαχαρίας ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Λεοντοπολιτῶν πόλεως τῆς Ἰσαύρων χώρας, *Zacharias miſericordia Dei epiſcopus Leontopolis regionis Iſaurorum*. Qui antehac nimirum ſextæ ſynodo generali interfuerat, ejuſque decretis, nec-non epiſtolæ ſynodicæ ad Agathonem Papam ſubſcripſerat.

II. Joannes.

Cum Styliano Neocæſarienſi, aliiſque epiſcopis de Photio Conſtantinopolitanæ ſedis tyranno ad Stephanum Papam unà ſcripſit *Joannes epiſcopus Leontopolis*, Ιωάννης ἐπίσκοπος Λεοντοπόλεως.

X. ECCLESIA PHILADELPHIÆ.

SUam Iſauria Philadelphiam civitatem habuit, ut notitiæ ferunt, quam in Cilicia aſpera, & mediterranea collocat Ptolemæus.

EPISCOPI PHILADELPHIÆ.

I. Hypsistius.

IN indice Patrum ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis primæ epiſcoporum Iſauriæ unus eſt *Hypſiſtius Philadelphius*.

II. Megalius.

In Chalcedonenſi concilio ſedebat *Megalus*, Μέγαλος, vel *Megalius* potius *civitatis Philadelphiæ Iſauriæ*, qui ſextæ præſertim

Digitized by Google

ECCLESIA PHILADELPHIÆ.

actioni ſubſcripſit, Μέγαλος ἐπίσκοπος πόλεως Φιλαδελφίας, *Megalus epiſcopus civitatis Philadelphiæ*. In indice Patrum ſanctæ hujus ſynodi Latino errore Librariorum inter Iſauriæ præſules legitur *Natalis Philadelphianus*.

III. Athanasius.

Synodicæ epiſcoporum Iſauriæ ad Leonem Imperatorem de nece ſancti Proterii Alexandrini ſubſcripſit *Athanaſius epiſcopus Philadelphiæ*.

IV. Stephanus.

In ſeptimæ ſynodi ſubſcriptionibus reperiuntur, *Lydaſtus Philadelphiæ* & *Stephanus Philadelphiæ:* Lydaſtus inter Lydiæ epiſcopos; unde *Stephanus Philadelphiæ Iſauriæ* attribuendus venit.

XI. ECCLESIA DOMITIOPOLIS.

Domitiopolim in Cilicia aſpera mediterranea poſuit Ptolemæus, Iſauriæ aſſignat Stephanus Byzantinus, ut & notitiæ Græcæ.

EPISCOPI DOMITIOPOLIS.

I. Antonius.

Basilius Seleuciæ metropolita pro *Antonio Domitiopolis*, ut pro epiſcopis aliis ſub ſe conſtitutis act. 6. ſynodi Chalcedonenſis ſubſcripſit, Ἀντωνίου Δομετιοπόλεως.

II. Orentius.

Epiſtolæ ſynodi epiſcoporum Iſauriæ ad Leonem Imp. ſubſcripſit *Orontius epiſcopus Domitiopolis*.

III. Petrus.

Synodo quintæ generali adfuit & ſubſcripſit *Petrus miſericordia Dei epiſcopus Domitiopolis*.

IV. Cosmas.

Canonibus Trullanis ſubſcriptus legitur, *Coſmas miſericordia Dei epiſcopus Domitiopolis*, Κοσμᾶς ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Δομετιπόλεως.

V. Paulus.

In ſynodo Photiana ſub Joanne Papa VIII. *Paulus Domitiopolis*, Παύλου Δομιλιοπόλεως, Παῦλος Δομιλιπόλεως.

XII. ECCLESIA NEPHELIDIS.

Nephelim in *Selenuntide trachea*, Ciliciæ aſperæ regione ſtatuit Ptolemæus, in ipſo maris littore, ut-pote Promontorium Ciliciæ Livio lib. 31. cap. 20. Abeſt in notitiis.

EPISCOPI NEPHELIDIS.

I. Antonius.

Basilius Seleucienſis actione 6. ſynodi Chalcedonenſis pro *Antonio Nephelidis*, ut pro aliis ſub ſe conſtitutis epiſcopis abſentibus ſubſcripſit, Ἀντωνίου Νεφελίδος.

XIII. ECCLESIA TITIOPOLIS.

Titiopolis vel *Titopolis* in Hieroclis & veteri alia notitia Græca quarta civitas eſt provinciæ Iſauriæ, quæ apud Conſtantinum Porphyrogennetum ad Thema Seleuciæ pertinet.

EPISCOPI TITIOPOLIS.

I. Artemius.

In indice Patrum concilii Conſtantinopolitani generalis primi, de provincia Iſauriæ legitur, *Artemius Titiopolitanus*.

II. Mampreus.

Quum inter epiſcopos Iſauriæ qui Chalcedonenſi concilio interfuerunt, in indice Latino lego *Mampreus Titiopolitanus*, nomen eſſe corruptum non ambigo.

III. Domitius.

Canonibus Trullanis ſubſcriptum reperio *Domitium epiſcopum Titopolis provinciæ Iſauriæ*, Δομέτιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Τιτοπόλεως τῆς Ἰσαύρων ἐπαρχίας.

XIV. ECCLESIA

Digitized by Google

XIV. ECCLESIA HIERAPOLIS.

NOtitia utraque Græca inter Iſauriæ urbes Hierapolim habent, cujus nulla alibi mentio mihi occurrit, niſi in actis ſynodorum.

EPISCOPI HIERAPOLIS.

I. Paulus.

Epiſtolæ ſynodi Iſauriæ ad Leonem Au-
A guſtum de nece S. Proterii Alexandrini, & de concilio Chalcedonenſi ſubſcripſit *Paulus epiſcopus Hierapolis.*

XV. ECCLESIA CESTRI.

CESTRUS, Κέστρος, ſive *Ceſtri* Κέστροι, vel *Ceſtra* Κέστρα, in notitia Hieroclis & veteri Græca, inter Iſauriæ urbes numeratur, quæ eadem eſt nî fallor atque Cayſtrus, quam Ptolemæus Ciliciæ aſperæ & Selentidi regioni attribuit. Ad Ceſtrum Pamphyliæ, quæ Ciliciæ vicina eſt, fluvium fuiſſe poſitam mihi extra dubium eſt, à quo nempe nomen accepit.

EPISCOPI CESTRI.

I. Epiphanius.

ACtione præſertim ſexta concilii Chalcedonenſis, definitionibus ejus ſubſcripſit *Epi-*
B *phanius epiſcopus civitatis Ceſtrorum,* Ἐπιφάνιος ἐπίσκοπος πόλεως Κέστρων. Subſcriptus itidem reperitur ſynodicæ epiſcoporum Iſauriæ ad Leonem Auguſtum.

XVI. ECCLESIA DALISANDI.

DALISANDUM Ptolemæus ſtatuit in Cataonia regione Cappadociæ, Ciliciæ aſperæ vicina, cujus proinde pars Iſauriæ novæ attributa eſt, quando Daliſandus in notitiis Iſauriæ cenſetur. Quocirca à Pontica diœceſi in Antiochenam tranſiit, ex quo recentis Iſauriæ civitatum Seleucia metropolis evaſit. Baſilio Seleucienſi lib. 2. de vita & miraculis S. Theclæ cap. 10. *Daliſandus urbs eſt, ſeu potius urbis dumtaxat ſimulacrum & nomen, inter obſcuras & ignobiles rejecta,* ex illis nempe quas magnus Baſilius in epiſtola ad Amphilochium, μικροπολιτείας, & μικροκωμίας appellabat, quibus tamen epiſcopos iterum præficiendos cenſuerat.

EPISCOPI DALISANDI.

I. Marinus.

IN indice Patrum ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis prioris, *Marinus Daliſandenſis.*

II. Stephanus.

Chalcedonenſi ſynodo non interfuit quidem *Stephanus Daliſandi,* pro eo vero ut pro abſentibus aliis ſub ſe conſtitutis epiſcopis ſubſcripſit Baſilius Seleucienſis, Στέφανος Δαλισάνδου, qui poſthac epiſtolæ ſynodicæ epiſcoporum Iſauriæ ad Leonem Imp. ſubſcripſit.

III. Constantinus I.

Concilio ſexto generali adfuit ſubſcripſitque *Conſtantinus miſericordia divina epiſcopus civitatis Daliſandi,* ſic Latina tranſlatio, textus vero Græcus Κωνσταντῖνος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Δαλισάνδου.

IV. Cosmas.

Quini-ſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus
C reperitur Κοσμᾶς ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Δαλισάνδου τῆς Ἰσαύρων ἐπαρχίας, *Coſmas miſericordia Dei epiſcopus civitatis Daliſandi provinciæ Iſauriæ.*

V. Constantinus II.

Synodo ſeptimæ generali adfuit & ſubſcripſit *Conſtantinus epiſcopus Daliſandi,* Κωνσταντῖνος ἐπίσκοπος Δαλισάνδου.

VI. Constantinus III.

Anno 1156. celebratæ Conſtantinopo-
D li ſynodo ob Soterichi Panteugeni Antiocheni Patriarchæ doctrinam erroneam, qua ſacrificium crucis & altaris, filio, uti Deus eſt, offerri negabat, aderat *Conſtantinus Daliſandi epiſcopus,* Leone Allatio teſte Vind. ſynod. Epheſ. pag. 585. imo & actis Græcis quæ habeo manu exarata, in quibus poſtremus epiſcoporum *Daliſandi Conſtantinus* nominatur, ὁ Δαλισάνδου Κωνσταντῖνος.

XVII.
ECCLESIA CLAUDIOPOLIS.

CLAUDIOPOLIM in quàm Claudius Cæſar, Ammiano Marcellino lib. 14. teſte, coloniam deduxit, in Cataonia Cappadociæ regione Ptolemæus collocat, Tauro monti proximam. In notitiis & conciliorum geſtis Iſauriæ provinciæ cenſetur, novæ ſcilicet, ſub Seleucia metropoli, quum ante Ponticæ diœceſis fuiſſet.

EPISCOPI CLAUDIOPOLIS.

I. ETESIUS.

IN indice Patrum ſynodi Nicænæ inter Iſauros reperitur *Eteſius*, vel forte potius *Ædeſius Claudiopolitanus*.

II. CALLICRATES.

Libello quo Semi-ariani coram Joviano Auguſto Conſubſtantialis fidem profeſſi ſunt, ſubſcripſit *Callicrates Claudiopolis*, Καλλικράτης Κλαυδιουπόλεως. Hujus ne vero, an-non potius Honoriadis ſeu Bithyniæ!

III. MONTANUS.

Inter Conſtantinopolitanæ ſynodi primæ de Iſauria epiſcopos cenſetur *Montanus Claudiopolitanus, per Paulum preſbyterum* ſubſcribens.

IV. GERONTIUS.

Conteſtationi epiſcoporum qui quum ad Epheſinum concilium conveniſſent, interceſſerunt, ne Cyrillus Alexandrinus illius celebrationem inchoaret ante adventum Orientalium, ſubſcripſit *Gerontius epiſcopus* A *Claudiopolis Iſauriæ*; quin & aliis etiam quæ Joannes Antiochenus cum ſuis adverſus legitimam ſynodum geſſit.

V. THEODORUS.

Synodo primum Epheſinæ ſecundæ *Theodorus Claudiopolis Iſauriæ* adfuit, καὶ Θεοδώρου Κλαυδιουπόλεως τῆς Ἰσαυρίας, ubi peſſimis Dioſcori decretis ſuffragatus eſt; factum vero revocavit in concilio Chalcedonenſi, rectis ejus definitionibus ſubſcribens.

VI. JOANNES.

B Aderat ſynodo Conſtantinopolitanæ, quæ Epiphanio archiepiſcopo recens ordinato habita eſt, *Joannes epiſcopus Claudiopolis Iſauriæ*, ut-pote ſynodicæ epiſtolæ ad Hormiſdam ſubſcriptus. Quin & Romam ipſe ab eadem ſynodo delegatus eſt, cum Heracliano preſbytero Conſtantinopolitano & ſyncello, rerum in urbe pro fidei inſtauratione geſtarum teſtis futurus. *Adjicient igitur*, aiunt patres, *quod minus dictum eſt, Joannes eccleſiæ Claudiopolitanæ epiſcopus, noſter comminiſtrator, & Heraclianus, &c.*

XVIII.
ECCLESIA GERMANICOPOLIS.

GERMANICOPOLIM in Iſauria collocant notitiæ, Conſtantinus etiam Porphyrogennetus in Themate Seleuciæ.

EPISCOPI GERMANICOPOLIS.

I. TYRANNUS.

SYnodo Chalcedonenſi adfuit & ſubſcripſit *Tyrannus epiſcopus Germanicopolis Iſauriæ*, Τύραννος ἐπίσκοπος Γερμανικουπόλεως τῆς Ἰσαυρίας.

II. THEODORUS.

Septimo concilio generali poſt Euſtathium Lami, cum aliis Iſauriæ epiſcopis adfuiſſe C ſubſcripſiſſeque legitur Θεόδωρος ἐπίσκοπος Γερμανικουπόλεως, *Theodorus epiſcopus Germanicopolis*.

III. BASILIUS.

Synodo Photianæ ſub Joanne Papa VIII. adfuit *Baſilius Germanicopolis*, Βασίλειος Γερμανικουπόλεως.

XIX.
ECCLESIA SBIDES.

SBIDE, quæ in notitia veteri Σβίδη quoque nominatur, in Hieroclis, errore utique Librariorum Σείδη *Zeede* ſcribitur; in utraque Iſauriæ cenſetur. Cujus nulla alibi mihi occurrit mentio, niſi in actis conciliorum.

Digitized by Google

EPISCOPI SBIDES.

I. CONON.

ACtione ſexta concilii Chalcedonenſis Baſilius metropolita Seleuciæ pro epiſcopis ſub ſe conſtitutis abſentibus ſubſcribens, poſtremo loco *Cononem Sbides* nominavit, Κόνων Βίδης, legendum, Σβίδης, *pro Conone Sbides*. Sæpe contingit, ut amanuenſes Græci, ubi nomina propria deſcribunt, lit-
A teram *S.* ſi duæ ſint, repetere omittant. In tranſlatione Latina perperam ſcriptum eſt *Iſidis*. Quum vero Conon idem ſubſcripſerit epiſtolæ ſynodicæ ad Leonem Imp. de nece ſancti Proterii Alexandrini, graviori errore à Librariis quibuſdam Latinis erratum eſt qui ſcripſerunt, *Conon epiſcopus Libiadis*. At veteres codices in nova collectione Baluzii habent Zebdæ, pro *Sbida*, vel *Sbides*.

XX.

ECCLESIA SEBASTIÆ.

HIEROCLES in Iſauria Julioſebaſten habet, Ἰυλιοσεβαστὴ, quæ in veteri Græca Helioſebaſte ſcribitur, ὁ Ἡλιοσεβαστῆς. Ea proinde eſt, quæ & Sebaſtia dicitur in actis ſynodorum.

EPISCOPI SEBASTIÆ.

I. SEBASTIANUS.

EPiſtolæ ſynodi Iſauriæ ad Leonem Imp.
B de nece ſancti Proterii Alexandrini ſubſcripſit *Sebaſtianus epiſcopus Sebaſtiæ*.

XXI.

ECCLESIA IRENOPOLIS.

SUa fuit Irenopolis Iſauriæ provinciæ, uti Ciliciæ; quod ex notitiis geſtiſque ſynodorum conſtat: at non ex aliis monumentis.

EPISCOPI IRENOPOLIS.

I. JOANNES.

IN menologio Græcorum die 4. Februarii C memoria fit, *ſancti patris Joannis Irenopolis, qui unus fuit patrum concilii Nicæni*: τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἡ μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ ἐν Εἰρηνουπόλει, ἑνὸς τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ. Atqui in hoc ſacro conventu ſedebat Narciſſus Irenopolis ſeu Neroniadis Ciliciæ. Hic igitur Joannes Irenopoli Iſauriæ attribuendus eſt. Nam Irenopolis alia non fuit præter Berrhœam Macedoniæ, quæ ſæculo nono dumtaxat ab Irene Auguſta Irenopolis appellationem ſortita eſt.

II. MENODORUS.

Baſilius Seleucienſis pro epiſcopis provinciæ Iſauriæ abſentibus, actione ſexta concilii Chalcedonenſis ſubſcribens, *Menodorum Irenopolis* nominavit, Μηνοδώρου Εἰρηνουπόλεως.

III. PAULUS.

Epiſcoporum Iſauriæ ſynodicis litteris ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcriptus legitur *Paulus epiſcopus Hermopolis*; veteres codices in nova collectione Baluzii habent, *Hieronopolis*, corrupte quidem etiam, ſed legendum proinde *Irenopolis*.

IV. GEORGIUS.

Quini-ſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus quoque legitur Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Εἰρηνουπόλεως τῆς Ἰσαύρων ἐπαρχίας, *Georgius in-*
D *dignus epiſcopus Irenopolis provinciæ Iſaurorum.*

V. EUSCHEMON.

In Photii ſynodo ſub Joanne Papa VIII. adfuit & ſubſcripſit *Euſchemon Irenopolis*, Εὐσχήμων Εἰρηνουπόλεως, Εὐσχήμων Εἰρηνουπόλεως.

XXII.

ECCLESIA OLBÆ.

QUæ Ptolemæo Olbaſa, Cetidis regionis, Ciliciæ propriæ ſeu Campeſtris, aut interioris civitas, eadem Straboni Ὄλβη, *Olbe* dicitur: *Jovis*, inquit, *habens templum à Teucri filio Ajace dedicatum, cujus pontifex dominus erat Trachanitidis*, ſeu *Ciliciæ aſperæ*. Unde Iſauriæ attributa fuit, ut & urbes aliæ Ciliciæ aſperæ. Ita etiam notitiæ Græcæ ferunt.

ECCLESIA OLBÆ.

EPISCOPI OLBÆ.

I. EUSEBIUS.

INter patres provinciæ Iſauriæ, qui Conſtantinopolitanæ ſynodo primæ interfuerunt, cenſetur *Euſebius Olbienſis*.

II. DIFFERENTIUS.

Anno 448. ſynodi Conſtantinopolitanæ conventibus duobus, in quibus Flaviano & Thalaſſio Cæſarienſi præſidibus, Eutyches hæreſis convictus fuit, aderat, illiuſque damnationi ſubſcripſit *Diapherontius*, ſeu *Differentius epiſcopus civitatis Olbæ*, pro quo Baſilius Seleucienſis an. 451. ut pro aliis epiſcopis ſub ſe conſtitutis abſentibus actione ſexta concilii Chalcedonenſis ſubſcripſit, Διαφεροντίυ Ὀλβεως, *pro Diapherontio Olbæ*. Latina tranſlatio habet *Olbaſſæ*.

III. PAULUS.

Epiſtolæ epiſcoporum Iſauriæ ad Leonem Imp. ſubſcriptus legitur *Paulus epiſcopus Olbi*, pro *Olbæ*.

IV. THEODORUS.

Sextæ ſynodo generali interfuit & ſubſcripſit *Theodorus miſericordia Dei epiſcopus civitatis Olbeorum*, Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ὀλβέων πόλεως. Qui & in canonum Trullanorum ſubſcriptionibus reperitur.

XXIII.

ECCLESIA ADRASSI.

ADRASSUM inter Iſauriæ civitates habent notitiæ ambæ. Apud Hieroclem Δαρασὸς *Daraſus* ſcribitur, errore ex actis conciliorum emendando.

EPISCOPI ADRASSI.

I. ZOTICUS.

IN nova collectione conciliorum quam doctiſſimus Baluzius edidit, col. 1032. in Chalcedonenſi ſynodo, Philotheum presbyterum geſſiſſe vices legimus *Zotici epiſcopi Adraſſi*.

II. PAULUS.

Quinto concilio generali adfuit & ſubſcripſit *Paulus miſericordia Dei epiſcopus Adraſenorum*.

III. STEPHANUS.

In quini-ſextæ ſynodi canonum ſubſcriptionibus reperitur Στέφανος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Ἀδρασοῦ τῆς Ἰσαυρέων ἐπαρχίας, *Stephanus minimus epiſcopus Adraſi, provinciæ Iſaurorum*.

XXIV.

ECCLESIA COTRADORUM.

COTRADA in notitia Hieroclis Iſauriæ civitas eſt, quæ in veteri Græca altera Κόστραδος *Coſtradus* dicitur, vel potius Κότραδος, *Cotradus;* cujus epiſcopi in ſynodorum actis memorantur.

EPISCOPI COTRADORUM.

I. ALEXANDER.

COTRADORUM nullus mihi occurrit epiſcopus ante ſextam ſynodum generalem, in qua ſedit & ſubſcripſit *Alexander miſericordia Dei epiſcopus Cotradorum provinciæ Iſauriæ* (ſic tranſlatio Latina) Ἀλέξανδρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Κοτράδων. Initio act. 1. diſertè in Græco contextu additur τῆς Ἰσαυρέων χώρας, *provinciæ Iſaurorum*.

II. THEODORUS.

Quini-ſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κοτράδων, *Theodorus indignus epiſcopus Cotradorum*.

III. EUSTRATIUS.

In ſecunda ſynodo Nicæna, ſeu ſeptima generali ſedit & ſubſcripſit *Euſtratius indignus epiſcopus civitatis Cotradorum*, Εὐστράτιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Κοτράδων.

IV. LEO.

Unus epiſcoporum ſchiſmaticorum fuit, qui in ſynodo Michaëlis Cerularii Conſtantinopoli habita, eccleſiæ Latinæ communionem ejurarunt, Patriarchæ libello ſubſcribens Λέων Κοτραδίας, *Leo Cotradiæ. Apud Leonem Allatium de lib. eccleſiæ Græcæ diſſert. 2. pag. 171.*

Digitized by Google

XXV.
ECCLESIA MUSBADÆ.

MUSBADA, Μύσβαδα voce plurali neutra, vel feminina ſingulari, Iſauriæ civitas eſt in actis ſeptimi concilii generalis, in quibus *Siſinnius Muſbadorum* viſitur inter alios Iſauriæ epiſcopos. Hanc proinde ipſam eſſe duxero, quam Hierocles *Lauſadæ* dicit, Λαυσαδαῖ, & notitia vetus & altera Λαύσαδα, *Lauſada*. Diverſam quoque à Vaſadis urbe Lycaoniæ ſynodorum acta confirmant: in qua vero Iſauriæ parte extiterit, fruſtra quæſivi.

EPISCOPI MUSBADÆ.

A

I. SISINNIUS.

SEptimæ ſynodo interfuit & ſubſcripſit *Siſinnius indignus epiſcopus Muſbadorum*, Σισίννιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μυσβάδων.

II. GERMANUS.

In Photiana ſynodo ſub Joanne Papa VIII. ſediſſe legimus *Germanum Muſbadorum*, Γερμανὸς Μυσβάδων.

XXVI.
ECCLESIA ZENOPOLIS.

ZENOPOLIS à Zenone Imp. utique nomen habuit, qui patria Iſaurus erat, Codiſſo vico quodam oriundus, ὁ Κοδισσεὺς, ut ex Malala & Chronico Alexandrino comperimus. Quanquam Nicephorus Calliſtus lib. 16. hunc Seleuciæ in lucem editum ſcripſit ἀνὰ τὴν Σελεύκειαν, ἥτις προήνεγκεν εἰς φῶς ἀγαγοῦσα αὐτόν. Oppidum hoc in Hieroclis notitia abeſſe debuit; exſtat vero in veteri altera, ut-pote longe recentiori. Fuit alia civitas in Lycia Zenopolis dicta.

EPISCOPI ZENOPOLIS.

B

I. EULALIUS.

IN ſexta ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Eulalius epiſcopus Zenopolis Iſauriæ*, Εὐλάλιος ἐπίσκοπος Ζηνοπόλεως Ἰσαυρίας.

II. MARCUS.

In ſeptima ſynodo aderat *Marcus Zenopolis* utique Iſauriæ; aderat enim & Stauracius epiſcopus Zenopolis Lyciæ.

XXVII.
ECCLESIA SILVANORUM.

SILVUM, Σίλβον Ptolemæus in Pamphylia collocat, quæ certe Iſauriæ vicina erat; ſed in Trullanorum canonum ſubſcriptionibus Iſauriæ attribuitur.

EPISCOPI SILVANORUM.

I. SISINNIUS.

QUini-ſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus

C

legitur Σισίννιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως τῆς Σιλβυανῶν τῆς Ἰσαύρων ἐπαρχίας, *Siſinnius minimus epiſcopus Silvanorum, provinciæ Iſauriæ.*

XXVIII.
ECCLESIA IBIDINGES.

IGnota nobis eſt civitas Ibidinge, quæ Iſauriæ fuit, ut ex Trullanæ illius ſynodi ſubſcriptionibus colligitur.

EPISCOPI IBIDINGES.

I. BASILIUS.

CAnonibus ſynodi quini-ſextæ ſubſcriptus

D

reperitur Βασίλειος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἰβιδίγγης τῆς Ἰσαύρων ἐπαρχίας, *Baſilius miſericordia Dei epiſcopus Ibidinges provinciæ Iſaurorum.*

Digitized by Google

XXIX. ECCLESIA CARDABUNTHI.

IN actis ſeptimæ ſynodi paſſim inter epiſcopos Iſauriæ cenſetur & ſubſcripſit *Zacharias epiſcopus civitatis Cardabunthorum*, Ζαχαρίας ἐπίσκοπος πόλεως Καρδαβουύθων, & Καρδαβουύδων, *Cardabundorum*.

XXX. ECCLESIA ZOROPASSÆ.

ZOROPASSA Ptolemæo lib. 5. cap. 7. oppidum eſt Armeniæ minoris, quæ Iſauriæ contermina erat, Joanne Scylitze Curopalata teſte. Atqui *Anthenus*, vel *Athenæus Zoropaſſenus*, vel *Coropaſſius*, *Carpiſſus*, cenſetur inter epiſcopos Iſauriæ in indice Patrum Nicænorum.

XII. PROVINCIA INSULÆ CYPRI.

I. ECCLESIA SALAMINÆ METROPOLIS.

DE Cypro nobiliſſima, juxtaque notiſſima mediterranei maris inſula, quæ è Syriæ Ciliciæque regione poſita eſt, non eſt quod multis diſſeram. Feliciſſimam hanc nulliſque non vitæ commodis & bonis terram ditiſſimam, primi, ut mihi videtur, tenuere Phœnices coloni ſive Chananæi, quod certe Virgilius I. Æneïdos paucis his vocibus ſignificat,

——— Quam Belus opimam
Vaſtabat Cyprum, & victor ditione tenebat,

Belus ſiquidem idem fuit qui Chananæis Phœnicibus *Baal* Deus; ſed & Cypriis idem omnino profanus idolorum cultus erat, qui Phœnicibus. Hanc demum inſulam populum Romanum avide magis quam juſte invaſiſſe Ammianus Marcellinus fatetur, ut-pote quam Ptolemæo Ægypti regi, fœderato quamlibet ſuo, eripuit, P. Clodio Tribuno plebis duce, fiſco addixit, & in Provinciam redegit. Quod quidem contigit anno ab urbe condita 698. ante Chriſtum 56. In diviſione provinciarum Imperii, quæ Auguſti tempore facta eſt, Cyprus inſula una illarum fuit, quæ Senatui, populoque Romano ceſſerunt, ipſaque adeo Prætoria. Sub Hadriano vero diœceſi Orientis attributa eſt. Nona quoque cenſetur diœceſis Orientis provincia in notitia quæ Conſtantini magni nomine inſcribitur.

Superſtitioſo olim falſorum numinum, ac præſertim Veneris cultui licet Cyprus inſula addicta eſſet, Judæorum tamen cœtibus quam plurimis poſthac abundavit. Quocirca Lucas Act. XI. v. 19. teſtatur, quoſdam ex diſcipulis Domini, *qui diſperſi erant à tribulatione qua facta fuerat ſub Stephano, perambulaſſe uſque Phœnicem & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum niſi ſolis Judæis.* Mox vero ſubdit, *quoſdam ex eis viros Cyprios & Cyrenæos, quum introiſſent Antiochiam, eſſe loquutos & ad Græcos,* ſive Gentiles, *annuntiantes Dominum Jeſum.* Capite rurſum 13. v. 4. narrat Paulum & Barnabam qui genere patriaque Cyprius erat, à ſpiritu ſancto Gentilium deſignatos Apoſtolos, ubi ab Antiochenæ eccleſiæ illius afflatu imbutis ſacerdotibus ordinati fuerunt, Seleuciam Syriæ profectos, Cyprum navigaſſe. Tum Salamine quæ inſulæ civitas inſignis habebatur, Verbum Dei in Judæorum ſynagoga prædicare cœperunt, peragrataque omni circum regione, Paphum venientes, virum Magum, ſive Caballiſticis ſuperſtitionibus artibuſque eruditum, Judæum pſeudoprophetam offenderunt, cujus pravis conſiliis Sergius Paulus Proconſul, vir cæteroqui prudens & minime malus, avertebatur à fide. Illo vero Pauli Apoſtoli imprecatione obcæcato, Proconſul ultro credidit, Dominicæ doctrinæ, hoc viſo prodigio, factus admirator. Quo ex tempore Chriſtiana religio altas apud Cyprios radices egit. Hæc ubi Lucas narrat, innuere nobis videtur urbem Paphum Proconſulis Romani ſive Prætoris ſedem tunc fuiſſe. Plane Pomponio Melæ urbium Cypri *clariſſimæ ſunt, Salamis & Paphos, &, quo primum è mari Venerem egreſſam accolæ affirmant, Palæpaphos,* hoc eſt vetus Paphos, quæ 60. ſtadiis à recenti Papho diſtabat, ait Strabo, quo nempe ſolemnes pompæ ad antiquum Veneris Paphiæ templum ab urbe nova Papho quotannis agebantur. Plinius lib. 5. cap. 31. inſulæ hujus oppida quindecim percenſens primam Paphum nominat; *Paphos, Palæpaphos, Curias, Citium, Corineum, Salamis, Amathus, Lapethos, Solæ, Tamaſus, Epidarum, Chytri, Arſinoë, Carpaſium, Golgi.* In Nicænorum Patrum indice Latino, *Cyrillus Paphenſis,* vel, ut ſuo loco dicetur, *Cyriacus,* Gelaſio Salaminenſi præit.

Barnabas quidem Apoſtolus è Cypro inſula una cum Paulo, poſt priorem illum quem mox diximus appulſum, diſceſſit ad gentes alias edocendas ſpiritus ſancti nutu perrecturus, in eam vero poſtmodum rediit una cum Joanne Marco conſobrino ſuo, quemadmodum Lucas iterum narrat act. cap. 15. v. 39. Inter Acta SS. quæ Bollandi continuatores ediderunt,

Google

ECCLESIA SALAMINIS.

ad diem XI. Junii acta proſtant S. Barnabæ ejuſdem Joannis Marci nomine inſcripta, quæ ex Cypriorum eccleſiæ monumentis, vel ore acceptis traditionibus concinnata putanda ſunt, in quibus Apoſtolum in ſecundo illo ſuo in inſulam patriam ſuam adventu, in loco qui *Cromyaciates* dicebatur, ubi certe *Cromyon* promontorium exſtabat, Timonem & Ariſtonem, homines ſacro miniſterio addictos, ἱεροδούλους reperiſſe; tum deinde in Caſtello Lampadiſto Heracleonem, quem olim ipſe cum Paulo Citii viderat, quemque Paulus ſancto donatum Spiritu, *Heraclidem* nominandum duxerat. Hunc porro tunc uterque Apoſtolus primum inſulæ epiſcopum crearunt, unaque eccleſiam aſſignaverunt quæ in Spelunca Tamaſo urbi vicina conveniret. Hinc utique eſt quod *Heraclides* n actis S. Auxibii Solenſis *Tamaſi archiepiſcopus* appellatur. Dum vero Barnabas inſulam vicinaſque circum alias una cum Marco ſocio luſtraret, Salaminem veniens, Heraclidem ibidem nactus, eum adhortatus eſt, ut Chriſtum contento ſtudio prædicans, eccleſias paſſim conſtitueret, & in illis Dei miniſtros, ut par erat, crearet. Tum his aliiſque Apoſtolus ordinatis, aliquanto poſt à Judæis Salaminenſibus apprehenſus, ut iiſdem in actis fertur, atque in campum fune ad collum alligato tractus, vivicomburio martyr obiit. Cujus oſſium cineres, quos Judæi cum maſſa plumbea linteo involutos in mare projicere decreverant, à diſcipulis duobus Timone & Ariſtone noctu correpti, in ſpecu quadam ſepulti ſunt.

Hæc quidem leguntur in illis S. Barnabæ actis quæ mihi, etſi non genuina, at ſaltem eo vetuſta ſatis videntur, quod martyrii S. Apoſtoli genus aliud aſſignant, ab eo quod Alexander monachus in ſua S. Barnabæ Apoſtoli laudatione recitat. Hic nempe illum à Judæis lapidibus appetitum interiiſſe aſſerit, non igne conſumtum; quin & corpus ejus integrum τὸ πᾶν σῶμα ab Anthemio Salaminenſi archiepiſcopo repertum, unaque codicem Evangelii ſecundum Matthæum, qui pectori illius appoſitus erat, Theodoro lectore teſte, in excerptis lib. 2. hiſtoriæ ipſius eccleſiaſticæ, ἔχον ἐπὶ τοῦ στήθους τὸ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον. Id quod omnes ab illo Anthemii tempore ſcriptores perinde tradiderunt.

Atqui Salamis, quæ in littore Orientali inſulæ à Teucro Telamonis filio olim condita ferebatur, portu clauſo & commodo adverſus tempeſtates, Scyllace teſte, commendabilis, ſæculo ſaltem quarto inſulæ caput facta eſt, & metropolis; ex quo utique *Conſtantiæ* nomine donata erat. Quod quidem nomen, ſi ſua ſit Joanni Malalæ Chronico fides, à Conſtantio Chloro magni Conſtantini parente nomen habuit, quum paulo ante terræ motu everſa eſſet, magnaque ejus pars in mare demiſſa, & reliqua ſolo tenus æquata, ἥτις ἐστὶ νῦν μητρόπολις τῆς Κύπρου, *quæ nunc Cypri metropolis eſt:* quibus poſtremis vocibus, ille ſcriptor videtur innuere, hanc urbem antehac regionis primariam habitam non fuiſſe. Verum non ſatis capio Conſtantium illum Imperatorem, qui in Orientis partibus imperaſſe, vel egiſſe nuſquam legitur, lapſam in Cypro urbem excitaſſe, variiſque ædificiis, velut ille auctor ſcribit, adornaſſe: niſi forſan Conſtantinus id præſtiterit in parentis ſui defuncti honorem. Verum id geſtum potius retulero ad Conſtantium Imp. Conſtantini filium, qui defuncto patre, toti Orienti imperavit. Plane in indice Nicænorum Patrum, *Gelaſius Salaminenſis,* ſcribitur, non *Conſtantienſis,* uti deinceps illius ſucceſſores in geſtis conciliorum quæ poſtmodum habita ſunt.

Salamis ſive Conſtantia civitas ſtetit ad tempora uſque Saracenorum à quibus expugnata deletaque fuit: quod in cauſa fuit cur archiepiſcopus ſedem aliò tranſtulerit, ſervata tamen in poſterum *Conſtantienſis* præſulis nuncupatione.

Cyprus inſula in notitiis Imperii Romani à tempore Hadriani Imper. tum deinceps Conſtantini ejuſque ſucceſſorum, diœceſis Orientis cenſita fuit, civilis ſcilicet. Eam proinde ob cauſam Antiocheni præſules ſæculo quinto tentaverunt, ut Salaminenſis ſive Conſtantienſis metropolis totaque regio, ordinationi ſuæ ſubderetur. Quum enim Conſtantiæ metropolitæ duo Troïlus & Theodorus nonnullorum negotiorum cauſa in Syriam navigaſſent, Antiochiamque veniſſent, Antiocheni, clerici utique cum archiepiſcopo ſuo, vi etiam gravi impacta illos cogere voluerunt, ut ſe ſedi ipſorum obnoxios profiterentur. Theodoro deinde Conſtantienſi defuncto, apud Dionyſium Orientis ducem, (Præfectum utique) qui res Syriæ moderabatur, egerunt, ut operam conferret ſuam quo inſula iſta ipſis demum ſubdita fieret. Dionyſius ubi Theodoſii Junioris Imperatoris juſſu œcumenica ſynodus Epheſum vocata eſt, Theodoro Cypri præſidi litteris datis injunxit, ut inſulæ epiſcopos Epheſum cum aliis pergere curaret, ubi cauſam ſuam coram patribus dicerent. Ad ſynodum itaque acceſſerunt Rheginus, qui in Conſtantiæ metropolitam nuper provectus erat, Evagrius quoque Solenſis, & Zenon Curii. Nullus vero interim adfuit qui Antiochenæ ſedis jura, ſi qua in Cyprum eſſent, tutaretur: quum Joannes Antiochenus præſul cum Orientalibus ſuis ſe in totum, Neſtorii gratia, à concilio ſegregaſſet. Rheginus vero

Digitized by Google

vero nihilominus vadimonium nequaquam putavit deſerendum, quin act. 7. ejuſdem ſynodi, una cum Evagrio Solenſi & Zenone Curienſi Dionyſii præfecti litteras protulit, poſtulavitque, « ut ſicut initio, à temporibus Apoſtolorum, conſtitutionibuſque & canonibus » ſanctiſſimæ & magnæ ſynodi Nicænæ, illæſa, & ſuperior inſidiis & potentia permanſit ſua » Cypriorum ſynodus, ita & nunc per ipſorum incorruptam & juſtiſſimam ſententiam, nec » non conſtitutionem juſtitia ſibi fieret; » *Neque enim*, ait Zenon Curii, *à ſanctis Apoſtolis oſtendere poſſunt, quod Antiochenus adfuerit, vel ordinaverit, vel communicaverit unquam inſulæ ordinationis gratiam, nec alius quiſquam, neque in metropoli, neque in alia civitate; ſed ſynodus noſtræ provinciæ congregata conſtituebat metropolitanum.* Quamobrem obſecrabant, ut ſancta ſynodus ipſis annuens, ſtabiliret, *ut vetus mos, ſicut hactenus robur habuit, ita & nunc habeat, & nullam novitatem in ſua provincia fieri ſinat.* « His ſancta ſynodus auditis, à piiſſimis epiſcopis » doceri poſtulavit, num Troïlus ille ſanctæ memoriæ epiſcopus, vel ejus deceſſor ſanctæ » memoriæ Sabinus, aut qui ante illos ſedebat venerabilis Epiphanius in aliqua alia ſynodo » ordinati eſſent. Quos quum Zeno, ut & eos qui ante illos epiſcopi fuerunt, omnes ortho» doxi, ab his qui in Cypro erant conſtitutos eſſe non ab Antiocheno, ullo-ve alio pacto » dixiſſet, ſancta ſynodus decretum hoc tulit; » *ut ſi non eſt vetus mos, quod epiſcopus Antiochenus ordinet in Cypro, ſicut libellis & propriis vocibus docuerunt religioſiſſimi viri, qui ad ſanctam ſynodum acceſſerunt, habeant jus ſuum intactum qui ſanctis Cypri eccleſiis præſunt*, ἕξυσι τὸ ἀνεπηρέαστον καὶ ἀβίαστον οἱ τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν τῶν κατὰ τὴν Κύπρον προεστῶτες, *ſecundum ſanctorum Patrum canones, veteremque conſuetudinem. Id quod in aliis etiam diœceſibus & provinciis omnibus ſervari jubent, ut nullus piiſſimorum epiſcoporum aliam provinciam occupet, quæ antea, vel ab initio, ſub ſua vel anteceſſorum ſuorum poteſtate non fuerit: ſed ſi quis occupaverit, vel per vim ſibi ſubegerit, ipſam reſtituat, ne canones prætereantur*, μηδὲ ἐν ἱερουργίας προσχήματι ἐξουσίας κοσμικῆς τῦφος παρεισδύηται, μηδὲ λάθωμεν τὴν ἐλευθερίαν κατὰ μικρὸν ἀπολέσαντες, ἣν ἡμῖν ἐδωρήσατο τῷ ἰδίῳ αἵματι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ πάντων ἀνθρώπων ἐλευθερωτής. *Ne-ve ſub ſacerdotii prætextu mundanæ poteſtatis faſtus irrepat; ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit ſanguine ſuo Dominus noſter Jeſus Chriſtus omnium hominum liberator.* ECCLESIA SALAMINIA.

Hac igitur ſanctione Cypri eccleſia immunis in poſterum manſit à ſuperioris alterius, præter Conſtantienſem ſive Salaminenſem archiepiſcopum ſuum, poteſtate. Ea vero lis qua Antiochenus Patriarcha ſubdere ſibi illam molitus erat, finita in totum non eſt niſi Zenone Imperatore. Quum enim Petrus Cnapheus ſive Fullo, Antiochenam ſedem ſecunda vice pervaderet, agere iterum cœpit ut Cyprum inſulam ditionis ſuæ faceret. Ejus conatibus obſtitit Anthemius Conſtantienſis, divinique numinis providentia factum eſt, ut beati Barnabæ corpus, quod ſub arbore ſiliqua humatum haud procul Conſtantia jacebat, eodem tempore reperiretur. Tum Conſtantinopolim ad Zenonem Imperatorem profectus, inde argumentum ſumſit, ut eccleſiam ſuam vere Apoſtolicam eſſe monſtraret, adeoque ſui omnino juris & αὐτοκέφαλον. Quæ quidem illius eccleſiæ libertas Imperatoris quoque edicto ſancita fuit.

Conſtantia civitas, ut prædixi, ad tempora uſque Saracenorum ſtetit, quumque ex pactis conventis partem inſulæ unam illi tenerent, alteram Romani; rupto à Barbaris fœdere, Juſtinianus II. Imp. male ſano conſilio urbis illius & reliquæ inſulæ quam illi occupaverant incolas, quotquot voluere, in Helleſpontum cum metropolita ſuo tranſtulit, quorum multi mare trajiciendo perierunt, alii pedeſtri itinere ærumnis variis conſumpti, reliquos in urbem Cyzico proximam duxit, quam *Juſtinianopolim* appellavit, quam paribus ac Conſtantia juribus ornavit, præcipiens ut ipſe quoque Cyzicenus metropolita, Juſtinianopolitani archiepiſcopi ordinationi ſubderetur. Id quod canone 39. quini-ſextæ ſynodi ſuæ ratum eſſe voluit. Interim vero Chriſtiani qui in inſula Cypro reſidui numero plures manſerant, epiſcopos, ut antehac ſolebant, ſibi præfecerunt; ſed & brevi ſubinde Juſtinianopolis ille archiepiſcopatus deſiit, Cyproque inſulæ redditus fuit, qui *Conſtantienſis* ut antea dicebatur. Quod quidem contigiſſe puto Leone Iſauro ejuſque filio Conſtantino Impp. quo tempore ſacrarum imaginum cauſa imperii ſui eccleſias exagitabant. Nam Conſtantinus Conſtantiæ Cypri archiepiſcopus ad ſeptimam ſynodum quum veniſſet, actione præſertim concilii quarta, diſerte ſe in Cypro inſula ſedere manereque ſignificavit, interloquutione ſua narratis miraculis quæ Deus ſacrarum imaginum cauſa, tum Conſtantiæ, tum Citii, tum etiam Gabalæ in Syria vicina erga impios Agarenos nuper patraverat. *Hæc nobis retulerunt*, inquit, *viri qui remeaverunt in Cyprum, numero triginta duo:* Ταῦτα ἡμῖν διηγήσαντο ἐπανελθόντες εἰς τὴν Κύπρον οἱ ἄνδρες τριάκοντα δύο ὑπάρχοντες τὸν ἀριθμόν.

Deleta, ut prædictum eſt, Conſtantia, archiepiſcopi ſedes facta eſt vicina civitas Arſinoë ad Auſtrale inſulæ littus poſita, quam Græci Ἀμμόχωστον, *Hammochoſtum*, quod dicitur Arenæ

ECCLESIA SALAMINIS.

agger, à promontorio proximo, Latini poſthac Famaguſtam dixere. Ibi, inquam, archiepiſcopus inſulæ conſedit uſque ad ſæculi duodecimi labentis tempora, quibus inſula Luſinianæ gentis regibus parere cœpit.

Nimirum anno 1191. Richardus Angliæ rex ad bellum ſacrum Saracenis qui Palæſtinam denuo ceperant, inferendum cum numeroſa claſſe profectus, in Cyprum quum appuliſſet, ab inſulæ principe Græco Iſaacio Comneno, qui profano fœdere cum Saladino Saraceno junctus erat, male acceptus, hunc brevi facilique negotio ad ordinem redegit, eoque pulſo Cypri regem inſtituit Guidonem Luſinianum, à quo ſtatim *Leucoſia*, ſive *Nicoſia*, quæ olim *Ledra* dicebatur, regni facta metropolis, archiepiſcopus Latini ritus in ea conſtitutus fuit. Græci interim ritus archiepiſcopus de veteri more Famaguſtæ ſedebat, cui epiſcopi pauci numero obnoxii tunc erant, nec plures prorſus quam quatuor, Leucoſiæ ſcilicet, Soliæ vel Solorum, Carpaſii & Amathuntis ſive Nimoſiæ. Ortis vero ſtatim inter utrumque archiepiſcopum de juriſdictione jurgiis, Græcus Pontifex Latino morem gerere juſſus eſt, Cæleſtini Papæ III. præcepto, quod ſucceſſor illius Innocentius III. altera conſtitutione ſanxit, quæ in ejus regeſto numero 22. exſtat. Indigne Græci tulerunt Latini præſulis auctoritati ſubeſſe, reque ad Alexandrum Papam IV. relata, ſtatutum ab illo eſt, ut, Germano qui Græcorum tunc temporis archiepiſcopus erat defuncto, nullus in poſterum ejuſdem generis archiepiſcopus alter crearetur, ſed Latinus Leucoſiæ pontifex Græci ritus epiſcopis jura diceret. Id quod obſervatum deinceps fuit ad annum uſque 1570. quo Turcarum armis Veneticæ reipublicæ erepta Cypro, Græci ritus Chriſtiani, quibus inſula abundabat, proprium ſibi archiepiſcopum inſtituerunt, qui velut olim αὐτοκέφαλος, ſui omnino juris eſſet, nulli Patriarchæ ſeu Byzantino, ſeu Antiocheno ſubjectus.

Quum his poſtremis temporibus vix quatuor inſulæ Cypri epiſcopales ſedes numerentur, olim tamen, priſcis ſcilicet eccleſiæ temporibus, quindecim numero erant, quot oppida recenſet Plinius. Quin Sozomeno teſte lib. 7. hiſt. cap. 19. quamplurimæ in ea exſtabant, at non in urbibus omnes, ſed in pagis, velut apud Arabes Chriſtianos, quales etiam apud Iſauros fuiſſe ſuo antehac loco diximus.

ARCHIEPISCOPI INSULÆ CYPRI.

I. S. BARNABAS *Apoſtolus*.

ARchiepiſcoporum inſulæ Cypri ſeriem arceſſo à ſancto *Barnaba Apoſtolo*, à quo Cypriorum eccleſia non ſolum inſtituta, fundataque fuit, ejuſque primi præſules ordinati fuere, ſed à quo etiam, quum in ea inſula martyrio vitam finierit, hoc privilegium obtinuit, ut præ multis aliis inter Apoſtolicas cenſeretur, & αὐτοκέφαλος, ſui-ve juris fieret, Archiepiſcopi nullius vel Patriarchæ ordinationi ſubjecta. Atqui ſanctus iſte Apoſtolus Nerone Imp. martyr obiiſſe fertur.

II. ARISTION.

Ex Beda, Uſuardo, Adone, & Martyrologiorum auctoribus, quibus Romanum quoque accinit, Cypri epiſcopus fuit *Ariſtion* ille, quem Papias Hierapolitanus apud Euſebium lib. 3. hiſt. eccl. cap. ult. è ſeptuaginta Domini diſcipulis unum fuiſſe tradidit, quem acta illa quæ appellavi S. Barnabæ ab eo in inſula cum Timone repertum ferunt, dum in illam una cum Paulo prima vice appulit; quos ἱεροδούλους, *Dei ſervitio mancipatos* dicunt.

III. HERACLIDES.

In his quæ de eccleſiæ Cypri inſtitutione mox diximus ex S. Barnabæ geſtis narravimus, Apoſtolum hunc Tamaſi epiſcopum

A ordinaſſe *Heraclidem*, qui antehac *Heracleon* nominabatur, & ſpeluncam urbi vicinam in eccleſiam conſecraſſe, illum vero inde prædicandi Evangelii cauſa profectum Salaminem, in unam illam è primariis inſulæ civitatibus tranſiiſſe, ibique epiſcopalem ſuam ſedem conſtituiſſe. Ibi porro ab eodem Apoſtolo in mandatis accepit, ut per omnem inſulam eccleſias conſtitueret. Cæterum propter illam Tamaſi eccleſiam in qua primum Heraclides ſedit, *Tamaſi archiepiſcopus* nuncupatur in vita S. Auxibii, qui Solenſis ab eo epiſcopus eſt conſecratus. B Quocirca Stephanus Luſinianus ordinis Prædicatorum, qui de rebus Cypri patriæ ſuæ ſcripſit, *Heraclium* ſive *Heraclidem* primum fuiſſe cenſet Salaminis metropolis antiſtitem, & S. Barnabæ proximum ſucceſſorem.

IV. GELASIUS.

In Nicænæ ſynodi Patrum indice *Gelaſius Salaminenſis* cenſetur poſt *Cyrillum* vel *Cyriacum Paphenſem*. Illius in vita ſancti Epiphanii fit mentio, ubi narratur Chytri epiſcopum, C qui divini numinis inſtinctu Epiphanium Salaminis antiſtitem deſignavit, Chriſti cauſa martyrio quoque dignatum fuiſſe, ut-pote comprehenſum cum Gelaſio Salaminenſium civitatis epiſcopo, τοῦτον ἔλεγον κεκρατῆσθαι μετὰ Γελασίου τοῦ ἐπισκόπου τῆς Σαλαμινίων πόλεως ἐπὶ

Digitized by Google

ECCLESIA SALAMINIS.

τὸ μαρτυρῆσαι. Athanaſius apol. 2. Sardicenſi concilio de inſula Cypro ſubſcripſiſſe *Geraſium* refert, Γεράσιος, ſcripto ρ. pro λ. Verum tertio dumtaxat loco nomen ejus occurrit poſt *Auxibium* & *Photium*, illumque ſequuntur, *Aphrodiſius*, *Irenicus*, *Nunechius*, *Athanaſius*, *Macedonius*, *Triphillius*, *Spiridon*, *Norbanus*, *Soſicrates*; omnes numero duodecim. Stephanus Luſinianus in hiſtoria regni Cypri, *Gelaſium* à quibuſdam *Selanem* vocitatum monet.

V. Epiphanius I.

Anno circiter 368. vel 369. inſulæ Cypri metropolita & Conſtantiæ ſive Salaminis epiſcopus factus eſt *S. Epiphanius*, quem Judæis parentibus ortum ferunt: ac plane ſe Hebraïcæ linguæ peritum ſuis in libris ſatis prodit. Adulta ætate Chriſti fidem amplexus, in patrio Palæſtinæ agro Eleutheropolitano monaſticæ vitæ nomen dedit, S. Hilarionis diſciplinam ſubiit, quem in Cyprum inſulam ſecedentem ſequutus eſt. Ejus juſſu Salaminem venit in qua optatam quietem reperiret. Ibi monaſterium condidit, quod *Vetus Ad* vocitatum eſt. Quod autem ſpectatiſſimæ virtutis homo haberetur, egregieque eruditus, in Conſtantienſis eccleſiæ præſulem aſſumtus eſt, anno circiter quem dixi 368. quo munere functus eſt ad annum trigeſimum-ſextum, quo Conſtantinopoli rediens, medio itinere ad Deum migravit, juxta atque illi à S. Joanne Chryſoſtomo prænuntiatum erat. Concilium autem non ita pridem inſulæ ſuæ epiſcoporum coëgerat adverſus Nitrienſes monachos, quos Theophilus Alexandrinus, cujus amicitiam colebat, tanquam Origenianorum errorum reos inſectabatur. Ejus cum Joanne Hieroſolymitano ſimultates nemini non notæ ſunt, uti nec arctiſſima neceſſitudo qua cum Hieronymo junctus erat. Libros evulgavit eruditione plenos, quorum præcipui ſunt *Ancoratus*, quem ſub Valente Imp. ſcribebat, & Panarium de ſingulis hæreſibus quæ ad ipſius ætatem uſque emerſerant. Obiter hic lectorem ſtudioſum monere mihi liceat, quæcumque Epiphanius de hæreſibus Noëtiana anterioribus congeſſit, exſcripta ut plurimum ab eo fuiſſe, tum ex ſancti Irenæi libris, tum etiam ex diſcipuli illius Hippolyti, qui vulgo Portuenſis dicitur, eodem de argumento voluminibus: id quod, ſi Deus dediſſet, ſpeciali lucubratione aliquando ſe evicturum ſperabat hujus operis autor.

VI. Sabinus I.

Epiphanii proximus ſucceſſor *Sabinus* fuit, monaſterii ipſius præfectus, ad quem exſtat Polybii Rhinocurorum in Ægypto præſulis

epiſtola. In ea ſcilicet Polybius ait, ſe à Calippo diacono didiciſſe, quæ ſanctitatem ipſius ſpectabant, quodque Conſtantiæ throno impoſitus eſſet, ὅτι αὐτὸς ἐκαθίσθη ἐπὶ τοῦ θρόνου τῆς ἐκκλησίας Κωνσταντίας. *Sabinum*, inquam, *monaſterii præpoſitum almæ memoriæ patrem Epiphanium excepiſſe*, ὅτι Σαβῖνος ἡγούμενος μοναστηρίου διεδέξατο τὸν τῆς ὁσίας μνήμης πατέρα ἡμῶν Ἐπιφάνιον. Id quod rurſum mox conſtabit, ex iis quæ de ejus ſucceſſore Troïlo dicentur.

VII. Troilus.

Act. 7. Epheſini concilii *Troïlus* Conſtantiæ Cypri metropolita Sabino ſuffectus indigitatur, quem Rheginus, alioſque duos ejuſdem inſulæ epiſcopos, non Antiochiæ, ſed apud ſuos ordinatos aſſeruit. *Olim etiam pater noſter & epiſcopus factus Troïlus, ab Antiocheno clero multa paſſus eſt, & pientiſſimus epiſcopus Theodorus vim non vulgarem pertulit.* Itemque Patres rogarunt, *an Troïlus ſanctæ & beatæ memoriæ epiſcopus qui nunc requievit, vel ſanctæ memoriæ Sabinus qui illum præceſſit, & qui ante illos venerabilis Epiphanius ab aliqua ſynodo,* præter quam Cypri, *ordinati eſſent.*

VIII. Theodorus.

Septima igitur actione ſynodi Epheſinæ; de Theodoro Conſtantiæ Cypri epiſcopo, Rheginus ejus ſucceſſor aliique duo inſulæ præſules ejus ſocii hæc narraverunt: *Et pientiſſimus epiſcopus Theodorus vim non vulgarem pertulit, adeoque uſque ad plagas, quas nec flagriones homines ferre deceat, illicite, abſurde & illegitime. Nam, quum propter aliam cauſam abiiſſet* (Antiochiam ſcilicet) *illius vero felicem accepit finem, abuſi abitione* (illam in urbem profectione) *vi cogere voluerunt, & ſubjicere ſibi ſanctos epiſcopos inſulæ, contra apoſtolicos canones & definitiones ſanctiſſimæ Nicænæ ſynodi.* Hæc Rheginus cum ſociis, ut ſe ab Antiochenæ ſedis juriſdictione immunes vindicarent.

IX. Rheginus.

Synodo itaque Epheſinæ generali priori adfuit, ejuſque adverſus Neſtorium decretis, aliiſque litteris ſubſcripſit *Rheginus epiſcopus civitatis Conſtantiæ*, Ῥηγῖνος ἐπίσκοπος πόλεως Κωνσταντίας ὑπέγραψα, καὶ τὰ ἑξῆς. Sed & act. 1. ſermonem de fide ad Patres habuit. Subinde igitur, etſi Joannes Antiochenus, cum quo litigaturus de juriſdictione, Dionyſii Ducis Orientis litteris impulſus ad concilium venerat, ſeſe à ſancta ſynodo ſegregarat, eo cum Neſtorio cui favebat, proſcripto & communione catholica extorri facto, fecit tamen, ut diximus, act. 7. uti ſua ſedes, totaque

Digitized by Google

ECCLESIA SALAMINIS.

Cyprus inſula ab Antiochenæ ſedis ordinatione libera pronuntiaretur. Id quod quidem A Patres ea conditione cautelaque ſancitum voluerunt, dummodo vera omnia eſſent, quæcumque ille cum ſuis ſociis de immunitate ſuarum ſedium allegarat; nimirum, quemadmodum ante retulimus, ab ipſis Apoſtolorum temporibus metropolitam meminem Cypri ab Antiocheno archiepiſcopo unquam eſſe ordinatum.

X. Olympius I.

Epheſinæ ſynodo alteri, quæ prædatoria vulgo cognominatur, interfuit *Olympius Conſtantiæ Cypri*, in qua ſuffragium adverſus Flavianum Conſtantinopolitanum & pro Eutyche hæretico tulit, ſubſcripſitque Ὀλύμπιος ἐπίσκοπος Κωνσταντίας τῆς Κύπρου, quod tamen B male geſtum revocavit & emendavit in Chalcedonenſi concilio, decretis illius & definitionibus ultro ſubſcribens, Ὀλύμπιος ἐπίσκοπος μητροπόλεως Κύπρου, *Olympius epiſcopus metropolis Cypri.*

XI. Sabinus II.

Leo I. Imp. *Sabino reverentiſſimo epiſcopo Conſtantiæ Cypri*, anno 458. litteras ſacras, C quemadmodum reliquis Orientalis ſuæ ditionis metropolitis dedit, ut ſuam, ſynodique ſuæ ſententiam declararent de Chalcedonenſis concilii auctoritate, ac de nece ſancti Proterii Alexandrini. Baluzii ſcilicet editionem exſcribo, in qua diſerte fertur, *Olympio reverentiſſimo epiſcopo Scythopoleos. Savino reverentiſſimo epiſcopo Conſtantiæ Cypri:* quum in Labbeana prætermiſſa ſint *Scythopolis* ſecundæ Palæſtinæ metropolis, nec-non *Savini*, vel *Sabini* nomina. Cæterum ſynodi D epiſcoporum Cypri ad Leonem Imperatorem, nulla exſtat hodie in Epiphanii Scholaſtici collectione reſponſoria epiſtola.

XII. Anthemius.

Quo tempore Zeno Imp. Baſiliſco tyranno ad ordinem redacto, ſummam rerum recepit, Conſtantiæ ſedebat *Anthemius*, Conſtantiæ Cypri metropolita. Adverſus eum Paulus Cnapheus litem iterum movit de juriſdictione, omni ſtudio apud Principem, cujus benevolentiam demum captaverat, contendens, E quo Cypri eccleſia Antiochenæ tandem ſedis ordinationi ſubderetur. Verum Dei nutu factum eſt, ut Anthemius S. Barnabæ corpus reperiret, quod ſub arbore ſiliqua, ὑπὸ δένδρον κερατίαν, humatum hactenus latuerat. Hoc porro è terra effoſſum, in eccleſiam ſuam intulit: moxque ad Imperatorem pergens, eo felici eventu comprobavit Cypri eccleſiam verè apoſtolicam eſſe, quam apoſtolus fundaſſet, & ad obitum uſque ſuum curaſſet. A Ad hunc modum itaque Cyprii adverſus Fullonem vicerunt, aiebat lib. 2. hiſtoriæ ſuæ Theodorus lector, ut metropolis ipſorum ſui omnino juris eſſet, nec Antiochiæ ſubjecta, ἐξ ἧς περιφάνως καὶ περιγεγόνασιν οἱ Κύπριοι, τὸ αὐτοκέφαλον εἶναι τὴν κατ' αὐτοὺς ἐκκλησίαν.

XIII. Olympius II.

Stephanus Luſinianus in his quæ tum Italico idiomate, tum Gallico quoque de rebus inſulæ Cypri, ex qua oriundus erat, B ſcripſit, *Olympium* ſive etiam *Olympianum* poſt Anthemium ſediſſe memorat; eumque à Juſtiniano Imperatore nec-non à Theodora Auguſta, ut erat vir ſapiens admodum ſummæque ſagacitatis & doctrinæ, obtinuiſſe, ut Chalcedonenſe concilium, cujus auctoritas in Oriente valuerat, ab omnibus admitti curaret, ſed & inſulæ ſuæ Cypri eccleſia ab Antiochenorum tentamentis perpetuo libera ſarta tectaque maneret. Quod quidem ex Cypriorum monumentis à Stephano acceptum nullus dubitat: verum auctor C iſte temporum ignorantia graviſſime in utroque loco peccavit, ubi Olympium vel Olympianum in Chalcedonenſi concilio ſediſſe ſcripſit, ſecundumque Olympium hunc à priore altero non, ut par erat, diſtinxit.

XIV. Damianus.

XV. Sophronius.

Eodem ſeculo ſexto aſſignare mihi liceat epiſcopos Conſtantiæ Cypri duos, quorum mentio fit in Menologio Græcorum, quando tempus quo uterque claruit nobis hodie in- D certum eſt. Nimirum die 9. Decembris commemoratio fit *S. Sophronii Conſtantiæ Cypri metropolitæ, qui Chriſtianis parentibus in ea inſula natus, quum innumeris à Deo eſſet gratiis ornatus, ſignisque & prodigiis nobilitatus, in Damiani archiepiſcopi ſanctiſſimæ eccleſiæ Cypri locum populi totius ſuffragiis ſubrogatus fuit, dignique paſtoris muneribus perfunctus, in extrema ſenectute ad Dominum migravit.* DAMIANI.

XVI. Hilarius.

Stephanus Luſinianus in hiſtoria generali E regni Cypri, quam idiomate Gallico ſcripſit, inter ſanctos, quorum memoria in ea inſula ſolemnis eſt, *Hilarium* laudat Salaminenſis eccleſiæ archiepiſcopum ſanctitate & doctrina eximium, qui multos hæreticos ad eccleſiam Chriſti revocavit, tum libris quos in vulgus edidit, tum bonis operibus ſuis. Quo autem ævo ille ſederit, id in obſcuro reliquit, nec forſan aſſequi valuit.

Alterum Conſtantiæ Cypri archiepiſcopum

Digitized by Google

Menæa die 6. Martii celebrant, *Gregorium* nomine, cujus nuda in illis commemoratio A eſt, omiſſis iis quæ præclare geſſit, ut & ævo quo apud ſuos claruit. Niſi forſan ipſe ſit qui Georgius nominatus Leone Iſauro Imp. vixit. Sæpe etenim Græci *Georgium*, pro *Gregorio* ſcribunt, & vice verſa.

Menologia rurſum Græcorum alios memorant *eccleſiæ Chriſti quæ eſt in Cypro præſules*, ad diem Septembris 21. ſanctos ſcilicet *Meletium* & *Iſaacium*, qui diverſis temporibus vitam agentes, ad Deum migraverunt. Incompertum vero eſt an Conſtantiæ eccleſiæ præfuerint, an ſedes alias inſulæ tenuerint: B quo etiam ævo vixerint. Ita perinde quum die 25. vel 26. Maii commemorationem agunt *S. Theraponis* Cypriorum epiſcopi, cujus corpus Conſtantinopolim delatum ferunt, quo tempore inſulæ incolas Saracenorum cauſa Juſtinianus II. Imp. migrare juſſit; illius nec ſedem nec ætatem indicant.

XVII. Arcadius I.

Vitam S. Simeonis Stylitæ junioris, qui Juſtino II. Imp. in monte Thaumaſto cœleſtem vitam egit, *Arcadius* Cypri archiepi- C ſcopus ſæculo labente ſexto ſcribebat, cujus quidem excerptum habemus, poſt orationem 4. S. Joannis Damaſceni *de Imaginibus* hoc titulo inſcriptum: *De vita S. Simeonis miraculorum effectoris narratio Arcadii archiepiſcopi Cypri*, ἐξήγησις Ἀρκαδίου ἀρχιεπισκόπου Κύπρου. Hujus, tanquam divini viri, deceſſoris ſui meminit Sergius ejuſdem inſulæ archiepiſcopus in ſuggeſtione, ſive litteris, *ad Theodorum Papam;* quin etiam Cyrus Phaſidis epiſcopus in epiſtola quam anno 626. Sergio Conſtantinopolitano ſcribebat, Heraclii Im- D peratoris, de una in Chriſto poſt unionem operatione tenenda juſſionem laudans, quam Arcadio archiepiſcopo Cypri à ſe tranſmiſſam ſignificat, ab Arcadio vero tanquam hæreticam eſſe reprobatam Sergius Theodoro Papæ declarat.

XVIII. Sergius.

Illa *Sergii* Conſtantiæ Cypri archiepiſcopi ad Theodorum Papam adverſus Monotheletarum naſcentem hæreſim epiſtola, lecta fuit ſecretario ſecundo ſynodi Lateranenſis, ſub E Martino Papa I. anno 649. Nimirum Cypri præſules cum archiepiſcopo ſuo Sergio Paulum Conſtantinopolitanum Monotheleticæ hæreſis accuſarant, litteris ei datis, quæ in eodem concilio lectæ fuerunt: quanquam Sergium à recta fide deſciviſſe teſtantur acta *de exilio S. Martini Papæ*, quæ Latine reddita ſunt ab Anaſtaſio Bibliothecario. Ibi enim Theodorus Spudæus ait: *Intulit & alia quædam quæ implorarent eum* (Martinum) *ut nullatenus ſuperaretur à nequam ſecta impiorum virorum, reverens & tremens, ac præ oculis habens naufragium Sergii Cypriorum inſulæ archiepiſcopi.*

XIX. Arcadius II.

Poſt Sergium utique *Arcadius* alter Conſtantiæ archiepiſcopus ſedit, ad quem Conſtantinus Pogonatus Imp. ſcripſerat adverſus libellum Pauli Acephalorum anteſignani.

XX. Epiphanius II.

Sedebat quoque ſub Conſtantino Pogonato, tempore ſexti concilii generalis *Epiphanius II.* locumque ejus in ea ſynodo ſupplevit Theodorus Trimithuntis, editiſque à Patribus decretis, ſuo illiuſque nomine ſubſcripſit: Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Τριμυθουντίων τῆς Κύπρου νήσου, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων Ἐπιφανίου τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου, *Theodorus miſericordia Dei epiſcopus civitatis Trimithuntinæ inſulæ Cypri, & locum gerens ſanctiſſimi Epiphanii archiepiſcopi.*

XXI. Joannes I.

Synodi quini-ſextæ canonibus, qui Trullani vulgo dicuntur, poſt Patriarchas ſubſcriptus legitur *Joannes epiſcopus novæ Juſtinianopolis*, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος νέας Ἰουστινιανουπόλεως, ὁρίσας ὑπέγραψα. Novam porro Juſtinianopolim à Juſtiniano II. Imp. Rhinotmeto dictam eſſe narravi illam Helleſponti urbem, in quam inſulæ Cypri incolas cum archiepiſcopo propter Saracenos tranſtulit, conceſſis illi metropoliticis juribus quibus Conſtantia Cypri ornabatur, adeo ut ab ipſo hujus urbis archiepiſcopo Cyzicenus quoque ordinandus eſſet. Quod ratum fecit can. 39. ſynodi ſuæ illius Trullanæ, qui ſic habet: *Quum frater noſter & comminiſter Joannes inſulæ Cypri præſul una cum populo ſuo in Helleſponticam provinciam, & propter barbaricas incurſiones, & ut à Gentilium ſervitute liberarentur, utque Chriſtianiſſimæ potentiæ ſceptris pure ſubjicerentur, à prædicta inſula migraverit, clementis Dei providentia, & pii religioſiſſimique Imperatoris noſtri labore, conſtituimus, ut citra ullam innovationem ſerventur, quæ à divinis Patribus, qui Epheſi primum convenerunt, prædicti viri throno privilegia conceſſa ſunt; ut nova Juſtinianopolis Conſtantinopoleos jus habeat, & qui in ea conſtituitur pius & religioſiſſimus epiſcopus, præſit omnibus Helleſpontiorum provinciæ epiſcopis, & à ſuis epiſcopis eligatur ex antiqua conſuetudine. Mores enim qui ſunt in unaquaque eccleſia divini etiam noſtri Patres ſervandos cenſuerunt, Cyzicenorum civitatis epiſcopo dicta Juſtinianopoli ſubjecto*

Digitized by Google

ECCLESIA SALAMINIS.

exiſtente, ad imitationem reliquorum omnium epiſcoporum, qui ſubſunt prædicto Dei amantiſſimo præſuli Joanni, à quo, quum opus fuerit, etiam Cyzicenorum civitatis epiſcopus ordinabitur. Hæc canon ille, cujus diu poſt Juſtiniani obitum auctoritas non ſtetit. Nam & Cyzicenus epiſcopus jura ſua priſtina recepit, atque in inſula Cypro Conſtantiæ epiſcoporum ſucceſſio redintegrata eſt; nimirum ſub Conſtantino Copronymo, poſtquam Cibyriſtarum exercitus dux in illam appulit, Saracenoſque fudit qui ex Alexandriæ partibus venerant; qua parta victoria, Chriſtianorum Cypri eccleſia priſtino ſuo nitori reſtituta eſt.

XXII. Georgius.

Conſtantino Copronymo Imp. ſacrarum imaginum cauſam *Georgius Cypri epiſcopus* egregie defendit: unde meruit ab ejuſdem Copronymi ſpuria ſynodo diris devoveri. Dicto quippe S. Germano Conſtantinopolitano anathemate, adjecerunt: Γεωργίῳ τῷ ὁμόφρονι αὐτοῦ, καὶ φαλσευτῇ τῶν πατρικῶν διδασκαλιῶν, ἀνάθεμα. *Georgio, qui cum eo ſentit, & falſario paternorum dogmatum, anathema.* Contra vero eidem Georgio, ut & S. Joanni Damaſceno à ſeptimæ ſynodi patribus eſt acclamatum Ἰωάννου καὶ Γεωργίου αἰωνία ἡ μνήμη, *Joannis & Georgii æterna memoria.* In ejuſdem ſacræ ſynodi geſtis, actione 6. diſerte legimus, Epiphanio ſcilicet diacono interloquutore, *Georgii patriam Cyprum inſulam fuiſſe, ubi vitam ad Evangelii normam ſanctiſſime duxit;* Γεώργιος δὲ οὗ Κύπρος ἡ πατρὶς, εὐαγγελικῶς τὸν βίον ἐμπολιτευσάμενος. Quæ ſequuntur ſatis innuunt Georgium, qui à juventute ſolitariam vitam iniiſſet, ab hæreticis contumelias & verbera fortiter toleraſſe: Χριστὸν, inquit, τὸν Θεὸν ἡμῶν τὸν δόντα ἡμῖν ὑπογραμμὸν τὴν οἰκονομίαν αὐτοῦ, μιμησάμενος, οὐκ ἤρισεν, οὐκ ἐκραύγασε· λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρησε, πάσχων οὐκ ἠπείλησε, τῷ τύπτοντι αὐτὸν εἰς τὴν σιαγόνα ἔστρεφε καὶ τὴν ἄλλην, τῷ ἀγγαρεύοντι αὐτὸν μίλιον ἓν προσετίθει τὸ διπλάσιον· ἦρε τὸν ζυγὸν ἐκ νεότητος αὐτοῦ, ἀγαθὸν ἡγησάμενος κατὰ τὸν προφήτην καθίσαι καταμόνας καὶ σιωπῆσαι. *Chriſtum Deum noſtrum, qui dedit nobis normam diſpenſationem ſuam, imitans, non contendit, non clamavit; quum malediceretur, non maledicebat, quum pateretur, non comminabatur: percutienti ſe maxillam vertebat & alteram, angarianti ſe mille paſſus apponebat & duplum: tulit jugum à juventute ſua, bonum arbitratus ſecundum prophetam ſingulariter ſedere & ſilere.*

XXIII. Constantinus.

Nicænæ ſynodi ſecundæ magna pars fuit *Conſtantinus epiſcopus Conſtantiæ Cypri*, Κωνσταντῖνος ὁ ἐπίσκοπος Κωνσταντίας τῆς Κύπρου, qui, quum in concilii actis ſæpe interloquutus legatur, nuſquam *Juſtinianopolis* epiſcopus audit: ſed & quum de Epiphanii magni decantatiſſima epiſtola, quam Iconomachi plurimi faciebant, ſermo agitaretur, in Cypro inſula ſemper verſatus oſtenditur, quippe qui apud Cyprios ſuos à temporibus S. Epiphanii ſacrarum imaginum uſum cultumque viguiſſe aſſeveraverit. In eadem ſynodo epiſcopi alii Cyprii ſedebant, Solorum ſcilicet, Cythri, Citii, Amathuntis.

XXIV. Epiphanius III.

Anno 870. *Epiphanius III.* Cypri eccleſiæ archiepiſcopatu fungebatur, quo nempe S. Ignatio Conſtantinopolitanæ ſedi reſtituto gratulatus eſt, data epiſtola quæ Latine ſupereſt in Prolegomenis Anaſtaſii Bibliothecarii ad octavam ſynodum generalem, cujus ſe ex animo & humillime complecti decreta ſignificat.

XXV. * * *

Conventui ſolemni epiſcoporum & procerum Imperii, qui Alexio Comneno Imp. & Nicolao Grammatico Patriarcha præſide Conſtantinopoli habitus eſt ad ſacrarum imaginum reverentiam novo decreto firmandam, *Cypri archiepiſcopus* cum aliis inſulæ ejuſdem præſulibus aderat, quorum tamen nomina ſilentur. Quod videre eſt in Bibliotheca Coiſliniana pag. 104. τοῦ αὐτοκεφάλου ἀρχιεπισκόπου τῆς Κυπρίων νήσου, καὶ ἑτέρων ἀρχιεπισκόπων .... καὶ ἐπισκόπων τῶν ὑπὸ τὸν θρόνον τελούντων τοῦ κατὰ τὴν Κύπρον ἀρχιεπισκόπου; *nec-non archiepiſcopo qui ſui juris eſt Cypriorum, & aliis archiepiſcopis .... & epiſcopis qui ſunt ſub throno archiepiſcopi Cyprii.*

XXVI. Nicolaus.

Cypri archiepiſcopus fuit *Nicolaus Muzalo*, vel *Mazalus*, qui munere abdicato, Conſtantinopolitanum Coſmidii monaſterium ſeceſſit, ubi quum 37. annos privatam vitam egiſſet, regiæ ejuſdem urbis pontifex factus eſt anno 1147. Manuële Comneno Imp. καὶ ἐπὶ τεσσαράκοντα ἑπτὰ ἔτη σχολάσας, εἶτα ἀνεβιβάσθη εἰς τὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως. Vide lib. 4. Juris Græco-Rom. *de tranſlationibus epiſcoporum*, pag. 295. catalogum eorumdem Patriarcharum, & Joannem Cinnamum hiſt. pag. 47.

XXVII. Joannes II.

Sæculo duodecimo Cypri eccleſiæ *Joannes* præerat, qui tempore Lucæ Chryſobergæ Conſtantinopolitani Patriarchæ, Joannem Amathuntis depoſuit: ejus vero ſententia in urbe regia diſcuſſa, irrita cenſita eſt, quod

Digitized by Google

ECCLESIA SALAMINIA.

Balſamon teſtatur & refert lib. 3. Jur. Græco-Rom. p. 223. Ipſe proinde eſt *Joannes Cypri*, A Ἰωάννης Κύπρου, qui in ſynodo cum eodem Luca ſedit, in qua Soterichus Panteugenus ob errorem de Domini ſacrificio, quum Patriarcha Antiochenus electus eſſet, proſcribi meruit anno 1156. Vide Allat. in Vind. ſynodi Epheſinæ.

XXVIII. Simeon.

Græcorum inſulæ Cypri incolarum eccleſiæ decimo-tertio ſæculo, anno ſcilicet 1218. *Simeon* præerat, quo tempore Euſtorgius Latinorum. Stephan. Luſin. Chorograph. Cypri fol. 1.

XXIX. Germanus.

Poſt Simeonem ſedebat *Germanus Peſimander*, inque Leucoſia ſive Nicoſia civitate, quam Guido Luſinianus regni ſui caput inſtituerat; quum Latinis interim *Hugo* præeſſet, de quo ſuo ſeorſim loco dicetur. Id teſtantur Alexandri Papæ IV. Bullæ, quæ propter utriuſque præſulis quotidiana jurgia datæ ſunt, eaque inprimis quam Vincentius Riccardus ex Altempſiano codice evulgavit, C cum appoſito hocce titulo: Πρόλογος καὶ προδιάλεξις δι' ἣν αἰτίαν γέγονεν ὁ παρὼν ὁρισμὸς κανονικῶς ἐκτεθεὶς, μέσον Λατίνων καὶ Γραικῶν ἐκκλησιῶν καὶ ἀρχιερέων, ἐπὶ Οὔγου τοῦ γένους Περσίνου (lege Περουσίνου) Ἰταλοῦ καὶ Γερμανοῦ τοῦ Πεσιμάνδρου Γραικοῦ, ἀμφοτέρων ἀρχιεπισκόπων τῆς νήσου Κύπρου: *Prologus ſive præloquium enarrans cauſam propter quam diſpoſitio canonice ſancita eſt inter Latinorum & Græcorum eccleſias & epiſcopos, ſub Hugone Italo, Peruſini generis, & Germano Peſimandro Græco, utroque archiepiſcopo inſulæ Cypri.* Exſtat apud Rainaldum ad an- D num 1260. n. 37. ejuſdem Alexandri Papæ Bulla, de illa lite inter utrumque archiepiſcopum. In ea fertur Hugonem nuntios ſuos Romam miſiſſe, qui cauſam ſuam defenderent. Pontifex declarat à Cæleſtino Papa III. ſtatutum fuiſſe ut Græcis præſulibus ejectis, Latinorum ſedes quatuor erigerentur: ſubinde vero Albanenſem epiſcopum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis legatum ſanxiſſe, ut in ea inſula quatuor ſolummodo Græci epiſcopi forent, ac Nicoſienſi archiepiſcopo Latino ſubditi. Ex quo Hugo inferebat, *evidenter* E *apparere, quod metropolitanus alter præter Nicoſienſem archiepiſcopum in eadem inſula, quæ eſt provincia, nec potuit, nec debuit ordinari.* Verum Alexander negotio diligentius expenſo, irrevocabili decreto conſtituit, ut quatuor in inſula Græcorum pontificum ſedes eſſent, una in Nicoſienſi diœceſi apud Solium, altera in Paphenſi apud Arſinoën, tertia Famaguſtæ apud Carpaſiam, & quarta in Nimoſienſi apud Leucaras, qui ſe Latinorum præſulum clientes ſacramento ſpeciali profiterentur: Germanum tamen interim Græcorum archiepiſcopum honore & juribus ſuis potiturum, quandiu in vivis ſuperſtes foret; ſed cui nullus alter ſuccederet. Quocirca quum in Lugdunenſi concilio ſecundo *archiepiſcopus Nicoſienſis* anno 1274. ſediſſe legatur in brevi relatione concilii, atque una cum Latinis & Græcis aliis quos Patres deſignarant, ſymbolum eccleſiæ Græcæ, voce *filioque* interjecta, recitaſſe, hinc colligo non alium eum fuiſſe, niſi Germanum; qui ad B illum uſque annum vitam produxerit.

XXX. * * *.

XXXI. * * *.

XXXII. * * *.

Deinceps autem Germanus neminem ſui ritus Græci ſucceſſorem habuit ad annum uſque 1570. quo Cypro inſula à Turcis ſubacta, Venetæque Reipublicæ erepta, proprium deinceps archiepiſcopum, Latino ejecto, ſibi reſtitui à Barbaris impetrarunt. Tum *Monachus quidam* qui è Servia venerat, erogata Mohammedanis pecunia, præſulatum iniit, qui mox ab ordinatione ſua, tyrannico more in Cyprios ſæviens, inviſus omnibus factus eſt. Quocirca *Monachus alter* cœnobii cujuſdam præpoſitus, Cyprius ipſe genere, Adrianopolim uſque trajiciens, numerata Turcicæ aulæ miniſtris pecunia, per Byzantinum Patriarcham effecit, ut à Sultano archiepiſcopus renuntiaretur. *Monachus* iterum *alter*, genere perinde Cyprius, apud Patriarcham denuo egit, ut ipſe potius archiepiſcopatu potiretur, archimandrita vero Paphenſi ſede contentus eſſet. Hæc Angelus Calepianus Ord. Præd. patria Cyprius, in narratione eorum quæ in inſulæ Cypri expugnatione contigerunt, quæ gallico verſa idiomate prodiit ad calcem Hiſtoriæ Cypri, quam Stephanus Luſinianus edidit anno 1604.

XXXIII Athanasius.

Anno mundi 7109. Chriſti 1602. quo Matthæus II. Patriarcha Byzantinus evaſit, inſulæ Cypri archiepiſcopus erat *Athanaſius*, quem Matthæus communionis ſuæ extorrem fecit, data inſulæ epiſcopis & clericis epiſtola; eo quod nempe Alexandrini Meletii Pigæ monita contemſerat. Querebatur nimirum Meletius veſtimenta vetera ſacra ab archiepiſcopo Athanaſio ſciſſa combuſtaque eſſe, novaque confecta; ad hæc Germani patriarchæ Hieroſolymitani thronum ab ipſo fractum, indeque ſacras reliquias ablatas fuiſſe. Hæc Doſitheus Hieroſolymitanus lib. XI.

Digitized by Google

Patr. Hieroſol. c. 9. §. 2. Leo Allatius lib. de quorumdam Græcorum opinationibus p. 152. ex Athanaſio Imbri archiepiſcopo narrat, Conſtantinum quemdam Reſepium, qui Mohammede ejurato, nomen Chriſto dederat, quum vitam nullis non flagitiis turpem duceret, à communione ſemotum obiiſſe, ejuſque corpus tumulatum in eccleſia ſanctorum Petri & Pauli Neapolis (in Peloponneſo utique) multis annis indiſſolutum manſiſſe, ab Athanaſio vero poſthac illo Imbri & duobus aliis metropolitis, Athanaſio Cypri & Chryſantho Lacedæmonis, benedictione recitata ſubactum, inque pulverem mox, ut alia cadavera evanuiſſe.

XXXIV. Nicephorus.

Cypri Archiepiſcopus erat anno 1668. *Nicephorus*, præfuitque inſulæ ſuæ ſynodo, cujus adverſus Calvinianorum hæreſim definitiones latinè editæ ſunt ad calcem lib. 2. de Perpetuitate Fidei Euchariſticæ. Hunc anno quoque 1671. menſe Junio Michaël Vanſlebius inviſit in villa medio Nicoſia lapide diſtante, ut ipſe refert in epiſtola ad D. Thevenotium.

XXXV. Hilarion.

Inter viros qui ſapientiæ & doctrinæ laude apud Græcos ſchiſmaticos nupero ævo claruerunt, *Hilarion Tzigalas* Cypri archiepiſcopus trigeſimo loco ponitur à Doſitheo Hieroſolymitano, qui eum, quum Hieroſolymis monachus ageret, Nectario adfuiſſe ait librum ſuum *de Primatu Papæ* ſcribenti, & multa Latinorum Patrum loca ſubminiſtraſſe. Τριακοστὸς Ἱλαρίων ὁ Τζιγάλας, ὁ χρηματίσας ἀρχιεπίσκοπος Κύπρου, ὃς ἱερομόναχος ἔτι ὢν, καὶ εὑρισκόμενος ἐν Ἱερουσαλὴμ, ἐχρημάτισε συγγράφοντι τῷ κυρίῳ Νεκταρίῳ κατὰ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάπα ἑρμηνεὺς χρήσεων πολλῶν λατινικῶν πατέρων. Addit eum quum de Paſchatis ſolennitate certo die celebranda ſcriberet, Conſtantinopoli obiiſſe, ὃν Τζιγάλαν συγγράφοντα ἰσὰ περὶ τοῦ Πάσχα ἀπλανοῦς ἑορτῆς ἐκώλυσεν ὁ θάνατος. Idem acta ſynodi inſulæ Cypri à qua Calvinianorum errores anno 1668. confixi ſunt, ex authentico codice tranſcripſit, patribuſque Capucinis in Galliam mittenda tradidit. Vide tom. 2. de Perpet. Fidei Euchar. ubi ſe *ſanctæ ſedis œcumenicæ Cypri SS. epiſcopum* dicit, *ejuſque ſedis magnum theologum, atque Orientalis eccleſiæ generalem doctorem.*

Ricalto Anglo, in libro quem patrio ſuo idiomate edidit, *de ſtatu præſenti Eccleſiæ Græcæ*, *Hilarius Cicala* anno 1678. Leucoſiæ ſedere dicitur, quum ante quatuor annos epiſcopatum jam capeſſiviſſet: ipſe idem procul dubio fuit, qui Hilarion dicitur Doſitheo Hieroſolymitano.

XXXVI. Silvester.

Sedebat anno 1721. *Silveſter* novæ Juſtinianæ & totius Cypri inſulæ archiepiſcopus. ὁ τῆς νέας Ἰουστινιανῆς καὶ πάσης Κύπρου Σίλβεστρος.

II.

ECCLESIA CITII.

CITIUM Κίτιον Cypri inſulæ civitas eſt ſat antiqua, quam à Zenonis Stoïcorum principis natalibus Strabo commendat. Ejus etiam meminere Plinius, Ptolemæus & alii, inprimis vero Joſephus lib. 1. Antiquitatum cap. 7. quam à Cethim uno è poſteris Sem conditam cenſet; cui tamen vix aſſentior, quando mihi Cypri incolæ Phœnicum ſive Chananæorum colonos fuiſſe admodum veriſimile eſt.

EPISCOPI CITII.

I. Lazarus.

IN Kalendario Æthiopum Habeſſinorum die 22. Maii memoria legitur *ſancti Lazari epiſcopi* Cypri, qui ſecunda vice mortuus eſt, inquiunt, poſtquam nempe à Domino à mortuis fuerat excitatus. In Menologiis Græcorum ad diem 17. Octobris Citii epiſcopus fuiſſe dicitur, ejuſque corpus Conſtantinopolim tranſlatum eſt anno 890. Habeſſinorum, qui hoc à Cophtis Ægypti acceperunt, cum Menæis Græcorum conſenſus nonnullam veri ſpeciem huic Cypriorum traditioni præbet.

II. Mnemius.

Ex indice Patrum concilii Conſtantinopolitani generalis prioris, illi de inſula Cypro interfuit *Mnemius Citienſis*.

III. Tychon.

In ſexta quoque ſynodo generali anno 682. ſedit *Tychon epiſcopus civitatis Citii inſulæ Cypri*, Τύχων ἐπίσκοπος τῆς Κιτίων τῆς Κυπρίων νήσου. Hic cum Theodoro Trimithuntis, qui archiepiſcopi ſui vices in concilio gerebat, & Stratonico Solorum act. 14. ſermonem S. Athanaſii Alexandrini in hæc Domini verba: *Nunc anima mea turbata eſt*, patribus obtulit,

Digitized by Google

ECCLESIA CITII.

obtulit, quo duæ in Chriſto operationes & voluntates aſſerebantur.

IV. Theodorus.

Septimæ quoque ſynodo generali adſuit & ſubſcripſit, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κιτίου, *Theodorus indignus epiſcopus Citii.* Theodorum hunc Citii epiſcopum act. 4. ejuſdem concilii Conſtantinus Conſtantiæ archiepiſcopus teſtem appellavit miraculi quod in ejus urbe Deus ſacræ imaginis cauſa operatus erat. *Alius homo*, inquit, *in civitate Citio, feſtivitate S. Dei genitricis, die ſcilicet decimo quinto menſis Auguſti, ingreſſus eſt in templum ut adornaret illud velis: & aſſumpto clavo fixit eum in pariete, in ipſa fronte imaginis S. Petri. Quum ergo funem ligaſſet & explicuiſſet velum, eadem hora dolor apprehendit eum in capite & fronte intolerabilis: & manſit duobus diebus ſolemnitatis jacens & cruciatus patiens. Quo comperto epiſcopus Citii eum redarguit, juſſitque pergere & educere clavum ex imagine. Qui pergens, & hoc gerens quum educeret clavum, alleviatus eſt dolor. Interrogetur igitur & hic epiſcopus: adeſt enim. Interrogatus ergo epiſcopus Citii, cum juramento firmavit coram ſynodo hæc ſic ſe habere,* ἱερώτατος οὖν ὁ ἐπίσκοπος Κιτίου, μεθ' ὅρκου κατέθετο ταῦτα οὕτως ἔχειν, ἐπὶ συνόδου.

III. ECCLESIA CURII.

CURIUM Cypri civitas eſt Ptolemæo, ut & Straboni, qui poſt promontorium quod Κουρίας, *Curias* dicitur, Curium urbem poſitam ait: unde ipſa quoque Plinio *Curias* vocatur. Strabone vero teſte illius conditores Argivi fuerunt, atque initium erat navigationis occiduæ, ut-pote verſus Occidentalem exiſtens inſulæ partem illam quæ Meridionalem quoque ſpectat. Recentiori ævo *Piſcopia* nominatur.

EPISCOPI CURII.

I. Theodotus *Martyr.*

SUb Licinio Imp. Sabinio Cypri præfecto, *Theodotus* Curii epiſcopus martyrio functus eſt. Quod quidem Menologium Græcorum vulgo recitat die 2. Martii. Quanquam in vetuſtiore Sirleti quod Henricus Caniſius to. 2. Antiq. lect. edidit, ejus memoria aſſignatur diei 6. Maii. Fertur vero nervis fuiſſe verberatus, deinde ſuſpenſus laniatuſque, lecto ferreo accenſo impoſitus, demumque in carcerem reductus. Verum ſedata, Conſtantino Magno Imp. tempeſtate, poſt biennium migravit ad Dominum.

II. Zeno.

Epheſinæ ſanctæ ſynodo generali aderat *Zeno epiſcopus Curii civitatis Cypri,* Ζήνων ἐπίσκοπος πόλεως Κουρίου τῆς Κύπρου νήσου, una cum archiepiſcopo ſuo Rhegino, quicum act. 7. inſulam ſuam ab Antiochenæ ſedis ordinatione liberam eſſe monſtravit.

III. Michael.

Ad calcem Colbertini codicis 363. qui S. Joannis Chryſoſtomi in Geneſim homilias repræſentat, exaratus additur juſſu *Michaëlis epiſcopi Curii.* Quam quidem inſcriptionem doctiſſimus D. Bernardus de Montfaucon pag. 50. Palæographiæ retulit: Κύριε βοήθει τῷ δούλῳ σου Μιχαὴλ ἐπισκόπου Κουρίου, Ἀμήν, Ἀμήν. *Domine auxiliare ſervo tuo Michaëli epiſcopo Curii, Amen, Amen.* Verſus ſequuntur duodecim, qui amanuenſem *Paulum* nominatum produnt, quoque demum anno abſolutus codex fuit.

Τί δὲ νῦν πέλει Ἰνδικτος ἡ παροῦσα;
Ιδ'. ἔτος δὲ ὄζω ς φ ν θ'.
Μίμνησκε ἡμῶν τοῦ ταπεινοῦ καὶ ξένου.
Quænam porro eſt Indictio præſens!
XIV. annus vero 6559.
Memento mei humilis & peregrini.

Vivebant igitur Michaël & Paulus anno Chriſti 1051.

IV. Cosmas.

Circa annum 1678. Curii epiſcopus ſedebat *Coſmas,* Ricalto equite Anglo teſte, libro *de ſtatu præſenti eccleſiæ Græcæ.*

IV. ECCLESIA TAMASSI.

IN S. Barnabæ Apoſtoli actis quæ Joannis Marci nomen, perperam licet, proferunt, & in vita S. Auxibii Solenſis, fertur Barnabam quum ſecunda vice in inſulam appuliſſet, Citio egreſſum, Tamaſſum veniſſe, ubi Heracleonem, quem S. Paulus mutato nomine, Heraclidem antea vocaverat, epiſcopum Cypriis inſtituiſſe, aſſignata ei eccleſia in ſpecu, quæ haud ab urbe procul diſtabat. χειροτονήσαντες αὐτὸν ἐπίσκοπον τῇ Κύπρῳ, καὶ ἐκκλησίαν ἐπιστηρίξαντες ἐν σπηλαίῳ ἐν Ταμασσῷ. Hinc eſt, ut apparet, quod Heraclides in vita S. Auxibii *Tamaſſi*

Digitized by Google

archiepiſcopus appellatur, ad quem poſt S. Barnabæ obitum Epaphram, Tychicum & alios miſerit, quos epiſcopos per inſulam crearet. Atqui Tamaſſus quam Plinius *Tamaſcum* dicit, æris metallis celebris erat, ideoque *as*, Græce Κύπρον, eſſe dictum fertur. Æris metalla, ait Strabo, apud Tamaſſum abundant, in quibus vitreolum & rubigo æris naſcuntur, ad medicinæ uſum idonea. Ptolemæo autem, urbs eſt in inſulæ mediterraneo poſita, ac Stephano Luſiniano teſte hodieque ſupereſt oppidum *Tamaſſo* dictum.

EPISCOPI TAMASSI.

I. HERACLIDES.

TAMASSI epiſcopum à S. Barnaba *Heraclidem* fuiſſe conſtitutum ex actis ejuſdem S. Barnabæ & S. Auxibii diximus. Unde in Menologio Græcorum die Septembris 27. *Natalis legitur Beatorum Heraclidis epiſcopi Tamaſſi Cypri & ſanctarum Sophiæ & Irenes*, quo ſignificatur Heraclidem una cum illis martyrem obiiſſe. Cæterum illum ſubinde Salaminem migraſſe ex iiſdem S. Barnabæ actis monuimus.

II. MIRO.

Ex Stephano Luſiniano in hiſtoria inſulæ Cypri fol. 59. Heraclio ſive Heraclidi Tamaſſi epiſcopo ſuffectus, ab ipſo utique, fuit *Miro*, qui martyrio quoque functus eſt. Ejus

A porro natalis ſolemnitatem menſe Septembri à Cypriis agi ſolitam ait, ipſo die quo Heraclidis, adeoque 27. illius menſis.

III. TYCHON.

Concilio Conſtantinopolitano generali primo interfuiſſe legitur in indice *Tychon Tamaſenſis*.

IV. EPAPHRODITUS.

B In concilio Chalcedonenſi ſedit *Epaphroditus Tamaſſi epiſcopus, vices quoque gerens Didymi Lapithi*, Ἐπαφρόδιτος Ταμασοῦ, ἐπέχοντος τόπον καὶ Διδύμου ἐπισκόπου Λαπίθου. Sed & act. 6. ſubſcripſit pro Olympio Conſtantienſi archiepiſcopo, & epiſcopis aliis ſub ipſo conſtitutis.

V. ECCLESIA PAPHI.

PAPHUS, vulgo etiam *Paphos* notiſſima veteribus civitas fuit, ipſa vero duplex, *Palæpaphos* ſcilicet profano Veneris cultu celebris olim, & Paphus recentior altera, Strabone teſte ad Auſtrale littus maris poſita, ſexaginta ſtadiis à priore diſtans. Unam vero ac novam dumtaxat eccleſiæ Cypri monumenta norunt, ad quam Paulus Apoſtolus, inſula peragrata, quum tandem veniſſet, Sergium Paulum proconſulem, virum prudentem, quem Elymas magus, alias Barjeſu, dementabat, Chriſti diſcipulis aggregavit. Urbs iſta indigenis hodie *Baffo* dicitur.

EPISCOPI PAPHI.

I. EPAPHRAS.

SAnctiſſimus Apoſtoli Pauli diſcipulus *Epaphras*, cujus in epiſtola ad Coloſſenſes bis meminit, nec-non in ea quam Philemoni ſcripſit, quemque Martyrologium Romanum ad diem 19. Julii Coloſſis epiſcopum aſſignat, in actis SS. Barnabæ & Auxibii Paphi ab Heraclide, ejuſdem Apoſtoli juſſu epiſcopus conſecratus fertur. De quo fides ſit penes actorum illorum auctores.

II. TITUS.

Stephanus Luſinianus in hiſtoria regni Cypri p. 48. ex Cypriorum monumentis *Titum* quemdam una cum Sergio Paulo Chriſto nomen dediſſe, atque ab Apoſtolo Paulo diaconum ordinatum, demum Paphenſem epiſcopum conſtitutum refert.

III. CYRILLUS.

In Latino Nicænorum Patrum indice, de inſula Cypro primus cenſetur *Cyrillus Paphenſis*; quem alibi *Cyriacum* nominatum reperio, ac tum in panopliis adverſus hæreticos Græcis, tum apud Leontium ad calcem libri contra Neſtorium & Eutychem, ubi teſtimonium legitur Τοῦ ἁγίου Κυριακοῦ ἐπισκόπου Πάφου καὶ ὁμολογητοῦ, ἐκ τοῦ εἰς τὰ Θεοφάνια λόγου· εἷς δὲ καὶ οὗτος τῶν ἐν Νικαίᾳ. *S. Cyriaci epiſcopi Paphi & confeſſoris, ex ſermone in Theophania. Unus & ipſe Patrum Nicæni concilii.* Quam etiam ejuſdem excerpti orationis illius inſcriptionem habet Nicephorus CP. ſuis in Antirrheticis adverſus Iconomachos.

C

IV. JULIUS.

D In ſimili indice Patrum concilii Conſtantinopolitani generalis prioris legitur *Julius Paphenſis* inter epiſcopos Cypri.

V. THEODORUS.

Vitam S. Spiridionis Trimithuntis in Cypro epiſcopi ſcripſit *Theodorus Paphenſis epiſcopus*, Leon. Allat. teſte lib. *de Simeonibus*, pag. 89. nec-non Lambecio, qui eam in Cæſarea

Digitized by Google

Bibliotheca aſſervari auctor eſt, lib. 8. Bibl. A Cæſar. cod. 29.

VI. Sapricius.

Epheſinæ ſynodo generali primæ aderat *Sapricius Paphi Cypri epiſcopus*, καὶ Σαπρίκιος Πάφου τῆς Κύπρου. Cujus nomen è ſubſcriptionibus Græcis excidit, reperitur vero in Latinis ſynodi Chalcedonenſis, cujus act. 1. Epheſinæ primæ, ut & ſecundæ geſta relecta ſunt: *Sapricius epiſcopus Paphi Cypri inſulæ ſubſcripſi.*

VII. Matthæus.

Anno 1340. Paphenſi eccleſiæ Græcæ, *Matthæus de Larſino* præerat; quo nempe ſynodo Heliæ archiepiſcopi Latini ritus Nicoſienſis interfuit.

VIII. * * *

In poſtrema obſidione Nicoſienſi, qua ea urbs expugnata à Turcis fuit, periit cum multis aliis *epiſcopus Græci generis Paphenſis:* quod quidem refert Angelus Calepianus. Cujus narratio de urbis hujus excidio, Gallico idiomate exſtat in fine hiſtoriæ regni Cypri, quam Stephanus Luſinianus Pariſienſibus typis excudit anno 1604.

IX. * * *

Poſt captam ab Othomanis Cyprum, *Archimandrita cœnobii cujuſdam*, genere Cyprius, qui inſulæ ſupremum præſulatum ab aulæ Turcicæ miniſtris obtinuerat, eo ſubinde ab iiſdem cedere compulſus, Paphenſi ſede donatus eſt: quod rurſum Calepianus tradit in narratione de obſidione Famaguſtæ, apud Stephanum Luſinianum.

X. Macarius.

B In excerptis actorum ſynodi Cypri, in qua de Calvinianorum & Lutheranorum erroribus Nicephoro archiepiſcopo præſide anno 1668. actum fuit, huic adſuiſſe legitur *Macarius metropolita Paphi.* Quo autem jure ille metropolitæ titulum ſibi vindicarit, hactenus non aſſequor.

XI. Leontius.

Eques Ricaltus Anglus, in libro quem patria ſua dialecto edidit *de ſtatu præſenti eccleſiæ Græcæ*, teſtatur, anno 1678. quo in Cypro ipſe inſula verſabatur, Paphenſi eccleſiæ præfuiſſe epiſcopum cui *Leontio* nomen eſſet.

VI.

ECCLESIA NEAPOLIS.

Neapolim Cypri veterum Geographorum nullus habet, neque notitiæ, ſed acta S. Barnabæ & S. Auxibii, aliaque nonnulla eccleſiæ hujus inſulæ monumenta. Stephano Luſiniano *Neapolis* iſta eadem eſt ac quæ Amathunte vaſtata, *Lemiſſus nova, Nemeſſus-ve* dicta eſt, quin etiam *Nemoſia*, quum Amathus Lemiſſus antiqua vocaretur. Hanc ait ad Auſtrale littus maris poſitam eſſe, in ſolo totius inſulæ ſaluberrimo, à promontorio Curia novem paſſuum millibus diſtantem, Curio autem urbe ſex millibus, totidemque ab Amathunte veteri. Neapolim itaque ſive Lemiſſum aut Nemoſiam novam Amathuntis ſedes epiſcopalis tranſlata fuit, quum jam olim Neapolis eccleſia Amathuntinæ conjuncta eſſet.

EPISCOPI NEAPOLIS.

I. Tychicus I.

Neapolis in Cypro *Tychicum*, ut *Epaphram* Paphi epiſcopum Paulo mandante, ab Heraclide inſulæ archiepiſcopo ordinatum fuiſſe legimus in Actis SS. Barnabæ & Auxibii. *Epaphram, aiunt, & Tychicum, alioſque nonnullos in Cyprum ad Heraclidem inſulæ archiepiſcopum miſit, ei ſcribens, ut Epaphram Paphi, Tychicum Neapoli epiſcopum inſtitueret.*

II. Tychicus II.

Ex Stephano Luſiniano Neapolis Cypri epiſcopus fuit *Tychicus* alter, qui tempore ſancti Joannis Παντελήμονος, *Eleemoſynarii* Alexandrini Patriarchæ claruit, vir ſanctiſſimus, nullaque non laude dignus, cujus ſucceſſor Leontius fuit, de quo mox dicendum erit. Tunc vero temporis Neapolitanus præ- C ſul Leſcaræ ſedebat, in opulentiſſimo populoſoque inſulæ oppido.

III. Leontius.

Ejuſdem urbis epiſcopus *Leontius* fuit, vitarum S. Joannis Eleemoſynarii & S. Symeonis Sali ſive Simplicis ſcriptor, qui & alia edidit volumina, in quorum titulis *Neapolis Cypri epiſcopus* dicitur, Λεόντιος Νεαπόλεως τῆς Κύπρου. In appendice ad lib. 1. ſancti Joan- D nis Damaſceni *de Imaginibus*, quin etiam actione 4. ſeptimæ ſynodi excerpta habentur librorum quæ ſcripſit contra Judæos. Λεοντίου ἐπισκόπου Νεαπόλεως τῆς Κύπρου, ἐκ τοῦ πέμπτου λόγου ὑπὲρ τῆς Χριστιανῶν ἀπολογίας κατὰ Ἰουδαίων, καὶ περὶ εἰκόνων τῶν ἁγίων. *Leontii epiſcopi Neapolis Cypri, ex quinto ſermone pro Chriſtianorum defenſione, ac de imaginibus ſanctorum.* Quod excerptum, amplum prorſus, poſtquam coram

ECCLESIA NEAPOLIS.

patribus lectum fuit, Conſtantinus Con- A ſtantienſis dixit: *Hic qui lectus eſt Pater, in una urbium Cypri decore ſacratiſſimo claruit; laudativas orationes multas feſtivoſque ſermones ejus habemus, cum quibus eſt etiam ſermo ejus in Transfigurationem Domini. Conſcripſit & vitam ſancti Joannis Eleemonis id eſt miſericordis, quin & ſancti Symeonis Simplicis, & alia quædam: atque in omnibus ſermonibus ſuis orthodoxus cernitur.* ἤκμαζε δὲ κατὰ τοὺς χρόνους Μαυρικίου τοῦ βασιλέως. *Claruit autem* B *temporibus Mauricii Imp.*

IV. CLEMENS.

Ex actis ſynodi Nicoſienſis, quæ Helia archiepiſcopo præſide anno 1340. celebrata eſt, in ea ſedebat *Clemens de Leſcara epiſcopus Græcus Nimocienſis*.

V. * * *

Ex Stephano rurſum Luſiniano fol. 13. hiſt. regni Cypri Nemoſienſem ſedem Græci ritus epiſcopus tenuit, de Flengiorum genere natus, qui ad 125. annos vitam produxit.

VI. * * *

Obſeſſa, captaque ab Othomanis Leucoſia ſive Nicoſia, anno 1570. ſervituti mancipatus eſt *Nemoſienſis epiſcopus Græcus*, Angelo Calepiano teſte, in relatione obſidionis hujus.

VII. * * *

Huic Turcarum facto mancipio ſuffectus fuit *Archimandrita monaſterii Cuzuventi*, quem Turcæ in ſervitutem prius adductum libertate donarant. Ex eodem Angelo Calepiano.

VII. ECCLESIA AMATHUNTIS.

ANtiquiſſima Cypri civitas fuit Amathus, ad Auſtrale maris littus, à qua inſula olim *Amathuſia* vocitabatur, Veneris & Adonidis falſorum numinum ſacris famoſa, fodinis quoque æris celebris, quarum cauſa, imo & aquarum calidarum ſcaturigine, quæ curandis morbis aptiſſimæ ſunt, aiunt *Amathus* nomen illi inditum fuiſſe. Plane vox Hebræa, Chananæa-ve aut Phœnicia חמה æſtum & calorem ſignificat. Quando Scyllacis ævo, Amathuntis incolæ indigenæ erant, ſive ex primis inſulæ habitatoribus progeniti, Ἀμαθοῦς αὐτόχθονές εἰσιν, hinc argumentum ſumo illos Phœnices fuiſſe, non ex alio genere propagatos. Atqui Amathus quæ ſequiori ævo *Lemiſſus* vocabatur, civitas ſtetit ad annum uſque Domini 1190. quo à Richardo rege Angliæ Iſaacio Comneno inſulæ deſpotæ erepta, vaſtataque & ſolo æquata eſt, ejuſque ſedes epiſcopalis Neapolim tranſlata, quæ deinceps, ut ſuperius dictum eſt, *Lemiſſus* parva nuncupata fuit.

EPISCOPI AMATHUNTIS.

I. MNEMONIUS.

II. TYCHON.

SAnctiſſimi Amathuntis eccleſiæ epiſcopi *Mnemonii* mentio fit in Græcorum Menologio die 16. Junii, quo commemoratio recolitur *ſancti Tychonis*, ſucceſſoris ejus, quem ab ipſo diaconum ordinatum ferunt, παρὰ Μνημονίου τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Ἀμαθοῦντος χειροτονηθεὶς διάκονος. *Tychonem*, Mnemonio

TYCHON.

defuncto à ſancto Epiphanio in epiſcopum quoque Amathuntis promotum tradunt, ἐκείνου δὲ τὸν βίον ἀπολιπόντος, αὐτὸς εἰς τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἀνάγεται θρόνον παρὰ τοῦ μεγάλου Ἐπιφανίου. Hunc porro Θαυματουργὸν, id eſt *mirabilium effectorem* appellant, velut etiam Leontius Neapolis Cypri epiſcopus in vita ſancti Joannis Eleemoſynarii. Ejus geſtorum compendium Maximus Cythæreus ſcripſit in Anthologio ſuo Græco, quod Arcudius Romanis typis editum Clementi Papæ VIII. nuncupavit. Stephanus vero Luſinianus ſolemnem ejus memoriam menſe Januario apud Cyprios recoli teſtatur.

III. HELIODORUS.

C Act. 6. concilii Chalcedonenſis *Heliodorus epiſcopus civitatis Amathuntis per Soterem Theodoſianæ epiſcopum* ſubſcriptus legitur, Ἡλιόδωρος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀμαθοῦντος διὰ Σωτῆρος ἐπισκόπου Θεοδοσιανῆς. Nimirum initio actorum hujus concilii Soter Theodoſianæ locum illius tenuiſſe fertur, ἐπέχοντος τὸν τόπον καὶ Ἡλιοδώρου ἐπισκόπου Ἀμαθοῦντος.

IV. ALEXANDER.

Septimæ ſynodo generali interfuit & ſubſcripſit poſt epiſcopos alios Cypri *Alexander* D *epiſcopus Amathuntis*, Ἀλέξανδρος ἐπίσκοπος Ἀμαθοῦντος.

V. JOANNES.

Manuële Comneno Imp. *Joannes Amathuntis epiſcopus*, qui injuſte ſe à Joanne archiepiſcopo Cypri deſtitutum ſentiebat, Conſtantinopolim venit, ut ſua cauſa coram Principe diſceptaretur. Tum Luca Patriarcha ejuſque ſynodo vocatis, archiepiſcopi ſententia reſciſſa eſt, quippe quæ etiam non coacta,

Digitized by Google

ut res poſtulabat, Cypriorum eccleſiæ univerſa ſynodo, ſed undecim dumtaxat epiſcopis lata eſſet. A Duodecim quippe epiſcopi accerſendi erant, quibus archiepiſcopus ſuus præeſſet. Aderant quidem in urbe Regia qui Joannis archiepiſcopi judicium tuerentur; ſed cauſa ceciderunt, quod illud alioqui temere latum eſſet. Hæc lib. 2. Jur. Græco-Rom. p. 223. quæ fuſius narrantur à Balſamone ad canonem XII. Carthaginenſem. *Quum autem*, ait, *Joannes ille Amathuntis epiſcopus à Cypri archiepiſcopo Domino Joanne fuiſſet depoſitus, & depoſitionis decretum pro* B *tribunali imperatorio lectum eſſet, quoniam præſentibus undecim dumtaxat epiſcopis, depoſitionem archiepiſcopus fecerat, ſtatuit ſanctiſſimus Patriarcha Dominus Lucas cum præſente ſynodo, quin & aſſiſtens Senatus, eſſe invalidam & nullius momenti depoſitionem, tum eo quod non vocata fuerit univerſa Cypriorum eccleſiæ ſynodus, aut certe maxima pars, quum magna ejus eſſet cogendæ facultas, tum quod archiepiſcopus non ultra undecim epiſcopos accerſiviſſet, ſed una cum illis eſſet commumeratus: tum præterea allegavit & vigeſimum canonem iſtius ſynodi, & decimum-quartum.*

VI. Germanus.

ECCLESIA AMATHUNTIS.

Leo Allatius libro de ſynodo Photiana pag. 506. *Germanum Amathuntis* epiſcopum, ſummum in Cypro Græcorum antiſtitem forſan eſſe factum ſcribit, qui ſynodum ſui ritus epiſcoporum habuerit, in quo ſeptenarium Sacramentorum numerum enuntiavit, unaque modum eorum adminiſtrandorum ex veterum conciliorum atque Patrum libris. Quæ ſynodi illius acta, aut eorum particulas ſaltem utinam vir pereruditus nobis, ut ſexcenta alia ſolebat, erogaſſet. Verum Germanus iſte alius fuiſſe non videtur à Germano Peſimandro Cypri archiepiſcopo, cujus tempore Amathus civitas amplius non ſtabat, nec Amathuntis epiſcopi ulli erant niſi qui Neapolis.

VII. Gerasimus.

Anno 1668. in ſynodo epiſcoporum Cypri, quæ Calvinianorum errores Nicephoro Archiepiſcopo præſide proſcripſit, ſedebat Nemoſi epiſcopus *Geraſimus*. Item *epiſcopus Nemoſi Dominus Geraſimus*. Perpet. Fid. de Euchar. to. 2. p. 73. Appendicis.

VIII. ECCLESIA ARSINÓES.

CYPRI inſulæ civitas una dumtaxat Arſinoë dicta indicatur à Ptolemæo. Duas tamen nobis Strabo ſuppeditat, utramque maritimam, quarum una in Meridionali littore Salaminem inter & Citium poſita erat, ab Arſinoë Ptolemæi Lagi, Ægypti regis uxore condita; altera in Septemtrionali inter Acamantem & Solos, cujus priſcum nomen *Marium* fuit: quam tamen Plinius ævo ſuo non ſtetiſſe innuit, ubi inſulæ numeratis oppidis, ſubjungit, fuiſſe & ibi *Cinyriam, Marium, & Idalium*. Verum eo in loco ubi Marium exſtructum erat oppidum ſat amplum fuit, multiplici frugum genere & aquis abundans quod *Leſcaram* nominant, in quo Lemiſſi epiſcopus moratur. Fuiſſe ferunt Arſinoën tertiam, ſed mediterraneam; imo & quartam ad Ammochoſtum promontorium, ubi *Famaguſta* ſupereſt. Verum de prima prorſus mihi ſermo eſt, quæ in notitiis cenſetur, illaque ipſa prorſus eſt, quæ à vicino promontorio Αμμοχώστῳ, *Ammochoſto* poſteriori ævo *Famaguſta* nominata eſt.

EPISCOPI ARSINOES.

C

I. Prosechius.

ARSINOES Cypri eccleſiæ *Proſechius* præerat tempore ſynodi Chalcedonenſis, in qua vices ejus ſupplevit Soter Theodoſianæ epiſcopus, ut legitur initio act. 1. Σωτῆρου Θεοδοσιανῆς ἐπέχοντος τὸν τόπον, καὶ Ηλιοδώρου ἐπισκόπου Αμαθουῦντος, καὶ Προσεχίου ἐπισκόπου Αρσινόης. Act. autem 6. ſubſcriptus ipſe legitur *Proſechius epiſcopus Arſinoës*, Προσέχιος ἐπίσκοπος Αρσινόης. Quanquam in Latina tranſlatione iterum fertur, *Proſechius epiſcopus Arſinoës definiens ſubſcripſi per Soterem epiſcopum Theodoſianæ.*

II. Michael.

Anno 1340. ſynodo Heliæ archiepiſcopi Nicoſienſis cum Græcis aliis præſulibus aderat *Michaël* de Carpaſio epiſcopus Græci ritus Famaguſtanus.

III. * * *.

Poſt captam à Turcis Inſulam Cyprum anno 1571. *Monachus* Cretenſis Famaguſtanam ſedem obtinuit. Angel. Calepian. relat. expugnat. Famag.

IX.

ECCLESIA LAPITHI.

LAPITHUS, Λάπηθος, quæ apud Strabonem *Lapathus*, Λάπαθος, ſcribitur, quin & Ptolemæo atque Plinio Λάπηθος, *Lapethus*, ad maris Septemtrionalem oram, medio illo latere poſita fuit, portum habens & navigia, καὶ ὕφορμον ἔχουσα καὶ νεώρια, ait itidem Strabo, juxta Lapithi fluminis oſtia. Oppidum hodie populoſum eſt in feraciſſimo ſolo, optimiſque fructibus & frugibus fecundo. Sedes fuit epiſcopalis, cujus eſt in notitiis mentio.

EPISCOPI LAPITHI.

I. DIDYMUS.

ACtione I. concilii Calcedonenſis, *Didymi epiſcopi Lapithi* locum ſupplevit Epaphroditus Tamaſſi, Ἐπαφρόδιτος ἐπέχοντος τὸν τόπον Διδύμου ἐπισκόπου Λαπήθου. Quocirca act. 6.
A ad hunc quidem modum ſubſcriptus in Græco contextu legitur, Δίδυμος ἐπίσκοπος Λαπήθου; in Latina vero tranſlatione, *Didymus epiſcopus Lapithi definiens ſubſcripſi per Epaphroditum epiſcopum Tamaſſi.*

X.

ECCLESIA CARPASIÆ.

CARPASIAM inſulæ Cypri maritimam civitatem novit Strabo, in littore Septemtrionali conditam, circa Sarpedonem promontorium. Subdit: *Iſthmi tranſitus ex Carpaſia eſt ſtadiorum triginta verſus inſulas Carpaſias; poſtea eſt mons & promontorium. Carpaſium* neutro nomine dicit Plinius, ut & notitiarum conditores. Promontorium illud cujus Strabo meminit, S. Andreæ vulgo vocatur: urbſque Carpaſia ibi condita erat, ubi nunc Jaffæ portus.

EPISCOPI CARPASIÆ.

I. PHILO.

CARPASIÆ vel Carpaſii epiſcopum ſanctus Epiphanius Conſtantienſis Archiepiſcopus, divini numinis inſtinctu monitus, ordinavit *Philonem*, hominem vitæ ſanctimonia inſignem, ἀπὸ ἀποκαλύψεως Θεοῦ χειροτονεῖ ἐπίσκοπον, ἐπὶ τοῦ θρόνου τῆς πόλεως καὶ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Καρπασίου Φίλωνα. Huic ſubinde Romam proficiſcens Conſtantienſem eccleſiam commendavit, in qua Philo, ſi opus eſſet, clericos ordinare non dubitaret. Quæ Polybius Rhinocurorum narrat in vita ejuſdem S. Epiphanii n. 49. Philonis epiſcopi Carpaſii exſtat commentarius in Canticum Canticorum, cujus Latina tranſlatio circumfertur à Græco codice admodum diſcrepans. Genuinum ejus exemplar Cl. Bigotius in ſua Bibliotheca ſervabat, quod Græcè Latineque à ſe prope-
B diem typis edendum Caſimirus Oudin in ſuo ad Labbeanam Bibliothecam ſupplemento ſpem nobis fecerat.

II. HERMOLAUS.

In ſubſcriptionibus Chalcedonenſis ſynodi, Olympius Conſtantienſis pro ſe ſuiſque ſubſcribens, *Hermolaum civitatis Carteriopolis* nominaſſe legitur, Ἑρμολάου πόλεως Καρπεὼς πόλεως, corrupte prorſus. Quamobrem cum Philippo Labbeo emendandum puto Καρπασίου πόλεως, *civitatis Carpaſii*. Sed totus iſte
C actorum concilii locus depravatus omnino eſt, neque Baluzius ullum vel Latinum codicem indicat, cujus auctoritate reſtituatur. Enim vero neque *Carteriopolis* urbs ulla fuit in Cypro inſula, nec ulla *Tiberiopolis*, ſed neque certius eſt *Nicopoleonis* Νικοπολέωνος, quod ſequitur epiſcopi nomen.

XI.

ECCLESIA CHYTRI.

QUæ Χύθρος, *Chytrus* Ptolemæo, aliiſque & Κύθρος, Plinio *Chythys* dicitur, urbs in mediterraneis ſupra Citium poſita, cujus eſt in notitiis mentio. Stephano Luſiniano *Cythera* nominatur, ad mare Auſtrale ſita, Papho parum diſtans, hodie vicus amplus eſt, frumento, goſſipio & ſaccaro diteſcens.

EPISCOPI CHYTRI.

I. PAPPUS.

DE *Pappo* epiſcopo Chytri hæc habentur in vita S. Epiphanii: ἀνὴρ ὅσιος Πάππος ἐν πόλει
D οἰκτρᾷ, Κυθρείᾳ καλουμένῃ, *in miſerabili civitate quæ Cythria vocatur, quæ vigeſimo quinto lapide Conſtantia diſtat, vir ſanctus Pappus ordinatus epiſcopus fuit.* Quem quinquaginta & octo

annos epiſcopatum geſſiſſe aiebant, τῦτον ἔλεγον ἔχειν ἐν τῇ ἐπισκοπῇ πεντήκοντα ὀκτὼ ἐνιαυτούς. Sed & martyrio aliquando fungi dignus habitus eſt, multaque pro recta Dei filii confeſſione paſſus, dimiſſus demum fuit. Pappum cum Gelaſio Salaminenſi ferebant comprehenſum, ut ambo martyres fierent, utique ſub Licinio aut Maximino, niſi ſub Conſtantio Conſtantini filio Arianorum hæreſis patrono, quo imperante ſanctiſſimi multi præſules filii Dei veræ Deitatis defenſores tot modis ſunt exagitati, ut à priſcis martyribus nihil prorſus diſcrepaverint.

II. Photinus.

In Chalcedonenſi ſynodo, *Photini Chytrorum* Cypri locum tenebat Dionyſius diaconus ipſius, Διονυσίου διακόνου ἐπέχοντος τὸν τόπον Φωτεινοῦ ἐπισκόπου Χύτρων. Qui Dionyſius in Latinis exemplaribus pro illo ſubſcripſiſſe fertur, quum in Græcis nudum appareat *Photini epi*-

A *ſcopi Chytrorum* nomen, ac ſi præſens ipſe adfuiſſet, Φωτεινὸς ἐπίσκοπος Χύτρων.

ECCLESIA CHYTRI.

III. Spyridon.

Inter ſeptimæ ſynodi Patres ſedit & ſubſcripſit cum aliis inſulæ Cypri præſulibus, *Spyridon indignus epiſcopus Cythrorum*, Σπυρίδων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κύθρων, qui act. 4. & 7. dicitur *epiſcopus veteris Cythrorum civitatis*, παλαιᾶς Κύθρων, imo παλαιᾶς, ἤτοι Κύθρων, *Veteris, ſive Cythrorum*. Quod innuere videtur, B Cythrum Palæpapho ſive veteri Papho junctam fuiſſe, quæ nempe vetus Paphos cultui olim addicta fuit Veneris, quæ *Cytharea* cognominabatur.

IV. Germanus.

In octava ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Germanus epiſcopus Cythri*, niſi forte pro *Cythri* legatur *Citri*, quando Citrus civitas quoque epiſcopalis eſt in Illyrico.

XII. ECCLESIA TRIMITHUNTIS.

CYPRI inſulæ mediterranea civitas eſt *Trimithus* Ptolemæo, in planitie poſita, quam Strabo Pliniuſque videntur ignoraſſe, ſat tamen ampla & populoſa fuit dum ſtaret, quemadmodum ex rideribus ejus explorare licet. Hanc vero Richardus Angliæ rex anno 1190. à fundamentis totam evertit, ſoloque æquavit. Inter Cypri urbes cenſetur in notitia Hieroclis & veteri Græca, velut & in aliis eccleſiæ monumentis. Locus in quo olim poſita fuit, hodieque *Tremithuga* dicitur, Stephano Luſiniano teſte, diſtatque Leucoſia octodecim paſſuum millibus.

EPISCOPI TRIMITHUNTIS.

I. Spyridon.

IN Latino Nicænorum Patrum indice non cenſetur *Spyridon Trimithuntis epiſcopus*, quem tamen ſanctiſſimo illi concilio interfuiſſe certiſſimis aliis teſtimoniis conſtat, ut puta Socratis lib. 1. hiſt. eccl. c. 12. Ruffini lib. item 1. hiſt. cap. 8. Sozomenus lib. quoque 1. cap. XI. omneſque tradunt eum virum quidem agreſtem fuiſſe, rei pecuariæ addictum, & uxoratum, ſed vitæ ſanctimonia præſtantiſſimum, de quo nonnulla ſcriptores illi narrant, quibus ſincera ejus & recta fides maxime commendatur, ſed quæ, ut-pote nemini non comperta, nihil hic intereſt recitare. Synodo Sardicenſi una cum aliis Cypri præſulibus poſt Triphyllium *Spyridon* Σπυρίδων ſubſcriptus legitur apud Athanaſium. Cæterum Triphyllium Ledrorum ejus quondam diaconum & diſcipulum fuiſſe ſuo infra loco dicemus.

II. Theopompus.

Similis index Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis prioris Patrum, inter Cypri epiſcopos habet, *Theopompum Tremitheſium*, pro *Trimithuntinum*.

C

III. Arcadius.

IV. Nestor.

Incerta nobis ætas eſt duorum Trimithuntis Cypri epiſcoporum *Arcadii* & *Neſtoris*, quorum ſolemnis memoria eſt Menæis Græcorum die 14. Febr. Μνήμη τῶν ἁγίων Ἀρκαδίου καὶ Νέστορος ἐπισκόπων Τριμυθοῦντος. Neſtorem ſexcentis miraculis illuſtrem fuiſſe tradit Luſinianus, ejuſque natalem à Cypriis menſe Martio recoli ſolitum.

D

V. Theodorus.

Præcipuorum ſextæ ſynodi generalis Patrum unus fuit *Theodorus epiſcopus Trimithuntis*, locum tenens archiepiſcopi ſui Epiphanii II. ab actione 14. ac deinceps, quum nempe poſt inchoatam ſynodi celebrationem adveniſſet. Θεοδώρου ἐπισκόπου πόλεως Τριμυθούντων, ἐπέχοντος καὶ τὸν τόπον Ἐπιφανίου τοῦ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου Κύπρου. Eadem act. 14. Patribus ſignificavit ſe ſuoſque de inſula Cypro ſocios antiſtites complura attuliſſe SS. Patrum teſtimonia, quibus duæ in Chriſto voluntates operationeſque vindicarentur, quæ continuo coram concilio lecta ſunt. Ipſe

Digitized by Google

ECCLESIA TRIMITHUNTIS.

utique eſt Theodorus Trimithuntis qui ſcri- A pſit περὶ τῆς ζωῆς καὶ ἐξορίας καὶ θλίψεων τοῦ μακαριωτάτου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως Ιωάννου τοῦ Χρυσοστόμου, *de vita, exilioque & afflictionibus beatiſſimi archiepiſcopi Conſtantinopolis Joannis Chryſoſtomi.* Habetur in Cod. Regio 1833. ſæculi, ut apparet, decimi.

VI. Georgius.

In Nicæno concilio ſecundo, ſive ſeptimo generali ſedit & ſubſcripſit *Georgius indignus epiſcopus Trimithuntis*, Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Τριμιθοῦντος.

XIII.

ECCLESIA SOLORUM.

SOLI ſive Σολοί, ut Plinius ſcribit, *Solæ*, adeoque Σόλοι, civitas Cypri ad mare poſita in Septemtrionali littore, haud procul à Pedalio promontorio, de qua Strabo ait: *Deinde* (poſt Arſinoën & Jovis lucum) *Soli oppidum quod portum & amnem habet, Veneriſque & Iſidis delubrum. Hoc Phalerus & Acamas Athenienſes condidere.* Urbem hanc habet quoque Ptolemæus, habent & notitiæ, quæ poſterioribus ſæculis *Solea* dicitur. Sæculo autem duodecimo labente in epiſcopatum unum cum Leucoſia ſive Nicoſia coaluit, ſed & hodieque oppidum eſt populoſum ſatis.

EPISCOPI SOLORUM.

PSeudo-Dorotheum Tyri, Hippolytumque Thebanum ſpurios auctores omitto, qui *Parmenam*, unum illum è primis diaconis ſeptem quos Apoſtoli ordinarunt, *Solorum epiſcopum* fuiſſe finxerunt. Παρμενᾶς ἐπίσκοπος Σόλων.

I. Auxibius I.

Acta S. *Auxibii* primi Solorum epiſcopi à Bollando typis Latinis edita proſtant inter Acta ſanctorum ad diem 19. Februarii ex exemplari Græco Regis Chriſtianiſſimi, ac magnam quidem vetuſtatem præferunt, etſi viris eruditis non uſquequaque ſincera cenſentur. His narratur Auxibium Romæ natum, in Cyprum inſulam peregre profectum eſſe, ibi à S. Joanne cui Marco cognomen fuit, S. Barnabæ conſobrino & ſocio baptizatum eſſe, ſubindeque epiſcopum ordinatum, ac tandem Solorum eccleſiæ ab Heraclide primario inſulæ tunc præſule præfectum; quam quum annos circiter quinquaginta gubernaſſet, migravit ad Dominum. Ejus memoria in Martyrologio Romano eadem Februarii die recolitur paucis hiſce verbis: *Solis ſancti Auxibii epiſcopi.*

II. Auxibius II.

Auxibium I. excepit *Auxibius* alter, diſcipulus illius, qui ab ipſo dum morti proximus erat, divino inſtinctu monito deſignatus fertur, ut ei ſuccederet. Sic nempe in ſancti Auxibii I. vita legitur: *Atque hæc, hiſque plura loquutus, Auxibium diſcipulum ſuum apprehendens, oſculatus eſt, Et te, inquiens, elegit Deus ſacerdotem. Tu paſces Chriſti gregem, quem proprio ſanguine ſuo acquiſivit.*

III. Themistagoras.

Ex iiſdem actis, *Themiſtagoras* quoque B Auxibii I. frater Solorum eccleſiæ, poſt Auxibium II. præfuit. *Videns autem B. Themiſtagoras quæ in loco ubi viri ſancti reliquiæ jacent, fiebant miracula, quodque perennis fontis inſtar ſanctum ejus monumentum, loculuſque ſcateret, ſe ipſe judicans indignum, qui una cum Auxibio eodem in ſepulcro conderetur, clericos his vocibus adjuravit: Poſt obitum meum nemo mei cauſa S. Auxibii ſepulcrum aperiat.*

IV. Petrus.

Æthiopum Habeſſinorum Menologium C die 2. Januarii memoriam recolit *S. Petri Solorum in Cypro inſula epiſcopi*, à quo Conſtantium Imp. fuiſſe baptizatum fabulantur; quod plane non aliunde quam ex Alexandrinis auctoribus admiſerunt.

V. Evagrius.

Adfuit ſynodo Epheſinæ primæ, ſubſcripſitque *Evagrius epiſcopus Solorum*, Εὐάγριος ἐπίσκοπος Σόλων. Sed & actione 7. una cum archiepiſcopo ſuo Rhegino Cyprum inſulam ab Antiochenæ ſedis ordinatione & poteſtate D liberam ſemper fuiſſe ſancte dejeravit.

VI. Epiphanius.

Concilio quoque Chalcedonenſi act. 6. ſubſcripſit *Epiphanius epiſcopus Solorum*, Ἐπιφάνιος ἐπίσκοπος Σόλων. Quanquam ex Latina tranſlatione veteri apparet, ejus dumtaxat locum ac vices geſſiſſe Soterem Theodoſianæ, ut ſynodo minime forſan præſens fuerit. *Epiphanius epiſcopus Solorum, per Soterem epiſcopum Theodoſianæ.* Eum quippe Soterem epiſcoporum aliorum abſentium locum tenuiſſe, plus una vice jam dictum eſt.

VII. Stratonicus.

Ad ſextam ſynodum generalem venit *Stratonicus*

Stratonicus epiſcopus Solorum, atque duodecimæ actioni una cum archiepiſcopo ſuo Conſtantio interfuit, in qua multas ſanctorum Patrum de duabus Domini operationibus ſententias protulerunt.

VIII. Eustathius.

In ſeptima item ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Euſtathius indignus epiſcopus Solorum*, Εὐστάθιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σόλων.

IX. Leontius.

Epiſtolam Germanus II. Conſtantinopolitanus Græcorum Patriarcha Cypriis dedit, quæ à Joanne Cotelerio to. 2. Monum. eccl. B Græcæ typis edita eſt, in qua *Leontius religioſiſſimus ſanctiſſimæ eccleſiæ Soleæ in Cypro antiſtes* appellatur, qui hac ipſa Germani ætate viveret, Τανῦν καὶ ὁ θεοφιλέστατος τῆς κατὰ τὴν Κύπρον ἁγιωτάτης ἐπισκοπῆς Σολίας Λεόντιος. Hic nempe à Græci generis Cypriis una cum Leontio altero, monaſterii Apſinthiorum A præfecto ad Germanum, qui Nicææ illo tempore ſedebat, Cypriorum adverſus Latinos inſulæ ſuæ querimonias expoſiturus miſſus erat.

ECCLESIA SOLORUM.

X. Theophanes.

Stephanus Luſinianus ævo ſuo claruiſſe refert *Theophanem* monachum, *Soliæ* epiſcopum, & Græci ritus eccleſiæ Nicoſienſis adminiſtrum, qui quum œconomum ſuum ob admiſſam culpam reprehenderet, impacta ab illo alapa vapulavit, moxque ad archiepiſcopum pergens epiſcopatum abdicavit, cujus ſe illius injuriæ cauſa indignum reputaret. Mox in cœnobium Meſopotami in montana Troodii regione ſecedens, reliquum vitæ ſanctiſſime tranſegit. Hunc miraculis claruiſſe aſſerunt; ejuſque corpus à cœnobitis exhumatum multo honore colitur, & caput præterea argentea incluſum theca ab iiſdem ſervatur.

XIV. ECCLESIA CERAUNIÆ.

CYPRI inſulæ civitas epiſcopalis eſt *Ceraunia*, ipſa utique quæ Scyllaci in Septemtrionali maris littore, Κερωνία, & Diodoro Siculo lib. 19. cap. 79. Κερωνία, *Cerynia*, Plinio *Corineum*, Ptolemæo Κερωνία, *Ceronia*, & *Cyrenia*, Κυρηνία, Hierocli. Huic Solos, Pentaliam, & Marathuſiam urbes obnoxias fuiſſe aiunt, Κυρηνία, ἥτις περιίδρος Σόλων, Πενταλίας καὶ Μαραθουσίας. Hodie, Stephano Luſiniano teſte, caſtellum ſupereſt, deleta civitate.

EPISCOPI CERAUNIÆ.

I. Theodotus.

IN Martyrologio Romano die 6. Maii memoria fit *S. Theodoti epiſcopi Cyriniæ in Cypro, qui ſub Licinio Imp. graviſſima paſſus, in pace tandem eccleſiæ ſpiritum Deo reddidit*. Sumpta hæc ſunt è Menologio Græcorum, in quo eadem ipſa die legitur; *Certamen ſacro-ſancti martyris Theodoti epiſcopi Cyreniæ in Cypro. Vixit is ſub Licinio Imp. & Sabino præſide, ad quem adductus boum nervis cæditur, dein ſuſpenſus toto corpore laceratur, tum in lecto ferreo igne candenti extenditur. Poſtea* D *vero in carcerem truſus quum eſſet, ceſſante perſequutione, Conſtantini decreto è cuſtodia liberatur, & duobus annis in vivis adhuc ſuperſtes migravit ad Dominum, qui glorioſum illum fecit.* Stephano Luſiniano *Theodoretus* nominatur.

II. Timotheus.

Leo Allatius lib. 3. de Perpet. conſ. c. XI. num. 7. epiſcopos aliquot Græcos recenſet, qui paucis antè annis, ſæculo decimo-ſeptimo C adulto, Romam venerant Apoſtolicæ ſedis communionem inituri, in quibus *Timotheus epiſcopus Cyreniæ in Cypro*. Hunc vero Goarius noſter ex Catumſyrito Pſeudo-græco *metropolitam* appellat *Cyrenes*, pag. 300. Euchologii; ubi nempe Catumſyritus ille, poteſtatis abſolvendi tradendæ uſitatam Cypriis normam DD. Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide præfectis, ex Timothei Cyprii teſtimonio Romæ exhibuiſſe dicitur.

III. Nicephorus.

Hilarion Cicala in excerpto ex actis ſynodi Cypriæ, quæ anno 1668. habita eſt Calvinianorum errorum cauſa, huic adfuiſſe fert *epiſcopum Cyrenes*, ſeu *Cyreniæ Dominum Nicephorum*. Vide to. 2. de Perpet. Fid. de Euchariſtia, in Appendice pag. 73.

IV. Leontius.

Anno circiter 1678. Cyreniæ epiſcopus ſedebat *Leontius*, Ricalto equite Anglo teſte, libro *de ſtatu præſenti eccleſiæ Græcæ, cap. 3*.

Digitized by Google

XV. ECCLESIA THEODOSIANÆ.

CIvitatem *Theodoſianam* in inſula Cypro exſtitiſſe produnt Chalcedonenſis concilii acta, cujus nempe act. 1. ſediſſe legitur *Soter* ſive *Soterus Theodoſianæ epiſcopus*, & locum tenuiſſe Heliodori Amathuntis, & Didymi Lapithi. Act. item 5. ſecundus epiſcoporum Cypri ſubſcripſit *Soterus epiſcopus Theodoſianæ civitatis*, Σωτῆρος ἐπίσκοπος πόλεως Θεοδοσιανῆς. Act. rurſum 6. *Epiphanius epiſcopus Solorum* ſubſcripſit *per Soterem epiſcopum Theodoſianæ*, veluti fertur in codicibus actorum illorum Latinis. Quo autem in loco inſulæ Theodoſiana civitas exſtiterit; quæ veterum urbium Cypri Theodoſianæ nomine donata ſit, nuſquam hactenus aſſequi mihi fas fuit.

XVI. ECCLESIA LEDRORUM.

LEDRA ſive *Ledrum* oppidum Cypri fuit, cui nomen aliud *Leuteon* Λεδρῶν fuit, epiſcopali ſede ſæculo ſaltem quarto ſacrum, Sozomeno lib. 1. cap. 2. teſte, velut etiam Hieronymo in Scriptoribus eccleſiaſticis, ubi nempe Triphyllum *Ledri Ledrorum-ve*, vel Λεδραῖος, *Leuteonis* epiſcopum dicunt. Propter quod poſtremum nomen *Ledrum* eadem eſſe civitas credita eſt, quæ *Leucoſia* Hierocli in notitia urbium hujus inſulæ, quæque *Nicoſia* poſteriori ævo dicta eſt, archiepiſcopi inſulæ ſedes Luſinianorum inſulæ principum regni initio. In mediterranea inſulæ regione ſtat, eaque ſaluberrima, aquis & fructibus locupletiſſima atque amœniſſima, quam fluvius circumfluit, ex Olympo ſive Troodio monte devectus. Eadem in urbe præſulem quoque ſuum Latinorum Regum tempore Græci ritus Chriſtiani habuerunt.

EPISCOPI LEDRORUM.

I. TRIPHYLLUS.

LEDRI vel Ledrorum, ut prædixi, epiſcopatum geſſit ſæculo quarto medio *Triphyllus* S. Spyridonis quondam diſcipulus & diaconus, vir Sozomeno teſte, politioris litteraturæ legumque ſcientia præditus, quam Beryti didicerat. De illo ſcribit idem Sozomenus, nec-non vitæ Spyridonis auctor, quod quum Evangelii locum legeret, ubi Dominus paralytico dixit, *Tolle grabatum tuum*, ἆρόν σου τὸν κράββατον, mutata voce, pro grabato, *ſimpodem* σκίμποδα, pronuntiaſſet, à S. Spyri- B done coram omni populo acriter fuit reprehenſus, & ad modeſtiam eruditus. De eodem Triphyllo Hieronymus quem ſuperius appellavi, ait: *Triphyllus Cypri Ledrenſis* (Sophronius Græce vertit Τριφύλλιος Κύπρου Λήδρου) ſive Λεδραῖος *epiſcopus, eloquentiſſimus ſuæ ætatis, & ſub rege Conſtantio celeberrimus fuit. Legi in cantica canticorum commentarios, & multa alia compoſuiſſe refertur, quæ in noſtras manus minime pervenerunt.* Hic, ni fallor eſt Triphyllius ille qui Sardicenſis ſynodi decretis cum aliis de ſua inſula ſub- C ſcripſiſſe legitur apud Athanaſium in apol. 2. vitæ illius. Synopſin ex MS. ſynaxario Baſilii Imp. ediderunt Bollandi continuatores inter acta ſanctorum ad 13. diem menſis Junii, in qua, ut apud Sophronium, Triphyllius nominatur, novaque Roma ſive Conſtantinopoli, aut Byzantio potius oriundus fuiſſe ſcribitur, A patre patricio, ac S. Spyridonis ſeſe diſcipulum præbuiſſe. Ibidem ſancti ejuſdem vultus ſpecieſque, & totius corporis habitus delineatur, de quibus fides ſit penes auctores. Hi vero Leucoſiam civitatem *Callinicum* quoque dictam innuunt. Ψήφῳ θείᾳ τῆς Καλλινικησίων μὲν πρὶν, νῦν δὲ Λευκωσίας.

II. MACEDONIUS.

Ex Stephano Luſiniano folio 59. inter ſanctos Cypri inſulæ viros claruit *Macedonius Nicoſiæ epiſcopus*, quem Deus multis ejus interceſſione patratis miraculis, commendavit, & cujus ſolemnitas quotannis Cypriis celebris eſt. Quo ævo claruerit, in obſcuro Luſinianus reliquit.

III. LEONTIUS.

In ſynodo Heliæ archiepiſcopi Nicoſienſis anno 1340. ſedebat ejuſdem urbis Græci ritus præſul *Leontius de Solia*.

IV. NICOLAUS.

Anno 1470. quo rex Cypri Jacobus Luſinianus è vivis exceſſit, regni magnates Carolæ reginæ ſe fideles obſequenteſque futuros declararunt, inter quos *Nicolaus epiſcopus Nicoſienſis Græcus*.

V. ***

Anno 1570. Turcis Nicoſiam obſidentibus periit cum aliis *Nicoſienſis Græci generis epiſcopus*. Angel. Calep. in relat. obſid. Nicoſ.

Digitized by Google



DIŒCESIS CHALDÆORUM.

DE CHALDÆORUM DIŒCESIS INITIIS, INCREMENTIS, amplitudine, mutationibus, doctrina, diſciplina, & aliis quæ ad eam ſpectant.

Diœceſis Chaldæorum eſt veluti appendix Antiochenæ.

I. QUEMADMODUM Armenorum eccleſiam diœceſis Ponticæ appendicis inſtar eſſe diximus, ſic quoque Chaldæorum Antiochenæ pari jure dicendum; quippe cujus ſedis olim ordinationi primates illius ſeſe obnoxios ultro profitebantur, velut Armeni Cæſarienſis. Diœceſis vero Chaldæorum

Unde ſic dicta?

ideo nominatur, quod in regione Chaldæorum & Babylonia primordia illius fuerunt, ubi & primaria numeroſæ hujus eccleſiæ ſedes conſtituta eſt. Quum enim extra Romani Imperii fines tota Orientem verſus exporrigeretur, ejuſque potior pars Parthica ditione contineretur, Seleucia magna quæ ad Tigrim & Euphratem cum Cteſiphonte urbe altera poſita eſt, primaria quoque diœceſis civitas extitit.

Quo doctore Evangelium ſuſcepit.

II. Parthicum Imperium Apoſtolo Chriſti Thomæ obtigiſſe quod Evangelica doctrina imbueret, Origenis traditio eſt, quam Euſebius lib. 3. hiſtoriæ eccleſ. appellat. Harum vero regionum adminiſtrandarum provinciam Thaddæo Domini è ſeptuaginta duobus diſcipulo commiſit, quem jam Edeſſam ad regem Abgarum miſerat. Injuncto ſibi munere egregie perfunctus eſt Thaddæus, quum Thomas ad regiones ulteriores profectus eſſet. Meſopotamiam omnem & Babyloniam primùm Chriſtum ubique nuntiando peragravit, tum deinde Perſidem aliaſque deinceps provincias quæ Parthorum tunc Imperio ſuberant.

Thaddæi in miniſterio adjutores.

III. Thaddæus, quem *Adæum* quoque breviori vocabulo nominant, diſcipulos habuit ſacri ſui miniſterii adjutores duos Marim & Achim vel Acham, quos ambos Chaldaïcæ eccleſiæ Chriſtiani *Apoſtolorum* appellatione donare non dubitarunt, quemadmodum Græci ipſos etiam Apoſtolorum Domini quoſcumque, etiam magni Pauli diſcipulos; ut puta Titum, Timotheum & alios.

Parthicum inter ſe dividunt imperium.

IV. Thaddæum Roha ſive Edeſſa egreſſum, Hazzæ ſive Arbelæ quæ Adiabenes regionis caput fuit, Niſibi, Beth-Garmæ & Moſulæ prædicaſſe tradunt; Marim vero in Babylonia, Caſcaræ, tum deinceps in Perſide vicinis ultra Tigrim provinciis, ac Seleuciæ præſertim & Cteſiphonte conſtitiſſe, ubi multos ad fidem convertit, ſalutaribuſque undis luſtravit, eccleſias ædificavit; quarum præcipua fuit, quæ & magna, & *Cuca* ab urbis pomœrii parte appellabatur, in qua ſubinde ſepultus fuit. Interim Achis Auſtrum verſus pergens provinciam docuit Ahowoz, quæ *Suſiana* dicitur Græcis, hodie Chuziſtan, unde Edeſſam reverſus ibidem obiit. Quocirca Sozomenus l. 2. hiſt. c. 8. apprime ſcripſit, Chriſtianos apud Perſas nonnullos factos eſſe, qui propter conſuetudinem quam cum Oſroënis inierant, divinorum virorum qui illic agebant periculum fecerant.

Augetur in Perſide Chriſtianorum numerus. Quomodo?

V. Iiſdem Chaldæorum monumentis fertur, Chriſti cultum in Perſide poſthac auctum, quum reges Perſidis Romanorum arvis Antiochiam uſque vaſtatis, complures inde Chriſtianos captivos in ſuam patriam abduxiſſent, iique per varias Perſici regni regiones diſperſi, gentes illas verum Dei colendi ritum docuiſſent. Id quod ſæculo tertio ſub Hormiſda I. Perſarum rege Ardaſciri filio contigit. Quamobrem ſæculo inſequente adulto, Sapore II. rege in Chriſtianos ſæviente, eorum multa millia interiiſſe leguntur, in quibus epiſcopi quamplurimi, preſbyteri quoque & diaconi. Qua Conſtantinus audita ſtrage epiſtolam Sapori ſcripſit, rogans ut Chriſtianorum tandem ſanguini parceret, quorum ingentem eſſe per cunctas Perſici imperii provincias numerum acceperat. *Quanta voluptate*, inquit, *me affici putas, quum audio id quod mihi maxime in votis eſt, horum hominum multitudine, Chriſtianorum ſcilicet, de quibus mihi*

Euſeb. de vita Conſt. lib. 4. c. 13.

præcipue ſermo eſt, nobiliſſima quæque Perſidis loca longe lateque eſſe decorata! τύτω τῶ καλλίσου τῶν ἀνθρώπων, λέγω δὴ τῶν Χριςιανῶν, ὧν ὑπὲρ πάντων ὁ πᾶς μοι λόγος, πῶς οὐκ ἂν ἥδεσθαι ἀκούοντα, ὅτι τὰ τῆς Περσίδος τὰ κράτιστα ἐπιπλεῖστον, ὥσπερ ἐςὶ μοι βυλομένῳ, κεκόσμηνται.

Chaldæorum eccleſia Antiochenæ olim obnoxia.

VI. Primis illis inſtitutæ apud eas gentes religionis temporibus, proximos Maris ſucceſſores Hieroſolymis miſſos ferunt, quin etiam Antiochia miſſi feruntur, aut certe Antiochiam pergebant, ut illic ordinarentur. Quæ conſuetudo diu non perſeveravit: nam quum Ahad-Abowia, qui Catholicus quintus poſt Marim numeratur, ea in urbe ordinatus fuiſſet; Demetrius, ſive Demetrianus Antiochenus præſul apud Romanum Syriæ præfectum delatus fuit, tanquam Reipublicæ proditor. Ahad-Abowia vero ſaluti quidem ſuæ fuga conſuluit; ſed ne Chriſtiani deinceps ejuſmodi calumniam tolerarent, ab epiſcopis Antiochenæ diœceſis indultum eſt, ut Seleucienſis epiſcopus apud ſuos in poſterum ordinaretur, remotioreſque Orientalis tractus eccleſias Antiocheni Pontificis vice curaret. Propter quam delegationem *Catholicus*, Καθολικὸς appellatus eſt, qua voce procuratorem generalem ſignificare voluerunt.

Cur Seleucienſis Præſul catholicus dicatur.

VII. Conſtantini magni ævo, non ita pridem à celebratione concilii Nicæni primi, ſanctiſſimus martyr Symeon qui ſub Sapore rege, Seleuciæ & Cteſiphontis ſimul antiſtes ſedebat, à Sozomeno lib. 2. c. 9. *regiarum Perſidis urbium Seleuciæ & Cteſiphontis archiepiſcopus* appellatur, ἀρχιεπίσκοπος Σελευκείας καὶ Κτησιφῶντος τῶν ἐν Περσίδι βασιλευουσῶν πόλεων. Atqui quarto quintoque ſæculis *Archiepiſcopi* titulus illis dumtaxat eccleſiæ præſulibus tribuebatur, quorum ſollicitudini ac regimini commiſſæ plurimarum regionum eccleſiæ eſſent.

Seleucienſis archiepiſcopi titulo ſæculo quarto donatus.

VIII. Illo quoque eodem tempore Perſidis eccleſias obnoxias Antiochenæ ſedi tanquam Orientis totius primariæ, penè collegero ex indice qui Latine ſupereſt Nicænorum Patrum, quorum poſtremus legitur *Joannes Perſidis;* qui utique quum ultra Romani Imperii limites verſaretur, ad ſacrum illum conventum qui Arianæ hæreſis cauſa celebrabatur, acceſitus erit potius Antiocheni litteris tractoriis, quam Conſtantini Romanorum Imperatoris. Quin etiam ejuſdem Perſicæ ditionis epiſcopus alter in concilio Chalcedonenſi ſedit & ſubſcripſit. Hos à Seleuciæ magnæ antiſtitibus delegatos fuiſſe inficiari non auſim. Plane Seleucienſem eccleſiam Antiochenæ ſedi addictam olim fuiſſe, certiſſimo mihi argumento conſtare videtur, quod in ipſorum officio ſacro ordinationis non Ignatii ſolum Antiocheni, ſed Euſtathii quoque, Meletii, imo & Paulini illius eccleſiæ pontificum memoriam agunt.

Antiochenæ ſedis erga Chaldæorum eccleſiam cura peculiaris.

IX. Ante Epheſinæ ſynodi prioris tempora, Theodoſius junior Auguſtus, Perſarum exercitu debellato, effecit tandem, ut ſæviens apud illos in fideles perſequutio ceſſaret, utque Chriſti religio per omnes imperii Perſici regiones amplius longe lateque propagaretur. Quod quidem accidiſſe oportet ab anno 422. quo, Honorio Auguſto XIII. & Theodoſio Aug. X. coſſ. Perſæ cum Romanis centum annorum inducias pepigerunt, quæ inter utramque gentem ad annum uſque Anaſtaſii Aug. 12. ſeu Chriſti 503. perſeveravit, etſi non continuo ſtatim à pactis conventis ſæviendi in Chriſtianos finis fuit. Atqui Chaldæorum eccleſiam illa ætate Antiochenæ ſedis ſollicitudini obnoxiam adhuc fuiſſe, Joannes ipſe Antiochenus præſul, ſexque alii diœceſis illius epiſcopi, qui Conſtantinopolim Epheſo à ſua ſynodo adverſus legitimam ſynodum delegati erant, conteſtatione ſua ad Theodoſium Imp. ſatis ſignificarunt. *Nunc quæſumus,* inquiunt, *ut de prima & ſola fidei pietate ſit cura, & ne ille qui ſub ſancto Conſtantino ſplendor eſt factus religionis orthodoxæ, & præterea eſt confirmatus per beatos, avum pietatis tuæ & patrem, à tuo vero Imperio in alteras quoque barbaricas gentes* (tranſiit) *& in Perſarum firmatus eſt regno, periclitetur in ipſis Imperialibus aulis, & juxta veſtram mergatur tranquillitatem. Non enim duplices Chriſtianiſmi doctrinas in Perſidem directurus es, Imperator; nec aliquid magnum apud eos fides noſtra putabitur, dum contendentibus noſtris nemo ſit judex, &c.* Ut itaque Theodoſius Imp. Chriſtianum cultum apud Perſas propagare tunc ſtuduerat, ita certe præcipuæ in illo negotio obeundo Antiocheno præſuli aſſignandæ partes veniunt, quando propter canonem Nicænum ſextum univerſas Orientalis tractus, etiam remotiores regiones ſuæ curæ eſſe magis quam antehac contendebat. Eo namque ſtatuto ratum erat, *ut eſſet metropolis totius Orientis Antiochia,* ait epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum Hieronymus, ſed & Orientis adminiſtratio canone ſecundo Conſtantinopolitanæ ſynodi primæ Antiochenæ ſedi iterum firmata eſt.

Ex quo ſæculo quinto.

Collat. a Irenæi Trag. c. 32.

X. Ac certe Seleuciæ & Cteſiphontis antiſtitem ab initio habuiſſe ut αὐτοκέφαλος, ſuive omnino juris eſſet, nulla ratione evinci poſſe arbitror, quando inprimis ipſa nomenclatura *Catholici*, qua ſemper ad hæc noſtra tempora ornatus fuit, demonſtratur, ipſum potioris alterius præſulis vicarium prorſus fuiſſe, ſive generalem quemdam procuratorem. Quod monet Procopius lib. 2. de bello Perſico cap. 25. τῶν δὲ Χριςιανῶν ἱερέα Καθολικὸν καλοῦσι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ. *Chriſtianorum*

A titulo Catholici probatur.

Digitized by Google

Perſidis Pontificem Catholicum voce Græca nuncupant; qui proinde vices Antiocheni gereret erga remotiores eccleſias.

Seleucienſis eccleſiæ dignitas & poteſtas commendatur.

XI. Exſtat canonum, eccleſiaſticarum-ve ſanctionum Arabicè ſcriptarum inconcinna ſatis congeries, quæ Orientalium partibus cujuſcumque generis, tanquam à Nicænis patribus editæ, magnæ venerationi ſunt: in his vero Seleucienſis antiſtitis dignitas & poteſtas eximie commendantur, tanquam ejus qui Antiocheni Patriarchæ in remotioribus Orientis provinciis vices gerat. Canone ſiquidem trigeſimo-octavo, ex tranſlatione Abrahami Ecchellenſis, nonnullis de Epheſino & Hieroſolymitano Patriarchis quos vocant, præmiſſis, ſubditur: *Honoretur quoque Dominus ſedis Seleuciæ, quæ eſt diœceſis Orientis, vocaturque Almodaïen* (id eſt bina urbs Seleucienſi & Cteſiphonte conſtans) *nomine Catholici, & ex nunc permittatur ei conſtituere metropolitanos, quemadmodum faciunt Patriarchæ, ne damnum patiantur Orientales Patriarcham adeundo* (Antiochenum ſcilicet) *ob neceſſaria negocia, ſi dum ab illo redirent, invenirent Gentiles occaſionem nocendi eis; cui Patriarcha Antiochenus in hoc tribuit conſenſum, poſtquam rogavit eum ſynodus ne ipſi diſpliceret, de ſublata ab eo poteſtate Orientis. In hoc enim nihil quærebatur, niſi pax & quies Chriſtianorum regionis Perſidis.* Canone 39. edicitur: *Si acciderit res aliqua, propter quam congregentur epiſcopi in regione Romæorum, & adfuerit Dominus hujus principatus, nempe Dominus Seleuciæ, quæ eſt Almodaïen, honoretur, & extollatur, & manifeſtetur in ſeſſione ſuper omnes metropolitas Romæorum, ſiquidem habetur loco Patriarchæ in Oriente; & ſit ſeſſio ejus in ordine ſeptima poſt epiſcopum Hieroſolymitanum.* Rurſum canone 40. *Non permittit magna ſynodus, ut congregentur epiſcopi in provincia Perſidis, ne conſtituant leges ullas ſine licentia Patriarchæ Antiocheni; quia quamvis eorum Dominus factus ſit in dignitate Patriarchæ* (ſive vice Patriarchæ) *in hoc tamen conſultum eſt utilitati & exemtioni à damno & nocumentis, atque eorum paci & tranquillitati proviſum. Non propterea tamen ipſis licet ſolvere, aut ligare, vel conſtituere ullas eccleſiaſticas leges, vel addere, aut minuere quidpiam auctoritate propria, ſed potius ſint obedientes principibus & Patriarchæ.* Hic addendus canon 42. quo cavetur primum, *ne Patriarcham ſibi conſtituant Æthiopes;* tum & additur, *ut ſi acciderit congregari ſynodum in terra Romæorum, & metropolita Æthiopiæ adfuerit; iſte ſedeat loco octavo poſt Dominum Seleuciæ, quæ eſt Almodaïen in Babylonia Arac, quoniam huic facta eſt poteſtas conſtituendi epiſcopos ſuæ ditionis, prohibitumque eſt ne ullus eorum ipſum conſtituat,* tanquam ipſius ſuperior.

Quid de canonibus Nicænis Arabicis ſentiendum?

XII. Canones iſtos, ut prædictum eſt, tanquam à magna ſynodo Nicæna profectos, Orientales omnes Chriſtiani, Melchitæ, Jacobitæ, Neſtoriani amplexi ſunt, utque tales haberentur in cauſa fuere vera ſacri hujus concilii decreta quæ iis tum præmiſſa, tum ſubinde admixta ſunt. Sic enimvero in Occidente olim quoque contigit, ac Romæ, ut canones Sardicenſes tanquam Nicænæ ſynodi haberentur, quia viginti Nicænis aſſuti erant. Nemo autem eruditorum ambigit hodie quin canones illi Arabici recentioris ætatis ſint; cujus vero, operoſum fuerit definire. Hos Aſſemanus Maronita à S. Marutha Martyropolitano in Syriacum idioma converſos ſcribit, ac ſi primum Græcè prodierint. Vir tamen Orientalis eccleſiæ rerum peritiſſimus Euſebius Renaudotius in hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, mihi auctor eſt ex quibuſdam Syriacæ illorum canonum collectionis partibus apparere tranſlationem iſtam longe recentiorem eſſe, ut-pote elaboratam circa annum 988. Græcorum, Chriſti 685. ubi obſervat etiam vetuſtiſſimas tranſlationes, tum Syriacas, tum Arabicas Seleuciæ & Cteſiphontis meminiſſe propter prærogativam honoris & juriſdictionis, « quæ illarum urbium epiſcopo attributa erat, Catholici nempe appellatione donato. Subdit vero recentiores alias, Arabicas ſcilicet, Bagdadum nominare, præſertim quæ à Neſtorianis factæ ſunt, quia eorum Primas ſive Catholicus illic ſedem habebat: cæterum Jacobitarum verſiones Tacritam ſubſtituere, quia ſedes fuit illius eorum Primatis, quem pro Catholico *Maphrianum* appellant. »

Quod canones illos in numeroſa quadam ſynodo, ad quam Patriarchæ omnes convenerint, eſſe conſtitutos jactant, id vanum figmentum eſt, niſi forſan ſynodum innuant Conſtantinopolitanam Joannis Jejunatoris Patriarchæ in cauſa Gregorii Antiocheni, Tiberio II. Imper. in qua præter illos duos, Alexandrinus quoque & Hieroſolymitanus ſederant. Tunc vero Seleucienſis Catholicus, Neſtoriana à multo jam tempore hæreſi ſuſcepta, Antiocheni throni communionem abjecerat.

Illo canone quadrageſimo quem ſuperius, tertio loco recitavi, vetatur, ne Seleucienſis catholicus concilia cogat, ne eccleſiaſticas ullas leges condat, ne illis quæ ſtatutæ ſunt quidquam addat aut detrahat. At vero ex Chaldæorum eccleſiæ hiſtoriis aliis-ve illius monumentis habemus, non pauca apud illos coacta fuiſſe concilia, præter illud magnum quadraginta epiſcoporum, quod S. Maruthæ Martyropolitani opera celebratum ferunt. Nam Simeone Beth-Arſamenſi teſte multæ

ſynodi in Perſide feruntur habitæ, in quibus A hæretica Neſtorii placita ſancita fuerunt, tum & aliæ deinceps quamplurimæ quæ varia decreta ediderc ad eccleſiæ diſciplinam ordinandam ſpectantia.

Hæreſis Neſtorianæ Initium in diœceſi Chaldæorum.

XIII. Imperii Parthici regiones Neſtoriana labe affici cœperunt ex quo Zeno Imp. Edeſſenam ſcholam, quæ viris ea imbutis conſtabat, diſſolvi juſſit. Hi namque mutare ſedes coacti in Perſarum ditiones vicinas fugientes, amice, favente rege Romanorum hoſte, ab epiſcopis ſuſcepti ſunt. Quum enim in Romani Imperii provinciis Orientem verB ſus poſitis, Zenone primum, tum deinde Anaſtaſio Impp. Neſtorii odio, contrarius error in dies adeo invaleſceret, ut ipſi quoque orthodoxæ doctrinæ tenaces, tanquam Neſtoriani ſuis ſedibus expellerentur; Edeſſeni illi doctores incautos Perſidis Chriſtianos facili negotio perſuaſerunt, ut doctrinam quæ alteri iſti è diametro oppoſita videbatur, admitterent, ac ſi alia ratione vitari non poſſet, quin Chriſtus Dominus ipſa quoque Deïtate paſſus crederetur. Transfugæ igitur illi, ut erant eruditionis fama inſignes, beC nigne quoque & multo honore à rege Perſarum excepti, brevi poſtea epiſcopalibus ſedibus impoſiti ſunt, unde Neſtorianæ perfidiæ majores vires acceſſerunt.

Primi erroris magiſtri.

XIV. Præcipui illi gymnaſii Edeſſeni doctores, qui Neſtoriana impietate Chaldæorum eccleſiam fœdaverunt, fuerunt, Simeone Beth-Arſamenſi teſte, Acacius Syrus, Barſumas Maræ Carduenſis ſervus, Maanes Hardaſcirenſis, Abſotas Ninivita, Joannes Garmachita, Michæas cognomento Dagon, Paulus Cachæi, Abraham Medus, Narſes GarbaD na ſive leproſus, Phuſes Curtæi, Ezelias monaſterii Caphar-Maris aſceta; quos Ibæ Edeſſeni diſcipulos fuiſſe Simeon ait. Nam Neſtorianam Edeſſæ ſcholam ab Iba ejuſdem urbis epiſcopo inſtitutam fuiſſe Jacobitæ tradunt, & quamlibet Rabbulas Ibæ deceſſor veram fidem illic ſtabilire omni ſtudio contendiſſet, Marim Taalenſem illius diſcipulum, genere Perſam ex urbe Hardaſcir, magiſtrum illis erroris fuiſſe.

Præ reliquis vero Barſumas ille, quem ſecundum nominavi, Chaldæorum eccleſiæ E exitio fuit, qua auctoritate apud Pherozem regem valebat, cujus benevolentiam artibus ſuis captaverat, Acacio & Babuæo Catholicis auſibus ejus nequidquam obſiſtere conantibus. Quæcumque alia Barſumas moverit, quàm eccleſiaſticæ diſciplinæ infeſtus fuerit, narrare hic omitto, plura de eo dicturus, ubi de Catholicis illis duobus mihi ſermo erit.

Ejuſdem erroris progreſſus.

XV. Hæc in Perſide gerebantur Anaſtaſio, Juſtino & Juſtiniano Imperatoribus, quum A Acacius Catholicus, novæ doctrinæ non ſic ſe infenſum præberet, quam vero totam ejus ſucceſſor Babuæus ebibit, etſi Barſumæ nefaria molimina non ferens, anathema illi dicere non dubitavit. Cæterum hæreſis longe lateque in regno Perſico amplius propagata eſt ſub *Choſroë Amſcirano* rege qui internecino aſſiduoque bello Romanas provincias afflixit quandiu ſuæ gentis ſceptra tenuit. Hic duplici nomine Neſtorianos ſectarios fovebat, nempe quia Romanis Imperatoribus, ut-pote Chriſto perduelles inviſi B erant, quodque Chriſtum vere proprieque Deum eſſe inficiarentur. Eodem animo Choſroës alter cognomento *Abruizus* qui Romanas Orientis provincias omnes populatus erat, ab Heraclio demum Imperatore victus, continuo miſit qui donaria ſacramque ſuppellectilem omnem à cunctis quæ in Perſide ſuperſtites erant, eccleſiis auferrent, & cujuſvis generis Chriſtianos Neſtorianam ſuperſtitionem amplecti coëgit, καὶ ἠνάγκαζε τοὺς Χριστιανοὺς γενέσθαι εἰς τὴν Νεστορίου θρησκείαν, πρὸς τὸ πλῆξαι τὸν βασιλέα, ait Theophanes. C Verum multi ex orthodoxis mori potius Choſrois gladio elegerunt, quam priſcæ & avitæ religionis jacturam facere. Uti Perſis Solis & Ignis adoratoribus arriſerat, Dominum Jeſum hominem purum divinitate perfuſum, non perſonam divinam, à Neſtorianis credi, ita quoque Muſulmanis Califis qui illorum regiones omnes imperio ſuo paulopoſt ſubjecerunt; quando Mohammedes eamdem de Chriſto ſententiam tenendam alumnos ſuos docuit, quemadmodum à Sergio ſive Bahira monacho magiſtro ſuo acceD perat. Quamobrem mutato imperio, Neſtoriani Perſidis multa pace potiti ſunt.

Præcipua erroris Neſtoriani capita.

XVI. Neſtorianæ hæreſis omnes norunt hoc caput fuiſſe, ut Chriſtum hominem alium eſſe aſſereret à Verbo ſeu Filio Dei ſecunda Deïtatis ſive Trinitatis perſona, ſolamque utriuſque conjunctionem admiſiſſe, quæ Verbi in homine ſeu perſona humana inhabitatione, nec-non communicatione nominum, dignitatis, auctoritatis & efficientiæ facta eſſet, ut Deus Verbum, æternus Dei filius, Dominus omnium, hominem illum ex Maria genitum E eo honoris & auctoritatis provexerit, ut Dominus, Dei filius, ac certe Deus itidem diceretur, eodem prorſus modo quo Moyſes Deus Pharaonis fuit nuncupatus, quo Prophetæ in ſcripturis dicuntur Dii, juſti filii Dei, propter adoptionem ſcilicet, quo demum legatus regis locum tenet & perſonam gerit. Ita ſenſiſſe Neſtorium ejus homiliarum quæ ſuperſunt ampla teſtimonia perhibent; ex quo inferebat minime fas eſſe *Mariam Dei genitricem pronuntiare*, quippe quæ Deum ipſum

Digitized by Google

non genuerit, ſed hominem dumtaxat Deo conjunctum. Eutychius vero Alexandrinus Patriarcha tom. 2. Annalium quos Arabicè ſcripſit, & Joannes Seldenus Anglus Latine vertit, pag. 15. ſuo tempore ait *Neſtorianos à Neſtorii dictis diſcrepaſſe, aſſerendo Chriſtum duas ſubſtantias ac duas perſonas eſſe Deum perfectum in perſona & ſubſtantia ſua, ac Mariam peperiſſe Chriſtum ex parte humanitatis, ut-pote quum Pater, ex eorum ſententia genuerit Deum & non hominem, Maria vero hominem pepererit, non autem Deum.* Verum, ut bene arguit Eutychius, loquela iſta recentiorum Neſtorianorum, quæ ipſa prorſus eſt illius auctoris, cujus ſub ementito S. Juſtini martyris nomine exſtat, expoſitio fidei de Incarnatione, à Neſtorii ſenſu nequaquam recedit, in qua duo Chriſti, duoque filii ponuntur, unus verus Deus ex Patre natus, alter verus homo ex Maria, non unus dumtaxat qui ſimul exiſtat Deus & homo, perſona una, hypoſtaſis una. Quamobrem ſummopere ſemper caverunt ne Maria virgo Dei genitrix diceretur. Quo fit, ut quantumlibet perſonæ Chriſti unitatem prædicare videantur, vana prorſus ac plane ſubdola habenda ſit illorum confeſſio, quinimo ubi urgentius ab eis quæritur cujuſnam generis ſit illa perſonæ unius Chriſti unitas duabus naturis duabuſque perſonis conſtantis, non aliam aſſignant quam σχέσιν illam Neſtorii, quæ in habitudine ſola, & communicatione dignitatis, virtutis operationiſque divinæ conſiſtit. Operationis, inquam divinæ, quam ſolam hæreſiarcha ille agnoſcebat, etſi tanto ſtudio naturas duas prædicabat.

Eadem docuerunt Neſtorii diſcipuli.

XVII. Neſtorii loca recitata ſunt in Epheſina ſynodo, quin & in alia rurſum Lateranenſi ſub Martino Papa I. quibus conſona ſequitur *Pauli diaconi Perſæ Neſtoriani* ſententia ex ejus ſermone *de Judicio. Quoniam*, inquit, *Dei Verbi ad hominem quem aſſumpſit, unio ſecundum ſubſtantiam facta non fuit, non eſt proinde una facta natura. Si autem una natura facta non eſt, Chriſtus hypoſtaſis una non eſt unius perſonæ. Igitur ſecundum dignationem & complacitum facta eſt unio, voluntatis & ſententiæ identitate firmata, ut & naturarum diſcrimen ſine confuſione oſtendatur, & dignationis myſterium voluntatis identitate monſtretur,* σχέσει κατ' εὐδοκίαν ἡ ἕνωσις βουλῆς καὶ γνώμης ταυτότητι κρατυνομένη, ἵνα καὶ τὸ διάφορον τῶν φύσεων ἀσύγχυτον δείκνυται, καὶ τὸ τῆς εὐδοκίας μυστήριον, μονάδι βουλήσεως ἐπιδείκνυται. Elias Niſibenſis epiſcopus Neſtorianus in ſua cum Abulcaſemo Veziro Mohammedano diſceptatione, apud Fauſtum Naïronum in Evoplia, utriuſque naturæ in Chriſto unionem ad hunc eumdem modum deſcribit. *Dico inhabitationem creatoris laudabilis in humanitate, non eſſe inhabitationem accidentis in ſubſtantia, quoniam non eſt accidens; neque inhabitationem corporis in corpore, quoniam non eſt corpus; neque inhabitavit ſubſtantia ſecundum totum ſuum complementum, neque pars ejus, quoniam non coarctatur in hoc loco magis quam in alio, neque partitur, neque dividitur, ut ejus aliqua pars ſit in aliquo loco, & alia pars in alio loco; verum inhabitatio ejus (cui benedictio & exaltatio) eſt inhabitatio honoris, complacentiæ & voluntatis, non autem eſſentiæ & ſubſtantiæ.* Quæ ipſamet prorſus eſt Neſtorii ipſius doctrina. Quid multa! Adam Archimandrita ab Elia catholico Romam ad Paulum Papam V. miſſus, ſuorum Chaldæorum in his quæ fidem ſpectant, à Romana eccleſia diſcrepantias iſtas eſſe dixit: *1.° Dominus Papa cum omnibus Patribus magnæ eccleſiæ Romæ vocant virginem ſanctam* Mariam Dei genitricem: *Nos vero Orientales eam* Genitricem Chriſti *vocamus. 2.° Illi duas naturas Chriſti confitentur, duas virtutes & duas voluntates: nos autem fatemur unam virtutem & unam voluntatem. 3.° Illi etiam unam perſonam confitentur in Chriſto, nos duas perſonas.* Quamlibet igitur illi prædicare ament ſe unam agnoſcere in Chriſto perſonam, ex conjunctione duarum proſtantem, non perſonam intelligunt, quæ proprie dicta una hypoſtaſis ſit in duabus naturis ſubſiſtens, ſed Chriſtum hominem à Verbo inhabitatum, illius virtute, & operatione penitus imbutum, perſonam ejus gerere, uti olim Moyſes Dei, & legatus regis.

De Melchitis orthodoxis.

XVIII. Etſi vero Neſtoriana lues cunctas Perſici imperii regiones pervaſit, non tamen in illis defuerunt, qui fidem antiquam & catholicam puram & ſinceram ſervaverint, atque ab utraque labe Neſtoriana & Jacobitica immunem, iique ab illis trito vocabulo Melchitæ vocabantur. Horum curam gerebat Antiochenus Patriarcha, per Catholicum orthodoxum, quem ad illos mittere ſolebat. Enim vero Gregorius Bar-hebræus & Mares in vita Abraham III. Catholici Neſtorianorum quinquageſimi quinti ferunt, ipſum qua apud Califam auctoritate pollebat, ab eo obtinuiſſe, ne Melchitarum ſive orthodoxorum primas aut metropolita *Catholicus* appellaretur, ulloſve epiſcopos conſecraret. Quocirca nocte intempeſta quadam, quum per exploratores ſuos accepiſſet epiſcopum ab illo ordinari, repente ſuperveniens, utrumque ad Sultani ejus-ve Vicarii aut Veziri tribunal traxit, & utriuſque cauſa agitata, pronuntiatum eſt Abrahamo ſoli convenire ut *Catholicus* nuncuparetur, nec ea dignitate Melchitæ fas eſſe in Babylonia ornari. Id quod Saracenus princeps ſigillato diplomate ſanxit, impoſita

interim orthodoxo Primati pecuniæ multa A non exigua. Atqui catholicatum Neſtorianum Abraham inierat anno Hegiræ 292. intentaque Melchitæ præſuli lis eſt anno 300. Chriſti 911.

Antiocheno Patriarchæ ſubditis.

XIX. Ex qua narratione intelligimus quid ſibi voluerit Petrus Antiochenus Patriarcha, qui ſæculo inſequenti medio circa ann. 1050. Dominico Gradenſi ſcribebat, diœceſim ſuam Patriarchalem multiplici titulo Gradenſi præſtantiorem eſſe, à ſua ſede in Babyloniam & in Romagyrim, ſive Choraſaniam archiepiſcopos & catholicos mitti qui metro- B politas ordinarent, quibus epiſcopi quamplurimi ſubeſſent, quum tamen neuter eorum Patriarcha vocitaretur. Ὅσον δὲ ταύτης τῆς διοικήσεως μείζων· Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, καὶ Ρωμάγυρις, ἤτοι τὸ Χορασάν, καὶ αἱ λοιπαὶ τῆς ἀνατολῆς ἐπαρχίας, ἐν αἷς ἀρχιεπίσκοποι παρ' ἡμῶν πέμπονται, καὶ καθολικοί, χειροτονοῦντες ἐν ἐκείνοις τοῖς μέρεσι μητροπολίτας ἔχοντας ὑπ' αὐτοὺς ἐπισκόπους πολλούς, ἀλλ' εἷς ἐξ αὐτῶν πατριάρχης οὐκ ἐκλήθη ποτέ.

Similia ſæculo duodecimo Nilus Doxapatrius in ſua Patriarchatuum notitia, de ampliſſima Antiochenæ ſedis ditione ſcribebat, *An-* C *tiochenus*, inquit, *Aſiam & Orientem obtinuit, Indiamque ipſam, in quam ad hæc uſque tempora Catholicum à ſe ordinatum mittit Romagyris vocatum; quin & Perſidem quoque ipſamque Babylonem, quæ nunc Bagda* (Bagdad) *nominatur. Illuc enim Antiochenus Catholicum mittebat; Irenopolim ſcilicet, qui Irenopolis Catholicus nuncupatur:* ὅπου καὶ ἕως τοῦ νῦν καθολικὸν χειροτονῶν, στέλλει τὸν καλούμενον Ρωμαγύρεως, καὶ αὐτὴν τὴν Περσίαν, ἔτι καὶ αὐτὴν τὴν Βαβυλῶνα, τὴν νῦν καλουμένην Βαγδᾶ· ἐκεῖ γὰρ ἔστελλεν ὁ Ἀντιοχείας καθολικὸν εἰς Εἰρηνούπολιν, τὸν λεγό- D μενον Εἰρηνουπόλεως.

Duo eorum Catholici.

XX. Sæculo quoque eodem labente Guillelmus Tyrius lib. 4. de bello Sacro cap. 9. ubi de Antiocheni Patriarchæ diœceſi ſermonem habet, *hunc viginti provincias in ſua juriſdictione habere* ait, *quarum quatuordecim ſub duobus Primatibus ſunt, qui vulgari appellatione dicuntur Catholici, alter Anienſis, alter vero Irenopolitanus qui & Bagdadenſis; quæ omnes uno nomine, Oriens videlicet nuncupantur, ſicut ex ſynodo Conſtantinopolitana colligitur, quæ ſic habet: Orientis autem epiſcopi ſolius Orientis curam gerant, ſervato honore primatus eccleſiæ Antiochenæ, qui & in regulis Nicænæ ſynodi continetur.*

Quis Anienſis nomine præſul intelligendus ſit?

Ubi quæ ſit civitas aut regio *Anienſis* non me ſatis intelligere fateor, niſi vel *Aniam* Armeniæ Perſicæ civitatem intellexerit, vel ex Petro Antiocheno & Nilo legendum duxero *Choraſanienſis*, vel forſan *Arienſis*, propter *Ariam* Choraſaniæ affinem civitatem veteribus notiſſimam, quam Neſtoriani Haram dicunt, & inter metropoles habent. Apud Jacobum de Vitriaco, qui hunc Tyrii locum deſcripſit, legitur *Aunenſis*, altero librarii Latini errore. Quando autem qui apud Tyrium Catholicus *Anienſis* ſcribitur, à Petro Antiocheno & Nilo *Romagyris Catholicus* dicitur, minime tacendum puto in Armenia majore à Marco Paulo Veneto lib. 1. cap. 17. civitatem poni *Argyron* nomine, quam illius Catholici ſedem fuiſſe non nemo forſan ſuſpicabitur. Verum *Romagyris* voce aliud quidpiam omnino ſignificatur, ſcilicet Iguræa Romanis ſive Byzantinorum ditioni affinis regio, quæ juxta mare Caſpium, Choraſaniam uſque, Tartariamque & Cathayam protenditur, ut gentium illarum pars Chriſti religione ſuſcepta Neſtorianæ ſectæ ſe dediderit, pars catholicam fidem reſtituerit, quemadmodum Babyloniæ, Parthiæ, reſiduique Chriſtiani, alii Neſtoriano Catholico, alii Melchitæ ſive Orthodoxo, etſi minori numero parebant. Irenopolitanus denique Doxapatrio & Tyrio dicitur Catholicus Bagdadenſis, Εἰρηνουπόλεως, ſive *civitatis pacis*, quia ab Almanſore Califa ejus conditore, *Medinat Alſalam* appellata fuit.

Seleucienſis Catholicus totum Orientem curat.

XXI. Quum igitur Antiochenus Patriarcha eccleſiæ catholicæ reliquias per quindecim provincias ſparſas per duos Catholicos quos ad illas mittebat, procuraret, ſolus Seleucienſis omnes Orientis adminiſtrabat, per metropolitas viginti tres quos ordinabat, præter Hieroſolymitanum, Damaſcenum & alios quos Occidentaliori tractui deſignabat. Quocirca quæ de Catholicis iſtis duobus Bagdadenſi & Romagyris recentiores illi ſcriptores Græci & Latini aliique tradidere, nihil ad Seleucienſem ſive Modaïnenſem Catholicum Neſtorianorum ſpectant, cujus in omnes quas olim gerebat, Orientis provincias poteſtas indivulſa manſit, atque numeroſiores eccleſias, ut prædictum eſt, tenebat, paucis paſſim ſuperſtitibus qui rectam Apoſtolicamque doctrinam tenerent.

Illius ordinatio ad quos ſpectat?

XXII. Quum viginti quinque & ultra metropolitæ Chaldææ Catholico ſubeſſent, quos ille, ut prædictum eſt ordinabat, ad horum ſex vel octo primarios ordinatio illius ſpecta- E bat, non quia Seleuciæ vel Modaïnæ viciniores erant, ſed quia ſedes eorum reliquis antiquitate præibant. Catholicorum quippe Seleuciæ primæva ditio Babyloniæ, Meſopotamiæ, Mediæ, Aſſyriæ, Parthiæ & Perſidis terminis finiebatur, quæ ſubinde in Indias, Tartariam omnem ad Sinas uſque exporrecta fuit. Sed nec inter hoſce primarios Perſidis metropolita cenſitus eſt, qui diu Seleucienſi eccleſiæ ſubjici recuſavit.

XXIII. Atqui metropolitæ hujus diœceſis eo in

Digitized by Google

eo in notitia ordine recenſeri pene dixero quo à Catholicis ſuis inſtituti fuerunt. Quocirca metropolitam Perſidis ſequitur Meruenſis in Choraſania, tum deinde Harenſis ſive Arienſis, Catarbenſis, Sinenſis, Indiarum & alii deinceps, ut in Septemtrionalem tractum invecta prius à Chaldæorum Primatibus Chriſtiana religio, quam in Orientaliores & Auſtraliores regiones fuerit.

Metropolitas totius diœceſis eligit ipſe & conſecrat.

XXIV. In more autem fuit illarum remotioris tractus regionum, qui hodieque perſeverat, ut metropolitæ apud illas ex ipſarum indigenis non eligerentur & conſecrarentur, ſed Seleucia ſive Modaïna aut Bagdado, ubi ve Catholicus ſederet conſecrati ad illas mitterentur. Enimvero Luſitani, qui de rebus Malabaricæ regionis Indiarum ſcripſere, dum ea recitant quæ poſt Abrahami Angemalenſis obitum apud illos Chriſtianos contigere, Babylonis ſive Bagdadi Patriarcham conſueviſſe aiunt demortui metropolitæ ſucceſſorem apud ſe deſignare & ordinare, quem in illam mox provinciam mittebat.

In plerisque provinciis nullus, præter metropolitam epiſcopus.

XXV. In quibuſdam etiam illarum regionum unus dumtaxat epiſcopus erat, ipſe ſcilicet metropolita, à quo epiſcopi alii minime creabantur. Eo ſcilicet prorſus modo quo Alexandrinus Patriarcha unum Æthiopibus ſive Habeſſinis non indigenam, ſed Ægyptium metropolitam à ſe conſecratum deſignare ſolet, cui minime fas eſt epiſcopos alios in illo regno quam late patet ordinare. Hinc eſt quod in celebratiſſima illa inſcriptione Sinica, quæ in civitate Sighanfu provinciæ Chemſi hodieque ſtat, unius dumtaxat epiſcopi gentis illius mentio fit, multorum vero preſbyterorum & diaconorum. Guillelmus quoque de Rubraquis, Franciſcani ordinis, qui à S. Ludovico Francorum rege miſſus regiones illas Tartariæ & Cathaïæ luſtravit, relationis ſuæ cap. 28. epiſcopum unum in urbe *Segin*, ſive *Sighanfu* ſediſſe narrat, qui Chriſtianos in urbibus quindecim commorantes curaret. Marcus itidem Paulus Venetus eamdem epiſcoporum in diverſis provinciis illis quas perinde luſtravit, penuriam obſervat.

Inde fit ut & reges ipſi & principes Chriſtiani ſacerdotes inaugurentur.

XXVI. Propter hanc Chriſtianorum epiſcoporum paucitatem, quum eccleſias ſibi creditas rariſſime inviſerent, ne religio apud illos populos deficientibus miniſtris à quibus erudirentur, quique ſacris apud ipſos operarentur, tandem obſoleſceret, in more habuerunt, ut ad diaconatus, nec-non ſacerdotii gradum, cujuſlibet ætatis homines, etiam pueros promoverent, quos tamen ſuis officiis fungi non permitterent ante annum ætatis vigeſimum quintum. Hinc factum eſt ut principes & Reges illarum gentium Chriſtiani ſacerdotio quoque initiarentur. Hunc certe morem etiamnum apud Malabaricos Chriſtianos vigere teſtantur Luſitani qui apud illos verſati ſunt. * Inde nata eſt celebris illa *Preſbyteri Joannis* appellatio, cujus frequens eſt mentio apud decimi-tertii ſæculi Latinos ſcriptores.

** Ea de cauſa Preſbyter Joannes dictus eſt qui provincias illas regeret.*

Quis primus illo nomine donatus?

XXVII. Primum qui Preſbyter Joannes dictus ſit, Guillelmus de Rubraquis nobis indicat pag. 70. cui nomen *Nayman* fuerit. « In Cathaïa, inquit, magnus campus eſt in quo olim agebat inſignis ſacerdos Nayman nomine, qui ſacris Neſtorianorum Chriſtianorum præerat. Keuchan rege mortuo, regnum Nayman arripuit, quem Neſtoriani vulgo *Preſbyterum Joannem* appellabant. Huic frater germanus erat *Uuc* vel *Vut* nomine, ipſe quoque preſbyter, qui ultra montana Caracathay morabatur. Preſbytero Joanne Nayman ſine liberis defuncto, regnum ejus excepit Ung Chan, qui quum Preſbyter quoque eſſet, Preſbyter etiam Joannes eſt nuncupatus, » ut Marcus Paulus lib. 1. c. 51. teſtatur, de quo ſubinde multa narrat, capite præſertim 64. poſtquam de provincia Egrigaïa vel Eggaya dixit, quæ eſt de magna provincia Tenguth, ab illo ducere iter ait ad provinciam *Teuduch*, « in qua ſunt civitates & caſtra; ubi etiam manere conſuevit rex ille magnus, & toto orbe terrarum nominatiſſimus, vulgo Preſbyter Joannes dictus. Modo autem provincia illa tributa pendet magno Cham, habens regem qui eſt de progenie Preſbyteri Joannis. » Addit, quod minime mihi eſt omittendum: « Et licet ibi ſunt aliqui idololatræ, & item aliqui Mahometani, tamen major pars provinciæ fidem obſervat Chriſtianam: & hi Chriſtiani primas tenent in hac provincia; præſertim ubi eſt gens quædam *Argon* vocata, quæ reliquis populis ſagacior eſt & elegantior. » Atqui conſuetudinem illam cujuſvis generis homines, atque reges ipſos & principes ſacerdotio initiandi, apud Habeſſinos Æthiopes ſimili de cauſa viguiſſe conſtat: ſatque ſimile vero eſt inde natum eſſe, ut à Luſitanis & aliis Europæis apud illos exſtare putatus ſit ille *Preſbyter Joannes*, quem noſtri in Indicis regionibus regnare audierunt. Cæterum Joſephus Scaliger mihi auctor eſt illum regem Tartarorum quem Franci noſtri *Preſtre-Jean* dicebant, & Latine *Preſbyterum Joannem* interpretabantur, patria lingua *Preſtegan* vocitatum fuiſſe, quod, inquit, Perſice Apoſtolicum ſignificat.

Diſciplina in multis apud illas gentes variatur.

XXVIII. Præter Neſtorianam impietatem quam Catholici & epiſcopi diœceſis Chaldæorum admiſerunt, quum priſcis eccleſiæ Chriſtianæ temporibus diſtrictim eſſent prohibitæ epiſcoporum è primis ſuis ſedibus ad alias tranſlationes, laudatiſſimam diſciplinam iſtam illi præ aliis apud ſe peſſumdederunt; quin etiam unum eumdemque epiſcopum

** Plures epiſcopatus unus idem poſſidet.*

Digitized by Google

pluribus ſimul eccleſiis donari familiariſſimum illis fuit.

Catholicum ex epiſcopo creatum, iterata ordinatione conſecrant.

Quum vero ſolemne Neſtorianis eſſet aliarum eccleſiarum præſules, & metropolitas ad Catholici dignitatem promovere, gravius ab illis peccatum eſt, qui epiſcopum quem in Catholicum eligebant, iterata ordinatione ſive conſecratione initiare non dubitarint, acſi pontifex antehac ordinatus non eſſet.

Clericis & epiſcopis, ipſis etiam monachis connubia permittuntur.

Omitto quam diſciplinæ relaxationem Barſumas ille impius Niſibenſis, ſuo tempore in Chaldæorum eccleſiam una cum Neſtoriana perfidia, Pherozis regis favente opera, introducere conatus ſit; non diaconorum modo ac preſbyterorum, verum & epiſcoporum, quin etiam monachorum profana connubia, quæ duabus in ſynodis rata fieri curavit, nec niſi ægre admodum à Catholicis poſterioris ætatis ſuppreſſa ſunt.

Catholicus quomodo eligatur?

XXIX. Catholici eligendi, ordinandique ritus in hunc modum apud Chaldæos peragebatur. Catholico deceſſore defuncto, epiſcopus Caſcaræ Seleuciam ſeu Modaïnam accedebat, viduatæ eccleſiæ curam ſuſcepturus. Sin Caſcarenſis eccleſia paſtore vacabat, id muneris ad Waſithæ epiſcopum, aut demum ad viciniorem derivabatur. Tum miſſis epiſcopus ille ad metropolitas ſex vel octo quos ſuperius dixi, tractoriis litteris, illos ad Catholici electionem accerſebat. Qui in eccleſia Dir Elkam cum eccleſiæ Patriarchalis clero, vicinæque regionis epiſcopis, nec-non primoribus laïcorum, celebrato prius jejunio divinaque ſubinde liturgia cum ſtatutis precationibus, nonnullos primum è multis ſeligebant, è quibus tres ſecernebantur, quorum nomina tribus in ſchedulis inſcribebantur, & in quarta Domini quoque Jeſu Chriſti ſupremi Paſtoris nomen. Has in globulos plicatas altari ſubjiciebant, in qua liturgia ſacra celebrabatur; qua finita cum precationibus, infantem Chriſtianum peccati neſcium adhibebant, qui extenſa manu unam è ſchedis trahebat, atque ille cujus nomen in illa exaratum occurrebat, Catholicus renuntiabatur: ſin vero Chriſti nomen, trium illorum nemo eo loco dignus cenſebatur. Quocirca tres alii iterum ſeligebantur, quorum itidem nomina tribus in ſchedis, ut ante, ſcribebantur, donec Deus quem vellet indicaſſet. Qui eligendi Catholici ritus apud Neſtorianos uſitatus, ab Ægyptiacis Jacobitis Bekira Reſcido quodam auctore admiſſus eſt, ad evitanda diſſidia quæ in ejuſmodi electionibus accidebant. Sed & idem fere à Syriæ Jacobitis obſervatus quoque fuit. Atqui apud Neſtorianos uſitatus primum legitur fuiſſe in electione Joannis filii Narſis Catholici LII. anno Chriſti 884. tum deinde dum Joannes cui cognomen Abu-Iſa in Catholicum promotus eſt an. 898. ſicque deinceps in aliorum electionibus.

Quomodo ordinetur?

XXX. Recitato nomine illius qui electus eſſet, clerus omnis, populuſque Græcè ſucclamabant Ἄξιος, *dignus eſt*, vel etiam *dignum & juſtum eſt*. Tum metropolitæ, epiſcopi, clerus & populus, electionis decretum condebant: electus vero priuſquam ordinaretur, libello ſubſcribebat, quo pollicebatur ſe eccleſiam adminiſtraturum ex ſacrorum Evangeliorum, ſanctionumque Apoſtolicarum præſcripto; ſe fidem à ſanctis ſynodis Orientis & Occidentis definitam, quam Diodorus, Theodorus, Neſtoriuſque docuerant, integram ſervaturum, ſimoniam exſtincturum, vacantes eccleſias non occupaturum, ſed bonos eis paſtores daturum, ſe oneri non futurum clero & populo, neque uni eidemque epiſcopo eccleſias duas crediturum.

A principe autem, ſive Califa Bagdadenſi Catholici ordinandi facultatem poſcere neceſſum erat, ea vero obtenta, manus electo à metropolitis imponebantur; orationem Gondiſaporenſi metropolita pronuntiante, vel alio ubi ille quovis fato aberat; id quod poſtremum aliquando Niſibenſi conceſſum tandem fuit. Atqui ordinationis officium in eccleſia Cochæ vel Coches, quæ Seleuciæ olim proxima erat, ipſaque adeo Patriarchalis, agebatur. Sin vero Catholicus alio in loco eſſet ordinatus, ad eam ſolenni ritu & pompa deducebatur, in qua deceſſorum ſuorum throno imponeretur. Quibus de more patratis Bagdadum redibat, in monaſterio Catholici, *Dir Katlick* moraturus.

Ejus in ſubditos poteſtas.

XXXI. Catholici hujus in ſuos ea poteſtas fuit, ut non metropolitas ſolum, ſed & epiſcopos ad libitum crearet & deſtitueret. Etſi enim ex legum præſcripto ad metropolitas ſpectabat epiſcoporum ſuorum ordinatio, ipſe tamen præ illis eorum etiam conſecrationem ſibi vindicabat. Ipſe quoque ſolus (quod quidem alii Patriarchæ ſolebant,) divinum unguentum conficiebat, ſed ſeptimo quovis dumtaxat anno. Pelles ſacræ, quæ *Antimenſia*, Ἀντιμήνσια Græcis dicuntur, atque altarium portatilium inſtar Chriſtianis Orientis ſunt, ab ipſo ſolo benedicebantur, quibus ſacerdotes peregrinantes uterentur. Tanta Catholicum obſervatione colebant, ut ſacerdotibus ipſis eo præſente ſedere non liceret. Abrahamum III. Catholicum à Sultano Saraceno litteras obtinuiſſe dixi, ne epiſcopus Bagdadenſis Melchitarum *Catholici* nomen aſſumeret: præterea ab iiſdem principibus Neſtoriano Catholico illi non ſolum conceſſum eſt ut Chriſtianis ſive Jacobitis, ſive Melchitis *jus* diceret, eorumque cauſas ac lites finiret; ſed

illius quoque precibus annuerunt, ut neque Jacobitarum Primati, ſive Maphriano, neque Melchitarum Græcorum-ve Catholico fas eſſet Bagdadi ſedem figere. Cæterum eccleſiæ ſuæ regulas obſervare ita adſtringebatur, ut ſi illarum prævaricator agnoſceretur, collecta ſynodo, ad ordinem redactus à ſacerdotio amoveretur.

Matthæus Riccius ex Soc. Jeſu in hiſtoria ſua Sinarum ſcribit: « In ſumma vero canonum ſynodalium part. 2. ſerm. 6. c. 19. ubi de canonibus conſtitutis ſuper epiſcopos & metropolitanos, ſimul habetur canon Theodoſii Patriarchæ, quo jubebatur, ut *ſex ſedes* capita provinciarum & metropolitæ, videlicet *Hilam* (Elam) *Nzibin, Prats,* (Fars) *Aſſur, Beth-Garmi, & Halah,* qui digni habiti ſunt, ut ordinationi Patriarchæ interveniant, nec abſint; ut alii quarto quoque anno apud Patriarcham conveniant, ſic etiam magnæ provinciæ, nimirum reliqui metropolitæ Chinæ, Indiæ, Pales, Mauſæorum, Xan, Rauziquæorum, Herionæ (hæc eſt Cambaïa) & Samariandiæ (hæc Uſbec & Mogor) qui longiſſime abſunt, nec vaſtiſſimi montes, & turbulentiſſima maria permittant eis tranſitum ad libitum, mittant litteras conſenſionis (id eſt communionis) ad Patriarcham ſexto quoque anno. »

Monachos ſolus ipſe per vicarium ſuum curabat.

XXXII. Cœnobia monachorum, vel omnia prorſus, vel eorum quamplurima, Catholicorum regimini ſubjecta erant, atque ab epiſcoporum in quorum territoriis exſtarent, juriſdictione prorſus libera. Id quod etiam in aliorum Patriarcharum diœceſibus obſervari ſolitum ſæpe jam diximus. Catholicus vero illorum omnium curam ac regimen uni peculiari vicario ſuo commendabat.

Nulla reperitur diœceſis Chaldæorum perfecta notitia.

XXXIII. Nonnullæ diœceſis Chaldæorum notitiæ habentur, ſed quæ veterem ejus amplitudinem, vel integrum ſedium ejus numerum non ſatis referunt. Quocirca ex eorum monumentis quæ mihi delibare fas fuit, præter duas illas quas doctiſſimus Aſſemanus Maronita mihi ſuppeditavit, prolixiorem alteram exhibebo, etſi ſuis numeris nondum abſolutam.

De urbe Seleucia.

XXXIV. Diœceſis Chaldæorum caput, urbemque primariam diximus fuiſſe Seleuciam, quæ, quoniam proxima Cteſiphonti erat, in urbem unam duplicem ambæ veluti coaluerunt; quam quum Califæ Arabes obtinuiſſent, *Al Modain* vocitaverunt, qua voce duæ urbes ſignificantur. Babylone ſcilicet vaſtata & in ſolitudinem redacta, Seleucus Nicator, qui poſt Alexandri magni fatum Orientalem tractum ditionis ſuæ fecit, ex illius ruderibus in confluente Euphratis quem foſſa deduxerat, & Tigris, civitatem ampliſſimam condidit, ſuoque de nomine *Seleuciam* nuncupavit. Hanc Strabo Antiochia magnitudine aliquantum ſuperiorem fuiſſe tradit, Plinius, *Babyloniam* quoque dictam. Apud nonnullos auctores *Coche* nominatur, in quibus Ammianus Marcellinus, cui Zoſimus concinit lib. 3. c. 29. qui *Zochaſam,* Ζόχασαν ſcripſit. Quocirca Eutropius lib. 9. cap. 12. *Cochen* & Cteſiphontem ampliſſimas civitates, poſt Perſas prælio victos occupatas ſcribens, *Seleuciam* ſignificavit. Quanquam Stephanus Byzantinus *Cochen* à Seleucia diſerte diſtinxit, cui vicus eſt vel oppidum à Tigri fluvio remotum. ἐξελάυνῃ τῆς Σελευκείας, ἢ ἀφέστω τῦ ποταμοῦ τῦ Τίγριδος εἰς κώμην, ᾗ τινι Κωχὴ ὄνομα. Ex quo apparet Seleuciam ab illis auctoribus *Cochen* fuiſſe nominatam ab illo veteri oppido juxta quod Seleucia à Seleuco ſtructa erat, vel quod in ampliſſimam illam Seleuciæ urbem crevit. Indigenis Chaldæis *Salec & Kircha* dicebatur, id eſt *Seleucia,* & per antonomaſiam *civitas.* A Perſis vero qui illam occuparunt *Guedeſer,* Γυεδεσήρ, dicebatur Theophane teſte, ad annum 17. Heraclii Imperatoris.

De urbe Cteſiphonte.

XXXV. Quum Seleucia ad Occidentale latus Tigris poſita eſſet, ad Orientale paulo infra ſtabat urbs illa altera *Cteſiphon,* quam Strabo vicum maximum dicit, in quo ipſius ævo Parthorum reges hyemabant, Seleuciæ parcentes, ne à Scythica & militari natione nimium opprimeretur. Hic vicus, ait, civitatis magnitudinem & potentiam habebat, adeo ut Parthorum multitudinem & apparatum omnem reciperet. Hoc oppidum, ait etiam Plinius, ad Seleuciam exhauriendam juxta tertium ab ea lapidem in Chalenitide condidere, quod nunc eſt regni caput; quia ſcilicet cum Seleucia novis accretionibus coaluerat. Ammiano autem lib. 23. cap. 7. Cteſiphon à *Vardane,* vel *Bartane Perſarum rege primum inſtituta eſt,* ſive facta civitas, quam Pacorus Parthorum princeps multitudine & mœnibus amplificaverat; quo proinde fiebat, ut ambæ urbes, quemadmodum prædixi, una veluti civitas duplex haberetur, quæ ex conſequenti Al-Modain ab Arabibus voce duali dicta fuit.

Utrique deſtructæ ſuccedit urbs Bagdadum, in qua Catholicus moratur.

XXXVI. Poſt vero Almanſor de Abbaſidarum genere Califa urbem alteram haud procul ædificans quam *Bagdadum, & Medinat-Aſſalam,* id eſt civitatem pacis nominavit, Seleuciam & Cteſiphontem dirui juſſit. In hanc porro urbem Chaldæorum Catholicus tranſiit, exſtructo ibidem monaſterio, quod *Catholici monaſterium* vocitant: ita tamen ut ſtante adhuc eccleſia Cochæ, ſedes illic Patriarchalis manſerit, in quam Catholicus quilibet priſco more ſtatim ab ordinatione ſua deducitur, illius imponendus throno.

Digitized by Google

Romanam communionem diœceſis hujus pars quædam amplectitur, propter perverſam, quæ apud ipſos invaluerat conſuetudinem.

XXXVII. Cæterum diœceſis Chaldæorum indiviſa manſit ad medium uſque ſæculum decimum ſextum, quo pars illius Catholica fide ſuſcepta Romano Pontifici Julio III. ſe obſequentem profeſſa eſt. Atqui Romanum Papam adeundi hæc illis cauſa fertur fuiſſe: Qui ante centum annos Catholicus ſedebat, hanc ſibi legem præſtituerat, ut nullum metropolitam crearet, niſi de genere familiaque ſua. Quam conſuetudinem poſteri deinceps tenuerunt. Quum unus de eadem proſapia receptum jam morem tenere præfractè contenderet, Chriſtiani civitatum & pagorum Orientis, Moſulæ ſcilicet, Babyloniæ, Charchæ, Arbelæ, Gozartæ, Perſidis, Niſibis, Mardis, Amidæ, Hazan-Cephæ aliorumque locorum, una convenientes, ſacerdotes, monachi & magnates, Catholicum elegerunt, magiſtrum Siud, quem Romam mittendum duxerunt, ut illic ordinaretur; eo quod tres apud ipſos metropolitæ non reperirentur à quibus ea promotio rite fieret. Hunc autem Romam ideo perrexiſſe in epiſtola ad Julium Papam ſignificant, quod ſacerdotium ipſorum priſcis temporibus Roma, quæ ſedes eſt Principis Apoſtolorum, ad ipſos derivatum eſſet. « Illò vero eundi viam interruptam Chriſtianis fuiſſe à filiis Agar Ægyptiæ, jam inde à ſpatio trecentorum annorum; Romæ ſiquidem ante trecentos annos Catholicum illis ordinatum eſſe Marabam nomine. »

Hæc illi Romæ narrabant, non ſolum ob Arabicorum illorum canonum de quibus dictum eſt, auctoritatem, quorum trigeſimo nono Romani Pontificis in Patriarchas omnes poteſtas adſtruitur; ſed ideo quod, quum ſuis in libris legerent Seleucienſes Catholicos à Patriarcha *El Roum* ordinatos primitus fuiſſe, Romam putarent illa voce *El Roum* ſignificari; quum tamen nihil aliud efferat, præter Romanorum ditionem, ad quam ſpectabat Antiochia, quam primi Catholici adiiſſe leguntur, ut ab hujus urbis antiſtite ſacerdotio initiarentur.

Perſeverat apud Neſtorianos eadem conſuetudo.

XXXVIII. Cæterum notata prius apud Neſtorianos conſuetudo, Catholicos ſuos ex eadem familia aſſumendi, revixit apud illos, eamque etiamnum vigere ſcribit theatri Turcici ſcriptor, dumque in illis regionibus peregre ageret, *Mar Eliam* adoleſcentem prorſus, qui necdum legendi peritus eſſet, creatum, conſecratumque *Catholicum* fuiſſe. Hic vero prope veterem Niniven ſedebat, adeoque Moſulæ.

Catholicus orthodoxus Romæ ordinatur.

XXXIX. Atqui *Siud* ille, qui & *Simeon Sulaca*, Romæ ordinatus eſt Catholicus, recitata ibi ſinceræ rectæque fidei profeſſione, & ejurato Neſtorii errore. Cui ſucceſſor datus eſt *Abdieſus*, ſive *Ebedjeſu*, Romæ perinde conſecratus; amboque poſt ſuum in Orientem reditum in urbe Caramit ſive Amida & Seert ſedem fixerunt, ubi metropolitas & epiſcopos conſecrarunt. Interim vero Bagdadi Catholicus alter ſedebat, cui morem gerebant reliquæ diœceſis Chaldæorum provinciæ. Sed neque Sulacæ & Abdieſu ſucceſſores eam omnem ditionem quam nacti erant, ſervavere. Qui enim illis ſucceſſit Ahatalla pauco tempore ſuperſtes in vivis fuit, ait Strozza, & *Denha Simeon*, ex archiepiſcopo ſive metropolita *Gelu* & *Seert* Patriarcha factus, ſive Catholicus, nec ætate, nec doctrina tanto muneri idoneus, quo tempore Sidonienſis epiſcopus Apoſtolicæ ſedis nuntius illas eccleſias inviſebat, in provinciam Zeinalback ſeceſſerat, potentiæ cedens Patriarchæ Babylonis ſive Bagdadenſis. Eodem in loco manſit ſucceſſor ejus Simon alter, exiſtimatione & ſubditorum numero deceſſoribus ſuis longe inferior. Quamobrem poſt ſæculum decimum ſeptimum adultum, qui Bagdadi ſedebat Elias Catholicus, aliis provinciis receptis, multo minus quam deceſſores ſui domeſtico diſſidio laborabat, ſubjectoſque ſibi populos pacifice gubernabat, metropolitis, epiſcopis, cleroque omni, non illi obtemperantibus modo, ſed & ipſum valde diligentibus, ait iterum Petrus Strozza, ubi *de Chaldæorum natione & eorum Patriarcha.*

Neſtorianorum numerus & præſens ſtatus.

XL. Fauſtus Naïronus Maronita in *Evoplia Fidei*, ex Vincentii à S. Maria Carmelitæ Indiæ Orientalis Itinerario, Neſtorianorum verſus Septemtrionalem Meſopotamiæ partem numerum tria centena millia excedere ſcribit. « Sunt hi, inquit, ſub duorum Patriarcharum juriſdictione, quorum electio ad metropolitas, epiſcopos & clerum anteactis temporibus pertinebat. Modo autem hæc dignitas ſucceſſive remanet in familiis. Horum primus Babyloniæ ſeu Seleuciæ potius reſidebat, at poſt illius urbis deſtructionem, moratur hodie in monaſterio S. Hermetis Perſæ prope *Quſc* vel *Alcus*, Nahum prophetæ patriam, quod parum diſtat ab urbe Mauſel ſeu Moſul ad Occidentem Tigris, non procul Ninive, cujus civitatis rudera antiqua exſtant ad Orientem hujus fluminis. Hic Patriarcha Eliæ ſibi nomen aſſumit, una cum Patriarchæ Orientis titulo. Habet ſub ſe quatuor metropolitas, *Sciraz* in Perſide, quam Chaldæi *Ailam* vocant, provinciæ *Fars* ſeu Perſidis proprie dictæ caput, *Niſibim*, *Baſſorum & Mauſul*, quæ Chaldaïce Atur, ſub quibus varii nominantur epiſcopi. Ejus auctoritas per Chaldæam, Babyloniam, Meſopotamiam, Parthiam, Mediam, Cathaïam, & uſque ad Indiam Orientalem extenditur, cui ſubditi erant Chriſtiani, qui à S. Thoma Apoſtolo Thomæi nuncupabantur, in qua circa centena &

» quinquaginta millia Chriſtianorum numeran- » tur. Alter Patriarcha reſidet *Ormi* in monti- » bus Perſiæ in provincia Adherbejan, quæ » vetus Media fuit, ad Armeniæ majoris con- » finia: ſub hujus juriſdictione tres erant me- » tropolitæ præter viginti alios epiſcopos, & » *Simonis* nomen ſibi aſſumit, qui *Patriarcha* » *Chaldæorum* nuncupatur, cujus auctoritas per » Aſſyriam tantum extenditur. Unus ex his » *Simon Sulaca* vocatus, quum Romam adve- » niſſet in pontificatu Julii III. ejurata hæreſi » Neſtoriana ad unionem eccleſiæ Catholicæ » reverſus eſt, quemadmodum ſuperius narra- » tum eſt.

» Addit Naïronus, nuperrime ſub pontifi- » catu Innocentii Papæ XI. quum opera non- » nullorum epiſcoporum ejuſdem nationis, ac » Miſſionariorum Apoſtolicorum, non pauci » invenirentur, qui catholicam fidem tenerent, » idem ſummus Pontifex conſtituit illis novum » Patriarcham Catholicum qui in præſenti re- » ſidet in civitate *Amidenſi* ad Tigrim, quæ à » Turcis vulgo *Caramit*, ſeu *Diarbechir* voci- tatur. » Id quod denuo teſtatur Aſſemanus in Præfatione ad Bibliothecam Orientalem.

In multis Romanæ eccleſiæ conſentiunt Neſtoriani, & præcipuè circa ſacramenta.

XLI. Satis jam dictum eſt de Neſtoriano errore quo Chaldaïcæ diœceſis Chriſtiani ab eccleſia catholica diſcrepant. Theodorus Mopſueſtenus primarius auctor illius fuerit, necne; huic alium etiam addiderunt, ut ſpiritum ſanctum à Filio procedere negarent, quemadmodum Græci, eodem doctore, conſueverunt. In reliquis Chriſtianæ fidei capitibus nobiſcum ſatis concordes ſunt, niſi quod à Romanæ ſedis communione alieni ſint, quam tamen, ut prædictum eſt, non ſemel ambierunt. Quamobrem ſeptem ſacramenta eadem ac nos tenent, inprimiſque, quod divinam Euchariſtiam ſpectat, Chriſti corpus & ſanguinem revera ſub panis & vini ſpeciebus poſt prolatam à ſacerdote conſecrationem reipſa contineri, paniſque & vini ſubſtantiam in corpus & ſanguinem ejus tranſmutari æque ac nos credunt. Id quod certiſſimis hodie teſtimoniis compertiſſimum eſt. Non ſilebo Jacobitas erroris eis notam inuſſiſſe, quod divini hujus myſterii fidem ſpectat. At cujus erroris? Non prorſus circa realem quam credimus Chriſti corporis & ſanguinis ſub panis viniquc ſpeciebus præſentiam, circa panis viniquc in Domini corpus & ſanguinem tranſubſtantiationem; ſed priſci illius quem à Neſtorio acceperunt, ut Euchariſtiam non Dei-hominis corpus & ſanguinem, ſed hominis dumtaxat Deo copulati.

Proteſtantium hæreticorum calumnia refellitur.

XLII. Non me fugit, Proteſtantes hæreticos hodie jactitare apud Malabarenſes Indos, Lutheri Calvinique doctrinam integram viguiſſe ab eo tempore quo Chriſto primum nomen dedere. Quaſi vero Chriſtiani illi qui epiſcopos alios non admittebant, niſi qui à Neſtorianorum Chaldæorum Catholico ſibi mittebantur, aliam de Euchariſtiæ myſterio fidem tenuerint ab illa quam reliqui per Orientem Neſtoriani confitentur.

Ex Diamperenſis ſynodi actis.

Perperam autem Diamperenſis ſynodi quæ ſæculo decimo ſexto labente habita eſt, acta quæ ſuperſunt provocare audent. In illis enim hoc ſolum fertur, apud Malabarenſes Chriſtianos libros aliquot repertos eſſe, præſertim Timothei Catholici, in quibus Lutheri Calvinique errores apparerent. At jure merito vocari in dubium poſſit, an Luſitani qui ejuſmodi doctrinas in illis voluminibus à ſe deprehenſas affirmarunt, tanta Chaldaïcæ linguæ peritia inſtructi fuerint, ut auctoris ſenſum probe & accurate ſint aſſequuti; quando alioqui apud eruditos hodie conſtat eos ritus illorum non paucos imperite interpretatos eſſe; ut-pote qui in Orientalium eccleſiarum Theologica loquela & placitis hoſpites prorſus eſſent. Eſto tamen in libris illis male ſana dogmata obſervata eſſe, an vero exinde concludere liceat Indiarum eccleſiam ea tenere & profiteri? Quod certe quantum à vero abhorreat, hinc facili negocio demonſtratur, quod in omnibus Diamperenſis ſynodi decretis nullum editum legatur, quo Chriſtiani illi ad rectam de Euchariſtiæ myſterio fidem doctrinamque revocentur, aut priſtinum ullum circa illud errorem ejurare aut dimittere cogantur, etſi alia in illis habentur, quibus impia Neſtorii placita quæ antea tenuerunt, jure proſcribuntur. Non enimvero conſentaneum fuiſſet priſcos Malabaricæ gentis de Incarnatione Verbi errores confingere, omiſſis aliis quæ gravem æque cenſuram poſtulabant.

Idem aliorum auctoritate evincitur.

XLIII. Ut ab eccleſiæ Chaldaïcæ Theologorum teſtimoniis recitandis ſuperſedeam, quibus vir eximius to. 4. de Perpet. Fid. hanc à Romana quod fidem de Euchariſtia ſpectat minime diſcrepare monſtravit, rem uno quoque altero conficiam, Doſithei ſcilicet Patriarchæ Hieroſolymitani ejuſque ſynodi quam hac in cauſa habuit anno 1672. Hujus quippe gentis, ut & cæterarum Orientis fidem hanc unam eſſe declarat ad calcem *Enchiridii* ſui contra Lutheranos & Calviniſtas, nec-non actorum ſui concilii: *Confirmat quæ prædicta ſunt, ipſa quoque hæreticorum confeſſio.* Νεςοεῖται μὲν γὰρ, Μαρωνῖται, ἤγουν Μονοθελῆται, Αρμένιοι, καὶ Κόπται, καὶ Σύροι, καὶ ἔτι Αἰθίοπες, οἱ ὑπὸ τὸν ἰσημέρινον καὶ ἐπέκεινα κατὰ τὸν χειμέρινον τροπικὸν οἰκοῦντες οὓς καὶ Χαμπεσίους καὶ Αβυσσίνους ἐνταῦθα κοινῶς ὀνομάζουσιν, ἕκαστος τούτων ἔχει τὴν αἵρεσιν. *Neſtoriiæ ſiquidem, Maronitæ ſive Monotheletæ, Armeni quoque, &*

Digitized by Google

Coptæ & Syri, & Æthiopes, qui ſub æquinoctiali & ultra verſus hyemalem tropicum habitant, quos Habeſſios & Abyſſinos vulgo vocant, ab antiquiſſimis temporibus, ex quo ab eccleſia univerſali ſeceſſerunt, & unaquæque gens earum propriam hæreſim tenet, velut omnes ex conciliorum generalium geſtis norunt; circa doctrinam vero & numerum ſacramentorum, omniaque illa quæ à nobis ſuperius dicta ſunt, & luculentiſſime præſertim de hoc quod tranſubſtantiationis vocabulo, ſignificatur, eo perinde modo credunt atque Catholica eccleſia, quemadmodum ipſiſmet oculis noſtris ſingulis horis cernimus, B *ſenſuque & ſermone comperimus hic in ſancta civitate, in qua ex his omnibus habitant, & peregrinationis ergo verſantur eorum complures, quotquot ſive ſapientes, ut quidem illis cenſentur, tum etiam illitterati homines:* καὶ σαφέστατα ἰδίως περὶ τοῦ σημαινομένου τῆς Μετουσιώσεως οὕτως πιστεύουσι τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὡς αὐτοῖς ὄμμασι ὁσημέραι βλέπομεν, καὶ αἰσθήσει, καὶ λόγῳ μανθάνομεν ἐνταῦθα ἐν τῇ ἁγίᾳ πόλει Ἱερουσαλὴμ, ἐν ᾗ ἀπὸ πάντων καὶ οἰκοῦσι, καὶ πάντοτε ἐπιδημοῦσι πλεῖστοι, ὅσοι παρ' αὐτῶν, σοφοί τε, ὅσον κατ' αὐτοὺς, καὶ ἰδιῶται.

Chaldaïco ſive Syriaco idiomate, in liturgia utuntur Neſtoriani omnes.

XLIV. Divinam autem liturgiam, totum- C que eccleſiaſticum officium per omnem ſuam diœceſim Neſtoriani celebrant Chaldaïco ſive Syriaco ſermone, juxta atque à S. Thaddæo in Seleucienſi eccleſia reliquarum matre & primaria inſtitutum fuit. Seleucia quippe etſi Parthici imperii illius tempore caput erat ac paulo-poſt Perſici, Babyloniæ tamen Chaldææ civitas cenſebatur, in qua nimirum condita eſſet, familiariſque adeo ejus civibus erat Chaldaïca ſive Syriaca lingua, velut & Meſopotamiis & Aſſyriis, ſed & Perſis qui regiones trans Tigrim poſitas incolebant, D communiſſima quoque erat, ut obſervat Epiphanius hæreſi 66. n. 13. ubi ait Manem illius hæreſis auctorem libros varios edidiſſe, quorum unum in viginti duas partes diſtribuerat, alphabetico ordine pro litterarum quibus Syri utuntur numero. Χρῶνται γὰρ, inquit, πλεῖστοι τῶν Περσῶν μετὰ Περσικὰ στοιχεῖα καὶ τῷ Σύρων γράμματι, ὥσπερ παρ' ἡμῖν πολλὰ ἔθνη τοῖς A Ἑλληνικοῖς κέχρηνται, καίτοιγε ὄντων σχεδὸν κατ' ἔθνος ἰδίων γραμμάτων· ἄλλοι δὲ ἤδη τὴν βαθυτάτην τῶν Σύρων διάλεκτον σεμνύνονται. *Nam plerique Perſarum præter elementa Perſica Syrorum quoque litteris utuntur, quemadmodum apud nos innumeræ gentes Græcas adhibent, tametſi ſingulæ fere ſuas ac proprias habeant. Sed & alii profundiſſimâ Syrorum linguâ impenſe gloriantur.* Addit & Palmyrenorum dialectum & litteras.

De S. ſcripturæ tranſlatione Syriaca.

XLV. Ut à S. Thaddæo primitus chriſtianam religionem, ſic etiam ab eodem ſcripturæ B veteris Teſtamenti libros in Syriacum ſermonem ex Hebræo ſacro contextu tranſlatos accepere. Velut enim Apoſtoli gentibus illis quibus Græca lingua communis erat, aliam illorum librorum tranſlationem non tradiderunt, præter illam quæ apud Judæos Helleniſtas recepta erat, quamque illi à ſeptuaginta Interpretibus elaboratam jactabant, eodem quoque modo Thaddæus Chaldæis, Meſopotamiis & Syris libros eoſdem à Judæis in Chaldaïcum idioma jam tranſlatos in eccleſiis legendos dedit. Quod in cauſa fuit cur à mul- C tis Chaldaïcæ illius tranſlationis auctor putatus ſit. Illam vero tranſlationem à Judæis elaboratam fuiſſe, eam aſſidue legendo multis ex locis agnovi; inprimiſque dum illam conferrem cum Paraphraſi Judæorum Chaldaïca, tantam inter utramque conſonantiam deprehendi, ut pro certo affirmare non dubitem unum & eumdem earum auctorem fuiſſe. Quanquam fatendum non omnes & ſingulos ſcripturæ libros ab eodem Syro interprete prodiiſſe, quin potius alios atque alios ab aliis atque aliis Chaldaïce redditos fuiſſe. Quod D vero novi Teſtamenti libros ſpectat, eorum Syriaca tranſlatio S. Thaddæo recentior habenda eſt, ſed nec primitus olim volumina alia complectebatur, quam quæ in Antiochena eccleſia vulgo legebantur. Interpretem vero indicare fruſtra quis aggrederetur. Sequiori autem ævo librorum qui in Antiocheno canone veteri non extabant, Syriaca quoque tranſlatio adornata fuit.

Digitized by Google

CATHOLICI CHALDÆORUM, SEU MAGNÆ SELEUCIÆ AD TIGRIM.

I. THADDÆUS, *qui &* ADDÆUS.

CHALDÆI Chriſtiani, qui Neſtorii hæreſim ſæculo quinto labente vel ſexto ineunte amplexi ſunt, Catholicorum ſeriem ſuorum arceſſunt à S. Thaddæo vel Addæo ſeptuaginta duorum Domini Salvatoris Diſcipulorum uno, à quo Edeſſæ eccleſiam primum fundatam inſtitutamque eſſe ſuo loco dixi, quum eam in urbem à S. Apoſtolo Thoma ad Abgarum regulum miſſus eſſet. Hunc eſſe illum aiunt qui in Evangelio Joannis Nathanaël nominatur, filiumque Tolmai: quod certe, ut conjicio, occaſioni fuit ut S. Apoſtolus Bartholomæus idem eſſe ac Nathanaël putatus ſit à quibuſdam, quum Syriaco ſermone vel Chaldaïco, *Bartholomæi* nomen idem Latine aut Græce ſonaret, ac filius Tolmai. Atqui Chaldæi & Meſopotamitæ *Apoſtolum* nuncupant Addæum; quo nempe doctore ampliſſimæ Orientalis tractus regiones chriſtianæ religionis documenta primitus acceperunt: qua nempe appellatione Græci Marcum & Lucam Evangeliſtas, Timotheum & alios Apoſtolorum diſcipulos perinde inſignire non dubitant. De S. Addæi Edeſſam adventu, & prædicatione per regiones Orientis varias, hæc Neſtorianus ſcriptor Maris filius Salomonis tradidit, præmiſſo hocce titulo: *Nomina Catholicorum Orientis.* Mox, *Primus,* ait ille, *Addæus ſive Thaddæus Apoſtolus, qui fuit ex ſeptuaginta Domini diſcipulis, à S. Thoma miſſus eſt in Orientem.* Pergit ille auctor: *Maris ejus diſcipulus. Addæum Thomas in Orientem miſit, quem ſequutus eſt Maris ejus diſcipulus. Quum Addæus Roham* (Edeſſæ urbis nomen aliud eſt) *veniſſet, manſit apud virum quemdam timentem Deum: ejuſque fama ad Abgarum perlata, intellexit Princeps, pollicitationem ſibi à Chriſto factam impleri. Quamobrem Addæum accerſitum humi ſe proſternendo veneratus eſt, admirans hominis formam humana auguſtiorem, quæ pariter admiratio cæteros perculit. Tum Addæus, propter fidem, inquit, tuam miſit me Dominus, ut te ab infirmitate qua laboras ſanarem, & à peccatorum pelago liberarem. Tum Abgarus habere ſe in animo ait, ut Judæos omnes in ſua provincia deleret, in ultionem illatæ Chriſto, infantibuſque ipſius cauſa mortis. Addæus vero docuit omnia hæc, cæleſti providentia adminiſtrante, geſta eſſe;* A *tum impoſitis manibus à lepra illum curavit, varia deinde præcepta dedit, infirmoſque omnes civitatis crucis ſigno curavit. Obtulit Addæo pecunias Abgarus, quas ille recuſavit, dicens: Gratis accepimus, gratis damus. Eccleſiis illic ædificatis, Niſibim profectus eſt cum Ahi & Mari, incolaſque baptizavit. Marim miſit in Orientem verſus Haram, Ahim vero in Cordai & Bezabdæi. Addæus porro prædicavit Haza & in regionibus Bajormi & Moſul. Deinde Edeſſam reverſus, ibidem obiit poſt annos 22. ſuperſtite* B *adhuc Abgaro.* Qua narratione non conſtat Thaddæum Addæum-ve Seleuciæ prædicaſſe, nedum ibi ſediſſe epiſcopum, ut primus urbis hujus antiſtes haberi debeat.

Ahi vel Aches, Achæus-ve Addæi diſcipulus, regreſſo Edeſſam magiſtro ſuo, profectus eſt in montanam regionem Ahwaz vel Suſianam, & alias Sindiæ vicinas, ubi Chriſtum annuntiavit. In his porro eccleſiis quum vetus Teſtamentum Hebraïce, trito Judæis more, legeretur, ſacrum illum contextum Syriace C tranſtulit. Accepta S. Addæi nece Edeſſam, Chriſtianos hujus urbis incolas ſolaturus repetiit, ſed à Maano Abgari filio qui Gentilium ſuperſtitionibus ſtudebat, necatus quoque eſt. Atqui non cenſetur iſte inter Catholicos Seleucienſes, quippe qui Seleuciæ nunquam ſedit.

II. MARIS I.

Maris vel *Mares* Apoſtolus quoque Chaldæis appellatur: Seleuciæ primus epiſcopus D fuit, illuc ut prædictum eſt, ab Addæo Chriſtianæ religionis condendæ cauſa miſſus, qui fidem in regione primùm Beth-Garme vel Begarme, deinde in Babylonia, tum Ahwaz, ſive Suſiana, cis & trans Tigrim, in Caſcar vel Caſgar propagavit. Evangelium ab ipſo Perſas accepiſſe negavit aliquando Perſidis metropolita Simeon eique obnoxii præſules, religionem ab ipſo Thoma Apoſtolo ſuam in provinciam invectam cauſantes, ſeque Seleucienſi Catholico vel Primati obſtrictos E negantes, adverſus Timotheum I. Catholicum XLV. de qua lite ſuis locis iterum ſermo erit. In illis porro regionibus Eleona vir quidam præpotens Chriſti fidem amplexus, trecentas & ſexaginta eccleſias ædificavit ampliſque redditibus locupletavit, monaſteria quoque aut cellas. Venit Mares Seleuciam,

BIBLIOTECA DERECHO

ubi Magorum ingens auctoritas erat, artiumque magicarum ſtudium vigebat, habitaque cum Dionyſio ſacerdote quodam congreſſu, canonem ſcripſit, quo ab ejuſmodi flagitiis abſtineretur. Illic publici epuli conſuetudo erat, juvenum atque ſenum ſcorſum, quò Maris accedens, convivii principem repentino morbo correptum ſigno crucis ſanavit; illis eum uti Deum venerantibus, ipſe ſe Apoſtolum dumtaxat profeſſus eſt omnipotentis Dei cœli terræque creatoris, Chriſtique adeo fidem inſinuavit. Quibus illi auditis Marim convivii parentem renunciarunt. Alia ibidem miracula edidit, quibus illorum complures ad veram religionem adducti ſunt, eccleſiæque exſtructæ fuerunt, præſertimque celebris illa Cuchenſis reliquarum ampliſſimi illius Orientalis tractus mater, in qua deinceps reliqui ejus ſucceſſores Catholici inaugurari juſſi ſunt. Badraïam in vicum Seleuciæ & Cteſiphonti vicinum, qui & *Durkani* ſubinde dictus eſt, profectus, mulierem quandam opulentam, cui *Kani* nomen erat ſacro baptiſmo tinxit, quum ea ab ipſo leprà exempta eſſet: cellas monaſterii inſtar condidit pro Pyræo quod ibidem prius exſtiterat, ubi ſepeliri voluit. Seleucia Caſgarim perrexit, incoliſque ad fidem ab idolorum cultu converſis epiſcopum ordinavit. Hinc natam eſſe conſuetudinem aliam ferunt, ut Catholicus ab epiſcopo Caſcarenſi conſecraretur. Seleuciæ Maris obiit anno Alexandri 393. Chriſti 82. die 19. menſis Tamur qui Julio noſtro reſpondet, quum ſediſſet annos 33. Hæc de Mari I. Catholico Maris Salomonis filius, quem Amrus Matthæi filius Neſtorianorum alter ſcriptor in texenda Catholicorum hiſtoria ſequutus eſt.

III. Abres.

Marim excepit *Abres* vel *Abris* Hebræus genere, ex Joſephi Mariæ Virginis ſponſi parentela, inquiunt, Hieroſolymis à Simeone filio Cleophæ deſtinatus, vel ut quidam volunt, divina revelatione deſignatus, qui Maris in locum ſufficeretur, quum ſingulorum ordinum gradibus initiatus eſſet. Miſſus itaque in Orientem charitate, aliiſque præclaris actibus commendatiſſimus fuit, epiſcopiſque ſui ſimillimis per diverſa loca conſtitutis migravit in cœlum exacto præſulatus anno 16. Hæc quidem de Abre Maris Neſtorianus: cæterum Abdieſus in carmine de Joannis Sulacæ Catholici ordinatione, præſtantiſſimum & magnum hunc Abrem, quem Ambraſium interpretatur, Antiochiæ, non in Palæſtina ordinatum dixit. Quod idem Bar-hebræus, alias Gregorius Abulfaragius in Chronico Syriaco, Aſſemano teſte, tradidit.

IV. Abraham I.

Abrahamum Abris ſucceſſorem, neſcio quo jure ſancti Jacobi fratris Domini, filii Joſeph cognatum fuiſſe aiunt Chaldæi ſcriptores, & quum Antiochiæ ageret, accepto obitus Abris nuntio, ob præclaros mores, doctrinamque & eloquentiam electum ut per Orientem Catholici munere fungeretur. Huc porro quum adveniſſet, adverſa multa paſſus eſt, quum Perſarum ſeu veriùs Parthorum rex Chriſtianos acriter inſectaretur. Sedata vero perſequutio eſt, quum Abraham regis filium à dæmonio quo vexabatur exemiſſet. Seleuciæ epiſcopatum geſſit Abraham annos 12. ibique ſepultus fuit.

V. Jacobus I.

Abraham ſuffectus eſt *Jacobus*, & ipſe de familia Joſeph ſponſi B. Mariæ Virginis, Hieroſolymis ordinatus, ſuſceptis uno die ſingulis ordinibus, quum dignitatem diu recuſaſſet, ſic nempe tradunt Bar-hebræus & Maris Neſtorianus. Quanquam Abdieſus in carmine de ordinatione Joannis Sulacæ Catholici, Jacobum quidem Joſephi fabri affinem ſcripſit, verum Antiochiæ ordinatum Patriarchale ſchema ſuſcepiſſe: quod certe non ſic à vero abhorret. Virtutibus omnibus Jacobus ornatus, ſimiles ſui epiſcopos paſſim conſtituere curavit. Obiit 18. epiſcopatus exacto anno, ac menſibus ſex. Amrus quidem Neſtorianus Jacobum anno 501. Græcorum eſſe defunctum affirmat, quod ſi verum eſt ſedem Seleucienſem annos fere viginti poſt deceſſoris ejus Abrahami mortem vacaſſe oportet. Verum non ſic accurata putanda eſt ejuſmodi ſcriptorum Chronologia, quod remotiora illa tempora ſpectat. Sic cum recto temporum calculo minime conciliaveris, quod Barhebræus in Chronico ſcripſit Jacobi hujus Catholici ævo Porphyrium Siculum, Chriſtianæ religionis hoſtem vixiſſe; centum circiter annorum prochroniſmo peccans.

VI. Achadabues.

Poſt Jacobum I. ſediſſe fertur *Achadabues* vel *Ahad*, ejuſdem Jacobi filius, cognomento *Abouia*, qui parenti præclaris moribus ſimilis, ſucceſſor ejus deſignari meruit. Quocirca Antiochiam miſſus fuit adjuncto illi ſocio quem Bar-hebræus Kam-Jeſum nominat, & Maris & Amrus Jahad-Jeſum, ut alter eorum Catholicus conſecraretur. Qui quum illam in urbem perveniſſent, ad Imperatorem Romanum Antiochenus Patriarcha delatus fuit, ceu ad Perſas inclinaret, quod Chriſtianos inſectandi anſam præbuit. Quocirca facta amborum ac ſi exploratores eſſent, conquiſitione,

Digitized by Google

conquiſitione, Jahad-Jeſus vel Kam-Jeſus & vir primarius quidam qui illos hoſpitio exceperat, in crucem acti ſunt, ad fores eccleſiæ Apoſtolorum; Achadabues vero fugiens Hieroſolymam adiit cum Antiochenæ eccleſiæ litteris, ut illic ordinaretur. Quocirca ob nimias illorum temporum difficultates, ab Occidentalis tractus, Antiocheni nimirum & Syriæ epiſcopis conſtitutum eſt, ne in poſterum Orientis Catholicus illuc venire cogeretur ordinandus, ſed ab Orientalibus, Chaldæis ſcilicet, & Aſſyriis ſuis conſecraretur. Hinc aucta dignitas poteſtaſque fuit Seleucienſis Catholici, ut velut αὐτοκέφαλος eſſet, & Patriarchæ non abſimilis. Canone Arabico Nicæno 38. declaratur Patriarcham Antiochiæ à ſua ſynodo rogatum conſenſiſſe ut Orientis Catholici ordinatio in ſua urbe non fieret, nec de ablata ſibi in Orientis eccleſias poteſtate contriſtaretur.

VII. Sahlufa.

Achadabuem excepit *Sahluſa* vel *Sçahluſa* Caſcarenſis, vir doctus & facundus, pauperum curator & ſcholarum. Hic primus Antiocheno epiſcopo annuente, dignitatem Patriarchæ parem ſuſcepit in eccleſia Seleucienſi, quam præclarè geſſit annos 20. Sahluſam circa Nicænæ ſynodi tempora Modaïnæ, ſive Seleucienſis Cteſiphontiſque eccleſiæ epiſcopatu functum eſſe ex Chaldæorum Chriſtianorum documentis aſſerit Mares, ejuſque ævo Origenem claruiſſe; quum alioqui Amrus hunc ſancto Ignatio Antiocheno æqualem fingat, atque ab eo edoctum ut in eccleſia ſua alternis choris pſalmi canerentur. Adeo ſcilicet Neſtoriani illi priſcorum horum temporum rationes ignorabant. Cæterum Mares & Amrus illum tempore regis Perſarum Ardeſcir, ſive Artaxaris filii Balak vixiſſe referunt; quod non ſic à vero abhorret.

VIII. Phaphas.

Seleucienſem thronum poſt Sahluſam obtinuit *Phaphas* vel *Papas* ex pago quodam Iracæ oriundus, alii dicunt ex Perſide; vir Græcæ & Perſicæ linguarum peritus. Hic abſque Patrum ſolito conventu electus, à Davide Maïſanæ epiſcopo ſacratus fuit. Ejus tempore ſcribi cœperunt eccleſiaſticæ litteræ, quas *encyclicas* noſtri & *formatas* dixerunt. Vixdum pontificatum obtinuerat, quum Hormiſdas Perſarum rex, Ardeſciri ſive Artaxaris filius, in Occidentales provincias, trans Tigrim atque Euphratem ſcilicet poſitas, invadens, Antiochiam vicinaque illius loca populatus eſt, multoſque captivos in Perſidem adduxit; quam tamen expeditionem Sapori Hormiſdæ filio attribuunt

A ſcriptores alii. Conſtantinus imperium adeptus, Chriſtianam fidem profeſſus eſt, atque anno regni ſui 20. Chriſti 325. Nicænam ſynodum coëgit trecentorum & octo Patrum, epiſcopatus Phaphæ quinquageſimo nono, ut Bar-hebræus auctor eſt. Huic ſynodo Phaphæ Catholici nomine Simeon Barſaboë diſcipulus ejus, ac ſubinde ſucceſſor interfuiſſe fertur, ſynodalibuſque litteris ſtabilitus Orientalis Patriarchatus, Seleucienſis ſcilicet: utique propter eum canonem Nicænum Arabicum 38. cujus antehac mentionem feci.

B Cæterum novem poſt annis Orientalium epiſcoporum concilium habitum eſt, in quo Phaphas multorum criminum reus peractus eſt: quæ quum refellere non poſſet, ſacrum Evangeliorum codicem manu accipiens, pugno illum contendebat his adjectis vocibus: *Loquere Evangelium, loquere, quum mihi verba non ſuppetunt*, cujus impii facinoris cauſa manus ejus obriguit. Nimirum Mares Neſtorianus à Cl. Aſſemano tom. 1. Bibliothecæ Orientalis citatus, confirmat hunc extremæ proterviæ, quin & impietatis fuiſſe: & in

C vita S. Milles Suſarum epiſcopi tota rei geſtæ ſeries prolixius narratur, nempe ſanctum hunc antiſtitem, quum ad Aramæos profectus eſſet, Seleuciæ & Cteſiphontis eccleſiam teterrimo ſchiſmate diviſam reperiſſe, hujuſque tanti mali cauſam fuiſſe *ejuſdem eccleſiæ epiſcopum Phapham, Aghæi filium, hominem intolerandi faſtus, & ambitionis immenſæ; adeo ut antiſtites, qui ex diverſis locis ejus cauſam cognituri ad ſynodum convenerant, ſuperbe aſpernaretur, & preſbyteros quoque & diaconos eccleſiæ ſuæ indigne tractaret. Quocirca*

D *Milles hominem Deo inviſum & civibus infeſtum adoriens: Ecquod, inquit, fratrum tuorum crimen impulit, ut talia adverſus eos audeas, membra tua ſuperbe deſpiciens, ac nulla cauſa præcipiti odio exagitans, velut homo qui Deum neſciat! An-non ſcriptum eſt:* Qui fuerit princeps inter vos, ſit veſter ſervus! *Cui Phaphas, tu me ait, iſta doces, inſulſiſſimum caput, quaſi hæc ego non norim! Tum Milles extractum è pera Evangeliorum codicem in medio ſuper pulvinar depoſuit, ſimulque ad Phapham converſus, ſi te, inquit, piget iſta à me qui mortalis ſum, diſ-*

E *cere, agedum judicium pete ab Evangelio Domini quod oculis externis tuis patet, quando internus mentis tuæ oculus cæcat. Tum Phaphas diabolicis furiis actus, ſacrum codicem impia manu tundens, loquere, aiebat, Evangelium, loquere. Ad quas voces Milles commotus, cito accurrens, Evangelium amplexus, oſculatuſque eſt ſuiſque oculis admovit. Deinde frequenti populo audiente, alta voce Phapham compellans dixit: Quia, ſuperbe, talia auſus es, & adverſus verba vitæ Domini noſtri: ecce adſtat Angelus*

ejus, tuique corporis mediam partem areſaciet A *ad terrorem multorum, neque ſimul exanimatus eris, vita tibi diu manente in ſignum & portentum. Confeſtim Phaphas è cœlo tactus dimidia corporis ſui parte obriguit, & ad latus alterum collapſus, in hoc ſtatu duodecim annos ad obitum uſque ſuum cum incredibili dolore jacuit. Quod quidem ingenti terrore populum univerſum perculit.* Hæc vitæ S. Milles ſcriptor. Quanquam Bar-hebræus ait « exſtare epiſtolas conſolatorias à S. Jacobo Niſibeno & S. Ephræm ad Phapham ſcriptas de ejus dexteræ impedimenti cauſa, quibus epiſcopi reprehendun- B tur, quod in ipſum temerario auſu inſurrexiſſent; nonnullos vero exiſtimare Phapham Catholicum, quum ab epiſcopis damnatus eſſet, eas epiſtolas confinxiſſe. » Amrus aſſerit Phapham annos 79. epiſcopatum geſſiſſe, ſub octo regibus Perſarum, Sapore Artaxaris filio, Hormiſda, Behramis ſeu Wararanibus tribus, Narſe, Hormiſda II. & Sapore II. à quo urbs *Gondiſapor* condita fuit.

IX. Simeon.

Ex Mare Neſtoriano poſt Phapham ſeu C Papam Chaldæorum Catholicus fuit *Simeon* Barſabaï vel Bar-Saboë, deceſſore ſuo in vivis adhuc ſuperſtite electus, & ordinatus à ſynodo quæ Seleuciam illius ad ordinem redigendi cauſa convenerat. Ei Phaphas imprecatus eſt ne peccatum ei remitteretur; ſed Simeoni Patres Occidentis ſeu Antiocheni tractus veniam indulſerunt. Accuſatus ſubinde eſt Simeon quod Magos convertiſſet, quin regis matrem baptizaſſet; quamobrem Sapores, inſtigantibus Judæis, Chriſtianos ſexcentis ſuppliciis exagitans, centum cir- D citer ſacerdotes & diaconos necavit, unaque Simeonem. Quorum commemoratio fit feria 6. poſt reſurrectionem, quæ feria 6. confeſſorum vocitatur. S. Maruthas Tacritenſis, & Martyropolitanus, qui ſæculo inſequenti claruit, perſequutionis hujus hiſtoriam Syriacè ſcripſit; inprimis vero Simeonis Barſaboë Seleuciæ & Cteſiphontis epiſcopi, ſucceſſoris illius Phaphæ. Hunc piis parentibus natum tradit, & quum eccleſiam egregie adminiſtraſſet, una cum Abdaïcla & Hanania preſbyteris ſuis, ſub Sapore rege martyrio E functum anno à morte Domini pro Syrorum computo 295. regni Perſarum Parthico deleto reſtituti 117. Saporis 33. æræ noſtræ vulgaris 344. Græcorum, ſive Alexandri Magni 655. feria 6. Crucifixionis, ſive magnæ paraſceves, die 17. Aprilis, poſtquam annos decem & octo ſederat; Romanis demum imperante Conſtantino, contra quam viri docti perperam exiſtimarunt. Plane Sozomenus lib. 2. hiſt. c. 12. Theodoretus lib. 1. cap. 24. velut & Maruthas Martyropolitanus teſtes ſunt locupletiores, ab illo Imperatore Perſicæ perſequutionis cauſa ſcriptam eſſe epiſtolam illam quam Euſebius ipſe Ceſarienſis lib. 4. de vita Conſtantini c. 9. recitat, & ex illo Theodoretus cap. 25. Horum certè auctoritatem in dubium vocare nulla ratione cogi debemus. Sozomenus qui S. Maruthæ ſcripta noverat, Simeonem Seleuciæ & Cteſiphontis regiarum Perſidis civitatum archiepiſcopum, *Συμεώνην τὸν τότε ἀρχιεπίσκοπον Σελευκείας καὶ Κτησιφῶντος, τῶν ἐν Περσίδι βασιλευουσῶν πόλεων*, ſub Sapore feria 6. majoris hebdomadæ neci datum diſertè tradit. Tum alios martyres, epiſcopos, clericos laïcoſque recenſet qui tunc perinde conſumpti ſunt. Atqui Simeonis ejuſque ſociorum perhonorifica commemoratio fit in Menologiis Græcorum Romanoque Martyrologio die 21. Apr.

Bar-hebræus ab illo primùm inſtitutum tradit, « ut duobus choris alternatim in Orientis eccleſiis ſolemnes precationes canerentur, quemadmodum in Occidente, Antiochiæ ſcilicet, à temporibus Ignatii diſcipuli Joannis Evangeliſtæ Zebedæi filii ordinatum erat, utque non ex libro vel codice, ſed memoriter clerici Davidicos pſalmos in divinis officiis canerent. »

X. Sadost.

Simeone interfecto, ab epiſcopis qui in vivis ſuperſtites erant *Saaduſt* vel *Sadoſt*, illius archidiaconus, quin, ut fert Bar-hebræus, ſororis ejus filius, ſecreto in peculiari domo, Seleuciæ in Catholicum eſt promotus & conſecratus. Hunc ſorte electum ferunt, quod ſubinde in conſuetudinem à Chaldæis Chriſtianis receptum eſt. Anno epiſcopatus 2. Simeonem aliquando in ſumma ſcala ſtantem vidit, vocantemque ut ad ſe aſcenderet: unde intellexit brevi ſe ad Dominum martyrio tranſiturum. Captus itaque eſt poſt diem tertium, necique tunc datis Chriſtianis centum viginti & uno, Sadoſt ad Saporem miſſus Modaïnam, ſive Seleuciam aut Cteſiphontem, exacto tertio carceris menſe necatus quoque fuit. Eo tempore, ſi Mari credimus, inſtitutum eſt ut infantes baptizarentur, quum antehac adulta tantum ætate id fieret, injunctumque ſimul fuit ut patrini Neophytorum curam gererent. Hæc quidem ex Mari ſcripſimus: ex Sozomeno vero & S. Marutha, pag. 188. to. 1. Bibliothecæ Orientalis, Simeonem excipit Sadoth vel Sadoſt, qui cum centum viginti & octo ſociis comprehenſus anno perſequutionis 2. Saporis 32. poſtquam ſqualore carceris quinque menſibus maceratus erat, Lapethum Huzitarum in urbem ductus capite plexus eſt, Luna 10. Sabat ſeu Febr.

Digitized by Google

menſis. Atqui *Sadoſt* nomen idem Perſice A ſonat atque amicus regis; Chaldæi vero Chriſtiani hunc vulgo nominant *Jeſadoſt*, hoc eſt amicus Jeſu. Hujus annua memoria recolitur in Martyrologio Romano die 20. Febr. in Menologiis vero Græcorum die 20. Martii, & 19. Octobris. Recte Aſſemanus obſervat, non duobus annis, ſed uno dumtaxat Sadoſt Seleucienſi eccleſiæ præfuiſſe, perperamque ab Amro Neſtoriano ſcriptum, poſt Simeonis ejus deceſſoris obitum Catholici ſedem vacaſſe. Nam Sadoſt ipſo anno ſecundo perſequutionis in carcerem conjectum Maruthas tradit. B

XI. Barbasinas.

Alter ſororis S. Simeonis filius *Barbaſinas* nomine Sadoſto martyri ſuffectus fuit, *Barbaſimen* dicit Sozomenus Βαρϐασύμῃν, Mares *Barbameſin*, patriaque Bajormitam fuiſſe narrat: qui anno perſequutionis ſexto cum ſexdecim diverſorum criminum reis comprehenſus, Ledan Huzitarum urbem tranſlatus, ibidem in carcere annum integrum detentus fuit, ac demum capite minutus, Luna 9. menſis Canun poſterioris, ſeu die nona Januarii. Ita C quidem ex S. Maruthæ calculis, qui leguntur tom. 1. Bibl. Orient. pag. 190. Barbaſinas martyrium obiit anno 7. perſequutionis tranſacto, quum annos ſeptem ſediſſet, at non certe integros & completos, ut Bar-hebræus cum Amro facile concilietur, quum Mares perperam ei duodecim pontificatus annos tribuat. Eum porro Mares idem ab epiſcopo Ahowaz ſepultum prodit. Amrus eo Seleuciæ eccleſiam gerente, Kardagum Beth-Garmæ ſeu Bajormi regulum Chriſtianam fidem amplexum, & pro ea ſanguinem fudiſſe refert D anno Saporis 49.

Sedes vacat annos 20.

XII. Tamusa.

Poſt Barbaſinæ martyrium Seleucienſis ſedes annos circiter 20. epiſcopo vacua manſit, velut Aſſemanus evincit adverſus Amrum qui 31. vacuæ ſedis annos numeravit. Demum *Tamuſa*, uti legit Bar-hebræus, vel Tomarſa, uti Mares & Elias Damaſcenus epiſcopus, Seleucienſi ſedi impoſitus fuit, vir Caſchara oriundus. Sedebat, ut fert Bar- E hebræus, quo tempore Jovianus Imperator Juliano Aug. necato pacem fecit cum rege Perſarum, & octo epiſcopatus annis exactis mortem obiit.

XIII. Abdiesus I.

In Chronico Maris Tamuſæ vel Tomarſæ proximus ſucceſſor *Abdieſus* vel *Ebed-jeſus* nominatur, cui cognomen Kanani fuiſſe fertur, quaſi dicas *expoſititius*. Hic ſcholam ædificavit, qua admodum contulit, ut multi Gentiles ad Chriſti cultum converterentur: ſed & Seleuciæ eccleſiam crucis erexit. Quum ejus tempore Marcionitarum ſecta in Oriente adhuc vigeret, horum inſidiis appetitus fuit. Quot annis Abdieſus ſederit, aſſequi prorſus non licuit.

Sedes vacat ann. 2.

XIV. Cajuma.

Mares Neſtorianus Abdieſu exſtincto Seleucienſem ſedem annis duobus vacaſſe prodit. Aſſemanus to. 1. Bibl. Orient. pag. 177. *Mares*, ait, *& Amrus Neſtoriani in vita Cajumæ decimi quarti Chaldæorum Patriarchæ, referunt Marutham concilio Conſtantinopolitano ſub Theodoſio M. interfuiſſe.* Sedebat igitur Cajumas anno 381. quo ſynodus illa celebrabatur. Prius vero quam ad epiſcopatum Seleucienſem promoveretur, annis duobus ea ſedes vacaverat. Atqui tempore Cajumæ pax inter Arcadium Imp. & Iſdegerdem Perſarum Regem ſancita eſt, Maruthæ epiſcopi Martyropolis ſeu Miapheracinæ opera: qui quum Byzantium remeaſſet, à Theodoſio juniore ad eumdem Iſdegerdem miſſus fertur, ut filium ejus à lepra mundaret: id quod ſanctus ille præſul divina ope præſtitit, aliaque in Perſarum ditione miranda patravit. Horum prodigiorum cauſa facultas ei conceſſa eſt eccleſias paſſim ædificandi, quarum una memoratur Babylone exſtructa ad lacum Daniëlis. Atqui Cajumas coacta tunc temporis ſynodo Orientalium cui Maruthas interfuit, primatum ſponte abdicavit anno epiſcopatus quinto, Græcorum 719. Chriſti 407.

XV. Isaac.

In ea ſynodo quæ Cajumæ abdicationem admiſit in ejus locum promotus fuit *Iſaac*, Tamuzæ vel Tomarſæ Catholici affinis, ea vero lege ut quoad Cajumas in vivis ſuperſtes foret, nihil quidquam citra ſententiam ejus moliretur. Tunc vero S. Maruthas Occidentalium leges & jura admittenda inſinuavit: nimirum in frequenti concilio, quod Seleuciæ anno Iſdegerdis undecimo in feſto Nativitatis Domini celebratum eſt, cui adfuerunt epiſcopi quadraginta. In eo canones viginti ſex conditi ſunt quos laudatiſſimus vir Renaudotius to. 2. Liturg. Or. pag. 272. in Syriaco codice à ſe lectos teſtatur, & de quibus ſingulari quam ſua manu exaratam reliquit, lucubratione diſputat. Synodorum quoque cogendarum tempus in eo conventu conſtituendum curavit, Martyrum quoque reliquias collegit quarum partem in urbem ſuam, quæ idcirco Martyropolis dicta eſt, partem aliam in Occidentem adſportavit. De hac

Digitized by Google

ſynodo Simeon Beth-Arſamenſis in epiſtola de Neſtoriana hæreſi quæ to. 1. Bibl. Orient. recitatur, *fidem Catholicam,* inquit, *ſanxerunt & confirmaverunt epiſcopi quadraginta Perſicæ regionis coram Marutha epiſcopo, qui à Cæſare Romanorum Imperatore ad Iſdegerdem regem anno regni ejus XI. delegatus erat.* Hebedjeſus Sobenſis metropolita in Epitome canonum ſynodalium cap. 3. hiſtoriam laudat concilii Nicæni quam Maruthas Miapherekinenſis ſcripſerat. Quod vero Iſaac attinet, is Conſtantinopolim quoque perrexerat, ubi triginta epiſcoporum ſynodus altera habita eſt, in qua multa dixit de fide Orientalium. Inde cum Acacio Amidenſi archiepiſcopo captivos quamplurimos redemit, vaſis eccleſiæ venditis quæ à Patricio Romano quodam confecta erant. Sedit annos 11. & anno Iſdegerdis 18. ut fert Amrus, Græcorum 728. Chriſti 416. diem obiit extremum, ac Modaïnæ ſive Seleuciæ ſepultus fuit; quæ quidem ex dicendis prorſus ſunt emendanda. In præfatione canonum 26. de quibus mox dictum eſt, doctiſſimus Renaudotius teſtatur Iſaacum dici Maruthæ fratrem.

XVI. ACHÆUS.

Achæus vel *Ahi* Iſaaco ſuffectus fuit, vir jejunandi conſuetudine inſignis, qui Abdæ diſcipulus fuiſſe fertur. Iſdegerdes rex Achæum ad Bihorum Saporis filium qui, ut videtur, in Perſide rebellaverat, delegare non dubitavit. Ex Amro Achæus ſcripſit hiſtoriam ſanctorum Martyrum qui ſub Sapore rege olim occiſi erant, quod quidem, ait Amrus, Daniël Mariæ filius in eccleſiaſtica hiſtoria ſua confirmat; quin & vitam ſancti ſui præceptoris Abdæ. Mares Ebed-Meſſiam compoſita voce dicit, non Abdam ſimplici vocabulo. Annos porro ſeptem epiſcopatum geſſit.

XVII. JAHABALAHA.

Poſt Achæum omnium conſenſu Catholicus electus eſt *Jahabalaha,* Iſdegerde rege favente, qui tunc proinde cum Chriſtianis quos inſectabatur, mitius agere cœpit, interpellante ſcilicet apud ipſum Iſaac patricio Armeniæ, à quo ea regio Perſicæ ditionis facta erat. Quin & eum delegavit ad Theodoſium Imp. à quo muneribus ampliſſimis auctus, poſt ſuum in patriam reditum, eccleſias ædificavit & inſtauravit, ac Seleucienſem præſertim, vaſiſque pretioſis ornavit. Ejus tempore Theodoſius Marutham ad reges Perſidis ambos Iſdegerdis filios iterum delegavit, quîcum Catholicus concilium celebravit, in quo ſanciti olim canones renovati ſunt. Ex Cl. Aſſemano to. 1. Bibl. Or. pag. 176. & 194. Dionyſius Jacobitarum Patriarcha ſynodi Perſicæ alterius meminerat, A cujus præſides fuerant Jahabalaha & Maruthas. Ejuſdem voluminis p. 177. Aſſemanus refert ex Salomone Boſtrenſi, Jahabalaham diſcipulum fuiſſe Abdæ Suſianæ epiſcopi. Annos quinque Jahabalaha ſedit, quum pontificatum iniiſſet anno 16. regis Iſdegerdis. Cæterum Amrus Jahabalaham ſub Iſdegerde defunctum ſcripſit, antequam ille Chriſtianos inſequi cœpiſſet. Cui calamitati occaſionem dediſſe non quidem ipſius Abdæ Suſianæ epiſcopi, ſed Hoſee eccleſiæ illius preſbyteri facinus, qui in ea urbe Pyræum B Chriſtianorum templo contiguum deſtruxit: quam ſubinde perſequutionem Iſaac Armeniæ patricius ſedare obtinuit.

XVIII. MAHNA.

Inter epiſcopos qui cum Jahabalaha Catholico egregiam pro religione operam navaverunt, inſignis fuit *Mahna* vel *Maanes* Perſidis metropolita, qui ei mortuo ſuffectus fuit, quum regi Iſdegerdi ob Perſicam originem acceptus eſſet. Hæc quidem Mares Neſtorianus de Maane, quem alii Neſtoriano C morbo quem in Edeſſena ſchola ſub epiſcopo Iba acceperat, laborantem deprehenſum eſſe produnt. Ejus tempore accidiſſe fertur ut Pyræum illud, de quo mox dicebam, deſtrueretur, atque Maanem Iſdegerdi regi hujus facinoris cauſa irato reſpondiſſe, penes Principem eſſe tributa imperare, non religionem: quocirca Narſem deſtructi Pyræi auctorem, quem Amrus ut prædictum eſt, Hoſee nominavit, à rege occiſum, Catholicum in exilium actum, & in carcerem truſum, ex quo poſthac eductus fuit. Cæterum D ubi Neſtorianam hæreſim Maanes fovere deprehenſus eſt, à ſuæ diœceſis epiſcopis depoſitus fuit. Quanquam Amrus Maanæ deſtitutionem aliter narrat, apud Aſſemanum to. 2. Bibl. Orient. pag. 402. aſſerens illum in exilio de quo diximus, mortuum eſſe. *Hic,* inquit, *Syriace & Perſice doctus Perſidis epiſcopatum gerebat: quumque magna apud Iſdegerem auctoritate polleret, rex Patres compulit ut eum in Patriarcham eligerent. Mox in ipſum indignatus, dilacerari primum ejus veſtes, deinde relegari in Perſidem hominem juſſit; additis* E *ad metropolitas & epiſcopos mandatis, ut eum neque clam, neque palam Patriarcham appellarent. Quum autem in Perſidem deportatus eſſet, Iſdegerdi renunciatur, conſtitutum ibi gregem ab eo gubernari. Præcepit itaque rex ut in carcerem truderetur, ex quo nonnullorum rogatu dimiſſus, in Perſide mortuus eſt.* In Maanis rebus recenſendis ſcriptores varii admodum ab invicem diſcrepant; ſatius mihi viſum eſt eorum narrationes ſingulas ſtrictim nihil definiendo referre, ut horum fides ſit penes

Digitized by Google

auctores. Aiunt Maanis tempore Nageranenſes Arabes Chriſtiana fide imbutos eſſe, inque eos Judæum quemdam nomine Merouz crudeliſſime ſæviiſſe, quod tamen ad poſteriora, Juſtini ſcilicet, aut Anaſtaſii Impp. ſpectare putavero. Item anno Græcorum 734. Chriſti 423. S. Jacobum Interciſum die 27. Novembris martyrio functum ſcribunt, quod quidem falſum eſſe oſtendit Aſſemanus to. 1. pag. 181. Quot annos Maanes ſederit aſſequi certo non potui: hoc unum ſtatuunt auctores, Jahadalaham ejus deceſſorem interiiſſe anno Iſdegerdis vigeſimo.

XIX. Maraboctus.

Exſtincto Maane Catholico, ſuffectus ei eſt *Marabuſt* vel *Maraboctus*, vel *Karaboctaus*, ſed non ſine ſimoniæ labe. Is enim quum epiſcopus eſſet Caſroum vel Caſrum, pecunia pacta apud Beheram ſeu Vararanem Iſdegerdis I. filium egit ut in Catholicum promoveretur; addunt pollicitum eum eſſe ſe Magicam ſectam amplexurum. Quæ ubi cognoverunt epiſcopi, magnatum Perſicæ gentis opere, paucis poſt menſibus illum Seleucienſi ſede ejecerunt.

XX. Dadjesus.

Dadjeſus in Maraboćti locum ſubrogatus fuit, ab epiſcopis, clericis & plebe electus; qui triginta & unum annos ſedit. Ordinationem ejus conſignat Amrus ad annum Græcorum 741. Chriſti ſcilicet 431. eique epiſcopatus annos 35. tribuit. Mox ab ordinatione ſua Simoniacos epiſcopos exagitans hos dignitate ſpoliavit: ſed ab illis neſcio quorum criminum actus reus throno & ipſe pulſus fuit, quin & in carcerem conjectus, Oratoris Theodoſii Imp. qui cum Beheramo vel Varanane reconciliatus erat, dimiſſus demum fuit, ſuæque ſedi reſtitutus, illos ſedibus iterum ſuis amovit, ſanctiſſimiſque regulis ſancitis eccleſiam rite adminiſtravit, Varanane rege, imperantibus apud Romanos Theodoſio, Marciano, Leone & Zenone. Fruſtra Amrus eum ſub Pheroze vixiſſe ſcripſit, quippe qui regnum adiit poſt annum 462.

XXI. Babuæus.

Deleta omnino Zenonis Imp. juſſu Neſtoriana ſchola Edeſſena, eaque urbe exactis Perſis, qui litterarum ergò illuc conveniebant, complures ex illis in Perſidem regreſſi epiſcopatibus donati fuerunt. Horum præcipui fuerunt *Babuæus* & Acacius, ut fert Simeon Beth-Arſamenſis to. 1. Bibliothecæ Orientalis relatus, qui Aſſyriorum epiſcopatum unus poſt alium geſſerunt. Simeon idem aſſerit Babæo vel Babuæo Neſtorianum virus

A eſſe propinatum à Mari Taalenſi. Cæterum Babuæum in Magorum ſchola primùm educatum ferunt, atque à quodam de Seleucienſi ſchola Chriſtianum factum, illius urbis ſedi poſtmodum impoſitum eſſe: quod quia contra regis Iſdegerdis I. præceptum patratum erat, Catholicus carceri traditus eſt, unde non exivit niſi Oratoris Imperatoris Romani opera, quum pax inter utramque gentem ſancita eſſet. Accuſatus ſimoniæ fuit, & quum fruſtra monitus eſſet, ut ab ea labe abſtineret, fideles relictis eccleſiis euchariſtiam & bap-

B tiſmum in privatis ædibus celebrarunt. Ejus tempore Barſumas & Narſes Niſibeni metropolitæ ad Neſtorianam impietatem quam profitebantur, conſtitutiones ſynodicas addiderunt, quibus connubia epiſcopis, ſacerdotibus & monachis qui continere non poſſent, indulgebantur, ipſeque Barſumas monacham duxit uxorem. Annuit primùm illis Babuæus, ejuſque adeo communionem Occidentales abjecerunt; quos ut ſibi reconciliaret, epiſtolam eis ſcripſit per duos monachos: at quum Niſibi tranſirent, Barſumas blanditiis cum

C eis egit, ut eam ſibi traderent. Litterarum ille compos factus, Babuæum ad regem Pherozem detulit tanquam exploratorem, & Romanorum Imperatori addictum, quippe qui illis in litteris *Perſarum regnum impium* appellaret. Iratus rex Catholicum digito ſuſpenſum tandiu cædi juſſit donec animam efflaret, quin & Barſumas Pherozi ſuaſit, ut ſibi in mandatis daret in eos qui Romanorum fidem colerent animadvertere. Ferunt in regionibus Beth-Garmæ & Nuhadræ ſeptem millia & ſeptingentos homines ab eo inter-

D fectos eſſe, in quibus fuerunt Bar-Sohede epiſcopus Ninives, & monachi duodecim cœnobii Cuchtæ. Sic porro nefanda Barſumæ opera Neſtoriana lue Chaldæorum gens Chriſtiana infici cœpit, quum conciliabula tria coëgiſſet, primum in pago *Adri* dicto, ſecundum Cteſiphonte, tertium Seleuciæ, vel, ut Bar-hebræus ſcripſit, ſecundum Seleuciæ & Cteſiphonte, tertium Lapethæ in Huzitarum metropoli. Ex Amro Babuæus anno Græcorum 777. Chriſti 466. ordinatus anno decimo quinto epiſcopatus Gabriëlem Sin-

E garenſem medicum à communione ſegregavit, & anno 20. à Pheroze rege necatus eſt.

XXII. Acacius.

Babuæo igitur *Acacius* ſucceſſit, ejus propinquus atque in eadem Schola Edeſſena educatus, qui, ubi electus fuit, Magorum impulſu in carcerem conjectus eſt, ubi ſermones de fide ſubſtantiarum duarum & de jejunio ſcripſit. A Barſuma ſtupri accuſatus, detectis membris ad coïtum inhabilis repertus

eſt, quam ille calumniam expiare conatus eſt. In Romanam ditionem profectus Acacius, Barſumam ſtatim à ſuo reditu deponere propoſuerat, hunc vero in patriam reverſus mortuum reperit. Nihilominus Barſumas Acacium vexare non deſierat, donec eum in ſuam ſententiam traxiſſet, ex quo tempore Catholici regionis Perſarum Neſtorii ſectam amplexi ſunt. Acacius Eliſahi Niſibeni quondam metropolitæ librum in Perſicum idioma tranſtulit, quo ille ſuæ religionis rationem reddebat. Mortuus eſt Acacius, & Seleuciæ ſepultus poſt annos quindecim epiſcopatus.

XXIII. Babæus II.

Acacium anno Zamaſpliæ Perſarum regis 4. Græcorum 809. Chriſti 498. excepit *Babæus II.* uxoratus, illiteratus qui ne legere quidem noſſet. Nihilominus voce cœlitus miſſa hunc in Catholicum electum eſſe mentiuntur, qui mox canonibus ſancivit ut ſacerdotes nuberent. A rege quæſitus de cura mortuorum, reſpondit *ob fidem Reſurrectionis.* Sedit annos quinque dumtaxat. Hic eſt Babæus ille Catholicus, qui, ut legitur in Bibliothecæ Orientalis tom. 1. pag. 358. Zabargani vel Mazarbani in Aramæorum ſive Aſſyriæ oppido ſcriba fuerat. Inter ea quæ epiſcopus & Catholicus geſſit, edixiſſe fertur ut clerici nubere cogerentur, virginem verò Deo ſacram connubio jungi prohibuit. De illo Babæo fortaſſe accipiendum reor quod Theophanes ad ſextum Juſtini Imp. annum narrat, Bazanem Chriſtianorum epiſcopum Cabadi Perſarum regi, acceptiſſimum fuiſſe, καὶ τὸν Χριστιανῶν ἐπίσκοπον Βαζάνην ἀγαπώμενον παρὰ Καβάδου, ſub cujus & Archimagi, ſeu Magorum principis conſpectu, Manichæos cum epiſcopo ipſorum rex necari juſſit, qui ſibi ſuaſiſſent, ut abdicato regno Phthaſuarſan filium ſucceſſorem ſuum inſtitueret. Atqui Babæus II. apud Amrum anno 814. Chriſti 503. obiit, quum ſediſſet annos quinque.

XXIV. Silas.

Babæo ſucceſſor ordinatus eſt archidiaconus ipſius *Silas,* tametſi uxoratus, qui ſuperbiæ, luxus & intemperantiæ ſubinde taxatus eſt, pecuniis quoque corradendis ſtudens. Eccleſiæ ornatus filio ſuo donavit, unde à viro quodam cui Mar-Althatano nomen, correptus, eum communione excluſit, ac præterea Elizæum Medicum filiæ ſuæ ſponſum ſucceſſorem ſuum deſignavit. Cæterum Cabades rex eum, ut-pote Chriſtianorum primatem, in honore habuit propter Borakum vel Joſakum epiſcopum Ahowaz per quem à morbo curatus erat: atque reddita

A eccleſiis pace eccleſias ædificavit. Silæ uxor eum ad colligendas opes inſtigabat, ut antehac Ammonia Barſumam. Periit anno Græcorum circiter 834. Chr. 523. quum ſediſſet annos decem & octo.

Addit Mares Juſtino, vel Juſtiniano Imp. naturas in Chriſto duas profitente, coactos in ſynodum Occidentalem epiſcopos 213. damnaſſe Severum ejuſque ſectatores, quicumque unam naturam jactarent: Severum in Ægypti ſolitudinibus exulem mortuum, ejuſque corpus à canibus laceratum: eo ex-

B ſtincto & Jacobo Sarugenſi, Jacobum Baradæum eorum hæreſim ſtabiliviſſe, quo *Tauritum* veniente, urbis hujus cives opinionem ejus amplexi ſunt: Jacobum Baradæum ſocios ſuos duos Georgium & Sergium epiſcopos creaſſe: demum hæreticos exagitante Romanorum Imperatore, multos eorum in Orientem ſeceſſiſſe, quorum aliquos Mar-Abda convertit, quin & contra illos Silam diſputaſſe.

XXV. Narses & Eliſæus.

C Poſt Silam Chaldæorum eccleſia ſchiſmate diviſa eſt, *Eliſæo* Medico quem, ut prædictum eſt, Silas ſibi ſucceſſorem deſignaverat, & *Narſe* de primatu eccleſiæ contendentibus. Narſem à Giavaro Niſibis metropolita Seleuciæ ſacratum tradit Amrus, Eliſæum *Sbaniræ* ſive *Cteſiphonte,* præter regulas, à Davide metropolita Maru, Paulo, ut fert Amrus, epiſcopo Ahwaz Huzitarum-ve, cum Jacobo Gondiſaporis, & Samuële Caſcharæ ex adverſo neutrum admittendum contendentibus. Elizæo favebat rex Cabades

D ob medicæ artis peritiam. Quo factum eſt ut ſinguli ſingulos ſuos in urbibus ſuæ ditionis epiſcopos conſtituerint. Schiſma annos 15. perſeveravit, ad mortem uſque Narſis, ejecto demum ab epiſcopis Eliſæo.

XXVI. Paulus I.

Narſe defuncto, epiſcopi convenientes Eliſæum communionis extorrem fecerunt & deſtituerunt, electuſque Catholicus fuit *Paulus* Borachi vel Jozachi Huzitarum epiſcopi ſucceſſor, vel, ut alii volunt, metropo-

E lita Gondiſaporis, vel, ut aliis demum placet, Seleuciæ archidiaconus, qui neutri illorum ſe addixerat. Is vero ſectæ primum Magorum alumnus fuerat, ſed viſo miraculo Chriſtianus factus, poſt baptiſmum in Romanorum Græcorum-ve regiones profectus apud Thomam Edeſſenum Græcam linguam didicerat, unaque ambo libros complures Syriacè interpretati erant. Conſtantinopolim profecti, trium ibi Patrum cenſuræ ſive Tribus capitulis ſubſcribere noluerunt, ac pro Mopſueſtienſi

Digitized by Google

Theodoro libros collegerunt. Catholicus factus Seleuciæ ſcholam inſtituit, aut ſaltem auxit, cui Iſai & Ramjeſus alius poſt alium præfuerunt. In crimen vocatus, Gondiſaporenſium cauſa, qui filii Choſrois I. regis adverſus parentem rebellantis partes ſuſceperant, eos Paulus durè increpatos ad officium revocavit, coactus deinde eſt collata pecunia eccleſiarum deſtructionem redimere. Quædam ſcripſit adverſus Magos de cultu ignis. Obiit anno Græcorum 846. Chriſti 535. epiſcopatus 16. atque Hiræ ſepultus eſt.

XXVII. Aba.

XXVIII. Joseph *ambo Neſtoriani.*

Joannes *orthodoxus.*

Paulo ſucceſſit *Abas*, cujus nomen ſolum reperi in ſæpe laudati Renaudotii excerptis ex Mare Neſtoriano, nimirum *Joſeph* qui medicam artem apud Græcos didicerat, & Niſibi monaſticam vitam egerat, Catholicum eſſe factum mortuo Mar-Aba. Aſſemanus vero ex Gregorio Bar-hebræo, & Amro tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 411. narrat Abam, vel Mar-Abam, uti vulgo à Neſtorianis appellatur, Magorum ſecta relicta Chriſtianum factum, Niſibi Syriacum, & Edeſſæ Græcum ſermonem didiciſſe. Ferunt, ait Bar-hebræus, Neſtoriani Abam, qui Thomam Jacobitam præceptorem ſuum Edeſſa Alexandriam ſequutus erat, cum Joanne Philopono Tritheïta converſatum eſſe, & ejus doctrina imbutum. Illius deinde cum Choſroë rege diſputationem deſcribit, qua finita à rege juſſum eſſe Magorum ſectam iterum, aliam-ve Chriſtianam, Neſtoriana relicta amplecti. Quod ſane mihi videtur incredibile, quum Perſarum regibus Neſtoriana opinio magis placeret, quippe quæ Chriſtum minime Deum cenſeret. Juſſis porro regiis Mar-Aba non obtemperans Aderbiganum eſt relegatus; unde inconſulto principe regreſſus carceri tradi meruit, in quo vivere deſiit. Ipſe utique eſt, quem Coſmas Indicopleuſta lib. 1. Opinionum de Mundo p. 125. Thomam Edeſſæ nominat & unà cum Patricio Conſtantinopoli à ſe viſum narrat, virum doctrina & aliis dotibus ornatiſſimum, qui ſubinde ad ſublimes Perſidis Pontificatus infulas evectus fuit. καὶ αὐτὸς νυνὶ ἐκ θείας χάριτος ἐπὶ τοὺς ὑψηλοὺς καὶ ἀρχιερατικοὺς θρόνους ἀνήχθη τῆς ὅλης Περσίδος. Amrus ab Aba præclaros canones editos refert, ejus nomine inſignitos, expoſitiones quoque veteris Teſtamenti & Novi, librum homiliarum Syriace, librum quoque Paracleticum & multos ſermones: ordinaſſe ritus eccleſiæ, & congregatis Patribus ſanxiſſe ne Patriarcha, aut epiſcopus uxoratus conſtituetur; quod introductum erat à rege Perſarum per Barſumam Niſibis metropolitam. Diſcipulos habuit complures in Neſtorianorum eccleſia celebres, ut puta Narſen Anbaræ epiſcopum, Jacobum metropolitam Beth-Garmæ, Paulum metropolitam Niſibis, Ezechiëlem epiſcopum Zuabiæ, Cajuram doctorem Hirtæ, Ramjeſum doctorem, Moyſen Carchæ epiſcopum, Barſabam Sciaakerdæ epiſcopum, Davidem metropolitam Maru, Sciubchalmaranum epiſcopum Caſcaræ, Thomam Edeſſenum, Sergium doctorem Hazæ, & Jacobum doctorem alium.

In actis B. Siræ Martyris quæ ſub Choſroë I. Perſarum rege paſſa eſt, legimus ipſam Circhæ Seleuci, id eſt in urbe Seleuci, vel Seleuciæ natam Chriſti fidem à Joanne urbis ſuæ epiſcopo edoctam. πρῴας μετὰ σπουδῆς ἐγερθεῖσα παραγίνεται εἰς τὴν ἐκκλησίαν πρὸς Ιωάννην τὸν τῆς πόλεως ἐπίσκοπον, *Prima cum feſtinatione in eccleſiam ad Joannem civitatis epiſcopum venit.* In fine Sira dicitur martyrio functa die 18. Peritii anno 870. Alexandri M. Chriſti 559. Atqui Joannem hunc eumdem eſſe, atque Mar-Abam vix conceſſero, ſed quum Sira à Catholicis Græcis inter ſanctas colatur, oportet catholicæ fidei alumna fuerit. Unde conjicio Joannem illum Seleuciæ epiſcopum non Neſtorianorum, ſed catholicorum fuiſſe qui illis in regionibus diu ſuperfuerunt, ut ex dicendis apertum fiet. Plane Choſroës Chriſtianis illis minime parcebat qui Romanorum, ſeu Græcorum fidem colerent.

Joannes Orthodoxus.

Amrus Abam in eccleſia Cochenſi de more ordinatum ſcripſit, anno Græcorum 847. Chriſti 536. obiiſſeque Hirtæ ineunte nocte feriæ ſextæ ſecundæ hebdomadis Jejunii Dominici, anno Choſrois Anuſcervani 21. Græcorum 863. Chriſti 552. exactis epiſcopatus annis ſexdecim & menſibus aliquot; atque poſt ejus mortem ſedem annos quinque pontifice vacuam fuiſſe.

Joseph.

Quod *Joſeph* attinet, opera Choſrois regis Catholicus renuntiatus dicitur anno Græcorum 863. Chriſti 552. Anno epiſcopatus ſecundo canones viginti promulgavit: anno inſequenti miris modis in epiſcopos & preſbyteros ſæviit. Simeonem epiſcopum Anbaræ in carcerem conjecit, altare ab eo ſacratum evertit, proculcata divina euchariſtia quæ in eo impoſita erat, ac Simeon in vinculis periit, epiſcopum Hahmaniæ ſede expulit. Epiſcopus Daraſberg libellum adverſus eum condit, ſed fruſtra. Demum Choſroës indulget ut ſynodice deponatur tertio epiſcopatus anno: ac novem poſt annis Anbaræ interiit. Ea circiter ætate Choſroës Antiochiam cepit. De eo conſule to. 4. de Perpet. fid. Euch. pag. 263.

XXIX. Ezechiel.

Joſepho ſuffectus ſtatim Catholicus eſt *Ezechiël* ille Zuabiæ epiſcopus, & Pauli ac Mar-Abæ quondam diſcipulus, qui ſacerdotes à Joſepho ordinatos confirmavit, quos ut ab officiis abſtinerent aliquando mandaverat. Coacta ſynodo canones edidit 36. Cum eo regi Choſroi Anuſcervano Niſibim pergenti obviam ivit Bacchus metropolita Niſibis, à quo pro concione laudatus fuit. Hujus tempore Abraham Caſcarenſis Philoſophus & monachus claruit, qui monaſticæ vitæ regulas condidit, cellas & monaſteria ordinavit. Sub Ezechiële inſtitutum eſt celebre illud *Jejunium* quod *Niniviticum* appellant, quodque à Jacobitis & Armenis perinde obſervatum eſt. Ait Amrus in cauſa fuiſſe graviſſimam luem quæ Joſepho & Ezechiële Catholicis in Oriente graſſata eſt, *Metropolita Beth-Garmæ & Ninives epiſcopus apud ſe decreverant Rogationes indicere. Quorum concilium Ezechiël approbans, ad univerſas Orientis regiones ſcripſit, ut omnes concordi animo eſſent, & jejunarent, orarentque ſpatio trium dierum, à feria ſcilicet ſecunda quæ vigeſima eſt ante jejunium magnum, ac Deum precarentur, ut eorum miſertus, preces ipſorum ſuſciperet velut olim Ninivitarum, averteretque mortem à populo ſuo. Edixit præterea ut triduanum hoc jejunium perpetuo obſevaretur. Quod quum illi peregiſſent exaudivit illos Deus, peſtemque ſuſtulit.* To. 2. Bibl. Orient. pag. 412.

Jejunium Niniviticum.

XXX. Jesuiab I.

Ezechiëlem excepit *Jeſuiab I.* epiſcopus Arzenroum, cujus urbis civis erat, qui Niſibi apud Abraham expoſitorem ſcripturas ſacras didicerat. Jubente rege Hormiſda Choſrois I. filio electus fuit, quum alii Job interpretem vellent, conſentientibus demum epiſcopis in throno collocatus eſt, in quo quidem annos 15. ſedit, ad annum uſque, ut Amrus tradit, Græcorum 907. Chriſti 596. qui addit Jeſuiabum ab Hormiſda rege delegatum eſſe ad Heraclium Imp. ſequeſtrumque pacis inter utrumque fuiſſe. Verum à vero aberrat Amrus, quandoquidem Jeſuiabus prius obierat, quàm Heraclius Imperium adipiſceretur. Obiit itaque Jeſuiab decimo quinto epiſcopatus anno, & poſt obitum Hiræ ſepultus fuit.

Sedes vacat ann. 7.

XXXI. Sabarjesus I.

Jeſuiab I. ſucceſſor fuit *Sabarjeſus* itidem I. Beth-Garmæ oriundus patre ovium paſtore, qui in Perſidem profectus monaſticam vitam egit, ac cellulam ſibi ædificaverat in monte Saharan. Mortuo ſuſcitato celebrem fuiſſe aiunt, atque à Jeſuiabo Arzunæ epiſcopum creatum. Choſroës, qui an. 901. Chr. 590. regnare cœpit, annuit ut in Catholicum promoveretur, anno Græcorum, ut numerat Aſſemanus, utique ex Bar-hebræo 915. Chriſti 604. quod ſi ita eſt Seleucienſem ſedem annos ſeptem vacaſſe oportet poſt obitum Jeſuiabi. Coacto nimirum feria 6. tertiæ hebdomadis quadrageſimæ concilio, epiſcopi quinque electi ſunt, quorum nomina regi obtulerunt. Quo quærente cur inter eos epiſcopus Arzunæ non reperiretur, infirmum eum eſſe illi cauſati ſunt. Eum nihilominus rex eligi voluit, id ſibi in viſu præceptum aſſerens. Quocirca illum aliquandiu apud ſe manere juſſit; quum interim Milas epiſcopus Elſen res Patriarchatus vicaria poteſtate gereret. Mauritius Imp. audita Catholici fama, pictorem miſit, qui illius effigiem exprimeret, quod annuente Choſroë factum eſt, viciſſim vero à Mauritio ligni Dominicæ crucis particula donatus eſt. Maruthas, neſcio cujus urbis epiſcopus, cum Imperatoris ad Choſroëm & Catholicum litteris venit, cui obviam perrexerunt Theodorus epiſcopus Caſcaræ, Mar-Aba epiſcopus Badraiæ, & alii. Maruthæ habitu ornato Catholicus offenſus fuit, cui ille reſpondit, Regibus & Patriarchis ornatum eſſe neceſſarium: Catholicus vero, Patriarchis interiorem convenire, Regibus exteriorem. Choſroës Sabarjeſum adegit, ut ſe comitaretur, quum ad ulciſcendam Mauritii necem Romanis bellum inferret, atque in expugnatione Daras diem obiit extremum anno epiſcopatus octavo, corpuſque ejus in oppido Gedam quod conſtruxerat, ſepultum fuit.

XXXII. Gregorius.

Ex Amro Caſcara oriundus erat *Gregorius* doctor qui Sabarjeſu I. ſucceſſit; Mares Nebſen ei patriam aſſignat. Populorum omnium conſenſu electus eſt, tametſi deceſſor ipſius monachum quemdam montis Saharan in Perſide nomine Bar-Halbeſaham, Seleuciæ educatum deſignaſſet. Alii Gregorium alterum volebant Niſibis metropolitam; prævaluit Sirina Choſrois regis uxor, & in Gregorium illum de quo prius dictum eſt, ſuffragia cunctorum propenderunt, qui quum ad Regem ſalutandum acceſſiſſet, queſtus eſt non eſſe illum quem ipſe optaverat. Illi qui Catholicum comitabantur Reginæ imperium allegarunt, quam nonniſi annuente rege ita conſuluiſſe cauſabantur, tum quod Gregorius doctor rebus gerendis magis idoneus videretur. Verum alius omnino fuit quam putabatur, avarus ſcilicet & pecuniis corradendis deditus.

Digitized by Google

deditus. Cæterum expugnata à Perſis Daras, multos inde libros tranſtulit. Fato functus eſt tranſacto pontificatus anno quarto, Græcorum 927. Chriſti 616.

Sedes vacat ann. 17.

XXXIII. Jesuiab II.

Gregorio defuncto, Choſroës Rex ejus ſtatim pecunias ademit, diſcipulis carceri traditis, variiſque ſuppliciis affectis, donec eas proderent. Quo nomine Chriſtianos duplicato tributo vexare cœpit, nec Catholicum eligi permiſit, unde Seleuciæ ſedes annos 17. vacavit, quam interim rexerunt Mar-Aba archidiaconus & Mar-Bawi, vel Mar-Babaï archimandrita monaſterii Mar-Abraham, ad regnum uſque Sirois regis.

Poſt Choſrois obitum Seleuciæ demum Catholicus electus fuit *Jeſuiab II.* quem Mares *Elliadbam* cognominat, Thomas Maragenſis *Gadalenſem, à Gadala* Arabum oppido in ditione Moſulenſi, epiſcopus Beledæ, in ſchola Niſibenſi inſtitutus; cujus tempore Ardeſir Siroï patri ſucceſſit, Siroë à Sirina noverca, veneno, uti fama erat, exſtincto, ut Choſrois necem ulciſceretur. Atqui Ardeſir dominicam crucem Romanis reſtituit, paulo-poſt vero interfectus quoque eſt. Quocirca Buran Choſrois filia, quæ ſola de genere illius ſupererat, regnum capeſſivit, & Jeſuiab Catholicum ad Romanum Imperatorem delegavit, qui cum eo communicavit. Ita quidem Mares, Thomas vero Maragenſis in hiſtoria monaſtica quam Syriace ſcripſit, non à regina, ſed à rege Jeſuiabum ad Romanum Imp. miſſum tradidit: *Hic Catholicus,* inquit, *omnem operam adhibuit ut litteras promoveret, deſtructaſque ſcholas inſtauraret; probos etiam epiſcopos ordinavit, & à Perſarum rege ad Imperatorem Romanorum delegatus, quum de fide rogatus eſſet, Græcorum ſe religionem ſequi ſimulavit & ſuſceptus eſt: Quod ubi ſubjecti ei populi audierunt, ob mutatam fidem offenſi, nomen ejus ex canone expunxerunt. Sed facta poſtmodum apologia quod Græcis minime conſenſiſſet, & quia rex ipſum adjuvabat, contradicere non potuerunt. Suſceptus itaque fuit, iterumque nomen ejus proclamatum fuit.* Hæc Thomas ille ab Aſſemano relatus, tom. 2. Bibl. Orient. pag. 417. ubi & ex Bar-hebræi Chronico fragmentum appellat epiſtolæ Barſumæ epiſcopi Suſæ ad Jeſuiab, quo ſic illum adoriebatur: *Niſi tria eccleſiæ luminaria, nempe Diodorum, Theodorum ac Neſtorium damnaſſes, & Cyrillum ſuſcepiſſes, vocemque* Dei genitrix Maria *protuliſſes, haud quaquam tibi permiſiſſent Græci, ut liturgiam ad eorum altaria celebrares: Ecquam igitur ad eos apologiam producis quibus præes, & quorum ſedem occupas!*

A Perperam itaque hujus facti invidia in Sahadunum epiſcopum Arzunæ Garmæorum transfertur, quando tot teſtibus ſimulationis illius Jeſuiab accuſatur. Atqui reginæ Buran ſucceſſit Iſdegerdes Perſarum rex poſtremus, cui Arabes regnum eripuerunt quod an. 480. ſteterat. Superſtes in vivis erat Jeſuiab, qui ad Omarum Califam litteras de ſecuritate ſcripſit, quæ ultrò ei ab Arabe conceſſa eſt, dato diplomate quod ad ſua uſque tempora ſervatum eſſe Mares aſſerit. Jeſuiab itaque ab anno 943. Græcorum, ad 964. uſque ſedit,
B hoc eſt ann. 21. 19. tantum Amrus numerat. Quando ex inſcriptione celebri quæ reperta eſt anno 1625. in urbe Siganfu provinciæ Kemſi Sinarum, certo jam conſtat Chriſtianæ fidei prædicatores in Sinarum imperium penetraſſe anno 636. ibique fundatam eccleſiam, quæ Catholico Neſtoriano parebat, miſſos illos eſſe oportet à Jeſuiab II. Catholico. Chriſtiana religio ad Sinas uſque propagata.

XXXIV. Mar-Ama.

Jeſuiabo II. defuncto, Catholicum elege-
C runt *Mar-Amam* ex Arzunitide, qui in ſchola Niſibena litteris operam dederat; poſtquam vero monaſticam vitam egerat in cœnobio Mar-Abrahami, Ninivenſis primùm epiſcopus, deinde Gondiſaporenſis metropolita ſub Jeſuiabo factus erat. Electus itaque fuit Arabum duce approbante, quo tempore urbs Moſul ab illis eſt expugnata. Fuit in pauperes & ſcholarum alumnos munificus. Ab Hali principe litteras ſecuritatis alias ſibi ſuoque gregi accepit; poſt biennium in Gedano oppido languore fatiſcens, medicina recuſata
D obiit, & Seleuciæ ſepultus fuit.

XXXV. Jesuiab III.

Ex metropolita Hazæ ſive Arbelæ *Jeſuiab III.* in Catholicum promotus poſt Mar-Amam fuit, patria Adiabenus, & in Niſibenſi ſchola eruditus; Gregorius vero Bar-hebræus hunc Ninives epiſcopum, ac ſubinde Moſulenſem metropolitam fuiſſe prodit. Qui principibus Mohammedanis gratus, litteras ab eis ſigillis munitas accepit, ut nullum monaſteriis & eccleſiis quæ ſubditæ illi eſſent
E detrimentum inferretur. In Perſidem perrexit, quò provinciæ illius metropolitam ad ordinem revocaret, quum multi deceſſores illius Catholicis ſubjici detrectaſſent. Ejus ſuperſunt epiſtolæ quam plurimæ quas epiſcopus, metropolita, & Catholicus ſcripſit, recenſenturque to. 2. Bibl. Orient. pag. 497. ut alia quoque ejus ſcripta ab Elia Sobenſi. Obiit in monaſterio S. Jacobi Bahaba, ſeu Beth-Abe prope Moſul, ubi ſepultus quoque fuit, poſtquam ſediſſet annos 9. & menſes 3.

Morienti, teſte Amro, adfuerunt Jardephanes epiſcopus Caſcaræ, Iſaac metropolita Niſibis, Sergius epiſcopus Hirtæ & Moyſes epiſcopus Ninives. Ejus ætate claruiſſe fertur Sergius qui Gondiſaporis metropolim annos 45. tenuit.

XXXVI. Georgius I.

Epiſcopus Moſulanus *Georgius*, ſubindeque metropolita Adiabenes, Jeſuiabo III. in Seleucienſi ſede ſuffectus fuit, ipſo anno quo Haſan filius Hali Saracenis imperavit, Græcorum ſcilicet 975. Chriſti 664. Aſſemanus ex Bar-hebræo & Amro annum poſuit 972. Græcorum. Mares Georgium Gondiſaporenſem metropolitam fuiſſe narrat. Addit eum elapſo anno Seleuciæ obiiſſe ſepultumque eſſe: Bar-hebræus vero vigeſimo epiſcopatus, quando Bar-jeſus Maphrianus Orientalibus Jacobitis præerat. Proprius vero eſt ſediſſe annos 17.

XXXVII. Joannes.

Modaïnæ ſeu Seleuciæ Georgio ſuffectus eſt *Joannes* Marthæ filius, ex Huzitarum regione vir natalibus & dotibus inſignis, qui illic in ſchola litteris operam dederat. Metropolim Gondiſaporis curabat; variis poſt promotionem ſuam conflictatus morbis, poſt biennium vitam clauſit. Hunc anno 990. non 993. Græcorum inauguratum adverſus Amrum contendit Aſſemanus Maronita, & quum annos duos ſederit, anno 992. periiſſe, hoc eſt anno Chriſti 681.

Sedes vacat an. 5.

XXXVIII. Hananjesus I.

Joannes *intruſus.*

Joanni filio Marthæ ſucceſſor datus eſt *Hananjeſus*, qui Seleuciæ ordinatus fuit anno Arabum 67. Chriſti 686. Etſi pro canonum præſcripto Catholicus ille promotus erat, complures nihilominus æmulos habuit, quorum præcipuus fuit *Joannes Abris*, cujus cognomen in Leproſum vertunt, ex epiſcopo Cadnes ad Niſibis metropolim jam evectus. Hic ad Abdelmelicum Califam profectus, tranſactis in ejus aula annis quatuor, muneribus tandem obtinuit ut Catholicus renuntiaretur, datis ad Bachorum Cuſæ præfectum litteris, in hæc verba: *Chriſtiani noſtri elegerunt Joannem, cui auctoritatem dedimus & potentiam.* Joanni Cuſam eunti epiſcoporum nonnulli obviam pergendum cenſuerunt, quod reliqui ne facerent curarunt. Bachorus vero acceſſito Hananjeſu byrrhum ei & pedum aufert, Joannique tradit. Ex quo mœſtitia ingenti epiſcopi perſuſi ſunt, quos

A præſertim ille adigeret ut Joanni obtemperarent. Id anno Hegiræ 74. factum eſt, quum Hananjeſus jam ſeptennio dignitate ſua potitus eſſet, quem Chriſtiani deinceps ut legitimum Catholicum colere non dubitarunt. Quamobrem Joannes auctoritate Sultani fretus, illum comprehendi, & in montem quemdam deportari juſſit, ubi in ſpeluncam projectus eſt fame interiturus. Sed ſemivivus ibi à diſcipulis ſuis duobus repertus (alii dicunt à paſtoribus dum erraret collectum) ad monaſterium Marjounes perductus
B eſt, quin & ab epiſcopis Beth-Garmæ & Moſul ſuſceptus. Joannes interim eccleſiæ vaſa & ornamenta vendebat pignori-ve dabat, atque ſacerdotes & epiſcopos ab Hananjeſu ordinatos vexabat, multiſque in exilium amandatis horum loco alios creavit. Effecit demum ut à Narſe metropolita Gondiſaporis & aliis de Iraca admitteretur, quin & à Moſulenſi & Niſibenſi. Aiunt venenum Hananjeſu in Euchariſtia datum, abſque ſalutis ipſius detrimento. Paulo-poſt vero Joannes ab Abdelmelico in vincula conjectus eſt, una cum matre, &
C filiis, horumque facultates fiſco addictæ ſunt, ſed & ejus frater in porta Harran ſuſpenſus fuit. Interim Niſibi metropolitam Hananjeſus conſtituit Kamjeſum virum pium & inſignem; quo poſt dies 40. defuncto, in ejus locum promovit epiſcopum Belid Sebarjeſum. Mortuo Bachoro Hagage filius Joſeph Iracam regens, Joannem quidem in carcerem iterum truſit, ob debitam fiſco pecuniam quam nondum ſolverat, is vero cuſtodia elapſus in Cuſæ ſuburbio periit, qui ſedem anno uno & menſes decem occuparat. Præ-
D fectus vero nihilominus cavit ne Hananjeſus reciperetur, qui in monaſterio ſuo Jonæ prophetæ manere coactus, litteras Niſibim, Moſul, & Beth-Garmam alioque mittebat. Quo factum eſt ut Seleucienſis eccleſia annos viginti paſtore viduata ſit; demum lue correptus exſtinctus eſt, quem in eodem monaſterio ſepelierunt, elapſis ab ejus ordinatione annis 11. & menſibus novem, anno Græcorum 1009. Chriſti 698. Cæterum Aſſemanus Bar-hebræum laudat aſſerentem Hananjeſum exſtincto Abris in carcere, Se-
E leucienſem ſedem annos quatuordecim tenuiſſe. Alii vero Joannem in Catholicorum numero recenſere non dubitant, ceu poſt Hananjeſum vixerit, cumque illi poſteriorem faciunt; quibus aſſentitur Aſſemanus.

Sedes diu vacavit.

XXXIX Saliba-Zacha.

Poſt longam ab obitu Hananjeſu viduitatem, anno tandem Græcorum 1025. Chr. 714. Modaïnæ ſive Seleuciæ epiſcopus

Digitized by Google

conſtitutus fuit *Saliba-zacha,* in regionis Tirhanenſis oppido natus, quum antea epiſcopus primùm Anbaræ ab Hananjeſu ordinatus eſſet, ac deinde metropolita Hazæ & Moſul. Omnium ſuffragia in ejus promotionem conſpirarunt, acceſſit & Yeſidi præfecti aſſenſus. Mox Joannis Abris intruſi nomen è ſacris tabulis eraſit, & Hananjeſu memoriam reſtituit, leges quoque eccleſiaſticas innovavit, ſcholas inſtauravit, Rurbahmanem S. Eugenii archimandritam ad metropolim Niſibenſem evexit. Mortuus eſt Modaïnæ, ibique ſepultus, quum ſediſſet annos duodecim, Aſſemanus habet quatuordecim, utique ex Bar-hebræo vel Amro; Yeſid porro filius Abdelmelich Arabum Califatum gerebat.

Sedes vacat ann. 2.

XL. PHETION.

Saliba-zacha defuncto, epiſcopi convenerunt ad eligendum qui ei ſuccederet, in quibus Joannes Arzac epiſcopus Hiræ, Mar-Aba Caſcaræ. Joannes dignitatem hanc Mar-Abæ deferendam conſulebat: obſiſtente vero Abdel-Meſſia Hirenſi, poſt biennium à Sultano deſignatus eſt *Phetion* epiſcopus Tirhanenſis vir religioſus, & Tirhanenſis ſcholæ inſtauratione clarus. Cujus exemplo epiſcopi alii eccleſias & ſcholas extruxerunt. Sedit annos decem, & menſes 4. annoque proinde undecimo mortuus eſt & Modaïnæ ſepultus.

XLI. MAR-ABA.

Seleucienſem demum ſedem Phetione exſtincto obtinuit *Mar-Aba* civis & epiſcopus Caſcaræ, qui ante annos undecim Catholicatum prenſaverat. Electus porro fuit præ metropolita Gondiſaporenſi, quum inter ambos res verſaretur. Vir eruditus fuit, Modaïnenſis ſcholæ rector, Theologum, ipſamque Ariſtotelis dialecticam elucidavit, ac præclaris commentariis interpretatus erat. Cuſam petiit ad Juſaph filium Omar præfectum, Chriſtianis infeſtum, à quo variis de rebus quæſitus plene ſatisfecit. Tum ſubinde in Catholicorum ſede collocatus eſt. Verum Modaïnæ non ſubſtitit propter civium, vel clericorum potius erga ſe livorem, ſed vicarios reliquit Milas epiſcopum Tirhanæ, & Saduſt epiſcopum Rawani, & Caſcaram ſeceſſit. Sedit annos 10. & centeſimo decimo ætatis obiit ac Modaïnæ ſepultus eſt.

XLII. SURINUS.

Mar-Abæ ſuffectus eſt *Surin* vel *Surinus,* corrupto muneribus Abano Modaïnæ Emiro. Quum vero Euchariſtiam ex ejus dextera alii acciperent, alii abſtinerent, præfecto cogente ut ei manus imponerentur, Jacob Gondiſaporis levatis in cœlum manibus precatus eſt, ne illius ordinatio quidquam valeret. Re ad Sultanum Saphahum delata, novam electionem Chriſtianis fieri permiſit, Abanumque punivit. Surinus, qui turbas excitaret, cuſtodiæ traditus eſt, è qua eductus Jacobi illius Gondiſaporis qui ſuffectus ei fuit, opera, Baſſorenſi eccleſiæ prælatus eſt. Verum inviſus Baſſorenſibus factus ab Almanſoro Califa in carcerem iterum truſus eſt, ex quo quum fugiſſet, Modaïnæ captus eſt, ac paulo-poſt obiit in monaſterio Simeonis.

XLIII. JACOB II.

Surino amoto *Jacob II.* metropolita ille Gondiſaporis, qui illius promotioni obſtiterat, communibus ſuffragiis electus eſt Catholicus, & renuntiatus Dominica 6. poſt Hebdomadem Apoſtolorum. Qui vaſa à Surino oppignerata recipienda curavit, ſed & ordinavit iterum quos ille ordinaverat, vel alios eorum loco conſtituit. Quo factum eſt ut duobus in eadem urbe epiſcopis creatis, gravibus ſimultatibus populi diſſiderent. Oratus ut Surino reconciliaretur, hunc Baſſoræ metropolitam fecit. Sed Surino, quum à quibuſdam Catholicus haberetur, thronum recuperare cogitante, Sultanus, re audita, ipſum & Jacobum carceri addixit. Quum vero Almanſor Califa Iſam filium Schalafæ Medicum Neſtorianæ ſectæ Chriſtianorum rebus præpoſuiſſet, Surinus ille eo uſque inſanivit ut litteris ſcriptis epiſcopos admoneret, ut benedictionem ſive munera ſibi deferrent, Jacobi commemorationem in eccleſiis fieri ſolitam omitterent, illos qui renuerent, ſedibus ſuis pellerent. Præfectos item provinciales eo in Chriſtianos odio inſtigavit, ut multi Chriſtum ejuraverint. Demum quum veniſſet Almanſor in monaſterium Mar-Hala, aſcetarum patientiam virtuteſque admiratus eſt. Quocirca congregati ad eum epiſcopi ipſum de Jacobi rebus interpellarunt, at Sultanus viſo inter eos Salomone Hadithæ epiſcopo, iratus, Jacobum una cum Theodoreto Melchitarum & Georgio Jacobitarum Patriarchis vinciri juſſit, nec vinculis exemti fuere niſi, ſi ſua ſit Bar-hebræo fides, Almanſore defuncto, quum Cyprianus Niſibis metropolita Iſæ medici erga Califam inſolentiam, oſtenſis litteris illius, pateteciſſet. Demum Surini & Jacobi cauſa cognita, hic ceu legitimus antiſtes ſedi ſuæ reſtitutus fuit, quam annos 19. & menſes ſex tenuit, ille in carcere detineri juſſus.

Monaſterium Mar-Hala.

XLIV. HANANJESUS II.

Poſt Jacobi II. obitum Iſa medico obtinente à Califa ut electio fieret, inquit Mares, Thomas Caſcaræ epiſcopus, Patres de more

per litteras vocavit. Archidiaconus, Hirenſes & Germaïtæ Hananjeſum poſtularunt, quum Jacob filius Yeſdin Caſcarenſis ex adverſo Georgium cœnobii Mar-Hala monachum, trium linguarum Arabicæ, Perſicæ, & Syriacæ peritum eligi contenderet. Re Bagdadum, quæ Saracenici principatus ſedes erat, delata *Hananjeſus* Catholicus renuntiatur. Is Loſum epiſcopus erat, olimque Dokukæ, ſedit annos quatuor, exſtinctuſque eſt intoxicato ſcalpello quo ei cujuſdam Abbæ Tuſenſis dolo vena aperta erat. Eo Catholicatum Neſtorianorum gerente, ſeu quum in vivis adhuc ſuperſtes in remotis Orientis partibus putaretur, erectus eſt celebris ille Cippus lapideus in Sinarum civitate Siganfu provinciæ Kemſi metropoli, cui tota Chriſtianæ doctrinæ ratio caracteribus Sinicis inſculpta legitur, cum nominibus eorum qui Sinicam eccleſiam tunc adminiſtrabant. Syriacis enim litteris quæ Strongylæ vel Chaldaïcæ appellantur, hæc ad calcem monumenti adduntur, quibus notatur annus quo illud conſtitutum fuit. *Diebus Patris Patrum Mar-Hananjeſu Catholici Patriarchæ, Adam preſbyter & chorepiſcopus & Papas Sinarum. Anno Græcorum 1092.* (Chriſti 780.) *Mar-Jazedbuzid preſbyter & chorepiſcopus Chumdanæ urbis regiæ* (quæ hodie Nanquin dicitur) *filius* τοῦ κωχαείτου *Milleſii preſbyteri ex Balac urbe Adathuriſtam, erexit hoc monumentum lapideum, in quo deſcripta eſt diſpenſatio Salvatoris noſtri, & prædicatio Patrum noſtrorum apud regem Sinarum .... Adam diaconus filius Jazedbuzid chorepiſcopi, Mar-Sergius preſbyter & chorepiſcopus, Sebarjeſus preſbyter, Gabriël preſbyter & archidiaconus & eccleſiarcha Chumdanæ & Saragæ.* Sed de hac columna dicendi iterum ſuus erit locus.

Sedes vacat menſ. 8.

XLV. Timotheus I.

Hananjeſu ſucceſſor datus eſt Georgius monachus, qui à multis olim Jacobo Catholico defuncto poſtulatus fuerat, è primoribus civitatis Hazzæ, doctrina conſpicuus & epiſcopus Bagas. Vocati ſunt epiſcopi litteris Thomæ epiſcopi Caſcaræ, ut in monaſterio Phetionis convenirent, anno, inquiunt, Hegiræ 162. Chr. 778. vel 1091. Græcorum, ut vult Amrus; quod utrumque cum ſupra dictis ſtare nequit. Abſuit vero Ephræm metropolita Gondiſaporis. Archidiaconus habito cum Caſcarenſibus conſilio monachum propoſuit nomine Georgium, qui dignitatem recuſavit. Convenientibus iterum epiſcopis, *Timotheus* archidiaconus pecuniam pollicitus, quin & metropolitæ Gondiſaporis, Damaſci, Mera, Beth-Garmæ & Howanæ metropolitarum

A ſuffragiis accedentibus Catholicus renuntiatur, quum ſedes menſes octo vacaſſet. Gondiſaporenſi & archidiacono pactas pecunias exigentibus, reſpondit: Non emi ſacerdotia: aperto conclavi ubi congeſtas opes dixerat, nihil præter lapillos & quiſquilias repertum eſt. Gondiſaporenſes & Moſulenſes litteris pellexit ut ſibi obſequerentur; atque hi quidem paruerunt, ſed illi nequaquam, irato nimis erga ipſum Ephræm metropolita. Hic cum epiſcopis quorum præcipuus erat Salomon Hadithæ, communicatis conſiliis cum B Joſepho metropolita Maru, viro Syriacè, Perſicè & Arabicè erudito, Roſtamum quemdam Honitæ epiſcopum ordinarunt metropolitam Moſul & Arbelæ pro Suiabo quem Timotheus crearat, ipſumque Timotheum deſtituerunt. Timotheus vero Joſephum ſæpe fruſtra admonitum depoſuit, qui ſubinde rebus ſuis deſperatis ad Mohammedanos defecit, & accepta circa Baſſoram præfectura Chriſtianos diu vexavit. Ephræm Gondiſaporenſis, collectis Bagdadi epiſcopis tredecim in monaſterio S. Phetionis Timotheum ex- C communicavit, à quo ipſe viciſſim in quindecim epiſcoporum ſynodo pari ſententia perſtrictus eſt. Poſt vero omnes reconciliati fuere. Tum Timotheus de Chriſtiana religione propaganda cogitans, ad barbaras gentes, inprimiſque Gelanitas & Dilemitas qui Maris Caſpii littora accolebant, prædicatores miſit Sebarjeſum, Jahaballaham, Cardagum, Eliam & Narſetem. Epiſtolas ſcripſit ad Chaganum Turcarum, alioſque ejuſdem nationis principes eos ad Chriſti fidem invitans. Concilia aliquot celebravit, in quo- D rum uno, conſidentibus epiſcopis undecim, canones duodecim condidit, quorum mentio fit tom. 2. Bibl. Orient. pag. 434. In altero nonaginta octo canones de judiciis eccleſiaſticis ſancivit. A Sultano impetravit ut eccleſiæ inſtaurarentur, ac metropolita Baſſoræ Sergius, intercedente Gabriële medico, ſuas quoque refecit. Quum ad populum habere ſermonem non poſſet, Homilias in ſolemnitates Domini edidit, explanationes in Theologum, Joannis utique Evangelium; de Aſtronomia ſcripſit; diſputavit de fide cum E Georgio Jacobitarum Patriarcha. Sub quinque Califis ſedit, quorum poſtremus Almamon fuit, eoque tempore diem obiit, quo ille Bagdadum ingreſſus eſt, anno ætatis 95. Catholicatus 43. ſepultuſque eſt in monaſterio Calijeſu, quod Salomone Baſſorenſi teſte, ipſe exſtruxerat.

XLVI. Josue.

Beth-Gabera oppido vel vico ad Tigrim inter Niniven & Moſul *Joſue* Barnoun oriun-

Digitized by Google

dus, in ſchola Modaïnenſi cum Timotheo apud Abrahamum interpretem educatus, vitam monaſticam profeſſus, tranſactis in monaſterio Mar-Eliæ annis 30. in quibus maledicta ſcripta multa in Timotheum emiſerat, Catholicus ipſe demum eſt ordinatus, adjutantibus ipſum Gabriële Boctjeſu & Michaële medicis, nec-non Jacobo & Waheba ſcribis palatii. Statim atque in ſede collocatus fuit, quo adverſus Timotheum odio percitus olim fuerat, nomen ejus è ſacris tabulis abſcidit. Facti vero demum pœnitens, memoriam ejus reſtituit, & ad ejus latus poſt mortem ſepeliri voluit, quæ contigit quarto pontificatus ipſius anno, ætatis 85. quin & flammis præcepit aboleri quæ contra Timotheum ſcripſerat.

XLVII. Georgius II.

Joſuam Barnoun excepit *Georgius II.* Cragenſis, vel Carchenſis, ut Amrus ſcribit, Maragenſis vero, uti Bar-hebræus. Ex monaſterii Bahabæ, vel Beth-Abæ rectore, Gondiſaporenſis metropolita Gabriëlis Boctjeſu commendatione factus, poſt annos 20. ejuſdem Gabriëlis & Michaëlis medicorum officiis Catholicus renuntiatus eſt. Prope centenarius electus eſt anno Hegiræ 210. Græcorum 1136. Chriſti 825. Elapſis, ſi Mari credimus, quatuor Catholicatus annis, aut ſeptem, ſi aliis, obiit ſepultuſque eſt in monaſterio Caliljeſu.

XLVIII. Sebarjesus II.

Georgii II. ſucceſſor, à Salomone Baſſorenſi metropolita Hananjeſus nominatur, à reliquis vero *Sebarjeſus,* Nuhadræ natus, qui primum epiſcopus Harram ordinatus erat à metropolita Niſibenſi, deinde à Timotheo Catholico ad Damaſci metropolim tranſlatus. Catholicus demum eſt conſtitutus anno Hegiræ 217. Græcorum 1143. Chriſti 832. vir hiſtoriæ eccleſiaſticæ peritus erat, ſibique Damaſci Almamonis Califæ benevolentiam conciliarat. Bagdadi manſit in magno monaſterio Mar-Phetionis, quod Regum jam Perſarum temporibus ſtabat, quodque magna ex parte inſtauravit, ſed & ſcholam inſtituit, eccleſias ædificavit, peregrinis de hoſpitiis providit. Quarto Catholicatus anno obiit, ſepultuſque eſt in Caliljeſu.

XLIX. Abraham II.

Anno Hegiræ 222. Chriſti 836. Catholicus creatus eſt *Abraham II.* ex monaſterii Bahabæ ſeu Beth-Abæ præpoſito factus prius epiſcopus Hadithæ, morum ſanctitate & miſericordia in pauperes ſpectatiſſimus. Electus eſt ab Hirenſibus & Caſcarenſibus ac Salomone medico Abrahami Theſaurarii germano, ex adverſo obſiſtentibus Boctjeſu & aliis, qui Mar-Abam metropolitam Gondiſaporis elegerunt. Effecit Salomon ut Sultanus ad Taherum Bagdadi præfectum ſcriberet de Abrahamo ad Modaïnenſem ſedem promovendo. Sedit annos 12. & menſes decem, Amro teſte, ac Hirtæ defunctus in monaſterio Jaſdephanis ſepultus eſt. Hirtam ſcilicet Abraham confugerat mota à Saracenorum Motawacelo Califa gravi in Chriſtianos perſequutione anno Heg. 235. Chr. 849. Ejus oſſa è ſepulcro ablata impii principis juſſu diſperſa ſunt.

Sedes vacat ann. 2.

L. Theodosius.

Abrahamo defuncto quum annis circiter duobus ſedes vacaſſet, anno Hegiræ 238. Græc. 1163. Chr. 852. accerſitis à Bai epiſcopo Caſcaræ de more patribus, cum aliis convenit *Theodoſius* è Garmæorum regione oriundus, quem Sebarjeſus olim Anbaræ epiſcopum ordinarat, quique ad Gondiſaporis metropolim tranſierat, ſed à civibus rejectus quorum ſententia quæſita non eſſet. Hic quum ſe digniorem cæteris jactaret, auctoritate canonum coërcitus Bajormum ſeu Beth-Garmen ſeceſſit. Qui vero eligendi Catholici cauſa congregati erant, alii Joannem metropolitam Damaſci renunciarunt, qui quum adveniſſet, ac Dominica Paſchæ ſacris operaretur, paralyſi morbo correptus eſt & in monaſterium Aba Haron delatus, ibi per quadriennium ad obitum uſque languens, hoc ſemper ore verſabat: *Juſtus es Domine, & recta judicia tua.*

Joanni continuo ſuffecerunt Michaëlem epiſcopum Ahavaz virum eruditum, ſed qui mox orta quoque ægritudine è vivis exceſſit.

Mox Joanni Abrahamum epiſcopum Buſir ſuffecerunt, qui prius jam obierat quam miſſi à ſynodo nuntii ad eum pervenirent.

Cunctis ob repentinos & inſperatos caſus attonitis, poſt intervallum temporis aliquod electio permiſſa eſt uni Abrahamo filio Noë, qui nominavit Jeſudadum epiſcopum Hadithæ: verum Boctjeſus Medicus qua adhuc valebat auctoritate, à Motawacelo Califa præceptum impetravit de Theodoſio in Catholicum promovendo: quod à Chriſtianis admiſſum eſt, fruſtra interim annitente apud Principem Abrahamo ut alter conſtitueretur. Concordia itaque inita, Theodoſius Seleucienſi ſedi impoſitus eſt anno Græcorum 1163. Chriſti 852. Hegiræ 238. Motawaceli 5. Hæc quidem Mares ea quam retuli ſerie recitat, Amrus vero paulò aliter, nimirum poſt Abrahami Catholici obitum Boctjeſum Gabriëlis filium, Joannem Meſuë

& Iſraëlem Tiphurenſem medicos eligi curaſſe in Patriarcham, primùm Joannem metropolitam Damaſci, deinde Michaëlem epiſcopum Huzitarum, mox epiſcopum Caſcaræ, cujus nomen omiſit, demum Jeſudadum epiſcopum Hadithenſem, qui quatuor ob repentinas ægritudines ordinari non potuerunt: ac tum Theodoſium electum eſſe.

Theodoſii itaque ordinationi interfuerunt Thomas Bajormi Holowan, Daniël Baſſoræ, Sergius Niſibis, Jacobus Rayæ, metropolitæ, qui hanc ſubſcriptionibus ſuis confirmaverunt. Verum vix uno menſe elapſo calumniis ille appetitus, Bagdadum miſſus eſt & carceri traditus. Tum Califæ juſſu Surmenrayæ eccleſiæ & monaſteria diruta, ejecti ſacerdotes & diaconi ne ſacrificia celebrarent, & Catholici commemoratio fieret: Chriſtiani notis compuncti, tributis oppreſſi, vetiti ne equites incederent, ne coloratam veſtem geſtarent, ne die Veneris prodirent, ne ad officia Imperatoris admitterentur, ne pueri Arabicam linguam diſcerent, domorum ſacrarum proventus Meſchitis attributi, quin cœmeteria deſtructa. Quæ mala nonnulli Boctjeſu cui Sultanus iraſcebatur, odio in Jeſudadum refundebant. Verus tamen auctor erat Maſerges quidam medicus, qui à Neſtorianis ad hæreticos (fortaſſe Jacobitas) tranſierat. Hic Catholicum ad Sultanum detulit quaſi litteras ad Romanum Imperatorem furtim mitteret. Quocirca Motawaccelus Theodoſium accerſitum ſacramento ſe purgare juſſit, qui præcepto domini jurare omnino ſe prohiberi cauſatus, tres annos & menſes ſex carcere detentus eſt, ejuſque itidem germanus frater Thomas Bajormi metropolita, Chriſtianis interim eis neceſſaria ſuppeditantibus. Demum Sultano Damaſcum pergente Sergius metropolita Niſibenus flores, aquas, cibaria, tentoria, & alia vitæ commoda illi auliciſque ejus paravit, unde ſibi benevolentiam illius conciliavit, maxime cum multis pecuniis remuneratus, has pauperibus erogaſſet. Quam quidem ob cauſam Catholici dignitas ei decreta eſt, quam poſt Theodoſii obitum obtineret, mitioremque ſe princeps Chriſticolis præbuit. Joanne filio Meſue medico defuncto, Califas ut honorifice tumularetur, Catholicum, & ſacerdotes diaconoſque Bagdadum reverti conceſſit. Paulo-poſt Theodoſius obiit an. Græc. 1170. Chr. 859. quum ſediſſet annos 5. menſes 3. dies 24.

LI. Sergius.

Theodoſio itaque ſucceſſor datus eſt *Sergius* ille Niſibenſis à Sultano pridem deſignatus, ex Garmæorum regione oriundus: ac Modaïnæ conſtitutus eſt Dominica jejunii A Apoſtolorum, die 21. Hatur, qui menſis Julio Auguſtoque reſpondet, anno Græcorum 1171. Chriſti 860. Promotus, inquam, in Catholicum fuit, etſi obſtabat conſuetudo vetus, ne Niſibenſis antiſtes eam dignitatem obtineret, propter nefaria adverſus eccleſiam Barſumæ illius Niſibenſis facinora: ſed parendum Califæ fuit. Bagdadi Sergius honore multo ſuſceptus eſt. Mox Surmenrayam petiit ad res eccleſiæ componendas, quas ſuo tempore tranquille geſſit. Mortuus eſt anno 3. Motamidi Califæ, Græc. 1183. Chr. 872. B Dominica 2. poſt feſtum S. Crucis 23. Septembris, quum ſediſſet annos 12. menſes 2. diem unum, ſepultuſque fuit in monaſterio Caliljeſu, ne idem ei accideret, quod oſſibus Abrahami Catholici, quæ Surmenrayæ Sultani juſſu diſperſa ſunt.

Sedes vacat annos 4.

LII. Enos.

Sergio defuncto confeſtim adfuit epiſcopus Caſcaræ Iſraël, qui ſcriptis litteris epiſcopos vocavit, electuſque approbante fidelium cœtu C *Enos* metropolita Moſul, Beth-Garmæ natus. Quum vero nonnulli diſſentirent, Emirus Bagdadenſis cavit, ne de Catholico ulla mentio fieret, etſi à compluribus Enos poſceretur. Ejus porro æmulus erat Iſraël ille Caſcaræ. Denique poſt annos quatuor & menſes tres coactis iterum Modaïnæ epiſcopis, ordinatus eſt Enos anno Græc. 1188. Chriſti 877. Hegiræ 263. ſeditque in monaſterio Kani; verum paucis poſt annis in languorem lapſus obiit anno Hegiræ 270. Græcorum 1195. Chriſti 884. expleto ſep- D timo pontificatus, menſibus quatuor & diebus novem.

LIII. Joannes II.
Abdon.

Surmenrayæ poſt Enos obitum electus *Joannes* Narſetis filius ex Georgiana, & oppido Gedan oriundus. Cæterum alia pars qui diſſentiebant, monachum nomine *Abdonem* de monaſterio Patriarchali elegerunt. Interim Joannem ordinaverunt anno Hegiræ 271. legente Evangelium Gabriële metropolita E Baſſorenſi, qui concionem habuit, manumque imponente metropolita Gondiſaporis. Adſtabat inter ſacerdotes Cajuma Niſibenſis depoſitus, in quem plebs tanto impetu ruit, ut murus fractus ſit. Bagdadum vero venit Abdon, ſed contra morem monaſterium Mar-Maris non inviſit. Verum Joannes Moſulenſis qui ejus ordinationi non interfuerat, conſenſum ſcripto dedit, atque ad Abdonem veniens apud ipſum aliquandiu manſit. Interim vero Joannes Patriarchali

Digitized by Google

impoſitus ſedi fuit. Horum tempore diruto Caliljeſu monaſterio quod Catholici dicebatur, Abdon in monaſterio *Arrhoum* ſive Græcorum habitavit. Saporem monachum Oliveti Rikkæ invitum & nolentem metropolitam Gondiſaporis ordinavit. Obiit Abdon anno Hegiræ 279. Græcorum 1203. Chriſti 891. ſepultuſque eadem in eccleſia Iſbagh, in qua paulo-poſt Joannes ipſe Catholicus, qui ſedit annos 8. menſem unum & dies decem.

LIV. Joannes III.

Joanne II. & Abdone eodem fere tempore defunctis, epiſcopus Caſcaræ morbo prohibitus eſt ne epiſcoporum conventui adeſſet: Joannes Rowanenſis epiſcopus qui dignitatem prenſabat, rejectus fuit. Nonnulli petierant uti *Joannes* alter Theodoſii Catholici fratris filius, Beth-Garma oriundus, quem Enos ex epiſcopo Changaræ Moſulenſem metropolitam crearat, inter candidatos ſcriberetur, ſed nihil obtinuerunt. Accidit vero ut in die Pentecoſtes Gregorii Theologi de ſpiritu ſancto orationem interpretaretur, & cunctis laudantibus, cunctorum etiam votis Catholicus renuntiatus ſit; ſedique Modaïnenſi, deinde Patriarchali impoſitus à Gabriële Baſſorenſi menſis Tamuz ſeu Julii 15. feria prima anno Hegiræ 280. Chriſti 893. Motadedo Saracenorum Califa. Honorifice deinde exceptus eſt in monaſterio Iſbagh Bagdadenſi, tum etiam in Caliljeſu, ſed in priore ſedem conſtituit ſui deceſſoris exemplo, emptiſque vicinis ædibus quibuſdam à Melchitis locum amplificavit. Ipſo inaugurationis ſuæ die epiſcopos complures ordinavit, in primis Theodorum fratris ſui filium, quem frater & avunculus Neſtorius metropolita Beth-Garmæ ejuſdem ſedis metropolitam fieri petierunt, quum prius Loſumi eccleſiæ præeſſet: is vero utramque eccleſiam peſſime adminiſtravit. Anno ſexto Joannes in paralyſim incidens, pro mortuo habitus fuit, parumper vero à medicis recreatus defunctus eſt anno Hegiræ 286. Græcorum 1210. Chriſti 899. ſepultuſque eſt in parvo monaſterio prope Patriarchales ædes. Aiunt eum ſingulis diebus ad meridiem uſque cauſis dirimendis vacaſſe, ediſſe & dormiiſſe uſque ad veſperam, ac veſpertinis horis perſolutis ad auroram libros eccleſiaſticos legere ſolitum.

LV. Joannes IV.

Joanni III. *Joannes* alter ſucceſſit filius Iſa, cognomento *Bar-Naghire*, id eſt *Claudorum filius*, qui Bagdadi educatus à deceſſore ſuo Rawani, ſive Nahmaniæ epiſcopus fuerat A ordinatus. Illo defuncto venerat ut eccleſiæ res adminiſtraret, quum Waſithæ epiſcopus non eſſet. Multi de plebe in ejus electionem conſpirarunt, adverſus Theodorum Gondiſaporenſem metropolitam, qui dignitatem ambiebat. Utriuſque nomine in ſchedis exarato, eductum nomen eſt Joannis. Quibuſdam reclamantibus, Theodorus ipſe, & Joſeph metropolita Maru, cæterique rectam electionem eſſe pronuntiarunt. Joannes Boctjeſu filius, qui in Theodorum propendebat, rem ad Sultanum retulit, qui cauſa B diſcuſſa, Chriſtianis permiſit, quem luberet conſtituerent. Quamobrem Joannes veſte & paſtorali pedo acceptis, in throno collocatus eſt die 13. menſis Arabum Ramadan anno 286. Græcorum 1211. Chriſti 900. Aderant porro epiſcopi viginti, cum quibus conſtitutiones ſynodales editæ fuerunt, lataque ſententia in Abdjeſum epiſcopum Hadithæ qui cum aliis non advenïſſet. Theodorum metropolitam Beth-Garmæ ſubinde depoſuit ob pſaltriam quam deperibat, quamque apud ſe, unaque filiam illius tenebat. Hic ad Muſul- C manos deficiens medicæ arti operam dedit. Atqui Joannes pietate conſpicuus, atque à ſimoniæ labe alienus obiit menſe Rageb anno Hegiræ 292. Græcorum 1216. Chriſti 905. quinto epiſcopatus anno, ſepultuſque eſt in monaſterio Græcorum ad latus nuperi ſui deceſſoris.

LVI. Abraham III.
Joannes *orthodoxus.*

Decumbente graviter catholico Joanne IV. quum nihil facultatum haberet, unde morbi D expenſas aliaque neceſſaria toleraret, *Abraham* cognomento *Abruza* Beth-Garmæ natus, Maragæ epiſcopus, qui Bagdadum diſceptandæ litis cujuſdam venerat, trecentas ei drachmas credidit. Catholico poſt dies viginti defuncto, ultima ipſe officia perſolvit, habitaque poſt Evangelium concione ad populum, multorum ſibi vota conciliavit. Tum amplis muneribus epiſcopos adortus, omnes adduxit ut electioni ſuæ ſubſcriberent; ſed & Silam Baſſorenſem patena argentea ducentis aureis plena corrupit, ut ſibi manus imponeret, E quod poſt lautiſſimo convivio exceptos epiſcopos patratum fuit. Ad eum enim officium hoc ſpectabat, vacante tum ſede Gondiſaporenſi. Poſt menſes octo Modaïnam venerunt omnes menſe Rabi anno Hegiræ 293. Chriſti 905. ibique Simoniacus ille cum aliis præclaros canones condidit. Ejus vero electioni repugnaverat Joannes ille Boctjeſus, quem Abraham nocte conveniens pollicitationibus effecit promotioni ſuæ ut ſuffragaretur. Promiſerat Abraham Abdallæ Simeonis Melchitæ in Chaldæa

Digitized by Google

filio ſe reſtituturum Theodorum Beth-Garmæ metropolitam, quod non plene ſtatim, ſed veluti gradatim præſtandum cenſuit. Quamobrem ille ad Melchitas tranſiit: quocirca Abraham hunc, quia de reſtitutione ejus cuncti ſuccenſebant, inſtaurata cauſa, ex toto depoſitum pronuntiavit. Tum Melchitarum primatem Joannem adortus, prohibuit ne Catholici nomen aſſumeret; quin obtento à Mohammedano principe diplomate, hunc Bagdado excedere coëgit, nec deinceps ea in urbe pedem figere. Hoc unum illi conceſſum fuit, ut epiſcopum deſtinaret, qui Græcos Melchitas-ve illic commorantes viſitaret, eorumque neceſſitatibus conſuleret, mox vero in regionem ſuam regrederetur. Cui diplomati Elias Antiochenus Patriarcha Bagdadum adductus, ſubſcribere juſſus eſt. Quod Abrahamum ſpectat, conſtituiſſe fertur ne in quadrageſima mane hora tertia liturgia fieret, ſed veſpere tantum. Uti ſimonia Catholicatum adierat, ita deinceps ſimoniam omni poſito pudore exercuit, ac Niſibenſem ſedem ter brevi intervallo vendidit, mortuis illis qui ab eo emerant, à quibus centum & ſeptuaginta millia Zuadas, quod monetæ genus erat, extorquere non dubitarat. Cæcitate demum percuſſus eſt biennio ante obitum. Elias epiſcopus Anbar ejus aliquando commemorationem ſuſtulit; diſſidium quoque inter illum & Lucam Moſulenſem fuit, in quem depoſitionis edita ſententia eſt, at non publicata. Mortuus eſt anno Hegiræ 325. Chriſti 936. quum ſedem tenuiſſet annos 32.

Joannes *Melchitarum Catholicus.*

LVII. Emmanuel.

Poſt Abrahamum *Emmanuël* monaſterii Aba-Joſeph in urbe Balaha alumnus, qui aurifex prius fuerat, Catholicus eſt deſignatus ab Ebn-Singela ſcriba Califæ El-Radi, cui Sinam filius Sabit Sabaïtarum commendaverat, quum alioquin epiſcopi ſe anathemate obſtrinxiſſent, ne alium niſi de ſuo ordine eligerent. Vacabant tunc ſedes Gondiſaporis & Baſſoræ, manuſque adeo illi impoſuit Lucas metropolita Moſul, anno Arabum 326. Chriſti 937. Quem epiſcopi omnes Naſſereddoulæ Sultani auctoritate coacti ſuſceperunt. In eccleſiis inſtaurandis operam poſuit: Abdelmeſſiam Hirtæ epiſcopum ad metropolim Baſſorenſem tranſtulit, conſtituto ejus in locum Aaron filio Abraham, contubernali ſacerdote ſuo. Occaſione Neſtorii ſacerdotis cujuſdam hic obſervandum Mares præbet, in more fuiſſe Chaldæis ut ſacerdotes in eccleſiis coram Catholico ſederent. Mortuus eſt Emmanuël menſe Saphar anno Hegiræ 349. Chriſti 960. menſis Aprilis 14. Dominica ſexta Jejunii Quadrageſimæ, poſtquam ſederat annos 22. menſes 9.

LVIII. Israel.

Emmanuëli ipſi anno Græcorum 1271. Chriſti 960. ſuffectus eſt *Iſraël* Gedanenſis ſive ex Georgiana oriundus, rector olim ſcholæ Mar-Maris, & cœnobii Sebarjeſu Waſitenſis alumnus, quem Emmanuël epiſcopum Caſcaræ creaverat. Illo ſcilicet mortuo convenientibus epiſcopis, acceſſit ipſe de more, uti vacantis ſedis cuſtos, & lecto Evangelio concionatus eſt. Atqui Abul-Hali El Hazer ſive Theſaurarius effecit ut omnes in eum conſentirent. Nihilominus receſſerunt fugeruntque Georgius Gondiſaporis, Jeſuzacha Korge, Abdelmeſſias Baſſoræ, Georgius Moſulæ, & Joannes Holwanenſis metropolitæ, nec-non Georgius Radanenſis epiſcopus, quum negotium vi ageretur. Re ad Sultanum relata, Iſraëli qui ſibi victoriam de Abul-Hacem prænuntiarat, dignitatem confirmavit, & ſexto die poſt obitum Abul-Hali, qui ſi præceſſiſſet, Iſraëlem Gondiſaporenſis fuiſſe deponendum dixerat. Cæterum eodem anno fato functus eſt Iſraël, ætatis ſuæ 92. die 17. Septemb. feria 3. ſeu 4. potius, quum dies 110. ſediſſet, ut narrat Aſſemanus.

Sedes vacat menſes 7. dies 5.

LIX. Abdjesus II.

Iſraël Moſulenſis metropolita *Abdjeſum* monachum ſacerdotem eruditum epiſcopum creavit Maaltæ & Nuhadræ Caſcaræ, qui confirmatus ab Emmanuële Catholico, Iſraëli Catholico quoque ſuffectus fuit. Nimirum quum circa Catholici electionem multæ turbæ ortæ eſſent, vocatis à Gondiſaporenſi metropolita patribus, Phetion ſacerdos quidam promiſſis Viziro pecuniis dignitatem ambiebat, rejectus tamen eſt, qui fratrem haberet Muſulmanum, quin alter ejus germanus in eadem ſuperſtitione mortuus erat. Atqui epiſcoporum quatuor nomina deſcripta in ſchedis ſunt, Abdjeſu, Georgii Gondiſaporis æmuli quondam Iſraëlis, Georgii Moſulæ, & Jeſurahmæ Beth-Garmæ; litteris vero Naſſereddoulæ Sultani accerſitis epiſcopis, & à Veziro ad cœnam vocatis, Abdjeſus ſalutatus Catholicus atque ordinatus fuit, menſe Rabi primo exeunte, anno Hegiræ 352. Græcorum 1274. Chriſti 963. die Apr. 22. Pius erat & doctus, ſed rebus gerendis minus idoneus; quo factum eſt ut eccleſiæ bona à diſcipulis ejus dilapidata ſint, multa quoque exorta ſcandala quæ ejus malæ famæ cauſa Chriſtiana plebs tolerabat. Cæterum centum triginta quatuor hinc inde epiſcopos & metropolitas creavit, nec ullam ſedem vacuam reliquit,

Digitized by Google

reliquit præter Moſulenſem, Meruenſem & Baſſorenſem, cujus poſtremæ urbis metropolita paucis ante ipſum diebus exceſſerat. Auditor fuerat Naſichæ diſcipuli Moſis Barcephæ Jacobitæ: inſtituitque ut ſymbolum Nicænum & oratio Dominica per verſus in miſſa à clero & à plebe canerentur, uti fiebat apud Jacobitas. Sub Abdjeſu II. Waſithæ eccleſiæ Cobenſis unita eſt, ejuſque loco inſtitutus epiſcopatus Bouazige in eparchia Beth-Garmæ. Obiit menſe Saphar anno Heg. 376. Græcorum 1297. Chriſti 986. die 2. Junii, exactis pontificatus annis 23. & menſe uno, anno ætatis ſuæ 88.

Vacavit ſedes, Amro teſte, ann. 1. menſes 8. dies 20.

LX. Maris II.

Abdjeſu II. defuncto, vocati ſunt de more epiſcopi ab Elia Caſcarenſi, ad quos electio & ordinatio Catholici ſpectabat. Convenere omnes præter Moſulenſem, qui tunc temporis morbo decumbebat. Ortis contentionibus inter metropolitam Moſulæ, qui demum acceſſerat, & Marim Perſidis, quum huic ſuffragia multorum faverent, alter cum ſuis ſortem poſceret, lite ad Serfeddoulam, qui Bagdadi regnabat, relata, *Maris,* cui Bar-Tobi cognomen, juſſus eſt ordinari. Patria Moſulenſis erat, ac monaſticam vitam amplexus: poſt ſuſceptam in Ægyptum peregrinationem monaſteriorum inviſendorum cauſa in patriam regreſſus, monaſterio cuidam præfectus fuerat, deinde monaſteriorum omnium inſpectioni præpoſitus, ab Abdjeſu Catholico epiſcopus Elſen ordinatus, ac tandem Perſidis metropoli auctus. Verum vaſtata à Dilemitis regione ſua, poſt multam prædæ partem recuperatam, petita, nec obtenta, à Catholico in patriam redeundi licentia, quum Serfeddoulam Sultanum in exercitu comitaretur una cum Dilamo Gondisfarenſi metropolita, ab illo Catholicus renuntiari meruit. Ejus electioni ab omnibus ſubſcriptum eſt: atque epiſcopi Modaïnam convenientes hunc in ſede collocarunt menſe Dilhaggia anno 377. Græcorum 1298. Chriſti 987. qui ipſa die epiſcopos ordinavit Haſtoum & Meſer civitatum. Bagdadi à Modaïnenſibus multo honore exceptus, nec-non à monachis cœnobii Phetionis, in aulam demum Sultani deductus fuit, à quo, ut mos ferebat, jus ampliſſimum Chriſtianis indultum eſt. Maris Neſtorianæ eccleſiæ regimen auſpicatus monachum unum Nageranenſem, cujus nomen tacetur, ad Sinas cum ſociis quinque delegavit, qui poſt annos ſeptem rediit, Hegiræ ſcilicet 387. Chriſti 997. quod quidem

A didici ex quibuſdam lineis ex Abulfergio Arabico ſcriptore à Golio exceptis, quas vir linguarum Orientalium peritiſſimus Ludovicus *Picques,* doctor Sorbonicus *ὁ μακαρίτης* in ora notarum ejuſdem Golii in Alfraganum exaravit in volumine quod cum aliis libris ſuis Bibliothecæ noſtræ Fratrum Prædicatorum Pariſienſium teſtamento legavit. Cæterum hoc Abulfergii teſtimonium jam à Cl. Renaudotio laudatum prolatumque fuit pag. 269. voluminis quod Gallico idiomate edidit, hoc titulo: *Anciennes Relations des* B *Indes & de la Chine.* Quod Marim attinet, eccleſiam adminiſtravit, non ex legum præſcripto, ſed divitum more, pecunias amans, & expenſis gaudens: quin mediocri rerum eccleſiaſticarum ſcientia pollebat. Ejus tempore prohibiti ſunt Chriſtiani ne preces elatiori voce canerent, & diſtributi per eccleſias cuſtodes. Acceſitus à Sultano Catholicus, quum ſuis reſponſis ſatisfeciſſet, cum honore dimiſſus eſt: poſt vero mota perſequutione carceri traditus fuit. Ebnolgowas metropolita Damaſci eccleſiam pecuniarum corroga- C tione vexans, ſchiſma fecit, & abſque Catholici permiſſione vel ſententia Anbaram relicto grege rediens, communione excluſus eſt: quamobrem quia canoni ſuppoſitus erat, electioni ſucceſſoris Maris non interfuit. Mortuus eſt Maris menſis Moharram die 28. anno Heg. 390. Græc. 1311. Chriſti 999. quum ſediſſet ann. 12 & menſes 8.

LXI. Joannes V.

Marim II. excipit Joannes Korge oriundus, qui ex diacono monaſterii Patriarcha- D lis epiſcopus Elſen olim ordinatus erat, ac ſubinde metropolita Perſidis, demum à Caliſa Catholicus renuntiatus: vir ignarus, qui ne legere quidem ſciret, nec quidquam intelligens eorum quæ legeret. Quocirca Ebnelgamel quidam cum epiſcopis aliis, ac præſertim metropolita Gondiſaporenſi aufugit: Joannes vero perſuaſo metropolita Beth-Garmæ reliquos adduxit ut ſibi conſentirent; atque in Catholicum promotus eſt in monaſterio Phetionis anno Hegiræ 391. Græcorum 1312. Chriſti 1000. menſe Tiſ- E rin prioris, ſive Decembris die 26. præſentibus epiſcopis tredecim. Deinde venit ad monaſterium Maris, atque à Modaïnenſibus & Habadienſibus eadem die ſuſceptus fuit: Jeſuiab metropolitam Moſul domo ſua prohibuit, quod ordinationi ipſius repugnaſſet, nec niſi in cinere & cilicio pœnitentiam agentem admiſit. Epiſcopos multos paſſim ordinavit. Ad eum Abdjeſus metropolita Maru ſcripſit de archidiacono qui ad Muſſemanos

deficiens eccleſiam in Meſchitam converterat, deque converſione regis Turcarum ad Chriſtianam religionem, qui & legatos ad ipſum miſerat: rogabat præterea metropolita quonam pacto in ea Boreali regione Euchariſtia apud illos peragi poſſet, apud quos nec triticum, nec vinum haberetur. Joannes reſpondit, ſemel ſaltem in anno ſacra myſteria illic celebrari debere, frumento & vino adhibitis. Adjecit, quod ſolemnia jejunia ſpectaret, populis illis indulgendum, ut lacticiniis & carnibus veſcerentur. Obiit Joannes anno Hegiræ 402. Giomadi menſis die 10. anno Chriſti 1011. Græcorum 1323. ſepultuſque eſt in eccleſia Elas-Bagh.

LXII. JOANNES VI.

Quo tempore *Joannes V.* defunctus eſt, vacabat ſedes Caſcarenſis, adeoque Elias epiſcopus Nahamaniæ Patriarchalis ædis & eccleſiæ curam ſuſcepit, & epiſcopos ad ſucceſſorem illius eligendum vocavit. Multorum vota conſpirarunt in Joannem *Bar-Nazul* ſeu filium Nazul, quem Maris II. jam pridem epiſcopum Hiræ conſecrarat: ſed aliis refragantibus, res ſorti permiſſa eſt. Scripta in ſchedulis ſunt nomina Joannis Hirenſis, Joannis alterius, Gabriëlis Elehemas epiſcopi Arzunæ, Maris filii Baſilii monachi: quibus poſt multas contentiones adjecta alia ſunt, Eliæ è monaſterio Rabban, Hormiſdæ & Gabriëlis è monaſterio Evangelii. E capſa primum nomen epiſcopi Hiræ eductum eſt ab epiſcopo Anbaræ, illeque acclamatione renuntiatus fuit, & à Sultano approbatus. Venit ad monaſterium Mar-Phetionis ubi ordinatus eſt die 19. Tiſrin poſterioris, anno Græcorum 1324. Chriſti 1012. Hegir. 403. ipſeque continuo Gabriëlem epiſcopum Arzun ad metropolim Moſulenſem promovit, multiſque epiſcopis confirmatis, ad eccleſiam Mar-Maris acceſſit. Ejus tempore Chriſtiani calamitatibus multis afflicti ſunt in Orientis partibus, ſed longe pluribus in Ægypto & Syria. Anno 3. ejus epiſcopatus venit ad eum epiſcopus Geziræ Neſtorianiſmi profitendi cauſa. Sedit Joannes annos 7. exſtinctuſque eſt anno Hegiræ 411. die 28. Rabi prioris, anno Alexandri 1331. Chr. 1020.

LXIII. JESUIAB IV.

Furentibus licet Muſlemanis in Chriſtianos, nihilominus Joanni VI. defuncto ſuffectus fuit *Jeſuiab,* Darkani natus, in ſchola Mar-Maris Modaïnenſi educatus, epiſcopus El Coſr, vel Coſræ, & Nahmaniæ à Catholico Abdjeſu ordinatus, à quo & doctor conſtitutus quoque fuit. Eccleſiæ porro cui præerat, ob calamitates quas à Mohammedanis tolerabat, bona cedere coactus, fuga ſibi conſuluerat, ſed è fuga revocatus, in Catholicum promotus eſt, ordinatuſque ab Elia metropolita Moſulenſi, quum Gondiſaporenſis abeſſet, vacaretque ſedes Baſſorenſis. Quod contigit menſe Canoun priore, anno Alexandri 1332. Hegiræ 412. & Chriſti 1021. ſub Alcadere Califa. E reliquis pauci eum ſuſceperunt, nec in plurimis eccleſiis proclamatus fuit, ſed & Moſulenſis metropolita conſenſum ſuum quadantenus retractavit, quod multorum diſſidiorum ſeminarium fuit. Obiit anno Hegiræ 416. menſis quarti ſeu Rabi prioris die 13. anno Alexandri 1336. Chriſti 1025. quum annos 4. & menſes ſex ſediſſet.

Sedes vacat ann. 3.

LXIV. ELIAS I.

Jeſuiab exſtincto, ſedes annos fere tres viduata manſit, utique ob Mohammedanorum infeſtationem. Tum itaque congregati epiſcopi anno Hegiræ 419. tres nominaverunt, Eliam epiſcopum Tirhanæ, epiſcopum Hiræ, & Abdjeſum monachum è cœnobio Mar-Eliæ, ſeu Dir-Sahid, qui ſubinde ad Moſulenſem ſedem evectus eſt. Horum nominibus in capſam miſſis, poſt triduanas vigilias *Elias* electus eſt, & throno Modaïnenſi impoſitus menſe Giomadi 1. ejuſdem anni 419. Alexandri 1339. ipſeque mox ordinavit Abuhazer filium El Tiraël epiſcopum El Caſer & Naharowiæ, confirmavitque epiſcopum Naſreldir & Haſtoun. Bagdadi multo honore exceptus eſt in eccleſia Aſbagh. Hunc Aſſemanus in oppido Gedan natum ait, utique ex Bar-hebræo: Maris vero oriundum dicit ex Korge Gendar, & in ſchola Niſibenſi educatum. Multis litteris metropolitæ Niſibenſi qui à ſe diſſentiebat, ſcriptis, hunc demum ad concordiam reduxit, unaque colloquium Hazæ ſeu Arbelæ habuerunt. Mortuus eſt menſe Dalkadi anno Hegiræ 440. anno Alexandri 1360. Chriſti 1049. Sederat annos 21. menſes 6.

LXV. JOANNES VII.

Poſt Eliæ I. obitum Maris Caſcaræ epiſcopus venit, ut vacantis eccleſiæ curam in ſe reciperet, ibique ſeptem menſes ſubſtitit. Tum primorum eccleſiæ ſuffragiis electus eſt *Joannes* filius Targal, ſcriba ſive à ſecretis Abulharet Butaſir, cujus opera ad hanc dignitatem provectus eſt. Mox Modaïnam venit, in qua ipſe educatus fuerat. Exiguo poſt tempore Turcæ irruptione facta, Bagdadum uſque venerunt, eaque occupata,

Digitized by Google

eccleſiam cellamque patriarchalem prædati ſunt, quam Joannes ſeptingentorum aureorum expenſis inſtauravit. Fugerat porro in monaſteria, ac tandem Bagdadum reverſus ad mortem uſque egit in monaſterio Græcorum, defunctuſque eſt anno Hegiræ 449. Chriſti 1057.

LXVI. Sebarjesus III.

Statim atque Joannes deceſſit, Eugenius Nahamaniæ epiſcopus, Caſcarenſi ſede vacante propter obitum Ebn Koura epiſcopi, Modaïnenſis eccleſiæ curam geſſit: dilataque electione bellorum civilium inter Togrulbecum & Baſaſicræum cauſa, per diaconos Bagdadenſes Marim epiſcopum Naſir & Nili ad eccleſiam ſervandam ex Ruſſafa accivit. Emmanuël Beth-Garmæ metropolita venit Catholicatum ambiens, ſed Sebarjeſus, cognomento Zamur, Gondiſaporenſis, ope Reja medici litteras impetravit quibus Catholicus renuntiabatur, quaſque Iſpahanum profectus, à Togrulbeco Sultano, & à Califa ratas fieri impetravit. Epiſcopi vero & metropolitæ non quieſcentes poſtularunt, ut electio more ſolito ſorte ageretur. Ita quidem Emmanuël cum ſuis, quibus Abdelmeſſias Holowanenſis, & Maris Nili eccleſiæ Patriarchalis cuſtos, Maris Anbaræ, & Gabriël Tirhanæ obſiſtebant. Demum poſt multas altercationes electio *Sebarjeſu* communibus ſuffragiis admiſſa firmataque eſt anno Hegiræ 452. Chriſti 1064. Alexandri 1373. illeque ſtatim eccleſiam Maris inviſit, & Gabriëlem Tirhanæ Moſulenſem metropolitam creavit. Hormiſdam quoque cognomento Abulolam Siraſitam Caſcaræ & Waſithæ ordinavit, quum plebs Caſcarenſis electioni ipſius, nec-non Bagdadenſis, conſenſiſſet. Alios deinceps epiſcopos ordinavit, nimirum Gabriëlem Moſulenſem, Salomonem Tirhanæ, Jaballaham Ebn-Dora, vel Abi-Dora Maaltæ, Stephanum Abu-Amrum monaſterii Dilemitæ S. Joannis præfectum, metropolitam Gondiſaporis, Neſtorium Hadithenſem Nahamaniæ, Stephanum monachum Elſenæ ſimul & Buadige ſive Buazichæ, Joannem Hadithæ metropolitam Meſr, vel certe potius Baſr, ſive Baſſoræ, Hananjeſum monachum metropolitam Hieroſolymorum, Ebn-Soubim epiſcopum Halepi, rurſus Georgium Baſſorenſem: demum Georgium alterum, quem in Choraſaniam & Sigeſtaniam miſit, qui in Cathayam uſque penetrans, in ea ſubſtitit reliquo vitæ ſuæ tempore. Unum item inſulis Maris deſtinavit, alterum inſulæ Socotræ. Paralyſi menſibus quatuor & amplius pulſatus mortem obiit die 23. Niſan ſeu 3. Aprilis anno Græc. 1383.

A Hegiræ 464. Chriſti 1072. quum ſediſſet annos 10. & menſes aliquot, ſepultuſque eſt in monaſterio *El-Roum*, ſive Græcorum.

Sedes vacat ann. 2. & menſibus 9.

LXVII. Abdjesus III.

Sebarjeſu defuncto, Caſcaræ epiſcopus de more epiſcopos vocavit, & funere peracto, poſt menſes aliquot Waſitam venere, in quibus Georgius metropolita Baſſoræ nec-non Stephanus Gondiſaporis, qui ibidem diem poſtremum egit. Omnes in electionem *Ab-* B *djeſu* vel *Ebedjeſu* filii Elharas patria Moſulenſis & metropolitæ Niſibis conſpirarunt, præter Georgium illum Baſſoræ, Hormiſdam Caſcaræ, Neſtorium Nahamaniæ & Stephanum Elſen. Quæ diſſenſio in cauſa fuit cur biennio novemque menſibus ordinatio protracta ſit, quum nempe illi litteras pro animi ſententia à Sultano obtinuiſſent, interimque interclusæ viæ eſſent, Miapherakin urbe in qua Abdjeſus tunc agebat, à Turcis obſeſſa, vaſtataque item urbe Bagdado ingenti Tigridis inundatione. Abdjeſus obtenta demum ab C Emiro Saneredoula licentia cum tribus ſuæ provinciæ Niſibenſis epiſcopis venit, itemque Jaballaha metropolita Moſulenſis cum quatuor ſuæ, Armeniæ ſcilicet, Hadithæ, Elſen & Tirhanæ. Abdjeſus Ocbaræ aliquantum moratus, poſt alios acceſſit, qui, obviam ei euntibus Chriſtianis, in monaſterio Græcorum inviſit nuperi Catholici ſepulcrum. Cum nihil itaque prohiberet quominus electio ex canonum præſertim Nicænorum, quos vocant, ageretur; poſt aliquantas velitationes, conceſſa à Sultano Modaïnam eundi facul- D tate, metropolitæ & epiſcopi Abdjeſum in monaſterio S. Phetionis renuntiarunt, moxque navi Modaïnam vectus, ad ripam Tigridis exceptus à clero & populo eſt, deductuſque in monaſterium *Elaba* ſive *Patrum;* ubi fuit eo ritu ordinatus, quo deceſſor ſuus Sebarjeſus. Aderant Georgius Baſſoræ, Jaballaha Hazzæ & Moſul, Abdelmeſſias Holwanæ metropolitæ, Hormiſdas Caſcaræ, Neſtorius Nahamaniæ, Maris Ambaræ, Maris Neſar & Nil; Makika Tirhanæ, Stephanus Elſen & Buaziges, Sebarjeſus Baladæ, Abdjeſus The- E manen, Jeſuiab Geziræ, Joannes Maaltæ, Marcus Caſtoun; ac præterea epiſcopi Hadithæ & Armeniæ non perfecti ſive confirmati. Ordinatio illius incidit in menſem Arabum Rabi priorem medium anno Hegiræ 467. Sultano Melicha & Caïemo Califa anno Græcorum 1386. Chriſti 1075. die 23. Novembris; collocatus in ſede Apoſtolorum in monaſterio Patrum, Evangelium legit, factaque eſt ejus ultima proclamatio, tumque viſitata ſancti Maris eccleſia, Bagdadum

reductus eſt, ubi in Græcorum monaſterio manens, Marim ejuſdem eccleſiæ preſbyterum epiſcopum Ocbaræ ordinavit, David Hadithæ metropolitam fecit, Georgium Arzunæ Niſibis metropolitam, cui poſt biennium defuncto, alium ſuffecit, cujus cognomentum Ebn-Gemad. Abdelmeſſiam quoque metropolitæ Baſſorenſis fratrem epiſcopum Elſen & Buaziges creavit. Tertio menſe ab ejus promotione mortuus eſt Caïem Califa, cui ſucceſſit Ebn-Moctad. Defuncto Mari epiſcopo Nili, Sergium Kalaïæ diſcipulum ejus in locum ſubrogavit, adjecta ei Nahamaniæ eccleſia, cujus præſulem Neſtorium in Barduæ metropolitam promovit, itemque Sebarjeſum Baladæ epiſcopum in Gondiſaporenſem, Naamanem filium Saadæ epiſcopatu Coſræ vel Caſræ donavit. Ad hæc anno Hegiræ 478. Chriſti 1087. Makikam Salomonis filium Tirhanæ ad Moſulenſem metropolim evexit. Ejus tempore Joanne cognomento Elharmi metropolita Syriæ ad ordinem redacto, locum ejus obtinuit Marcus epiſcopus Caſtoun. Huic Catholico Abdjeſu III. Caïem Califa amplum diploma conceſſerat de libertate & ſecuritate eccleſiarum, quo præterea reliquos cujuſcumque generis Chriſtianos illi ſubjiciebat. Annos quindecim ſedit. Obiit anno Græc. 1401. Chriſti 1090. die 2. Januarii, pro Cl. Aſſemani computo; ejus vero pontificatus annos Maris excerpta mihi ſuppeditant.

Sedes vacat 2. annis.

LXVIII. Makika I.

Annos duos Modaïnenſem vacaſſe ſedem Amrus, Aſſemano teſte, ſcripſit, non 20. ut in Bar-hebræi Chronico fertur; ſed nec Maris plures indicat. Narrat enim *Makikam* Salomonis filium Bagdadenſem, qui eccleſiæ ſancti Maris Bagdadenſis preſbyter primum fuerat, Tirhanæque poſthac epiſcopus, ac ſubinde Moſulenſis metropolita, anno Hegiræ 485. ſive Chriſti 1092. biennio ab obitu Abdjeſu, Catholicum electum eſſe, & Modaïnæ confirmatum. Cæremoniam peregit Jeſuiab Niſibenſis, Apoſtolum legente Sergio Nahamaniæ, & Hormiſda Waſithæ orationem quæ *Scemla* dicitur, recitante, tumque demum Catholicus Evangelium legit liturgiamque celebravit. Aderant præter Niſibenſem, Nahamanienſem & Waſithenſem, Marcus Baſſoræ, Joannes Holwanæ metropolitæ, Abdjeſus Tirhanæ, Moyſes Singaræ, Cyriacus Maaltæ, Abdjeſus Hadithæ, Sebarjeſus Caſtoumæ, Elias Rakæ. Vir fuit medicæ artis peritus, pius quoque & ſacrarum litterarum ſtudioſus, qui quum Tirhanenſi eccleſiæ præeſſet, veteris novique Teſtamenti A lectiones interpretabatur, à quo & edita miracula ferunt. Stabiliendæ fidei cauſa, ad hæreticos, Jacobitas præſertim & Maronitas Monotheletas-ve præcipuam operam poſuit. Febri correptus obiit anno Hegiræ 504. Alexandri 1421. Chriſti 1110. huncque ſepelierunt in eccleſia veteri Deiparæ monaſterii Græcorum. Moctades Califa privilegium illi confirmavit, quo omnium generum Chriſtiani illi ſubjiciebantur. Cæterum ſtatim atque Patriarchatum iniit, ritum à deceſſore ſuo Abdjeſu inſtitutum, ut binis quibuſcumque B precibus Oratio Dominica *Pater noſter* interjiceretur, abrogavit, quo vetus ordo ſervaretur. Quod Vaſetenſis filiis, Bagdadenſium primoribus ita diſplicuit, ut illi tanquam hæretico convitiari non dubitarint; quos edito de ſua fide libello, communione ſubmovit.

LXIX. Elias II.

Anno Hegiræ 505. Alexandri 1422. Chriſti 1111. poſt Makikam *Elias filius Mocli* Moſulenſis, ejuſdem urbis ſimul & Hazæ ſive Adiabenes metropolita, Catho- C licus electus fuit, cui ad Patriarchalem eccleſiam venienti comites aderant Sebarjeſus Niſibenſis, à quo ſedi impoſitus eſt, Joannes item Holwanenſis, Sebarjeſus Ocbaræ vacantis ſedis cuſtos, Joannes Coſræ & Naharvanæ, Abdjeſus Iſpahami, Abdjeſus Ormiæ, ſacerdotes Bagdadenſes quamplurimi, primoreſque laïci. Legit Elias Evangelium, concionatuſque eſt, tum profectus ad Dair-Kan, à monaſterii Maris ſcholaſticis multo honore exceptus eſt, illis in ordinem compoſitis cum cruce & libro Evangeliorum. Celebrata ibi D liturgia à Joanne metropolita Holwanæ, Sebarjeſus Niſibenſis Evangelium legit; tum peractis illic vigiliis, tertio poſt die venerunt ad monaſterium Gabriëlis, ſive ſedem patriarchalem, ubi Elias ſacrum fecit, atque Evangelium legit. Bagdadum regreſſus, in monaſterio Græcorum de more manſit. Ibidem Zachariam cœnobii Sahid aſcetam, epiſcopum Ambaræ & Hiræ ordinavit, Sebarjeſum filium Abu-Hile Bagdadenſem, epiſcopum Caſcaræ & Waſithæ, Thomam Gondiſaporis ad metropolim Beth-Garmæ tranſtulit, Em- E manuëlem filium Mohedæ monaſterii ſedis Patriarchalis præfectum, Nahamaniæ, Nili & Badraïæ præſulem conſtituit, & Sebarjeſum monachum epiſcopum Beth-Bagas, Buladæ epiſcopum Ormiam tranſtulit. Annos ſedit 21. mortuuſque eſt Sabbato die 27. Octobris, anno Alexandri 1443. Chriſti 1132. Hegiræ 526. Cujus corpus tumulatum eſt juxta Emmanuëlem Catholicum *in Oratorio eccleſiæ Dominæ*, (ſive Salvatoris genitricis) *in monaſterio El-Roum*, ſive Græcorum.

Digitized by Google

Sedes vacat ann. 2.

LXX. Barsumas.

Eliæ demum ſuffecerunt *Barſumam* honeſto loco in Zabdæa Niſibenſis ditionis regione natum, qui monachus factus eleemoſynis inſignis fuit. Ordinatus ab Elia Catholico fuerat Themanon epiſcopus: qua eccleſia primo anno ab illo recte compoſita Hieroſolymitanam peregrinationem iniit. Mortuo deinde Elia, Catholicus Bagdadi electus eſt die 5. Aug. anno Græc. 1445. Chriſti 1134. Hegiræ 528. Huic manum impoſuit Joannes filius Batilæ Niſibenſis metropolita: aderantque Joannes filius Achadad Moſulenſis, Abdjeſus filius Maphalat Beth-Garmenſis metropolitæ, cum epiſcopis Arzunæ, Kimar, Nuhadræ, Geziræ, Ocbaræ, & Sebarjeſu Waſithæ, qui archidiaconi officio functus eſt. Mox Divanum adiit, acceptaque dignitatis confirmatione, Turcarum ſatellitio ſtipatus, ad eccleſiam uſque *Suk Elthaleth* deductus eſt, unde ad Aticam itidem eccleſiam ſive veterem tranſiit, comitantibus ipſum Niſibenſi, Moſulenſi & Beth-Garmenſi metropolitis, quos dixi, Sebarjeſu Waſithæ, Sebarjeſu Ocbaræ, aliiſque epiſcopis. Dum liturgia celebrabatur, poſt Evangelium à Waſithenſi, qui ſedis cuſtos fuerat, proclamatus eſt. Modaïnam omnes venerunt, ubi miſſa iterum celebrata eſt, veſpertinumque officium ſero peractum; vigilia Dominicæ, ingreſſa Chriſtianorum multitudine, ſupplicatione ſolenni circa monaſterium & ſanctuarium progreſſum eſt. Miſſa inchoata Apoſtolum Waſitenſis legit, Evangelium Catholicus, reliquaque, ut moris eſt, peregit. Regreſſi ſunt omnes ad Dair-Kani ſive monaſterium Kani, deinde Bagdadum, ubi Barſumas in Græcorum monaſterio manſit. Anno uno, menſibus quinque, diebuſque ſex tranſactis conceſſit fatis Heg. 530. Alexandri 1447. Chr. 1136. Sabbato die 11. Januarii, ſepultuſque eſt in eccleſia Eltheleth, vaſtata tunc ſcilicet eccleſia Græcorum à Barbaris, omnibuſque libris Syriacis & Arabicis, ac tota ſupellectile ſpoliata. Ab eo inprimis epiſcopus ordinatus fuit Joannes Sarchaſæ urbis in Orientis interioribus partibus poſitæ.

Sedes vacat annos 3.

LXXI. Abdjesus IV.

Poſt Barſumam Catholicus electus eſt, & à Viziro confirmatus *Abdjeſus filius Mocli* Moſulenſis, metropolita Beth-Garmæ, qui Modaïnam magno ſatellitio die 13. Novembris anno Heg. 533. Græc. 1450. Chr. 1139. venit ad eccleſiam Mar-Phetionis, ubi ab epiſcopo Waſithæ Ebn Phadlæ ſedis cuſtode
A proclamatus fuit, applaudente plebe, *Dignum & juſtum eſt.* Modaïnam mox petiit, ubi præmiſſis vigiliis promotionis ejus ſolennitas non ſine lacrymis, ut nec acclamationibus celebrata eſt. Aderant Joannes Moſulenſis qui manum ei impoſuit; & Abdjeſus metropolita Perſidis, & epiſcopi alii, etiam non confirmati, in quibus Barſim epiſcopus Caſtoum. Tunc vero Joannem Ebn-Baſila, conſobrinum ſuum Niſibis metropolitam conſecravit. Bagdadum reverſus ad Dair-Kani monaſterium, eccleſiam S. Maris viſitavit,
B quam, ut & cœnobium adjacens expenſis multis inſtauravit. Fuiſſe tamen illum aiunt avarum prorſus, colligendæ pecuniæ avidum, & eleemoſynarum parcum. Paralyſi duos menſes cum dimidio laborans, mortuus eſt die 25. Novembris, feria 3. anno Heg. 543. menſe Giomadi, anno item Alexandri 1459. Chriſti 1148. elapſis pontificatus annis 9. cum 12. diebus, quem ſepelierunt in eccleſia Græcorum.

LXXII. Jesuiab V.

C Anno inſequenti, Græcorum 1460. Hegiræ 543. Chriſti 1149. poſt Abdjeſu IV. obitum in Catholicum promotus fuit *Jeſuiab* Zabdææ inſulæ, (vel, ut Bar-hebræo placuit, Hirtæ) epiſcopus, omnium conſenſu, ſed præſertim Abumanſuri archiatri opera electus ſub Califa Moctaſi, anno Heg. 543. Alexandri 1460. Chriſti 1149. atque Dominica ſecunda, quam vocant, dedicationis eccleſiæ, promotio illius ſolennis facta eſt. Mox vero atque Catholici throno impoſitus fuit, metropolitas novem ordinavit, & epiſcopos
D quadraginta per diverſas provincias. Obiit annos ſupra nonaginta natus, vigeſimo-ſexto pontificatus cum ſex menſibus completo; adeoque anno Hegiræ 570. Alexandri 1486. Chriſti 1175.

LXXIII. Elias III.

Jeſuiab quintum excepit *Elias III.* cognomento Abu-Halim, patria Maipheracinenſis, metropolita Niſibis; vir ſcientia & moribus ſpectatiſſimus, qui accepto byrrho Modaïnæ ordinatus eſt, manum ei imponente Joanne
E metropolita Gondiſaporis, adſtantibuſque aliis diverſarum provinciarum metropolitis & epiſcopis. Mox ordinavit cœnobii Cokenſis rectorem Titum metropolitam Moſul & Hazæ, Jaballaham epiſcopum Mardinæ Niſibim tranſtulit, Joannem Moſulenſem metropolitam Hemdanæ conſtituit, & Joannem Aklat vel Calatæ metropolitam Caſcaræ; quo poſtea defuncto, Sebarjeſum epiſcopum Kimar Caſcarenſi ſedi impoſuit. Erat utramque linguam Arabicam & Syriacam accurate doctus, quin

Digitized by Google

& philoſophiæ atque theologiæ ſtudiis operam dederat. Ejus namque homilias & epiſtolas exſtare Sobenſis ait cap. 194. ab illoque emendatas & conditas precationes quæ inter ſeſſiones in officio matutino recitantur. Obiit eccleſia recte adminiſtrata, anno Græc. 1501. Hegiræ 586. Chriſti 1190. feria 6. die 12. Aprilis, quum ſediſſet annos 14. menſes duos, & dies 19.

LXXIV. JABALLAHA II.

Eliæ ſucceſſit *Jaballaha II.* qui pridem Maipherakin epiſcopus fuerat, deinde Niſibenſis metropolita. Hunc in ſede collocarunt Dominica tertia Apoſtolorum, ſive poſt Pentecoſten anno ipſo Græc. 1501. Chr. 1190. imponente ei manum Elia metropolita Beth-Garmæ. Bagdadum Modaïna reverſus, relicta cella Patriarchali, quæ in Græcorum monaſterio exſtabat, tranſiit ad eccleſiam ſanctæ Mariæ in Occidentali urbis regione poſitam, ubi fatis conceſſit anno pontificatus ſui 31. completo, ſexque itidem menſibus, anno Græc. 1533. Hegiræ 618. Chriſti 1222.

LXXV. SEBARJESUS IV.

Mortuo Jaballaha II. Bagdadum venit Abdjeſus metropolita Gondiſaporis, qui vacantis ſedis cuſtos fuit. Tum convenerunt Salomon Baſſoræ, Joſeph Moſulæ, Sebarjeſus Ebn-Maſſihi Dokukæ, Jeſuiab filius Molchim Niſibis metropolitæ, Elias epiſcopus Ocbaræ, Narſes Tirhanæ, aliique ex aliis provinciis, inprimis *Sebarjeſus* Moſulenſis cognomento Ebn-Kaymi, Jaballahæ nuperi Catholici defuncti fratris filius, epiſcopus olim Nuhadræ à patruo ordinatus, ac ſubinde Hazæ & Arbelæ metropolita. Aliis autem poſtulantibus metropolitam Dokukæ, hominem vita & ſcientia apud ſuos ſpectatiſſimum, altera factio prævaluit ut Sebarjeſus, qui adminiſtrandæ eccleſiæ ſub patruo magna pars fuerat, Catholicus renuntiaretur, accedente cleri præſertim opera, Nazeri Califæ conſenſu. Quod contigit anno Græcorum 1533. Hegiræ 618. Chriſti 1222. Hic eccleſiam recte quoque geſſiſſe fertur, mortuuſque eſt anno Græc. 1535. Heg. 621. Chriſti 1224. quum ſediſſet annos duos, menſes decem. Hujus Catholici in Dynaſtiarum hiſtoria meminit Gregorius Abulſaragius p. 452. Arabici textus & 296. tranſlationis Latinæ, ubi narrat inter illius ævi medicos claruiſſe Abulhazan Chriſtianum Haditenſem, ejuſque fratrem Abulchair archidiaconum, qui fratres erant Catholici, vulgo noti nomine *Ebnol-Meſſihi.*

LXXVI. SEBARJESUS V.

Communibus epiſcoporum, cleri plebiſque ſuffragiis poſt Sebarjeſum IV. electus eſt ejuſdem nominis alter monachus pridem Bagdadenſis, tunc vero Beth-Garmæ metropolita, atque à Nazero Califa confirmatus anno Græc. 1537. Heg. 623. Chriſti 1226. qui munere ſuo optime functus eſſe dicitur. Epiſcopos ſeptuaginta ſeptem per diverſa loca ordinavit, nihil exigens, ſed nec quidquam accipiens. Fatis Sebarjeſus conceſſit anno Alexandri 1567. Hegiræ 654. Chriſti 1256. Sabbato die 26. Aprilis, quum ſediſſet annos 31. Quamobrem ille ipſe eſt Neſtorianorum Catholicus, ad quem prædicatores, qui Orientem fidei Catholicæ inſtaurandæ cauſa peragrabant, acceſſere, quo tempore Gregorius Papa IX. Romæ ſedebat, circa ann. 1233. quemque à recta doctrina alienum non fuiſſe pontifici ſcripſerunt. In Annalibus Ordinis Prædicatorum, quos ab Abrahamo Bzovio inchoatos, ejuſque manu exaratos ſervamus, litteræ appellantur, quibus Gregorius ei de vera fide quam profitebatur, gratulatus eſt.

LXXVII. MAKIKA II.

Catholico Sebarjeſu V. defuncto, Elias Gondiſaporis vacantis ſedis cuſtos quum eſſet, epiſcopos accerſivit, qui poſt decem menſium longa diſſidia *Makikam* demum elegerunt patria Niſibenſem, ejuſdemque urbis metropolitam. Huic Elias Gondiſaporis manum impoſuit Dominica 4. quadrageſimæ, anno Alexandri 1568. Chriſti 1257. Hegiræ 655. adſtantibus Denha Arbelæ & Abdjeſu Moſulæ metropolitis, Emmanuël Arzunæ epiſcopo, Joanne Maipherakin, Elia Heſnæ, Simeone Deſtæ, Gabriële Caſtoum, Jaballaha Suſarum, Jeſuiab Nuhadræ, Simeone Buazichæ & Jeſuiab Chadiræ. Ad eccleſiam Mar-Maris promotionis agendæ cauſa quum veniſſet, Elias ordinator ejus Evangelium legit ſupra dorſum ipſius, & Chadiræ præſul archidiaconi officio functus eſt: tum Bagdadum regreſſus multo honore exceptus fuit. Eccleſiam autem accuratiſſime adminiſtravit, unde ſibi cunctorum animos conciliavit. Ejus porro tempore Abbaſſidarum principum imperium penitus deletum eſt, & ad Mogolenſes Tartaroſque tranſiit per Hulacum Chanum, qui Bagdadum cepit anno Hegiræ 656. Chriſti 1258. Is erga Catholicum ſe munificum præbuit, ac palatium dedit, quod Califæ dicebatur, ad Tigridis ripam ſtructum; in quo Makika eccleſiam ædificavit, & habitavit quandiu ſuperſtes in vivis fuit. Sedit annos 8. menſes 5. obiitque Sabbato die 18. Aprilis anno Græcorum 1576. Chriſti 1265. Ejus exequiis adfuere Simeon Moſulenſis, Emmanuël Tirhanenſis,

Digitized by Google

Brictjeſus Waſithenſis, Joannes Suſæ & Joannes Camulæ, huncque ſepelierunt in eccleſia nova quam in Califæ palatio exſtruxerat. Hic autem ille ipſe fuit Neſtorianorum Catholicus, qui per Andream de Longiumello Ordinis Prædicatorum epiſtolam Innocentio Papæ IV. dedit, Romanæ eccleſiæ communionem poſtulans. Ea ad hunc modum inſcribitur apud Raynaldum ad annum 1247. n. 32. *Littera tranſmiſſa ad Dominum Papam ex parte Catholicon. Ad præſentiam Papæ magnifici ex parte illius, qui petit orationes ejus in ſubſidium debilitatis ſuæ, Rabban Ara vicarii Orientis, adorantis inter manus ejus, Patri Patrum, decori paſtorum, miſericordia vitæ, fonti pietatis & indulgentiæ, intercedenti pro populo Domini, perfecto in divinis, excellenti in ſpiritualibus, ſoli juſtitiæ, cujus lux oritur ſuper quatuor mundi climata, qui lucet & ſplendet in eccleſiis Catholicis ſanctis, Cherubim corporeo, Seraphim carneo, tenenti ſedem beati Petri, Domino meo ſanctiſſimo Papæ Romæ, & omnium climatum mundi coram Deo, &c.* Nonnullis interjectis de Frederico Imp. quem à Romanæ ſedis communione ſegregatum audierant, ſubditur; *Nunc autem iſti fratres filii veſtri ſpeciales, religioſi, virtuoſi in omnibus operibus ſuis, quos oportet honorari ab omnibus hominibus, qui ſunt digni audire quod dixit os vivificantis,* Euge ſerve bone & fidelis, &c. *Ipſi, inquam, miſſi à vobis Andreas & ſocius ejus conſervati in Domino, notificabunt vobis ore ad os quæ viderunt & audierunt apud nos, &c. Miſimus autem vobis per manus dictorum fratrum nuntiorum veſtrorum libellum, quem attulimus de pectore Orientis, ſcilicet de terra Sin; & libellum alium de fide ex parte archiepiſcopi Niſibeni, cui ſubſcripſerunt alii duo archiepiſcopi & tres epiſcopi. Et nos una cum eis in ſpiritu poſcimus à paternitate veſtra petitionem ſecundam pro primo archiepiſcopo Hieroſolymitano, qui eſt de gente noſtra, & pro fratribus noſtris Orientalibus Chriſtianis, qui ſunt Antiochiæ, Tripoli, & Accon, & in aliis terris veſtris, ut recommendetis ne aliquis eos offendat, & ſint apud vos ſicut dixit Dominus noſter Jeſus Chriſtus:* Quodcumque uni ex minimis meis feciſtis, &c. Hæc Catholici nomine ſcribebat Rabban Ara monachus, qui Orientis vicarii titulo apud ſuos ornabatur.

Fidei profeſſio Neſtorianorum quam *Enſtaib*, ſeu *Jeſuiab* potius, Niſibis metropolita condiderat, cuique archiepiſcopi ſive metropolitæ alii duo & tres epiſcopi ſubſcripſerunt, ſubinde recitatur à Raynaldo num. 43. quæ utinam omni ſua parte integra, & Catholicis auribus digna vere fuiſſet.

LXXVIII. Denha I.

Poſt Makikam II. omnibus nemine repug-A nante conſentientibus, electus eſt qui locum ejus teneret *Joannes Denha* in oppido Ruſtaka natus, vir Syriaci ſermonis egregie peritus, metropolita Hazæ & Arbelæ, qui ab Abago Chan veſte ſeu pallio Catholicis proprio ornatus, & à tribus Mogulenſium primoribus multo honore deductus, Modaïnæ ab Elia metropolita Gondiſaporis ordinatur anno Alexandri 1577. Chriſti 1266. Dominica 3. conſecrationis eccleſiæ, & 15. Novembris. Aderant Simeon Moſulenſis, Elias Beth-Garmæ, Joannes Aderbiganæ metropolitæ, B Emmanuël Tirhanæ, Brictjeſus Buazichæ, Salibazacha Chalatæ, Boctjeſus Waſithæ, Joannes Kamul, Jeſu-Denha Amid & Mardæ, Maranane Beth-Dial, Jeſuzacha Beth-Bagas, Abdjeſus Maaltæ, Melichjeſus Nuhadræ, Simeon Telæ & Barbariæ, Matthæus Daſenæ. Bagdadi vero manſit in æde Califæ, quam ſuperius Catholicis conceſſam dixi, & diem clauſit anno Græcorum 1592. Chriſti 1281. die 24. Februarii, quum ſediſſet annos 16. & menſes tres, ejuſque corpus conditum fuit in eccleſia quam Makika deceſſor C ejus exſtruxerat. Poſt vero illis ædibus quæ Califæ fuerant, à Muſulmanis ablatis, tranſlatum illud fuit in aliorum Catholicorum ſepulcra, anno Hegiræ 695. Alexandri 1607. Chriſti 1296.

Sedes vacat menſes octo.

LXXIX. Jaballaha III.

Denhæ nonniſi poſt menſes octo ſuffectus fuit *Jaballaha III.* Catayenſis, Turcici ſive Tartarici generis, qui monaſticam antea vitam in Syria profeſſus erat. Hic in patriam D reverſus, à Chano miſſus in Palæſtinam fuerat cum pretioſis veſtibus quas Jordanis undis immergeret, Dominicoque ſepulcro admoveret; quod quum, ut juſſus erat, præſtitiſſet, ad Principem rediens multo honore ſuſceptus eſt. Ipſe Tartarorum hordis omnibus circumluſtratis in monaſterium ſe recepit, deinde à Denha ordinatus eſt metropolita Tenchut. Verum propter bellorum tumultus quibus Orientales regiones affligebantur, prope Arbelam in monaſterium Dokukæ ſeceſſit, ſubindeque Bagdadum, ubi à monacho E quodam, cui Rabban Sulacæ nomen, præmonitus eſt brevi futurum, ut ei totius eccleſiæ regimen imponeretur. Hanc in urbem venerat, quo tempore Catholico Denhæ defuncto juſta perſolvebantur, omniumque poſtea votis Catholicus eſt renuntiatus. Mox à Tartaris confirmatus, Modaïnamque profectus, ſolenni ritu primariæ ſedi impoſitus fuit à Maraname metropolita Gondiſaporis, coram Jeſu-Zacha Niſibenſi, Moyſe Arbelæ, Gabriële Moſulæ, Elia Beth-Garmæ,

Digitized by Google

Abrahamo Elkadeſtæ, ſive Hieruſalem, Je-ſuiab (vel ut Aſſemanus habet, Jeſuſabran) Tenchut metropolitis, Boctjeſu Tirhanæ epiſcopo, Hananjeſu Chalatæ, Simeon Baladæ & Geſlanæ, Jeſu-Denha Maipherakin, Georgio Maaltæ, Simon Tilæ & Barbariæ, Salibazacha Badroun ſive Beth-Daron, Joſeph Salmaſæ, Gabriële Ruſtakæ, Abrahamo Aſnochæ, Matthæo Daſenæ, Joanne Suſarum, Emmanuële Heſnæ, Simeone Arzunæ, Cyriaco Socotræ. Promotio itaque illius facta eſt anno Alexandri 1593. Chr. 1282. Mox eccleſiam Mar-Maris de more viſitavit. Tanto eum honore Tartari Mogulenſes proſequebantur, ut omnes, etiam Emiri, capita coram eo detegerent, ejuſque gratia Chriſtianis impensè faverent. Byrrho eum roſacei coloris induerant, quo deinceps Catholici alii uſi ſunt. Monaſterium prope Matragam magnificum ædificavit: cæterum Bagdadi poſtea vaſtata eccleſia Patriarchalis eſt, auctumque Chriſtianis tributum. Ejus tempore Mogulenſes principes ſeptem interierunt. Defunctus eſt anno Heg. 717. Græc. 1629. Chriſti 1318. die 13. Novembris, quum ſediſſet annos 37. Corpus ejus ſepultum fuit in monaſterio Mar-Joannis quod exſtruxerat, ac ſubinde Arbelam tranſlatum. Atqui Catholici hujus epiſtola cum profeſſione fidei Latine exſtat apud Raynaldum ad ann. 1304. n. 23. quam ſanctiſſimo Papæ Benedicto XI. ſcripſit per Jacobum Dominicanum. Incipit: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Sanctiſſimo Patri noſtro domino Benedicto, advena & peregrinus Hyaballaha, qui per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti factus eſt Jacolicus* (Arabico more Jaclic, Catholicus) *& Patriarcha totius Orientis, petit à ſanctitate veſtra benedictionem & inclinat vobis cum humili ſalutatione in charitate Domini noſtri Jeſu Chriſti: Superabundanti Patri in ſanctitate & ſuperexcellenti ſpiritualibus donis Vicario Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſuper totam fidem Chriſtianam, ſedenti ſuper ſedem beati Petri Apoſtoli paſtoris noſtri & patroni, Patri Patrum, Regi regum, ſanctiſſimo Papæ Benedicto, quem Deus induit ſanctiſſima & digniſſima veſte. Cuſtodiat Deus per veſtram ſanctam orationem ab omni adverſitate & tribulatione omnes illos qui ſignum crucis in frontibus ſuſceperunt.... Novit ſanctitas veſtra reverenda, quod religioſus vir ac ſanctus Frater, Jacobus Ordinis Prædicatorum, quem Deus in via quam aſſumpſit, dirigat, & confirmet, venit ad nos & manifeſtavit nobis, quomodo ſanctus pater Bonifacius, cujus animam Deus habeat, de hac vita tenebroſa ad lucem perpetuam tranſmigravit. Inſinuavit inſuper nobis, quod iſtud donum permaximum, quod eſt maxima ſedes throni apoſtolici, &*

A *univerſalis paternitas omnium fidelium, ac ſummus pontificatus omnium pontificum in omni eccleſia catholica & apoſtolica Deus omnipotens & piiſſimus veſtræ contulit ſanctitati, quam Deus cuſtodiat & conſervet.* Tum aliis horum fere ſimilibus interjectis ſequitur profeſſio ſeu formula fidei, anteriore illa de qua antehac dixi aliquantum accuratior, in his præſertim quæ Chriſti perſonam divinam attinent, quæque ſanctam ejuſdem Dei genitricem. *Et iſta eſt,* inquit, *fides noſtra in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui eſt completus Deus, & completus* B *homo in una perſona, totus apud patrem & totus in matre, &c. Et confitemur, quia Domina noſtra virgo ſancta Maria genuit & peperit Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui eſt perfectus homo & unitus Deo perfecto.* Non omittendum eumdem Catholicum Jaballaham, jam antehac conveniſſe Fratres quoſdam Minores à Nicolao Papa IV. miſſos, quos ille multa benevolentia ſuſceperat, unaque fidei formulam quam geſtabant, ut populi qui illi ſuberant, ea informarentur, de quo iterum legendus Raynaldus ad annum 1288.

C Atqui in Jaballaha iſto III. deſinit hiſtoria Catholicorum Orientis quam Maris Salomonis filius Arabico idiomate conſcripſit.

LXXX. Timotheus II.

Jaballahæ III. proximus ſucceſſor fuit *Timotheus II.* quod quidem ſignificatur in carmine Heptaſyllabo, quod Cl. Aſſemanus recitat to. 2. Biblioth. Orient. pag. 389. quo Catholicorum Orientis ſeries ad hunc uſque Timotheum incluſive exhibetur. Sic autem de illo habet: *Timotheus caræ memoriæ, qui* D *ſtigmata Chriſti portavit. Donet ei ſpiritus requiem cum juſtis, & nobis pacem una cum ipſo concedat.* Ita quoque in Eliæ metropolitæ Damaſci catalogo agmen claudit Timotheus. Huic autem priſtinum Joſephi nomen fuit, etiam dum Arbelenſem & Moſulenſem eccleſias regeret, illudque Catholicus factus, in Timotheum mutavit. Nimirum Moſulenſi primum ſedi inpoſitus fuerat, atque defuncto Abrahamo Arbelam tranſlatus, quam Athurenſi relicta, ſive Moſulenſi, tenuit ad annum uſque Græcorum 1629. E Chriſti 1318. Utramque autem ab eo eccleſiam unam poſt aliam adminiſtratam eſſe diſerte declarat Elias Sobenſis in Epitome canonum apud Aſſemanum to. 3. Biblioth. Orient. p. 567.

Statim vero atque Orientali ſuæ eccleſiæ præfectus fuit, epiſcoporum qui ſecum aderant concilium habuit, in quo canones duodecim condidit, adjecta ſynodica epiſtola, qua præſertim vetabatur, ne libri abſque Catholici approbatione ederentur. Qui porro Timothei

Digitized by Google

Timothei promotioni & ſynodo præſules interfuere in actorum præfatione numerantur, ſcilicet Joſeph metropolita Elamitidis ſive Gondiſaporis, Ebedjeſus metropolita Niſibis, Simeon metropolita Moſulæ, Simeon metropolita Beth-Garmæ; Simeon epiſcopus Tirhanæ, Simeon epiſcopus Baludæ, Joannes epiſcopus Beth-Waſich, Joannes epiſcopus Sigaræ, Ebedjeſus epiſcopus Honitæ, Iſaac epiſcopus Beth-Daron, & Jeſuiab epiſcopus Telæ & Barbeliæ. Qui perinde omnes ſtatutis à ſynodo ſubſcripſerunt. Quot ſederit annos Timotheus, quo item anno vivere deſierit, nullo nobis monumento conſtat.

LXXXI. Denha II.

Poſt Timotheum II. *Denha II.* Neſtorianorum Catholicus fuit, at non certe proximus ejus ſucceſſor. Hic autem nobis innotuit ex vita Athanaſii Jacobitarum Orientis Maphriani ſive Primatis. Hunc quippe narrant, quum apud Sultanum non modica auctoritate valeret, poſt Gregorii Maphriani obitum, Dioſcorum Jacobum Bar-Kainæi, ſive Fuſoris filium adjuviſſe, ut ſedem Jacobiticam arriperet, adverſus Athanaſium tunc Maphrianum conſtitutum. Quod contigit anno Græcorum 1671. Chriſti 1360. *To. 2. Bibl. Or. p. 460. & 461. to. 3. p. 620.*

LXXXII. Simeon I.
LXXXIII. Simeon II.
LXXXIV. Elias IV.
LXXXV. Simeon III.

Anno Græcorum 1789. Chriſti 1477. menſe Novembri ſedebat *Simeon* Chaldæorum Catholicus, ex nota chronographica codicis Vaticani Syriaci 32. apud Aſſemanum. *To. 2. Bibl. Orient. p. 457.*

Simeon II. Rurſum *Simeonem* alterum ſæculo decimo quinto exeunte, vixiſſe apparet ex codice Syriaco altero, ex his quos Clemens Papa XI. & Innocentius XIII. in Vaticanam quoque Bibliothecam intulerunt, in quo habetur: *Hiſtoria monachorum qui ex India in Meſopotamiam venerunt, an. Græc. 1801. Chr. 1490. ſub Simeone Patriarcha Chaldæorum, epiſcopos pro Indiarum regionibus poſtulaturi. Nimirum Georgius & Joſeph quos Simeon Patriarcha, ſive Catholicus, in urbe Gezira preſbyteros ordinavit, & cum illis ad regionem Malabar duos epiſcopos, quibus Joſeph nomen erat, miſit, quorum unum Thomam, alterum Joannem appellavit. Hi preſbyteros & clericos in India ordinarunt. Mox regreſſo in Aſſyriam Thoma, Joannes epiſcopus ſolus remanſit. Anno Græcorum 1813. Chriſti 1502. obiit Simeon Patriarcha* (Catholicus) *cui Elias ſucceſſit,* Elias IV. *à quo tres epiſcopi anno inſequenti ordinati ſunt, David ſcilicet quem Jaballaham vocavit, Georgius, quem Denham, & Maſadus, quem Jacobum, eoſque in Indiam ablegavit: eòque pervenerunt vivente adhuc Joanne epiſcopo. Anno Græcorum 1815.* (Chriſti 1504.) *mittunt epiſtolam Eliæ Patriarchæ, qui tamen obierat, cuique ſuffectus fuerat Simeon: in qua numerum* Simeon III. *Chriſtianorum in Malabar referunt, adventumque Luſitanorum in eam regionem.*

Brevis hæc hiſtoria tres nobis Catholicos ſuppeditat, qui poſt ſæculi decimi-quinti medium ad ſextum uſque adultum vixere, Simeonem ſcilicet II. Eliam & Simeonem III. Vid. to. 2. Bibl. Orient. p. 457. & 487. ex quibus locis pauca iſta exſcripſi, quæ fuſius Syriacè Latinèque proſtant, tom. 3. p. 590. & ſeqq. quæ curioſus lector poſſit legere, ubi præſertim Luſitanorum ad Malabaricas oras adventus narratur, quæque illis ſubinde acciderunt.

LXXXVI. Simeon IV.

Simeoni illi, *Simeon IV.* ſuffectus fuit; qui ſedebat anno Græcorum 1842. Chriſti 1531. ex primo codice Vaticano Syriaco Clementis XI. & Innocentii XIII. ad cujus calcem hæc leguntur. *Codex in 8. bombycinus continet chartas ſcriptas 149. Syriacis litteris ſtronghilis, hoc eſt rotundis, exaratus à preſbytero Abraham pro uſu fratris Simeonis, ex oppido Seleuciæ, menſe Octobri anno Græc. 1842.* (Chriſti 1531.) *in monaſterio S. Eugenii ſub Simeone Patriarcha* (Catholico) *Orientis, ejuſque fratre Jeſuiabo metropolita, uti notatur manu ipſius Abrahami preſbyteri, fol. 121.* In vivis autem agebat Simeon idem anno quoque Græcorum 1850. Chriſti 1539. quod ſignificatur, Aſſemano teſte to. 2. pag. 457. Chronologica nota quæ exſtat in codice Hoſpitii Maronitarum de urbe, ex qua emendare videtur, quod to. 1. p. 504. ſcripſerat notam illam ad Simeonem V. cognomento *Mamam* ſpectare, qui nonniſi anno inſequenti Catholicus renuntiatus eſt. Obiit itaque Simeon IV. anno 1539.

LXXXVII. Simeon V.

Simeone IV. defuncto, Jeſuiabus germanus ejus frater ex *Mama* parente, qui metropolitæ dignitate ornatus, eo vivente Neſtorianam eccleſiam adminiſtrarat, ſedem illius, quæ aliquandiu vacaverat, occupavit, ſumpto quoque *Simeonis* nomine, propter quod Simeon dicitur. Id teſtatur apud Aſſemanum to. 1. Biblioth. pag. 581. nota codicis Amidenſis 1. quæ ſic habet. *Codex in-folio ex papyr. 579. litteris Neſtorianis*, ut vocant,

hoc eſt Chaldaicis recentioribus, exaratus à diacono Atia ſeu Jaballaha filio Pharag preſbyteri in inſula Zebedæa, Sabbato die 19. Octobris ann. Græcorum 1850. ſub Jeſuiab metropolita & Patriarchalis ſedis adminiſtratore poſt obitum Patriarchæ Chaldæorum, & ſub Gabriële epiſcopo inſulæ Zebedææ. Hic autem Simeon vixit ad annum uſque Chriſti 1551. *To. 1. Bibl. p. 524. & to. 2. p. 457.*

LXXXVIII. SIMEON VI.

SIMEON alter *orthodoxus.*

Simeoni Jeſuiabo ſuffectus fuit Denha, B Denhæ fratris ejus filius, qui aſſumpto rurſum Simeonis nomine, Simeon Mama vulgo dicitur. Andreas Maſius epiſtolam ad Augerium Buſbekium de Chaldæorum eccleſia ſcribens, narrat, quum Simeon ille Bar-Mama ſolus è deceſſorum ſuorum familia ſupereſſet ad quem hæreditario veluti jure Catholici ſedes ſpectaret, Chaldaïcæ gentis Chriſtianorum partem, moleſte ferentes ſummum Orientis ſanctuarium ab una familia hæreditate jam per centum prope annos occupatum fuiſſe, ſolenni proinde veterum C legum infractione, audito Simeonis V. obitu in Tigris inſulam Zabdæam, quam Gozartam & Geziram vocari ſæpe diximus, conveniſſe, conſilia agitantes, de novo ſibi ſecundum regulas eligendo Catholico. Tum plerique in *Joannem Sulacam*, qui & *Siud* vocabatur (quidni potius *Said?*) animis inclinabant. Deinde ad præſtitutum diem in urbe Moſul quæ tum Catholici ſedes erat, iterum facto conventu, epiſcoporum ſcilicet Syriæ, Aſſyriæ, & Perſidis, quotquot ſuperſtites erant, Arbelæ nimirum, Salmaſti, ſive Sal- D maſæ & Adorbiganæ, quibus acceſſerunt ſacerdotes & monachi complures ex Bagdad, Carcha, Gozarta, Niſibi, Marde, Amida, Heſn-Cepha, aliiſque circum locis, horum concordibus ſuffragiis Joannes Sulaca electus fuit, vir annorum circiter quadraginta, parentibus urbis Moſul optimatibus natus, monaſterii Raban Hormiſdæ quinquaginta monachorum præfectus, quod octo paſſ. mill. Ninive recenti diſtat. Electionem ſuam vix Joannes admiſit, ut-pote qui eximiæ modeſtiæ erat. Quia vero trium illorum, quos E dixi, epiſcoporum nemo metropolitæ dignitate reliquis præſtabat, in eam demum ab omnibus ſententiam itum eſt, ut Romam ille pro *veteri conſuetudine*, ut putabant, pergeret, à Petri ſucceſſore ordinandus. Quo jure illi veterem illam conſuetudinem cauſabantur, jam alias inſinuavi. Quum utique Chaldæi Chriſtiani in libris ſuis legerent majores ſuos Catholicos à Romanis, ſeu à Pontificibus Romanæ ditionis ordinatos fuiſſe, ut-pote

SIMEON orthodoxus.

A Antiochiæ, quæ Romano Imperio parebat, voce *Al-Rhoum* Romam ſignificari recentioribus perſuaſum fuit. Sulacas itaque ſanctam Hieroſolymorum urbem pergens, Romam inde profectus eſt, ubi rectæ fidei edita profeſſione, à Julio III. Pontifice conſecratus eſt, accito ſibi *Simeonis* nomine. Domum reverſus, multo honore à ſuis exceptus fuit anno Græcorum 1865. Chriſti 1554. at brevi ſubinde æmuli ſui Simeonis Bar-Mamæ machinationibus, ab Amidenſis urbis Mohammedano præfecto neci datus eſt, quum Catholicam ſuæ gentis eccleſiam anno uno tribuſque menſibus rexiſſet, & archiepiſcopos, ſive metropolitas epiſcopoſque creaſſet, qui Romanæ eccleſiæ fidem communionemque, abjecto Neſtorio, colerent. De hoc Simeone Sulaca legendus, præter Andream Maſium Petrus Strozza in præfatione ad ſuam de Chaldæorum dogmate diſputationem, itemque ſucceſſoris illius Abdjeſu carmen Heptaſyllabum de morte ejus. *To. 1. Bibl. Orient. p. 524. & ſeqq.*

Quod *Simeonem Bar-Mamam* ſpectat; Abdjeſus in illo carmine ejus flagitia deſcribit, ut puta, pueros duos alterum duodennem, quindennem alterum, epiſcopos ab eo creatos eſſe, plures uxores uni viro nubere permiſſas Mohammedanorum more; ſed & vinculum matrimonii repudio inducto ſolutum. Obiiſſe vero fertur anno Græc. 1862. Chr. 1551.

ELIAS V.

Catholicorum Neſtorianorum ſeriem enarrare pergam, de aliis Simeonis Sulacæ ſucceſſoribus poſthac dicturus. Simeoni autem Bar-Mamæ ſuffectus fuit *Elias*, qui ſedebat circa annum Chriſti 1559. quod compertum fit ex nota chronologica quæ legitur ad calcem codicis Syriaci Amidenſis, to. 1. Bibl. Orient. p. 582. Exaratus quippe codex fertur ab Abdalla preſbytero Aſſyrio *feria 3. die 2. Julii, anno Græcorum 1871. in monaſterio ſancti Phetionis martyris in regione Mardenſi, ſub Mar-Elia Patriarcha Chaldæorum & Jeſuiab metropolita Sobæ, Armeniæ & Mardæ.* Obiit ann. Græc. 1902. Chr. 1591. quum ſediſſet annos 32. Nimirum Neſtorianorum ille eccleſiæ præerat anno 1584. quo Leonardus Abel epiſcopus Sidonienſis à Gregorio XIII. miſſus in Ægyptum, Syriam & Babyloniam, Melchitarum, Coptorum, Jacobitarum & Neſtorianorum Patriarchas convenit. Ab eo defecit Simeon Denha, metropolita Gelu, quem in Sulacæ locum ſuffecerunt, de quo proinde nobis poſthac ſermo erit. Elias autem à Gregorio Pontifice ad communionem Romanam invitatus, Romam monachum quemdam delegavit cum

Digitized by Google

profeſſione fidei ſuæ, quam Xiſtus Papa V. Gregorii ſucceſſor procul abjecit, ut-pote quæ Neſtorianorum erroribus ſcateret. To. 1. Bibl. Orient. p. 549. to. 2. p. 457. & to. 3. p. 599. Ab hoc autem Elia deincepſque mos Neſtorianis invaluit, ut ſinguli eorum Catholici nomen *Eliæ* ſumerent.

ELIAS VI.

Anno circiter 1591. *Elias* alter in Catholicum electus eſt, & anno 1607. legatos Paulo Papæ V. Romanæ ſedis communionem ambiens miſit, quin & iterum Adamum archimandritam archidiaconum ſuum cum litteris fideique ſuæ profeſſione, quam Petrus Strozza Latinam edidit. Iſthæc autem Eliæ fidei profeſſio, etſi aperte hæretica non apparet, at certe vocem *Deiparæ* non continuo voci *Chriſtiparæ* anteponit. Sic vero unam Chriſti perſonam profitetur, ex Deitate & humanitate conſtantem, ut illum qui natus eſt ex Patre ante ſæcula in Deitate ſua, natum quoque in fine temporum in humanitate, bis pronuntiet. Quod quidem à recta Catholicaque doctrina prorſus alienum non eſt. Cæterum ſacris Eliæ ferendis muneribus adjecit particulam nempe ſalutiferi ligni crucis aurea cruce parva incluſam, librum Evangeliorum Arabicis typis excuſum, calicem argenteum patenamque, tiaram, mitram utique, veſtes pontificales pro ſolenni celebratione miſſarum, ac libros aliquot. Adamo archidiacono ad ſuos reverſo, Elias ſynodum Amidæ habuit, quæ inchoata eſt die 2. Martii & die 26. finita præſente Cuſtode Fratrum Minorum Alepenſium: atque in ea repudiarunt quæcumque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei adverſaria eſſent, unaque memoriam Neſtorii Theodorique Mopſueſteni. Quod Petrus Strozza teſtatur in præfatione quæ ſuperius appellata eſt, ad diſputationem de dogmate Chaldæorum, ubi ſynodi illius acta Syriaco idiomate ſcripta, ab Iſaac Sciadrenſi, & Joanne Heſronita Maronitis in Latinum converſa refert. Synodalis ad Paulum Papam epiſtola data eſt Amidæ die 8. Martii anno Græc. 1927. Chr. 1616. cui ſubſcripſerunt *Elias Patriarcha, Gabriël Heſno, ſive Haſen-Cephæ, Elias archiepiſcopus Seert, Joſeph archiepiſcopus Geziræ, Timotheus archiepiſcopus Hieruſalem & Amed, Abraham epiſcopus Vehdonſores, Ananjeſus archiepiſcopus loci civitatis Van.* Timotheus autem archiepiſcopus Hieruſalem & Amidæ, ipſe eſt Adam nuperi Catholici archidiaconus, quem à Paulo Papa

A epiſcopum Amed deſignatum, Elias Timothei nomine illi impoſito conſecrarat. Synodicæ autem Eliæ inſcriptio eſt apud Strozzam: *Minimus filiorum tuorum Elias humilis per gratiam tuam Patriarcha Babylonis, inſerviens ſedi ſancti Thaddæi, & cui crediti ſunt omnes greges Orientalium.* Vivendi finem fecit *Elias* iſte anno 1620. *Bibl. Or. to. 3. p. 622.*

ELIAS VII.

Anno 1629. Eliæ VI. ſuffectus eſt Simeon, B qui *Eliæ* ſumpto nomine ſedit ab anno 1629. ad 1659. Quumque multos ſuorum initio pontificatus ſui Romanam communionem amplexos videret, vicarium ſuum in urbe Moſul conſtituit Jacobum Benjaminum preſbyterum, qui Romæ anno 1636. rectæ fidei profeſſionem emiſerat, ac Moſulæ poſthac anno 1640. obiit. Anno 1657. fidei ſuæ formulam, litteraſque Romam ſacræ de propaganda fide congregationi miſit, quibus rogabat, ut Chaldæorum eccleſiæ ritus im- C mutati ſervarentur, utque Chaldæi ſui Romæ eccleſiam haberent. Sedit ille annos triginta.

ELIAS VIII.

Anno 1660. Joannes Marvagii preſbyteri filius Catholicus eſt conſecratus, quum decimum quintum dumtaxat ætatis annum ageret, deque ſuorum deceſſorum more *Eliæ* nomen aſſumſit. Obiit anno 1700. ætatis 55. quum ea dignitate quadraginta annos potitus eſſet.

ELIAS IX.

D Ex eadem familia aſſumptus fuit *Elias* ille alter quem Eliæ VIII. ſuffecerunt, quique idcirco *Marughæus* eſt cognominatus, ſeditque ab anno 1700. ad 1722. quo diem poſtremum obiit, 23. pontificatus anno.

ELIAS X.

Anno 1622. die 25. Decembris *Elias*, qui & Denha patruo ſuo Eliæ Marughæo ſuffectus eſt annum ætatis agens 22. Neſtorianiſque ſuis præerat anno 1725. Aſſemano E teſte to. 3. p. 623.

Cæterum illi de Chaldæis, complures prorſus, qui Romanam fidem communionemque amplexi erant, ab Elia VIII. Marvagii filio ſe ſegregarunt, quippe qui majorum ſuorum erroribus addictus erat, ſibique Patriarchas ſive Catholicos præfecerunt, qui *Joſephi* nomen geſſere, quorum mentionem habebo, recenſitis prius Simeonis Sulacæ ſucceſſoribus.

CATHOLICI ALII SIMEONIS SULACÆ SUCCESSORES.

LXXXIX. Abdjesus.

SImeoni *Sulacæ* Catholico, qui Romanam fidem amplexus erat, æmuli ſui Simeonis Bar-Mamæ hæretici ſuggeſtionibus à Mohammedano neci dato, ſucceſſor continuo datus eſt *Abdjeſus* ſive *Ebedjeſus*, qui ex monacho cœnobii Achæ & Joannis fratrum Gozartæ ſive Zabdææ inſulæ metropolita à Sulaca conſtitutus fuerat. Anno 1555. à gentilibus ſuis orthodoxis Catholicus electus, mox Romam petiit ut à Pio Papa IV. confirmaretur palliumque de beati Petri corpore ſuſciperet. Ibi per interpretem Romanam profeſſus fidem, Tridentum profectus eſt ad concilium, quod ibi celebrabatur, adeoque anno 1562. quo confeſſionis ſuæ ſchedulam eidem pontifici Romano dederat die 7. Martii, quam Andreas Maſius è Syriaco ſermone in Latinum convertit.

Hæc porro fidei confeſſio, etſi Romanis ſana ſatis apparuit, à Neſtoriana labe non uſquequaque immunis eſt, quam quidem animadvertere eſt, ubi ait: *Sicut eſſentia Deitatis una eſt, & tres perſonas complectitur, ita & in perſona Verbi duæ ſunt naturæ, & una filiatio. Itaque manſit unitas Filii altiſſimi in duabus naturis, & una perſona & duabus voluntatibus, ut in vivifico ejus Evangelio definitur. Manent naturæ abſque confuſione cum perſona una ſine corruptione. Nomen Chriſti duas naturas ſignificat, quas in unam perſonam collegit, divinitatem & humanitatem. His autem duabus formis quæ in Domino noſtro coëunt, una ineſt virtus & potentia, una ineſt dominatio, una poteſtas.* Quæ poſtrema verba Neſtorii ſenſum innuunt, cui Deus & homo perſona quoque una erat, propter unam virtutem, potentiam, & dominationem qua Chriſtus homo potiebatur. Ac certe ille idem Abdjeſus in ea formula quam à Simeone Sulaca Julio Papæ III. datam in ſuo de vita ejus carmine laudavit, Neſtoriana loquela dicit: *In perſona Verbi naturas duas eſſe, & filiationem, factaque unione naturas duas manere, & perſonas abſque corruptione: Nomen Chriſti duas formas ſignificare, quæ in Domino noſtro coëunt, in quibus una inſit virtus & voluntas, una dominatio, una poteſtas.* Qui verò Catholicorum aures ferant, quod in ſecundo carmine Bar-Mamam æmulum ſuum inſanum appellat *Cyrillo Ægyptio ſimilem*, Alexandrino ſcilicet, qui Neſtorium ob pervicaciam olim inſecta- A tus eſt, ſed & Sulacam *Mar-Neſtorio, qui in deſertam ſolitudinem relegatus fuit!* Sic nempe à veteratoribus illis qui ex Oriente Romam adventant, Romanis theologis imponebatur, qui priſcorum hæreticorum ſenſus, fraudeſque non ſatis intelligerent. Profeſſio illa fidei Abdjeſu anno 1562. exarata habetur in cod. Vaticano Arabico 150. hoc initio: *Ego Abdjeſus filius Joannis de domo Maronis in urbe Gozarta apud Tigrim fluvium, olim monachus cœnobii SS. Mar-Achæ & Mar-Joannis, electus* B *primas & Patriarcha civitatis Amidæ, in regionibus Orientis ſeu Aſſyria, toto corde credo, &c.*

Idem Catholicus Abdjeſus in epiſtolarum ſuarum una quam Raynaldus ad ann. 1562. n. 28. recitat, ſuæ ditionis notitiam epiſcopatuum deſcripſit. *Ego Abdjeſus filius Joannis de domo Martia ex civitate Gezira in Tigri flumine, olim monachus S. Antonii monaſterii SS. Rahæ* (Achæ) *& Joannis fratrum, nunc Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Primas, ſive Patriarcha civitatis Moſul in Aſſyria Orien-* C *tali, ſub cujus juriſdictione multi metropolitæ & diœceſani continentur; videlicet Arbel metropolis, Sirava,* (Siraf) *Hancana epiſcopatus. Cheptiam metropolis, Caramleys, Achuſe epiſcopatus, Naſſibim metropolis, Macchazin, Talleſcani, Mardin epiſcopatus. Seert metropolis, Azzeu epiſcopatus. Elcheſſen metropolis, Zuch & Meſchiara epiſcopatus. Gurgel metropolis, Eſci epiſcopatus. Amed metropolis, Chiaruchiæ, Hayn, Taur epiſcopatus. Quæ omnes regiones ſubſunt Turcarum Imperio. Ormi ſuperior metropolis, Ulciſcini & Cuchia epiſcopatus. Ormi* D *inferior metropolis, Duraſoldos, Eſcinuh epiſcopatus. Eſpurgan metropolis, Nare, Giennum epiſcopatus, Salmas metropolis, Baumar, Sciabatham, Vaſtham epiſcopatus. Omnes Perſarum regi, vulgo Sophi nuncupato ſubjecti. In India vero Luſitanis ſubjecta, Cuſchim metropolis, Cananor metropolis, Goa metropolis, Calicut epiſcopatus, cui ſubeſt Curangel* (Coromandel) *civitas quæ adhuc ab idololatris & ethnicis hominibus poſſidetur.* Hæc ille de ſuæ diœceſis amplitudine. Paucis poſt annis à ſuo ex Italia reditu Abdjeſus obiit in monaſterio civitatis E Seert in Meſopotamia.

XC. Ahatalla.

Abdjeſu ſuffectus à ſuis fuit *Ahatalla*, vel *Jaballaha*, monachus, ut aiunt, ſancti Pachomii, qui parum vixit, quemadmodum refert Strozza in præfatione ad ſuam *de Chaldæorum*

Digitized by Google

dogmate diſputationem. Hic confirmationem à Romana ſede non habuit, quod eam non poſtulavit, inquit Aſſemanus ex Leonardo Abel apud Miræum. Rexit tamen Catholicos Chaldæos conſilio & auctoritate Hermetis Eliæ archiepiſcopi qui Sulacæ olim diſcipulus fuerat, & poſt magiſtri necem in Malabaricas regiones profectus inde ſub Ahatalla in Meſopotamiam redierat. Obiit Ahatalla circa annum Chriſti 1580.

XCI. Simeon VII.

Poſt Ahatallam eccleſiam illam rexit *Simeon* Denha, qui quum metropolita Gelu, Seert & Salmaſæ eſſet, ab Eliæ Neſtoriani Catholici obedientia una cum ſubditis ſuis qui in finibus Perſarum & ditione Zeinalbach degebant, diſceſſerat, operaque & ſtudio archiepiſcopi Eliæ illius Hermetis Chaldæi orthodoxis ſub Ahatalla, imo & ſub Abdjeſu, ſe adjunxerat. Quocirca in Catholicum promotus, Hermetem procuratorem ſuum Romam miſit, qui nomine Patriarchæ ſui obedientiam profeſſus, à Gregorio Papa XIII. confirmationem cum Patriarchali pallio Simeoni impetravit anno 1582. Ipſe vero Ormi in montanorum Perſidis civitate ſedem fixit, ubi ſucceſſores ejus ſumpto Simeonis nomine in præſentem uſque diem commorantur, ait Aſſemanus *to. 3. Bibl. p. 622.*

CXIII. Simeon VIII.

Denhæ ſucceſſit *Simeon VIII.* circa annum 1600. qui fidei profeſſionem Romam miſit, die 28. Julii an. 1619. in monaſterio Cananes, quod in ditione exſtabat Zachariæ Abach Curdorum principis, conſcriptam: in qua aiebat ſe Amidam una cum P. Thoma
A Novarienſi ordinis S. Franciſci, tum poſtea Alepum menſe Martio proximo pergere decreviſſe, indeque Romam.

CXIV. Simeon IX.

Quis Simeoni illi octavo proximus ſucceſſor fuerit, mihi obſcurum eſt; at vero *Simeon* alter anno 1653. epiſtolam Innocentio Papæ X. ſcripſit, in qua diœceſis ſuæ regiones, urbes-ve recenſet: *Pax divina, charitas Domini, Chriſtianus honor ex ore Domini Simeonis Catholici Patriarchæ Chaldæo-*
B *rum, ad Patrem patrum, & Paſtorem paſtorum, nectentem diademata, ungentem pontifices, ſanctum Papam Innocentium, caput totius Chriſtianitatis. Nec exiguus eſt numerus Chaldæorum D. Simeonis qui degunt in regionibus ſequentibus, nempe Gulmar, Barur, Gur, Galu, Baz, Daſen, Tachuma, Jatira, Valta, Talig, Batnura, Luun, Nudis, Salmes, Albac, Haſaph, Van, Vaſgan, Arne, Suphtan, Targur, Urmi, Anzel, Saldus, Aſnock, Margo, Amid, Gulnea. In his autem regionibus quadraginta familiarum millia ſunt, omnes filii cellæ D. Simeo-*
C *nis. Nos omnes quidem amplectimur & ſuſcipimus ſedem Petri & Pauli.... Data eſt epiſtola patens die Sabbati feſtivitatis Petri & Pauli, 29. menſis Junii benedicti anno Græc. 1964. in regione benedicta Salmes, in urbe Huſarba in umbraculo S. Georgii, cujus preces ſint ſuper fideles omnes, Amen. Simeon humilis Patriarcha Chaldæorum. Scripſit Ebedjeſus filius Petri peccator.* Hæc de Patriarchis qui Simeonis nomen gerunt in finibus Perſarum, ex Aſſemano tom. 3. p. 622. & aliis. Utinam vero integram illorum ſucceſſionem ad hæc uſque noſtra tempora aſſequi licuiſſet.

CATHOLICI ALII ROMANÆ ECCLESIÆ ADDICTI.

Joseph I.

Clariſſimi D. le Maire Tripolitani regis Chriſtianiſſimi nomine Conſulis documentis ad illuſtriſſimum D. Marchionem d'Antin tranſmiſſis certior factus ſum Catholicorum iſtorum, qui Chaldæorum, non Neſtorianorum dicuntur ſucceſſores, Bagdadi ſedere, ſeu Bagdadenſem ſedem tenere, qui tamen in urbe Diarbeker, ſive Amida Diarbekerenſis provinciæ metropoli commorantur, atque Joſephum eorum Patriarcham ſive Catholicum Romæ obiiſſe anno 1706. quum dignitatem ſponte abdicaſſet an. 1695. Hic Amidæ metropolita prius fuerat & an. 1681. ab Innocentio Papa XI. die 20. Maii Chal-
D dæorum Patriarcha conſtitutus, pallioque donatus. *To. 3. Bibl. Or. p. 623.*

Joseph II.

Hunc excepit *Joſeph II.* Moſulenſis ex Tel-Cepha, ab Innocentio XII. confirmatus, qui in urbe Diarbeker fatis conceſſit an. 1713.

Joseph III.

Joſepho III. ſuffecerunt Moyſen, qui *Joſephi* quoque nomen aſſumpſit. Hunc antea Mardæ epiſcopum fuiſſe aſſerit Aſſemanus, quem Timotheum appellat, & pallio atque confirmatione Apoſtolica donatum dicit à Clemente XI. menſe Februario anni 1714. Orthodoxos Amidæ locorumque adjacentium Chaldæos regebat adhuc anno 1725.

I. PROVINCIA PATRIARCHALIS.

I. ECCLESIA CASCARÆ METROPOLIS.

CASCAR vel *Caſcara*, urbs Meſopotamiæ cenſetur in diſceptatione Archelai illius epiſcopi cum Mane impiæ hæreſis auctore, ac diverſa prorſus à Charris provinciæ Oſroënes civitate altera haud procul ab Euphrate poſita, etſi quibuſdam aliter viſum eſt. Probo Imperatore Romanæ ditionis erat, in quam Manes è Perſarum regni finibus fugiens, appulit, & ubi congreſſum illum de religione habuit cum Archelao. In Babyloniæ finibus exſtabat, non Amidenſi metropolitæ obnoxia, ſed proxime Seleucienſi Catholico. Quinimo in Pontificali Chaldæorum jubetur, *ut ſtatim ab obitu Catholici, mittatur ad epiſcopum Caſcar, ſi in vivis eſt, ut-pote principem primarium-ve præſulem Patriarchalis provinciæ, qui dexteram Patriarchæ tenet, cuſtoſque illius ſedis eſt poſt ejus obitum.* Nimirum Amrus Neſtorianus, ubi beati Maris in Evangelii propagatione labores recitat, hunc Radani primum, deinde Seleuciæ Chriſti fidem prædicaſſe ait, deinde Dar-Konæ & Caſcaræ, & hic epiſcopum conſtituiſſe, omnium primum qui in illa regione ſit ordinatus; ex quo utique privilegium illi conceſſum eſt ut Catholici ſedis vacantis cuſtos in poſterum eſſet. Quin & quum hactenus Patriarchalis provinciæ Caſcara prima eſſet, ſæculo duodecimo medio ejus antiſtitem metropolitæ titulo donatum legimus in vita Eliæ III. Catholici, ipſaque civitas in notitia diœceſis Chaldæorum vigeſima-quarta metropolis eſt, cui ſubinde eccleſiæ tres aliæ junctæ ſunt, Nowathæ ſcilicet, Harræ & Vaſithæ.

Morin. de Ordin.

EPISCOPI CASCARÆ.

I. * * *

A

EPiſcopi illius qui à B. Mari S. Thaddæi vel Addæi diſcipulo Caſcaræ primus conſtitutus fuit, nomen apud ſcriptores Chaldæos ſiletur. *Vid. to. 2. Bibl. Orient. p. 394. 395.*

II. ARCHELAUS.

De *Archelao* Carcharenſi, ſeu potius Caſcarenſi epiſcopo, qui diſputationem cum Mane hæretico in Dioſcuridenſi pago habuit, modo à me dictum eſt. Hanc ipſe Syriaco ſermone conſcripſit, & Hegemonius quidam in Græcum tranſtulit, cujus magnam partem Epiphanius in Panario hæreſi 66. regeſſit, integram vero ex Vaticano Caſſinenſis Codicis apographo Romanis typis Laurentius Zacagnius Vaticanæ Bibliothecæ præfectus, anno 1698. evulgavit, annotationibus ac præfatione illuſtravit. Apud Epiphanium & Socratem lib. 1. hiſt. eccl. cap. 22. *Caſcharorum* epiſcopus diſerte ſcribitur, Ἀρχελάυ Χαχάρων ἐπισκόπου. Hieronymus vero *Meſopotamiæ* epiſcopum dicit in ſcriptoribus eccl. cap. 72.

III. ABDAS *Martyr.*

Anno 36. à cœpta in Perſide à Sapore rege perſequutione, anno regni ipſius 66. quadraginta Chriſti martyres necati ſunt, quorum unus fuit *Abdas epiſcopus Caſcar*, & Hebedjeſus urbis alterius pontifex. Abdas in Leda Huzzitarum urbe cum viginti-octo ſociis gladio cæſus fuit, feria 6. luna 15. Yar, quæ Maio noſtro menſi reſpondet. Horum Sozomenus meminit, lib. 2. cap. 11. *To. 3. Bibl. Orient. p. 192.*

B

IV. ABDJESUS *Martyr.*

In Menologio Græcorum die 16. Maii memoria fit *S. Abdjeſu* vel *Hebedjeſu epiſcopi Beth-Caſchar*, qui in Perſide ſub Arſec vel Arſed, ſive Iſdegerde rege martyrium obiit cum presbyteris 16. diaconis 9. monachis 6. & virginibus 7. Ex quo Menologii loco compertum nobis amplius fit, urbem *Caſchar* vel *Caſcara* à Charris Oſroënes diverſam fuiſſe.

V. SAMUEL.

Anno circiter 522. Elizæus & Narſes de

Digitized by Google

ECCLESIA CASCARÆ.

Catholici ſede contendentes, ambo ſibi obſiſtentes experti ſunt Jacobum metropolitam Gondiſapor, *Samuëlem Caſcaræ*, & Paulum Huzzitarum epiſcopos. *To. 2. Bibl. Orient. pag. 409.*

VI. SUBSÇALMARANES.

Inter præcipuos Abæ II. Catholici diſcipulos cenſetur *Subſçalmaranes epiſcopus Caſcaræ*, circa annum 534. *Ib. p. 412.*

VII. GREGORIUS.

Sebarjeſu I. Catholico claruit *Gregorius* Caſcaræ primùm epiſcopus, dein Niſibenus. *Ib. p. 415.*

VIII. THEODORUS.

In vita Sebarjeſu I. Catholici fertur, Marutam urbis cujuſdam Meſopotamiæ epiſcopum, Mauritii Imperat. litteras ad Coſroëm Perſarum regem & Catholicum Seleuciæ attuliſſe, eique obviam proceſſiſſe *Theodorum epiſcopum Caſcaræ.* Sic quidem Amrus, niſi pro Gregorio *Theodorus* ſcriptus ſit.

IX. JASDEPHANES.

Jeſuiab II. Catholico morienti adſtabat cum epiſcopis aliis *Jaſdephanes Caſgaræ*, ſive *Caſcaræ* (quemadmodum alii *Tacrit* ſcribunt, alii *Tagrit*) anno 653.

X. MAR-ABAS.

Anno 731. *Mar-Abas Caſcaræ epiſcopus*, in Catholicum promotus fuit. *Diſſert. de Neſtorianis p. 735. to. 3. Bibl. Orient. p. 157.*

XI. THOMAS.

Mortuo Jacobo II. Catholico *Thomas epiſcopus Caſcaræ*, epiſcopos ad ſucceſſorem ejus eligendum litteris ſuis de more vocavit, anno 1084. Græcorum, Chriſti 773. Qui poſt annos quatuor ſubinde defuncto Ananjeſu II. Catholico, unus è tribus candidatis fuit, qui Catholicatum prenſarent; verum Timotheus epiſcopus Bagas devinctis ſibi ſcholaſticis, Seleuciæ Catholicus renuntiatus fuit. Tum Thomas coactis Bagdadi in cœnobio S. Phetionis tredecim epiſcopis anathemati illum ſubmiſit, à quo viciſſim communionis extorris factus eſt. Poſt vero pax inter ipſos inita eſt ea conditione ſola, ut Thomas Timotheo prius manum imponeret, recitata ſuper eum promotionis oratione, ac ſi ejus ordinatio futilis atque irrita fuiſſet. Quod tamen Amrus Neſtorianus non à Thoma, ſed ab Ephræmio Gondiſaporenſi factum ſcripſit. *Vid. to. 2. Bibl. Orient. p. 433.*

XII. ZACHARIAS.

Sub Joſue Bar-Nun Catholico ſedebat *Zacharias Caſcaræ epiſcopus*, qui illius promotioni adfuit anno Græc. 1135. Chr. 824. *Ib. p. 435.*

XIII. BABÆUS.

Ex Amro, Abrahamo II. Catholico defuncto anno 854. *Bai* vel *Babæus* epiſcopus Caſcar Modaïnam venit, ut ſedis vacantis cuſtodiam iniret. Tum medici tres magnæ apud Neſtorianos auctoritatis metropolitam Damaſci ei ſufficere curarunt, deinde epiſcopum Huzzitarum, mox epiſcopum Caſcaræ, demum Hadathenſem, quorum tamen nemo in Catholicum promotus fuit, ob infirmitates quæ ſingulis ordinationis tempore acciderunt. *Ib. p. 436.*

XIV. ISRAEL I.

Statim atque Sergius I. Catholicus diem clauſit anno 872. *Iſraël Caſcaræ*, quem ille epiſcopum conſecrarat, Modaïnam veniens, epiſcopos ad ſucceſſoris illius electionem vocavit, quam Bagdadi Emirus prohibuit. Demum anno 877. Enos electus fuit, poſtquam ambo de primatu quatuor annis litigaverant. *Ib. p. 439.*

XV. HANANJESUS.

Caſcaræ epiſcopus *Hananjeſus* ſedebat, quo tempore Enos ille Catholicus fatis conceſſit, ac Modaïnam veniens vacantis ſedis cuſtos fuit ad electionem uſque Joannis Narſetis, quæ facta eſt die 14. Novembris anno 884.

XVI. DAVID.

Poſt Hananjeſum anno 905. Caſcaræ epiſcopus ſedebat *David*, cui ſucceſſit Iſraël.

XVII. ISRAEL II.

Vacantis Modaïnæ ſedis cuſtodiam geſſit *Iſraël II.* Çaſcaræ epiſcopus poſt Emmanuëlis Catholici obitum an. 960. cui, ejus-ve deceſſori adſcribuntur erudita ſatis in ſcripturam ſacram commentaria, & liber *de Principiis fidei.*

XVIII. ABRAHAM.

Abdjeſus vel Hebedjeſus Catholicus LIX. *Abrahamum* Hamdanæ epiſcopum ad metropolim Caſcaræ tranſtulit, de quo quum multi obmurmurarent, miſit Catholicus epiſcopos qui de criminibus quorum reus agebatur, inquirerent: in quos irruerunt illi qui Abrahamo favebant. Hunc Catholicus ad ſe fruſtra vocatum gradu amovit. Abraham ſeptennio in Muſulmani cujuſdam domo latuit, ac demum veniam ab Abdjeſu impetravit, qui eum Hamdanenſibus epiſcopum iterum dedit.

Digitized by Google

ECCLESIA CASCARÆ.

XIX. ELIAS.

Quo tempore Abdjeſus Catholicus dignitatem inierat, hoc eſt anno 963. vacabat, ut videtur, ſedes Caſcarenſis: nam Georgius metropolita Gondiſaporis epiſcopos ad ejus electionem accerſivit. Verum illo defuncto *Elias* Caſcarenſis, ſedis Modaïnenſis vacantis cuſtodia de more ſuſcepta, epiſcopos ſuis litteris ad Catholicum eligendum vocavit.

XX. JOSUE.

Mares Catholicus anno 987. creatus *Joſue* Vaſetenſem epiſcopum ad Caſcaræ epiſcopatum ſeu metropolim tranſtulit. *Tom. 2. Bibl. Orient. p. 443.*

XXI. MARIS.

XXII. EBN-KOUKA.

EBN-KOUKA.

Poſt Eliæ I. Catholici obitum *Maris* vel *Mares* Caſcarenſis epiſcopus vacantis Modaïnenſis ſedis curam menſibus ſeptem geſſit ad uſque Joannis VII. electionem, quæ facta eſt anno 1050. Anno circiter 1057. quo Joannes VII. Catholicus ſuæ ſedi poſt Turcicam irreptionem redditus è vivis exceſſerat, epiſcopus Caſcarenſis, cui cognomen *Ebn-Kouka* prius obierat, & Nahamaniæ præſul Eugenius Modaïnenſem ſedem curavit.

XXIII. GEORGIUS.

XXIV. HORMISDAS.

HORMISDAS.

Anno 1062. Sebarjeſus Zanbur Joannis VII. Catholici ſucceſſor *Georgium* Caſcaræ epiſcopum Choraſaniæ, Sigeſtaniæ & Cathaïæ metropolitam creavit, ejuſque in locum *Hormiſdam* cognomento Abukolem Siraſitam ordinavit epiſcopum Caſcaræ & Vaſithæ, Caſcarenſibus & Bagdadenſibus in ejus promotionem conſpirantibus. Eliam aliquando archidiaconum ſuum officio amovit, Marimque Vaſithenſem magiſtrum ſcholæ Al-Roum, ſive Græcorum & ſcribam ſacrum ejus in locum conſtituit. Sebarjeſu Catholici obitum anno 1072. epiſcopis ſuis litteris nuntiavit, eos ad ſucceſſorem illius eligendum vocans. Electo Abdjeſu III. diu refragatus eſt, nec niſi poſt biennium ordinationi ejus conſenſit.

XXV. SEBARJESUS I.

Elias II. Catholicus ſtatim atque dignitatem adeptus eſt, Hormiſda Caſcaræ defuncto, *Sebarjeſum* filium Abu-Hilæ Caſcaræ & Vaſithæ epiſcopum ordinavit, anno 1111. *To. 2. Bibl. Orient. p. 449.*

XXVI. JOANNES.

XXVII. SEBARJESUS II.

SEBARJESUS.

Elias III. Catholicus *Joannem* epiſcopum Aclat metropolitam Caſcaræ creavit, & paulo-poſt eidem eccleſiæ præfecit *Sebarjeſum* Geſlanenſem Kimaræ epiſcopum. *Ibid. p. 450. to. 3. p. 288.*

XXVIII. BRICHTJESUS.

Anno 1190. & 1222. *Brichtjeſus* Caſcaræ & Vaſithæ epiſcopus ordinationibus Jaballahæ II. & Sebarjeſu IV. interfuit, ex Amro.

II. ECCLESIA TIRHANÆ.

IN notitia eccleſiæ Chaldæorum ſedes epiſcopalis ſecunda Provinciæ Patriarchalis eſt Tirhana. Cæterum in Abdjeſu Catholico LXVII. diximus Jaballaham Moſulenſem metropolitam eum conveniſſe cum quatuor provinciæ ſuæ epiſcopis, quorum unus fuit Tirhanenſis. De hujus urbis ſitu hæc habet Aſſemanus, Bibl. Orient. to. 3. part. 2. p. 785. Tirhana urbs & regiuncula Aſſyriæ trans Tigrim, in qua Gabilta, Chatara, Charrana, vici qui in hiſtoria Neſtoriana comprehenduntur; epiſcopalis vero, ad provinciam Patriarchalem pertinens, juxta Eliam Damaſcenum. *Vide to. 2. p. 430. & to. 3. p. 482. & 486.*

EPISCOPI TIRHANÆ.

I. PHETION.

NUllus mihi Tirhanæ epiſcopus occurrit anterior *Phetione* Beth-Garmæo, quem virum eruditum & religioſum fuiſſe ferunt, & Tirhanæ ſcholas inſtauraſſe. Hunc Salibazacha epiſcopum conſecravit, ſucceſſoremque deinceps habuit anno Græcorum 1042. Chriſti 731. *Tomo 2. Bibliotheca Orientalis pag. 430.*

II. MILAS.

Mar-Aba Catholicus Phetioni ſuffectus, Modaïna ob infenſos ſibi cives diſcedens, *Milam* Tirhanæ & Saduſt Ravaniæ, vel, ut Aſſemanus apud Amrum legit, *Zuabia* epiſcopos adiit, qui vice ſua primariam illam eccleſiam adminiſtrarent, anno ſcilicet 749. *Tomo 3. pag. 158.*

III. SALIBAZACHA.

Digitized by Google

ECCLESIA TIRHANÆ.

III. Salibazacha.

Anno Hegiræ 150. Chriſti 767. ſedebat *Salibazacha epiſcopus Tirhanenſis*, cujus opera, permittente Paulo Jacobitarum Maphriano, Neſtorianis eccleſia in urbe Tagrito conceſſa eſt, quum Paulus à Niſibenſi metropolita eccleſiam à Neſtorianis ademtam reſtitui curaſſet. *To. 2. Bibl. Or. p. 432.*

IV. Sçadust.

Ex catalogo ſcriptorum Syriæ Hebedjeſu Sobenſis, *Sçaduſt* vel *Sahduſt Tirhanenſis epiſcopus*, epiſtolam ſynodicam ſcripſit, epiſtolas quoque, canones, oratiunculas & breves homilias. Ejus ætas incerta, ſed nomen Perſicum *Sahduſt*, primi ævi hominem videtur indicare.

V. Cajumas.

VI. Joannes.

Sergius Catholicus quinquageſimus-primus *Cajumam* Tirhanæ epiſcopum anno 860. ordinavit; quo Niſibim tranſlato, *Joannem* in ejus locum conſtituit. *To. 2. Bibl. Or. p. 439.*

VII. Boctjesus.

Anno 900. *Boctjeſus Tirhanæ epiſcopus*, promotioni aderat Joannis IV. in Catholicum. *Ib. p. 440.*

VIII. Elias.

Elias I. Catholicus ex Gorge Gedan oppido oriundus, ordinatus primum fuerat Tirhanenſis epiſcopus à Joanne VI. Catholico, tum ob præclaros mores, tum ob ſingularem in divinis ſcripturis enarrandis eruditionem. Tirhanæ itaque ſedebat ante annum 1018. *Ib. p. 446. to. 3. p. 264.*

IX. Gabriel.

X. Machicas.

Ex Mare Neſtoriano promotioni Sebarjeſu A in Catholicum ſexageſimum-ſextum aderat an. 1063. *Gabriël Tirhanæ epiſcopus*, qui cum aliis epiſcopis electioni illius refragatus eſt, quod ſorte, de more, facta non eſſet. Verum ex Bar-hebræo apud Aſſemanum, idem Sebarjeſus Catholicus, cognomento Zanbur, ipſa ſuæ ordinationis die *Machicham Tirhanæ epiſcopum* conſtituit, qui ad Moſulenſem ſedem ſubinde tranſlatus, Catholici demum dignitatem adeptus eſt. *Ib. p. 447. 448. & to. 3. p. 619.* Amrus hunc ab Abdjeſu Catholico B Sebarjeſu ſucceſſore Tirhanæ præſulem datum eſſe narrat.

XI. Abdjesus.

Promotioni Machichæ in Catholicum anno 1092. adfuit *Abdjeſus Tirhanæ epiſcopus.*

XII. Narses.

Electioni Sebarjeſu IV. Catholici aderat *Narſes epiſcopus Tirhanæ* anno 1222. *To. 2. Bibl. p. 453.*

C

XIII. Emmanuel.

Exequiis Machichæ II. Catholici an. 1265. aderat *Emmanuël epiſcopus Tirhanæ*, qui in ordinatione Denhæ Catholici archidiaconi officio functus eſt. *Ibid. p. 455. 456. to. 3. p. 565.*

XIV. Brichjesus.

Item *Brichjeſus* promotioni Jaballahæ III. Catholici adſuit, in qua celebritate archidia- D coni perinde munus geſſit. *Ibid. p. 456.*

XV. Simeon.

Anno 1318. in ſynodo Timothei II. Catholici ſedebat *Simeon epiſcopus Tirhanæ*, ejuſque adeo canones approbavit. *Tom. 3. p. 341.*

III. ECCLESIA DAIR-HERACLII.

PRovinciæ Patriarchæ ſive Catholici tertius epiſcopatus eſt Dair-Heraclii; cujus epiſcopus nullus occurrit.

IV. ECCLESIA HIRTÆ.

Hira vel *Hirta* Geographo Nubienſi Chaldææ & regionis Aracæ Babylonicæ civitas eſt, aquis & fluviis irrigua, Cuſa & Bagdado tribus mill. diſtans, quartuſque epiſcopatus eſt Provinciæ Patriarchæ in notitia, cui Akulam junctam fuiſſe ſuo loco dicemus.

EPISCOPI HIRTÆ.

I. Simeon.

AMrus Neſtorianus contendit Naamanem Monderi vel Almundari Arabum Dynaſtæ filium, non à Jacobitis, ut Bar-hebræus ſcripſit, ſed à *Simeone epiſcopo Hirtæ*, Sebarjeſu epiſcopo Loſçumæ, & Jeſuzacha monacho Neſtorianis à dæmonio liberatum, ſacroque

ECCLESIA HIRTÆ.

baptiſmo tinctum fuiſſe. *To. 2. Bibl. Orient.* A *p. 415.*

II. Joannes I.

Tempore Hananjeſu I. Catholici claruit Mar *Joannes Azrak* (quo cognomento Cæruleus ſignificatur) epiſcopus Hirtæ, quem vitæ ſanctitate inſignem fuiſſe aiunt. Bar-hebræus Jacobita refert ſub Hananjeſu inſtauratum jejunium Virginum, quod tribus diebus ante Epiphaniam celebrant Orientales. *Nimirum Abdelmalechum Califam Morwani filium, quum* B *de mulierum Hirtæ pulchritudine audiviſſet, ad loci præſidem miſiſſe, ut cunctas virgines viro aptas ſeligeret, qui juſſis obtemperans, eas in ſuas ædes congregare cœpit: Chriſtianos vero omnes ad eccleſiam confluentes jejunium & orationem adhibuiſſe, Dominum enixe precantes, ut indignationem ab ipſis ſuam averteret: tertia die Joanne epiſcopo Evangelium legente, Abdelmalechi mortem, quam in ſpiritu acceperat, populo annuntiaſſe, ac quod prædixerat rumore paucis poſt diebus ſparſo confirmatum: eam ob rem* C *cœpiſſe fideles jejunium illud celebrare.* Addit tamen Bar-hebræus ab Abraviſo ſive Coſroë Perſarum rege virgines quæſitas, Joannis vero diebus in Oriente jejunium illud reſtitutum. Idem Joannes Azrak Hirtæ epiſcopus, *Salibazacha* Catholico defuncto anno 726. una cum Mar-Aba Caſcarenſi egit ut Phetion Catholicus eligeretur. Phetione paulo-poſt defuncto, quum Mar-Abæ electioni non interfuiſſet, ei nihilominus ſubſcripſit anno proinde Græcorum 1053. Chriſti 742. *Ibid. p. 425. 430. to. 3. p. 182.* ubi octoginta ejus epiſtolas exſtare Sobenſis teſtatur.

III. Ananjesus.

Circa annum 900. claruit *Ananjeſus Hirtæ epiſcopus*, cognomento Bar-ſaru, qui quæſtiones ſcripſit in textum ſcripturæ & vocabularium cum interpretationibus. *To. 3. p. 261.*

IV. Abdelmessias.

V. Nestorius.

Ab Emmanuële Catholico *Abdelmeſſias* ex epiſcopo Hirtæ Baſſoræ metropolita factus eſt, eique Hirtæ ſuffectus fuit *Neſtorius*, quo ad populum concionante, juſſit Emmanuël præter morem, preſbyteros qui aderant ſedere: quod à multis habitum eſt uti certum hominis delirantis indicium.

VI. Joseph.

Mares II. Catholicus *Joſeph* epiſcopum Hirtæ metropolitam Baſſoræ conſtituit. *Bibl. To. 2. p. 443.*

VII. Joannes II.

Mares idem Catholicus *Joannem Bar-Naul* vel *Naſuch* epiſcopum ſacravit, in locum utique Joſeph; iſque in Catholicum ſubinde provectus eſt anno Græcorum 1324. Chriſti 1012. *Ib. p. 443. & 446.*

ECCLESIA ANBARÆ.

V. ANBAR, quæ *Enbar* Geographo Nubienſi & Golio, Aracæ ſive Chaldææ urbs eſt ad tractum Bagdadi pertinens, à qua viginti leucis diſtat, quam à Nabuchodonoſor rege conditam volunt. Sedes regia fuit Soffaho primo ex Abbaſſidarum genere Califæ. In notitia Anbaræ epiſcopatus quintus cenſetur provinciæ Catholici. Atqui Anbara *Pheroz-ſapor* quoque dicta fuit à præſidiis quæ Sapor Perſarum rex in ea adverſus Romanos poſuerat. Anbaræ & Hit eccleſiæ in unam ſæculo duodecimo coaluerunt. Hit porro ad ſeptemtrionalem Euphratis ripam jacuit ſupra Anbaram.

EPISCOPI ANBARÆ.

I. Narses.

MAR-ABÆ Catholici diſcipuli fuerunt *Narſes epiſcopus Anbaræ*, Jacobus metropolita Beth-Garmæ, Paulus Niſibis, &c. anno 540. *Bibl. Orient. to. 2. p. 412. to. 3. p. 85.*

II. Simeon.

Circa ſæculi ſexti medium ſedebat *Simeon epiſcopus Anbaræ*, quem Joſeph I. Catholicus, in epiſcopos & preſbyteros ſæviens, in carcerem truſit; ac quum in eo Simeon altare erexiſſet, Euchariſtiam quam Simeon conſecraverat, pedibus calcare non dubitavit, atque Anbaræ epiſcopus in vinculis interiit. Claruit D anno 553. *To. 2. Biblioth. Orient. p. 412.*

III. Salibazacha.

Tempore Hananjeſu Catholici Anbaræ epiſcopus erat *Salibazacha*, in oppido Pherozis quod Charcha dicebatur, regionis Tirhanenſis natus, qui in Catholicum ſubinde promotus fuit anno 714. Hunc Joannes cognomento Leproſus, Anti-catholicus, Hananjeſu æmulus epiſcopatu dejecerat, qui tamen opera Sebarjeſu Niſibenſis metropolita poſtmodum Moſul & Hazzæ factus fuit, & Joanne illo defuncto ſummum Chaldæorum eccleſiæ thronum obtinuit. *Ibid. p. 430.*

Digitized by Google

IV. Paulus.

Phetione Catholico qui Hananjeſu ſucceſſor fuit, ſedebat anno 740. *Paulus Anbaræ epiſcopus*, vir eruditus, cujus in Pentecoſten homilia in codicibus Vaticanis duobus Amida advectis 8. & 10. habetur. *Ib. p. 431. & to. 1. p. 583.*

V. Theodosius.

Sebarjeſus I. Catholicus *Theodoſium* Anbaræ epiſcopum ſacravit, qui poſthac è Gondiſaporenſi ſede in Catholicum promotus eſt. *To. 2. p. 436.*

VI. Joannes.

Anno Græc. 1196. Chriſti 885. *Joannes* Narſis filius ex oppido Gedan regionis Garmæorum, epiſcopus Anbaræ factus, Catholicus quoque quinquageſimus-tertius fuit.

VII. Enos.

Abdjeſus ſive Ebedjeſus, in catalogo Librorum c. 150. *Enos epiſcopum Pheroz-ſapor* edidiſſe fert *Orationes Paracleticas aliaque id genus*. Sedebat ſub Joanne Narſetis filio Catholico, circa annum 890.

VIII. Elias I.

Abrahamo III. Catholico ſedebat ab anno 906. ad 920. *Elias epiſcopus Anbaræ*, qui nomen illius è ſacris tabulis eraſit, quia ſimoniæ reus erat. In catalogo Ebedjeſu carmina, conſolatorias epiſtolas, apologiam & homilias ſcripſiſſe fertur.

IX. Jaballaha.

Jaballaha epiſcopatum Anbaræ abdicaverat ante annum 963. quo Abdjeſus II. Catholicus inauguratus fuit. *To. 3. Bibl. Or. p. 2. p. 718.*

X. Sebarjesus.
XI. Elias II.

A Mare II. Catholico *Sebarjeſus Anbaræ epiſcopus*, in metropolitam Gondiſaporis evectus eſt, ejuſque loco ſuffectus *Elias II.* circa annum 987. *To. 2. Bibl. p. 443.*

XII. * * * XIII. * * *

In ordinatione Joannis VI. Catholici ſchedas in quibus candidatorum nomina exarata erant, è capſa trahebat *epiſcopus Anbaræ*. In promotione Jeſuiab filii Ezechiëlis Catholici ſexageſimi-tertii, Evangelium legit *Epiſcopus* Anbaræ anno Chriſti 1021. *To. 2. p. 446.*

XIV. Mundar.

Electioni & ordinationi Eliæ I. Catholici anno 1028. aderat *Mundar epiſcopus Anbar.*

XV. Maris.

Ordinationi Abdiſuæ ſive Ebedjeſu ſexageſimi-ſeptimi Catholici adfuit *Maris epiſcopus Anbaræ*, anno 1075. Hic à Radanenſi eccleſia ad Anbarenſem traſlatus fuerat an. 1063.

XVI. Zacharias.

Anno 1111. Elias II. Catholicus *Zachariam* cœnobii Saidi monachum Anbaræ & Hitæ epiſcopum ordinavit. *To. 2. p. 449.*

VI. ECCLESIA SENÆ.

SExta civitas epiſcopalis provinciæ Patriarchalis eſt *Elſen* vel *Sena*, quæ & *Cardaliabed* appellatur, quam Geographus Nubienſis ad Tigrim collocat, Tacrito 40. mill. paſſ. & Haditha 36. mill. paſſ. diſtantem, intra cujus ambitum in Tigrim ſe Zab minor fluvius exonerat. Quia Cardaliabed to. 2. Bibl. Orient. p. 492. in regione Beth-Raman, quæ Moſul vicina erat, poſita legitur, vix vocari in dubium poteſt, quin illic exſtiterit *Elſen*, quæ ſexta, ut dictum eſt, Patriarchalis provinciæ civitas fuit. Atqui Sebarjeſus III. Catholicus Senæ ſive Elſen & Bouaziges eccleſiam unam fecit: Bouazige vel Buazicha inter Arbel & Tacrit ſtructa erat.

EPISCOPI SENÆ.

I. Milas.

QUo tempore Sebarjeſus I. Catholicus vigeſimus-nonus electus fuit, *Milas epiſcopus Elſen* ſedebat, ſedemque illius Seleucienſem adminiſtrabat, dum ille ſtatim à promotione ſua apud Coſroëm Perſarum regem agebat. Hic ſubinde Dominicæ Crucis particulam, qua à Mauritio Imperatore donatus erat, ad Catholicum tulit.

II. Jesuiab.

Jeſuiab II. Catholico, ſub Siroë Perſarum rege claruit Hananjeſus, cujus frater *Jeſuiab* nomine ordinatus eſt epiſcopus Cardaliabedæ, ſive Senæ in regione Beth-Raman. *Tom. 2. Bibl. Orient. p. 492.*

III. Narses.

A Timotheo I. Catholico *Narſes* è regione Betg-Bagas ortum ducens, monaſterii Beth-Abe alumnus, ordinatus eſt epiſcopus urbis Senæ in Arabia, quæ & *Cardaliabed* dicitur, vir contemplatione & meditatione aſſiduus, cujus geſta Thomas Maragenſis, ut & deceſſoris Jeſuiabi deſcripſit in hiſtoria monaſtica cap. 10. & ſeqq. *Ib. p. 496.*

Digitized by Google

IV. SEBARJESUS.

Sergius Catholicus quinquageſimus-ſecundus ordinavit *Sebarjeſum epiſcopum Elſen.* Ib. p. 439.

V. MARIS.

Maris II. Catholicus poſt monaſticam profeſſionem, & Orientis totius cœnobiorum adminiſtrationem, ab Abdiſua ſeu Ebedjeſu Catholico epiſcopus Elſen creatus fuerat, deindeque metropolita Perſidis.

VI. JOANNES.

Epiſcopus quoque Elſen fuerat *Joannes* Catholicus ſexageſimus-ſecundus, Maris ſucceſſor, è Gorge Gedan ſive Coraco Armeniæ
A oriundus, à quo Perſidis itidem metropolita conſtitutus fuerat. *Ibid. p. 443. 444.*

VII. STEPHANUS.

Sebarjeſus II. Catholicus *Stephanum epiſcopum Elſen* ordinavit, cui eccleſiam Buazichæ vel Buaziges regendam tradidit. Hic quum poſt annos decem electioni adeſſet Abdjeſu Catholici, ei aſſentiri noluit; dilataque ad biennium uſque cum dimidio illius ordinatione, mutata ſententia, illam demum
B approbavit.

VIII. ABDELMESSIAS.

Ebedjeſus II. Catholicus *Abdelmeſſiam* fratrem Georgii metropolitæ Baſſorenſis epiſcopum Elſen & Buaziges ordinavit.

VII. ECCLESIA OCBARÆ.

OCBARA vel *Acbara* epiſcopatus ſeptimus eſt Patriarchalis provinciæ, atque Aracæ Babylonicæ ſeu Chaldææ civitatula ad Tigrim ſupra Bagdadum poſita, Alterbero vico celebri vicina, ſecunda ſtatione ad urbem Moſul, decem paraſangis Bagdado diſtans: ſedes fuit Califæ Muſtaſem, ſed paulo-poſt vaſtata, penèque ad nihilum redacta eſt.

EPISCOPI OCBARÆ.

I. HACHIMA.

PRimus qui mihi occurrit Ocbaræ epiſcopus eſt *Hachima*, quem Sergius Catholicus ordinavit, adeoque ante annum 872. quo Sergius obiit die 21. Sept. *To. 2. Bibl. p. 439.*

II. JESUIAB.

Joannes IV. quinquageſimus-quintus Catholicus promotus anno 900. alios ſtatim epiſcopos ordinavit præſentibus aliis ſeptem, in quibus *Jeſuiab epiſcopus Ocbaræ*, qui & Jeſuzacha dictus eſt. *Ibid. p. 440.*

III. * * *

Promotioni Eliæ I. Catholici anno 1028. aderat *epiſcopus Ocbaræ. To. 3. p. 264.*

IV. MARES I.

Electioni Sebarjeſu III. Catholici multi
C repugnarunt, in quibus *Mares epiſcopus Ocbaræ*, cui cognomen *Ebn-Fahal.*

V. MARES II.

Ebedjeſus proximus ſucceſſor Sebarjeſu III. *Marim* alterum ſacerdotem monaſterii El-Roum Bagdadenſis, Ocbaræ epiſcopum ordinavit.

VI. SEBARJESUS.

Promotioni Eliæ II. Catholici adfuit *Sebarjeſus epiſcopus Ocbaræ*, qui vacantis ſedis
D illo anno 1111. cuſtos erat, itemque Barſumæ ſucceſſoris Eliæ anno 1134. *Vid. Bibl. to. 2. p. 449.*

VII. ELIAS.

Ita quoque *Elias* cognomento *Ebn-Cherit* epiſcopus Ocbaræ promotioni Sebarjeſu IV. adfuit anno 1224.

VIII. ECCLESIA RADANI.

EPiſcopatus octavus Patriarchalis provinciæ eſt Radan, alia profecto civitas à Rabhan montanæ regionis Meſopotamiæ & Caramaniæ Armeniam verſus, cujus non uno loco Nubienſis meminit, Hamadana diſtantis 25. mill. paſſ.

EPISCOPI RADANI.

I. GEORGIUS.

E
ISraële Catholico quinquageſimo-octavo opera Abulhali Elzaze Theſaurarii publici Califæ deſignato, quum res vi ageretur, *Georgius epiſcopus Radan* ſe ſubduxit, ne illius electioni aſſentiretur.

II. * * *

Promotioni Eliæ I. Catholici aderat cum aliis *epiſcopus Radani* an. 1028. *To. 3. p. 264.*

III. MARIS.

A Radanenſi eccleſia ad Anbarenſem tranſlatus eſt *Maris* à Sebarjeſu Zanbur an. 1068.

Digitized by Google

IX. ECCLESIA NAPHARÆ.

NAPHARA vel *Naphar, Naſar* aut *Niphar,* & *Naphir,* urbs epiſcopalis eſt provinciæ Catholici, ſed ubinam ſita fuerit aſſequi facile non eſt. Napharæ & Nili epiſcopum eumdem aliquando fuiſſe reperio, Nili item & Naamaniæ & Badraïæ. Atqui Badraïa, quæ Syriacè *Dair-Cuni*, Arabicè *Dor-Kena* dicitur, oppidum fuit Seleuciæ proximum, ubi Catholici olim ſepeliebantur, ut fert Aſſemanus to. 2. p. 394. Naamania quoque urbecula eſt inter Bagdadum & Vaſeth : ex quo manifeſtum fit Napharam & Nilum in eadem regione exſtitiſſe.

EPISCOPI NAPHARÆ.

I. MARANAME.

A Mari II. Catholico ſexageſimo *Maraname* epiſcopus Naphar & Nil ordinatus eſt anno 990. to. 2. Bibl. Or. p. 443. Annis 1067. & 1075. quibus Sebarjeſus Zanbur & Ebedjeſus Aredi filius Catholici deſignati ſunt; eorum ordinationibus aderat *Maraname epiſcopus Naphar.* Vix crediderо illum eumdem A eſſe qui à Mari II. ordinatus dicitur.

II. MARIS.

III. SERGIUS.

Ordinationi Ebedjeſu III. Catholici ſexageſimi-ſeptimi aderat *Maris epiſcopus Napharæ & Nil.* Quo defuncto idem Catholicus Ebedjeſus *Sergium* epiſcopum Nili & Naamaniæ creavit.

X. ECCLESIA KOSRÆ.

KASR vel *Koſr,* epiſcopatus decimus cenſetur provinciæ Catholici, iſque Bagdadi vicinus fuit, qui in eumdem coaluit cum Naharowan, deleta bellorum calamitatibus Koſra. Hæc vero mihi alia non eſt à Kutr-Ebn-Obeira vel filii Obeiræ ad Euphratis moles poſita. Atqui Naharowan dicitur urbecula à fluminis alveo duabus paraſangis diſtans, & fluvius illius regionis, cujus ſolum pergratum & fertiliſſimum eſt, diſtatque Naharowan Bagdado quatuor circiter leucis, ad Orientalem Tigris ripam poſita. Sed & Ebedjeſus I. Catholicus Koſræ ſedem Waſithenſi junxit, ejuſque loco Buzicham inſtituit, quæ ad Garmæorum provinciam ſpectabat.

EPISCOPI KOSRÆ.

I. JESUDENHA.

INter Syros ſcriptores ab Ebedjeſu c. 127. cenſetur *Jeſudenha epiſcopus Koſræ,* qui tomos tres edidit hiſtoriæ eccleſiaſticæ, expoſitiones logicas & Paracleticos ſermones cum interpretationibus. Vivebat poſt annum 706. nam Bar-hebræus hiſtoriæ illius eccleſiaſticæ locum appellat, in quo meminerat Ananiæ epiſcopi Mardæ & Capharlutæ, qui ſub Cyriaco Jacobitarum Patriarcha vixerat. *To. 3. Bibl. Orient. p. 195.*

II. EBEDJESUS.

Ante annum 963. *Ebedjeſus I.* Catholicus Koſræ epiſcopatum geſſerat, à quo ad ſummam ſuæ ſectæ dignitatem illo anno provectus fuit.

III. JESUIAB I.

Ebedjeſu Catholico quinquageſimo-nono accidit ut Muſulmanus quidam Alcoranum ſuum legens, ſubito terrore correptus ſit, tum deinde in ſomnis admonitus ut Chriſtianam religionem amplecteretur: Qui ad *Jeſuiab epiſcopum El-Kaſr* vel *El-Koſr* perrexit, à quo veram fidem doceretur.

B

IV. JESUIAB II.

Anno Heg. 411. Chr. 1020. Dominica 1. quam vocant Annuntiationis, ſive jejunii Nativitatis Domini, *Jeſuiab IV.* Patriarcha ſexageſimus-tertius ex epiſcopo Koſræ & Naharowaniæ, Califæ opera ad ſupremam Catholici ſedem evectus eſt. *Vid. Bibl. to. 2. p. 446.*

V. ABALHASER.

Elias I. Catholicus ſtatim atque ad hanc dignitatem promotus fuit, ordinavit *Abulhaſer* filium Eltirehal, epiſcopum Koſræ & Naharowaniæ.

C

VI. JOANNES I.

Catholicus ſexageſimus-quintus *Joannes Targolo* vel *Eltirhal,* ab Elia deceſſore ſuo nupero Koſræ epiſcopus fuerat ordinatus, ante annum 1050. *Ibid. p. 447.*

VII. EBN-SUTA.

A Joanne illo Catholico poſt promotionem ipſius *Koſra* ſuffectus epiſcopus ordinatus eſt *Ebn-Suta,* qui poſtea ab eodem deſtitutus fuit.

ECCLESIA KOSRÆ.

VIII. NAAMAN. A

Ebedjeſus Catholicus ſexageſimus-ſextus *Naamanem* filium Suadæ ordinavit epiſcopum *Koſræ*, circa annum 1080.

IX. JOANNES II.

Promotioni Eliæ Catholici ſexageſimi-noni aderat *Joannes* vel *Jonas* epiſcopus Koſræ & Naharowaniæ. *Ibid. p. 449.*

XI.

ECCLESIA BADRAIÆ.

BADARAIA vel *Badraïa* undecimus cenſetur epiſcopatus provinciæ Patriarchalis, qui ſuppreſſus fertur, & Caſcarenſi, Naamanienſique & Nilenſi adjunctus. Urbs fuit Seleuciæ proxima, & Cteſiphonti, ubi Catholici, ut jam dictum eſt, olim ſepeliebantur, quum utique Mares primus illic ſupremum diem obiiſſet. Alio autem nomine *Dair-Cuni* Syriacè, & *Dor-Kena* Arabicè dicta eſt. *Vid. to. 2. Bibl. Orient. p. 394.*

EPISCOPI BADRAIÆ.

I. MAR-ABA. B

IN vita Sebarjeſu I. Catholici, legitur, Marutæ, neſcio cujus urbis, epiſcopo, qui Mauritii Imp. litteras ad Coſroëm Perſarum regem & Seleuciæ Catholicum ferebat, obviam iviſſe epiſcopos duos alios, Theodorum Caſcaræ, & *Mar-Abam Badraæ*.

II. EMMANUEL.

Elias II. Catholicus anno Græcorum 1422. Chriſti 1111. inauguratus, alios ſtatim epiſcopos ordinavit, quorum unus fuit *Emmanuël* epiſcopus Naamaniæ, Nil & Badraïæ. *To. 2. Bibl. Orient. p. 449.*

XII.

ECCLESIA ABDASÆ.

ABDASAM quæ duodecimus epiſcopatus legitur provinciæ Patriarchalis, ſive Catholici, nuſquam hactenus reperi, nec ullum ejus antiſtitem.

XIII.

ECCLESIA BUAZICHÆ.

BUAZICHA, vel Arabicè *Buazige*, Amro decimus-tertius epiſcopatus eſt provinciæ Patriarchalis, quæ & Coniſapor dicitur Aſſemano, *olim*, inquit, *ſub metropolita Garmæorum, poſtea Patriarchali provinciæ adjuncta, ut ex tabula Eliæ Damaſceni liquet.* Subdit tamen ab Abulpheda duplicem *Buazigiam* (Buazicham) diſtingui, alteram in Aſſyria, Tacritum inter & Arbelam, quæ Buazigia regis (id eſt Saporis) appellatur, adeoque prope Elſen poſita; altera in regione Anbaræ, cui Elſen ſive Senæ eccleſia juncta fuit. Prior vero Patriarchali provinciæ mihi potius videtur aſſignanda, quam altera haud procul Babylone diſtans. Quamobrem de altera iſta poſteriore in provincia Beth-Garmæ, altero quoque loco dicendum erit.

Tom. 3. p. 739. parte 2.

EPISCOPI BUAZICHÆ.

I. JOANNES I.

II. JOANNES II.

ASSEMANUS ex Amro Neſtoriano, to. 2. Bibl. Orient. p. 422. ſub Georgio Catholico circa annum 780. claruiſſe fert *Joannem Buazichæ epiſcopum*, Medicæ artis peritum; qui quum fornicationis accuſaretur, virilia ſibi præcidit; unde damnari deponique meruit. An-non vero idem is fuiſſe putandus eſt ac Joannes ille Buazichæ itidem epiſcopus, chimicæ artis perinde peritus, quem Phetionis Catholici tempore vixiſſe ſcribit p. 431.

JOANNES II.

III. SEBARJESUS.

Maris II. Catholicus *Sebarjeſum* Buazichæ C epiſcopum ordinavit. *To. 2. Bibl. p. 443.*

IV. SIMEON.

Promotioni Machichæ II. Catholici ſexageſimi decimi-ſeptimi aderat *Simeon epiſcopus Buazichæ*, p. 456.

V. BRICHJESUS.

Denhæ II. Catholici inaugurationi perinde adſuit *Brichjeſus epiſcopus Buazichæ.*

VI. JOANNES III.

Timotheus II. Catholicus ſynodum habuit, in qua duodecim canones condidit, & cui interfuiſſe legitur *Joannes* epiſcopus Beth-Vazichæ. *To. 3. p. 341.*

Digitized by Google

II. PROVINCIA GONDISAPORIS.

I. ECCLESIA GONDISAPORIS METROPOLIS.

GONDISABOUR vel *Gondiſapor* è præcipuis provinciæ Arac vel Erac urbibus cenſetur Geographo Nubienſi, ultra Tigrim in uberrimo ſolo poſita, Suſis ſive Ahwaz ſex leucis diſtans, & duabus Toſtar, atque Elamitidis metropolis dicitur apud Aſſemanum to. 2. p. 435. & 455. Hanc ante Conſtantini magni tempora ab Hormiſda Ardſciri ſive Artaxerxis, vel Artaxaris filio Perſarum rege conditam, & eo nomine propter filium ejus Saporem inſignitam ferunt: alii tamen ab ipſomet Sapore Hormiſdæ filio, poſt expeditionem in Romanorum ditiones ſuſceptam, unde ingentem prædam abduxerat, ut ex Amro Neſtoriano ſcribit Aſſemanus pag. 398. quin & paſſim monet, eam *Beth-Laphat*, vel ſimplici vocabulo, *Lapetham* dictam eſſe, in qua Simeon Beth-Arſamenſis ſynodos multas à Seleuciæ Catholicis celebratas ait apud Aſſemanum to. 1. Bibl. Orient. pag. 354. Ejus epiſcopus metropolita primus eſt ſub Chaldæorum Catholico, cujus dexteræ in ſolemnibus conventibus aſſidebat, cujus juris erat illum conſecrare & in throno collocare. Hanc civitatem aiunt metropoliticis honoribus auctam à Phapha, vel Papa, quem octavum numerant Catholicum.

EPISCOPI GONDISAPORIS.

I. AGAPETUS.

EBEDJESUS in canonum collectione epiſtolam affert ſynodi *Occidentalium* (ut vocat) *Patrum*, tamquam ſæculo eccleſiæ ſecundo per *Agapetum Elamitarum Lapethæ* epiſcopum ad Orientales miſſam, qua ſumma Seleucienſi præſuli poteſtas ſtatuta aſſeritur. Quam tamen ſpuriam prorſus eſſe, & ab inepto nebulone compoſitam nemo doctus non agnoverit. Hanc citat Aſſemanus Bibl. Orient. tom. 1. p. 13. & to. 2. p. 497. integram vero recitat dignaque cenſura perſtringit *to. 3. p. 60.*

II. GADIABUS.

Acta SS. Milles Suſarum epiſcopi & ſociorum, eum à *Gadiabo* Laphethenſi epiſcopo & Martyre ordinatum produnt, to. 1. Bibl. Or. p. 12. Ejus Sozomenus meminit, lib. 2. hiſt. eccl. cap. 13. apud quem Γαββιάδης, *Gabbiades* ſcribitur.

III. DEMETRIUS.

A Sapore II. Perſarum rege Hormiſdæ II. filio *Demetrium* epiſcopum Antiochenum in Perſidem cum captivis aliis abductum narrant, atque à Phapha ſive Papa Seleuciæ & Cteſiphontis Primate epiſcopum Gondiſaporis eſſe factum. Sic Aſſem. to. 2. p. 398. Verum poſt
A Demetrianum Pauli Samoſateni deceſſorem, neminem cui Demetrio nomen fuerit, Antiochiæ epiſcopum novimus. Si quid veri habeat illa tranſlatio, hoc ſolummodo dicere licet, Demetrium quemdam epiſcopum ex Antiochena regione in Perſidem adductum, eccleſiæ Gondiſaporenſi præfectum fuiſſe.

IV. PAULUS.

Ex Amro Neſtoriano *Paulus* Joſachi epiſcopi Huzitarum archidiaconus, ac ſubinde ſucceſſor, ad Gondiſaporis ſedem prius tranſla-
B tus fuit quam in Catholicum promoveretur.

V. JACOBUS I.

Anno 522. de Catholici dignitate mutuo contendentibus Elizæo & Narſe, Gondiſaporis metropolita *Jacobus* ſedebat, qui apud ſe decrevit neutri parti favere; quin utrique palam contradixit. *To. 2. p. 409.*

VI. JOANNES I.

Jeſuiab ſecundus Chaldæorum Catholicus circa annum 630. ſcribebat clero & populo eccleſiæ Lapethæ de morte *Joannis* metropolitæ, & electione Maramæ.

VII. MARAME.

A Jeſuiabo igitur II. Catholico *Marame* ex

ECCLESIA GONDISAPORIS.

epiſcopo Ninives Gondiſaporis metropolita factus eſt; quin etiam in Catholicum poſtea aſſumptus fuit anno Græc. 958. Chr. 647. *To. 2. Bibl. Orient. p. 420.*

VIII. Sergius I.

Ex Amro Neſtoriano ſub Jeſuiab III. Catholico claruit *Sergius epiſcopus Gondiſaporis,* qui annos 45. epiſcopatum geſſit. *Ibid.*

IX. Joannes II.

Poſt Georgii Catholici obitum ſuffectus illi fuit *Joannes* Marthæ filius metropolita Gondiſaporis, anno Græc. 990. Chr. 679.

X. Narses.

Quo tempore Seleucienſem ſedem, Hananjeſu Catholico, Joannes cognomento Leproſus invaſerat, Gondiſaporis epiſcopus erat *Narſes*, qui tyranno illi aſſenſus eſt, ut ſuo loco dictum eſt.

XI. * * *

Mar-Aba Catholicus XLI. anno Græcorum 1053. Chriſti 742. renuntiatus eſt, quum eam dignitatem *metropolita Gondiſaporis* ambiret.

XII. Jacobus II.

Surino ſive Surena in Catholicum, cogente Emiro Modaïnæ, non ſine ſimoniæ labe promoto, aliiſque epiſcopis communionem illius refugientibus, aliis admittentibus, *Jacobus* Gondiſaporis metropolita ad manus ei imponendum coactus, imprecationem potius, quam orationem pronuntiavit. Ipſe vero Surino paulo-poſt defuncto Catholicus eſt electus quadrageſimus-tertius anno Græcorum 1065. Chriſti 754.

XIII. Georgius I.

Amrus in vita Jacobi Patriarchæ, *Georgium* Gondiſaporis ſub illo ſediſſe ſcripſit. *To. 3. Bibl. Or. part. 2. p. 746.*

XIV. Ephræm.

Gondiſaporenſi eccleſiæ præerat *Ephræm* anno Chriſti 781. quo Timotheus I. Catholicus eſt renuntiatus, ſed & ejus promotionis præcipuus auctor fuit, pecuniæ ſpe quam ille ſpoponderat. E tribus candidatis Ephræm iſte erat, quando de ſucceſſore Hananjeſu deſignando actum eſt. Inter ſcriptores Syros cenſetur à Sobenſi cap. 87. *To. 2. Bibl. Or. p. 433. & to. 3. p. 163.*

XV. Joseph.

Codice Syriaco Vaticano XIV. cujus meminit Aſſemanus to. 2. p. 497. collectiones variæ canonum continentur, in quibus ſunt duodecim Timothei Catholici, quibus condendis aderant epiſcopi undecim, inprimiſque *Joſeph Elamitidis*, adeoque Gondiſaporis.

A Atqui Timotheo I. canones illos adſcribendos potius reor, quam ſecundo.

XVI. Georgius II.

Anno 1141. Græcorum Chr. 830. Joſue Bar-Nun Catholico defuncto, ſuffectus eſt *Georgius,* cui cognomen Alſiach fuit Crago vel Carcha oriundus, cœnobii Beth-Abe monachus & rector, quem Timotheus Catholicus metropolitam Gondiſaporis conſtituerat. Mares Neſtorianus hunc *Gregorium* nominat, *Ibid. p. 435.*

B

XVII. Mar-Aba.

Dum de eligendo qui Sebarjeſu II. Catholico ſuccederet, agebatur, multorum vota in *Mar-Abam* metropolitam Gondiſaporis propendebant. Ab aliis vero Abrahamo II. Catholico renuntiato, orta lis eſt inter Mar-Abam & ſcholaſticos quoſdam, atque ad Catholicum utrique profecti ſunt. Sed Mar-Aba jumento quo vehebatur excuſſus interiit, cujus bonorum adminiſtrationem Abraham commiſit Ephræmo ſororis illius filio, illiuſque diſcipulo Enoc & Caniſæ conſobrino, C cujus avaritia & rapinis ſcholaſtici vexati fuerant. Enoc Eſſamiſmi accuſatus, vix ægre pecunia crimen eluit.

XVIII. Theodosius.

Poſt Mar-Abam *Theodoſius* epiſcopus Anbaræ ad metropolim Gondiſaporis tranſlatus eſt; verum à civibus rejectus, quod de ſententia ipſorum deſignatus non eſſet, Abrahamo Catholico defuncto ſubrogatus fuit.

XIX. Paulus II.

D Joannes II. Neſtorianorum Catholicus die 14. Novembris anni Græcorum 1196. Chriſti 885. à *Paulo* metropolita Gondiſaporis inauguratus fuit. *To. 2. Bibl. p. 439.*

XX. Sapor.

Paulo ſucceſſit *Sapor* monachus Oliveti Riccæ quem Joannes II. Catholicus invitum conſecravit, quumque Bagdadi defunctus Joannes eſſet, juxta Saporem in diaconio ſepultus fuit. Mares, & Aſſemanus *p. 439.*

XXI. Theodorus.

E Joannes III. Catholicus *Theodorum* epiſcopum Cherdæ metropolitam Gondiſaporis conſtituit, qui, Joanne eodem defuncto, ejus in locum ſuffici ſtuduit. Verum Joanne IV. electo, ipſe cum aliis electionem rite factam pronuntiavit, aliis nequidquam reclamantibus, quos Theodorus ipſe ad ſaniorem mentem revocavit. Hunc Joannes Boctiſuæ medicus quem ob incompoſitos mores ſæpe redarguerat, Gondiſaporenſi ſede expulit.

XXII. Georgius III.

Digitized by Google

XXII. Georgius III.

Iſraële Catholico illata vi deſignato, *Georgius* metropolita Gondiſaporis qui aderat, fuga ſe ſubduxit cum metropolita Gorge & epiſcopo Radani: verum Iſraële poſt menſes aliquot exſtincto, ad ſedem ſuam reverſus eſt. Itaque anno Græcorum 1273. Chriſti 962. quo Ebedjeſus vel Abdjeſus Catholicus renuntiatus eſt, Georgius metropolita Gondiſaporis, unus è tribus fuit quorum nomina in ſchedis ſcripta erant, ut alter eorum Catholicatum ſortiretur. *To. 2. Bibl. Or. p. 442.*

XXIII. Dilamus.

In vita Maris II. Catholici fertur *Dilamum* metropolitam Gondiſaporis in exercitu Serfeddoulæ prætoris Saraceni adfuiſſe, ac Baſſoram uſque & Aibam perrexiſſe. Mari ab illo Mohammedano duce promiſſam ſupremam Catholici ſedem, nonnullis interim pactis Dilamum inter & Marim ſponſionibus.

XXIV. Hananjesus.

Gondiſaporis metropolim gerebat *Hananjeſus* anno 987. quo Marem II. Bar-Tobi in urbe Moſul Catholicum ordinavit. *Ib. p. 443.*

XXV. Sebarjesus I.

Mares II. Catholicus *Sebarjeſum* Anbaræ epiſcopum Gondiſaporis metropolitam conſtituit. *Ibid. p. 443.*

XXVI. Madna.

Ordinationi Joannis V. Catholici viginti epiſcopi adfuerunt, in quibus *Madna* metropolita Gondiſaporis.

XXVII. Emmanuel.

Joanni VI. Catholico manum impoſuit *Emmanuël* metropolita Gondiſaporis, anno Chriſti 1012. *Ibid. p. 446.*

XXVIII. * * *

Joanne VII. Califæ juſſu Catholico deſignato, metropolita Gondiſaporis fugam capeſſivit, ne hominem ineptum ordinaret.

XXIX. Sebarjesus II.

Quo tempore Joannes ille VII. Catholicus diem clauſit ultimum *Sebarjeſus III.* metropolita Gondiſaporis erat, qui poſt annos ſex ope Abuſaidi Aſpahanenſis, & Rajæ medici Catholicatum obtinuit anno 1374. Chriſti 1063. *To. 2. Bibl. p. 447.*

XXX. Stephanus.

Sebarjeſus III. Catholicus conſtitutus *Stephanum* monaſterii Dilemitæ ſancti Joannis A rectorem metropolitam Gondiſaporis ordinavit, qui adfuit ſubinde promotioni Abdjeſu ſucceſſoris illius; unde Waſitam quum veniſſet, ibi fato functus eſt.

ECCLESIA GONDISAPORIS.

XXXI. Thomas.

Elias II. Catholicus *Thomam* Gondiſaporis ad eccleſiam Beth-Garmæ tranſtulit. *To. 2. Bibl. p. 449.*

XXXII. Joannes II.
XXXIII. Joannes III.

B Thomæ ab Elia ſuffectus fuit *Joannes* metropolita Holouan, qui diverſus omnino eſt à *Joanne* metropolita Gondiſaporis, à quo Elias III. cognomento Abu Halim Catholicus eſt ordinatus, anno Græcorum 1487. Chriſti 1176. niſi ſedem ſeptuaginta annis tenuerit, quod opinari fas non eſt. *Tom. 2. Bibl. Orient. p. 450.*

XXXIV. Ebedjesus.

Mortuo Jaballaha II. Catholico, *Ebedjeſus* metropolita Gondiſaporis Modaïnam venit C ut vacantis ſedis cuſtodiam obiret, atque ſucceſſoris illius Sebarjeſu IV. promotionem celebravit, anno 1533. Chriſti 1222. Mares & Aſſemanus, *p. 453.*

XXXV. Elias.

Sebarjeſu V. Catholico animam exhalanti aderat *Elias* Gondiſaporis metropolita, ac ſedis vacantis cuſtodia fungens, epiſcopos vocavit, qui ſucceſſorem illius eligerent, renuntiatoque poſt diſſenſiones aliquas à majori parte Machicha, manum ei de more impoſuit, D & in throno illum collocavit anno 1257. Rurſum anno 1577. Chriſti 1266. ab Elia Gondiſaporis Denha Catholicus throno perinde impoſitus fuit, *p. 455. 456.*

XXXVI. Maraname.

Eliæ utique proxime ſucceſſit *Maraname*, qui Jaballahæ III. Catholico renuntiato manum impoſuit. *Ibid.*

XXXVII. Joseph.

Anno 1318. in concilio Timothei II. E Catholici ſedebat *Joſeph* metropolita Elamitarum. *To. 3. p. 341.*

XXXVIII. Narses.

Circa tempora Timothei II. Catholici Salomon Baſſoræ metropolita catalogum Catholicorum Orientis illi ſcripſit; itemque Spicilegium, quod & *liber Apum* dicitur, ac *Narſi epiſcopo Gondiſaporenſi* in urbe Waſita nuncupavit. *To. 2. Bibl. Or. p. 488.*

ECCLESIA LEDAN.

II. IN notitia diœceſis Chaldæorum ab Elia Damaſceno ſub metropoli Gondiſaporis, primo loco ponitur epiſcopus *Ledan & Suſæ;* quia nempe ſequiori ævo in unam coaluerunt. Cæterum proprium ab initio epiſcopum habuit *Ledan*, ſed quæ ſtetiſſe non videtur quo tempore Nubienſis Geographus ſcribebat. In Elamitide igitur provincia poſita erat, ubi *Suſa* ſita eſt, ſive in regione Chureſtan vel Chuziſtan dicta, ut diſerte fertur in epiſtola Simeonis Beth-Arſamenſis quæ exſtat *To. 1. Bibl. Orient. p. 353.*

EPISCOPI LEDAN.

I. Paulus.

EX illa Simeonis Beth-Arſamenſis epiſtola, exſtincta Zenonis Imp. juſſu Neſtorianorum A ſchola Edeſſena, *Paulus* filius *Cochai*, ejuſdem ſcholæ alumnus, unà cum aliis ſodalibus ſuis in regis Perſarum ditionem ſe recepit, ubi factus eſt epiſcopus Ledan.

ECCLESIA SUS.

III. SUs, *Suſa*, Chuziſtaniæ, vel, ut apud Nubienſem legitur, Chureſtaniæ (*r e* pro *z i*) civitas vetus eſt, ipſa *Suſan*, vel *Suſa*, Aſſueri Medorum Perſarumque ſupremi Dynaſtæ filii Darii Medi, aliorumque deinceps ad Artaxerxem uſque Longimanum regia; quam Daniël in regione Elam, ſive Elamitide collocat, ad fluvium Ulaï, vel Eulæum. Diverſa proinde fuit à Perſepoli quæ ad Araxem amnem ſtabat. Alia porro cenſenda eſt Sus ab Ahwaz, ambæque, Geographo Nubienſi teſte, tridui intervallo disjunctæ ſunt.

EPISCOPI SUS.

I. Milles *Martyr.*

IN actis Martyrum qui Sapore rege Chriſtianos exagitante necati ſunt, *Milles Suſarum epiſcopus*, quem Gadiabus Lapethenſis ordinaverat, poſt multa edita miracula, una cum Abroſimo presbytero & Sinai diacono ſub Hormiſda provinciæ Raſichenſis præfecto, circa initium Perſicæ perſequutionis illius, luna 13. menſis Novembris anno Chriſti 331. martyrium obiit. De quo Sozomenus lib. 2. hiſt. eccl. cap. 14. omiſſo nomine civitatis cujus antiſtes Milles fuerat, hæc tradit ex genuinis ipſorum actis. *Hic autem initio apud Perſas militaverat, poſt relicta militia, apoſtolicæ vitæ normam æmulatus eſt. Tum Perſicæ cujuſdam urbis epiſcopus ordinatus, verbera, tractuſque membrorum ſuſtinuit: ſed quia perſuadere nemini poterat ut Chriſtianus fieret, id moleſtè ferens, malumque civibus precatus, aliò migravit. Nec multo poſt, quum proceres illius urbis in regem deliquiſſent, immiſſo in eos exercitu cum trecentis elephantis, ea vaſtata everſaque eſt, impactoque aratro, tamquam in arvo ſementem illic injecit. Milles vero nil niſi peram geſtans qua ſacrorum Evangeliorum codex condebatur, Hieroſolymam orationis ergo petiit, indeque in Ægyptum, monachos illic agentes inviſurus. Quanta vir iſte miracula patraſſe memoretur, Syri teſtes ſunt, qui vitam geſtaque illius literis commendarunt.* Baſilii Imp. ſynaxarium eadem prorſus habet ad diem 13. Novembris. Addit vero ex ipſiſmet martyrii ejus actis Milleſium B fuiſſe Suſorum, quæ urbs Daniëlis Prophetæ viſis clara fuit, epiſcopum, & poſtquam ſanctum Antonium, imo potius Ammonium in Ægypto viſitaverat, in Perſidem reverſum à Myſtopharo ſeu Hormiſda Guphrizo regulo, ejuſque fratre ferro per præcordia cæſum, *quia ſolis igniſque cultum conſtantiſſime deteſtabatur. Quibus dum animam agebat, prædixit fore ut die inſequenti Regulus, ejuſque frater mutuis vulneribus, ea ipſa qua ipſe cædebatur hora ſe conciderent. Quamobrem ambo vehementer commoti, diſcipulos ejus, Eboram, Papam* C *& Seboam diaconum fuſtibus tamdiu contuderunt, donec ſpiritus Deo redderent. Poſtridie fratres iſti in furias acti ſeſe mutuis vulneribus confecere.* Ubi Menologium pro Abraſimo *Eboram* & pro Sinaï, *Seboam* habet. Cæterum in Syriacis actis to. 1. Bibl. Orient. pag. 12. diſcipuli Milleſii non fuſtibus contuſi, ſed lapidibus obruti leguntur; imo non furiis acti fratres ſe confodiſſe, ſed dum cervum hinc inde telis inſectabantur. Alia ubi de Phapha Catholico octavo ſcripſi adeunda, nec-non *to. 1. Bibl. Orient. p. 186.*

D

II. Abdas.

Chriſtiana religio poſt S. Milleſii obitum Suſis demum recepta eſt, hujuſque civitatis non Seleuciæ epiſcopus fuit *Abdas* ille, qui nimio adverſus profanum cultum odio cruentam, Iſdegerde rege, Chriſtianis in Perſide cladem acceſſivit anno 421. exſtincto ſcilicet igne Gentilibus illis ſacro, deletoque Pyræo,

Digitized by Google

ſeu loco in quo ignis ab illis uti numen cole- A batur, atque idcirco principis juſſu necatus eſt. Atqui facinus iſtud eccleſiaſticæ quidem hiſtoriæ ſcriptores Abdæ adſcribunt, quod tamen ab Hoſee quodam hujus eccleſiæ preſbytero patratum legere eſt *to. 2. Bibl. Orient. p. 401.* In Martyrologio Romano memoria illius recolitur die 16. Maii his verbis: *In Perſide ſanctorum Martyrum Andæ* (pro Abdæ) *epiſcopi, ſeptem preſbyterorum, & novem diaconorum, & ſeptem virginum, qui ſub Iſdegerde rege, variis tormentorum generibus cruciati, glorioſum martyrium compleverunt.* Cæterum B Theodoretus aliique illorum temporum ſcriptores, Abdæ, ſeu preſbyteri illius factum improbavere. Apud Socratem, non *Abdas,* ſed Αϐλάαθος *Ablaatus* ſcribitur, pro Αϐδάαθος, *Abdaatus,* Λ pro Δ, ut ſæpe librariis contigit. Narrat tamen hic auctor Iſdegerdis filiam antehac ab Abda fuiſſe à dæmonio liberatam; quod quidem tantam adeo auctoritatem ei conciliaverat, ut Chriſtiana religio in Perſide magnis incrementis aucta eſſet. Quocirca legendi Socrates lib. 7. cap. 8. Theodoretus lib. 5. cap. 39. Theophanes quoque ad an- C num 6. Theodoſii Jun. Imp. Ejus acta in Nitriæ monaſterio Syrorum Syriaca exſtare Aſſemanus teſtatur to. 1. Bibl. p. 181. Abdæ diſcipulus fuiſſe traditur Jaballaha, qui decimus-ſeptimus Catholicus ſub Iſdegerdis filiis ſedebat.

III. Barsumas.

Gregorius Bar-hebræus in Jeſuiabo Catholico trigeſimo-tertio particulam recitavit epiſtolæ *Barſumæ epiſcopi Suſæ* ad illum ſcriptæ, quum in Romanam ditionem ad Heraclium Imp. ſanciendæ pacis cauſa profectus eſſet. *Niſi tria eccleſiæ lumina* (aiebat Barſumas) *Diodorum, Theodorum & Neſtorium damnaviſſes, & vocem,* Dei genitrix Maria, *protuliſſes, minime tibi Romani permiſiſſent ut liturgiam ad eorum altaria celebrares. Ecquam defenſionem ad eos affers quibus praes, & quorum ſedem occupas!* Quæ hominem Neſtorianæ hæreſi addictiſſimum produnt. *Tom. 2. Bibl. p. 417.*

IV. Isaac.

Ex Aſſemano to. 2. Bibl. p. 422. Joannes I. Catholicus una cum *Iſaac* Suſæ epiſcopo monaſticam vitam coluerat. Vixit igitur anno 680.

V. Jesuiab.

Anno Græcorum 1204. Chriſti 893. *Jeſuiab* ex epiſcopo Suſæ metropolita Holouan factus eſt à Joanne III. Catholico. *Bibl. to. 2. p. 440.*

VI. Jaballaha.

Promotioni Machichæ II. Catholici ſeptuageſimi-ſeptimi adfuit *Jaballaha epiſcopus Sus.* Ib. p. 455.

VII. Joannes.

Ejuſdem Machichæ exequiis, ac Denhæ ſucceſſoris illius & Jaballahæ III. Catholicorum promotionibus adfuit *Joannes epiſcopus Sus.* Sedebat itaque anno 1265. ad 1282. *Ibid. p. 455. 456.*

IV. ECCLESIA AHWAZ.

PErperam *Ahwaz* civitas pro Suſis à quibuſdam ſumitur. *Ahwaz* Syris *Huz* dicitur, eoque nomine, & Suſianæ ſeu Chuziſtanæ regio, & civitas quæ illius caput eſt ſignificatur. Nubienſi ſive ejus interpreti Latino p. 120. Ahwaz urbs ipſa Hormoz dicitur. Cæterum hodie vaſtata ſoloque æquata eſt.

EPISCOPI AHWAZ.

I. * * *

S. Barbaſinas Seleuciæ epiſcopus & Martyr D à Sapore rege in civitate Ledan necatus, ab *epiſcopo Ahwaz* ſepultus legitur in catalogo Catholicorum Orientis.

II. Abdas.

De *S. Abda* modo dixi in eccleſia Sus, iſque totius regionis Ahwaz, ſive Huzzitarum epiſcopus habitus eſt, ut fert Aſſemanus pag. 401. Ebedjeſus Sobenſis in catalogo ſcriptorum Syrorum Joannem Garmachitam laudat, qui ſcripſit *capita de lectione ſcientiarum & inſtructione tyronum, breve chronicon, & hiſtoriam Mar-Cabdæ* (lege Abdæ) *Huzzitæ.*

III. Josach.

Silam Catholicum vigeſimum-quartum tradunt multo honore habitum propter *Joſach* epiſcopum Ahwaz, ſive Huzzitarum, quem Mares Abdjeſum nominat, per quem Cavades rex ejuſque filia à morbis curati erant. Seleucienſi eccleſia in duas factiones ſciſſa, Narſe & Elizæo de primatu contendentibus, Joſach Narſi præ altero favebat. Sedebat Joſach ſive Borach Babæo II. Catholico Silæ prædeceſſore ac deinceps. *Vid. to. 2. Bibl. p. 409.*

IV. Paulus.

Narſe illo mortuo, & Elizæo à communione amoto, epiſcopi Catholicum elegerunt *Paulum* epiſcopum Ahwaz vel Huzzitarum,

ECCLESIA AHWAZ.

Joſachi quondam archidiaconum, quem A Mares Neſtorianus ait ab Ahwazenſi ſede ad Gondiſaporenſem prius fuiſſe tranſlatum. *Ib. p. 411.*

V. JOSUE.

Anno 840. Huzzitarum eccleſiæ præerat *Joſue*, qui & Maranzacha, è cœnobio Mar-Abæ aſſumptus, ut fertur in hiſtoria monaſtica Thomæ Maragenſis, *lib. 4. cap. 20. to. 3. Bibl. Orient. p. 489.*

VI. MICHAEL.

Abraham II. Catholico defuncto, Joannes Damaſci metropolita electus eſt qui ei ſuccederet, qui ipſa Dominica Paſchæ adveniens, intra miſſarum ſolennia morbo correptus obiit. Ei ſtatim ſuffectus eſt *Michaël epiſcopus Ahwaz* vir doctus, qui paucis diebus in vivis ſuperſtes fuit. *Vide to. 2. Bibliotheca Orient. p. 436.*

V. ECCLESIA TOSTAR.

Secunda civitas epiſcopalis ſub Gondiſapore in notitia cenſetur *Teſra*, ſive *Teſtar* vel *Toſtar*, Nubienſi, aliiſque notiſſima, in regione Ahwaz poſita, unaque ſtatione longa Gondiſapore diſtans. Ibi aquæductus viſitur à Sapore rege ſtructus, quo magnam aquarum copiam è vicino flumine, cui Toſtar perinde nomen, urbi ſuppeditavit. Ab indigenis *Chocheſter* vulgo appellatur, *Suſter*, aut Suſaſtra in libris Syriacis.

EPISCOPI TOSTAR.

I. PHUSES.

Simeon Beth-Arſamenſis in epiſtola de Neſtorianorum hæreſi, ubi Neſtorianos ſcholæ Edeſſenæ alumnos à Zenone Imp. ejectos commemorat, qui in Perſidem migravere, Phuſem Curtæum ait *Suſtræ quæ Huzzitarum, ſive Ahwaz civitas eſt, datum epiſcopum fuiſſe.* To. 1. Bibl. Orient. p. 353.

II. ABRAHAM I.

III. GEORGIUS.

Circa annum 655. Perſidis metropolita, C omniſque ejus provincia Seleucienſis ſedis auctoritatem & ordinationem prorſus abjecerunt, ad quos ſaniori mente imbuendos Jeſuiab III. Catholicus epiſcopos duos delegavit, Theodorum Hormuzdadſciri & *Georgium* Suſaſtræ. *Vid. to. 3. Bibl. Or. p. 133.*

IV. ABRAHAM II.

V. GREGORIUS.

VI. ABRAHAM III.

In catalogo Ebedjeſu inter Neſtorianos D ſcriptores cenſetur *Gregorius Suſaſtræ*, qui libros edidit adverſus religiones falſas, hiſtoriam *Abrahami Suſtræ*, hiſtoriæ eccleſiaſticæ volumen, & alia. Hos doctiſſimus Renaudotius epiſcopos fuiſſe cenſet urbis *Suſter*, ſive B *Toſtar* in Perſide. Enim vero Aſſemano to. 3. Bibl. Or. part. 1. p. 228. *Gregorius Suſtræ* Perſarum urbis epiſcopus ſub Jacobo Catholico anno circiter 770. claruit; *qui ſermones quoque paracleticos cum interpretationibus ſcripſit; hiſtoriam itidem Abrahami Suſtrenſis, librum hiſtoriæ eccleſiaſticæ, de cauſis feſtorum, & canticum quod incipit, Parati eſtote in operibus veſtris.* Præter iſtum Abrahamum *Suſtræ* ſive [illegible] *Teſræ*, anno ſubinde 852. ſedem eamdem obtinebat *Abraham* alter, qui Abraham Margenſi Catholico defuncto, moxque Joanne metropolita Damaſci qui ejus in locum ſuffectus fuerat, apoplexia correpto, itemque rurſum ſquinancia Michaële Ahwazenſi, ſucceſſor illorum deſignatus fuit vir doctus, ejus electionem procurantibus Abrahamo filio Noë Anbarenſi & Othmano Saïdi filio ærarii præfecto, ſed ſquinancia perinde prius interierat quam electionis ſuæ nuntium acciperet. *To. 3. Bibl. Or. p. 1. p. 211.*

VII. HANANJESUS.

Sub Elia II. Catholico, anno Græc. 1422. Chriſti 1111. claruit ex Amro *Hananjeſus epiſcopus Toſter*, ſic enim legendum monet Aſſemanus, non Beſtadaræ. Quod nomen amanuenſis vitio obrepſiſſe in codice ſuſpicatur. *To. 3. Bibl. Or. p. 2. p. 782.*

VI. ECCLESIA MAHARGANCANDUK.

Quintus quidem Gondiſaporenſis provinciæ epiſcopatus Mahargancanduk in notitia dicitur, ſed cujus nulla alias uſquam mihi occurrit mentio, nulliuſque proinde ejuſdem urbis epiſcopi.

Digitized by Google

III. PROVINCIA NISIBENSIS.

I. ECCLESIA NISIBIS METROPOLIS.

DE Niſibi in ipſamet Antiochena diœceſi jam dictum, ubi de epiſcopatibus Meſopotamiæ Amidenſi metropolitæ obnoxiis; quippe quorum Niſibenſis unus fuit, quamdiu Romanæ ditionis fuit, quin & deinceps forſan ad tempora uſque Zenonis Imp. quibus Neſtoriana hæreſis in Perſidem ſeſe recepit. Quamobrem hujus urbis antiſtites hic numerare incipiam ab ea circiter ætate qua metropoliticis juribus aliiſque honoribus à Catholico Seleucienſi augeri cœpit, erectaque ibi ſchola eſt, quæ Neſtorianæ inſtar arcis evaſit. Cujus ſcholæ primi duces fuerunt Barſumas & Narſes, qui Neſtorii impietatem in Chaldæa Babuæo 21. Catholico propagaverunt.

EPISCOPI NISIBIS.

I. Barsumas.

PRimus utique Niſibenæ ſcholæ Neſtorianus magiſter fuit *Barſumas,* qui ſubinde ejuſdem urbis epiſcopatum obtinuit, vir non Neſtoriano ſolum errore impius, ſed corruptiſſimis quoque moribus famoſus, qui apud ſuos etiam deinceps peſſime audivit. Sub Babuæo & Acacio Catholicis, nec-non Pheroze & Cavade Perſarum regibus, hunc ſediſſe aiunt. Auctor hic apud ſuos polygamiæ fuit, utque ſacerdotes & epiſcopi uxores publice ducerent, quum ipſe ſibi Mammæam ſanctimonialem ſacrilego connubio copulaſſet. Quem perverſum morem Babuæus Catholicus fruſtra tunc abrogare tentavit, quum epiſcopi Trans-Tigritanarum regionum admodum urgerent, ne illam in Oriente graſſari permitteret. Quidam aiunt Barſumam ea apud Pherozem regem polluiſſe auctoritate, ut ejus nutu innumeri homines interempti ſint, iique maxime qui Romanorum religionem Neſtorianæ adverſariam colerent. Addunt aliqui, inprimiſque Simeon Beth-Arſamenſis, Babuæum ipſum, eo ſuggerente, Pherozis juſſu morti datum eſſe; cujus tamen facinoris invidiam Amrus Neſtorianus transferre maluit in Gabriëlem quemdam medicum qui Monophyſitarum hæreſim amplexus erat. Cæterum Barſumam neci Catholici anſam præbuiſſe ſignificat, intercepta Babuæi epiſtola, qua veterem adverſus ſacerdotum & monachorum conjugia diſciplinam apud ſuos Orientales ſancire proponebat. Barſumas igitur eruditionis & facundiæ cauſa inter

A Pherozis & Cavadis regum Perſarum familiares præcipuus fuit, cui Niſibis vicinarumque circa regionum Romanorum ditioni vicinarum præfecturam commiſerunt. Leontius monachus, in erudito opere quod adverſus ſui temporis Neſtorianos ſcripſit, Barſumæ hujus doctrinam paucis hiſce verbis perſtrinxit: *Diſcipulus tuus* (Theodori ſcilicet Mopſueſteni) *Barſumas,* inquit, *qui Perſarum eccleſiam male inſtituit dogmatis impietatis, indifferenti vitæ agendi ratione; qui lege ſancivit, neminem è clero, nedum è laïcis, à lecto* B *legitimo, quin nec à polygamia abſtinere, ebrietates & comeſſationes Dei dona eſſe cenſet.* Acacius Catholicus à Perſarum rege ad Romanum Imp. delegatus, graviter ab Occidentis, Antiochenæ ſcilicet & Byzantinæ diœceſis epiſcopis reprehenſus fuit, quod ſacrilegi Barſumæ flagitia diſſimularet, pollicituſque eſt hominem à ſe demum ad ordinem redactum iri, ubi primum in patriam reverſus eſſet. De hoc Niſibenſi nefario antiſtite legendus Eutychius Alexandrinus, *to. 2. Annal. pag. 12.* inprimis vero Simeon C Beth-Arſamenſis *to. 1. Bibl. Orient. p. 346.* quæque de eo itidem refert Aſſemanus *to. 2. p. 403. & ſeqq.* ubi hoc etiam narrat eum à montis Abdini (Tur-Abdin) ſanctimonialibus interfectum, quum eccleſiam ipſarum ingreſſus eſſet.

II. Hosee.

Barſumæ ſedis & impietatis ſucceſſor fuit *Hoſee,* quem Mares & Amrus *Elizah* vel *Elizæum* nominant, qui Niſibenæ ſcholæ

dux & magiſter fuerat. *Vid. to. 2. Bibl. Or. p. 407.*

ECCLESIA NISIBIS.

III. ACHADABUES.

Aſſemanus *to. 3. Bibl. Or. part. 1. p. 82. & to. 3. part. 2. p. 928.* ex libro canonum eccleſiæ Orientalis canones appellat 21. Hanani de ſchola Niſibena, qui temporibus *Achadabuæ* metropolitæ Niſibis editi fuere boni ſcholarum regiminis cauſa. Quumque Niſibis metropolitas eodem to. 3. p. 768. recenſuerit, in eorumdem ſerie addendum monet Achadabuem inter Hoſee & Giavarum.

IV. GIAVARUS.

Amrus Neſtorianus ſcribit Narſem Elizæi Catholici æmulum Seleuciæ perinde Catholicum ab una factione electum, à *Giavaro* Niſibeno epiſcopo ordinatum eſſe, quo circiter tempore Zamaſphes Pherozis filius Cavadem regno dejecerat.

V. * * *

Juſtino II. Imp. *Niſibis epiſcopus*, cujus nomen tacetur, Gregorii Antiocheni archiepiſcopi amicitiam colebat, quem certiorem faciebat conſiliorum Perſarum, quum illorum erga chriſtianos ſævitiam deteſtaretur, & magnopere cuperet urbem ſuam in Romanorum poteſtatem redire. *Evagrius lib. 5. hiſt. eccl. cap. 9.*

VI. PAULUS.

Inter diſcipulos Mar-Abæ Catholici vigeſimi-ſeptimi cenſetur *Paulus* metropolita Niſibis, de quo Ebedjeſus Sobenſis in catalogo Syrorum, quem vixiſſe aiunt Juſtiniano Imp. (imo forte Juſtino II.) quicum diſputationem habuit, quæ Arabico idiomate in Oriente conſervatur. Adfuit ſynodo quam Joſephus Mar-Abæ ſucceſſor indixit, in qua de ſedium ordine ſtatutum eſt, & Niſibenſis demum ſecundas obtinuit. Sedebat Joſephus ab anno 552. ad 564. *Vid. Bibl. Or. to. 2. p. 412. to. 3. part. 1. p. 87.*

VII. BACCHUS.

Ezechiël Catholicus cum Coſroë II. Perſarum rege Niſibim petiiſſet, obviam habuit *Bacchus* hujus epiſcopum, à quo pro concione laudatus eſt.

VIII. GREGORIUS.

Sub Sebarjeſu I. Catholico *Gregorius* Caſcaræ primum epiſcopus Niſibenſis metropolita factus eſt, illoque defuncto Coſroes magnus II. Perſarum rex eum in Catholicum promoveri voluit, quod tamen pro votis illius non ſucceſſit, electo Gregorio altero patria Caſcarenſi; inde Coſroës ſæviendi in Chriſtianos occaſionem ſumpſit. *To. 2. Bibl. Or. pag. 416.*

IX. CYRIACUS.

Ex Thoma Maragenſi l. 2. hiſt. c. 4. Siroës Perſarum rex in ditionem Romanorum Jeſuiabum II. Patriarcham delegavit, pacis pangendæ cauſa, cui ſocios epiſcopos alios adjunxit, quorum unus fuit *Cyriacus* epiſcopus Niſibis. *To. 3. Bibl. Or. p. 105.*

X. GURIAS.

B Jeſuiabus Moſulanus metropolita & poſtmodum tertius hujus nominis Catholicus, diverſas ſcripſit epiſtolas nondum ad Catholici thronum evectus, quas recenſet Aſſemanus *to. 3. Bibl. Orient. p. 1. & 142.* Harum numero octava *Guriæ* inſcribitur epiſcopo (fortaſſe Niſibis, inquit Aſſemanus) in qua queritur quod epiſtolam ſine inſcriptione auctoris ad ipſum ſcripſerit, & quod Niſibi ſynodum habuerit canoneſque pro libitu ſuo condiderit.

XI. ISAAC.

C Jeſuiab III. Catholico morienti aderat cum epiſcopis quibuſdam aliis *Iſaac* metropolita Niſibis anno Græcorum 971. Chriſti 660. inquit Amrus. Verum Thomas Maragenſis Georgium ſucceſſorem ejus ab eodem Jeſuiabo ordinatum prodit; Iſaac igitur ante Jeſuiabum diem clauſerat extremum. Idem Jeſuiab quum metropolita Adiabenus eſſet, litteras Iſaaco Niſibis epiſcopo ſcripſerat, & rurſum poſtquam Catholici dignitatem adeptus eſt. *To. 2. Bibl. Or. p. 420. 493.*

XII. GEORGIUS I.

D Ex hiſtoria itaque monaſtica Thomæ Maragenſis lib. 2. c. 12. Jeſuiab III. Catholicus *Georgium* ordinavit Niſibis metropolitam, auctorem hymni de dedicatiome eccleſiæ; cujus initium, *laus miſerationibus, Chriſte rex noſter, Fili Dei, ab omnibus adorande, &c.* Idem Thomas Georgii manſuetudinem commendavit Catholici, qui Georgium Niſibenum adiit, ut cum ſibi conciliaret, quum ille indigne ferret ſe minime fuiſſe in Catholicum E promotum. *Bibl. Or. to. 2. p. 421. & 493.*

XIII. JOANNES I.

Hananjeſus I. anno Chr. 686. Catholicus renuntiatus, adverſarios multos expertus eſt, in primis *Joannem*, cui Leproſo cognomen, metropolitam Niſibis, & Jeſuiab Baſſorenſem quem in carcerem truſit. Joannes vero à Saraceno principe obtinuit, ut Hananjeſus ſede pelleretur, quam ipſe ſubinde annum unum, decemque menſes tenuit. *Ibid. p. 423.*

Digitized by Google

XIV. Camjesus.

XV. Sebarjesus I.

Idem Catholicus Hananjeſus Joanni *Camjeſum* Niſibi ſubrogavit virum pium & inſignem, cui poſt quadrageſimum diem exſtincto *Sebarjeſum* ſuffecit, qui multos annos ſedit. Nam Salibazacha Catholicus trigeſimus-nonus, anno Græcorum 1025. Chriſti 714. electus eſt opera Sebarjeſu Niſibenſis metropolitæ. *Ibid. p. 430.*

XVI. Rusbahaman.

A Salibazacha Catholico *Ruſbahaman* archimandrita S. Georgii promotus fuit in metropolitam Niſibis, quam eccleſiam annos duodecim geſſit, templa exſtruxit, ſcientiæ quidem exiguæ præſul, ſed eximiæ in pauperes beneficentiæ. In ſchola Baſſadæ ſepultus fuit.

XVII. Surinus.

Niſibis, deinde Holouanæ, metropolita priùs fuerat *Surinus* quam in Catholicum quadrageſimum-ſecundum promoveretur anno Chriſti 754. *To. 2. Bibl. p. 431.*

XVIII. Cyprianus.

Jacobo II. Catholico, Niſibi ſedebat *Cyprianus* metropolita, de quo hæc narrant, ſcilicet Iſam filium Selahafæ medicum à Sultano Almanſor Neſtorianæ eccleſiæ præpoſitum, eo uſque inſaniviſſe, ut epiſcopos adigeret, ut ſibi mitterent quam vocant *benedictionem*, ſive munera. Quod Cypriano, ut aliis, mandavit, jubens quoque ut ad ſe veniret, quando ea ipſe poteſtate pollebat, ut in manu ſua Califæ vitam teneret. Cyprianus vero hominis proterviam deteſtans, epiſtolam ad Califam ferri curavit. Quam quum medicus à ſe ſcriptam inficiaretur, facile convictus fuit, atque adeo in Indiam eſt relegatus. Quæ Mares recitat, nec-non Gregorius Bar-hebræus, Abulfaragius in hiſtoria p. 140. Georgio Jacobitarum, Theodoreto Græcorum, & Jacobo Neſtorianorum Patriarchis ob diverſas accuſationes in vincula conjectis, hos Cyprianus liberari curavit, oſtenſis Califæ Iſami litteris. Niſibi eccleſiam quæ Jacobitis ablata erat, reddidit, quum eorum Maphrianus Paulus aliam quoque Tacriti à Neſtorianis exſtrui permiſiſſet. *Ibid. p. 432.* In cod. Amidenſi Syriaco XI. nunc Vaticano habentur ritus ordinandi diaconi, preſbyteri, epiſcopi & Catholici, pro traditione Mar-Abæ Baſſorenſis & Cypriani Niſibis.

XIX. Joannes II.

Sebarjeſus II. Catholicus quadrageſimus-octavus epiſcopus primùm fuerat Harran, à Joanne Niſibenſi metropolita conſecratus. *Ib. p. 435.*

XX. Sergius.

Ordinationi Theodoſii Catholici aderat cum metropolitis aliis *Sergius* Niſibenſis, qui ſubinde Motawacelo Califæ Damaſcum eunti flores, cibaria & tentoria paravit, his officiis Mohammedanum principem erga Chriſtianos male affectum demulcens. Theodoſio mortuo Catholicus renuntiatus fuit, juxta atque à Califa deſtinatum fuerat.

B

XXI. Cajumas.

XXII. Joannes III.

XXIII. Cajumas *ſecundo.*

Sergius Catholicus quinquageſimus-primus *Cajumam* Niſibis epiſcopum ordinavit; qui tamen paulo-poſt exauctoratus fuit, eique ſuffectus *Joannes* Tirhanæ. *Bibl. Or. to. 2. p. 439.*

Poſt obitum Enos Catholici qui Sergio ſucceſſit, quum multi *Joannem II.* filium Narſetis elegiſſent, ordinationi ejus adfuit *Cajumas* Niſibenſis. Quo conſpecto, quia ſede
C amotus erat, plebs adeo furenti impetu in ipſum ruit, ut pars muri in terram dejecta ſit. Cæterum Joannes Cajumam abſolvit ſuæque dignitati reſtituit. Ita Mares, *& to. 2. p. 439.*

XXIV. *** XXV. *** XXVI. ***

Abraham III. Catholicus quinquageſimus-ſextus, qui dignitatem hanc ſimonia comparaverat, epiſcopatum perinde Niſibenſem tertia vice vendidit, duobus ex illis qui emerant brevi tempore exſtinctis, primo ſcilicet Moſulæ, ſecundo Bagdadi; tertius vero ali-
D quamdiu eam ſedem obtinuit. Mares, *& ibid. p. 441.*

XXVII. Jaballaha I.

Mares II. Catholicus *Jaballaham* epiſcopum Maaltæ Niſibim tranſtulit. *Ib. p. 443.*

XXVIII. Elias I.

Jeſuiab IV. Catholico, claruit *Elias* cognomento Barſinæus metropolita Niſibenſis, qui circa poſtrema illius vitæ tempora collationem habuit cum Abulcaſimo Hure Mogrebitam Viziro de religione Chriſtiana, quem rationi-
E bus ex philoſophia ductis ſeptem ſeſſionibus confutavit, librum quoque ſcripſit de ponderibus & menſuris. Hic quum à Catholico Elia I. neſcio quibus de cauſis diffideret, ab eo ſcriptis litteris ad concordiam invitatus eſt, habitoque Hazzæ mutuo colloquio reconciliati ambo fuerunt. *Ibid. p. 447.*

XXIX. Ebedjesus.

Sebarjeſus III. Catholicus in gratiam *Ebedjeſu* Aredi filii metropolitæ Niſibis ſanxit, ut

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

ECCLESIA NISIBIS.

Niſibenus metropolita in electione Patriarchæ ſuffragium haberet, quo ante jure minime potiebatur, à temporibus ſcilicet impii illius Barſumæ Niſibenſis, de quo primo loco à nobis dictum eſt. Atqui Ebedjeſus anno Græcorum 1386. Chriſti 1075. in Catholicum promotus fuit. *Ibid. p. 447. 448.* Hic utique eſt ille *Ebedjeſus Bar-Bracha* Sobenſis, ſive Niſibenſis epiſcopus, cui liturgiæ nonnullæ tribui ſolent. *Ibid. p. 583.*

XXX. Sebarjesus II.

Promotioni Eliæ II. Catholici aderat *Sebarjeſus* metropolita Niſibis, eique manum impoſuit anno Græcorum 1422. Chr. 1111. *To. 2. Bibl. p. 449.*

XXXI. Joannes IV.

Barſumæ Catholico poſt Eliæ obitum *Joannes* metropolita Niſibis manum impoſuit anno 1134. ac ſubinde illius ſucceſſori Ebedjeſu IV. anno 1138. *Ibid. p. 450.*

XXXII. Georgius II.
XXXIII. Ebn-Gemad.
XXXIV. Joannes V.

Ebedjeſus IV. Catholicus *Georgium* epiſcopum Arzenroum tranſtulit ad metropolim Niſibenſem: eoque poſt biennium exſtincto, *Ebn-Gemad* ab eodem Catholico ordinatus fuit; quin etiam *Joannes* Ebn-Betila conſobrinus ipſius, ut Mares Neſtorianus prodit.

XXXV. Elias II.

Anno Græcorum 1487. Chriſti 1176. *Elias II.* Niſibenſis metropolita, qui Neſtorianæ eccleſiæ Hieroſolymitanæ antea epiſcopus fuerat, vulgo dictus *Abu-Halim* & Ebedjeſu Sobenſi teſte, *Bar-Sçania,* in Catholicum promotus fuit. Vir apud ſuos eruditione inſignis, cujus multæ homiliæ Arabico ſermone exſtant in variis Bibliothecis. Harum unam in natalem Domini Erpenius Arabicè Latinèque edidit ad calcem Grammaticæ ſuæ Arabicæ. Hujus meminit Abraham Ecchellenſis in fine libri ſui *de origine nominis Papæ,* neque vero illum ſatis ſecernit ab Elia altero, de quo dictum eſt, Eliæ Niſibenſi aſſignans illam cum Viziro diſputationem, quæ Aſſemano & Naïrono in Evoplia pag. 6. teſtibus non ſæculo duodecimo circa annum 1170. ſed ſæculo undecimo anno circiter 1049. habita eſt. Ex catalogo Ebedjeſu annales quoque ſcripſit, grammaticas inſtitutiones, & quatuor libros continentes judiciorum eccleſiaſticorum deciſiones, & epiſtolas varias Syriaco idiomate & Arabico.

XXXVI. Jaballaha II.

Elias iſte Catholicus Niſibenſi metropoli præfecit *Jaballaham* epiſcopum Mardis, ac certe Maïpherakin, qui anno Chriſti 1190. Catholicus quoque creatus fuit. *To. 2. Bibl. Or. p. 450. 452.*

XXXVII. Jesuiab I.

Promotioni Sebarjeſu IV. qui Jaballahæ proxime ſucceſſit, præſens aderat *Jeſuiab* filius Malchon vel Malcoum metropolita Niſibis anno 1220. Vir fuit inter Neſtorianæ ſectæ ſcriptores inſignis, ait doctiſſimus Renaudotius, ſcripſitque expoſitionem fidei quam recentiori manu exaratam in codice Colbertino reperimus, quo continetur opus Theologicum Amron F. Matthæi. Ea vero confeſſio ad ſententiam Catholicam magis accedit, quam ulla alia; &, quod ſatis mirum eſt, ejus antiquam verſionem ex codice Vaticano dedit vir pereruditus Lucas Wadingus in annalibus Minorum, ſed quæ nomen *Critoaib archiepiſcopi de Naſabin* inſcriptum refert to. 1. p. 685. ad annum 1247. Eam ſane ſuſpectam habere potuiſſemus, niſi inter paginas libri minime ſuſpecti reperta fuiſſet. Meminit hujus Jeſuiabi hiſtoria Catholicorum, quæ eum cognominatum fuiſſe *filium Malcoum* teſtatur, adfuiſſeque inter alios metropolitas ordinationi Sebarjeſu ſeptuageſimi-quinti Catholici, qui ordinatus fuit poſt annum 1215. quo Jaballaha deceſſor ejus obiit. Atqui non Wadingus modo, ſed Odericus quoque Raynaldus expoſitionem illam fidei archiepiſcopi, ſive metropolitæ Niſibenſis recitat ad eumdem annum 1247. uti miſſam Innocentio Papæ IV. ab Andrea Prædicatorum ordinis alumno, cui cognomen, ut ex Bzovio diſcimus, *de Longuimello* erat, adeoque Gallo de territorii Pariſienſis vico *de Longumeau.* At initio confeſſionis apud Raynaldum, non *Critoaib,* ſed *Enſtaib* nominatur, altero librariorum Latinorum errore; quando ex Colbertino codice Arabico jam conſtat ejus verum nomen *Jeſuiab* fuiſſe. Quum autem ejus confeſſio ad Catholicam ſententiam propius accedere viro perdocto viſa ſit, non tamen mihi in totum à Neſtoriana impietate diſcrepat. Nam auctor Mariam Virginem *Deiparam* pronuntiare cavet, ſolo *Chriſtiparæ* vocabulo retento. Atqui anno 1233. Patriarchalis ſedis adminiſtrator erat ex nota codicis alterius Amidenſis. *To. 2. Bibl. Or. p. 581.*

XXXVIII. Machicha.

Poſt Sebarjeſum V. *Machicha* ex Gingabad Niſibenæ ditionis oriundus, metropolita quoque Niſibis quum eſſet, in Catholicum evectus eſt anno Græc. 1568. Chriſti 1257.

XXXIX. Jesuzacha.

Niſibis metropolita *Jeſuzacha* anno 1593.

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti 1282. adfuit electioni Jaballahæ Catholici ſeptuageſimi-noni. *To. 2. p. 456.*

XL. Ebedjesus.

Sub eodem Catholico Jaballaha claruit apud Neſtorianos *Ebedjeſus* metropolita Sobenſis, ſive Niſibenſis & Armeniæ, ſcriptorum Syrorum catalogi auctor, qui eidem Jaballahæ librum *Margaritarum* nuncupavit. *Ibid.*

A Anno 1318. ſedebat in concilio Timothei II. Catholici. *To. 3. p. 341.*

XLI. Jejuiab II.

Ex nota chronologica codicis Amidenſis 7. nunc Vaticani, die 2. Julii anno Græcorum 1871. Chriſti 1560. ſedebat *Jeſuiab metropolita Niſibis, Armeniæ & Mardæ.* To. 1. Bibl. Orient. p. 583.

II. ECCLESIA BALADÆ.

GOLIUS in notis ad Alfraganum quinque oppida numerat, quibus Baladæ nomen inditum fuit, quod Arabicè regionem ſignificat. Primum exiſtit, inquit, in Diar-Rabia, Meſopotamiæ regione, ad Occidentale Tigris latus, in campo Bekiao, qui Niſibim ducit, ſex ſeptem-ve paraſangis ab urbe Moſul diſtans Septemtrionem versùs, cujus meminit Nubienſis. Aliud jacet in tractu fluvii Dogiail ſupra Bagdadum circa Sametram, ubi in Tigrim influit. Tertium inter Axum fluvium & Samarcandam *Neſet* appellatum. Quartum inter Iſpaham & Hamedan, quod *Kerugi* dictum fuit. Quibus quintum addunt *Merumrada* vocatum. Sed de priore Balada hic ſermo eſt, ut-pote Niſibi metropoli vicina.

EPISCOPI BALADÆ.

I. Jesuiab.

THOMAS Maragenſis lib. 1. hiſt monaſt. cap. 13. epiſtolam laudat *Jeſuiab epiſcopi Baladæ*, qui poſthac Catholicus fuit, ad Jacobum monaſterii Beth-Abe fundatorem. Vivebat ſub Coſroë rege Hormiſdæ filio, qui regnare cœpit anno 592. & ſub Siroë ejus filio Catholici dignitatem adeptus eſt.

II. Sebarjesus I.

Ab Hananjeſu I. Catholico *Sebarjeſus* C *epiſcopus Baladæ* ad metropolim Niſibenſem promotus eſt, Joanne I. utique metropolita defuncto; cui ſuffectus fuerat Camjeſus quadrageſimo poſtea die extinctus.

III. Cyriacus.

Timotheus I. Patriarcha *Cyriacum* monaſterii Beth-Abe archimandritam, epiſcopum Baladæ ordinavit, ex Thoma Maragenſi qui lib. 4. hiſt. cap. 15. & deinceps inſignia ejus geſta deſcripſit, eum uti ſanctum & miraculis D clarum prædicans. *To. 2. Bibl. p. 495. to. 3. p. 487.*

IV. Elias.

Mares II. Catholicus epiſcopum Baladæ *Eliam* ad Bardaæ metropolim tranſtulit. *To. 2. Bibl. Or. p. 443.*

V. Sebarjesus II.

Ordinationi Ebedjeſu III. Catholici ſexageſimi-ſeptimi aderat *Sebarjeſus epiſcopus Baladæ*, quem ille ad metropolim Gondiſa-

B poris poſtea tranſtulit. *Amrus in vita Ebedjeſu Aredi.*

VI. * * *

Elias II. Catholicus *Epiſcopum Baladæ*, cujus nomen omiſſum eſt, ad ſedem Urmiæ tranſtulit. *To. 2. Bibl. Or. p. 449.*

VII. * * *

Ordinationi Barſumæ Catholici ſeptuageſimi aderat *Epiſcopus Baladæ.*

VIII. Jacobus I.

Sub Elia III. Catholico anno 1176. Baladenſibus præerat *Jacobus* epiſcopus, *ex Amro in vita Eliæ III.*

IX. Simeon I.

Electioni Jaballahæ III. Catholici ejuſque ordinationi interfuit *Simeon Baladæ epiſcopus, Bibl. Or. to. 2. p. 456.*

X. Jacobus II.

Anno Græcorum 1598. Chriſti 1287. ſedebat *Jacobus* Moſulanus *Al-Bahari* id eſt nautæ filius, Baladæ epiſcopus, qui, quum ſub Jaballaha III. Catholico viveret, teſtis fuit duorum miraculorum quæ illo anno contigere. *To. 3. Bibl. Orient. p. 557.*

XI. Simeon II.

Concilio Timothei II. Catholici anno 1318. adfuit *Simeon epiſcopus Baladæ*, ejuſque decretis ſuffragatus eſt. *Ibid. p. 341.*

Digitized by Google

III. ECCLESIA BAKERDÆ *vel* GEZIRÆ.

IN tabula diœceſis Chaldaïcæ Eliæ Damaſceni, *Bakerda* ſecundus eſt epiſcopatus ſub metropolita Niſibis; eaque Aſſemano eadem eſt ac *Cardu* ſive *Cardoa* inſula, quæ & Beth-Zabde, & Zabdæa ſimpliciori voce dicta eſt, à qua Zabdicene regio vicina nuncupatur. Ex voce Syriaca *Gozarta,* quæ inſulam ſignificat, Arabibus dicitur *Gezira.* Inſula eſt Tigridis fluvii, duodecim circiter millibus ſupra Moſul poſita. Ejus epiſcopus, qui Geziræ & Gozartæ vulgo appellatur, archiepiſcopi titulo ſequiori ætate donatus fuit.

EPISCOPI BAKERDÆ *vel* GEZIRÆ.

I. Heliodorus.

II. Dausas.

ANno 23. perſequutionis Saporis Perſarum regis, ejuſdem Saporis 53. expugnato Zebedæo Romanorum caſtro, novem circiter millia virorum & mulierum in Perſidem abducta ſunt, quos inter *epiſcopus loci Heliodorus* & Dauſa atque Mediab preſbyteri, & diaconus Ebedjeſus. Heliodorus in pago Stacarta graviter decumbens *Dauſam* impoſita manu epiſcopum ordinat, ſtatimque moritur; Dauſas vero Mariabum chorepiſcopum deſignat. Illa captivorum turma in varias Perſidis urbes diſtributa, Dauſas cum Mariabo chorepiſcopo & Ebedjeſu diacono, aliiſque ducentis & nonaginta ſeptem viris ac mulieribus ad montem Maſebdanum in pago Gapheta relegantur, ubi ab Adarpharo præfecto multiplici ſupplicio affecti, gladio tandem cæſi ſunt, præter viros ac mulieres vigintiquinque, qui, adorato ſole, mortem evaſere. Sozomenus *lib. 2. hiſt. cap. 7.* martyres epiſcopos recenſens, qui in illa calamitate perempti ſunt, poſtremo loco Dauſam memorat, καὶ Δαύσας, ὃς δὴ αἰχμάλωτος γενόμενος ὑπὸ Περσῶν, ἀπὸ Ζαβδαίων χωρίου ὧδε προσαγορευομένου: *Dauſas quidem captivus à Perſis abductus fuerat ex loco quodam qui Zabdæus dicitur.* Vide tom. 1. Bibl. Orient. p. 192. ex hiſt. à S. Marutha Tagritenſi conſcripta.

III. Theodorus.

Joannes III. Catholicus circa annum 893. *Theodorum* Bakerdæ epiſcopum ad ſedem Gondiſaporenſem tranſtulit. *To. 2. Bibl. Or. p. 440.*

IV. * * *

Anno 3. Joannis VI. Catholici venit ad A eum *epiſcopus Gezira* Melchita utique, ſin forſan Jacobita, ut Neſtoriana doctrina inſtitueretur.

V. Jesuiab I.

Ordinationi Abdjeſu III. adfuit *Jeſuiab* epiſcopus Geziræ.

VI. * * *

Ita quoque *Gezira epiſcopus* aderat ordinationi Barſumæ Catholici.

VII. Jesuiab II.

B Gozartæ ſive inſulæ Zabdææ, ſeu Hirtæ, ut ſcribit Bar-hebræus, epiſcopus erat anno 1148. *Jeſuiab* Baladenſis, quando in Catholicum ſeptuageſimum-ſecundum promotus fuit. *To. 2. Bibl. Or. p. 450.*

VIII. Gabriel.

Anno Græcorum 1850. Chriſti 1539. *Gabriël* epiſcopus Zabdææ inſulæ ſedebat, ut fert nota codicis Syriaci Vaticani 1. qui Amida cum aliis advectus eſt, *apud Aſſemanum to. 1. Bibl. p. 581.*

C

IX. Ebedjesus.

Simeonis Sulacæ Chaldæorum Catholici, qui Romanam fidem ſæculo decimo-ſexto amplexus eſt, Romam uſque profectionem, ordinationem quam illic à Pontifice Romano accepit, & reditum in patriam heptaſyllabis verſibus Syriacis deſcripſit *Ebedjeſus* Gozartæ, ſive inſulæ Tigridis epiſcopus. *Ib. p. 537.*

X. Joseph.

Epiſtolæ Eliæ Catholici ad Paulum Papam V. an. 1616. ſubſcriptus legitur *Joſeph* archiepiſcopus inſulæ Zabdææ, quin & Bakerdæ. *Apud Petrum Strozzam p. 11.*

IV. ECCLESIA GESLUNÆ.

GESLUNA urbs fuit Baladæ vicina, &, ut augurari licet, provinciæ Niſibenſis; idem quippe aliquando Baladæ & Geſſunæ epiſcopus fuit. An-non vero ipſa eſt, quæ *Gilon* Nubienſi dicitur, amni *Zab* proxima?

Digitized by Google

EPISCOPI GESLUNÆ.

I. Machicha.

IN codice Syriaco eorum primo, qui ab A Innocentio Papa XIII. in Vaticanam Bibliothecam illati ſunt, legitur annotatio quædam *Machichæ* epiſcopi Geſſunæ. *To. 2. Bibl. Or. p. 486.*

II. Simeon.

Promotioni & ordinationi Jaballahæ III. Catholici aderat *Simeon* epiſcopus Baladæ & Geſſunæ; tunc igitur temporis unus erat utriuſque ſedis epiſcopus. *Ibid. p. 456.*

V. ECCLESIA ARZUN.

PRæter *Arzen-Roum,* ſive *Ezroum* Armeniæ urbem, alia *Arzen,* imo *Arzen-Roum,* quoque dicta extitit in Diar-Rabiæa Meſopotamiæ haud procul Niſibi, quam ipſam eſſe reor quæ in notitia diœceſis Chaldæorum & alibi *Arzun* ſcribitur, epiſcopatus tertius provinciæ Niſibenſis.

EPISCOPI ARZUN.

B

I. Jesuiab.

EZechieli Catholico defuncto ſuffectus fuit *Jeſuiab I.* qui apud Aſſemanum ex Barhebræo Arzunitidis epiſcopus fuiſſe dicitur *to. 2. Biblioth. Orient. p. 415.* Alii vero aiunt Baladæ, Mardis & Ninives, atque Niſibim tranſlatum.

II. Gabriel.

Quo tempore Joannes VI. Catholicus C electus fuit, ſedebat *Gabriël filius Elchemas* epiſcopus Arzenorum, ſive Arzun, qui dignitatem illam ſuæ ſectæ ſupremam prenſabat, ac cujus nomen in ſchedula ſcriptum fuit, ut aliorum qui competentes videbantur. Cæterum Joannes ſtatim à promotione ſua ad metropolim Moſul Gabriëlem tranſtulit. *Bibl. Orient. to. 2. p. 446.*

III. Georgius.

Abdjeſus Aredi filius Chaldæorum Catholicus *Georgium* Arzunæ epiſcopum ad Moſulenſem metropolim tranſtulit.

IV. * * *

Quum Barſumas ex Themanon epiſcopo in Catholicum electus eſt, anno 1134. *epiſcopum Arzunæ* inter alios ordinationi ejus adfuiſſe teſtatur Amrus.

V. Emmanuel.

Ordinationi Machichæ II. Catholici ſeptuageſimi-ſeptimi aderat *Emmanuël epiſcopus Arzun,* circa annum 1257.

VI. Simeon.

Anno 1282. ſedebat *Simeon Arzunæ epiſcopus,* qui promotioni Jaballahæ III. Catholici adfuit. *To. 2. Bibl. Or. p. 456.*

IV. PROVINCIA BASSORÆ.

I. ECCLESIA BASSORÆ METROPOLIS.

BASSORA vel *Baſra, Baſr,* quæ & *Maiſan* aut *Miſçan,* Euphratenſis regionis Chuziſtan nobilis, notiſſimaque civitas eſt, ad eum locum poſita ubi Tigris & Euphrates junguntur. Sub principibus Græcis Apamea nominata fuit Ammiano Marcellino teſte lib. 23. *Inter quas,* ait, *Apamea eminet Meſen cognominata.* Ibi præter Neſtorianæ ſectæ alumnos genus hominum quoddam habitat, qui Chriſtianorum nomen retinent, & *Chriſtiani S. Joannis* appellari amant, nihil vero Chriſtianæ doctrinæ retinent, ſed gentiles prorſus Manichæorum impietatibus imbuti, & *Sabii* dicuntur à Boullæo in Itinerario ſuo Gallico, in quo aliquot eorum ritus deſcribit. Hi plane ſunt quos Mohammedes laudat in Alcorano, tanquam unius Dei cultores, quippe qui idololatriæ rei non eſſent. Atqui Baſſora tertia metropolis eſt diœceſis Chaldæorum.

EPISCOPI BASSORÆ.

I. David.

PHAPHAS Catholicus ille impius de quo ſuo loco ſatis dictum eſt, anno Græc. 577. Chriſti 266. à *Davide Maiſanæ* ſive *Baſſoræ* epiſcopo, multis utique refragantibus eſt ordinatus. *Bibl. Or. to. 2. p. 397.*

II. Georgius I.

A Jeſuiab III. Catholico *Georgius* monachus ordinatus eſt metropolita Baſſoræ, quæ & Maiſena Euphratenſis; qui, quum indigne ferret Georgium ſive Gregorium in Catholicum eſſe promotum, in ipſum rebellavit. Hunc vero ſibi demum conciliavit opera Raban Codahuæ monaſterii Beth-Halenſis præfecti. *Ex hiſtoria monaſtica Thomæ Maragenſis lib. 2. cap. 13. & 14.*

III. Jesuiab.

Hananjeſus Catholicus trigeſimus-octavus, anno 997. Chriſti 686. electus & ordinatus, æmulos duos habuit *Jeſuiab* Boſtrenſem, ſeu Baſſorenſem metropolitam, & Joannem Niſibenum, ſed paulo-poſt Baſſorenſem ad ordinem redegit, poſtquam eum aliquandiu in carcere detinuerat. *To. 2. Bibl. Orient. pag. 423.*

IV. Surinus.

Catholicus quadrageſimus-ſecundus *Surinus,* ex dignitate quam datis Emiro muneribus adeptus erat, Saphahi Sultani opera, ad ordinem redactus, Baſſorenſi tamen eccleſiæ mox à Jacobo Catholico antiſtes renuntiatus eſt. Sed civibus ſuis inviſus factus, carceri ab Almanſoro Califa traditus eſt. Inde vero elapſus, & à Modaïnæ Emiro captus, paulo-poſt in monaſterio Simeonis obiit cum titulo metropolitæ Baſſorenſis. *Vid. to. 2. Bibl. Or. pag. 431.*

V. Sergius.

Sub Timotheo I. Catholico ſedebat *Sergius* Baſſoræ, qui Gabriëlis cujuſdam medici opera eccleſias ſuas inſtauravit, quum magna apud Califam auctoritate polleret.

VI. Subsçalmaranus.

Circa annum 840. Abraham II. Catholico ſedebat *Subſçalmaranus* epiſcopus Baſſoræ, ex Amro. *To. 3. Bibl. Or. p. 2. p. 729.*

VII. Daniel.

Ordinationi Theodoſii Catholici quinquageſimi adfuit *Daniël* metropolita Baſſoræ.

VIII. Gabriel.

Anno Græcorum 1196. Chriſti 885. Joanne Narſetis filio epiſcopo Anbaræ electo Catholico, in ejus promotione Evangelium legit *Gabriël Baſſorenſis,* qui poſt annos octo Joannem III. Catholicum in throno collocavit. Gabriëli Baſſorenſi collectio canonum

Digitized by Google

tribuitur, quæ & Hazariëlis nomen præfert, de qua legendus Ebedjeſus Sobenſis, nec-non to. 2. Perp. fid. pag. 665. Undecimus codex Amidenſis, nunc Vaticanus, continet *ordinationem diaconi, preſbyteri, epiſcopi & Catholici, ſecundum traditionem Mar-Aba Catholici, Gabriëlis metropolitæ Baſſorenſis & Cypriani Niſibis.* To. 2. Bibl. Orient. p. 439. & to. 1. p. 483.

IX. SILAS.

Abraham Maragæ epiſcopus Catholicatum aſſequi deſiderans, epiſcopos ſibi muneribus datis devinxit, patenamque ducentis aureis plenam *Silæ* metropolitæ Baſſorenſi donavit, ut ab eo ordinaretur; quia nempe ad eum ſpectabat ordinandi Catholici officium, vacante tunc temporis Gondiſaporenſi ſede. Id porro contigit anno Heg. 293. Chr. 905.

X. SEBARJESUS.

Ex Amro ſub Emmanuële Catholico circa ann. 940. ſedebat *Sebarjeſus* Baſſoræ metropolita.

XI. ABDELMESSIAS.

Emmanuël Abrahami ſucceſſor *Abdelmeſſiam* epiſcopum Hiræ metropolitam Baſſoræ conſtituit, qui poſtea electioni Iſraëlis Catholici adfuit anno Græc. 1271. Chr. 960. nec vero aſſenſus eſt, ſed cum aliis aufugit; donec à Califa juſſi ſunt Iſraëli ſubjici, ſed non multo poſt Abdelmeſſias obiit.

XII. JOSEPH.

XIII. ABRAHAM.

Mares II. Catholicus *Joſephum* epiſcopum Hiræ creavit Baſſoræ metropolitam, quo brevi ſubinde exſtincto, *Abrahamum* epiſcopum Sçiaharzur Baſſoram tranſtulit. *To. 2. pag. 443.* In catalogo ſcriptorum Syrorum quem Ebedjeſus contexuit, Abraham Baſſorenſis metropolita epiſtolas ſcripſit & librum de explicatione dictorum obſcuriorum *Theodori commentatoris,* ſive Mopſueſteni.

XIV. ***

Electioni Eliæ I. Catholici anno 1028. interfuit *Baſſoræ metropolita,* cujus nomen Mares omiſit.

XV. GEORGIUS II.

A Sebarjeſu Catholico ſexageſimo-ſexto Baſſorenſis metropolita ordinatus eſt *Georgius,* qui electioni Ebedjeſu ſucceſſoris illius interfuit, anno Græc. 1386. Chr. 1075. licet vero illius promotioni aſſentiri ſtatim noluerit, attamen poſt biennium mutata ſententia, ad eum tandem ordinandum acceſſit.

XVI. MARCUS.

Machichæ Catholici ſexageſimi-octavi, anno Græcorum 1403. Chr. 1092. electioni aderat *Marcus* metropolita Baſſoræ. *Tom. 2. Bibl. Or. p. 448.*

XVII. SALOMON.

Anno Chriſti 1222. promotioni Sebarjeſu IV. Catholici aderat *Salomon* metropolita Baſſorenſis. Illius meminit Abrahamus Ecchellenſis inter ſcriptores Syros quos in libro *de origine nominis Papæ* appellavit, ubi dicitur, *Salomon metropolita Euphratis Miſſanis, hoc eſt Baſſoræ.* Imo jam olim Ebedjeſus in ſcriptoribus Syris, cap. 198. à Salomone Chalatenſi Baſſoræ epiſcopo ſcriptum fuiſſe refert librum Spicilegii, cui *Apis* titulus eſt: quin etiam *de figura orbis & terræ, oratiunculas quoque & preces.* Atqui initio libri *Apis, illius auctorem eſſe legitur Salomonem metropolitam Berat-Maiſan* (ſive Baſſorenſem) *eumque nuncupaſſe ſocio cuidam ſuo Domino Narſeti epiſcopo Coniſapor Beth-Vaſich.* Sic enim eum vocant Chaldæi, inquit, multaque edidit, inter quæ Epitome vitarum ſanctorum duodecim Apoſtolorum & ſeptuaginta duorum diſcipulorum. Exemplar eſt apud Maronitas qui Romæ degunt. Inter codices ejuſdem Ecchellenſis, qui in Vaticanam Bibliothecam migrarunt decimus-ſeptimus continet *Salomonis epiſcopi Maiſan ad Euphratem, ſeu Boſtrorum aut Baſſoræ librum Apum, qui & Spicilegium* ſcribitur. Codex exaratus eſt à Gabriële monacho, anno Græc. 1787. Chriſti 1476. feria 4. die 14. Febr. In codice Vaticano Syriaco altero idem liber *Spicilegii,* qui & *Apum* Narſeti epiſcopo Coniſaporis, in regione Roſicorum nuncupatus continetur, atque in duas partes diviſus.

II. ECCLESIA DESTESANÆ.

EPiſcopatus primus ſub metropolita Baſſorenſi eſt *Deſteſana,* vel *Deſemſana.* An-non quæ *Diheſtan* dicitur in Chuziſtan, ſive Suſiana, quæ & *Deſt* & *Deſta,* civitas epiſcopalis; quod poſtremum nomen *Deſertum* vicis & villis plenum ſignificat? Quod certe mihi ſatis arridet.

ECCLESIA DESTESANÆ.

EPISCOPI DESTESANÆ.

I. JOANNES.

EX Amro Neſtoriano cum Simeone Barſaboë ſub Sapore martyrio functus eſt *Joannes* Deſemſanæ epiſcopus. *To. 3. Bibl. p. 585.*

II. SIMEON.

Ordinationi Machichæ Catholici ſeptuageſimi-ſeptimi aderat *Simeon epiſcopus Deſtæ:* *To. 2. Bibl. p. 455.*

III.

ECCLESIA NAHAR-AL-MARAH.

NAHAR-AL-MARAH, epiſcopatum ſecundum ſub Baſſorenſi metropolita fruſtra quæſivi inter urbes Chuziſtanæ, vicinarum-ve regionum; nec aliquis ejus uſquam epiſcopus occurrit.

V. PROVINCIA MOSUL.

I. ECCLESIA MOSUL METROPOLIS.

MOSUL, *Muſal, Mauſel,* urbs eſt Meſopotamiæ celeberrima, ad occidentalem Tigris ripam ſtructa, habens, ait Nubienſis, territoria ampla, & regiones magnas, ac præ cæteris territorium *Lino* urbis vetuſtiſſimæ, ſitæ ab Orientali latere Tigris, è regione Mauſel. Nimirum urbs illa *Lino,* antiqua Ninus eſt, ſeu Ninive, cujus veſtigia viſebantur ad Orientale ejuſdem fluvii latus. *Moſul* vero, vel *Mauſel* ipſa eſt quæ Ezechiëlis 27. v. 19. *Mozel* vel *Muzal* dicitur. Hanc Perſiæ ſcriptores à Tahmurath rege ſuo dynaſtiæ primæ fundatam ferunt. In ejus vicinia eſt urbs *Atur,* quæ & perantiqua cenſetur, cujus utique priſcum nomen *Aſſur* fuit, ab Aſſur filio Sem nepote Noë condita. Quidquid id eſt, Moſul ſive Mauſel, quarta metropolis eſt diœceſis Chaldæorum, quæ aliquando in epiſcopatum unum cum Arbela Adiabenes metropoli coaluit, à qua rurſum ſejuncta fuit. Illam porro utriuſque junctionem Ebedjeſus Catholicus in conſtitutione quam Sobenſis recitat, factam fuiſſe narravit à Joſue Bar-Nun Catholico (poſt annum proinde 820.) à quo etiam epiſcopatus Ninives exſtinctus fuit. Fidem Chriſtianam à ſancto Thaddæo vel Adæo Chriſti diſcipulo in Adiabene, Beth-Garmæ, & Moſul annuntiatam tradunt.

EPISCOPI MOSUL.

FAUSTO Nairono Evopliæ p. 47. S. Iſaac Syrus, qui Theodoſio juniore, Marciano & Leone Impp. claruit, Moſulenſis epiſcopus fuit; manifeſto errore, quem Aſſemanus ipſe ejus gentilis non tacuit. Nimirum ille Iſaacum iſtum eumdem eſſe putavit atque Iſaacum alterum Ninives epiſcopum, quem Juſtino II. Tiberio & Mauritio Imperatoribus vixiſſe certum eſt.

I. JESUIAB I.

Anno Græcorum 962. Chriſti 651. *Jeſuiab* Adiabenus genere, ſcholæ Niſibenæ alumnus, qui ex epiſcopo Ninives Moſulenſem metropolim tenuerat, in Catholicum Chaldæorum promotus fuit. *To. 2. Bibl. Or. p. 420.*

II. GEORGIUS I.

Jeſuiabum in ſede Moſulenſi, quin & in Arbelenſi, quæ tunc unitæ erant, excepit *Georgius,* quem Mares Neſtorianus Gregorium nominat; ſed & ſubinde Catholicatum obtinuit. *Ibid. p. 421.*

III. * * *

Quo tempore Joannes Abris, ſive Leproſus, adverſus Hananjeſum I. Catholicum inſurrexit, ejuſque ſedem Califæ auctoritate & A opera fretus arripuit, metropolitæ duo *Moſul* & Beth-Garmæ Catholici partes ſtrenuè defenderunt. *Mares Neſtorianus.*

IV. MARANAME.

Jacobus II. Chaldæorum Catholicus *Maraname* Salocenſem epiſcopum Adiabenum metropolitam creavit, qui ſedem tenuit ad annum uſque 1091. Græcorum, Chriſti 778. quo Timotheus I. Catholicus ei Jeſuiabum ſucceſſorem dedit. *Thomas Maragenſis hiſt.* B *monaſtica lib. 3. cap. 4.*

V. JESUIAB II.

VI. ROSTAMUS.

Timotheus itaque Catholicus, ea dignitate arrepta, adverſus Georgium, quem Jacobum quoque Amrus appellat, quique à pluribus electus fuerat, *Jeſuiabum* cœnobii Beth-Abenſis archimandritam ad Moſulenſem thronum evexit. Quam quidem dignitatem ei promiſerat Catholicus nondum electus, C inquit Thomas Maragenſis, quum cerneret omnium eligentium vota in eum propendere. At vero Joſeph metropolita Maru, Salomon Hadithæ epiſcopus & alii quo Timotheum odio proſequebantur, Jeſuiabum ſede Moſulenſi ejecerunt, ejuſque in locum *Roſtamum*

Digitized by Google

ECCLESIA MOSUL.

quemdam ſuffecerunt. Hunc porro hominem nullius frugi fuiſſe Mares teſtatur. *To. 3. Bibl. Or. p. 158. & ſeqq.*

VII. Enos.

A Sergio Catholico *Enos* Beth-Garmæ natus metropolita Moſul eſt conſtitutus, & Sergio defuncto ſuffectus poſthac fuit anno 1188. Græcorum, Chriſti 877. *To. 2. Bibl. Orient. p. 439.*

VIII. Joannes I.

Enos Catholico defuncto, anno 884. Joannes Narſetis filius epiſcopus Anbaræ à majori parte electus eſt qui illi ſuccederet; alii Joannem Abdon cœnobii Patriarchalis monachum elegerunt, quibus *Joannes* cognomento *Silas* fratris Theodoſii Catholici filius metropolita Moſul adhæſit, quum neutrius electioni adfuiſſet. Hic porro ex Chanigiarenſi epiſcopatu ad Moſulenſem tranſlatus fuerat, ac ſubinde Catholicus renuntiatus eſt anno 1203. Chriſti 892. *Ibid. p. 440.*

IX. Joannes II.

Joannes III. Catholicus, de quo modo diximus, *Joannem* filium Boctjeſu in ſuum locum metropolitam Moſul anno 892. conſtituit, qui Joanne defuncto, adverſus Joannis IV. electionem nequidquam reclamavit. Sub Abrahamo III. Catholico in vivis adhuc ſuperſtes erat, vir ambitioſus qui multas turbas apud ſuos excitavit. *Ibid.*

X. Lucas.

Emmanuëli Catholico *Lucas* metropolita Moſul manus impoſuit, anno Chriſti 937. qui tamen ab Abraham illius deceſſore depoſitus fuerat, ſed lata in eum ſententia promulgata non erat. Nimirum Lucas Abrahamum ob ſimoniam quam palam exercebat, redarguere non dubitaverat. *Ibid. p. 442.*

XI. Georgius II.

Lucæ ab Emmanuële Catholico ſuffectus fuit *Georgius*, qui Iſraëlis ſucceſſoris ejus ordinationi anno 962. interfuit: ſed quum Iſraël, adhibita vi dignitatem illam adeptus eſſet, hanc ipſe quoque ambiebat; quia vero junior adhuc videbatur aliquandiu ſiluit; at Iſraële defuncto, unus è quatuor fuit qui ad Catholicatum deſignati ſunt, ſcriptis eorum nominibus in ſchedis, ut ex eis unus aſſumeretur. Sors tamen cecidit in Ebedjeſum epiſcopum Maaltæ & Nuhadræ. Sedebat adhuc Georgius Moſulenſis ſub Mare II. Catholico, cujus tamen promotioni graviori morbo prohibente non interfuit. Scripſit *Declarationem omnium eccleſiaſticorum officiorum, eorumdemque cauſas, nec-non divinæ œconomiæ enarrationem Dominicarumque ſolemnitatum.* Quod opus Aſſemanus to. 3. Bibl. publici juris fecit. In codicibus Syriacis Vaticanis, habentur Georgii Arbelæ & Moſul Homiliæ variæ, quæſtiones de miniſterio altaris, de ſacris ordinationibus. To. 2. Bibl. p. 486. 487. *Fidei expoſitio* p. 509. In iis lucubrationibus nonnulla occurrere feruntur ſectæ illius fidei de Euchariſtia minime conſona, de quibus legendus idem Aſſemanus *to. 3. p. 518. ad 540.*

XII. Jesuiab III.

Defuncto Georgio, Maris II. Catholicus *Jeſuiabum* ex epiſcopo Hadathæ metropolitam Moſul conſtituit. In vita Joannis V. Catholici legitur, Jeſuiab metropolitam Moſul ejus electioni non interfuiſſe, nec Joannem ad illum ingredi potuiſſe, donec in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſet; utpote qui nonniſi Califæ nutu dignitatem obtinuiſſet. Sedebat anno 999.

XIII. Gabriel I.

Joannes VI. Catholicus *Gabriëlem Arzenroum, vel Arſun,* Moſul metropolitam creavit. *To. 2. Bibl. Or. p. 446.*

XIV. Elias I.

Electioni Jeſuiab IV. Catholici adfuit *Elias* metropolita Moſul anno 1020. qui manum ei impoſuit, aſſenſum vero ſuum poſtea retractavit.

XV. Ebedjesus I.

Jeſuiab Catholico mortuo, tres deſignati ſunt, quorum unus ei ſufficeretur; ex illis fuit *Ebedjeſus* monachus cœnobii Mar-Eliæ qui poſthac metropolita Moſulenſis fuit. Hic apud Aſſemanum *Abu-Said* nominatur. *To. 2. Bibl. Or. p. 446.*

XVI. Gabriel II.

XVII. Jaballaha.

Sebarjeſus III. Catholicus anno 1063. *Jaballaham* Maaltæ epiſcopum ad Moſulenſem metropolim poſt *Gabriëlis* ejuſdem urbis antiſtitis obitum tranſtulit. Qui ſucceſſoris illius Ebedjeſu III. electioni interfuit cum epiſcopis quatuor, qui ejus tunc provinciæ cenſebantur, Armeniæ, Elſen, Tirhanæ & Hadithæ. Ubi Catholicus à Saraceno principe facultatem obtinuit Modaïnam petendi ut ibi pro more ordinaretur, ibidem adfuerunt Georgius Baſſoræ, Jaballaha Hazzæ, & Moſul cum aliis. Quod *Gabriëlem* ſpectat, inter GABRIEL. Vaticanos codices Syriacos carmen exſtat Gabriëlis metropolitæ Moſul ab eo compoſitum, dum monachus ageret cœnobii ſancti Sebarjeſu

Digitized by Google

Sebarjeſu in Coche. In eo carmine de creatione mundi, incarnatione Verbi, œconomia Domini, prædicatione Apoſtolorum, laudibuſque ſanctorum Patrum & Doctorum agitur: ſequitur encomium vitaque illius S. Sebarjeſu. Illud porro primo aut ſecundo Gabriëli Moſulenſi adſcribendum venit. *Vide p. 488.* de Jaballaha vero *p. 447. 448.* A

XVIII. Machicha.

Ebedjeſus ſive Abdjeſus III. Catholicus poſt Jaballahæ obitum anno Hegiræ 478. Chriſti 1087. *Machicham* epiſcopum Tirhanæ metropolitam Moſul creavit, qui anno Chriſti 1092. illi ſucceſſit. In Vaticano cod. uno Arabico habetur Machichæ Patriarchæ, qui Moſul & Arbelæ metropolita fuerat, epiſtola ad Syros Neſtorianos Aſpahani degentes. *To. 2. Bibl. Or. p. 448. & 509.*

XIX. Elias II.

Moſul & Adiabenes metropolita erat *Elias* filius Mocli Moſulani anno Græcorum 1422. Chriſti 1111. quo in Catholicum poſt Machichæ obitum promotus fuit. *Ibid. p. 448.*

XX. Joannes II.
XXI. Joannes III.

Barſumæ Catholici qui Eliæ ſucceſſit, electioni & ordinationi adfuit *Joannes Ebnal-Cheddad,* hoc eſt, fabrorum ferrariorum filius, metropolita Moſul anno Græc. 1445. Chriſti 1134. nec-non Abdjeſu IV. ſucceſſoris ejus anno Græc. 1450. Chriſti 1139. Hic porro ex epiſcopo Themanon Moſulenſis metropolita ab Elia II. Catholico creatus fuerat. *To. 3. Bibl. Orient. p. 257.* Hunc *Joannem,* aut certe ejuſdem nominis alterum D Moſulenſem metropolitam Elias III. Catholicus anno 1487. Græcorum, Chriſti 1176. ad Hamdanenſem metropolim tranſtulit. *To. 2. Bibl. Or. p. 450.*

XXII. Titus.

Elias idem Catholicus Joanni quem Hamdanam tranſtulerat, in Moſul & Adiabenes eccleſia ſucceſſorem dedit *Titum* Cokenſis monaſterii præfectum. *Ibid.*

XXIII. Joseph I.

Anno Græcorum 1533. Chriſti 1222. *Joſeph* metropolita Moſul promotioni aderat Sebarjeſu IV. Catholici, qui ex metropolita Hazzæ & Arbelæ ſupremam gentis ſuæ ſedem obtinuit. Quod argumento eſt tunc diviſam fuiſſe Arbelæ eccleſiam à Moſulenſi. *Ibid. p. 453.*

XXIV. Ebedjesus II.
XXV. Simeon II.

B Promotioni quoque Machichæ II. Catholici anno Græcorum 1568. Chriſti 1257. aderant *Ebedjeſus* metropolita Moſul, Denha metropolita Arbelæ & alii. Ejus vero exequiis anno Græcorum 1576. Chriſti 1265. aderat *Simeon* itidem Moſulenſis, qui ad Denhæ ſucceſſoris illius electionem anno inſequenti acceſſit. *Ibid. p. 455.*

XXVI. Gabriel III.

Ordinationi Jaballahæ III. Catholici adfuit *Gabriël* Moſulenſis, cum Moyſe Arbelæ C & aliis anno Græcorum 1593. Chriſti 1282. *Ibid. p. 456.*

XXVII. Joseph II.

Timotheus II. Catholicus Moſulenſem ſedem, tum deinde Arbelenſem prius tenuerat, quam ad ſummam ſuæ ſectæ dignitatem proveheretur, qua ſuſcepta, Timothei nomen aſſumpſit, quum *Joſeph* antehac vocaretur. *To. 3. Bibl. Or. p. 567. & 620.*

XXVIII. Simeon III.

In ſynodo Timothei II. Catholici anno 1318. ſedebat *Simeon* metropolita Moſul. *Ibid. p. 341.*

XXIX. Jesuiab IV.

Moſulenſem utique metropolim geſſit *Jeſuiab* ille metropolita Simeonis IV. frater, filius Mamæ, qui germano ſuo defuncto, anno 1539. in Catholicum promotus eſt, Simeoniſque nomen aſſumpſit.

II. ECCLESIA NUHADRÆ.

NUHADRA, vel *Naarda*, aut *Naardea*, Joſepho lib. 18. Antiq. Judaïc. cap. 12. *urbs eſt Babyloniæ populoſa, in ampla fertilique regione, nullis hoſtium inſultibus patens, Euphrate, firmiſque muris undique cincta,* quam Judæi quamplurimi olim incolebant. Alio nomine *Abrama* dici fertur, Niſibi & Moſul parum diſtans, medio fere itinere, Nubienſi. Epiſcopatus primus cenſetur ſub Moſulenſi, qui in unum aliquando coaluit cum Maalta vel Maaltaja.

Digitized by Google

ECCLESIA NUHADRÆ.

EPISCOPI NUHADRÆ.

I. Ebedjesus.

ANno Græcorum 1274. Chriſti 963. Maaltæ & Nuhadræ epiſcopus Neſtorianorum erat *Ebedjeſus* vel *Abdjeſus II.* quando in Catholicum aſſumptus fuit. *To. 2. Bibl. Orient. p. 442.*

II. Moyses.

Promotioni Eliæ II. Catholici adſtabat *Moyſes* epiſcopus Beth-Nuhadræ, Arabicè *Banhadræ.*

III. * * *

Aderat quoque promotioni Barſumæ ſucceſſoris Eliæ II. *epiſcopus Beth-Nuhadræ.*

IV. Jaballaha.

In codice Syriaco III. quem Innocentius Papa XIII. in Vaticanam Bibliothecam tranſtulit, habentur *Jaballahæ* Patriarchæ, ſive Catholici, qui fuerat Nuhadræ epiſcopus, A quæſtiones de baptiſmo. Hic proinde alius non eſt à Jaballaha II. Catholico, qui epiſcopus quoque Maipherakinenſis fuit. *Biblioth. to. 2. p. 487. & 453.*

V. Sebarjesus.

Jaballahæ II. Catholico ſuffectus fuit ejus fratris filius *Sebarjeſus* Nuhadræ primum epiſcopus, ſubinde vero Hazzæ & Arbelæ metropolita. *Ibid.*

VI. Jesuiab.

B Anno 1568. Chriſti 1257. electioni Machichæ II. Catholici adfuit *Jeſuiab* epiſcopus Banhaduræ, ſive Beth-Nuhadræ, vel, ut Mares habet, Jeſuiab Bahadræ. *Ibid. p. 455.*

VII. Melechjesus.

Præter Ebedjeſum Maaltæ epiſcopum; *Melechjeſus* epiſcopus Banhadræ, vel Nuhadræ adfuit promotioni Denhæ I. in Catholicum. *Ibid. p. 456.*

III. ECCLESIA DASENÆ.

DAsen vel *Daſena*, Aſſyriæ civitas, ſecundus epiſcopatus eſt provinciæ Moſul, quæ Eliæ Damaſceni ætate una provincia erat cum Adiabene; poſthac autem Patriarchali eccleſiæ addicta fuit. De ea vero urbe nihil mihi alias occurrit.

EPISCOPI DASENÆ.

I. Stephanus.

IN Thomæ Maragenſis hiſtoria monaſtica lib. 3. cap. 5. fertur Maranamem Adiabenes metropolitam tempore Jacobi II. Catholici poſt annum 754. *Stephano* epiſcopo Daſenenſi magnum cœnobium, totumque agrum Nechelæ & Tallonæ ad Margenſis epiſcopi juriſdictionem pertinentem adjeciſſe, ſcripto-C que dato edixiſſe minime fas fore metropolitis ſucceſſoribus ſuis quidquam Daſenenſi ſedi auferre. *Bibl. Or. to. 3. p. 484.*

II. Matthæus.

Ordinationi Denhæ II. Catholici anno 1577. Chriſti 1266. nec-non Jaballahæ III. ſucceſſoris ejus aderat *Matthæus* epiſcopus Daſenæ. *To. 2. Bibl. Or. p. 456.*

IV. ECCLESIA BETH-BAGAS.

TErtius epiſcopatus ſub Moſulenſi eſt *Bagas*, vel *Beth-Bagas* aut *Babgas*, in eadem regione Moſul, quam Aſſemanus Gregorium Bar-hebræum teſtem appellans, urbem eſſe docet in montibus Arbelæ poſitam.

EPISCOPI BETH-BAGAS.

I. Joannes.

THomas Maragenſis in hiſtoria monaſtica multa ſcripſit de Raban Hananjeſu, doctore & monacho, auctore libri *Paradiſi*, deque fratribus ejus Jeſuiab & *Joanne*, qui epiſcopus primum Beth-Bagas fuit, deinde metropolita Adiabenes, poſt obitum Simeonis metropo-D litæ. *To. 2. Bibl. Or. p. 494. to. 3. p. 478.*

II. Simeon.

Idem Thomas lib. 2. cap. 39. ſcripſit de obitu *Simeonis epiſcopi Beth-Bagas*, quin & rurſum de eodem lib. 3. part. 2. cap. 8. *Ibid. p. 495.*

Digitized by Google

A

III. Timotheus.

Ex eodem Thoma lib. 4. c. 3. *Timotheus I.* anno 770. Catholicus epiſcopus antea Beth-Bagas fuerat. *To. 2. Bibl. Or. p. 433.*

IV. Marcus.

Joannes V. Catholicus *Marcum* epiſcopum Bagas, an. 1204. Chr. 893. ad metropolim Rajam, Ragam tranſtulit. *To. 3. Bibl. p. 440.*

V. Sebarjesus.

Ecclesia Beth-Bagas.

Elias II. Catholicus *Sebarjeſum* monachum epiſcopum Beth-Bagas ordinavit. *Ib. p. 449.*

VI. Jesuzacha.

Eccleſiæ Bagas epiſcopus erat *Jeſuzacha* anno 1264. quo Denhæ II. Catholici promotioni interfuit. *Ibid. p. 456.*

V.

ECCLESIA NINIVES.

E Regione Moſul ad orientalem fluminis Tigris ripam priſcæ *Nini* vel *Ninives* reliquiæ exſtant, in quibus oppidum eſt de illius priſco dictum nomine, quod quartus epiſcopatus eſt ſub Moſulenſi metropoli. In ea autem epiſcopalis ſedes ſtetit à tempore Joſue Bar-Nun qui anno 820. Catholicus renuntiatus eſt, ac brevi ſubinde illam exſtinxit, quemadmodum Ebedjeſus I. Catholicus in ſua conſtitutione narravit, apud Sobenſem in collectione canonum. Eam tamen poſt aliquot ſæcula inſtauratam eſſe mox compertum fiet.

EPISCOPI NINIVES.

B

I. Barsohebes.

Barsumas ille Niſibis epiſcopus, qui Chaldæorum eccleſiam novis erroribus inficere ſtuduit, Babuæum Catholicum, alioſque præſules qui ſibi non aſſentiebantur, accuſare non dubitavit, atque in cauſa fuit ut Chriſtiani multi neci traditi ſint, quorum unus fuit *Barſohebes epiſcopus Ninives.* Bibl. Orient. to. 2. p. 402.

II. Isaac I.

Joſeph Aſſemanus *to. 1. Bibl. Or. p. 207.* C duos diſtinguit Ninives epiſcopos, quibus nomen *Iſaac* fuit. Primus Theodoſio juniore, Marciano & Leone Impp. ſanctitate clarus fuit, & epiſcopus *Mauſel* perinde appellatur. Alter Anaſtaſio Imp. circa annum 500. quem Jacobitæ & Chaldæi ſibi perinde vindicant.

III. * * *

Tempore Joſeph & Ezechielis Catholicorum Orientis, diu graſſante lue, metropolita Beth-Garmæ & *epiſcopus Ninives,* Ezechieli præſertim auctores fuerunt, ut ad inſtar D Ninivitarum jejunium triduanum celebraretur, quod deinceps poſteris temporibus obſervatum quotannis fuit. *To. 2. Bibl. Orient. pag. 413.*

IV. Marames.

Mara ſive *Marames* Catholicus trigeſimus-quartus ex Arzunitide oriundus Niſibenæ ſcholæ alumnus, atque in cœnobio S. Abraham monachus, Ninives primum epiſcopus fuit, deinde Gondiſaporis ſub Jeſuiab Gadalenſi Catholico, circa annum 630. *Tom. 2. Bibl. Or. p. 420. & to. 3. p. 615.*

V. Maras.

VI. Jesuiab I.

VII. Moyses.

Ex hiſtoria monaſtica Thomæ Maragenſis lib. 1. cap. 4. quum Jeſuiab Gadalenſis ad Catholici dignitatem evectus eſſet, Ninivitæ fideles poſt *Maræ* epiſcopi ſui obitum in præſulem urbis ſuæ totiuſque regionis elegerunt beatum Mar-Jeſuiab magiſtri noſtri Jacobi diſcipulum, filium veneranda æternaque memoria digni nobilis viri Baſtamagi, ex Cuphlana Adiabenes vico oriundi; *Jeſuiab* vero poſthac ad metropolim Moſul tranſlatus eſt, ac demum in Catholicum promotus: cui morienti *Moyſes* epiſcopus Ninives aderat. *To. 2. p. 188. & 420. & to. 3. p. 475.*

VIII. Ephræmius.

Moyſi ſucceſſit *Ephræmius* à Joanne Adiabenes metropolita ordinatus, quicum ſubinde templum quod Burarum vici Niniviticæ regionis incolæ in monaſterio Beth-Abenſi exſtruxerant, Deo dedicavit. *To. 3. p. 478. Ex Thoma Maragenſi.*

IX. Abraham.

X. Jesuiab II.

Ex Thoma Maragenſi lib. 2. cap. 3. quum Acha Adiabenes metropolita ordinatus eſſet, ejus in loco Beth-Abenſi monaſterio præfectus eſt *Jeſuiab,* quem idem Acha poſt *Abrahami* Ninives antiſtitis obitum epiſcopum creavit. Jeſuiabum vero Timotheus I. Catholicus anno 778. Aſſyriæ metropolitam fecit. *Ibid. p. 480.*

Digitized by Google

ECCLESIA NINIVES.

XI. JESUSABRAN.

Idem Thomas lib. 4. cap. 8. *Jeſuſabranum* Bar-Mami Ninives epiſcopum memorat, qui cœnobii Rabban Baritæ eccleſiam inſtauraverat. *Bibl. Orient. to. 3. p. 300.*

XII. MARANZACHA.

Idem Thomas Maragenſis lib. 4. cap. 18. ſcribit de *Maranzacha* epiſcopo Ninives, qui Mohammedanum quemdam, cujus filius ægrotabat, monuit, ut Cyriacum monaſterii A Beth-Abe rectorem conveniret, cujus precibus ſalutem illi impetraret. *To. 2. Bibl. Or. p. 494. & 495.*

XIII. JOSEPH.

Simeon Sulaca Chaldæorum Mogulenſium Catholicus Romam anno 1556. venit ad Paulum IV. Papam, qui dignitatem illi confirmavit. Itineris ejus ſocii erant Mar-Elias & *Mar-Joſeph* Ninives epiſcopus, quem Indiarum metropolitam deſignavit.

VI.

ECCLESIA HADITHÆ.

HADITHÆ nomen tribus civitatibus inditum eſt: alia ad Euphratem poſita eſt in Meſopotamia infra Anbar: altera in regione Moſul in Euphratis medio, una dumtaxat leuca Anbara diſtans: tertia demum verſus ortum, ad Tigrim, eo loco poſita, quo Zela major amnis in Tigrim influit; quæ quidem ipſa eſt Haditha quintus epiſcopatus Neſtorianorum ſub Moſulenſi metropoli.

EPISCOPI HADITHÆ.

I. MARANZACHA.

SALIBAZACHA Catholico Hadithæ epiſcopus ſedebat *Maranzacha*, de quo Thomas Maragenſis lib. 2. cap. 41. ſcripſit, unaque de epiſcopo altero quem ille camelos paſcentem
» reperit. « Fuit, inquit, Maranzacha monachus
» diſcipulus Aphnimarani, qui aliquando per
» deſertum vadens, offendit in ſenem quem-
» dam, qui camelorum gregem paſcens, ei con-
» feſſus eſt ſe Chaldæorum, qui per Ægyptum
» diſperſi erant epiſcopum fuiſſe, & à Saracenis
» captivum illuc abductum. » *To. 2. Bibl. Or. pag. 494.*

II. JOANNES.

Tempore Phetionis Catholici claruit *Joannes* epiſcopus Hadithæ. *Ibid. p. 431.*

III. SALOMON.

Hadithæ epiſcopus ſedebat *Salomon* ſub Jacobo II. Catholico Timothei deceſſore. Hic Ibrahimo filio Iachia urbis præfecto, qui cives ſuos tyrannico more vexabat, fortiter repugnans, quadraginta plagis ab eo verberatus eſt, caputque illi & barba raſa. At ille veritus, ne epiſcopus illatam ſibi injuriam apud Califam quereretur, Hadithenſibus pecuniæ penſum remiſit, quod eis imperaverat. Salomon à quibuſdam quos à communione ſubmoverat, ad Iſam Scalafæ filium, Neſtorianæ ſectæ rebus ab Almanſor Califa præpoſitum delatus, quod è theſauris à Mervan, dum Saphaham fugeret in terra defoſſis aureorum pondera duo abſtuliſſet, Chriſto licet prohibente auri & argenti poſſeſſiones, cædi virgis juſſus eſt in monaſterio Simeonis. B Poſt, quum Califa ad monaſterium Mar-Hala veniſſet, epiſcopis ibi congregatis, ut eum pro Jacobo Catholico, cui erat offenſus, interpellarent, ubi inter illos Salomonem Hadithenſem aſpexit, hunc una cum Jacobitarum & Melchitarum Patriarchis cuſtodiæ tradidit. Ibrahim vero Califæ medicus ab illo impetravit, ut quiſque illorum ad ſedes ſuas rediret. In vita Timothei Catholici flagitium refertur Joſephi metropolitæ Maru, qui cum Salomone Hadithæ epiſcopo Roſtamum quemdam Honitæ præſulem ad metropolim Arbelæ, C Jeſuiab illius urbis antiſtite in vivis adhuc ſtante, tranſtulit. Roſtamus vero miſere periit, & Salomon eo caſu motus epiſcopatu abdicato in cœnobium Aaron ſeceſſit, ubi diem clauſit: Joſeph demum ad Mohammedanos Chriſto ejurato defecit. *Vide to. 3. p. 205.*

IV. ABRAHAM.

Anno Hegiræ 222. Chriſti 836. *Abraham* in Marga ditionis Moſulanæ pago natus, ex cœnobii Beth-Abe epiſcopus Hadithæ, vir morum ſuavitate & miſericordia in pauperes D commendatus, Catholicus renuntiatus eſt. *Bibl. to. 2. p. 435.* Codex Syriacus Nitrienſis hodie Vaticanus quatuor Evangelia continet, ſcripta in Caſtro Uremæ ſub Theodoro epiſcopo, menſe Septembri anno Græc. 1047. Chriſti 736. viſa & emendata à Georgio epiſcopo, quæ olim pertinuerant ad Abrahamum epiſcopum Hadithenſem. *To. 1. p. 561.*

V. JESUDAD.

Poſt Abrahami II. Catholici obitum epiſcopis tertio convenientibus ob repentinos

Digitized by Google

caſus illorum qui antehac electi erant, ab A Ibrahim filio Noë nominatus eſt *Jeſudad Haditha epiſcopus*. Verum Boctjeſus medicus à Motawacelo Califa impetravit, ut Theodoſius Gondiſaporis præ illo ordinaretur. Jeſudad epiſcopi Hadithenſis in codicibus Vaticanis exſtat expoſitio c. 49. Geneſis: ſed & ejus opera recenſentur ab Elia Sobenſi in ſcriptoribus Syris p. 99. De hoc Jeſudad epiſcopo Hadithenſi intelligenda ſunt quæ Gabriël Sionita habet in præfatione ad ſuam Pſalterii Syriaci editionem, in qua hunc *Soadedum* vocat, atque hæc ejus verba exſcribit: B *Sacrorum voluminum tranſlatio hunc ordinem habet. Lex ſeu Pentateuchon, Joſue, Judices, Ruth, Samuël, David, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica canticorum & Job. Tranſlati fuerunt tempore Salomonis, orante & exorante Hiram rege Tyri ejus amico. Reliqui vero libri Veteris pariter ac Novi Teſtamenti, tempore Abgari regis Tyriæ, cura & ſollicitudine Thadæi, & aliorum Apoſtolorum.* Quæ retuliſſe ſufficiat, quando alioqui nullius fidei ſunt, & confutatu facilia. De Jeſudad *vide to. 2. Bibl. Or. p. 426. to. 3. p. 211.*

VI. Ebedjesus I.

Joannes VI. Catholicus in conventu viginti epiſcoporum, cui aderat Joannes filius Boctjeſu medici, expoſtulavit adverſus *Ebedjeſum Haditha epiſcopum*, qui cum aliis non conveniſſet, atque in illum depoſitionis lata ſententia eſt. Quæ geſta ſunt anno Chriſti 1020.

VII. David I.

Ebedjeſus II. Catholicus *Davidem* epiſcopum Hadithæ ordinavit.

VIII. * * *

Electioni & ordinationi Ebedjeſu III. Catholici de provincia Moſulenſi aderant epiſcopi Hadithæ & Urmiæ.

IX. David II.

Idem Catholicus *Davidem* epiſcopum Hadithæ Beth-Garmæ metropolitam conſtituit.

X. Ebedjesus II.

Ordinationi Machichæ II. Catholici adfuit *Ebedjeſus* epiſcopus Hadithæ.

VII. ECCLESIA BADIÆ.

Badia civitas quæ ſextus epiſcopatus eſt provinciæ Moſulenſis mihi nuſquam alias nota eſt, nec ullus ejus mihi occurrit epiſcopus; niſi ipſa eadem ſit que Badial, ſive Beth-Dial, de qua alibi.

VI. PROVINCIA ADIABENES.

ECCLESIA HAZZÆ & ARBELÆ METROPOLIS.

I. HAZZA civitas, alio nomine, priſco proinde, Adiab quoque dicta, Adiabenes provinciæ quæ Plinio Aſſyria vetus eſt, caput fuit. In notitia diœceſis Chaldæorum quintus cenſetur *metropolita Arbel & Hazza;* quæ tamen duæ civitates ſunt, ſed ſub eodem antiſtite, ambabus eccleſiis tempore Amri qui notitiam concinnavit, in unam coalitis. Atqui *Arbela* celeberrima fuit à victoria quam magnus Alexander de Dario Codomano Perſarum rege in vicino vico *Gaugamela* ad Nicatorium montem retulit. Hodie ab incolis *Irbil* quoque dicitur, duorum dierum itinere Moſul diſtans. Jacet inter duo brachia fluvii Zab in planitie. Ampla quidem aliquando civitas fuit, nunc vero ad nihilum fere redacta. Helena Adiabenes regina Judaïcæ religioni devota mulier Apoſtolorum ævo claruit, cujus Joſephus lib. 20. Antiq. Jud. cap. 3. meminit. Cæterum ea regio omnis illis quoque primis temporibus Chriſto tota pene nomen dedit, cujus ſacris legibus adeo addicta fuit, ut martyres eximios ſub Sapore rege tulerit. Narrat Sozomenus lib. 2. hiſt. eccl. cap. 12. Magos eorumque principes, quia Saporis edicto ſancitum erat, ut Chriſtianorum epiſcopi & presbyteri ſoli comprehenderentur, cunctas Perſicæ ditionis regiones circumiviſſe, inprimiſque Adiabenen provinciam quæ tota Chriſtiana erat, μᾶλλον δὲ καὶ τὴν Ἀδιαβηνῶν χώραν· κλίμα δὲ τοῦ Περσικοῦ ὡς ἐπίπαν Χριστιανίζον. In ea ſcilicet ſanctum Thadæum ſive Adæum cum diſcipulo ſuo Mari Evangelium prædicaſſe aſſerunt. Cæterum ſequiori ævo Niſibis, Moſul & Arbelæ unus dumtaxat metropolita factus eſt.

EPISCOPI HAZZÆ & ARBELÆ.

I. ABRAHAM *Martyr.*

INter epiſcopos qui in Perſicis ditionibus ſub Sapore rege martyrio functi ſunt, Sozomenus *Abrahamium* memorat, illum ipſum de quo Græcorum ſynaxarium habet. *Anno perſequutionis quinto comprehenſus ſanctiſſimus Abrahamius epiſcopus civitatis Arbel, juſſu Archimagi Aderphori, de patria Job; qui magorum princeps, quum ſanctum hunc Abrahamium ſolem adorare juberet, illeque facere renueret, omne corpus ejus acerbis ſuppliciis attrivit, ſancto interim mediis in pœnis, quæ alioqui intolerabiles erant, clamante & dicente: Chriſtianus ſum, unum Deum verum adoro, eique ſoli ſervio, & in hac ejus ſancta veraque fide perſevero: ne me cogas res ab ipſo creatas & conditas adorare.*

II. JONADAB.

Coſroë II. Perſarum rege Chriſtianis Chaldæis irato quod Gregorium Niſibis metropolitam Catholicum admittere renuerant, illoque poſt tres annos defuncto, prohibente ne A ſucceſſor daretur, de conſilio Cyriaci metropolitæ Niſibis, *Jonadabi Adiabenes*, & Gabriëlis epiſcopi oppidi Seleuciæ, Mar-Aba archidiaconus & Babæus magnus archimandrita, vicaria poteſtate Patriarchalem eccleſiam adminiſtrarunt. *To. 2. Bibl. p. 413. & 491. ex Thomæ Maragenſis hiſtoria lib. 1. cap. 27.*

III. PAULUS.

Jonadabo ſuffectus fuit utique *Paulus*, quem Jeſuiab II. Catholicus, anno 628. ad B Heraclium Imper. pangendæ pacis cauſa à Siroë rege delegatus, itineris ſui cum aliis ſocium habuit. *Ibid. p. 492.*

IV. MACHICHA I.

Anno ſubinde 640. *Machicha* Adiabenes metropolita erat, adverſus quem Jeſuiab Nimives epiſcopus expoſtulavit, quod Semjeſum & Narſetem epiſcopos contra leges ordinaſſet, à quibus ſubinde Adorbiganæ epiſcopus conſecratus fuerat. *To. 3. p. 141.*

Digitized by Google

A

V. Jesuiab I.

Machichæ ſuffectus fuit *Jeſuiab* ille Ninives epiſcopus à Mar-Ama Catholico anno 648. à Joanne preſbytero, ab archidiacono, & à Jane principe Chriſtianorum Arbelæ poſtulatus, qui poſt biennium in Catholicum promotus fuit. *To. 2. Bibl. Orient. p. 420. & to. 3. p. 113. & 142.*

VI. Georgius.

Sedebat ſub eodem Jeſuiabo Catholico *Georgius Adiabenorum metropolita,* ab illo ſcilicet conſtitutus, qui cum aliis epiſcopis monaſterii S. Jacobi templum dedicaſſe legitur, quin & ipſimet Jeſuiabo Catholico defuncto ſucceſſit. *Ibid. p. 421. & 493.*

B

VII. Salibazacha.

Ananjeſus I. Catholicus *Salibazacham* epiſcopum Tirhanenſem, metropolitam Arbel creavit; quem, quum Joannes quidam in eam ſedem invadens abegiſſet, Hazzæ & Moſul metropolita ab eodem Catholico creatus fuit, atque illi poſtmodum ſuffectus. Quo proinde factum eſt, ut idem fieret Arbelæ & Moſulæ epiſcopus.

C

VIII. Simeon.
IX. Joannes.

Thomas Maragenſis lib. 2. hiſt. monaſticæ cap. 30. ſcripſit de *Joanne Adiabeno metropolita,* fratre Ananjeſu Patriarchæ. Hic Joannes fuit archimandrita monaſterii Beth-Abe, deinde epiſcopus Beth-Bagas, demum metropolita Adiabenes poſt *Simeonis* obitum à Catholico Salibazacha conſtitutus. Cœnobii illius templum unà cum Ephræmio epiſcopo Ninives dedicavit, ibique vita functus eſt. *To. 2. Bibl. p. 494. & to. 3. p. 478.*

D

X. Acha.

Idem Maragenſis ſcripſit de *Acha,* qui poſt Joannis obitum, à Mar-Aba Catholico metropolita Arbelæ Adiabenis poſtulantibus eſt ordinatus; orto autem poſtmodum Jacobum inter & Surinum, qui de Catholicatu contendebant, anno 764. ſchiſmate, Jacobi partes ſequutus eſt. Miraculis illum & prophetiæ dono claruiſſe jactant. *To. 2. Bibl. Or. p. 494. & to. 3. p. 480. 482.*

E

XI. Maraname.

Ex eodem Maragenſi *Maraname,* qui ab Acha ordinatus primùm fuerat epiſcopus oppidi Seleuciæ prodigiiſque innotuerat, tandem illo defuncto ad Arbelæ & Adiabenes metropolim à Jacobo Catholico tranſlatus eſt. *Ibid.*

XII. Jesuiab II.
XIII. Rostamus *intruſus.*

Thomas de Ananjeſu monacho doctore & auctore libri qui *Paradiſus* nuncupatur, ſcribens, ejus germanum fratrem *Jeſuiab,* Maraname defuncto, à Timotheo I. Catholico metropolitam Arbelæ conſtitutum eſſe ait, quum prius Cardaliabede, ſive Senæ epiſcopus ſediſſet. Hunc Joſeph impius metropolita Maru cum Salomone epiſcopo Hadithæ Adiabena expulit, ſuffecto in ejus locum Honitæ epiſcopo Roſtamo. Poſt vero Jeſuiab ſedem repetiit ſuam; *Roſtamus* miſere periit, Salomon pœnitentia tactus relicto epiſcopatu in monaſterium ſeceſſit; Joſeph Chriſti fidem ejuravit. *Ibid. p. 433. 495.* Huic *Jeſuiabo* adſcribendæ homiliæ ſunt de jejunio Ninivitarum, quæ in codicibus Syriacis Vaticanis exſtant. *To. 1. Bibl. p. 583.*

XIV. Nestorius.

Sub Timotheo I. Catholico circa annum 800. ſedebat quoque *Neſtorius* Adiabenes metropolita, quem Maragenſis refert unà cum eodem Timotheo ordinaſſe Eliam monaſterii Beth-Abe alumnum epiſcopum Mukam in regione Dilamitarum. *To. 3. Bibl. Orient. p. 1. p. 492.*

XV. Ebedjesus.
XVI. Georgius.

Ebedjeſus Sobenſis in ſcriptoribus Chaldæis meminit conſtitutionum *Ebedjeſu & Georgii* metropolitarum Athour ſive Aſſyriæ vel Adiabenes. An *Georgius* hic qui Ebedjeſu poſtponitur idem ſit atque Georgius de quo num. 4. dictum eſt, ambigere licet. Addit *Ebedjeſum Barbahrik* metropolitam Aſſyriæ ordinaſſe *diviſiones hæreditatum, atque diſtinctiones officiorum,* hoc eſt tractatum ſcripſiſſe *de eccleſiaſticis miniſteriis, quæ ſunt hæreditates miniſtrorum Dei.* To. 3. Bibl. p. 1. p. 173.

XVII. Titus.

Elias III. Catholicus promotus anno Græcorum 1487. Chriſti 1176. *Titum* metropolitam Moſul, Hazzæ & Arbelæ conſtituit. *To. 2. Bibl. p. 450.*

XVIII. Sebarjesus.

Poſt Titum metropolitam Arbelæ ſedes à Moſulana iterum ſejuncta fuit, atque *Sebarjeſus,* qui Nuhadræ primum epiſcopus fuerat, Arbelæ metropolita factus, in Catholicum promotus quum eſſet, manum ei cum aliis metropolitis impoſuit Joſephus metropolita Moſul anno 1222. *Ibid. p. 453.*

Digitized by Google

ECCLESIA HAZZÆ & ARBELÆ.

XIX. DENHA.

Arbelæ metropolita erat *Denha*, quo tempore Machicha II. in Catholicum aſſumptus eſt, cujus & competitor erat cum Elia Gondiſaporenſi. Poſt, ejus fuit in Modaïnenſi ſuprema ſede ſucceſſor an. 1577. Chriſti 1266. *Ibid. p.* 455.

XX. MOYSES.

Ordinationi Jaballahæ III. Catholici anno Græcorum 1593. Chr. 1282. aderat *Moyſes* metropolita Arbelæ, ut & Gabriël Moſul. *Ibid. p.* 456.

XXI. ABRAHAM.

XXII. JOSEPH.

Arbelæ ſedem ſæculo decimo-quarto A ineunte *Abraham* tenuit; cui ſucceſſit *Joſeph* relicta Moſulenſi metropoli; Joſeph, inquam, ille, qui anno 1318. in Catholicum promotus Timothei nomen aſſumpſit. *To. 3. Bibl. Orient. p. 1. p.* 567.

XXIII. ADAM.

Sæculo decimo-ſexto Chaldæorum populus qui communionem cum ſede Romana ambire videbatur, Julio Papæ III. tres ſibi dumtaxat ſupereſſe ſincerioris veræque fidei antiſtites ſcribebat, *Adam* ſcilicet, *Thomam & Chaleph* epiſcopos Arbelæ, Salmaſti, Aderbejæ. Epiſtolam eorum Syriace exaratam Latinam fecit Andreas Maſius, ediditque poſt librum Moſis Bar-Cephæ *de Paradiſo*.

II. ECCLESIA HONITÆ.

HONITA Aſſyriæ civitas, ſub Adiabenes metropolita; de qua nihil certi comperi, niſi quod Nuhadræ proxima ſit atque Maaltæ: quippe trium illarum urbium unus aliquando epiſcopus fuit, adeoque Honita ad provinciam Arbelæ ſive Adiabenes pertinuiſſe videtur.

EPISCOPI HONITÆ.

I. ACEPSIMAS.

TOmo 1. *Bibl. Orient. p.* 193. ex Marutha Tagritenſi refertur *Acepſimam* à Phacaa pago oriundum regionis Honitæ epiſcopum, cum Joſeph preſbytero Beth-Catubæ & Aitallaha diacono Beth-Nuhadræ, ſive Nahardeæ, anno 37. perſequutionis Saporis regis comprehenſum, ſexageſimo-ſeptimo regni illius, exactis in carcere annis tribus cum dimidio, poſtremo ejuſdem Saporis anno, ſeptuageſimo exeunte martyrii coronam adeptum eſſe. Hujus memoria fit in Martyrologio Romano ad diem 22. April.

II. DINDOE.

III. SERGIUS.

Honitæ ſimul & Maaltæ epiſcopus erat *Dindoë*, cui defuncto Acha metropolita Adiabenes & Athur, ſive Aſſyriæ, ac Moſul, B ſucceſſorem ordinavit *Sergium* nomine. *To. 2. Bibl. Or. p.* 494. *ex Thomæ Maragenſis hiſtoria monaſtica lib. 2. cap.* 31.

IV. ROSTAMUS.

Joſeph metropolita Maru, vir flagitioſus cum Salomone epiſcopo Hadithæ, hoc inter alia facinus admiſit, ut *Roſtamum* Honitæ epiſcopum Arbelæ metropolitam ordinaret, Jeſuiab illius urbis antiſtite, quem Timotheus I. Catholicus conſtituerat, in vivis adhuc ſuperſtite. Paulo-poſt vero Roſtamus C inflicta à Deo pœna miſere periit. *Ib. p.* 433.

V. EBEDJESUS.

Timotheus ille Catholicus coacta undecim epiſcoporum ſynodo canones duodecim condidit: ipſique cum aliis aſſidebat *Ebedjeſus* epiſcopus Honitæ. *Ibid. pag.* 497. *& to. 3. p. 1. p.* 341.

III. ECCLESIA MAALTÆ.

NUHADRÆ atque Honitæ, ut mox dicebam, vicina civitas fuit Maalta in provincia Moſul, ſive Adiabenes, ut augurari licet, diverſa prorſus à Malatia vel Melitena minoris Armeniæ; eo maxime quod tertia erat diœceſis Maphriani, ſive Primatis Jacobitici, quæ ultra Tigrim Orientem verſus exporrigebatur. Illic vero Neſtoriani ſui generis epiſcopos complures habuere.

EPISCOPI

Digitized by Google

EPISCOPI MAALTÆ.

I. DINDOE.

II. SERGIUS.

DE *Dindoë* & *Sergio*, qui tum Honitæ, tum Maaltæ quoque epiſcopi fuerunt, modo jam dictum eſt in eccleſia Honitæ. Hic addo de *Sergio* ferri, quum Maaltæ eccleſiæ præeſſet, à Joſephi Maru, Salomonis Hadathæ, & Ephræmii Gondiſaporis partibus ſtrenue ſtetiſſe adverſus Timotheum I. qui Catholici dignitatem per fraudem arripuerat, eoque invito Moſulenſem metropolitam ad Seleu- B cienſem ſedem promoviſſe. *Mares Neſtorianus, & to. 2. Bibl. Or. p. 434.*

III. EBEDJESUS I.

Ebedjeſus, ſive *Abdjeſus II.* Catholicus monaſtica vita & eruditione apud ſuos clarus, Maaltæ primum ab Iſraële Catholico ordinatus epiſcopus fuerat; indeque ad Moſulenſem ſedem tranſlatus. *Ibid. p. 442.*

IV. JABALLAHA I.

A Mare II. Catholico *Jaballaha* Maaltæ epiſcopus metropolita factus eſt Niſibenſis.

V. JABALLAHA II.

VI. MALAMA.

Sebarjeſus III. Catholicus *Jaballaham* A Maaltæ epiſcopum Moſulenſem metropolitam creavit ipſo ſuæ promotionis die 25. Auguſti, anno Græcorum 1373. vel 1374. Chriſti 1062. vel 1063. Mox Maaltæ epiſcopum ordinavit *Malamam* nomine, cognomento Ebn-Dora. Ita Mares, de Jaballaha *vide to. 2. Bibl. Or. p. 447.*

VII. JOANNES.

Malamæ ſucceſſor fuit *Joannes*, qui ordinationi Abdjeſu III. Catholici interfuit.

VIII. CYRIACUS.

Ordinationi Machichæ I. Catholici anno Græcorum 1403. Chriſti 1092. aderat *Cyriacus epiſcopus Maaltæ.*

IX. EBEDJESUS II.

Iſraël Moſulenſis metropolita ordinavit *Ebedjeſum* Maaltæ epiſcopum, qui promotioni Denhæ I. Catholici interfuit anno Græ- C corum 1577. Chriſti 1266. *To. 2. Bibl. Or. pag. 456.*

X. GEORGIUS.

Electioni & ordinationi Jaballahæ III. Catholici, Denha I. defuncto, interfuit *Georgius Maaltæ. Ibid.*

VII. PROVINCIA BETH-GARMÆ.

I. ECCLESIA BETH-GARMÆ METROPOLIS.

GARME vel *Beth-Garme* Arabibus, Bajormi regionis prorſus nomen eſt, non civitatis quam Martyropolim dixerant, ut nonnullis apud nos viſum eſt. Quod quidem Agathias lib. 4. p. 136. ſignificat, ubi ait *Cerma vel forte gentis, vel regionis nomen fuiſſe:* καὶ γὰρ Κέρμα ἔθνους τυχὸν ἢ χώρας ὑπῆρχεν ἐπωνυμία. Quamquam non inficias ivero Beth-Garme urbis quoque nomen fuiſſe, quemadmodum Beth-Lapeth, Beth-Bagas, Beth-Seluc, Beth-Nuhadra, &c. Gentis vero Garmæorum meminit Ptolemæus *lib. 6. cap. 1.* quam *mediam* collocat *inter Arrapachitidem, quæ Armeniæ proxima eſt, & Sittacenen, quæ ad Suſianam pertinet. Sed & Arrapachitidem inter & Garamæos Adiabenen exſtare* ſubdit, *itemque Garamæos inter & Sittacenen, Apolloniatidem.* Garmæorum autem metropolim fuiſſe urbem Beth-Seluc, ſive Beth-Seleuciam, quæ & Carcha dicebatur, rite colligitur ex epiſtola ſynodica Mar-Abæ Catholici, qui quartum ei locum inter metropoles aſſignat, apud *Aſſemanum to. 3. Bibl. Or. part. 1. pag. 77. Ab epiſcopis,* inquit, *Patriarchalis ſedis, de conſenſu omnium epiſcoporum & ambarum urbium* (Seleuciæ & Cteſiphontis) *per litteras admoneatur metropolita Beth-Lapetæ, ſi canonice fuerit conſtitutus: deinde metropolita Perat-Meſenæ, deinde Arbelæ, quin etiam Beth-Seleuciæ; ubi metropolitas ſignificat Elamitarum, Meſenenſium, Adiabenorum & Garmæorum.* In Chaldæorum vero Pontificali, quintus legitur metropolita Garmæorum, ex quo Niſibenſis ſecundum locum poſt Catholicum obtinuit. Garmæorum autem regionis, præter Beth-Seleuciam complures urbes erant; puta Beth-Nicator, Laſciuma, quæ & Dakuka, Beth-Sori, Tahal, Mahuza, &c. Cæterum nulla illarum certa fixaque metropolitæ ſedes videtur fuiſſe.

EPISCOPI BETH-GARMÆ.

I. * * *

EX Ebedjeſu Sobenſi in collectione canonum, Garmæorum *metropolitam* primus inſtituit Simeon Barſaboë Catholicus & martyr ſub Sapore rege. *To. 3. Bibl. Or. p. 346.*

II. JOANNES I.

III. SAPOR.

Aſſemanus *to. 1. Bibl. Orient. p. 189.* ex Marutha Tagritenſi refert anno quarto perſequutionis quam in Chriſtianos excitavit Sapor Perſarum rex, id eſt ejuſdem Saporis 34. paſſum eſſe *Joannem epiſcopum oppidi Beth-Seleuciæ* juſſu Artaſciri Adiabeni reguli, qui Saporis regis germanus erat. Hujus meminit Sozomenus hiſt. eccl. lib. 2. cap. 13. Eodem auctore Joannem in paſſione ſequutus eſt eodem anno *Sapor* pariter *epiſcopus oppidi Beth-Seleuciæ.* Hic flagris in carcere tandiu cæſus eſt, donec animam efflaret: cujus caput præcidi, ſibique afferri juſſit Artaſcirus, ut de morte ejus certior fieret. Utrumque Beth- SAPOR.

A Garmæ epiſcopis accenſet vir doctiſſimus, *to. 3. Bibl. part. 2. pag. 748.* Quod quidem ex modo dictis facile eſt judicare; quando ex epiſtola Mar-Abæ Catholici ſupra citata diſcimus Beth-Seluc, ſive Beth-Seleuciam urbem metropolim eſſe Garmæorum.

Provinciæ, ut apparet, Beth-Garmenſis epiſcopus erat *Iſaac* qui in eadem perſequutione, eodem anno 4. lapidibus obrutus eſt in urbe Nicatoris ab ejuſdem loci pſeudo-Chriſtianis, quos Artaſcirus ad hanc impietatem compulit. Quænam autem fuerit ipſius B ſedes, ſiletur. *Vid. Aſſem. to. 1. Bibl. p. 189.* ISAAC epiſcopus ejuſdem provinciæ.

IV. ACHEBALLAHA.

V. * * *

VI. * * *

VII. JOANNES II.

Ex Catholicorum Orientis hiſtoria, quæ à Mare Neſtoriano Arabica lingua ſcripta eſt, ocſurente in Chriſtianos Iſdegerde, martyr occubuit *Acheballaha* metropolita Bajormi, vel

Digitized by Google

Beth-Garmæ, cujus pater à Sapore rege olim A ad ſolem adorandum compulſus, id facere renuens, in monaſterium ſeceſſit, ubi ſacerdos factus epiſcopi dignitate auctus eſt, multoſque baptizavit. Quumque Behramiſen Varananis regis filiam fuſis ad Deum precibus curaſſet, à Chriſti fidelibus inſectandis non nihil temperatum eſt. Recrudeſcente Iſdegerdis juſſu perſequutione Acheballaha occidi meruit, ſed eccleſiæ vaſis ſacris in terra prius defoſſis, quæ fruſtra à Gentilibus quæſita, ex indiculo quod ſua manu ſcriptum

JOANNES. reliquerat, ſubinde reperta ſunt, ſub *Joanne* B metropolita, qui tertius ejus ſucceſſor fuit. Unde tres mihi poſt Acheballaham Beth-Garmæ metropolitam numerandi veniunt, numerum claudente Joanne, de quo nihil aliud mihi venit dicendum.

VIII. Jacobus.

Inter Mar-Abæ Catholici vigeſimi-ſeptimi diſcipulos clarus fuit *Jacobus* metropolita Beth-Garmæ, ſub quo Moyſes Charchæ epiſcopus erat, & Barſabas Sçiaacherdæ. *To. 2. Bibl. Or. p. 412. &* *to. 3. p. 86.*

IX. Sebarjesus I.

Sedentibus Joſeph & Ezechiële Catholicis, graſſante diu in Perſarum ditionibus lue, *metropolita Beth-Garmæ*, & epiſcopus Ninives, triduanum jejunium Rogationum inſtar inſtituerunt, ad eum modum qui à Ninivitis Jona propheta apud ipſos Dei iram nuntiante, obſervatus fuerat. Quorum conſilium Ezechiël Catholicus probans, ad cunctas Orientis provincias ſcripſit, ut ejuſmodi jejunium triduanum admitterent. Hic Garmæorum metropolita *Sebarjeſus* nominatur in reſponſo Joannis Catholici, anno Chriſti 903. ad Abulabaſi interrogationem de illo Ninivitarum jejunio, apud Aſſemanum to. 2. p. 426. *Contigit aliquando*, inquit, *priſcis temporibus peſtilens morbus, quo plerique Beth-Garmæorum habitatores ſtatim atque affligebantur, animam exhalabant. Sebarjeſus hujus loci epiſcopus, cujus precibus eccleſiam Deus cuſtodiat, quum gregem ſuum ad ſupplicationem publicam convocaſſet, &c.* Quamquam idem Aſſemanus officium affert Chaldæorum, in quo Mar-Sebarjeſus dicitur *epiſcopus oppidi Seleuciæ*, qui Amro Neſtoriano Garmæ metropolita nuncupatur. *Ibid. p. 427.* Ex Thoma Marageuſi lib. 2. hiſt. monaſt. c. 7. Sub Jeſuiabo I. Catholico ſedebat Sebarjeſus metropolita Garmæorum, qui cum Georgio Adiabenorum itidem metropolita templum cœnobii S. Jacobi Deo dicavit. Inter epiſtolas ejuſdem Jeſuiabi una inſcribitur epiſcopo Garmæorum. *Ibid. p. 498.*

ECCLESIA BETH-GARMÆ.

X. Gabriel I.

Sub Gregorio Catholico circa annum 612. nec-non ſub ſucceſſoribus illius Jeſuiabo Gadalenſi, Mar-Ama, & Jeſuiabo Adiabeno Garmæorum metropolita erat *Gabriël Beth-Seleuciæ. To. 3. Bibl. pp. 106. 141. 142.*

XI. Gabriel II.

Sub Salibazacha Catholico Garmæorum eccleſiæ metropolita præerat *Gabriël* alter, cognomento Rakoda, Niſibi oriundus, Beth-Abenſis monaſterii alumnus, vir ſacrarum litterarum ſtudiis & aſceticæ vitæ exercitationibus excultus, quem Catholicus ille Charchæ & Garmæorum præſulem creavit, adeoque circa annum 720. *Vide to. 3. Bibl. Or. p. 460.*

XII. * * *

XIII. Simeon I.

Timotheus I. Catholicus quadrageſimus-quintus, qui muneribus datis dignitatem illam adeptus ferebatur, ordinatus demum fuit, C conſentientibus ſibi epiſcopis Damaſci, Maru, *Beth-Garmæ* & Holwan. Habita deinde ſynodo undecim epiſcoporum, unus fuit *Simeon* Beth-Garmæ. *To. 2. Bibl. Or. p. 497.*

XIV. Thomas I.

Promotioni Theodoſii Catholici anno Græcorum 1163. Chriſti 852. aderat *Thomas* germanus ejus frater Beth-Garmæ & Holwan metropolita, qui fratre medici cujuſdam apud Califam ſuggeſtionibus carceri tradito, cum eo triennium & menſes ſex perſeveravit.

XV. Nestorius I.

D Sub Joanne III. Catholico quinquageſimo-quarto Garmæorum metropolita ſedebat *Neſtorius* ejuſdem Joannis Catholici frater, ex hiſtoria Amri. *To. 3. Bibl. Orient. part. 2. p. 748.*

XVI. Theodorus.

Ab eodem Joanne III. *Theodorus* ex epiſcopo Laſçiumæ ad Beth-Garmæ metropolim tranſlatus eſt, hortante Neſtorio ipſo, de E quo modo dictum eſt, Theodori avunculo & Joannis fratre. Is vero tum Laſciumæ, tum Beth-Garmæ ſedem peſſime adminiſtravit, atque à Joanne IV. Catholico Joannis III. ſucceſſore ſæpe fruſtra admonitus, quod pſaltriam quamdam deperiret, eamque & ejus filiam apud ſe retineret, deſtitutus demum fuit. Quocirca ad Muſulmanos, ejurato Chriſti cultu tranſiens, medicæ arti operam dedit. *To. 2. Bibl. Orient. p. 440.*

ECCLESIA BETH-GARMÆ.

XVII. JESU-RACHMA.

Anno Græcorum 1274. Chriſti 963. quo Abdjeſus II. Catholicus renuntiatus fuit, eam dignitatem prenſabat *Jeſu-Rachma* metropolita Beth-Garmæ. Vixit itaque ſub Iſraële & Abdjeſu II. Catholicis. *To. 2. Bibl. p. 442.*

XVIII. NESTORIUS II.

Anno 1298. Chriſti 987. Beth-Garmæ metropolim gerebat *Neſtorius*, quo nempe adfuit ordinationi Maris II. Catholici, quem ille adduxit, ut, refragantibus aliis, electioni ſuæ aſſentiretur. Annos porro quadraginta ſediſſe fertur, ac demum apud Joannem VI. Catholicum accuſatus, quod ad iracundiam & ad anathemata intorquenda pronus eſſet, indicta cauſa dejectus eſt. Quod facinus omnium in Joannem odium excitavit. *To. 2. Bibl. p. 443. & 445.*

XIX. * * *

Electioni & promotioni Jeſuiab IV. Catholici anno Græcorum 1334. Chriſti 1023. interfuit *metropolita Beth-Garmæ, p. 446.*

XX. * * *

Metropolita Beth-Garmæ, de cujus provincia erat Ezechiël epiſcopus Naamaniæ, electioni Eliæ in Catholicum promotioni adfuit anno Chriſti 1028.

XXI. EMMANUEL.

Ex Amro Beth-Garmæ metropolita erat *Emmanuël* ſub Sebarjeſu Zanbur, circa annum 1063.

XXII. JABALLAHA.

Electioni & ordinationi Abdjeſu III. Catholici anno Chriſti 1075. aderat *Jaballaha* metropolita Beth-Garmæ. *To. 2. Bibl. Or. pag. 447.*

XXIII. DAVID.

Ab eodem quoque Catholico Ebedjeſu III. Aredi filio, *David Hadatha epiſcopus*, vel Harbat Gelil ad Beth-Garmæ metropolim tranſlatus fuit. *Ex Amro num. 66.*

XXIV. THOMAS II.

Elias II. Catholicus *Thomam* metropolitam Gondiſaporis ad metropolim Beth-Garmæ tranſtulit.

XXV. EBEDJESUS.

Anno Domini 1132. electioni Barſumæ Catholici Thomæ ſucceſſor *Ebedjeſus* filius Mokli Moſulanus metropolita Beth-Garmæ adfuit, qui ſubinde in Catholicum promotus eſt anno 1138. *To. 2. Bibl. p. 450.*

XXVI. ELIAS I.

Jaballaha II. Catholico ſedebat *Elias* Bajormi ex Amro in vita Jaballahæ. *Tom. 3. part. 2. pag. 748.*

XXVII. SEBARJESUS II.

Catholicus ſeptuageſimus-ſextus *Sebarjeſus* Meſſia Bagdadenſi patre natus, qui à puero monaſtico inſtituto nomen dederat, ordinatus primum fuerat poſt Eliam I. metropolita Dokukæ & Beth-Garmæ. *Ibid. p. 453.*

XXVIII. ELIAS II.

Ordinationi Denhæ I. Catholici ſeptuageſimi-octavi interfuit *Elias* metropolita Beth-Garmæ, qui manus illi impoſuit die 15. Novembr. anno Græc. 1577. Chriſti 1266. & poſt annos 16. adfuit promotioni Jaballahæ III. Catholici. *Ibid. p. 456.*

XXIX. SIMEON II.

Anno 1318. menſe Februario ſedebat *Simeon* Garmæorum metropolita. *Tom. 3. Bibl. Orient. p. 341.*

II. ECCLESIA SÇIAARCHADATÆ.

SÇIAARCHADATA, vel *Sçiaarkarda* Garmæorum regionis civitas fuit, hujuſque provinciæ epiſcopatus primus cenſetur.

EPISCOPI SÇIAARCHADATÆ.

I. NARSES.

ANno 4. perſequutionis qua Sapor Perſarum rex in Chriſtianos ſæviebat, *Narſes epiſcopus Sçiaarchadatæ* Garmæorum urbis, ejuſque diſcipulus Joſeph martyrio functi ſunt luna 10. Novembris. Quorum proinde memoria fit ejuſdem menſis 20. in ſynaxario Baſilii Imp. in quo hæc leguntur: *Narſes & Joſeph viri Perſæ ſingularis virtutis, verique Dei cultores creatoris cæli, & terræ, & maris, & cunctorum quæ in eis ſunt, nunquam à recta via divinoque mandato aberrarunt. Narſes epiſcopus conſtitutus, populum ad pietatem adhortando, complures diſcipulos contraxit, in quibus Joſeph fuit, quumque ambo operam darent, ut mortalium mentes magnis pravitatis erroribus ſeductas ad veritatem traducerent, ab infidelibus*

Digitized by Google

Perſis comprehenſi, & ad regem ducti, non ſi nos, A *inquiunt, ſepties occiſos ab inferis excitares, poteris ab amore Chriſti & fide abducere, gladio cæſi ſunt, Narſes nonaginta & Joſeph octo & triginta annos nati.* To. 1. Bibl. Or. p. 189.

II. Barsabas.

ECCLESIA SÇIAARCHADATÆ.

Inter diſcipulos Mar-Abæ Catholici claruit *Barſabas epiſcopus Sçiaarchadatæ.* To. 2. pag. 412.

III. ECCLESIA DAKUKÆ.

DAKUKA vel *Dokuka* Garmæorum civitas, ſecundus epiſcopatus eſt provinciæ Beth-Garmenſis, Arbela quinque dierum itinere diſtans, ut fert Abulfeda. Hanc Amrus, Aſſemano teſte, eamdem eſſe aſſerit ac *Laſciumam:* ſed & ſedes identidem fuit metropolitæ Beth-Garmenſis.

EPISCOPI DAKUKÆ.

I. Sebarjesus I.

B

II. Michæas.

INter Syros ſcriptores in catalogo Ebedjeſu claruiſſe dicitur *Michæas,* qui nempe Barſumæ Niſibenſis, Acacii Narſetis & aliorum de Edeſſena ſchola Neſtorianorum ſocius fuit, à qua ejectus quum eſſet, à Catholico Chaldæorum Laſçiumæ epiſcopatu donatus fuit. *Scripſit,* ait Ebedjeſus, *quinque cauſas ſeſſionum & orationum de Cantropo & de Sebarjeſu Laſciumæ,* quos nempe laudabat; nec-non *commentarium in librum regum Iſraël.* Hujus quidem *Sebarjeſu Laſciumæ epiſcopi,* Aſſemanus ait narrari geſta à Gabriële Moſulenſi carmine Syriaco: ſed & in eumdem Sebarjeſum & Hormiſdam haberi carmen, *tom. 1. Bibl. Orient. p. 582.* Addit *ex Thoma Maragenſi lib. 2. hiſt. monaſt. cap. 33.* carmen Michææ quod in laudem cujuſdam Cantropi forſan aut Sebarjeſu condiderat, in cœnobio Beth-Abenſi, in commemoratione Jacobi illius cœnobii fundatoris cani ſolitum, donec Gabriël Rakoda proprium aliud de Jacobo condidit.

III. Sebarjesus II.

IV. Ananjesus I.

Eamdem eccleſiam *Sebarjeſus* anno 596. & *Ananjeſus II.* circa annum 780. regebant, quando in Catholicos promoti fuerunt.

V. Theodorus.

Joannes III. Catholicus *Theodorum* filium Choni fratris ſui Laſciumæ epiſcopum ordinavit, poſt annum 893. Hic *Commentator* eſt C appellatus, quippe qui Ebedjeſu teſte, *librum ſcholiorum* compoſuit, Eccleſiaſticam hiſtoriam, *Documenta,* aſceticoſ-ve ſermones, & *Paracleticos ſermones,* de defunctis.

VI. Emmanuel.

Dakukæ ſedem *Emmanuël* Catholicus prius tenuerat, quam in Catholicum an. 938. aſſumeretur. *To. 3. part. 2. p. 748.* ex Amro D in ejus vita.

VII. Sebarjesus III.

Ita demum *Sebarjeſus V.* Catholicus Dakukæ epiſcopatum antehac tenuerat. *To. 2. Bibl. Orient. p. 453.*

IV. ECCLESIA DARABADÆ.

DARABADAM Elias Damaſci metropolita quartum Beth-Garmenſis provinciæ epiſcopatum habet. Darabadam à Darabgerda diſtinguit Aſſemanus; hancque in Perſide proprie dicta collocat, à Darabo Perſarum rege conditam. De Darabgerda igitur infra ſuo loco dicemus, ubi de epiſcopis metropolitæ Perſidis obnoxiis. Interim nullus mihi Darabadæ epiſcopus occurrit.

V. ECCLESIA CHANIGIARÆ.

ELIÆ Damaſceno Chanigiara & Laſçiuma quintus eſt provinciæ Garmæorum epiſcopatus, utraque vero urbs proprios epiſcopos videntur olim habuiſſe. Atqui ex utriuſque conjunctione apparet, eas vicinas omnino fuiſſe: Arbela autem, Abulfeda teſte, quinque dierum itinere diſtat.

EPISCOPI CHANIGIARÆ.

A

I. CYRIACUS.

CHANIGIARÆ anno Græcorum 1135. Chriſti 824. epiſcopus erat *Cyriacus*, qui Joſue Bar-Nun in Catholicum promotioni interfuit. *To. 2. Bibl. Or. p. 434.*

II. JOANNES.

Ex epiſcopo Chanigiaræ *Joannes* Theodoſii Catholici fratris filius ab Enos Catholico ad Moſulenſem ſedem tranſlatus eſt, ac demum Catholicatum obtinuit. *To. 3. p. 617.*

VI.

ECCLESIA BUAZICHÆ.

BUAZICHAM, ſive *Beth-Vaſich* duplicem urbem ab Abulfeda diſtingui, ex Aſſemano obſervavi, quarum altera in Aſſyria inter Tacritum & Arbelam, ac prope Elſen exſtaret, *cuique nomen aliud Coniſapor eſſet*, altera in Babylonia, in regione Anbaræ, adeoque haud procul Seleucia. Quando igitur eccleſiam Senæ ſive Elſen cum Buazichenſi ſequiori ævo conjunctam fuiſſe legimus, id de Aſſyriaca ac priore illa, non de Babylonica accipiendum venit.

EPISCOPI BUAZICHÆ.

I. ELIZÆUS.

B

II. GEORGIUS.

EX *Thoma Maragenſi in hiſt. monaſt. lib. 4. cap. 20.* ex cœnobio Beth-Abenſi *Coniſaporis* ſive *Beth-Vazichæ* epiſcopatum obtinuerunt *Elizæus* & *Georgius*. *Bibl. Or. to. 3. p. 489.*

III. STEPHANUS.

Electioni Ebedjeſu Catholici ſexageſimiſeptimi aderat *Stephanus epiſcopus Elſen & Buazichæ*. Hunc nimirum deceſſor Ebedjeſu Sebarjeſus Zanbur, qui Catholicus ſedit ab anno 1063. ad 1072. Buazichæ epiſcopatum Senenſi conjungens, Stephanum epiſcopum utrique præfecerat, ut Amrus ſcribit. *To. 3. Bibl. Or. part. 2. p. 740.*

C

IV. ABDELMESSIAS.

V. ABU-HALI.

Stephano ab Ebedjeſu Catholico *Abdelmeſſias* metropolitæ Baſſorenſis germanus frater ſuffectus eſt: quo ſubinde undis ſubmerſo, idem Catholicus utriuſque illius eccleſiæ præſulem conſtituit *Abu-Hali* filium Taheri, ex eccleſia *Dair-El-Roum* aſſumptum.

VI. NARSES.

Salomon epiſcopus ſive metropolita Perat-Maiſan, vel Baſſoræ, librum ſuum, cui *Apis* titulus eſt, *ſocio ſuo Domino Narſeti* epiſcopo Coniſaporis Beth-Vaſic nuncupaſſe in ipſa libri inſcriptione legitur.

Digitized by Google

VIII. PROVINCIA HOLWANENSIS.

I. ECCLESIA HOLWANÆ METROPOLIS.

HOLWAN vel *Holwana* provinciæ Irac ſive Arac Babylonicæ civitas extrema eſt, Orientem verſus, ait in Alfraganum Golius, qua parte montes Bagdado collimitaneos reſpicit, & Parthiam attingit. Bagdado quinque vel ſex diætis diſtat, Aquilonem verſus, cujus conditor fuit Cabades Firaz Saſanita, adeoque Saracenico imperio anterior eſt. Ampla olim, & populis frequens fuit, in qua æſtatis tempore frigidioris auræ captandæ gratia Califæ ſecedebant. Malorum Punicorum & ficuum copia & excellentia nulli ſecunda. Quin & ibi fontes medicati pellendis morbis variis proſunt. Aliis vero eadem urbs *Hala*, & *Halach* dicitur, cujus vicina regio Chalachena Ptolemæo nota fuit, ſupra Adiabenen ſita, in confinio Mediæ & Aſſyriæ. Septima cenſetur Eliæ inter Orientis metropoles, cujus præſul unus eſt illorum ad quos Catholici electio & ordinatio ſpectat; quocirca in Neſtorianorum Pontificali, quod doctiſſimus Morinus edidit, pro *Dahalon*, omnino legendum Holwan. Cæterum metropoli Holwanæ aliquando *Raïa* metropolis altera juncta fuit, eique ſubjectæ ſedes epiſcopales erant, Hamadanæ, Dainur, Nahavandæ, & Georgianorum; poſteriori autem ævo poſt annum 1175. Holwanenſis metropolitæ ſedes tranſlata Hamadanam videtur Aſſemano, quippe ſub Elia II. Joannes Hamadanæ metropolita nuncupatur, nec ulla deinceps Holwanæ occurrit apud ſcriptores Neſtorianos mentio.

EPISCOPI HOLWANÆ.

I. Surinus.

NISIBIS primum metropolita fuit, ac ſubinde Holwanæ *Surinus*, qui anno Græc. 1065. Chriſti 754. regia manu primariam ſedem, Seleucienſem ſcilicet invaſit. *To. 2. Bibl. Or. p. 431.*

II. * * *

Timothei I. Catholici, qui eam dignitatem muneribus datis adeptus erat, electioni refragatus eſt, nec niſi ægrè aſſenſus eſt *metropolita Holwanæ* cum quibuſdam aliis, anno ſcilicet Græcorum 1091. Chriſti 778.

III. Thomas.

Ordinationi Theodoſii Catholici anno Græcorum 1163. Chriſti 852. aderat *Thomas metropolita Holwanæ & Beth-Garmæ.*

IV. Stephanus.

Sergius Catholicus, qui anno 1171. Chriſti 860. Modaïnenſem ſedem conſcendit, *Stephanum* metropolitam Holwanæ conſecravit. *To. 2. Bibl. p. 439.*

V. Jesuiab.

Anno 1204. Chriſti 893. die 15. Julii A *Jeſuiab* Suſarum epiſcopus Holwanam tranſlatus fuit. *Ibid. p. 440.*

VI. Emmanuel.

Jeſuiabo utique ſucceſſit *Emmanuël*, qui anno 1211. Chriſti 900. Holwanæ metropolim gerebat, adſuitque promotioni Joannis IV. Catholici. *Ibid.*

VII. Joannes I.

Promotioni Iſraëlis Catholici anno 962. aderat *Joannes* metropolita Holwanæ, qui B ſtatim cum aliis fuga ſeceſſit, quia negotium vi à Sultano adhibita agebatur. In vivis adhuc ſuperſtes erat anno 987. quo Mares Catholicus renuntiatus eſt. *To. 2. Biblioth. Orient. p. 442. & 443.*

VIII. * * *

Jeſuiabo IV. Catholico manum impoſuere anno Chriſti 1020. præter duodecim epiſcopos, metropolitani Moſul, Beth-Garmæ *& Holwanæ.* Ibid. p. 446.

IX. Abdelmessias.

Quum epiſcopi complures electioni Sebarjeſu III. Catholici palam repugnarent,

Digitized by Google

horum præcipuus fuit *Abdelmeſſias* metropo- A lita Holwan & Raiæ. Attamen quum omnes ad illius ordinationem accederent, ei quoque demum aſſenſus eſt. Qui poſt annos decem adfuit quoque electioni Ebedjeſu III. filii Aredi Catholici. *Ibid. p. 448.*

IV. JOANNES II.

Anno Græcorum 1403. Chriſti 1092. ordinationi Machichæ I. Catholici, quin etiam Eliæ II. anno 1422. Chriſti 1111. interfuit *Joannes* metropolita Holwanæ & Raiæ. *Ibid. p. 448. & 449.*

II.

ECCLESIA DINAR.

DINAR ſive *Dinevar* inter maximas regionis Algebal ſive montanæ Perſidis urbes cenſetur, quam Geographus Nubienſis in veteri Parthia ſitam ait, Hamadana diſtantem ſexaginta mill. paſſ. Occaſum verſus, ſed non nihil declinando ad Septemtrionem. Eliæ Damaſci epiſcopatus primus eſt provinciæ Holwanenſis, ſed cujus antiſtitem neminem nactus ſum.

III.

ECCLESIA HAMADANÆ.

HAMADAN vel *Hamdan* Parthiæ veteris civitas fuit, quam Golius in Alfraganum eamdem eſſe conjicit atque *Ecbatana* Medorum olim regiam. Urbs eſt hodieque maxima, jacens ad radices montis quem *Alvend* vocant. Illic Perſarum reges æſtatem agebant ad calores nimios evitandos. Hamadanæ epiſcopus metropolitæ titulo aliquando auctus potituſque eſt, quum nempe, ut reor, Holwana hoſtibus ingruentibus vaſtata eſſet. Cæterum Eliæ Damaſceno epiſcopatus ſecundus eſt provinciæ Holwanenſis.

EPISCOPI HAMADANÆ.

I. ABRAHAM.

EBEDJESUS II. Catholicus *Abrahamum* Hamadanæ epiſcopum ad metropolim Hazæ ſive Adiabenes tranſtulit, cujus vitam, quum multi carperent, epiſcopos duos Elias II. Catholicus miſit, qui eum ad mores mutandos excitarent, ſin vero de criminibus quæ illi objectabantur, inquirerent: verum in illos irruerunt Hamadanenſes homines qui Abrahamo favebant. Quum itaque à Catholico ſæpe accerſitus, accedere contemneret, de- B poſitionis ſententiam ſubiit. Per ſeptennium autem in Muſulmani cujuſdam ædibus delituit, donec obtenta ab Ebedjeſu Catholico venia, Hamadanenſibus ipſis poſtulantibus reſtitutus fuit. *Mares & Amrus to. 3. Bibl. Orient. p. 201.*

II. JOANNES.

Elias III. Catholicus *Joannem* metropolitam Moſul ad Hamadanam metropolim tranſtulit. *To. 2. Bibl. p. 450.*

IV.

ECCLESIA NAHAVANDI.

HOLWANENSIS provinciæ epiſcopatus tertius eſt Nahavandus Eliæ Damaſceno, regionis Algebal ſeu montanæ civitas Hamadana, Dinar & Aſpahan magnitudine inferior, Hamadana ad Auſtrum 14. paraſangis remota. Hanc urbium Parthiæ antiquiſſimam dicunt, imo à Noë Patriarcha conditam fabulantur. Nullus vero mihi Nahavandi epiſcopus ſuppetit.

V.

ECCLESIA CARCH.

CARCH civitatem in regione Perſidis montana apud Nubienſem reperio, nec mihi dubium eſt quin ipſa ſit epiſcopatus quartus provinciæ Holwanenſis, qui legitur in tabula Eliæ Damaſceni. Nullus vero mihi epiſcopus ejus occurrit.

IX. PROVINCIA

Digitized by Google

IX. PROVINCIA PERSIDIS.

PERSIS propriè ſumpta, ipſa regio eſt quam *Pharſiſtan* vocant cum Carmania. Metropolita Perſidis octavus cenſetur diœceſis Chaldæorum in Eliæ Damaſceni notitia; ubinam vero ſederit, operoſum eſt definire. Nam *Sciraz* regionis totius illius caput, ſimplex epiſcopatus fuit, primus eorum qui Perſidis metropolitæ ſuberant. An itaque ulli ſpeciali ſedi metropolitica jura attributa fuerint, incertum mihi prorſus eſt: idem in illa provincia accidiſſe putaverim, atque in Beth-Garmenſi, ut modo unus alicujus ſedis epiſcopus, modo alter alterius iis ſuo ordine potitus ſit. Quo tempore Timotheus I. Chaldaïcæ eccleſiæ præerat, Seleucienſis præſulis auctoritatem Perſidis epiſcopi ſubire detrectabant. *Aiebant enim*, ait Bar-hebræus: *nos Thomæ Apoſtoli diſcipuli ſumus, nihilque nobis cum Maris ſede commune eſt. Præterea veſtibus albis utebantur. Epiſcopi ſcilicet eorum, & quotquot erant de monaſtico ordine aſſumpti, inſtar preſbyterorum ſæcularium, carnes quoque comedebant, & uxores ducebant.* Cæterum Timotheus, ubi dignitatem quam ſibi malè comparaverat, aſſertam intellexit, animum attendit, quo ſibi Perſidis metropolitam ſubjiceret. Votorum compos factus Simeonem quemdam eis præfecit, cui injunxit, *ne carnes prorſus comederet; albis tamen laneis eos uti veſtibus conceſſit. Permiſit quoque illi ut electos epiſcopos ipſe conſecraret, ne ſcilicet, ut epiſcopi aliarum provinciarum, opus haberent Catholicum conſecrationis ergo adeundi. Quæ quidem conſuetudo uſque in præſentem diem viget.* Hæc Bar-hebræus ſcitu digniſſima, quippe quæ regiminis Patriarchæ ſive Catholici Seleucienſis ſpeciem nobis præbent, ad quem proinde, ut in diœceſi Alexandrina fiebat, omnes epiſcoporum ditionis ipſius ordinationes ſpectarent, præterquam Perſidis. Quod vero in illa provincia monachis aliquando nubere fas foret, pravæ hujus conſuetudinis alius auctor non fuit, niſi impius ille Niſibis metropolita Barſumas, de quo ſuo loco diximus. Cæterum quod à Timotheo I. Catholico patratum Bar-hebræus narrat, id Mares Neſtorianus à Jeſuiabo III. qui Timotheo longe anterior extitit, conſtitutum ait. Enim vero in hiſtoria monaſtica Thomæ Maragenſis epiſtolæ multæ exſtant Jeſuiabi de illa metropolitæ Perſidis à Seleucienſi ſede defectione, quarum una inſcribitur Simeoni epiſcopo metropolitano Ravardſciri, ſive qui Ravardſciri in Perſidis civitate ſedebat. Ex quo compertum fit, urbem hanc provinciæ illius metropolitani ſedem tunc fuiſſe. *Vide to. 3. Bibl. Orient. p. 126. & ſeqq.*

METROPOLITÆ PERSIDIS.

JOANNES.

IN ſynodi Nicænæ Patrum indice, qui Latine ſupereſt, & in Arabico Joannis Seldeni, *de provincia Perſidis*, legitur *Joannes Perſidis*. Euſebius quoque diſerte teſtatur inter Nicænos Patres ſediſſe *Perſidis epiſcopum*, qui in actis ejuſdem concilii à Gelaſio Cyziceno conſcriptis, epiſcopus dicitur eccleſiarum, τῶν ἐν Περσίδι καὶ τῇ μεγάλῃ Ἰνδίᾳ, *Perſidis & magnæ Indiæ*, de quo ſatis diximus in prolegomenis ad diœceſim Chaldæorum.

In ſubſcriptionibus quoque Chalcedonenſis concilii legitur, *Perſam epiſcopum Perſice ſubſcripſiſſe*, Πέρσης ὑπέγραψα Περσιστί. An vero hic Perſidis metropolita fuerit, nulla ratione conſtat, uti certe neque de Joanne.

I. MAHNA.

Sub Jaballaha I. Catholico, Iſdegerde II. à Perſarum rege, Theodoſio juniore Romanis imperante, Perſidis metropolita ſedebat *Mahna* ſive *Maanes*, qui eidem Jaballahæ defuncto ſuffectus fuit. Quod argumento eſt Perſidem id temporis Seleucienſis Catholici juris fuiſſe, à quo diſſidere cœperit à temporibus Barſumæ Niſibenſis, qui Cavade rege Neſtorianis ſuis, invito Catholico, auctor fuit, ut epiſcopi & monachi uxores impune ducerent, carnibuſque veſcerentur. Quam diſciplinæ inverſionem quia poſterioris ævi Catholici emendare ſtuduerant, Perſidis metropolitæ & epiſcopi morem illis gerere contemſerant, uſque ad tempus, ut prædictum eſt, Timothei I. Catholici aut Jeſuiabi III. Atqui *Mahna* ſive *Maanes* cum Barſuma, Narſete & Acacio in Edeſſena Neſtorianorum ſchola educatus, Zenone Imp. illinc ejectus fuerat; unde in Perſarum ditionem profectus, Perſidis epiſcopus creatus primùm ob

doctrinæ famam fuit, ac ſubinde in Catholicum poſt Jaballaham I. aſſumptus. Quo vero anno epiſcopus ſit ordinatus, quo item Catholicus factus, nullo monumento planum fit.

II. SIMEON.

III. JESU-BUCHAT.

Ex Maris hiſtoria Jeſuiabo III. Catholico, qui anno Græcorum 971. Chriſti 660. obiit, ſedebat *Simeon* Perſidis metropolita, quem Catholicus ille per epiſtolam convenit, ut eum ad ſibi obtemperandum adduceret, quum, veluti dictum eſt, multi ejus deceſſores id præſtare diu detrectaſſent: id ex Bar-hebræo, Timotheo I. Catholico, factum eſſe ſuperius etiam narravi. Atqui ea in epiſtola Jeſuiabi Catholici ad Simeonem metropolitam Perſidis, adverſus illum, ejuſque deceſſores expoſtulabat, quod *ex quo ab eccleſiaſticis canonibus defecerant,* ſive Catholicorum juriſdictionem contemſerant, *interrupta erat apud Indiæ populos ſacerdotalis ſucceſſio. Nec,* inquit, *India ſolum, quæ à maritimis regni Perſarum finibus uſque ad Colon, ſpatio ducentarum ſupra mille paraſangarum extenditur; ſed & ipſa Perſarum regio veſtra, divinæ doctrinæ lumine, quod per epiſcopos veritatis refulget, orbata, in tenebris jacet.* Hujus diſſidii cauſa litteras quoque nonnullas ſcripſit ad Catarenſes epiſcopos, qui metropolitæ ſui defectionem totis viribus ſuis fovebant. *To. 3. Bibl. Orient. pag. 131. & ſeqq.* Inter Neſtorianæ ſectæ eruditorum libros in catalogo Ebedjeſu

Jesu-Buchat.

Sobenſis mentio fit conſtitutionum *Simeonis & Jeſu-Buchat metropolitarum Perſidis.* Quo autem tempore Jeſu-Buchat ille ſederit, nullo mihi pacto conſtat.

IV. BABÆUS.

Circa annum Chriſti 780. ſub Ananjeſu II. Catholico ſedebat *Babæus* Perſa epiſcopus Ravardſciri & metropolita Perſarum; qui Sobenſi teſte cap. 110. compoſuit ſolutiones variarum quæſtionum. *To. 3. p. 176.*

V. JOANNES I.

Metropolita Perſidis erat *Joannes* ſub Enos Catholico, an. 877. à quo pontificatus gradu dejectus, & ad preſbyterorum ordinem redactus eſt. Hunc vero paulo-poſt Joannes III. Catholicus priſtino ſuo honori reſtituit.

VI. GABRIEL.

VII. MARES.

Mares II. filius Tobi Catholicus, è Moſulenſium Chriſtianorum primoribus oriundus, ab epiſtolis fuit filiæ Ahmed uxoris Naſeraddoulæ: deinde vero monaſtico inſtituto ſuſcepto, quum in Sahide ſive Thebaïde Ægypti provincia peregrinatus eſſet, poſt ſuum in patriam reditum ſacerdos eſt ordinatus. Quia autem œconomiæ peritus erat, monaſterii Elhacem negotiis gerendis præfectus fuit, quod officium eximia conſtantia ſuſtinuit, ipſo tempore, quo cædes in vicina Meſchita patrata erat, unde Muſulmani Chriſtianis nocendi colores quæſierant. Huic Ebedjeſus II. Catholicus omnium ſuæ ditionis monaſteriorum inſpectionem injunxit, luſtratoremque & vicarium ſuum præfecit.

Gabriel.

Mortuo *Gabriële Perſidis metropolita,* ejus in locum ſuffectus eſt, poſtulante Almanſor Naſer F. Haron, veſteque donatus ex Adaddoulæ theſauro, atque à Perſidis Chriſtianis omni honore exceptus. Poſt Adaddoulæ obitum, turbatis rebus Perſidis, regione à Dilemitis deſolata, Mares prædæ partem recuperavit. Tum licentia à Catholico petita ad ſuos revertendi nec obtenta, in Serfeddoulæ præfecti exercitum tranſiit, cujus demum opera Ebedjeſu defuncto, Catholici dignitate auctus eſt anno Chriſti 987. *Ex Mare, & to. 2. Bibl. Or. p. 443.* Ebedjeſus Sobenſis in ſcriptoribus Syris cap. 188. meminit hujus *Gabriëlis,* quem *Sabochoſtæ* epiſcopum dicit, ut qui nempe hac in urbe metropolita ſederet. *To. 3. Bibl. Orient. p. 277.*

VIII. SALOMON.

Mares ſtatim atque Catholicus creatus eſt *Salomonem* ex epiſcopo Zuabiæ metropolitam Perſidis inſtituit. *To. 2. Bibl. Or. p. 443.*

IX. JOANNES II.

Joannes ex Gorge Gedan monachus, cœnobii patriarchalis diaconus, vix legendi ſaltem peritus, ordinatus primum fuit epiſcopus Elſen, deinde metropolita Perſidis; quumque Arjun veniſſet, audiiſſetque Marem Catholicum obiiſſe, Bagdadum reverſus à Califa Catholicus renuntiatus eſt an. 1001. *Ibid. p. 444.*

X. EBEDJESUS.

Electioni & ordinationi Ebedjeſu IV. Catholici aderat cum Joanne Niſibenſi & Joanne Moſulenſi aliiſque epiſcopis *Ebedjeſus* metropolita Perſidis anno Chriſti 1139. *Ib. p. 450.*

XI. ABRAHAM.

Epiſtolæ ſynodicæ quam Elias Catholicus ad Paulum Papam V. Amidæ dedit die 8. Martii anno Chriſti 1616. cum aliis archiepiſcopis ſubſcripſit *Abraham epiſcopus Vehdonſores,* id eſt ditionis Perſarum. Hunc inter Perſidis metropolitas annumerat Aſſemanus *to. 3. part. 2. p. 771.*

Digitized by Google

I. # ECCLESIA SCIRAZ.

SCIRAZ *Pharſiſtanæ* vel *Phares*, ſive *Perſidis* propriè ſumptæ, caput, primus ejuſdem provinciæ epiſcopatus eſt in Eliæ Damaſceni notitia. De ejus ſitu legendus Geographus Nubienſis, cui ſexta ſeptimaque parte climatis tertii urbs Sciraz veluti centrum eſt aliarum ejuſdem regionis civitatum. Videtur Aſſemano aliquando fuiſſe Perſidis metropolitæ ſedes. Nullus vero mihi urbis hujus epiſcopus occurrit.

II. # ECCLESIA ASTACHAR.

ASTACHAR ſecundus ſub metropolita Perſidis epiſcopatus, Nubienſi urbs & regio dicitur. Urbs, inquam, ad flumen Cqeriiab poſita, pontem habens, qui *Pons Choraſan* dicitur. Aſtachar à Sciraz diſtat 36. mill. paſſ. Hanc ipſam eſſe Perſepolim veterem aiunt, quæ & Chilminar dicitur à quadraginta columnis quæ in ejus ruinis ſtant.

III. # ECCLESIA SAPORIS.

SAPOR, ſive *Sabur*, Nubienſi Geographo civitas eſt terræ Perſidis, diverſa prorſus à Niſapore Choraſaniæ laudatiſſima urbe, etſi aliter viſum fuit doctiſſimo Aſſemano. Quinimo ipſe vir doctus *to. 3. part. 2. p. 773.* ultro demum fatetur, hanc aliam non eſſe à Sabochoſt urbe Perſidis, quæ in regiuncula eſt, cui nomen *Curat-Sapor* ſive *Regio Saporis:* ſed & Perſidis metropolitæ ſedes aliquando fuiſſe fertur. Tertius vero epiſcopatus eſt ſub Perſidis metropolita.

EPISCOPI SAPORIS.

I. GABRIEL.

EBEDJESUS in catalogo Syrorum ſcriptorum cap. 188. meminit *Gabriëlis* epiſcopi A Sabochoſtæ, qui anno Græc. 1274. Chriſti 963. Perſarum metropolita quum eſſet, adfuit promotioni Ebedjeſu II. Catholici. *To. 3. Bibl. Or. p. 277. & ſeqq.*

IV. # ECCLESIA CARMANIÆ.

CARMAN ſive *Carmania* Perſidi affinis verſus Auſtrum, provincia eſt cum ejuſdem nominis primaria civitate, quæ quartus epiſcopatus eſt ſub metropolita Perſidis; ſed cujus antiſtitem neminem inveni.

V. # ECCLESIA DRANGERDÆ.

IN notitia Eliæ metropolitæ Damaſci epiſcopatus provinciæ Perſidis *Drangerda* ſcribitur, quæ mihi alia non eſt à *Darabgerd*, vel *Darbeged*, Phariſtanæ ſive Perſidis urbe, quæ à Sciraz 150. mill. paſſ. diſtat. Mares Neſtorianus *Darabgerd* ſcribit.

EPISCOPI DRANGERDÆ.

I. MALECHUS.

ANno 552. Joſeph in Catholicum promotus, quum in diœceſis ſuæ præſules & ſacerdotes inſaniret, epiſcopum Zabarum ſive Naamaniæ throno ſuo dejecit, qui quum medicæ artis Perſicæque linguæ peritus eſſet, ſupplex regem Saporem adiit, utque ab eo B gravamine levaretur impetravit. Eadem via *Malechus* epiſcopus Darabgerdenſis à rege pro incolumitate ſua diploma obtinuit: quod tamen Joſephus in partes ſcindere non dubitavit. Verum increbreſcente apud Perſas flagitiorum ejus fama, nomen ejus è ſacris diptychis expunctum fuit. Hæc Amrus Neſtorianus in vita Joſeph. *To. 3. Bibl. Or. p. 433.*

Digitized by Google

VI.

ECCLESIA SIRAPH.

SIRAM urbem fruſtra quæro in Perſide, ſed nec ullus ejus occurrit epiſcopus, quum tamen ſextus cenſeatur Perſidis epiſcopatus. Siraph vero & Sarvan Nubienſi illius regionis civitates ſunt: ſed & Siraph caput eſt regionis quam *Curat-Ardaſcir* dicunt.

VII.

ECCLESIA SOCOTRÆ.

QUæ Græcis olim *Dioſcoris* nuncupata eſt, hanc Arabes *Zocotram* dixere, inſulam inſignem Indici vel Perſici maris, ſinus Arabici qui *Mare Rubrum* appellatur oſtio objecta. In hanc Ptolemæi qui in Ægypto rerum potiti ſunt, imo ſi ſua ſit Nubienſi Geographo fides, Alexander ipſe magnus, colonias ſui generis Græcas deportavere, ejuſque deinceps incolæ ad Saracenica uſque tempora ſermone Græco uſi ſunt. Qui etiam ab antiquo tempore Chriſtianas leges acceperunt. Quocirca Coſmas Indico-pleuſta qui ſub Juſtiniano Imp. per Orientem peregre ivit, *Clericos in ea reperiri* ait, *qui in Perſide ordinati illuc mittebantur, quum illic magnus Chriſtianorum numerus degeret.* At *clericorum* nomine qui in Perſide ordinati erant, epiſcopos omnino ſignificabat, qui à metropolita Perſidis conſecrabantur. Hæc quidem Coſmas ſæculo Chriſti ſexto medio. Sic vero etiam Marcus Paulus Venetus ſæculo decimo-tertio labente, quum in eam quoque inſulam navigaſſet, inſulam à Chriſtianis inhabitatam reperit, quibus unus præeſſet archiepiſcopus, cujus juriſdictioni ſubeſſent inſulæ duæ in alto mari exiſtentes, quæ triginta milliaribus ab invicem diſtarent. « In quarum » una, inquit, viri morantur ſine mulieribus, vocaturque inſula maſculina, in alia feminæ ſine » viris, & hæc quoque vocatur inſula feminina. Sunt autem Chriſtiani, & habent inter ſe » matrimonia. Mulieres nunquam veniunt ad inſulam virorum, ſed viri viſitant mulieres, » moranturque cum illis tribus continuis menſibus; poſthæc revertuntur in inſulam ſuam, ubi » per reſiduum anni tempus manent. Et retinent mulieres filios maſculos ſecum uſque ad » decimum-quartum annum; poſtea mittunt eos ad patres. Mulieres nihil agunt, niſi quod » curam habent filiorum, & fructus quoſdam legunt. Viri vero laborant, & curam habent, » quomodo uxores & filios nutriant. Vacant piſcationibus, & infinitos capiunt piſces, quos » recentes & deſiccatos vendunt negotiatoribus, & hinc multum habent lucri. Veſcuntur » lacte, carnibus, piſcibus & riſo. Abundat mare illud cetis & magnis piſcibus. Viri regem » non habent, ſed epiſcopum ſuum Dominum agnoſcunt, ſubjecti archiepiſcopo de Socotra. » Hæc Marcus de inſulis illis duabus Socotræ vicinis, in qua inſula potiori eſſe inter Chriſtianos refert incantatores multos qui pro libito naves in mari revocare queant, ut volunt, etiamſi proſpero vento utantur, poſſuntque arte ſua diabolica contrarium ventum excitare, qui navem etiam invitam reducat. Quod Luſitani Socotræ inſulæ Chriſtianos Jacobitas eſſe ſcripſerunt, emendatione prorſus indiget, quum Neſtorianos Orientis ab ejuſdem tractus Jacobitis ſecernere, non ſatis noverint.

EPISCOPI SOCOTRÆ.

I. DUA.

EX Didaco de Couto aliquandiu poſt annum 880. deficientibus apud Malabares ſacerdotibus, à Modaïnenſi Catholico metropolita ad illos miſſus eſt, qui Joannes vocabatur, cum epiſcopis duobus, quorum unus *Mar-Dua* nomine inſulæ Socotræ præeſſet.

II. * * *

Sebarjeſus III. Catholicus qui anno Chriſti 1063. Chaldæorum ſedem obtinuit, viſitatores miſit qui Indici maris inſulas luſtrarent, & cum illis unum quem *Socotræ pontificem* ordinavit. *Mares & Amrus in vita illius Catholici.*

III. CYRIACUS.

Ordinationi Jaballahæ III. Catholici aderat *Cyriacus* epiſcopus Socotræ, anno Græcorum 1593. Chriſti 1282. *To. 2. Bibl. Or. p. 456.* Circa illa tempora, nec multo poſt Marcus Paulus Venetus in hac inſula Socotra, ut prædictum eſt, præſulem reperit, quem *Archiepiſcopum* appellat.

Digitized by Google

VIII.
ECCLESIA RAVARDSCIRI.

RAVARDSIRUS ſive *Rivadſcir* urbs Perſidis propriè dictæ quæ & aliquando fuit ſedes metropolitæ; cujus tamen rara apud auctores mentio. *Thomas Maragenſis lib. 2. hiſt. monaſt. c. 14.* Georgium Catholicum ait ad Catarenſes profectum eſſe, *qui à ſede Ravardſciri, hoc eſt, Perſidis defecerant, ut eos conciliaret;* quod ſcilicet tunc temporis ibi ſedebat Perſidis metropolita.

EPISCOPI RAVARDSCIRI.

I. SIMEON. II. BABÆUS.

DE *Simeone* & *Babæo* metropolitis ſupra dixi, qui ambo Ravardſciti ſediſſe memorantur.

IX.
ECCLESIA CATARÆ.

AD provinciam Perſidis, ejuſque adeo metropolitam ſpectabat *Catara* regio, eaque non Bactriana, ut nonnullis viſum eſt, ſed Arabica prorſus ad Sinum Perſicum, ubi Plinius Catathras ſeu Chelonitidas duas inſulas collocat. Jeſuiabus III. Neſtorianorum Catholicus in epiſtola ad Catarenſes populos, qua de Catarenſium epiſcoporum à ſua ſede defectione queritur, inſulas complectitur Cataræ & incolas deſerti Arabiæ, Dirini ſcilicet, Maſamig, Talon, Chata & Hagar, quibus Socotram inſulam haud prorſus ab eis diſtantem addunt. Ex his locis præter Socotram, Maſamig epiſcopali ſede ornatam idem Catholicus teſtatur, quid-ni etiam alia perinde! Omnis porro regionis illius epiſcopi metropolitæ Perſidis ſuberant, velut ex ejuſdem Catholici Jeſuiabi epiſtolis conſtat, quæ *to. 3. Bibl. Orient. pag. 126. & ſeqq.* recitantur.

EPISCOPI CATARÆ.

I. GABRIEL.

SUb Phetione Catholico, circa annum Chr. 740. claruit *Gabriël Catarenſis epiſcopus,* qui Elia Sobenſi teſte, orationem condidit de unione incarnationis ſcilicet, quæſtionum ſolutiones & de re fidei. Babæus magnus archimandrita, qui anno Chr. 570. vivebat, ſcripſit de Abraham Niſibeno & de Gabriële altero Catarenſi, ut Sobenſis tradit *cap. 66.*

X.
ECCLESIA DIRIN.

CATARENSIUM inſula Dirin fuit, eadem Aſſemano quæ Daden vel Dadiana, quæ reliquarum prima memoratur in earum recenſione in epiſtola Jeſuiab III. Catholici ad Simeonem Perſidis metropolitam, hujuſque epiſcopus unus occurrit Jacobus *tom. 3. Bibl. Orient. pag. 111.* ubi de Jeſuiabo Arzunita Catholico, qui Reſponſa 20. ſcripſit ad totidem ejuſdem Jacobi Dadianæ epiſcopi quæſtiones.

XI.
ECCLESIA MASAMIG.

MASAMIG Catarenſium inſula eſt Jeſuiabo III. Catholico, in epiſtola ad Simeonem metropolitam Perſidis, ſed ſubinde Baſſorenſis metropolitæ ditionis facta eſt. Pene affirmavero *Maſamig* nihil diſcrepare ab illo Æthiopicæ oræ nobili emporio quod *Moſambic* dicitur, ubi Neſtoriani ut in inſulis circum aliis ſedes fixerunt.

EPISCOPI MASAMIG.

I. ABRAHAM.

JESUIAB III. Catholicus epiſtolam Catarenſibus ſcripſit, ut *Abrahami* epiſcopi Maſamig communionem evitarent, quippe qui Catarenſes monachos dure exagitarat & expulerat. *To. 3. Bibl. Orient. p. 143.*

X. PROVINCIA MARU.

IN Choraſania Perſici regni provincia urbes duæ ſunt nomine *Mera* vel *Maru*, inſignes, alia *Maru El-Roud*, vel *Maru El-Kagehan*, Abulfedæ; ſecunda vero Septemtrionem verſus poſita, urbs ſatis ampla Selgiucidarum olim delicium, alteri ſtructuræ magnitudine, elegantia & ordine longe præcellens, vixque ulli Choraſaniæ civitati cedens, ait Golius, hæcque ad flumen Morcab exſtructa eſt. Geographi Nubienſis interpres, primam *Maru-Alrudh* dicit, ſecundam quemadmodum etiam Abulfeda, *Maru-Alſciahegian*, inter quas, ait auctor, ſtationes ſex numerantur. Addit Abulfeda Maru Sciahgian duodecim dierum itinere à Niſabur, Harath, Balcha & Bochara diſtare. De ſecunda utique, hic ſermo eſt. Atqui in Choraſania Chriſti religio ſub Sapore rege annuntiata eſſe fertur, deincepsque Maru inter metropoles ab eis cenſita eſt, ac certe nona in tabula Amri.

EPISCOPI MARU.

I. BAR-CODBSABA.

SAPORIS Perſarum regis uxorem à lepra ſanaſſe fertur *Bar-Codbſaba* Chriſtianus, qui epiſcopus conſecratus, in provinciam Maru & Choraſaniæ pergens, evangelium ibi prædicavit, multoſque baptiſavit. Obiit exacto ſeptuageſimo epiſcopatus anno. *Ex Mare.*

II. DAVID I.

Elizæus Catholicus anno 520. in eccleſia Sbaniræ ſive Cteſiphontis ordinatus eſt adverſus Narſetem, à *Davide* metropolita Maru. *Bibl. to. 2. p. 409.*

III. THEODORUS.

Metropolita Maru *Theodorus*, S. Eugenii geſta & Græcorum commentarium in Pſalmos verſibus enarravit, reſponſa quoque ad decem quæſtiones Sergii rogante Mar-Aba Catholico; claruit proinde anno 540. Atqui Mar-Eugenius, Syriace Mar-Eugiu, monaſticæ vitæ in Oriente inſtitutor primus claruiſſe dicitur, tempore Conſtantini magni. *Renaudot in ſchedis.*

IV. DAVID II.

Poſt Theodorum ſedit *David* alter ejuſdem Mar-Abæ diſcipulus, anno 550. *To. 2. Bibl. Or. p. 412. to. 3. p. 86.*

V. ELIAS.

Anno 650. Choraſaniæ metropolita fuit *Mar-Elias*, cujus paulo-poſt iterum mentio fiet in Ebedjeſu metropolita Maru altero. Hic à Choraſanienſibus uti ſanctus habitus eſt, multaque ſcripſit, præſertim vero eccleſiaſticam hiſtoriam. Hic Jeſuiabo III. animam exhalanti adfuiſſe fertur. *To. 3. Bibl. p. 148.*

VI. JOSEPH I.

Timotheo I. anno 778. Catholico, dignitatem illam apud ſuos ſummam promiſſo pretio adepto, epiſcopi quibus pecunias ſe daturum ſpoponderat ab eo defecerunt, quorum unus fuit *Joſeph* metropolita Maru, vir diſſidiorum, variorumque flagitiorum auctor. In primis una cum Salomone epiſcopo Hadithæ, Jeſuiab Arbelæ ſive Adiabenes metropolita in vivis ſuperſtite, illius urbis pro illo antiſtitem ordinare non dubitavit Roſtamum quemdam Honitæ epiſcopum, qui paulo-poſt exſtinctus eſt. Facti pœnitens Salomon epiſcopatu abdicato, in monaſterium ſeceſſit. Joſeph demum ad ordinem Timothei ſententia redactus, ad Saracenos, abnegato Chriſto, tranſiit. *To. 2. Bibl. pp. 433. 495. & to. 3. p. 207.* ubi cuncta quæ hac in cauſa geſta ſunt, ex Thoma Maragenſi recitantur.

VII. JOANNES.

Sergius Catholicus *Joannem* Baladenſem metropolitam Maru ordinavit, anno 860. *To. 2. Bibl. Or. p. 439.*

VIII. JOSEPH II.

Joannis IV. Catholici promotioni anno Chriſti 900. adfuit ſuoque conſenſu illam probavit *Joſeph II.* metropolita Maru, cum Sebarjeſu Bardaæ metropolita. Sic Mares, ex quo emendandum quod *to. 2. Bibl. p. 440.* legitur, Joſephum Bardaæ metropolitam adfuiſſe electioni Joannis IV. Catholici, reponendumque *Joſepho metropolita Maru, & Sebarjeſu metropolita Bardaæ.*

IX. Ebedjesus.

Mares II. Catholicus ſtatim atque dignitatis illius compos fuit *Ebedjeſum* epiſcopum Aſpahan ad metropolim Maru tranſtulit, qui ſub Joanne V. Turcarum gentem Chriſti cultum docuit, idque ſcripta eidem Joanni epiſtola nuntiavit, quam Bar-hebræus ſuæ de Catholicis Orientis hiſtoriæ inſeruit. « Quo » audito Joannes Ebedjeſu reſcripſit, ut duos » illuc preſbyteros & diaconos mitteret cum » paramentis altaris, ad eos qui crediderant » baptiſandos, docendoſque Chriſtianas leges, » utque jejunio Dominico ſive Quadrageſimali » ab eſu carnis abſtinerent, permittentes tamen » illis, ut lac biberent, quum cibi Quadrageſimales in eorum regione, ut ferebant, nulli A eſſent. » Ejus tempore Romanæ ſive Byzantinæ copiæ in Choraſaniam uſque penetrarunt, quam injuriam Muſulmani iniquo animo ferentes, in Chriſtianos ſævierunt, & ſepulcralem arcam Mar-Eliæ regionis quondam metropolitæ, de quo quinto loco diximus, igne ferroque rumpere fruſtra conati ſunt: quod etiam Ebedjeſus data Mari II. Catholico epiſtola altera ſignificavit. *Mares, & to. 2. Bibl. p. 444.*

X. Georgius.

Sebarjeſus III. Catholicus *Georgium* cognomento *Alſakani* ordinavit metropolitam Choraſaniæ & Rigeſtaniæ, qui in regionem Cataïenſem profectus, in ea ad mortem uſque egit.

Sub metropolita Maru epiſcopatus tres fuerunt, ex Eliæ notitia, ſcilicet Dair-Hannes, Damaduthæ, Daabar-Sanaiæ, de quibus locis nihil mihi hactenus alias occurrit. Sed & eidem metropolitæ obnoxia erat eccleſia Sarchaſæ in Choraſania.

XI. PROVINCIA HARÆ.

HARA vel *Hari,* vel *Herat,* Eliæ Damaſceno octava metropolis eſt diœceſis Chaldæorum, in notitia vero Amri undecima, ut aiunt, anno 411. ab Achæo Catholico, vel, anno 503. à Sila, aut certe anno 714. à Salibazacha, quam viri eruditi eamdem eſſe aſſerunt atque Ariam, urbem Bactrianæ, ut eam deſcribit Strabo, & monti quo ea regio ſuccingitur, ad Arium amnem, qui *Heri* quoque dicitur poſitam. Hæc porro Choraſaniæ quoque cenſetur, ſed ei Segeſtania eccleſia in Tabula Eliæ Damaſceni ſubjicitur.

EPISCOPI HARÆ.

I. Jonas.

Electioni Joſue cognomento Bar-Nun B Catholici interfuit *Jonas epiſcopus Haræ,* anno 1131. Chriſti 820. *To. 2. Bibl. Or. p. 435.*

II. Abraham.

Mares II. Catholicus anno 1000. *Abrahamum* filium Abdi monachum cœnobii Jonæ, metropolitam Haræ ordinavit. *Ibid. p. 443.*

XII. PROVINCIA KATRABÆ.

KATRABAM, ſive *Ketarbam,* tum etiam *Catarbam,* Elias Damaſcenus duodecimam metropolim eſſe ait diœceſis Chaldæorum. Quam quidem Aſſemanus in diſſertatione de Neſtorianis p. 603. & 740. inſulam eſſe prodit maris Aman vel Oman ſive Æthiopici, ad Auſtrum Arabiæ felicis. Id quod doctiſſimo Herbelotio teſte, comprobat, qui in ſua Bibliotheca Orientali quam Gallico idiomate evulgavit, inſulam hanc his verbis deſcribit: *Cothrobah inſula maris Oman ſive Oceani Æthiopici, ad meridiem poſita alterius quæ Gezirat al-Carud, id eſt inſula ſimiarum appellatur. Hæc autem de qua nunc loquimur, à Chriſtianis inhabitatur, nec niſi ſexaginta circiter milliaribus ab ora Æthiopica diſtat.* Quocirca Catrabam inſulam mediam ſtare oportet inter Æthiopicum littus & inſulam Socotram, priſcam-ve Dioſcoridem, in quam aliaſque vicinas Græcorum coloniam ab Alexandri magni ævo deductam tradunt, ac certe Chriſtianis incolis frequentatam. De quo legendus Coſmas Indico-pleuſta, nec-non *Marcus Paulus, lib. 3. capp. 37. & 38.*

Digitized by Google

XIII. PROVINCIA SINARUM.

AMRO Neſtoriano metropolita Sinarum duodecimus cenſetur Chaldaïcæ diœceſis, ac metropolitæ Indiarum præmittitur, ut inde quis forſan inferat Chriſtianam religionem è Choraſania in Tartariam & ſubinde in Cathaïam invectam prius à Neſtorianis illis fuiſſe, quam in regiones Indiæ. Verum Chriſtianorum Chaldæorum communis ſententia & aſſertio eſt Apoſtolum Thomam per Indias Evangelium prædicaſſe, indeque ad Sinas uſque penetraſſe. Sic enim in eccleſiæ Malabaricæ officiis illius in honorem cani ſolitum Athanaſius Kircherus perhibet p. 57. *Chinæ illuſtratæ*, ſodalem ſuum Trigaltium teſtem appellans. *Per ſanctum Thomam*, inquiunt, *evanuit error idololatriæ ab Indis. Per ſanctum Thomam Sinæ & Æthiopes* (Aſiatici ſcilicet Arabiæ vicini) *converſi ſunt ad veritatem. Per ſanctum Thomam baptiſmi ſacramentum acceperunt, adoptionemque filiorum. Per ſanctum Thomam crediderunt & confeſſi ſunt Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Per ſanctum Thomam acceptam ſervaverunt fidem unius Dei. Per ſanctum Thomam doctrinæ vivificæ ſplendores orti ſunt univerſæ Indiæ. Per ſanctum Thomam regnum cœlorum volavit & aſcendit ad Sinas.* Indos quidem Apoſtoli Thomæ doctrina imbutos non inficior, quippe quod priſcis eccleſiæ ſcriptorum teſtimoniis ſatis conſentaneum eſt. Atqui Sinas eoſdem eſſe ac decantatiſſimos veteribus *Seras* omnium ſententia eſt, Chriſtianam vero religionem ſæculo ſaltem tertio ad Seras uſque propagatam eſſe diſertiſſimus teſtis eſt libro 2. adverſus Gentes Arnobius: *Enumerari enim poſſunt*, inquit, *atque in uſum computationis venire ea quæ in India geſta ſunt, apud Seras, Perſas & Medos, in Arabia, Ægypto, in Aſia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas .... apud dominam ipſam Romam, in quo homines ſunt Numæ regis, atque antiquis ſuperſtitionibus occupati, non diſtulerunt tamen res patrias relinquere, & veritati coaleſcere Chriſtianæ.* Ad Sinas profecto Chriſti cultus jam olim ab Indis tranſire facile poterat; quum illi merces ſuas in Taprobanam inſulam Malabaricæ oræ proximam adveherent; in qua ſcilicet Coſmas Indico-pleuſta eccleſiam Chriſtianam advenarum ex Perſide cum ſacerdote & miniſtris ſuo tempore, hoc eſt ſæculo ſexto medio, exſtitiſſe prodit.

Ut autem Indiarum metropolita, metropolitæ Sinarum à Seleucienſibus poſtpoſitus ſit, non alia mihi cauſa videtur fuiſſe, niſi quod, quum priſcis temporibus Indiarum eccleſiæ metropolitæ Perſidis regimini & ordinationi creditæ eſſent, hique erga illas negligentes adeo ſe præberent, ut vix ullus in vaſtis illis regionibus epiſcopus reperiretur, Timotheus I. Catholicus è re ſua eſſe cenſuit, ut metropolitam Indiis præficeret, quum jam ante Sinarum eccleſia ſuo quoque potiretur. Quod nempe factum eſt poſt annum 780.

Quia vero de Sinarum gente à nobis remotiſſima agitur, nullo teſtimonio nobis certum eſſe poteſt, ante ſæculi præcedentis initia Chriſtum apud illam nuntiatum fuiſſe. Quod quidem anno 636. factum diſcimus ex præſtantiſſimo monumento quod ſæculo nupero adulto repertum fuit in civitate Sinarum *Sighanſu* dicta, provinciæ *Xemſi*. Tabula ampla eſt marmorea, cruce in ſuprema ſua parte inſignita, in qua fidei noſtræ præcipua capita caracteribus Sinicis exarata ſunt, ſcilicet de uno Deo, vero, rerum cunctarum principio, & creatore, qui non niſi Syra voce *Alaha* nominatur, Sinico nullo vocabulo ſupremum nomen Deum efferente, de creatione mundi, hominis efformatione & lapſu ac Satanæ fraude. *Ibi trium perſonarum divinarum una*, Neſtoriano more, *ſeſe clariſſimo venerabiliſſimoque Mixio* (Meſſiæ) *communicaſſe legitur, operiendo abſcondendoque veram majeſtatem ſuam, ſimul homo prodiit in ſæculum. Spiritus de cœlis ſignificavit lætitiam. Virgo femina peperit ſanctum in Tacyn.* (Judæa) *Clariſſima conſtellatio annuntiavit felicitatem Quum novam legem prædicaſſet, docuiſſetque morum præclare inſtituendorum regulam, octo beatitudines, & tres virtutes, reſeravit vitam, deſtruxit mortem, cruci affixus meridie, ut deſtrueret poteſtatem tenebrarum, & munita loca inferni. Aſcendit demum in cœlum.* Additur *remanſiſſe ſcripturarum viginti ſeptem libros, legem lavacri ſalutaris, aquam ſpiritus, quæ abluendo ſuperficiem, exornat, & purificando ſpiritum, interius dealbat. Cruce ſignatos*, vel Cruciferos ſive Chriſtianos, *diſperſos eſſe in quatuor mundi partes, &c. Ad Orientem ſacrificando & orando reſpiciunt; barbam alunt, radunt capitis* verticem,

Digitized by Google

verticem, ſervos non habent, nec pecuniam, ſed omnia pauperibus diſtribuunt, jejunant ſepties, quotidie orant pro vivis & mortuis. Primo hebdomadis die ſacrificium offerunt, purificant corda abſolvendo à peccatis. Pergitur in illa inſcriptione de illo qui Chriſtum Sinis primus annuntiavit. *Tempore regis Tai-ſum-ven ex Tacyn* (Judæa ſive Syria) *venit ſanctus quidam vir, nomen ejus erat Lo-puen* (vel, ut Semedo legit) *Olopuen, venit directus à cæruleis nubibus, contemplando ventorum regulam. Miſſus Colaus quidam cum ſcipionibus regiis, juſſit in palatium transferri libros legis, inquiſivit de eadem lege Chriſtiana diligentiſſime, tum eam promulgari dilatarique mandavit anno Chim-quon.* Qui annus ſecundum Boyni calculos reſpondet anno Chriſti 639. Semedo vero refert ad annum 636. exiguo diſcrimine, quod in typographos refundendum venit, qui 9. pro 6. inverſa littera poſuerint. Mox ſequitur de propagata religione. Laudatur terra *Tacyn*, ſed obſcure & ænigmatice. Imperator *Cao-ſum* majorum
» exemplo eccleſias ædificari juſſit. « Lex Evangelii per omnia regna propagata: *Olopuen*
» honoratus. Anno *Xim-lie* (circiter 699.) Bonzii & alii adverſus Chriſtianos inſurrexerunt
» in quibuſdam provinciis, quo tempore erat princeps ſacerdotum (ſive Epiſcopus) *Gio*, qua
» voce *Joannem* ſignificari aiunt: & circa annum 713. alii calumniis quoque cœperunt
» Chriſtianam religionem laceſſere. Epiſcopus ille cum alio *Kie-lie* cœpit retia diſrupta
» reficere, favente Imp. *Yuen-ſum-chi-tao*. Is quinque leges miſit ad reſarciendam eccleſiam
» erigendaque rurſus altaria, trabes conſolidando. Juſſit in eas inferri Impp. effigies & munera
» ex ſerico. Ita memoriam ſui in eccleſia reliquit. Circa annum 745. fuit in Judæa vel Syria
» (paraphraſis in India) ſacerdos quidam *Kie-ho*, qui ſtellarum ope ductus in Chinam appulit,
» & ad conſpectum regis admiſſus eſt. Ipſe cum aliis ſacerdotibus rem Chriſtianam adjuvit,
» inter alios *Lohan* & *Pulum* magnis operibus claruerunt. Regia edicta in eccleſiis propoſita.
» *Su-ſum-ven-min* erexit in pluribus locis eccleſias, anno, ut ſupputant, 757. Imp. *Tai-ſum-ven-vu*,
» anno 763. die natali Domini odores ad eccleſiam mittebat, & annonam eccleſiaſticis præ-
» bebat. Alius *Kien-ſum-xim-ven-vu* regnare cœpit anno 780. Novis rationibus Chriſtianam
» fidem propagare cœpit. Columna 20. laudes ejus celebrantur. Donavit veſtem cæruleam &
» violaceam ſacerdoti *Yſu*; cum honoris titulo: venerat ille ex regno Pagodum in India.
» Columna 22. regulus quidam cui nomen *Co-cu-y*, Chriſtianus prorſus, prudentia & bello
» inſignis, munera pretioſa eccleſiæ obtulit, inprimis rem dictam *Poli*, eorum ornandorum &
» reparandorum curam habebat. Quotannis quatuor eccleſiarum ſacerdotes congregabat,
» egenos ſuſtentabat, variiſque miſericordiæ operibus vacabat. Eorum memoria ob felicem
» inſtitutionem eccleſiæ *Sinenſis*, in cauſa fuit, cur marmor ſtatueretur ad laudem Impera-
» torum qui fidem Chriſtianorum tantis ſtudiis propagavere, quorum proinde virtutes cele-
» brantur columna 28. Erectus lapis fertur ad honorem imperialis familiæ *Tam*, Imperatoris
» *Kien-ſum* anno 2. Demum columna 29. declaratur quo tempore legis Dominus, ſive
» epiſcopus *Nim-xu* Orientalium terrarum populos regebat: ac nota Chronologica, Alvaro Semedo teſte, hunc ſenſum habet: » *In noſtro Potentatu magni Tam, anno 2. hujus Kien-ſum* (videlicet anno Domini 780. vel 781.) *die 7. menſis Autumni, die Dominica, hic lapis erectus fuit, epiſcopo Him-ciù eccleſiam Sinenſem adminiſtrante, à Mili* (ſeu Mila) *ſacerdote de Balch Taburſtano.* Hæc leguntur in monumento Sinico, quæ eccleſiaſticæ illius Imperii hiſtoriæ ſummam efferunt, ac quibus conſtat Chriſti religionem octavo etiam ſæculo labente apud Sinas floruiſſe.

A tempore erecti lapidis diu apud Sinas Chriſti cultus perſeveravit. Nam ſcriptores Arabes duo quorum *de rebus Sinicis* quas ipſi viderant, narrationes doctiſſimus Euſebius Renaudotius Gallico idiomate redditas publici juris fecit, oculati teſtes ſunt anno 851 necnon anno 877. Chriſtianos complures à ſe repertos in Sinarum Imperio; ſed innumeros eorum in mutatione Imperii quæ anno illo 877. accidit, internecione trucidatos. Golius quoque in ſuis ad Alfraganum annotationibus p. 76. ex Abulfergio refert illius ævo, anno
» Hegiræ 387. Chriſti 997. « *Tachonem* Sinarum urbem regia ſede eminuiſſe, idque ex fide
» monachi Nageranenſis, qui illuc à Patriarcha ſuo miſſus fuerat. » Quem Golius *Patriarcham* dicit, *Catholicus* appellatur in Abulfergii fragmento, quod ipſe Arabicè in ora exemplaris annotationum illarum ſuarum exaraverat, quodque in ora quoque ſui exemplaris eximius è Sorbonica ſocietate Doctor Ludovicus Picques ὁ μακαρίτης perinde exſcripſit. Hunc porro ſenſum laciniæ hujus voces Arabicæ ferunt: *Abulfergius dixit, à ſe viſum Moſulæ Nageranenſem monachum, cum quinque ſociis ſuis è Sinarum regione regreſſum; anno* (Hegiræ 387.) *quum illuc ante ſeptem annos miſſus eſſet à Catholico. Tuncque urbs Taghon regia Imperii ſedes erat.* Viri eruditi *Taghon* urbem eſſe cenſent quæ *Pient-choun* dicitur, non infimi apud Sinas nominis. Hoc vero Abulfergii teſtimonio conficitur Modaïnenſem Chaldæorum Catholicum curam adhuc Sinarum eccleſiæ geſſiſſe anno Domini 997.

Recentiorem vero adhuc teſtem, ac locupletem prorſus, habemus Marcum Paulum

Venctum qui ſæculo decimo-tertio ad finem vergente, regiones pene omnes Orientis inviſit, atque in urbe Cingianſu *Sighanſu*, in qua monumentum de quo diximus, ſtat, ætate ſua eccleſias duas exſtitiſſe ſcripſit lib. 2. c. 61. illaſque ædificatas à *Mar-Sargis*, ſive *Mar-Sergio*, qui à magno *Cham* civitatis illius præſulatum obtinuit anno Domini M. CCLXXXVIII. vel, ut in regio fertur codice, M. CCLXXVIII. Sæculo eodem decimo-tertio medio Willelmus de Rubruquis ordinis Minorum alumnus, qui paulo ante Marcum in illam quoque regionem penetraverat, Neſtorianos exſtitiſſe ait in quindecim Cathaïci tractus urbibus, quorum epiſcopus in provincia *Segin* morabatur, quæ ipſa eſt in qua civitas exſtat *Sighanſu;* in qua proinde ſedebat Chriſtianorum Neſtoriani generis metropolita. Sed & duos illo tempore Sinarum ſive Cathaïæ metropolitas à Bagdadenſi Catholico ordinatos fuiſſe mox dicemus.

Præterea vero ex altero ejuſdem ordinis Minorum ſcriptore Joanne de Monte-Corvino, narrabimus ſæculo decimo-quarto jam adulto, quam plurimos ibidem, quemadmodum in Tartaria, ab eo repertos fuiſſe Neſtoriani ritus Chriſtianos; quorum paulatim numerus imminutus eſt ob paſtorum præſertim penuriam, quum vix ægrè in remotiores regiones Catholicis Bagdadenſibus epiſcopos ſive metropolitas mittere liceret.

At certe ſeverior illa diſciplina, quam in monumento Sinico deſcriptam legimus, apud illos Chriſtianos poſterioribus illis ſæculis admodum recruduerat. Nam de Rubruquis ille ubi officia eccleſiaſtica Syriaco idiomate quod Sinæ nulli intelligerent, peragi ſolita ſcribit, hinc factum eſſe ſubdit, ut omnes præ nimia imperitia moribus eſſent corruptiſſimi, uſuris præſertim & ebrietati dediti. Sed nec epiſcopus ille ſive metropolita eccleſias niſi rariſſime inviſebat, vixque ſemel infra quinquaginta annos. Pueros, ait, fere omnes ſacris ordinibus, ipſo quoque ſacerdotio initiabat, nec ullas alias eccleſiæ leges obſervari curabat, adeo ut ſecundas nuptias, prima uxore defuncta contrahere neutiquam dubitarent. Quamquam illa puerorum in diaconos & ſacerdotes promovendorum conſuetudo in aliis Chaldæorum diœceſis provinciis, præſertimque in Tartarico tractu admodum illo eodem tempore inoleverat.

Cæterum alio rurſum ſuoque loco dicemus, de Fratribus Minoribus qui Joanne de Monte-Corvino duce in partes Orientis ultimas à Romano Pontifice miſſi, Sinis denuo Evangelium prædicarunt, quibus archiepiſcopus ſubinde datus eſt ipſe Joannes, cui alii toto illo ſæculo ſucceſſerunt, quum Imperatorum nutu in civitate Chanbalienſi & in aliis urbibus eccleſias erexiſſent, epiſcopos quoque conſecraſſent.

Horum omnium obliterata penitus apud Sinenſes memoria erat, quando è Latinis noſtris prædicatores alii ad verbum ſalutis illis annuntiandum perrexerunt. Hinc eſt quod ab indigenis edoceri minime potuerunt, quæ in vaſtiſſimæ ſuæ regionis locis veſtigia Chriſtiani cultus veteris aut recentioris apparerent.

Ut demum ad Sinarum illum epiſcopum, ſeu metropolitam redeam, cum putavero ſolum prorſus fuiſſe, qui epiſcopos nullos ſibi obnoxios noſſet, quemadmodum in Æthiopia ſive Habeſſia fieri ſolere omnes ſciunt; quin etiam uti metropolita iſte ex Æthiopicæ gentis indigenis non aſſumitur, ſed ex Ægypto ab Alexandrino Patriarcha Coptarum ad illos mittitur, ita quoque à Catholico Chaldæorum ex Aſſyria gente Sinenſium metropolita. Id quod perinde Malabarenſibus factitari ſolitum mox dicemus.

EPISCOPI SIGHANFU.

I. Olopuen.

Ex illo itaque inſigni monumento, primus qui religionem Chriſtianam Sinis prædicavit, & Sinenſem eccleſiam fundavit, *Olopuen* à Sinis ipſorum idiomate vocabatur; mutato ſcilicet de more illius gentis nomine, quum Syriacum aliud gereret. An vero epiſcopus vere fuerit, quando in eam regionem pervenit, an ſimplex ſacerdos, ambigere quis poſſit. Verum quamvis ſolo ſacerdotii gradu ornatus in illud Imperium appulerit, ſubſequuto tamen tempore eum Pontificali auctum fuiſſe pluſquam ſimile vero eſt. Eam itaque ab an. 636. ac deinceps obtinuit.

II. Gio *vel* Joannes.

Poſt *Olopuen* anno 699. princeps ſacerdotum, ſive epiſcopus Sinenſium erat *Gio;* quo nomine *Joannem* ſignificari non male affirmat Kircherus. Hic cum alio *Kie-lie* Sinice nominato, poſt gravem quam à Gentilibus tolerarunt perſequutionem, anno Domini 713. favente ſibi Imperatore *Yuen-çum-chi-tao*, Chriſtianam rem reſtituit.

III. Kieho.

Anno 745. in Sinas ex Tacyn, ſive Syria aut Aſſyria ſacerdos *Kie-ho* in Chinam appulit, cum ſacerdotibus aliis, *Lo-han* & *Pu-lum* qui magnis operibus claruerunt. Ubi omnino ſignificatur Seleucia à Catholico miſſus metropolita Sinenſis cum aliis ſacerdotibus.

IV. David.

Timotheum I. Catholicum ad Sinas epiſcopum *Davidem* miſiſſe nobis compertum fit ex Thoma Maragenſi: *Sinenſibus,* inquit,

Digitized by Google

lib. 4. cap. 20. *metropolitam datum fuiſſe Davidem, ex epiſtolis Mar-Timothei didici.* Bibl. Or. to. 3. p. 489.

V. Ysu.

Sinis ab anno Chriſti 780. imperante Kien-çum-xim-ven-vu, ſacerdos alter *Yſu,* qui cum honoris titulo è regno Pagodum, ſive per Indiam venerat, Evangelium prædicans, eximiis muneribus honeſtatus eſt. Abſurdus non ero ſi nomen ejus Syriacum fuiſſe *Joſue* dixero.

VI. Him-ciu.

Metropolita Sinarum erat *Him-ciu,* quando monumentum marmoreum ex quo hæc accepta ſunt, erectum, anno 780. vel 781.

VII. Thomas.

Luſitani ſcriptores ex Malabaricorum Chriſtianorum voluminibus aut traditionibus narrant, ex ora illa Indici maris à Græco Patriarcha, ſeu Bagdadenſi potius Catholico diu poſt annum Chriſti 889. miſſum eſſe metropolitam Mar-Joannem cum epiſcopis duobus, quorum unus in Socotra inſula ſubſtitit, alter qui *Mar-Thomas* dicebatur, eccleſiæ *Maſinæ* præfectus fuit; Maſinæ nomine *Chinam* intelligentes. Hic itaque, ut videtur, ad Sinas per Taprobanam inſulam maritimum iter arripuit.

VIII. * * *

Quo tempore Willelmus de Rubruquis ad Sinas uſque penetravit, decimo-tertio ſæculo medio vix elapſo, Chriſtianos Neſtorianos quindecim illius regni civitates incolere reperit, quibus tunc *unus præeſſet epiſcopus,* qui in civitate *Seguin,* ſive *Sighanfu* ſedebat. *Relation des voyages de Tartarie, &c. p. 117.*

IX. Simeon.

Anno Græcorum 1590. Chriſti 1279. *Simeon* cognomento Bar-Kalig, Tauſæ Choraſaniæ urbis epiſcopus, à Denha Catholico metropolita Sinarum creatus eſt, qui quum erga Denham ſuperbius agere cœpiſſet, Catholici juſſu Aſnam in civitatem Adorbiganenſis regionis urbem eſt adductus, ac rebus omnibus ſpoliatus carceri traditus eſt in monaſterio S. Abraham Lahakæ urbis. Inde fuga elapſus ab incolis quibuſdam captus, & rurſus ad Catholicum ductus, ab eo in cella recluſus eſt. Ibi brevi ſubinde Simeon, cum aliis epiſcopis & monachis ejus ſociis interiit. Quo autem mortis genere, variæ variorum opiniones fuerunt. Hæc narrat in chronico Barhebræus, apud *Aſſem. to. 2. Bibl. Or. p. 256.*

X. Jaballaha.

Anno 1592. Chriſti 1281. Simone exſtincto Joannes Denha Catholicus Bagdadum pergens, in itinere cœpit ægrotare, eaque demum in urbe conceſſit fatis. Prius vero quam è vivis excederet, quum monachi duo Iguritæ, de Turcia ſcilicet Orientali, ſive Turqueſtania egreſſi, è China Hieroſolymam pergentes apud ipſum diverterent, veritus ne Simeon Bar-Kalig è cuſtodia iterum elapſus, ad Sinas evaderet, alterum eorum ejus loco Sinarum metropolitam ordinavit, impoſito illi *Jaballahæ* nomine. His in regionem ſuam iter arripere cogitantibus, Denha Catholicus interiit. Tum Aſutus Ameras *Regi Regum,* ſive Tartarorum Imperatori ſcripſit, Chriſtianis placere Catholicum ſibi deſignari Jaballaham, inprimiſque Bagdadenſibus propter ejus tum genere, tum lingua cum Mogulenſibus affinitatem. Quapropter edicto ſancitum eſt, ut Jaballahas Catholicus renuntiaretur, quod ab epiſcopis qui viginti quatuor convenerant ratum habitum eſt. Hæc Aſſemanus to. 2. Bibl. Or. p. 257. ex Bar-hebræo oculato teſte, quum tamen Mares & Amrus ambo Neſtoriani Jaballaham à Denha metropolitam Tanguth & Hordarum Tartaricarum fuiſſe ordinatum ferant; quæ certe *Chemſi* Sinenſi provinciæ affines erant, ut utrique ſimul genti hoc tempore idem metropolita facile præfuiſſe videatur..

XI. Sergius.

At certe Jaballaha Catholicus Sinenſibus epiſcopum alterum ſive metropolitam ordinavit, *Sergium* nomine, magno Chamo, qui *Rex Regum* appellabatur, annuente; quum ipſe in Tanguthenſi metropoli ſucceſſorem alium habuerit Jeſuiabum nomine, ſi Mari credimus, dictum autem Jeſus-Sabran Bar-hebræo. Sergium mihi ſuppeditat *Marcus Paulus Venetus lib. 2. cap. 61.* ubi de civitate *Cingianfu* vel *Sighanfu,* ſermonem habet. *Cingianfu,* inquit, *civitas eſt in provincia Sengi ſita, in qua opera multa fiunt ex auro & ſerico. Sunt in ea eccleſiæ Chriſtianorum Neſtorianorum, quas ædificavit Mar-Sargis Neſtorianus, qui à magno Cham in civitate illa præſulatum obtinuit, anno ſcilicet Domini* M. CCLXXXVIII. Atqui Mar-Sargis non Sinicum nomen fuit, quando Sinenſes litteram *r,* non admittunt, ſed Syrum prorſus, pro quo legendum venit *Mar-Sergius.*

Exſtincta apud Sinas Chriſtiana religione, quum interim Neſtorianorum Catholici, Malabarenſes quæ ſupererant Indiarum eccleſias curarent, metropolium duarum titulos in uno antiſtite conjunxerunt. Nam Mar-Joſeph qui Romæ circa 16. ſæculi finem obiit, in quodam libro ſuo qui ea in urbe aſſervatur, ſe Kirchero teſte *Illuſtrata Chinæ pag. 57.* metropolitanum Indiarum & *Sinarum appellabat.* Imo utrumque etiam titulum ſibi vindicabat Mar-Jacob Malabarenſium metropolita, quando Luſitani Cochinum appulerunt.

Digitized by Google

XIV. PROVINCIA INDIARUM.

INDIARUM metropolita decimus-tertius eſt in notitia Amri, atque Sinenſi poſterior, ac ſi Chriſtiana fides ad Sinas prius pervenerit, quam ad Indos Perſis finitimos. In Indiæ tamen Orientalis regionibus S. Thomam Apoſtolum prædicaſſe, & eccleſias fundaſſe inficiari vetat veterum ſat conſtans aſſertio, quam Sophronius, qui Hieronymi catalogum ſcriptorum eccleſiaſticorum in Græcam linguam tranſtulit, in ea parte ſequutus eſt, quam de ſingulis Apoſtolis in verſione ſua interſeruit. Ait nimirum Thomam, *poſtquam Medis, Perſis, Germanis* (lego Carmanis) *Hyrcanis, Bactris & Magis Evangelium annuntiaverat, Calaminæ in India mortem obiiſſe,* ἐκοιμήθη ἐν πόλει Καλαμίνῃ τῆς Ἰνδίας. Nulla quidem apud auctores alios Græcos aut Latinos, Calaminæ urbis mentio; Gregorius tamen Bar-hebræus, quem jam frequenter appellavi, qui res eccleſiaſticas Orientis accurate ſatis ſcrutatus eſt ac deſcripſit, in Syriaco ſuo chronico perinde ſcripſit Thomam Apoſtolum Calaminæ in India poſtremo martyrio functum eſſe. Joannes Chryſoſtomus ſanctum eumdem Apoſtolum ad Æthiopes perrexiſſe dixit, Aſiaticos ſcilicet ab Indis haud procul remotos, qui Perſicæ ditioni contigui Indi quoque cenſebantur. Ejus corpus ex India Edeſſam relatum ſæculo eccleſiæ quarto, quintoque magna ea in urbe veneratione colebatur: ſæculo vero decimo-tertio labente Malabaricæ oræ incolæ palam jactabant ſe ab Apoſtolo Thoma Chriſti cultum didiciſſe, & in ſua regione martyrem occubuiſſe. Idque Marcus Paulus Venetus teſtatur, lib. 3. cap. 24. *Aiunt in hac provincia* (quam regnum *Var* vocat) *ſanctum occiſum Thomam, corpuſque illius adhuc in quadam conſervari eccleſia.* Idipſum conſtanti veluti traditione ab Indiæ Chriſtianis tenebatur, quando Luſitani ad illam oram appulerunt.

Quidquid id eſt, Coſmas Indico-pleuſta Juſtiniani magni æqualis teſtis eſt, *lib. 3. p. 178.* in Calliana, nobili Indiæ emporio, epiſcopum ævo ſuo fuiſſe, in Perſide ordinari ſolitum, hoc eſt vel à metropolita Perſidis, vel à Seleucienſi Chaldæorum Catholico, καὶ ἐν τῇ Καλλιάνᾳ δὲ τῇ καλουμένῃ καὶ ἐπίσκοπός ἐστιν ἀπὸ Περσίδος χειροτονούμενος. Rurſum ubi de Taprobana inſula Malabaricæ oræ vicina ſcribit (p. 337.) in ea exſtare Chriſti eccleſiam advenarum ex Perſide ait, ac preſbyterum in Perſide ordinatum, eoque miſſum, diaconum item cum miniſterio eccleſiaſtico. Quæ tamen Taprobanæ inſulæ eccleſia, quum non indigenis ſed advenis ex Perſide, cum preſbytero & diacono ex illa regione miſſis conſtaret, hinc obiter colligo, illam tunc temporis recens inſtitutam fuiſſe. Hæc quidem Coſmas, cujus teſtimonio compertum nobis ſit ante ſæculi noni initia *Mar-Thomam,* quem *Cananæum* cognominant, ſeu potius *Cunna* vel *Cuna,* illas partes petiviſſe, & Malabarenſem eccleſiam conſtituiſſe. Nonnulli ferunt, Chriſti nomen illuc invectum fuiſſe à Neſtorianis, eamque ſtatim Seleucienſis Catholici juriſdictionem ſubiiſſe.

Quæ de illa Mar-Thomæ in Indias profectione Luſitani ſcriptores evulgare curarunt, Ludovicus Guſmanus è Soc. Jeſu in ſua de Indicis expeditionibus hiſtoria contraxit in hunc ſenſum. « Multi in India Chriſtiani ſunt, quorum numerus ultra centum quinquaginta » millia excurrit, per varia regna diviſi, diverſis regibus Gentilium & Maurorum ſubjecti » reperiuntur. Habent ii ſuum archiepiſcopum, epiſcopos & ſacerdotes, qui omnes è Syria » veniunt, plerumque eos ad ejuſmodi expeditionem Patriarcha Babylonico ſeu Alexandrino » deſignante. Quum vero epiſcopi non poſſint terras adeo remotas, niſi tarde admodum & » raro inviſere, ne ſacerdotibus deſtituantur, parvos adhuc pueros ordinibus initiare ſolent, » qui tamen nonniſi dum provectiori ætate ſunt, functiones ſuas exercent. Cauſa vero cur » epiſcopi & ſacerdotes Suriani Indiam ingreſſi tantam ſibi apud dictos Chriſtianos auctoritatem conciliarint, hæc fuit. Homo quidam mercator Surianus, *Mar-Thomæ* nomine, erat » admodum dives & excellens, & ob hanc cauſam regibus Caranganor & Colon acceptus, cui, » occaſione nominis *Thomæ,* & magnæ qua valebat auctoritatis, Chriſtiani qui Thomæi dicebantur, ſe conjunxere. Ita Mar-Thomas, velut caput eorum factus, benevolentia ſua ita » omnium animos ſibi devinxit, ut non difficile eſſet de ſolis epiſcopis Syriæ in Indiam » recipiendis admittendiſque perſuadere. Multum ad hoc conferre poterat lingua Syra, quam

Digitized by Google

eamdem eſſe demonſtrabat, qua Chriſtus Salvator noſter Hieroſolymis quondam eſſet uſus, & «
qua S. Thomas ipſorum majoribus ſacrum olim evangelium promulgarat. Hac igitur ratione «
epiſcopi Suriani primùm regnum Caranganor, Colon & Cochin ingreſſi, paulatim omnes «
circa regiones ad Chinam occuparunt.» Hæc Guſmanus, quæ ideo præſertim accurata ſatis non ſunt, quod Alexandrini Patriarchæ meminit, ceu archiepiſcopi & epiſcopi forſan in Indiam ab ipſo miſſi fuerint. Neſciebat Alexandrinos Patriarchas ſeu Melchitas, ſeu Jacobitas à Neſtoriana lue qua Malabarenſes infecti erant, ſemper abhorruiſſe. Quamquam infra dicemus, circa ſæculi decimi-quarti medium Malabarenſes ab Alexandrino Coptarum Patriarcha metropolitam ſibi mitti poſtulaſſe, ne Chriſtianæ leges in totum apud eos exſtinguerentur, ab eo vero deſignatum fuiſſe Syrum quemdam Jacobitam, quem ad Moſulenſem Catholicum miſit, ut ab illo ordinaretur. Hoc itaque ad ſummum ille Mar-Thomas à Chriſtianis in quos in Indica peninſula offendit, obtinuerit, ut, quum ſuis tunc legibus viverent, ſeſe iterum majorum ſuorum exemplo Catholico Chaldæorum eccleſiæ ſubmiſerint, atque ab eo deinceps metropolitas & epiſcopos ſuſcipere deſtinaverint. Quod proinde in cauſa fuerit, cur Indiarum metropolita Sinenſi poſtpoſitus ſit. Atqui Indiarum regna in quibus Chriſti religionem à tempore Mar-Thomæ profeſſi ſunt, hæc numerantur à Didaco de Couto, Diamper, Cortale, Cartute, Maleæ regnum à Madure viginti quinque leucis diſtans, Turubuli, Maota, Batimena, Porea, Travancor, Pimenta, Tetan, Para, & alia quædam.

METROPOLITÆ INDIARUM.

Qui primi fuerint Indiarum metropolitæ poſt reſtitutam Catholici in iis regionibus poteſtatem, nullo mihi ſcriptore notum eſt. A

I. Xabro. Proud.

Anno circiter Domini 880. paulo-poſt fundatam urbem Coulan venerunt è Babylonia Chaldæi duo, *Mar-Xabio*, vel *Xabro* potius & *Mar-Proud*, viri ſanctitate inſignes, quorum memoria ſolennis fuit in eccleſiaſtico Malabarenſium officio. Hi multas eccleſias exſtruxerunt, auctaque eſt eorum tempore Chriſtiana religio in regno Diamper, B quod, quum nomen Chriſto dediſſet, deficiente maſculina principum illius ſucceſſione, hæreditario jure ad Cochinenſes reges tranſiit, qui hoc titulo præcipuam in omnes utriuſque ditionis Chriſtianos poteſtatem ſibi vindicarunt. Duos illos viros qui è Babylonia miſſi fuere, epiſcopos fuiſſe nemo definivit; quod tamen ambigere vix licet, quando præſulum more peninſulæ illius populos Chriſtianos regebant, uti Didacus de Couto narrat. Atqui *Xabra* vel *Xabro*, ſive *Sabra* vel *Sebra* nomen ab idiomate Chaldaïco alienum C non eſt, ſpemque ſignificat, *Proud* vero corruptum mihi omnino videtur.

II. Joannes I.

Duobus illis, de quibus mox dixi, defunctis, miſerunt Malabares in Babyloniam, ſive Bagdadum, ut alios peterent, quum unus dumtaxat apud illos diaconus ſupereſſet, qui ſacerdotale miniſterium uſurpabat. His itaque Catholicus archiepiſcopum ſive metropolitam ordinavit, cui *Joannæ* ſive *Joanni* nomen, duoſque item ſuffraganeos, quorum alter qui *Mar-Dua* vocabatur, inſulæ Socotræ præeſſet, & alius Mar-Thomas nomine, *Maſinæ* ſive *Chinæ* vel *Cathaiæ*. Joannes vero metropolitanam ſedem ſuam Cranganoræ conſtituit.

III. Joannes II.

Poſt Joannis illius tempora accidiſſe oportet, (ſi quid tamen illa veri habeant) quæ in Chronico quod *Alberici* dicitur, ad annum 1122. *ex geſtis Callixti Papæ II.* referuntur.
« Anno quarto Callixti II. Papæ Patriarcha «
Indorum *Joannes* Conſtantinopolim ad ſu- «
mendum pallium venit, unius anni ſpatio «
itinere confecto, illius ſcilicet Indiæ Patriar- «
cha, quæ ultima finem facit. Papa Callixtus «
pro concordia Romani & Græci regis legatos «
Conſtantinopolim miſerat, quibus Patriarcha «
per interpretem qui Græcis *Drogomanus* di- «
citur, colloquutus, intellexit totius orbis Ro- «
mam caput eſſe, & cum eis Romam venit. «
Qui de patria ſua requiſitus in præſentia Papæ «
& Cardinalium, dixit per interpretem: Civitas «
cui, Deo dante, præſidemus, * *Ultima* voca- «
tur, quæ quidem totius regni Indici caput eſt «
& dominatrix. Cujus magnitudo quatuor «
dierum itinere per circuitum extenditur. «
Mœnium vero intra quæ ſita eſt, talis exſtat «
groſſitudo, quod ſuper eam Romanorum «
curruum duo juncti pariter irent. Altitudinis «
etiam tanta eſt proceritas, ut ad comparatio- «
nem cellarum Romanarum diffuſa videatur. «
Per medium ejus Phiſon unus de Paradiſi «
fluviis limpidiſſimus emanat, aquis aurum «

* Magnum Chronicon Belgicum, in quo hæc ipſa leguntur, habet *Ulna*. An-non vero pro *Ulna*, vel *Ultima* legendum potius ſit *Patena* civitas ad Gangem ſita, quam veteres eſſe Phiſon Paradiſi fluvium dixerunt! Hanc Luſitani ex Malabarenſium traditione Mar-Thomæ mercatori qui de Babylonia venerat, ab Indiarum rege dono datam ſcribunt.

pretioſiſſimum & gemmas foras emittens. Fideliſſimis Chriſtianis univerſa interius pleniſſime eſt habitata. Paulum vero extra urbis mœnia mons ſeparatus eſt, profundiſſimi lacus aquis undique ſeptus, in cujus ſummitate beatiſſimi *Apoſtoli Thomæ* mater eccleſia conſtat. In circuitu lacus deforis duodecim Apoſtolorum monaſteria condita ſunt. Prædictus vero mons nulli hominum infra annum acceſſibilis eſt. Patriarcha vero ſemel in anno ingreditur, quia octo diebus ante feſtum Apoſtoli, totidem poſt illud abundantia aquarum evaneſcit. In cibborio eccleſiæ concha argenteis dependet catenis, ubi ſacrum Apoſtoli corpus illæſum conſervatur, ſtans ſuper eam tanquam vivens cernitur erectus, ante cujus præſentiam aurea lampas accenſa balſamo plena ab anno in annum reperitur. Dividitur fidelibus illud balſamum, & inde fiunt ſanitates plurimorum. Patriarcha cum epiſcopis dependunt cum corpore concham, & ſacrum illud corpus in aurea ante altare collocant ſede. Per voluntatem creatoris primam adhuc retinet formam cum veſtibus ſuis illæſis. Poſt miſſam Patriarcha componit hoſtias, & inclinatis genibus eas Apoſtolo offert, qui per diſpenſationem creatoris tenſa manu dextera provide ſuſcipit eas, & omnis populus unus poſt alterum accedens, ſinguli ſingulas de manu ejus ſumunt hoſtias. Si quis infidelis vel erroneus, ſeu peccati macula infectus acceſſerit, videntibus cunctis manum retrahit & claudit, nec quandiu præſens fuerit, aperit; ille vero aut ſtatim reſipiſcit, aut ſtatim moritur. His expletis ſacrum Apoſtoli corpus in dicta concha reponunt. Populus ad ſua regreditur, & aqua celerrime in priſtinum ſtatum revertitur.» Hæc Patriarcha ille in Lateranenſi curia recitare non dubitavit, portentoſa prorſus, quæ pro illius ſæculi indole avidis auribus, ut & alia quæ religionem tangerent, excepta ſunt, etſi vaniſſimi impudentiſſimique hominis pura puta mendacia erant. Sed ea narrare opus fuit, ne quem omitterem qui inter Orientis antiſtites habitus ſit. Atqui Joannem illum epiſcopum vel metropolitam Indiæ fuiſſe non prorſus negavero, at certe Patriarcha non erat. Sed non raro accidit ut Neſtorianorum aut Jacobitarum, nec-non Armenorum metropolitæ ambitioſum Patriarcharum titulum temerario auſu uſurpaverint.

IV. Jacob.

Anno 1500. vivebat *Mar-Jacob* Malabarenſium metropolita, qui è Babylonia miſſus fuerat, illic ordinatus. Poſt biennium vero Vaſcus de Gama cum numeroſa Luſitanorum claſſe in illam oram appulit, cui Chriſtiani uti Luſitaniæ regis legato ſe obſequentes fore ſpoponderunt.

V. Joannes III. Thomas.

Mar-Jacobum excepit *Joannes III.* à Babyloniæ Catholico perinde ordinatus & miſſus, qui in eccleſia Damacrenſi ſepultus fuit. De hoc Joanne accipienda ſunt quæ *Aſſemanus to. 2. Bibl. Or. p. 487.* refert, ubi de codice Syriaco Vaticano V. in quo exſtare ait, «Hiſtoriam monachorum, qui in Meſopotamiam ex India venerunt, anno Græcorum 1801. Chriſti 1490. ſub Simeone Patriarcha Chaldæorum, epiſcopos pro provincia Indiarum poſtulaturi, nimirum Georgium & Joſephum, quos Simeon Patriarcha preſbyteros ordinavit, & cum iis ad regionem Malabar duos epiſcopos, Joſephos miſit, quorum alterum *Thomam, Joannem* alterum appellavit. Hi preſbyteros & clericos in India ordinarunt. Mox regreſſo in Aſſyriam *Thoma*, Joannes ſolus epiſcopus remanſit. Anno Græcorum 1813. Chriſti 1502. obiit Simeon Patriarcha, eique Elias ſucceſſit; qui anno ſequenti tres epiſcopos ordinavit, *Davidem* ſcilicet, quem *Jaballaham* appellavit, *Georgium*, quem *Denham*, & *Maſudum*, quem *Jacobum*, eoſque in Indiam allegavit; qui eo pervenerunt vivente adhuc Joanne epiſcopo. Anno Græcorum 1815. mittunt epiſtolam ad Eliam Patriarcham (qui tamen jam obierat, ejuſque in locum Simeon ſuffectus fuerat) in qua numerum Chriſtianorum in Malabar referunt, adventumque Luſitanorum in eam regionem ſignificant.»

VI. ***

Alterum è tribus quos Elias Catholicus ad Malabarenſes miſerat, ac certe Jaballaham, qui omnium primus nominatur, Joanni III. ſucceſſiſſe admodum veriſimile, aliis ad alias Malabarenſium ſedes deſtinatis.

VII. Joseph I.

Malabarenſium utique metropolita fuit *Joſeph* Cranganoræ epiſcopus, qui Cochini in ſancti Antonii Franciſcanorum cœnobio anno 1544. obiit, quum tabulas æreas duas Petro Segueiræ Luſitano, in quibus privilegia à Cranganoræ rege Chriſtianis olim quos S. Thomas ad Chriſtum adduxerat, conceſſa, exarata inciſaque eſſe ferebantur; ſed quæ illis minime reſtituta fuerunt. Quod teſtatur Damianus à Goër in hiſtoria D. Emmanuëlis Luſitaniæ regis, *part. 1. cap. 98.*

VIII. Junab.

IX. Joseph II.

Poſt Joſephum Indiæ metropolita fuit

Junab, cui ſucceſſerunt alii quidam ad annum uſque 1555. quo Paulus Papa IV. *Simeonem Sulacam,* ſeu Chaldæorum Orientalium Patriarcham aut Catholicum, qui Romam venerat, confirmavit, duoſque itidem epiſcopos Mar-Hermetem ſive Hormiſdam Eliam & *Mar-Joſephum* itineris ejus comites, qui rectam fidem profeſſi Romanæ eccleſiæ obedientiam ſpoponderant. Simeon Mar-Joſephum, qui Ninives epiſcopus dicebatur, in Indias metropolitam futurum miſit adjuncto ei ſuffraganeo, quin etiam ſi fatis concederet, ſucceſſore *Ambroſio de Montecali.* Ambroſius vero Goæ primùm aliquando conſtitit, ubi & ſacram Theologiam apud Prædicatores ſuos docuit, atque Cochinum profectus ibidem obiit anno 1557. quum in Europam reditum pararet.

Cæterum Mar-Joſeph ille poſthabita fidei profeſſione quam Romæ pronuntiarat, Neſtoriana nihilo ſecius dogmata iterum amplexus eſt.

X. JOSEPH III.

XI. ABRAHAM.

XII. SIMEON.

XIII. JOSEPH III. *iterum.*

Poſt Joſephum illum II. ejuſdem nominis alter Malabarenſi eccleſiæ præfuit, quantum ex Antonii de Govea Auguſtiniani narrationibus de rebus Indicis capere licet. Nam *Joſephum* Malabarenſium metropolitam non à Simeone, ſed à *Mar-Abdiſchio,* ſive *Abdjeſu, Ebedjeſu,* qui Simeoni Sulacæ ſuffectus fuit ordinatum miſſumque memorat. Qui quidem *Abdjeſus* Romam, uti priùs Sulacas, petierat, qui & Tridentinæ Synodo an. 1562. interfuerat. At vero Joſeph Neſtorii ſuorum more errores fovere à Luſitanis deprehenſus, navi à Goënſi prorege impoſitus eſt, atque in Luſitaniam advectus, ut ibi hæreſis ſuæ pœnas lueret. Ibi vero artibus ſuis, Catholica fide ſimulata, judicium effugit, quin & ab Henrico Cardinali Apoſtolicæ Sedis tunc apud Luſitanos Legato, & à Regina regni adminiſtratrice ad ſuos redire permiſſus eſt.

MAR-ABRAHAM. Interim vero Malabarenſes Chriſtiani Joſephi reditum deſperantes, miſſa ad Catholicum Moſulenſem legatione, alterum ſibi metropolitam præfici poſtularant, eiſque continuo *Mar-Abraham* deſignatus fuit, qui in Indias veniens, orthodoxæ doctrinæ tenore ſimulato, benigne à Luſitanis exceptus eſt, ſeque tertio Goenſis provinciæ concilio præſentem exhibuit. Quum vero Chaldaïca eccleſia in duas partes ſciſſa eſſet, Catholicus alter, qui Moſulæ in Aſſyria adverſus Sulacæ ſucceſſorem ſedebat, audita metropolitæ

A Joſephi in Europam adſportatione, alium quemdam metropolitam, *Mar-Simeonem* nomine ordinaverat, qui in Indiam veniens, in Cartute civitate conſedit. Abraham vero apud Luſitanum proregem contra illum interceſſit, atque nonnullorum Franciſcanorum conſiliis Romam iter arripuit, epiſcopatus ſui confirmationem ab Apoſtolica Sede quæſiturus. MAR-SIMEON.

Interim vero Luſitani *Simeonem* Romam mittunt, à Pontifice maximo Sixto Papa V. judicandum, ibique, tum epiſcopi, tum preſbyteri gradu excidit; ac quantum capio B propter ordinationis ejus ritum Romanis tunc theologis non ſatis probatum; tum deinde in Luſitaniam tranſmiſſus, quum ſe omnino epiſcopum eſſe præfractè contenderet, Uliſſipone detentus ea in urbe miſere periit.

Cæterum Simeone in Europam miſſo eccleſiam illius curabat *Jacobus,* qui nullis Alexii Menezii Goënſis archiepiſcopi mandatis adduci potuit, ut Mar-Abrahamo obtemperaret, ut-pote qui ab altero Catholico fuerat ordinatus.

Nondum ex India Simeon exceſſerat, C quando Joſeph Uliſſipone dimiſſus erat, qui ad Malabarenſem regionem regreſſus, veram fidem ſimulans, à prorege obtinuit ut Abrahamus procul amandaretur. Hunc itaque navi imponunt in Luſitaniam tranſmittendum: ubi vero Moſambicam in maritimam Africæ urbem appulit, clam lembo aufugiens, Melindam venit, indeque Ormuzum, ac demum Moſulam ad Catholicum ſive Patriarcham ſuum, cujus conſilio Romam iter arripere non dubitavit. Illic vero, quia nec rite ſatis à Romanis magiſtris ordinatus epiſcopus putatus eſt, conſecratione altera, Romana ſcilicet, initiari juſſus eſt, quam à Venetorum Patriarcha accepit. Nondum enim Orientalium Chriſtianorum ritus Romæ approbati fuerant, præterquam Græcorum, etſi illis per omnia ſimiles, uti ſubinde ſub Urbano Papa VIII. poſt diligens examen fuerunt. JOSEPH *iterum.*

In Indiam rediit Abraham, qui quum Neſtorianam labem abnegare nollet, remotiores à Luſitanorum ditionibus regiones quæſivit, ubi confectus ſenio poſt ann. 1595. obiit, poſtulato à Moſulenſi Catholico meE tropolita altero qui ſibi ſuccederet. Graviſſimo ſiquidem morbo correptus, ubi poſtremum diem ſuum inſtare intellexit, vocatis clericis ſuis, archidiaconoque, eccleſiæque ſuæ potioribus laïcis, cum catholicis quibuſdam ſacerdotibus, palam profeſſus eſt, tum Romanæ ſedis primatum, cui ovile ſuum commendaret, tum orthodoxam fidem, Neſtorianis erroribus ejuratis. Quod contigit anno 1595. *Ex hiſtoria Indiarum Orientalium ſcripta à Petro Jarric Toloſano è Soc. Jeſ. lib. 2. p. 532.*

Digitized by Google

Joſeph etiam, Abrahamo à Luſitanis, ut A diximus, navi impoſito, Malabarenſem eccleſiam ſolus adminiſtrabat, nihil de Neſtoriana perfidia remittens. Quod ubi Luſitanis compertum fuit, hunc perinde atque alios comprehenſum in Europam advexerunt, ac Romam deportatus diem ibidem poſtremum egit.

Abrahamo defuncto, archidiaconus ejus, veluti morti proximus ille conſtituerat, vices ejus ſupplevit, in urbe Angamala degens; quem Alexius Menezius Goënſis archiepiſcopus ad Catholicam fidem & Romanæ ſedis obedientiam profitendum ægre adduxit. B Obtemperavit tamen Luſitanorum potentiam veritus, ac Diamperano concilio quod à Menezio celebratum eſt interfuit.

XIV. Franciscus I.

Metropolitanis Indiæ qui ex Chaldæa à Catholicis mittebantur, à Neſtorianorum hæreſi nihil deſciſcentibus, ſedulo Alexii Menezii archiepiſcopi Goënſis ſtudio & opera, illius regionis Chriſtiani conſenſerunt, ut à Latini ritus præſulibus regerentur, qui de priſtino more Angamalæ ſederent. Horum quatuor primi fuerunt è Societate Jeſu; ac primus quidem *Franciſcus Roz*, qui anno 1600. à Clemente Papa VIII. Philippo III. Hiſpaniarum rege poſtulante, creatus, anno 1617. fatis conceſſit. Hic autem Angamalæ ſtatim conſedit, poſthac Cranganoræ.

XV. Hieronymus.

Franciſco Romæ ſucceſſor datus eſt *Hieronymus Xaviere Navarrenſis*, celebris ille vitæ Chriſti Domini Perſica linguæ ſcriptor, qui ubi Goam pervenit, ſtatim defunctus eſt eodem anno 1617.

XVI. Stephanus.

Xaverio ſuffectus eſt *Stephanus de Britto*, qui decimo-ſeptimo epiſcopatus anno vitam finivit.

XVII. Franciscus II.

Quartus Cranganoræ archiepiſcopus fuit *Franciſcus Garcias*, qui anno 1634. epiſcopale munus capeſſiviſſe fertur; fato vero functus eſt anno 1659. quum ejus regimen Malabarenſes abjeciſſent.

XVIII. Aitallaha.

Latinorum præſulum regiminis Malabarenſes pertæſi non, ut olim, Moſulenſem Catholicum adierunt, neque Bagdadenſem, homines Neſtorianæ doctrinæ pridem aſſuefacti, Alexandrino Jacobitarum Coptarum Patriarchæ ſcripſerunt, metropolitam ſibi mitti poſtulantes; quorum ille votis annuens epiſcopum quemdam Syrum *Ahtallam*, vel *Aitallaham* nomine, qui Damaſceno epiſcopatu ob demerita ſua amotus, in Ægyptum ſeceſſerat, ad illos deſtinavit. Ille vero Moſulam illico ſe conferens, Neſtorianorum adire Catholicum non dubitavit, à quo metropolita Indiarum deſignaretur; quam quidem ille dignitatem ei conceſſit. Verum dum Aitallaha ad Indos feſtinaret, à Goënſibus Luſitanis interceptus, carcerique traditus, flammis ſubinde addictus fuit.

XIX. Joseph *adminiſtrator*.

XX. Alexander.

Malabarenſes interea à Franciſco Garcia deficientes, archidiaconum quemdam, cui Thomæ à Campo nomen erat, archiepiſcopum ſibi præter omne fas conſtituerunt, qui epiſcopali nulla conſecratione initiatus, preſbyteros nihilominus ordinavit. Interim vero Alexander Papa VII. audito Franciſci Garciæ obitu *Joſephum* à ſancta Maria diſcalceatum Carmelitam ad Malabarenſes delegavit, Hierapolis archiepiſcopum ordinatum an. 1660. Hic anno inſequenti menſe Aprili Goam venit, atque Cranganoræ tres annos ſedit; C verum ea urbe anno 1663. & Cochino à Batavorum exercitu expugnatis, ſolum vertere coactus eſt. Cæterum ſacerdotem Indum, cui nomen *Alexander à Campo*, ſacravit epiſcopum, qui ſuæ gentis Chriſtianos curaret. Quod quidem munus egregie ille adeo geſſit, ut archidiaconus ille qui ſe pro epiſcopo venditabat, procul abactus fuerit. Hæc ille Joſephus à S. Maria in narratione Italica de ſua apud illos Indos expeditione.

XXI. Gabriel.

XXII. Thomas.

D Anno 1704. Danorum Lutheranæ apud Indos miſſionis actorum relatione *Mar-Gabriël* ex Aſſyriæ partibus, ubi à Moſulenſi Catholico deſignatus metropolita fuerat, Malabarenſem regionem appulit, ut tractus illius partes Septemtrionem verſus poſitas regeret.

Anno autem 1714. Chriſtianorum Malabarenſium, qui ad meridionalem plagam habitant, metropolita erat *Mar-Thomas*, Alexandri utique ſucceſſor, quem Dani illi ſuis ad gentiles ſuos Europæos litteris narrabant Antiocheno Patriarchæ ſcripſiſſe ut E metropolitam illuc cum preſbyteris duobus mitteret. Atqui prædicatores illi Lutherani, quibus Orientalis eccleſiæ res perſpectæ adeo non erant, uti ſui ſimilibus Latinæ, Antiochenum utique Patriarcham dixerunt, non Græcum ſive Melchitam, qui Damaſci moratur, ſed vel forſan Jacobitam (quod tamen verum eſſe non puto) vel certe Catholicum ipſummet Moſulenſem, niſi forte quoque Bagdadenſem.

XV. PROVINCIA

Digitized by Google

XV. PROVINCIA ADORBIGANÆ.

ADORBIGANA eadem regio eſt, quæ Media vetus, vel ejus ſaltem pars. Hujus olim metropolis Tauriſium fuit, quam eamdem quoque civitatem eſſe aiunt, quæ Ecbatana Medorum regni caput. Ejuſdem regionis aliæ ſunt civitates, Bardaa, Ardebil, Maraga, Salmaſa, Argis, Aſṇocha, Chalata, Sçaharzul, quæ Neſtorianis epiſcopis ſubſunt. At Bardaa & Salmaſa metropoliticis quoque honoribus recentiori ætate auctæ fuerunt. Ibi etiam Jacobitæ ſuos præſules habuerunt, ut infra ſuo loco dicetur.

METROPOLITÆ ADORBIGANÆ.

I. Abraham.

ADORBIGANÆ metropolita utique fuit *Abraham Beth-Rabanenſis*, cujus meminit Ebedjeſus in catalogo Librorum Syrorum cap. 55. Hic nempe à Zenone Imp. ſchola Edeſſena ejectus, Medorum epiſcopus à Seleucienſi Catholico conſtitutus eſt, ut Simeon Beth-Arſamenſis narrat, Aſſemano teſte *to. 1. Bibl. Or. p. 352. & 354.* eumque *Balneorum inflammatorem* vocitatum fuiſſe teſtatur. Quocirca perperam Amrus Neſtorianus in vita Joſephi Patriarchæ, ſive Catholici, Abrahamum iſtum ſub Juſtino II. & Coſroë I. Perſarum rege innotuiſſe fert. Libri quos Abraham Beth-Rabanenſis edidit, hi ſunt: *Commentarius in Joſue filium Nun, Judices, librum Regum, & Siracidem*, ſive Eccleſiaſticum, *in Iſaïam duobus tomis, & in Canticum canticorum, de cauſa ſeſſionum* (vel ſedendi in eccleſia) *& hymnos.*

II. Joannes.

Anno Chriſti 1266. ſedebat *Joannes* Adorbiganæ metropolita, qui Denhæ I. Catholici promotioni adfuit. *To. 2. Bibl. Or. p. 456.*

III. * * *

Andreas Maſius in epiſtola ad Augerium Buſbekium narrabat anno 1551. quo Simeon Sulaca in Chaldæorum Catholicum promotus fuit, metropolitas tres legationem apud Julium III. Papam obiiſſe, ut ejus electionem firmaret Pontifex Romanus, quorum tertius *Adorbiganæ antiſtes* erat.

IV. Gabriel.

Anno 1708. *Gabriël* Adorbiganæ metro-

A polita ad Malabares profectus eſt, ubi liturgiam celebrare permiſſus non eſt à Luſitanis, niſi data orthodoxæ fidei profeſſione, quam Aſſemanus Syriace & Latine recitat, *tom. 3. Bibl. Or. part. 2. pag. 300.* quæ ſequentibus terminis exprimitur: *Ego Gabriël metropolita à plurimis annis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, atque ſanctiſſimo ac beatiſſimo patri ſponte conſenſi: quumque ad terras Malabarum veniſſem, ut eos, qui obedientes non erant, obedientes facerem; audivi à S. Papa inſtitutum fuiſſe Vicarium Apoſtolicum Dominum Angelum epiſcopum* B *Metellopolitanum. Idcirco aſſentior & promitto me obtemperaturum & facturum in iſtis terris ſecundum mandatum & deſignationem Apoſtolici Vicarii atque religioſorum Carmelitarum ejus ſociorum, meque geſturum velut epiſcopum extra ſuam diœceſim commorantem. Inſuper promitto abſque eorum permiſſione nihil me facturum ex iis quæ ad regimen & gubernationem ſpectant, & oblationem me oblaturum ritu ſacerdotum harum terrarum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientium in pane azymo: jejunia quoque & feſtos dies, cæteraſque conſuetudines fidei me* C *obſervaturum, ſicut ab iſtis antiquis catholicis obſervantur. Ita aſſentior & ſpondeo. Scripta hæc fuere, ut rata fiant in eccleſia Sçianganoſcir, die 5. Octobris anno Domini 1712. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ego Gabriël humilis credo ſecundum fidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.* Atqui ex Cruzio in hiſtoria Chriſtianorum Indiæ lib. 5. pag. 421. habemus Gabriëlem anno 1708. ad Malabares appuliſſe, ſeque Thomæ alteri Malabarum epiſcopo oppoſuiſſe.

I.

ECCLESIA ACHLAT.

ACHLAT, vel *Chalat*, aut *Chalata* civitas in Meſopotamia, ut videtur, poſita erat, haud procul Marde, Amida & Argis caſtro; & ut apparet ex Nubienſi, ad meridionalem ejus plagam ingens lacus ſalſus eſt, qui ab Ortu in Occaſum in longitudinem LXVII. mill. paſſ. & XXVII. in latitudinem protenditur. Suum habuit Neſtorianæ ſectæ epiſcopum Adorbigano metropolitæ ſubditum. Noë Jacobitarum Patriarcha anno Chriſti 1496. ſcribebat anno Hegiræ 251. Chriſti 865. Chalatam & Argis terræ motu corruiſſe. *To. 2. Bibl. Or. p. 440.*

EPISCOPI ACHLAT.

I. JACOBUS.

CHALATÆ epiſcopus circa annum Chriſti 731. ſub Phetione Catholico ſedebat *Jacobus* cognomento *Arabs*. *To. 2. Bibl. Or. p. 431.* Ejus libros aliquot recenſet Ebedjeſus Sobenſis c. 102. ſcilicet: *Commentarium in Proverbia, hymnos in Diodoritas, & de fide eccleſiæ.*

II. JOANNES.

Elias III. Catholicus *Joannem* epiſcopum
A Achlat vel Chalatæ metropolitam Caſgarenſem creavit. *To. 2. Bibl. Or. p. 450.*

III. SALIBAZACHA.

Promotioni Denhæ I. Catholici aderat *Salibazacha* epiſcopus Chalatæ. *Ib. p. 456.*

IV. ANANJESUS.

Quin etiam *Ananjeſus* Chalatæ epiſcopus adfuit promotioni Jaballahæ III. Catholici *Ibid.*

II.

ECCLESIA ASNOCHÆ.

ASNOCHA Adorbiganæ civitas, mihi aliunde prorſus ignota eſt. Abraham illius epiſcopus legitur in hiſtoria Neſtorianorum, quem metropolitæ Adorbigano ſubjectum conjicio; quamquam ſequiori ævo, ſæculo nempe decimo-ſexto jam adulto Ormi inferioris quæ tunc metropolis evaſerat, epiſcopatus fuerit, teſte Abdjeſu Simeonis Sulacæ ſucceſſore, cujus hæc ſunt verba, prout ex Thuano & Genebrardo à Morino referuntur in præfatione ad ordinationes Neſtorianorum p. 436. *Ormi inferior metropolis; Dutra, Saldos, Eſchimuch, epiſcopatus.*

EPISCOPI ASNOCHÆ

ORdinationi Jaballahæ III. Catholici adfuit *Abraham* epiſcopus ille Aſnochæ, cujus
B jam memini. *Tom. 2. Bibliothecæ Orientalis pag. 456.*

III.

ECCLESIA MARAGÆ.

MARAGA Adorbiganæ civitas eſt, quæ Nubienſi quinquaginta quatuor millia paſſuum Tauriſio ad Auſtrum diſtat. Eſt & Marga urbs altera epiſcopalis; de qua poſtea dicetur.

EPISCOPI MARAGÆ.

I. MARANZACHA.

THOMAS Maragæ epiſcopus in hiſtoria ſua
C monaſtica lib. 2. c. 4. ſcripſit de *Maranzacha* deceſſore ſuo, cujus geſta audiviſſe ſe teſtatur ex ore Matthæi cœnobii Mar-Abæ aſcetæ. *To. 2. Bibl. Or. p. 494.*

II. THOMAS.

Sæculo nono ineunte *Thomas* epiſcopus Maragæ ſuæ ſectæ hiſtoriam monaſticam in libros quinque digeſſit, ex qua doctiſſimus Aſſemanus quam plurima defloravit. Hic cœnobii Beth-Abenſis aſceta prius fuerat, quam epiſcopus ordinaretur. *Vid. to. 3. Bibl. Or. part. 1. à pag. 464. ad 501.*

Digitized by Google

XVI. PROVINCIA BARDÆ.

I. ECCLESIA BARDÆ METROPOLIS.

METropolis decima quarta eſt diœceſis Chaldæorum Bardaa, è primariis Armeniæ majoris & Perſicæ civitatibus una, in Mediæ veteris tractu, Choraſaniam verſus, quæ & Adorbiganæ cenſetur; quo fit ut in Neſtorianorum hiſtoriis idem Bardaæ metropolita dicatur qui Adorbiganæ. Nonnulli Jacobum illum Baradæum, à quo Monophyſitæ Jacobitæ appellati ſunt, Bardaa ex urbe oriundum aſſeruere, quod falſi ex eo convincitur, quod Bardaa civitas diu poſt Jacobi Baradæi tempora condita ſit, anno circiter Hegiræ 85. Chriſti 705. ſub Abdalmaleco Califa Merwani filio, ut Aſſemanus oſtendit ex Gelaleddini Aſiutenſis chronico Arabico: *Anno Hegiræ 85. ædificata fuit urbs Ardabel, & urbs Bardaa, quas condidit Abdalazizus filius Hatemi filii Naaman Bahelitæ.* Bardaa autem vel *Bardhaa* civitas, Nubienſi *matrix eſt urbium Ran, eſtque maxima habens in longitudine tria fere milliaria, minus in latitudine.*

EPISCOPI BARDÆ.

I. SEBARJESUS.

ANno Græcorum 1211. Chriſti 900. quo Joannes filius Iſæ Catholicus electus eſt, *Sebarjeſus* filius fratris Theodori metropolitæ Gondiſaporenſis, ipſeque metropolita Bardæ, à Joannis partibus ſtabat adverſus factionem Joannis filii Boctjeſu, qui cum illo de Catholicatu contendebat. Hæc quidem Mares, ex quibus emendandum venit quod *to. 2. Bibl. Or. pag. 440.* legitur promotioni Joannis filii Iſæ Catholici adfuiſſe *Joſephum metropolitam Bardaæ,* pro quo legendum, A *Joſepho metropolita Maru, Sebarjeſu metropolita Bardaæ.*

II. ELIAS.

Mares II. Catholicus *Eliam* epiſcopum Baladæ metropolitam Bardaæ conſtituit. *Bibl. Or. to. 2. p. 443.*

III. NESTORIUS.

Ebedjeſus III. Catholicus *Neſtorium* epiſcopum Naamaniæ ad Bardaam metropolim tranſtulit.

XVII. PROVINCIA DAMASCI.

I. ECCLESIA DAMASCI METROPOLIS.

EX quo Damaſcus Phœniciæ ſecundæ civitas Mohammedanorum Califarum regia facta eſt, Chaldæos ſive Neſtorianos eorum ſubditos illuc ſuorum negotiorum cauſa convenire opus fuit, ibique complures eorum, atque in vicinis regionibus ſedes fixerunt. Creſcente itaque per Syriam, Ciliciam & Phœniciam ipſorum numero, Catholici ſuæ ſectæ epiſcopum Damaſcenum inſtituerunt, quem metropolitæ titulo juribuſque donarunt. Quocirca Amro Neſtoriano Damaſci metropolita decimus-quintus cenſetur.

Digitized by Google

ECCLESIA DAMASCI.

EPISCOPI DAMASCI.

I. Joannes I.

SUb Jeſuiabo II. Catholico circa ann. 632. *Joannes* Chriſtianorum qui in agro Damaſceno diſperſi habitabant (Neſtorianorum ſcilicet) epiſcopus erat, Thoma Maragenſi teſte, *Vir eximius,* inquit, *& divinus, qui ſigna & prodigia apoſtolica his in regionibus patrarat, ita ut ad hanc uſque diem & continentiæ & excelſæ ſanctitatis mores cum laude referantur.* Quo tamen præſente Sahaduna Garmæorum præſul, à ſene quodam monacho orthodoxæ fidei profeſſore convictus, hæreſim Neſtorianam depoſuit & abjuravit. *To. 3. Bibl. p. 107.*

II. Sebarjesus.

Timotheus I. Catholicus poſt ann. 778. *Sebarjeſum* Nuhadræ natum, urbis Harran epiſcopum Damaſci metropolitam inſtituit, qui poſthac Catholicus, Georgio defuncto, factus eſt. *To. 2. Bibl. Or. p. 435.*

III. Joannes II.

Abrahamo II. Catholico defuncto, electus primum fuit qui ei ſuccederet *Joannes metropolita Damaſci,* qui Modaïnam quum veniſſet, ut ibi in Catholicum promoveretur, & in ſolemnitate Paſchali ſacra faceret, paralyſi correptus, in monaſterium Abba Aaron eſt adſportatus, ubi per quadriennium languens, haſce voces indeſinenter ore verſabat: *Juſtus es Domine & rectum judicium tuum.*

IV. N. Ebn-Obeid.

Inter Neſtorianos ſcriptores laudatur Damaſci metropolita *N.* cognomento *Ebn-Obeid,* adverſus quem Severus epiſcopus Aſſuminenſis in Ægypto Jacobita calamum ſtrinxit, qui quidem Severus circa ann. 863.

A Alexandrinorum Patriarcharum ſuorum hiſtoriam abſolvit.

V. Elias.

Anno Græc. 1204. Chriſti 893. die 15. Julii Joannes III. Catholicus renuntiatus, mox *Eliam* Hieroſolymorum epiſcopum Damaſci metropolitam deſignavit. Atqui Eliam Damaſci nomocanonis ſcriptorem habemus, itemque tabulæ ſeu notitiæ eccleſiaſticæ metropolium & epiſcopatuum diœceſis Chaldaïcæ. An vero idem ipſe ſit qui B ſæculo nono labente ſedebat, obſcura res eſt. Plane Eliam tabulæ & nomocanonis auctorem illo de quo nunc ſermo eſt, recentiorem duxero.

VI. Jesuiab.

Mares II. Catholicus metropolitam Damaſci ex archidiacono creavit *Jeſuiabum Guaſi filium,* qui plebem ſuam pecuniarum exactionibus vexans, ſchiſma fecit, quumque Anbaram ſine licentia veniſſet, communione privatus fuit. Inde factum eſt, ut Mari defuncto, ſucceſſoris illius electioni adeſſe mi- C nime potuerit. Verum Joanne V. Catholico electo & renuntiato, à cenſura demum ſolutus eſt. *To. 2. Bibl. Or. p. 443.*

VII. Joannes III.

VIII. Marcus.

Ebedjeſus III. Catholicus *Joannem,* cognomento *El-Gerni* vel *Garmæum* metropolitam Syriæ ſive Damaſci ſacerdotio amovit, ejuſque in locum promovit *Marcum* epiſcopum Caſtoum; quod proinde poſt annum 1075. contigiſſe oportet, quo nempe Ebedjeſus ille Aredi filius in Catholicum promotus fuit. *Amrus in vita Ebedjeſu & Machichæ.*

II. ECCLESIA ALEPI.

DE Alepo quæ Berrhœa Syriæ eſt, ſuo loco diximus, in quo, ut in nobiliſſimo regionis illius emporio Neſtoriani epiſcopum habuerunt, ſub Syriæ ſive Damaſci metropolita, in Eliæ Damaſceni notitia primum.

EPISCOPI ALEPI.

I. Ebn-Touba.

A Sebarjeſu III. Catholico *N. Ebn-Touba* Alepi epiſcopum fuiſſe reperio, apud Marem Neſtorianum, quod etiam Amrus refert.

III. SEcundus provinciæ Damaſci epiſcopatus ex tabula Eliæ eſt *Hieroſolymitanus,* ſed qui metropolis titulo & juribus auctus fuit, atque ideo de eo ſuo ordine dicetur tanquam de metropoli.

Digitized by Google

IV. ECCLESIA MAMBEG.

MAMBEG vel *Mambug*, quæ & Hierapolis Syriæ Euphratenſis Neſtorianæ ſectæ epiſcopatus fuit, ſub Damaſco metropoli ex notitia Eliæ Damaſceni; ejus vero epiſcopus nullus hujus ſectæ occurrit.

V. ECCLESIA MOPSUESTIÆ.

MOPSUESTIA ſive *Meſſiſſa*, Ciliciæ ſecundæ civitas, in notitia Eliæ Damaſceni epiſcopatus quartus eſt ſub Damaſco metropoli, ſed cujus epiſcopum Neſtorianum neminem reperi.

VI. ECCLESIA TARSI & MALATIÆ.

QUintus epiſcopatus Neſtorianorum ſub Damaſco metropoli in notitia Eliæ eſt Tarſenſis, cui etiam Malatienſem ſive Melitenenſem adjunxerunt, imo & inſulæ Cypri.

EPISCOPI TARSI.

I. JOANNES.

IN codice IV. eorum qui Ecchellenſes dicti ſunt in Bibliothecam Vaticanam tranſlati, habetur *ordo Tonſuræ Monachorum*, in quo exſtat hymnus autore *Said Bar-Sabuni*, qui ad epiſcopatum Meletinenſem evectus *Joannis* nomen aſſumpſit. *To. 1. Bibl. Or. p. 573.*

II. TIMOTHEUS.

Metropolita Chaldæorum inſulæ Cypri A *Timotheus* nomine, Romanæ Eccleſiæ communionem ambiit cum Maronitarum ejuſdem eccleſiæ antiſtite, tempore concilii Florentini, ſub Eugenio Papa IV. & Neſtorii errores ejuravit ex ejuſdem ſynodi geſtis, in quibus *Tarſenſis* quoque archiepiſcopus dicitur, quemadmodum etiam apud Raynaldum ad annum 1445. n. 21.

XVIII. PROVINCIA RAIÆ ET TABRESTANIÆ.

PRovinciæ Tabariſtaniæ quam mare Chozar ſive Caſpium alluit, eccleſiaſtica metropolis decima-ſexta diœceſis Chaldæorum *Ray* vel *Raia* cenſetur in tabula Eliæ Damaſci, in Perſidis finibus poſita. Ipſa putatur eſſe quæ Ῥάγα *Rhæa* Stephano Byzantino, Ῥαγαία *Rhagæa* Straboni & Ptolemæo, quorum ævo Mediæ attribuebatur. Unde non alia videtur eſſe à *Rages* Medorum cujus ſit mentio in libro Tobiæ. Hanc Seleucus Nicator inſtauravit & auxit, ex quo illius conditor putatus fuit. « Alfragani ævo urbs maxima erat, pluſquam « paraſangam integram in longum, & dimidiam in latum patens, ait Golius, eleganter ædifi- « cata, & gemino intus rivo & aquæductibus gaudet, ut fide Ebn-Hawkel refert Abulfeda, « tum & incolis advenisque ita frequentata, ut nulla in Oriente præter Bagdadum habita « fuerit populoſior. » Sequiori ævo metropolita Holwan & Raiæ unus idemque factus eſt.

EPISCOPI RAIÆ.

I. ABIBUS.

RAIÆ ſedebat metropolita *Abibus* ſub Timotheo I. Catholico, circa annum 778. *Aſſeman. diſſert. de Neſtor. p. 772.*

B

II. JACOB.

Electioni Theodoſii Catholici aderat *Jacob* Raiæ metropolita, qui ſua ſubſcriptione illam confirmavit. *To. 3. p. 211.*

Digitized by Google

A

III. Marcus.

Joannes III. Catholicus ipſa ordinationis ſuæ die *Marcum* epiſcopum Beth-Bagas ad Raïam metropolim tranſtulit. *To. 2. Bibl. Orient. p. 440.*

IV. Abdelmessias.

Promotioni Ebedjeſu III. Catholici aderat *Abdelmeſſias* metropolita Holwan & Raïæ. *Ibid. p. 448.*

I. ECCLESIA GEORGIANÆ.

PRæter provinciam quam vulgo *Georgiam* dicunt, & *Iberiam*, quæ inter mare Caſpium & Pontum Euxinum jacet, civitas Georgiana nominata exſtat in regione Tabareſtaniæ vel Choraſaniæ mari *Chozar* ſive *Caſpio* vicinæ, Nubienſi non ignota (p. 243.) ipſaque epiſcopatus eſt Eliæ Damaſceno, ſub metropolita Raïæ & Tabareſtaniæ: ſed cujus antiſtes nullus mihi hactenus occurrit.

XIX. PROVINCIA DILEMITARUM.

DAILAM, *Dilema*, Syris Dilum, regio ampla eſt & montoſa Hyrcaniæ juxta mare Caſpium, quæ ad Ortum Tabareſtania terminatur, Adorbigana vero ad Occaſum, ejuſque item parte ad Auſtrum. Procopius Cæſarienſis lib. 2. de Bello Perſico, incolas illius, etſi Perſarum ditionibus undique cingerentur, eorum tamen regibus minime paruiſſe prodit, locorum ſuorum rupibus abruptis inviiſque defenſos: quinimo ſub Mohammedanis principibus, gentes vicinas quas illi ſubjugarant, diu vexaverunt. Hos Chriſtiana religione ſub Timotheo Catholico imbutos fuiſſe ferunt Neſtoriani, ut & eorum vicinos Gelanitas vel Chilanitas. Primaria Dilemitarum civitas, teſte Golio, *Raidebar* dicitur; vetus tamen eccleſiaſtica metropolis fuit *Mukar*, Caſpio mari, Geographo Nubienſi, proxima.

EPISCOPI DILEMITARUM.

I. Subschaljesus.

EPiſcopus primus quem Timotheus I. Catholicus Dilemitis deſignavit, fuit *Subſchaljeſus*, Hirta Naamaniæ oriundus, qui in cœnobio Beth-Abæ monachus egerat, ſed à ſodalibus ſuis ejectus fuerat, cujus flagitii ſubinde pœnas luerunt. Ordinatus porro Gelanitarum ſimul & Dilemitarum præſul, poſt vero à Gentilibus interfectus eſt. Sic Thomas Maragenſis in hiſtoria monaſtica *to. 2. Bibl. Or. p. 496.*

II. Cardagus. Jaballaha.

Subſchaljeſu impie licet à Dilemitis trucidato, Timotheus Catholicus nihilominus *Jaballaham* Gelanitarum, & *Cardagum* Dilemitarum epiſcopos ordinavit, germanos fratres ex illo Beth-Abæ monaſterio aſſumptos, quorum prior illic codicibus exarandis vacabat, alter iiſdem compingendis. Jaballaha de gentium illarum converſione Timotheo epi-

B ſtolam dedit. Quamobrem ambo illi à Catholico poteſtatem acceperunt epiſcopos illis ordinandi: qui proinde *Thomam, Zacchæum, Semum, Ephræmum, Simeonem, Ananiam, & Davidem* per diverſa loca conſtituerunt. *To. 3. Bibl. Or. part. 1. p. 489. ex Thoma Maragenſi.*

III. Elias.

Timotheus idem Catholicus *Eliam* illius etiam cœnobii Beth-Abe monachum ad urbem Mukam miſit, quem ipſe & Adiabenus metropolita Neſtorius ejuſdem urbis C antiſtitem conſecrarunt. Elias poſt prædicatum in ea regione Chriſti cultum, in illa urbe poſtremum diem obiit. *To. 3. Bibl. p. 162. ex Thoma Maragenſi.*

IV. * * *

Dilemitæ Chriſtiani à Gentilibus ſuis variis modis tempore Maris II. Catholici afflicti fuere, quos, *eorumque metropolitam*, cujus nomen non ſupereſt, Naſer filius Aaron his in anguſtiis fatiſcentes egregiè adjuvit.

Digitized by Google

XX. PROVINCIA SAMARCANDIÆ.

SAMARCANDIA celeberrima civitas eſt Sogdianæ, Tranſoxanæque regionis, regni caput & metropolis, in ampla Uſbekorum Tartarici tractus ditione ad Auſtralem ripam fluminis Sogdi poſita, cujus ambitum Yacutus ſcriptor Arabs duodecim paraſangarum eſſe teſtatur. Hanc à Gingkiskan Tartarorum Imperatore vaſtatam, Timur ſive Tamerlanes inſtauravit. Quum Neſtoriani in hac orbis plaga eccleſias quoque habuerint, Samarcandiæ præſul decimus octavus diœceſis illorum metropolita cenſetur, cui Choraſania ſubjecta proinde fuerit, in quo ſcilicet urbem illam eſſe poſitam omnes norunt.

EPISCOPI SAMARCANDIÆ.

I. GEORGIUS.

SEBARJESUS II. Catholicus *Georgium* A quemdam ordinaſſe apud Marem Neſtorianum legitur, eumque in Choraſaniam & Rigeſtaniam miſiſſe, qui quum ad Cathaïos uſque penetraſſet, in eorum regione ad obitum uſque ſuum egit.

II. * * *

Aſſemanus diſſertationis de Neſtorianis pag. 487. ex Abulferagii ſive Bar-hebræi Chronico à Neſtoriano *Samarcandæ metropolita* epiſtolam fuiſſe Catholico ſcriptam refert & in aula Califæ lectam, qua de regnis Thebet & Chutam aliiſque Tartarorum regionibus mira quædam narrabantur.

XXI. PROVINCIA TURQUESTANIÆ.

METROPOLITAM Samarcandiæ in notitia Eliæ ſequitur Turqueſtanienſis, quæ regio *Tocariſtan* quoque nomine altero dicitur. Timotheus I. Catholicus apud Chagnum ſive Chanum Turcarum egit, ut Chriſtianæ religionis prædicatores admitteret, hoc eſt ante annum Græcorum 1134. Chriſti 823. quo fatis conceſſit. Poſt vero anno circiter Domini milleſimo, Joanne V. Catholico, Turcarum dynaſta cum ducentis millibus ſubditis ſuis Chriſto nomen dedit, quos ab Ebedjeſu metropolita Maru divinas doceri leges poſtulavit. Cujus votis Catholicus ultro annuit, miſſis illuc ſacerdotibus & clericis qui metropolitam illum adjuvarent. Cæterum, quia ea natura regionis erat, ut in ea triticum non naſceretur, nec facile vinum haberetur, ſed incolæ lacte dumtaxat & carnibus alerentur, Catholicus metropolitæ ſanxit, ut ſemel in anno ſolum in ſolemnitate Paſchali ſacra myſteria pane triticeo & vino adhibitis perageret, illiſque item licentiam dedit, ut lacte & carnibus in quadrageſima victitarent. Gregorius Abulferagius in hiſtoria quam Arabico idiomate ſcripſit, Dynaſt. IX. p. 280. Latinæ tranſlationis, Turcarum Orientalium tribubus circa annum Græc. 1514. Chriſti 1202. imperaſſe refert *Ungcham,* qui *rex Joannes* dicebatur ex tribu *Carrit* vocata. Ita quoque ex relatione Willelmi de Rubruquis Minoritæ, quam ſuperioribus locis appellavi, anno 1263. quo ad Tartarorum Chanum à S. Ludovico Rege è Palæſtina delegatus fuit, *Ungcham* ſive *Rex Joannes* ibi imperabat, qui vulgo *Preſbyter-Joannes* appellabatur, qui apud ſuos Pontificem ageret, ut-pote ſacerdotio initiatus. Alibi enim jam narravi Neſtorianæ diœceſis epiſcopos in Indiarum aliiſque vicinis partibus ſolere adoleſcentes complures diaconos & ſacerdotes paſſim ordinare, ut gentibus illis abunde ſuppetant qui ſacra apud eas patrare queant; unde non mirum reges ipſorum ſacerdotio fuiſſe ab epiſcopis ſuis donatos. Vincentius Bellovacenſis, Nangius & alii tradunt Chani Tartarorum Principis Oratores S. Ludovico in Syriæ partibus agenti dixiſſe, illum qui apud

Digitized by Google

ipſos ſceptra tenebat, *Hyocay nomine, matrem habuiſſe Chriſtianam, Regis qui Preſbyter-Joannes vocatur filiam, ad cujus exhortationem, & cujuſdam epiſcopi ſanctiſſimi qui Malaſſias vocaretur, ſuſcepit juramentum baptiſmi, & cum eo decem-octo filii regum, & plures alii, maxime Capitanei.* Atqui Turqueſtaniæ metropolis fuit Caſgara civitas, cui Nuacheta juncta quoque eſt.

EPISCOPI TURQUESTANIÆ.

I. JOANNES.

II. SEBARJESUS.

SUb Elia III. Catholico *Joannes* Chalatæ epiſcopus Caſgaræ metropolita factus eſt, eique defuncto *Sebarjeſus* Geſlunenſis epiſcopus Kimaræ ſuffectus eſt. Quod proinde poſt annum 1176. contigiſſe neceſſe eſt. *To. 3. Bibl. Or. p. 288.*

III. DENHA.

Turcarum Orientalium epiſcopum reperio *Mar-Denham* apud Abulferagium loco laudato p. 286. ſcilicet *Ungcham,* ſive « Joan-
» ne rege Turcarum à Gingiſcham debellato,
» ejuſque filia ſibi connubio juncta, ea ſua-
» dente quæſivit à famulitii ſui Chriſtianis Ju-
» gurenſibus, eſſet-ne illic epiſcopus aliquis.
» Cui dictum eſt de *Mar-Denha,* qui à Chano
A accerſitus, tiara nigra caput tectus acceſſit. «
Hunc vero Chanus ipſum eſſe dixit quem «
jam in ſomnis viderat. » Quæ certe conſentanea omnino ſunt cum his quæ ex Nangio & aliis modo retuli.

IV. MALASSIAS.

Alterum regionis ejuſdem epiſcopum *Malaſſam* nomine, Willelmus de Rubruquis nobis ſuppeditat: Vincentius Bellovacenſis & Nangius *Malaſſiam* dicunt, corrupta utique
B apud utrumque voce: *Abdelmeſſiam* forte dixero, aut aliud quid ſimile. Ab illo *Kincay* (Nangius habet *Hyocay*) Chanus Chriſti religionem edoctus baptizatuſque fuit cum decem & octo regulis, vel, ut Vincentius habet, filiis regum, quum Chani mater ab incunabulis Chriſtum coleret, ut-pote Preſbyteri-Joannis Regis filia.

XXII. PROVINCIA SEGESTANIÆ.

METROPOLITAM Turqueſtaniæ ſequitur in tabula Amri Neſtoriani numero vigeſimo metropolita *Halahæ,* quum numero ſeptimo jam appellaverit metropolitam Halavanæ ſeu Holwan; quia vero de Halaha nihil mihi dicendum occurrit, quippe cujus nulla apud auctores mentio, nec ullus indicatur epiſcopus; ideo hanc prætermiſi provinciam, ut de Segeſtanienſi dicerem.

Eſt autem Segeſtania ſimplex epiſcopatus in notitia Eliæ Damaſceni ſub metropolita Haræ, ſive Ariæ, primo & præcipuo Choraſaniæ epiſcopo. Verum in tabula Amri vigeſimus-primus metropolita diœceſis Chaldæorum epiſcopus eſt Segeſtaniæ, ſeorſim à metropolita Haræ qui decimus eſt. Porro Segeſtania regni Perſidis provincia eſt in ejus meditullio, inter Choraſaniam, Macranam, Carmaniam & Sindiam, atque ad Ortum Macrana terminatur, Choraſania ad Occaſum, Sindia ad Septemtrionem, Carmania denique & deſerto Perſidis ad Auſtrum. Hanc veteres *Drangianam,* Δραγγιανὴ appellabant, cujus incolæ *Drangæ* dicebantur Δράγγαι, ſive *Zarangæ, Arimaſpi* quoque & *Gedroſi.* Regionis hujus fluvius qui Arriano *Etymander* vocatur, indigenis, Abulfeda teſte, *Hendimand* dicitur.

EPISCOPI SEGESTANIÆ.

I. GEORGIUS.

ANno Chriſti 1064. Sebarjeſus Zanbur Catholicus *Georgium* Caſcaræ epiſcopum Segeſtaniæ, Choraſaniæ & Chataïæ metropolitam creavit. *Aſſemanus diſſert. de Neſtorianis pag. 735.*

XXIII. PROVINCIA

Digitized by Google

XXIII. PROVINCIA HIEROSOLYMORUM.

QUUM Chriſtiani cujuſcumque generis Hieroſolymam de cunctis Orientis partibus religionis cauſa pergerent, ſacra ſanctæ civitatis & Palæſtinæ loca viſitaturi, ibique ſui ritus eccleſias vel oratoria obtinerent, Chaldæorum Catholici epiſcopum conſtituerunt, qui Neſtorianorum ſuorum in eadem provincia agentium curam gereret, quem poſtea metropolitæ titulo ornaverunt. Id quod à Sebarjeſu Catholico ſexageſimo-ſexto ſancitum videtur, atque adeo ante ann. 1072. quo mortem obiit. Quocirca in tabula Amri metropolita Hieroſolymitanus vigeſimus-ſecundus eſt, quum in notitia Eliæ Damaſceni ſimplex ſit epiſcopatus ſub metropolita Damaſci. Sub Jeſuiabo III. Adiabeno Catholico Neſtorianos Hieroſolymitanos curabant Elias preſbyter & ſyncellus, Paulus archidiaconus & Theodorus diaconus.

EPISCOPI HIEROSOLYMORUM.

I. ELIAS I.

JOANNES III. Catholicus anno Græcorum 1204. Chriſti 893. Julii 15. hac ipſa die qua ſolemni ritu pronuntiatus fuit, *Eliam* Hieroſolymorum epiſcopum Damaſci metropolitam inſtituit. *To. 2. Bibl. Or. p. 440.*

II. ANANJESUS.

Sebarjeſus III. Catholicus *Ananjeſum* ordinavit Hieroſolymorum metropolitam, anno 1065.

III. ELIAS II.

Hieroſolymorum metropolita primum fuit, deinde Niſibenſis *Elias III.* Catholicus, de quo ſatis jam ſuis locis dictum eſt.

IV. J. * * *

Sebarjeſu V. Catholici nomine Raban-Ara Vicarius Orientis ſuis quas ad Innocentium Papam IV. ſcripſit litteris, teſtatur libello fidei quem illi mittebat, ſubſcripſiſſe metropolitam Niſibis, alioſque duos, nec-non epiſcopos tres, ſimulque commendabat *J.* archiepi- C ſcopum ſeu metropolitam Hieroſolymitanum, alioſque ſuæ diœceſis Antiochiæ & in Syria & Palæſtina commorantes. *Miſimus autem ad vos per manus dictorum fratrum* (Andreæ ſcilicet de Longiumello ejuſque ſocii ordinis Prædicatorum) *nuntiorum veſtrorum & libellum quem attulimus de pectore Orientis, ſcilicet de terra Sin, & libellum de fide ex parte archiepiſcopi Niſibeni, cui ſubſcripſerunt duo archiepiſcopi & tres epiſcopi. Et nos unà cum eis in ſpiritu petimus iterum à Paternitate veſtra petitionem ſecundam pro J. archiepiſcopo Hieroſolymitano qui eſt de gente noſtra, & pro fratribus noſtris Orientalibus Chriſtianis qui ſunt Antiochiæ, Tripoli & Acon, & in aliis terris veſtris, ut recommendetis eos ne aliquis* A *eos offendat, & ſint apud vos ſicut dicit Dominus noſter Jeſus-Chriſtus: Quodcumque uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, & quod vultis ut faciant vobis homines, hoc facite illis.* Nimirum illo tempore in Palæſtinæ & Syriæ multis locis Latini Principes dominabantur. Atqui littera *J.* nomen vel *Joannis* forſan vel *Jacobi* nobis indicat. Jeſuiabum vero vocat Aſſemanus *p. 756. diſſert. de Neſtorianis,* ſed nomen illud exaratum totum fuiſſet, ut-pote Latinis noſtris non vulgare. Litteras autem B illas Raban-Aræ Lucas Wadingus edidit *to. 1. Annal. Ord. Min. ad ann. 1247. n. 10.* necnon Raynaldus ad eumdem annum n. 32.

V. ABRAHAM.

Jaballaha III. Catholicus evectus ad primariam ſedem fuit, & in ea collocatus à metropolitis & epiſcopis qui ad ejus electionem convenerunt, quorum unus fuit *Abraham metropolita Hieruſalem,* anno Græcorum 1593. Chriſti 1282. *To. 2. Bibl. p. 456.*

VI. TIMOTHEUS.

Epiſtolæ Eliæ Catholici & metropolitarum Chaldæorum ad Paulum Papam V. ſubſcripſit *Timotheus metropolita Hieruſalem & Amidæ,* quum nempe à tempore Simeonis Sulacæ qui Romanam communionem amplexus erat, à Bagdadenſi Catholico ſeceſſiſſent. Quinimo Elias Catholicus epiſt. ad eumdem Romanum Pontificem, ſcripta die 9. Martii anno 1616. Timotheum Amidæ & Hieru- D ſalem archiepiſcopum à ſe ordinatum teſtatur; & in ſynodica quæ die præcedenti data erat, Timotheum commendabat, cui tradita erant *negotia ipſorum omnia quæ ſunt in Hieruſalem: ita ut quodcumque faceret, acceptum eſſet apud omnes.*

XXIV. PROVINCIA CHAN-BALEK & PHALEK.

SINICI Imperii partem, quæ ad Auſtrum vergit Orientales *Mangi,* indigenæque *Tſin* & *Matſin* dicunt; quæ vero ad Septemtrionem *Cathai* nominant, quæ Tartaricæ ditionis pars fuit. Ibi civitas exſtat ampliſſima, quam vulgo noſtri *Pekinum* dicunt, quæque ſæculo decimo-tertio, quin & anteriori ævo *Cambalu,* vel *Cambale,* imo Chan-Balek aut Chanbalek nominabatur, magni Cham Tartarorum-ve nec-non Sinarum Imperatoris ſedes. In hanc regionem Chriſtiana religio dudum poſt invecta eſt, quam à Sinarum meridionalium, ſive Maſinæ populis excepta eſſet. Quod in cauſa eſt, cur metropolita Chan-Balek nonniſi vigeſimus-tertius Chaldæorum diœceſis cenſeatur. Quo autem tempore aut ſæculo Cathaïenſes ad Chriſti cultum adduci primum cœperint, incertum omnino: ac certe poſt reliquas fere Tartariæ regiones, quemadmodum ex provinciarum illius diœceſis ſingularum ordine recenſioneque apparet. Chriſtiana autem religio apud Chanbalienſes ad ſæculi uſque decimi-ſexti initia perſeveravit. Et quidem tempore Marci Pauli Veneti quamplurimi apud eos exſtiterunt Chriſtiani. Sæculo autem decimo-tertio eccleſiæ Chan-Balek & Tanguth in unam tandem coaluerunt.

EPISCOPI CHAN-BALEK & PHALEK.

I. JABALLAHA.

ANno 1280. *Jaballaha* Turcici ſive Tartarici generis Sinenſis metropolita erat, hoc eſt Cambalienſis qui & Tanguthenſis dicebatur; qui anno 1282. in Catholicum promotus fuit.

II. JOANNES.

Anno Græcorum 1801. Chriſti 1490. à remotioribus Indiæ partibus Sinarum-ve, etiam Septemtrionalium regionibus Chriſtiani ſcripſerunt ad Simeonem Catholicum, qui tunc Gozartæ Zabdææ agebat, epiſcopos ad ſuas provincias mitti flagitantes; quorum ille precibus annuens monachos duos illis conſecravit, quorum alterum Thomam nominari voluit, alterum *Joannem.* Hos illarum gentium Chriſtiani multo honore ſuſceperunt. Thomas ad Catholicum paulo-poſt regreſſus

A eſt, ac Joannes in ea regione manſit, quæ ſibi obtigerat. Simeone anno 1502. defuncto, Elias ſucceſſor ejus anno inſequenti alios tres in eas partes epiſcopos iterum miſit, quorum primus Raban David dictus, cognomento Longus, metropolita creatus fuit, & Jaballaha vocatus; alter pro Georgio Denha eſt appellatus, Jacobus alter pro Maſudo. Hi porro Sinæ, Maſinæ, & Indiæ epiſcopi nuncupati ſunt. At certe Joannes metropolita Atelæ

B titulo ornatur in epiſtola quam Thomas, Jaballaha, & Jacobus ejus ſocii ad Eliam Catholicum anno 1504. ſcripſere, quamque legere eſt *to. 3. Bibl. Orient. p. 589. & ſeqq.* Atela autem dicta eſt non Sinarum meridionalis tractus, ſed cum Septemtrionali Tartaricus omnis ad uſque Volgam fluvium; ut proinde Chan-Balek civitas illius vere ſedes fuerit, ut-pote reliquarum harumce regionum primaria & caput.

XXV. PROVINCIA TANGUTH.

TANGUTH vel *Tanget* dicitur Turqueſtaniæ civitas, quin etiam regio Sinarum imperio aſſinis. Attamen Marci Pauli ævo primaria regionis urbs *Campition* dicebatur, hodie vero Ortuz, cui Tanguth inferior facta. Ejus epiſcopus vigeſimus-quartus eſt metropolita Chaldæorum in tabula Amri, hicque Chriſtianorum Tartarorum hordas omnes curabat. Sæculo decimo-tertio, ut jam dixi cum Chanbalienſi in unam coaluit eccleſia Tanguth.

BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

EPISCOPI TANGUTH.

I. SIMEON.
II. JABALLAHA.

DENHA I. Catholicus qui ab anno 1266. ad 1281. Neſtorianis præfuit *Simeonem* cognomento Bar-Kalig, qui Tauſæ vel Tuſæ in Choraſania epiſcopus erat, Tanchetæ, vel Tanguth metropolitam creavit anno 1279. « Hic quum adverſus Catholicum ſuperbe » agere cœpiſſet, antequam ad Sinarum regio» nem proficiſceretur, juſſu Catholici ad ipſum » adductus eſt in Aſnam Adorbiganenſis regio» nis urbem, rebuſque omnibus ſpoliatus, in » carcerem detruſus eſt in cœnobio S. Abra» hæ in Lahaka urbe. Quumque inde fuga di» lapſus in montem profugiſſet, iterum captus » & ad Catholicum adductus, rurſus carceri » mancipatus eſt, ubi paucis poſt diebus mortuus eſt. » *Quo vero mortis genere, variæ fuerunt variorum opiniones,* inquit Gregorius Bar-hebræus in Chronico ad annum Græcorum 1590.

JABALLAHA. Simeoni deſtituto, Denha idem Catholicus *Jaballaham* Iguritam monachum in Chathaïa natum paulo-poſt ſuffecit, quem Abulhachem princeps Chriſtianus Hieroſolymam ad Domini ſepulcrum cum pretioſis donis A & paramentis miſerat; ut-pote qui monaſticum pridem inſtitutum in Syria profeſſus eſſet. Hic vero, quum in patriam remeare cunctaretur, Arbelæ accepto obitus Denhæ nuntio Bagdadum reverſus, Catholicus renuntiatus fuit anno 1282. Quod quidem Abakæ vel Abulhachem Tartarorum Chriſtianorum regis juſſu, atque Aſuti Ameræ opera factum eſſe fertur. Eumdem vero Barhebræus Sinarum fuiſſe metropolitam renuntiatum ſcripſit in Chronico, ut idem fuerit Chanbalienſis & Tanguthenſis epiſcopus; B quin etiam Sinenſis, quando & illi cenſentur Sinarum metropolitæ.

III. JESUSABRAN.

Ex Amro & Mari Jaballahæ præcedentis in Catholicum promotioni aderat *Jeſuſabran* (Amro) vel *Jeſuiab* (Mari) metropolita Tanchet. *To. 2. Bibl. Or. p. 456.*

Poſt metropolitam Tanguth addit Amrus metropolitam Chaſemgaræ, ſive Caſgaræ & Nuachetæ, quum decimum-nonum locum tribuerit metropolitæ Turqueſtaniæ: verum unum eumdemque fuiſſe metropolitam conſtat, Caſgara ſiquidem ſedes fuit epiſcopi, qui Turqueſtaniæ præerat.

ECCLESIÆ
DIŒCESIS CHALDÆORUM,

Quarum incertæ provinciæ, ſeu metropoles ſunt, ordine alphabetico.

A

I. ECCLESIA AIN-TANUR.

HAUD procul Amida eſt Ain-Tanur, hoc eſt fons aut pagus Tanur, Chriſtianis Chaldæis frequens, ut epiſtola fertur Eliæ Patriarchæ ſive Catholici anno 1615. ad fratres Minores Alepi commorantes. Perperam apud quoſdam legitur *Hain, Tammur,* quaſi duæ urbes epiſcopales eſſent.

Ain-Tamr = Anbar

EPISCOPI AIN-TANUR.

I. BASILIUS.

NUper à Joſepho III. orthodoxo Chaldæorum Catholico Ain-Tanur epiſcopus A conſecratus eſt *Baſilius,* qui ſuam fidei catholicæ profeſſionem ad ſacram de propaganda fide Congregationem tranſmiſit. *To. 3. Bibl. Orient. part. 2. p. 715.*

II. ECCLESIA AMIDÆ.

AMIDA, *Amed* quæ Euphratenſis Syriæ metropolis pridem fuerat, Neſtorianæ diœceſis epiſcopatus ſimplex fuit, eique Mardenſis & Maïapherakinenſis conjuncti. Poſthac autem à Catholicis qui orthodoxam fidem profeſſi ſunt, metropolis rurſum facta eſt.

Digitized by Google

ECCLESIA AMIDÆ.

EPISCOPI AMIDÆ.

I. MICHAEL.

INter cod. Arabicos Innocentii Papæ XIII. Vaticanos exſtat *Michaëlis* epiſcopi Amidæ & Maïapherakin profeſſio fidei ad ſenſum Neſtorianorum. Vivebat anno 1180. *Bibliothecæ Orientalis tom. 2. pag. 509. & tom. 3. part. 2. pag. 717.*

II. JOANNES.

Anno 1257. ſedebat *Joannes* Amidæ ſimul & Mardæ & Maïapherakini epiſcopus, quo anno electioni adfuit Machichæ II. Catholici. *To. 2. Bibl. Or. p. 455.*

III. JESUDENHA.

Electioni Denhæ Catholici anno 1266. aderat *Jeſudenha* epiſcopus Mardæ, adeoque Amidæ & Maïapherakin epiſcopus, ut idem fuerit qui anno 1282. Jaballahæ III. ordinationi adfuit Jeſudenha Maïapherakin. *Ibid. pag. 456.*

IV. ELIAS I. V. SIMEON. VI. ELIAS II. VII. TIMOTHEUS.

Simeon Sulaca orthodoxorum Catholicus anno 1554. Amidæ archiepiſcopum creavit Hormiſdam monachum, cognomento Aſmar Habib, qui Eliæ nomen aſſumpſit. Sed & *Simeon* Amidæ metropolita obiit anno 1590. cui ſucceſſit *Elias II.* eoque ad eccleſiam Seert tranſlato, Amidenſi eccleſiæ præfectus eſt *Timotheus,* qui ſynodo Amidenſi Eliæ Patriarchæ anno 1616. adfuit, ſubſcripſitque *Timotheus archiepiſcopus Jeruſalem & Amed.*

VIII. JOSEPH.

A Simeonis orthodoxi Catholici cui ſubjerat Amida, ad Eliæ Neſtorianorum alterius Catholici Moſulæ ſedentis, ditionem Amida tranſiit donec Joſephus ejuſdem eccleſiæ metropolita ad Patriarchalem dignitatem ab Innocentio Papa XI. anno 1681. evectus, fixam ibi ſedem ſucceſſoribus ſuis reliquit. *To. 3. Bibl. Or. pp. 623. 629.*

III.

ECCLESIA ARJUNÆ.

PRæter Arzum, quæ Niſibenſis metropolis epiſcopatus erat, Chaldæorum quoque diœceſis epiſcopatus alter fuit Arjuna, Garmæorum regionis & Mahuzitarum. Inter epiſtolas Jeſuiab III. Catholici una inſcribitur clero & populo Mahuzæ Arjunæ, & alia *Sabæ,* ſeu potius *Saadæ,* ut parte illius epiſtolarum ſecunda n. 5. legitur, aut *Sahadunæ,* de quo mox dicendum.

EPISCOPI ARJUNÆ.

I. SAHADUNA.

TEmpore Sirois Perſarum regis, eruditione claruit apud Neſtorianos *Sahaduna* vel *Saada* Jacobi Nuhadrenſis monachi diſcipulus, quem Mahuzitæ Arjunæ Garmæorum epiſcopum creari curaverunt. Hic Jeſuiabum II. Catholicum, quem Siroës fœderis cum Heraclio Imp. paciſcendi cauſa mittebat cum epiſcopis aliis comitatus eſt. Habitaque cum orthodoxis de fide diſquiſitione Neſtorianam hæreſim ejuravit. *To. 2. Bibl. pp. 417. 418. 493.* ex Thomæ Maragenſis hiſtoria monaſtica *lib. 1. cap. 34. & lib. 2. cap. 4.*

IV.

ECCLESIA ASPAHANÆ.

PERSICI imperii regio hodie caput eſt *Aſpaham* vel *Iſpahan,* quam indigenæ *Spahan* vocant. Parthiæ veteris civitas fuit, trium ſubinde urbium coloniis in eam evocatis populoſa. Ibi pridem Neſtorianus epiſcopus ſedit.

EPISCOPI ASPAHANÆ.

I. EBEDJESUS I.

MARES II. Catholicus ordinatus an. 987. *Ebedjeſum* epiſcopum Aſpahan Maru metropolitam creavit. *To. 2. Bibl. p. 443.*

II. EBEDJESUS II.

Anno Domini 1111. promotioni Eliæ II. in Catholicum aderat alter *Ebedjeſus* epiſcopus Aſpahan. *Ibid. p. 449.*

Digitized by Google

B

I. ECCLESIA BABYLONIS.

VAſtata pridem à Medis & Perſis vetuſtiſſima illa urbium Babylone, ejus illo loco civitas ex ejus ruderibus conſtitit, quæ primis eccleſiæ Chriſtianæ temporibus epiſcopi ſedes fuit, adeoque diœceſis Chaldæorum, etſi nulla ejus fere mentio fit in eorum libris.

EPISCOPI BABYLONIS.

I. POLYCHRONIUS.

IN Martyrologio Romano die 17. Februarii A hæc leguntur: *In Perſide ſancti Polychronii epiſcopi Babylonis, qui in perſequutione Decii, ore lapidibus cæſo, manibuſque extenſis oculos in cælum levans, emiſit ſpiritum.* Sic quoque Martyrologium aliud quod Bedæ tribuitur; ex actis utique quibuſdam paſſionis S. Laurentii Martyris, ſed quæ ſuſpectæ fidei ſunt. Baronius ad annum 253. num. 139. & 254. num. 27. de S. Polychronio ſcribens, non ſatis explicat, qua ratione in perſequutione Decii Babylonis epiſcopus interierit, quando, ut videtur, Babylon tunc temporis Perſicæ ditionis fuit. Decium adverſus Perſas perrexiſſe falſo putavit Baronius, de quo conſule Pagium ad illa Annalium parentis loca.

II. LAZARUS.

Inter Orientalium liturgias Syriaca una habetur *Lazari* epiſcopi Babylonis nomine inſcripta, in qua, ut aliis, vulgo oratur, ut *Spiritus ſanctus faciat, panem Corpus, & vinum Sanguinem Domini noſtri Jeſu-Chriſti.*

II. ECCLESIA BERBERÆ.

QUæ *Barbela* Syris, *Berbere* vel *Berberia* & Berbelia Arabibus dicta eſt, vicuſque vel oppidum fuit provinciæ Aſſyriacæ in regione Marge, ſub metropolita Adiabenes, ejuſque ſedi Telenſis juncta fuit ſub Denha I. & Jaballaha III. Catholicis, anno 1266. & 1282.

EPISCOPI BERBERÆ.

I. SIMEON.

PRomotioni Denhæ I. nec-non Jaballahæ B ſucceſſoris ejus Catholicorum aderat *Simeon epiſcopus Telæ & Berberæ*, ſeu *Barbariæ*, ut legit Aſſemanus *to. 2. Bibl. p. 456.*

II. JESUIAB.

Timotheus II. Catholicus ſynodum anno 1318. habuit, in qua canones duodecim condidit, aſſidentibus illi undecim præſulibus, quorum è numero fuit *Jeſuiab Telæ & Berberæ.* Ibid. p. 497.

III. ECCLESIA BERIÆ.

BERIA vel *Berea* Mari Neſtoriano ſedes epiſcopalis diœceſis Chaldæorum eſt, non certe eadem quæ Berrhœa Syriæ, quæ Syris & Arabibus priſco nomine ſuo Alepum dicitur, atque metropolis cenſetur. In Meſopotamia haud procul Marde fuit Caſtrum *Beria*, ubi monaſterium Jacobiticum erat S. Daniëlis. *To. 2. Bibl. Or. p. 221.*

EPISCOPI BERIÆ.

I. * * *

ELectioni & promotioni Eliæ I. Catholici aderat cum aliis epiſcopus *Beriæ* vel *El-Beriæ.*

IV. ECCLESIA BESTADARÆ.

BESTADARAM, vel, ut alii legunt pro diacriticorum punctorum Arabicorum varietate, *Jeſtadaram* urbem vel oppidum, in Orientis partibus ſitum fruſtra quæro, cujus tamen epiſcopus *Ananjeſus* adfuit promotioni Eliæ II. Catholici. *To. 2. Bibl. Or. p. 449.*

Digitized by Google

V.

ECCLESIA BETH-DARON.

DARUM ſive *Beth-Daron*, eadem eſt quæ Arabibus *Badroun* per contractionem, ut vulgo ſolent, dicitur, Meſopotamiæ civitas. In ea Achis vel Achæus ſancti Thomæ Apoſtoli diſcipulus Evangelium, ut in vicinis aliis ejuſdem regionis urbibus prædicaſſe fertur.

EPISCOPI BETH-DARON.

I. ABBA.

IN vita Sebarjeſu I. Catholici legitur, Maruthæ neſcio cujus urbis epiſcopo, qui Mauritii Imp. ad Coſroëm Perſarum regem, & Seleuciæ Catholicum epiſtolas ferebat, obviam iviſſe Thomam epiſcopum Caſcar, *Mar-Abbam* Badrunæ ſive Badroun, & alios.

II. ISAAC.

Timotheus I. Catholicus ſynodum habuit, in qua canones duodecim epiſcopis undecim una cum ipſo ſedentibus condidit, quorum unus fuit *Iſaac epiſcopus Beth-Daron.* To. 2. Bibl. Or. p. 497. to. 3. p. 341.

III. MARANAME.

Promotioni Machikæ II. Catholici aderat *Maraname* epiſcopus Badroun, ſive Beth-Daron. *To. 2. Bibl. Or. p. 455.*

IV. SALIBAZACHA.

Ita quoque promotioni Jaballahæ III. Catholici *Salibazacha* epiſcopus Badroun, *Ibid. p. 456.*

VI.

ECCLESIA BETH-DIAL.

BADIAL vel *Beth-Dial* urbs fuit provinciæ Moſulanæ, ut videtur, de cujus ſitu nihil hactenus comperi.

EPISCOPI BETH-DIAL.

I. MARANAMES.

ELectioni & promotioni Denhæ I. Catholici adfuit *Maranames* epiſcopus Beth-Dial, anno 1266. Hic prius Beth-Daron epiſcopus fuerat. *To. 2. Bibl. Or. p. 456.*

VII.

ECCLESIA BETH-NICATORIS.

BETH-NICATOR, ſive *Nicatoris* civitas, Perſicæ ditionis fuit ad Nicatorium montem, à Seleuco utique Nicatore condita, juxta quam Capros amnis fluit.

EPISCOPI BETH-NICATORIS.

I. SAPORES *Martyr.*

ANno altero poſt promulgatum à Sapore Perſarum rege adverſus Chriſtianos edictum, anno, inquam, regni illius trigeſimo, paſſi ſunt, *Sapores epiſcopus civitatis Beth-Nicatoris,* Iſaac epiſcopus oppidi Seleucienſis, & alii. Noſter vero Sapores, ipſe utique Sapores eſt, qui Seleucienſis alterius oppidi epiſcopus quoque dicitur, ac flagris tandiu in carcere cæſus fuiſſe, donec efflaret animam. Cujus caput Ardaſcir Adiabenæ præfectus præcidi ſibique afferri juſſit, ut necis ejus certior fieret. *To. 1. Bibl. pp. 17. 189. 193.*

VIII.

ECCLESIA BETH-SORI.

IN regione Garmæorum oppidum Beth-Sori fuit, cujus epiſcopus factus eſt *Joannes* ſcholæ Edeſſenæ Neſtorianæ alumnus, quum Edeſſa una cum ſociis ſuis à Zenone Imp. ejectus eſſet. *To. 1. Bibl. Orient. p. 353.*

Digitized by Google

C

I. ECCLESIA CADNES.

CADNES epiſcopum reperio *Joannem* cognomento *Abris*, quod *Leproſum* ſignificat, qui Ananjeſum II. Catholicum acriter adeo inſectatus eſt, ut ejus aliquando ſedem obtinuerit. Cæterum urbem *Cadnes* dictam nuſquam reperio. *To. 2. Bibl. p. 424.*

II. ECCLESIA CAFTOUM.

CAFTOUM Orientalis diœceſis epiſcopatum ſola Neſtorianorum monumenta nobis indicant, &, ut videtur, à Mari in Catholicorum hiſtoria Moſulenſis provinciæ vel etiam Arbelæ cenſetur; Aſſemano urbs eſt Aſſyriæ in Adiabene.

III. ECCLESIA CALLIANÆ.

COSMÆ Indico-pleuſtæ lib. 11. *de Mundo, Calliana* emporium eſt ex Indiarum præcipuis unum; ubi æs oritur & ligna ſeſamina, aliaque indumentis conficiendis apta. Hanc eſſe urbem *Calicut* eruditorum ſententia eſt. *In Calliana vero,* ait Coſmas, *epiſcopus eſt in Perſide ordinari ſolitus, atque adeo Seleuciæ.* Ibi hodieque Chriſtiani ſunt, & metropolitæ Indiarum ſubeſt *Calecutenſis. Vide Coſmam pp. 178. & 337.*

IV. ECCLESIA CAMULÆ.

MARCO Paulo Veneto lib. 1. cap. 46. provincia Camula eſt intra magnam provinciam Tanguth, ſubjecta imperio magni Cham, habens civitates multas & oppida. Attingit duo deſerta, magnum ſcilicet & aliud quoddam minus. Abundat his quibus ad vitæ ſuſtentationem homo opus habet. Habent incolæ linguam propriam, nec ad aliud videntur nati, niſi ut ludis & tripudiis vacent. Idololatræ ſunt & dæmonum cultores. Hæc Paulus, cujus tamen ætate Camulæ epiſcopum fuiſſe reperio, quod argumento eſt illic quoque Chriſtianos extitiſſe, quemadmodum in provinciis vicinis quas idem Paulus *Chinchintalas* & *Suchar* nominat, & civitate Campition, quæ regionis Tanguth metropolis eſt.

EPISCOPI CAMULÆ.

I. JOANNES.

ANno Græcorum 1577. Chriſti 1266. *Joannes epiſcopus Camulæ* adfuit promotioni A Denhæ I. Catholici, qui deceſſoris illius Machichæ perinde adfuerat exequiis. *To. 2. Bibl. Or. pp. 455. 456.*

V. ECCLESIA CARCHÆ.

CARCHA vel *Carch* Nubienſi urbs eſt infra Bagdadum, ubi ingentia ædificia exſtant in ea parte qua Haditham tenditur; ſed & ab eodem Geographo inter præcipuas provinciæ Churiſtan, ſive Chuziſtan civitates cenſetur, uti Gondiſapor, Toſtor, Sus, &c. Non tacendum Marco Paulo lib. 1. cap. 4. in Tartaria eſſe provinciam Carcham quinque dierum itinere Samarcandia diſtantem.

EPISCOPI CARCHÆ.

I. MOYSES.

MAR-ABÆ I. Catholici diſcipulus fuit *Moyſes* epiſcopus Carchæ. *To. 2. Bibliothecæ Orientalis p. 412.*

Digitized by Google

ECCLESIA CAFTOUM.

EPISCOPI CAFTOUM.

I. * * *

MAres II. Catholicus epiſcopos duos ordinaſſe legitur, *Caftoum* & Neſræ, ſeu potius Neſræ vel Napharæ.

II. * * *

Ordinationi Eliæ I. Catholici adfuit *epiſcopus Caftoum.*

III. Marcus.

Ita quoque promotioni Ebedjeſu III. Catholici adfuit *Marcus epiſcopus Caftoum,* qui poſtea in locum *Joannis El-Garmi* metropolitæ Syriæ tranſlatus fuit.

IV. Sebarjesus.

Electioni & promotioni Machichæ I. Catholici interfuit *Sebarjeſus epiſcopus Caftoum.*

V. Barsumas.

Rurſum ordinationi Barſumæ Catholici, *Barſumas epiſcopus Caftoum.*

VI. Gabriel.

Demum *Gabriël epiſcopus Caftoum,* electioni Machichæ II. Catholici. *Bibl. Orient. to. 2. p. 455.*

VI. ECCLESIA CASROUN.

CHAZRUNA, ſive *Caſroun* civitas fuit Perſidis, Abulfeda teſte, in qua ſedebat epiſcopus Chaldæorum.

EPISCOPI CASROUN.

I. Maraboctus.

CAsroun epiſcopus erat *Maraboctus,* quando ad Catholici dignitatem promotus fuit ante annum Chriſti 430.

VII. ECCLESIA CHADIRÆ.

CHADIRA vel *Cadhira,* pro diacriticorum punctorum Arabicorum diſcrimine, Babyloniæ ſedes epiſcopalis eſt in Chaldæorum eccleſiaſticis hiſtoriis, cujus nulla tamen apud Nubienſem alioſque Geographos mentio.

EPISCOPI CHADIRÆ.

I. Jesuiab.

ORdinationi Machichæ II. Catholici anno 1257. adfuit *Jeſuiab epiſcopus Chadiræ.* To. 2. Bibl. Or. p. 455.

VIII. ECCLESIA CHALDÆORUM *diſperſorum.*

APud Aſſemanum to. 2. Bibl. Orient. *Maranzacham* Chaldæorum paſſim diſperſorum epiſcopum invenio.

IX. ECCLESIA COMAR.

CIMAR vel *Comar,* urbs eſt Turqueſtaniæ, cujus incolæ ſunt *Comari* Ptolemæo. Alia etiam eſt *Comar* ſive *Comorin* in Malabarica ora; in qua Marci Pauli ævo frequentes Chriſtiani erant, Judæique & pagani; epiſcopatuſque eſt ſub metropolita Indiæ, ut probabilius videtur.

EPISCOPI COMAR.

I. * * *

ELectioni & promotioni Barſumæ Catholici aderat *epiſcopus Comar.*

II. Sebarjesus.

Elias III. Catholicus Joannem epiſcopum Chalatæ metropolitam Caſgar ordinavit, eique defuncto ſucceſſorem dedit *Sebarjeſum epiſcopum Kimaræ.* To. 2. Bibliothecæ Orientalis pag. 450.

X. ECCLESIA

Digitized by Google

X. ECCLESIA CORGES.

CORE vel *Corge-Gendan* in Armeniæ finibus civitas non ignobilis fuit, quæ Græcis Κορυκὸς, *Corycus* dicebatur. Ibi Neſtoriani ſectæ ſuæ epiſcopum conſtituerunt, quem aliquando metropolitæ titulo ornaverunt, etſi in tabulis Eliæ Damaſceni & Amri nulla ejus mentio fit.

EPISCOPI CORGES.

I. JESUZACHA.

ISRAELE Catholico quinquageſimo-octavo, Abulhali Theſaurarii Califæ autoritate atque à opera renuntiato, Georgius metropolita Moſul, *Jeſuzacha metropolita Corges* & Georgius epiſcopus Radan ſe ſubduxerunt, quum vi, non libere negotium ageretur.

E

I. ECCLESIA EDESSÆ.

EDESSA, alias *Orrhoa* & *Arach*, urbs Meſopotamiæ ſatis nota, de qua jam diximus. In ea ſchola fuit celebris Neſtorianorum à qua Zenone Imperatore pulſi quum fuiſſent, eccleſiam denuo occupavere ſub Juſtino II.

EPISCOPI EDESSÆ.

I. THOMAS.

EBEDJESUS catalogi librorum Syrorum capite 63. meminit Thomæ Edeſſeni, qui ſcripſit de cauſa Nativitatis & Epiphaniæ feſtorum, epiſtolam adverſus tonos, ſive cantus diverſorum tonorum, ſolutionem Aſtrologiæ, prolixos ſermones paracleticos & diſputationes adverſus hæreſes. Alius eſt hic *Thomas* à Thoma Heracleenſi cognominato, Jacobita (ſecus atque Bar-hebræus ipſe Jacobita putavit.) Neſtorianus vere fuit, qui Mar-Abam Catholicum in convertendis Theodori Mopſueſteni in Syriacam linguam operibus adjuvit.

H

I. ECCLESIA HARDASCIR.

IN regione Garmæorum urbs fuit Perſico nomine *Hardaſcir*, vel *Ardaſcir* appellata, Simeone Beth-Arſamenſi teſte in epiſtola de *Barſuma Niſibeno*: ex qua hoc quoque diſcimus Marem illum Perſam ad quem Ibas Edeſſenus decantatiſſimam epiſtolam ſuam ſcripſit, quæ in quinta ſynodo confixa eſt, hujus civitatis indigenam fuiſſe, (non ægre epiſcopum dixero.) Nomen Hardaſcir à primo rege Dynaſtiæ quintæ Perſarum derivatum videtur. Strabo in Aſſyriæ & Armeniæ majoris confinio urbem *Artagiram* ponit, quam Ptolemæus *Artaſigartam* dicit. To. I. Bibl. Or. p. 353.

EPISCOPI HARDASCIR.

I. MARES.

ASSEMANUS mihi auctor eſt *Marem* vel *Marim*, cui Ibæ Edeſſeni ſcripta epiſtola eſt, Ardaſcirenſis eccleſiæ epiſcopum vere fuiſſe.

II. MAANES.

E ſchola Edeſſena à Zenone Imp. cum aliis expulſus eſt *Maanes* Neſtorianus, qui in Perſidem ſe recipiens, epiſcopus Hardaſcir factus fuit, Simeone Beth-Arſamenſi teſte. Hoc tamen ſub Rabula Edeſſeno epiſcopo, ac Theodoſio Juniore Imperatore contigiſſe Bar-hebræus narrat. Porro idem Maanes in Catholicum decimum-octavum promotus fuit.

II. ECCLESIA HARRAN.

MESOPOTAMIA à Califis Mohammedanis ſubacta, paſſim in ejus urbibus Neſtorianorum genus propagatum fuit, atque adeo in civitate Harran, quæ Græcis & Latinis *Charræ* dicta eſt, de qua ſatis ſuo loco dixi.

EPISCOPI HARRAN.

I. GREGORIUS.

Tempore Phetionis Catholici claruit *Gregorius epiſcopus Harran*. To. 2. Bibl. Orient. pag. 431.

II. SEBARJESUS.

Catholicus quadrageſimus-octavus *Sebar-*
A *jeſus*, quem Salomon Baſſorenſis in ſuo Catholicorum indice Ananjeſum nominat, Nuhadræ natus, è monaſterii Abrahæ aſceta à Joanne Niſibeno metropolita, epiſcopus Harran ordinatus fuerat, unde Damaſcum à Timotheo I. tranſlatus, demum in Catholicum aſſumptus eſt anno 832. *To. 2. Bibl. Or. p. 435.*

III. ECCLESIA HESNÆ.

HESEN, & *Heſna* eadem civitas omnino eſt atque *Heſen-Cepha*, id eſt, *Arx Cephæ, Caſtellum Cephæ,* notiſſimum veteribus munimentum in Meſopotamia, de quo ſuo quoque loco dictum eſt. Epiſcopatus fuit Chaldæorum diœceſis; quin & poſteriori ævo metropolis quoque dicta eſt.

EPISCOPI HESNÆ.

I. ELIAS.

Promotioni Machichæ II. in Catholicum aderat *Elias epiſcopus Heſnæ*. To. 2. Bibl. Orient. p. 455.

II. EMMANUEL.

Ita quoque *Emmanuël epiſcopus Heſnæ,*
B promotioni Jaballahæ III. Catholici interfuit. *Ibid. pag. 456.*

III. GABRIEL.

Anno 1616. ſub Elia VI. Catholico *Gabriël metropolita Heſnæ* Neſtorianorum errores in Amidenſi ſynodo cum epiſcopis aliis ejuravit. *To. 1. Bibl. p. 547. & to. 3. p. 600.*

IV. ECCLESIA HORMUZ.

CARAMANIÆ civitas fuit Hormuz, ad Sinus Perſici fauces poſita, quam ab Hormiſda Perſarum rege conditam vix dixero, propter *Armozeos* populos, quos Plinius memorat, qui proximam oſtio Perſico partem Arabiæ felicis, & Caramanis adverſam migrantes, in Ogyri inſula, quæ Zaran dicebatur, conſederunt, nomen illi Hormuz imponentes. Urbs porro & inſula Hormuz duodecim milliaribus à Caramaniæ continenti diſtat. Tam in veteri, quam in nova Hormuz Neſtoriani Chriſtiani ſedes habuerunt, ſuæque ſectæ præſides: ac quidem nuperis hiſ-ce ſæculis: quocirca Elias Catholicus anno 1616. apud Paulum Papam V. adverſus Luſitanos querebatur, qui in *Ormos* & in Goa, & ultra Chaldæos ſuos multis modis vexarent, ſcrutantes eos de fide, quum homines illarum regionum non eſſent periti omnes.

EPISCOPI HORMUZ.

I. GABRIEL.

Inter Syros ſcriptores ab Ebedjeſu Sobenſi C cap. 78. cenſetur *Gabriël epiſcopus Hormuzi*, frater Theodori metropolitæ Maru; qui proinde ſæculo ſexto medio, ſub Catholico Mar-Aba, circa annum 540. vixit. Scripſit contra Manichæos & contra Chaldæos. *To. 3. Bibl. Or. p. 147.*

II. THEODORUS.

Quum metropolita Perſidis à Catholico Seleuciæ defeciſſet, Jeſuiab III. Catholicus, epiſcopos ſuæ ditionis duos in Perſidem miſit, qui illos ad officium revocarent; *Theodorum* ſcilicet Hormuzi & Gregorium Suſaſtræ, ut in ſua ad Simeonem Perſidis metropolitam epiſtola 2. ſignificat: *Viſum eſt nihilominus*, inquit, *velut ad ſepulcra mortuorum, quales vos eſſe video, geminos hoſ-ce Dei ſacerdotes ad vos allegare, Theodorum videlicet Hormuzdadſcir, & Georgium epiſcopum Suſaſtræ, ut ſi quidem in vobis ſpiritum vitæ eccleſiaſticæ ſupereſſe repererint, ſpemque eſſe ut ad primum fontem, unde Chriſtiani vitæ animæ latices hauriunt, redeatis, noſtram de veſtra ſalute ſollicitudinem curamque vobis ſignificent, &c.* To. 2. Bibl. Orient. p. 133.

Digitized by Google

M

I. ECCLESIA MAHUSÆ.

MAHUSA regionis nomen eſt, ubi *Marangerd* oppidum, teſte Aſſemano *to. 2. Bibl. Orient. p. 378.* Eſt etiam civitatis nomen, quam Coſroës Anuſchiran Perſarum rex, anno regni ſui octavo, vaſtata Antiochia, indeque captivis abductis, condidit, atque Antiochiam appellari voluit. Quando autem dicta quoque *Mahuza Arjunæ,* & Arjuna regionis Garmæorum urbs fuit, hinc certum fit Mahuzam Garmæorum urbem fuiſſe. Jeſuiab III. Catholicus, dum Adiabenes metropolita erat, epiſtolam ſcripſit clero & populo eccleſiæ Mahuzæ Arjunæ.

EPISCOPI MAHUZÆ.

I. SIMEON.

CIrca annum 600. *Simeon Garmæus,* à quo Ebedjeſus Sobenſis Chronicon Euſebii in Syriacum idioma tranſlatum refert, quum Mahuza oriundus eſſet, epiſcopatum geſſit in Garmæorum regione, teſte Jeſuiabo Adiabeno in epiſtola ad Kamjeſum & ſocios, ubi recolere eos jubet geſta ſuorum conſanguineorum Simeonis & Kamjeſu epiſcoporum, quos pro Neſtoriana ſecta adverſus Jacobiticam acriter decertaſſe affirmat. *Vide to. 3. Bibl. Or. pp. 142. & 633.*

II. SAHADUNAS.

Sub Mar-Ama Catholico trigeſimo-quarto *Sahadunas* Mahuzæ epiſcopus Neſtorianam doctrinam ejuravit & Catholicam profeſſus eſt. Adverſus eum Jeſuiabus Adiabenus nondum ad Catholici dignitatem evectus, plures ſcripſit epiſtolas. Prima ad eumdem Sahadunam, ubi primum de mutata illius fide edoctus eſt, ut eum à propoſito deterreret; 2. Clericis & populo eccleſiæ Mahuzæ Arjuni, quibus Sahadunas præerat; in qua dolet hominem à ſe epiſcopali dignitate ornatum, in hæreſim, inquit, incidiſſe, eumque acriter exagitat; 3. ad Hormiſdam epiſcopum, in qua monet eum ut Sahadunæ communionem A vitet, ut-pote qui Neſtorianos palam hæreticos appellaverit, & anathematizaverit negantes unam ineſſe Chriſto hypoſtaſim; 4. ad eumdem Hormiſdam, ut in cauſa Sahadunæ nihil ſe inconſulto agat, quum in conventu epiſcoporum à Catholico Mar-Ama proxime examinanda ſit cauſa illa; 5. ad epiſcopos regionis Garmæorum, quam Aſſemanus integram recitat *to. 3. Bibl. Or. p. 119.* Hæc docet nos Sahadunam ſedi ſuæ conſervatum à Catholico, nunquam tamen adduci B potuiſſe ut Neſtorianis parceret aut eorum erroribus. Jeſuiabus hortatur epiſcopos ut hoſtem ſuæ fidei nunquam recipiant. Hunc Aſſemanus *Sahadunam* per contemptum à Neſtorianis vocitatum dicit, quum nomen ejus proprium Sahadas fuerit.

III. SABAS.

Idem Jeſuiabus III. quum poſt obitum Mar-Amæ Catholici, ſupremam ſuæ ſectæ C dignitatem obtinuiſſet, epiſtolam dedit *Sabæ epiſcopo Mahuzæ Arjuni,* quæ duodecima eſt earum quas Catholicus ſcripſit. Igitur vel prius obierat Sahadunas, vel, quod probabilius colligitur ex modo citata Jeſuiabi ad epiſcopos regionis Garmæorum epiſtola, ſponte epiſcopatu ceſſerat & ad orthodoxos diverterat.

II. ECCLESIA MAIPHERAKIN.

DE Maipherakin, vel Miapherakin, ut legit Golius, quæ Græcis *Martyropolis, Μαρτυρόπολις* dicta eſt, alias jam ſuo loco dictum eſt. Ibi non Jacobitæ ſolum, ſed Neſtoriani quoque epiſcopum habuerunt. Doctiſſimus Renaudotius Martyropolim, ſeu Maipherakin unam eamdemque civitatem eſſe cum Tagrit ea de cauſa cenſuit, quod Marutas celebris Tagritenſis epiſcopus in nonnullis Syriacis codicibus Maipherakin quoque epiſcopus dicatur. Verum hæc non ſatis attente ſcripſit vir eruditus, atque merito ea de re carpit eum Aſſemanus; quum utramque urbem nominatiſſimus Nubienſis Geographus, ut alios taceam, diſertiſſime diſtinguat, Maipherakin terræ Armeniæ aſſignans, ſtationibus duabus à Tigri diſtantem, Tacrit vero, vel Tagrit Septemtrionali Irac vel Arac, ſeu Babyloniæ ad Tigris ripam; id quod de utraque frequenter repetit. Quamobrem Maipherakin ad plagam Meſopotamiæ Septemtrionalem poſita fuit, Tagrit vero ad Orientalem, ſed Auſtrum verſus. Sequiori ævo epiſcopatus Maipherakinenſis Amidenſi junctus fuit.

EPISCOPI MAIPHERAKIN.

I. JABALLAHA.

Catholicus ſeptuageſimus-quartus *Jaballaha II.* Cajumæ Moſulenſis filius, epiſcopus primum Maipherakin fuerat, deinde Niſibenſis metropolita. *To. 2. Bibl. p. 453.* A

II. MICHAEL.

Circa illa tempora, ut mihi videtur, ſedebat *Michaël epiſcopus Amidæ & Maipherakin,* cujus exſtat in uno codice Vaticano Arabico *Profeſſio fidei ſecundum ſenſum Neſtorianorum. To. 2. Biblioth. Orient. p. 509. & to. 3. p. 557. & ſeqq.*

III. JOANNES.

Machicha II. Catholicus Modaïnenſi ſedi impoſitus fuit ab Elia Gondiſaporis, præſentibus aliis epiſcopis, quorum unus fuit *Joannes Maipherakin.* Ibid. p. 456.

IV. JESU-DENHA.

Promotioni Jaballahæ III. Catholici aderat *Jeſu-Denha epiſcopus Maipherakin.* Ibid.

III. ECCLESIA MARDIS.

Mardis, ſive *Marda*, vulgo quoque *Mardin*, alio loco jam dixi Meſopotamiæ urbem eſſe ad ripam Tigris Orientalem inter *Moſul* & *Bagdadum*, è regione veteris Ninives in prærupta colle ſtructam, quam Timurus ſive Tamerlangus, omni Aſia ſubacta, expugnare nunquam potuit. Multi in ea Jacobitæ commorantur, imo ipſa ſedes eorum Patriarchæ eſt, longe vero pauciores Neſtoriani ſunt, quibus etiam ſuus præfuit epiſcopus. Sæculo vero decimo-ſexto, Sobæ ſive Niſibis, Armeniæ, & Mardis unus atque idem antiſtes fuit.

EPISCOPI MARDÆ.

I. JABALLAHA.

Elias III. Catholicus *Jaballaham Mardis epiſcopum* Niſibim tranſtulit. *To. 2. Biblioth. Orient. p. 450.* B

II. JOSEPH.

Epiſcopus Mardenſis Neſtorianæ ſectæ fuit *Joannes Bar-Malcun,* cujus liber *de interpungendi ratione* exſtat in codice olim Abrahami Ecchellenſis, vigeſimo-ſeptimo nunc Vaticano, cum aliis ejuſdem ſectæ ſcriptorum lucubrationibus. Codex deſcriptus eſt ex archetypo exarato à Joſue preſbytero filio Joannis in urbe Bagdad, ſub Sebarjeſu V. Catholico die 10. Novembris anno Græcorum 1558. Chriſti 1247. *Vide to. 1. Bibliotheca Orientalis pag. 578.* C

III. JESU-DENHA.

Promotioni Denhæ I. Catholici adſuit *Jeſu-Denha epiſcopus Mardis.* Ib. p. 456.

IV. JESUIAB.

Ex nota chronologica codicis Amidenſis octavi hodie Vaticani, anno Græc. 1871. Chriſti 1550. ſedebat *Jeſuiab* metropolita Sobæ, Armeniæ & Mardis. *To. 1. Bibl. Or. p. 583.*

V. TIMOTHEUS.

Chaldæi qui à Neſtorianis ſeceſſerunt Mardæ epiſcopum habuerunt nomine *Timotheum,* qui non ita pridem Catholicus à Clemente Papa XI. creatus, Joſephi nomen aſſumpſit. *To. 3. Bibl. p. 623.*

IV. ECCLESIA MARGÆ.

Præter Maragam, quam in Adorbigana poſitam dixi, regionem ſive pagum *El-Marg,* quod *Pratenſem* ſignificat, amplam prorſus, Nubienſis collocat circa urbem Moſul, in qua Neſtorianorum ut & Jacobitarum epiſcopus fuit.

EPISCOPI MARGÆ.

I. JACOBUS.

In hiſtoria monaſtica Thomæ Maragenſis lib. 5. c. 11. mentio fit *Jacobi epiſcopi Margæ. To. 3. Bibl. p. 493.*

II. ABRAHAM.

Ex Mare Neſtoriano *Abraham* Bajormi, ſive Beth-Garmenſis civis Margæ epiſcopus ante fuerat, quam in Catholicum promoveretur.

Digitized by Google

V. ECCLESIA MOHADRÆ.

EX Thomæ Maragenſis monaſtica hiſtoria, ut Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. pag. 492.* ſcribit, *Mohadra* regionis Dormeſſanæ erat, atque, ex Bar-hebræo, eadem quæ & *Seered* dicta, adeoque, ut videtur, in Meſopotamia. Atqui poſteriori ævo Seered metropoliticis honoribus aucta fuit.

EPISCOPI MOHADRÆ.

I. JOANNES.

THomas Maragenſis lib. 2. hiſtoriæ ſuæ monaſticæ cap. 11. ubi de Raban Ananjeſu monacho, doctore & ſcriptore libri *Paradiſi* ſermonem habet, hunc Hieroſolyma primum, deinde in Scetim profectum ſcripſit, deinde in Orientem regreſſum *Joannem epiſcopum Mohadræ* Dormeſanæ adiiſſe ſcripſit.

II. ELIAS.

A Epiſtolæ ſynodali Eliæ Catholici ad Paulum V. ſubſcriptus legitur, *Elias archiepiſcopus Sahert ſive Seert,* qui in eadem epiſtola *archiepiſcopus Amed* vel *Amidæ* dicitur. Ex quo intuli Amidam & Mohadram non admodum remotas urbes fuiſſe.

VI. ECCLESIA MOSAMBICÆ.

PŒNE dixero Moſambicæ, in celebri oræ Orientalis Africanæ urbe & emporio Neſtoriani generis epiſcopum metropolitam ſediſſe, propter notam codicis Vaticani Syriaci vigeſimi-ſeptimi chronologicam, quæ ſic habet. *Abſolutus eſt iſte liber feria 4. die 8. menſis benedicti Julii, anno Græcorum 1867.* (Chriſti 1556.) *in urbe benedicta Moſembaick, quæ juxta Æthiopiam ſita eſt, &c. Hunc exaravit,* ſeu potius fœdavit, *Joſeph nomine tenus epiſcopus & metropolita. Deſcriptus vero fuit ex archetypo exarato anno Græcorum 1840.* (Chriſti 1529.) *manu monachi Raban Abraham magiſtri ſcholæ eccleſiæ Mar-Acha quæ in Gozarta, ſive inſula Zebedäia ſita eſt.* Verum in mentem venit illo circiter tempore ſæculo decimo-ſexto medio Joſephum Indiarum metropolitam, quum à Luſitanis in Europam deportaretur, Moſambicam appuliſſe, in qua aliquamdiu hæſit, atque adeo Joſephum illum in priori nota chronologica ſignificari.

N

I. ECCLESIA NAAMANIÆ.

NAAMANIA Aſſemano *to. 3. part. 2. p. 765.* urbs epiſcopalis eſt Babyloniæ ad provinciam patriarchalem ſpectans, inter Bagdadum & Vaſetam ſeu Vaſith urbes in regiuncula quadam Zabæ majoris à Naamana Almundare ſive Monderi filio Arabum rege condita, quam Abulfeda *Noamaniam* dicit, & in Irach Arabica ſive Babylonica collocat. Ab Amro Neſtoriano in vita Joannis Iſæ Catholici eadem eſſe cenſetur atque Zuabia, & in vita Eliæ II. unus idemque epiſcopatus fuit Naamaniæ, Nili, & Badarajæ; ex quo conjiciendum datur eam provinciæ Beth-Garmæ civitatem fuiſſe, ut-pote quæ in tabula Eliæ Damaſceni inter patriarchales non legitur.

EPISCOPI NAAMANIÆ.

I. * * *

CIrca annum 554. Joſeph Catholicus vigeſimus-octavus, quum diœceſis ſuæ præſules & ſacerdotes omnibus modis vexaret & exagitaret, *Zabarum* ſive Zuabiæ, vel *Naamaniæ* epiſcopum ſua ſede ejecit. *Mares Neſtor. & to. 3. Bibl. Or. p. 443.*

II. MAR-ABA.

Ezechiële Catholico vigeſimo-nono, floruit *Mar-Aba* epiſcopus Doüab, ſive B Naamaniæ, cujus apud omnes magna fama erat.

III. SADUST.

Sub Mar-Aba Catholico quadrageſimo-primo, quem Modaïnenſes ob pravos mores oderant, ſedis adminiſtrator factus eſt *Saduſt* epiſcopus Rawani ſive Naamaniæ.

ECCLESIA NAAMANIÆ.

IV. JOANNES.

Joannes filius Iſæ Catholicus quinquageſimus-quintus, Bagdadenſi patre natus, & Bagdadi educatus, germani ſui fratris ſacerdotis cura à Joanne filio Narſetis Catholico quinquageſimo-tertio Rawani ſive Naamaniæ epiſcopus conſtitutus fuerat. Hic quo tempore Joannes deceſſor ſuus catholicus renuntiatus erat, eamdem jam dignitatem prenſaverat.

V. ELIAS.

Joanne V. Catholico defuncto, atque Caſcarenſi ſede vacante, Modaïnenſis ſedis curam egit *Elias Naamaniæ epiſcopus,* qui ad ſucceſſorem illius eligendum epiſcopos vocavit.

VI. EZECHIEL.

Jeſuiab IV. Catholico ſexageſimo-tertio extincto, Naamaniæ epiſcopus *Ezechiël* unus è tribus fuit quorum alter in Catholicum ſorte miſſa renuntiandus erat, inſcripto in una è tribus ſchedulis ejus nomine. *To. 2. Bibl. Or. p. 446.* Amro Elias vocatur.

VII. EUGENIUS.

Statim poſt obitum Joannis VII. Catholici *Eugenius Naamaniæ epiſcopus,* Caſcarenſi va- A cante ſede, Modaïnenſis eccleſiæ curam ſuſcepit, ſed dilata propter civiles motus Catholici electione, Eugenius per diaconos Bagdadenſes Marem epiſcopum Nahr & El-Nil accerſivit ejuſdem eccleſiæ ſervandæ cauſa.

VIII. NESTORIUS.

Sebarjeſus III. Catholicus *Neſtorium Hadithenſem Naamaniæ epiſcopum* ordinavit, qui, quum electioni Ebedjeſu ſucceſſoris illius adeſſet, aſſentiri noluit. Cæterum mutata ſententia ad ejus ordinationem venit, atque B ab eo Bardaæ metropolita factus eſt.

IX. SERGIUS.

Ebedjeſus III. Catholicus, defuncto epiſcopo El-Nil, ei ſuffecit *Sergium* illius diſcipulum, eique Naamanienſem eccleſiam adjecit, cujus præſulem Neſtorium Bardaæ metropolitam creaverat. Atqui Sergius epiſcopus Nil & Naamaniæ ſubinde promotioni Machichæ I. Catholici adfuit.

X. EMMANUEL.

Elias II. Catholicus *Emmanuëlem* monaſterii Patriarchalis præfectum ordinavit epiſcopum Naamaniæ, Nili & Badraïæ. *To. 2. Bibl. Orient. p. 449.*

II. ECCLESIA NAGRAN.

EX Amri Neſtoriani hiſtoria Catholicorum Chaldæorum, Mares ſancti Thadæi vel Adæi diſcipulus Edeſſa egreſſus, Radani primum prædicavit; dein Seleuciæ, Dar-Konæ, Caſcaræ, tum poſtea in Babyloniæ partibus aliiſque vicinis, quin etiam Nagranæ & in inſulis, ut puta Socotræ & aliis circum. Atqui Nagran civitas fuit Arabiæ felicis notiſſima, in qua Neſtoriani & Jacobitæ, nec-non Melchitæ epiſcopos conſtituerunt. Hanc Græci Νέγραν, *Negran* dixerunt.

EPISCOPI NAGRAN.

I. SILAS

IN actis S. Arethæ martyris Nagranenſis fertur Dunaamum Homeritarum tyrannum, ut ſancto ſuaderet Chriſtum Deum abnegare, *Silam* Neſtorianorum epiſcopum accerciviſſe, quippe qui Chriſtum hominem, non Deum eſſe crederet: παρεγένετο δὲ ταύτης ἕνεκα D τῆς ὑποθέσεως Σίλας ὁ ἐπίσκοπος τῶν Νεστοριανῶν Περσίδος μετὰ πλήθους ὑποκρῦσαι, καὶ ἀντιδογματίσας τοῖς ἀπὸ Ῥωμαίων καὶ Περσῶν ὀρθοδόξοις. Epiſcopus Perſidis dicitur, à Catholico Seleucienſi miſſus ut Nageranenſium curam gereret. Jam alibi diximus ſæculo quoque decimo Nagerani adhuc Chriſtianos Neſtorio addictos ſuperfuiſſe.

III. ECCLESIA NAHAROWIÆ.

NAHAROWIA, vel *Nahrowia, Naharowan* Babyloniæ civitas eſt inter Bagdadum & Vaſetam poſita ad Orientalem Tigris oram, 12. mill. paſſ. Bagdado diſtans. Idem fuit aliquando Naharowiæ & Coſræ epiſcopus, ſicque ad Patriarchalem provinciam tranſiit. Ejus autem epiſcopi non alii occurrunt præter eos quos ſupra in eccleſia Coſræ recenſui.

IV. ECCLESIA NAHZ & DIR.

IN hiſtoria Catholicorum Chaldæorum fertur Eliam I. Catholicum ſtatim atque Modaïnenſi ſedi impoſitus fuit, *epiſcopum Nahz & Dir* confirmaſſe. De quibus urbibus nihil comperi præter ipſarum nomina.

Digitized by Google

V.

ECCLESIA NIL.

IN Babylonia epiſcopalis urbs fuit *Nil* vel *El-Nil* Arabice dicta, Chaldæorum diœceſis epiſcopatus, qui aliquando junctus eſt Naamanienſi & Nahrenſi; ex quo apparet eas urbes non admodum ab invicem diſparatas fuiſſe, ſed nec multum à Modaïna diſtabant.

EPISCOPI NIL.

I. ***

PRomotioni Eliæ I. Catholici aderat *epiſcopus El-Nil.* A

II. MARES.

Joanne VII. Catholico defuncto, Eugenius Naamaniæ epiſcopus, cura Modaïnenſis ſedis vacantis ſuſcepta, *Marem epiſcopum Nahr & El-Nil* accivit, qui cum aliis obſtitit ne Emmanuël Beth-Garmenſis, præ Sebarjeſu, dignitatem eccleſiæ ſuæ ſummam obtineret. Poſthac adfuit electioni Ebedjeſu Catholici qui Sebarjeſu ſucceſſit.

III. SERGIUS.

Mare mortuo, Ebedjeſus Catholicus *Sergium* eccleſiæ Nil epiſcopum conſtituit, adjuncta illi Naamanienſi.

IV. EMMANUEL.

Ab Elia II. *Emmanuël* præfectus Patriarchalis cœnobii epiſcopus Naamaniæ, Nili & Badraïæ conſecratus fuit. *To. 2. Bibl. p. 449.*

V. JOANNES.

In epiſcopis Zuabiæ dicemus de *Joanne* epiſcopo Zabarum & Nilæ.

O

I.

ECCLESIA ORMIÆ.

ORMIA vel *Urmia, Urmi,* civitas eſt in montanis Perſidis provinciæ Adorbiganæ, ſive Mediæ veteris, ad ſtagnum Kamadhan; quæ metropolitæ Moſul obnoxia mihi videtur fuiſſe. Ibi ſciſſa in tres partes ſæculo nuper elapſo Neſtorianorum eccleſia, Simeon Denha Catholicus ſæculo decimo-ſexto labente ſedem fixit, cujus ſucceſſores *Simeonis* nomen hactenus ſibi accivere. *Vid. Bibl. Orient. to. 2. p. 457. & to. 3. pp. 621. 622.*

EPISCOPI ORMIÆ.

I. ***

EXſtincto Sebarjeſu III. Catholico, ad ejus B electionem metropolitæ & epiſcopi ad quos ſpectabat, convenere, in quibus erat Jaballaha Moſulenſis cum quatuor provinciæ ſuæ præſulibus, quorum unus fuit *epiſcopus Ormiæ.* Hæc Mares. At vero Aſſemanus ex Barhebræo vel Amro Jaballaham epiſcopum Maaltæ à Sebarjeſu ipſo promotionis ejus die Moſulanum metropolitam factum ſcribit. *To. 2. Bibl. Or. p. 447.*

II. EBEDJESUS.

Promotioni Eliæ II. Catholici adſuit *Ebedjeſus* epiſcopus Ormiæ. *Ibid. p. 449.*

III. ***

Elias idem Catholicus Baladæ *epiſcopum Ormiam* tranſtulit.

R

I.

ECCLESIA RACCÆ.

RACCA Nubienſi Meſopotamiæ civitas eſt, decem ſtationibus Bagdado diſtans, eadem quæ Græcis Callinicum. Hanc Coſroës II. quod ditionis Romanorum eſſet, vaſtaſſe fertur, aliaſque deinceps Cæſaream uſque.

EPISCOPI RACCÆ.

I. ELIAS.

PRomotioni Machichæ I. in Catholicum aderat *Elias epiſcopus Raccæ.*

Digitized by Google

II.

ECCLESIA RHESINÆ.

DE *Rheſina* olim *Rheſen*, quæ *Raiſalain* (caput fontis) Geographo Nubienſi vocatur, ſatis jam ſuo loco dictum eſt in Antiochenæ diœceſis provincia Meſopotamiæ. In ea Neſtoriani, ut & Jacobitæ, ſuæ ſectæ antiſtitem creaverunt.

EPISCOPI RHESINÆ.

I. Daniel.

EBedjesus Sobenſis in Syrorum ſcriptorum Neſtorianæ ſectæ catalogo *Danièlem epiſcopum Rheſinæ* memorat, qui ſub Catholico Mar-Aba ſedebat. *To. 3. Bibl. Or. p. 176.*

II. Scalita.

Inter codices Syriacos qui Amida Romam advecti, in Vaticanam Bibliothecam tranſierunt, primus continet *Scalitæ* epiſcopi Rheſinæ hymnum de *Beata Maria*, & cod. VIII. homilias itidem de ſancta Maria & feria 3. Rogationum, ſive Jejunii quod vocant Ninivitarum. Sedebat ille ſub Georgio Catholico. *To. 1. Biblioth. Orient. pp. 581. 583. & to. 2. p. 486.*

III.

ECCLESIA ROSTACÆ.

ROSTACA, *Roſtac* Chaldæorum diœceſis pagus eſt, ab Aſſemano regioni Margenſi aſſignatur, ſub metropolita Adiabenes, ubi Neſtorianorum ſchola fuit. *To. 3. p. 440.*

EPISCOPI ROSTACÆ.

I. Gabriel.

PRomotioni Jaballahæ III. Catholici anno 1281. adfuit *Gabriël epiſcopus Roſtacæ.* To. 2. Bibl. Orient. p. 456.

S

I.

ECCLESIA SAHARZUR.

INter urbes Maphriano ſeu Primati Orientis Jacobitæ ſubjectas undecima cenſetur *Saharzul* vel *Saharzur*, cujus meminit Nubienſis p. 204. quamque in via collocat, quà Bagdado Holwan tenditur, quippe quæ ſita eſt in Adorbigana inter Moſul & Hamadan, Maraga ſex dierum itinere diſtans. In ea vero Neſtoriani quoque epiſcopum habuerunt.

EPISCOPI SAHARZUR.

I. Jazdephanes.

ANno 630. *Jazdephanes* epiſcopus Saharz. relictis Neſtorianis Jacobiticam ſectam amplexus eſt. *To. 2. Bibl. p. 419.*

II. Jacobus.

Inter Jeſuiabi III. Adiabenici Catholici epiſtolas, ſeptima inſcribitur *Jacobo* epiſcopo Sirzurenſi, qua illum hortabatur, ut adverſus Magos ſtrenue certaret exemplo avi ſui, qui ejuſdem urbis epiſcopus fuerat, & ab iiſdem Magis in crucem actus. *To. 3. p. 148.* Vivebat igitur poſt ann. 630.

III. Abraham.

Mares II. Catholicus *Abraham epiſcopum Saharzur* Baſſoræ metropolitam creavit circa ann. 990. *To. 2. Bibl. p. 443.*

II.

ECCLESIA SALMAS.

SALMAS vel *Salamas, Salmaſtum*, Nubienſi Adorbiganæ civitas eſt à lacu ſalſo Kanudhan, quod omni piſcium genere caret, haud procul dierum circiter octo itinere Ninive diſtans, ut Andreas Maſius Augerio Buſbekio ſcribebat.

EPISCOPI SALMAS.

I. Joseph.

PRomotioni Jaballahæ III. Catholici adfuit *Joſeph epiſcopus Salmas.*

II. * * *

Andreas Maſius Neſtorianorum, qui Romanam fidem amplecti viſi erant, ad Julium Papam III.

Digitized by Google

Papam III. epiſtolam in Latinam linguam convertit. In ea aiebant nullos apud ſe metropolitas ſupereſſe, à quibus ut lege ſtatutum erat, Catholicus poſſet ordinari, ſed epiſcopos perpaucos dumtaxat, & tres ad ſummum, ſcilicet Arbelæ epiſcopum, *Salmaſti* vel *Salmaſii epiſcopum*, & epiſcopum Aderbigan; ut A proinde Arbelæ præſul non jam metropolita eſſet, uti nec qui Adorbiganæ præerat. Hic alius eſſe non videtur à Simeone archiepiſcopo Salmaſæ, Seert & Gelu, qui anno 1580. in locum Ahatallæ Catholici ſuffectus fuit. *Vid. to. 3. Bibl. Or. p. 621.*

III. # ECCLESIA SALACH.

URbem *Salach* in Meſopotamia collocat Aſſemanus Mardin inter & Niſibin, in qua epiſcopalem fuiſſe ſedem Neſtorianorum ex Danièle ipſius præſule dignoſcitur.

EPISCOPI SALACH.

I. DANIEL.

CIrca annum Chriſti 700. floruit *Daniël* epiſcopus Salchenſis, Jacobo Edeſſeno æqua- B lis, cujus ad Danièlem illum, ut videtur, extat epiſtola quam in codice ſuo Syriaco 13. p. 111. haberi narrat Aſſemanus *to. 1. Bibl. Orient. p. 495.*

IV. # ECCLSIA SARCHASÆ.

SARCHASA vel *Sarchas, Sarhas,* urbs eſt in Choraſaniæ partibus condita, cujus ſolum, Nubienſi teſte, fecundum, & temperatus aër, diſtatque Harat vel Ari ſtationibus quinque inter meridiem & ortum.

EPISCOPI SARCHASÆ.

I. JOANNES.

BARSUMAS Catholicus *Joannem* quemdam ordinavit *Sarchaſæ epiſcopum*, de quo Jahia C Sarchaſenſis, apud Amrum, Salomoni Geſlunenſi filio ſororis Sebarjeſu metropolitæ Caſcaræ miraculum narrabat ſanati crucis ſigno muti. *To. 2. Bibl. Or. p. 450.*

V. # ECCLESIA BETH-SELEUCIÆ *ſive* CARCHÆ.

CARCHA ſive *Carchæ* Arabibus Garmæorum urbs eſt in Aſſyria, quæ Syris eadem eſt ac *Beth-Seleucia;* ipſa prorſus quam Strabo *Solocen* dicit. Garmæorum metropolitanam ſedem Sciahagarda in eam tranſlatam aliquando fuiſſe narrat Sobenſis, apud Aſſemanum *to. 3. Bibl. Orient. p. 417.* Fuit & Carch in provincia Holwanenſi, de qua ſuo loco dictum eſt.

EPISCOPI BETH-SELEUCIÆ.

I. MOYSES.

MAR-ABÆ I. cognomento Magni, Catholici diſcipulus fuit *Moyſes* epiſcopus Carchæ, circa ann. 536. *To. 2. Bibl. Or. p. 412. & to. 3. p. 276.*

II. GABRIEL I.

Tempore Coſrois Abruizi Perſarum regis ſedebat *Gabriël* epiſcopus oppidi Seleuciæ, cui Thomas Maragenſis in hiſtoria monaſtica narrabat, una cum Cyriaco Niſibeno & Jonadab Adiabeno, Patriarchalis ſedis curam eſſe demandatam, quum Gregorius Catholicus ſuis muneribus fungi à rege prohiberetur. Gabriël Coſroë defuncto, Jeſuiabi II. Catholici, qui D Sirois itidem Regis juſſu ad Romanorum ditionem pangendæ pacis ergo proficiſcebatur, comes itineris fuit. *Tom. 2. Biblioth. Orient. pp. 491. 492.*

III. JESUZACHA.

Tempore Salibazachæ I. Catholici Joannes Adiabenus ſive Moſulenſis metropolita *Jeſuzacham* cœnobii Beth-Abe monachum, *oppidi Seleuciæ* epiſcopum ordinavit. Ejus hiſtoriam E à Raban Gabriële ſcriptam refert Thomas Maragenſis. *To. 2. Bibl. Orient. p. 494.*

IV. GABRIEL II.

Salibazacha I. Catholicus, eodem Thoma Maragenſi teſte, *Gabriëlem* cognomento

ECCLESIA BETH-SELEUCIÆ ſive CARCHÆ.

Rakodam oppidi Seleuciæ epiſcopum conſtituit, ſive, ut videtur, confirmavit. *Tom. 2. Bibl. Orient. p. 494.*

V. MARANAME.

Adiabenes metropolita fuit *Maraname* ſub Jacobo Catholico, quum prius ab Acha Adiabenes quoque metropolita deceſſore ſuo oppidi Seleuciæ epiſcopus creatus fuiſſet. *To. 2. Bibl. Orient. p. 495.*

VI. ECCLESIA SINGARÆ.

SINGAR vel *Singara* urbs eſt Meſopotamiæ in Diar-Rabia Nubienſi, Balada 27. mill. paſſ. diſtans ad Occidentalem plagam, in deſerto & planitie poſita ad montis cujuſdam radices. Hanc Aſſemanus tribus fere manſionibus Moſula & Tigri fluvio diſtare ait, atque ad occaſum Moſulæ, & ad Auſtrum Niſibis poſitam. Priſcum planities nomen Sennaar retinet Gen. 10. verſ. 2. celebrata. Singaram Ptolemæus prope Tigrim Seleuciam inter & Niſibim collocat; eaque colonia Romana facta eſt à Septimio Severo, ut nummi aliquot inſcriptione ſua præferunt: ΑΤΡ ΣΕΠ. ΚΟΛ. ΣΙΝΓΑΡΑ. Romanis Perſæ poſthac illam eripuerunt, Romani recuperarunt, ac demum amiſerunt Conſtantio Imperatore ut Ammianus Marcellinus *lib. 20. cap. 6.* narrat. Plinius *lib. 6. cap. 24. Singaram* ait eſſe *caput Arabum qui Rhetavi* dicuntur, quum Arabes nempe varias, Euphrate tranſacto, Meſopotamiæ plagas occupaſſent; ex quo *Ebedjeſus*, de quo mox dicetur, *Singaræ & Arabiæ* epiſcopus appellatur. Niſibis provincia in Amidenſem, Beth-Zabdenſem & Heſnenſem poſteriori ævo diviſa, Singara Amidenſi metropoli aſſignata eſt.

EPISCOPI SINGARÆ.

I. GEORGIUS.

EBEDJESUS Sobenſis in collectione canonum ſynodalium fol. 6. codicis Vaticani 46. Nicæno concilio *Georgium Singaræ epiſcopum* adfuiſſe ſcripſit. *To. 1. Bibl. p. 170.*

II. JOANNES I.

Sub Timotheo I. Catholico ſedebat *Joannes Singaræ epiſcopus*, ejuſque ſynodo, in qua duodecim canones conditi ſunt, cum aliis præſulibus decem adfuit. *To. 2. p. 497.*

III. SUBCHALMARANUS.

Eodem Timotheo I. Catholico *Subchalmaranus Singaræ epiſcopus* conſecratus eſt in Niſibenſi eccleſia, ac ſubinde ab ipſo de more Bagdado præfectus fuit. *Bibl. to. 3. p. 500.*

IV. JACOBUS.

Inter Joannis Seldeni Angli codices ſexageſimus-ſecundus continet vitam S. Georgii, aliorumque ſanctorum & martyrum, ſcriptore *Jacobo epiſcopo Singaræ.*

V. SIMEON.

A Mari II. Catholico *Simeon epiſcopus Singaræ* ordinatus eſt anno 988. *To. 2. Bibl. Or. p. 443.*

VI. MOYSES.

Ordinationi Machichæ I. Catholici, cum aliis an. 1092. *Moyſes* Singaræ adfuit. *To. 3. Bibl. p. 551.* ex Amro Neſtoriano.

VII. MARIS.

Promotioni Machichæ II. in Catholicum aderat *Maris epiſcopus Singaræ.*

VIII. EBEDJESUS.

Sæculo decimo-tertio labente, Singaræ epiſcopus fuit *Ebedjeſus* ille, qui conciliorum canones in tres libros digeſſit. Quod planum fit ex his quæ leguntur ad calcem codicis Evangeliorum Syriaci, quem collegio Romano de propaganda fide donavit Joſephus I. Chaldæorum Catholicus. *Scriptus fuit liber iſte, collectus & exaratus ex archetypo ſcripto manu patris noſtri benedicti & beatiſſimi Mar-Ebedjeſu metropolitæ Sobæ & Armeniæ, cognomento Bar-Bricha, qui librum carminum compoſuit. Archetypum autem ille ſuum ſcripſit anno Græcorum 1596.* (Chriſti 1285.) *quum Singaræ & Arabiæ epiſcopus eſſet. Deinde factus eſt Sobæ metropolita, atque ex hoc ærumnarum ſæculo ad vitæ gaudiorumque regionem migravit ſub initium menſis Novembris anni Græc. 1630.* (Chriſti 1318.) Atqui in præfatione carminum ipſius compertum fit eum Niſibis metropolitam factum fuiſſe anno Græcorum 1602. Chriſti 1291. *Quum igitur*, inquit, *ab anno Græcorum 1602. hunc librum ego Ebedjeſus Sobæ & Armeniæ metropolita confeci uſque ad præſentem annum 1627. &c.* Præterea idem Ebedjeſus auctor eſt catalogi Syrorum ſcriptorum cujus ſæpe jam mentionem feci. *Vid. to. 1. Bibl. pp. 538. 539.*

IX. JOANNES II.

Synodo Timothei II. Patriarchæ anno 1318. interfuit *Joannes epiſcopus Singaræ.* To. 3. p. 341.

Digitized by Google

T

I. ECCLESIA TACRIT.

JAM à me obſervatum eſt poſt doctiſſimum Aſſemanum Martyropolim ſive Maïpherakin à Tacrit diſtingui, quando Nubienſis illam in climate quarto collocat, Maïpherakin autem in quinto; illam in extrema parte Arac ſive Irac Babyloniæ, iſtam in Armenia. « Tacrit quæ » partem Meſopotamiæ Septemtrionalem occupat, eſt ex urbibus Mauſel, inquit, jacetque » ab occidente Tigris, & opponitur illi in mediterraneo urbs Hatdher. Prope Tacrit ſeparat » à Tigri flumen Dogiail, quod terminos ejus ſecans excurrit ad dominium Sorra-man-rai, » illudque alluit uſque ad partes Bagdad. A Tacrit poteſt viator abire ad urbem Racoem » itinere terreſtri, tranſiens per regionem (Dair) Rabiaa, conficietque tali itinere novem » ſtationes: qui vero voluerit, deſcendet per Tigrim ad Mauſel ſpatio duarum levium ſtatio» num. » Hæc itaque ſufficiunt quibus ſitus urbis Tacrit perſpiciatur, ejuſque à Maïpherakin diſcrimen.

EPISCOPI TACRIT.

I. MARUTAS.

SAnctus *Marutas*, qui ſæculo quarto labente & quinto adulto claruit, Tacriti epiſcopus fuit, & Martyropolis, hac utique altera eccleſia illi commendata, quum in eam transferri curaſſet pretioſa ſanctorum pignora qui ſub Sapore rege & ſub Iſdegerde martyrio functi erant, & propter quæ urbs hæc altera Martyropolis dicta eſt. De illo jam dictum eſt in diœceſi Antiochena, legenda quæ habentur *to. 1. Bibliotheca Orient. pag. 176. & ſeqq.*

II. ECCLESIA TAHAL.

TAHAL urbs eſt Garmæorum in finibus Perſidis poſita, unde ortus dicitur famoſus ille Monophyſitarum princeps Xenaïus ſive Philoxenus, qui ſub Anaſtaſio Imperatore Hierapolitanam ſedem arripuit.

EPISCOPI TAHAL.

I. DANIEL.

TAHALI epiſcopus fuit *Daniël*, Tobonita à patria dictus, cujus libros Ebedjeſus Sobenſis recenſet cap. 105. è quibus memoranda venit vita S. Iſaac Ninivitæ præter ſolutiones quæſtionum de ſacra ſcriptura. *To. 3. Bibl. Or. pag. 174.*

III. ECCLESIA TELACH.

ASSEMANUS oppidum Telach vel Talach à Salach diſtinguendum monet, illudque in Perſide collocat. *To. 1. Bibl. Orient. p. 495.* ubi ait *Danielem Tobonitam Talachenſem*, vel *Talchenſem* in Perſide epiſcopatum geſſiſſe. Telach autem eandem prorſus eſſe civitatem cum Tahal in promptu eſt judicare, nec niſi diacriticorum varia lectione punctorum diſtingui. Ubi enim Tahal reddit Aſſemanus, ibi Talach legit Ecchellenſis.

IV. ECCLESIA TELÆ.

VOx *Tela* vel *Tal*, quam montem vel clivum Syris ſignificare alibi diximus, ſæpe cum alia componitur, ad civitatem aliquam deſignandam in excelſo loco poſitam. Tal vero vel Tela abſque nominis alterius adjectione, Adiabenes oppidum Nubienſi magnum eſt, urbi non impar, frequens & populoſum, ad fluvios Tigrim & Sarit impoſitum, à Gezirat, Ebn-Omar, ſive Zabdæa inſula ſtatione una diſtans, ut & à Salmas. Quæ proinde diverſa prorſus eſt à Tela Meſopotamiæ, quæ *Antipolis* olim & poſthac *Conſtantina* dicta eſt, Euphrati vicina.

Digitized by Google

ECCLESIA TELÆ.

EPISCOPI TELÆ

I. Simeon.

Electioni & promotioni Denhæ II. Catholici anno Domini 1266. ac poſtea ſucceſſoris ejus Jaballahæ IV. adfuit *Simeon epiſcopus Telæ & Barbariæ.*

II. Jesuiab.

A Timotheus II. Catholicus in ea ſynodo in qua duodecim canones condidit, aſſidentem habuit *Jeſuiab epiſcopum Telæ & Barbelæ*, ſive, ut videtur, *Barberæ* ſive *Barbariæ. To. 2. Bibl. Or. p. 497. to. 3. p. 341.*

V.
ECCLESIA THEMANON.

Themanon vel *Tſemanon* Aſſyriæ vicus eſt ultra Tigrim ad Orientalem partem, ſedeſque epiſcopalis ſæculo duodecimo fuit ſub metropolita Aſſyriæ. *Vicus Thamanin*, inquit Abulpheda in deſcriptione Meſopotamiæ cap. 7. *ad ortum Tigris fluvii eſt, ab eo minus quam diei itinere diſtans, habetque Ammadiam ad Auſtrum.* Pagum Thamanorum habet Agathias lib. 4. pagum Thſemaninum Elmacinus. *Jemanin* dicitur Geographo Nubienſi clim. 4. part. 6. ubi legendum prorſus *Themanin.*

EPISCOPI THEMANON.

I. Ebedjesus.

Promotioni Ebedjeſu III. Catholici aderat *Ebedjeſus* alter *epiſcopus Themanon*, qui poſt annos triginta duos ad Eliæ II. ordinationem perinde convenit, niſi forte cognominis ejus alter locum ipſius exceperit. *To. 2. Biblioth. Orient. p. 449.*

II. Joannes.

Circa annum 1100. ſub Makika I. Catholico ſedebat *Joannes Bar-Chamis*, ſive *Chamiſii filius* Themanon epiſcopus, quem Amrus B in vita Makikæ Catholici appellat *Ebn-al-Cheddad*, ſeu *fabrorum ferrariorum filium*, ob ejus utique parentis opificia. Ad Moſulenſem metropolim evectus eſt. *Grammaticam* ab eo ſcriptam refert Sobenſis c. 175. *to. 3. pag. 257.*

III. Barsumas.

Elias II. Catholicus *Barſumam* Beth-Zabdææ, Niſibenæ ditionis, Themanon epiſcopum ordinavit, qui poſt ejus obitum in Catholicum evectus eſt. *To. 2. Bibl. Orient. pag. 449.*

VI.
ECCLESIA TUS.

Diœceſis Chaldæorum epiſcopatus eſt *Tus* (*Tauſam* alii dicunt) quæ & Maſeed & Meſçat, Choraſaniæ inclyta civitas in ſatrapia Niſabour, ſive Niſaporis, cujus non ſemel meminit Abulferagius, qui Raſcidum Califam in ea mortem obiiſſe narrat.

EPISCOPI TUS.

I. Samuel.

Dadjesus Catholicus vigeſimus à Behramo Perſarum rege facultatem obtinuit *Samuëlis epiſcopi Tauſæ* conſtituendi, ſæculo eccleſiæ quinto, circa ann. 430.

II. Simeon.

Anno Græcorum 1590. Chriſti 1279. B *Simeon* cognomento *Bar-Kalig*, Bar-hebræo teſte ejus æquali, quum Tauſæ Choraſanitarum urbi epiſcopus præeſſet, à Mar-Denha Catholico Tanchet vel Tanguth, atque Chataïæ metropolita renuntiatus eſt. *Bibl. Orient. to. 2. p. 255.*

V

I.
ECCLESIA VAN.

Van Curdiſtaniæ notiſſima civitas eſt propè lacum ſalſum Kamudhan Occaſum verſus exſtans, ubi nupero ſæculo Neſtorianæ ſectæ præſul ſedebat, ſub metropolita Salmaſæ, attamen archiepiſcopi titulo ornabatur.

Digitized by Google

ECCLESIA VAN.

EPISCOPI VAN.

I. Ananjesus.

Epiſtolæ ſynodicæ Eliæ Catholici Chaldæorum ad Paulum Papam V. ſubſcripſit *Ananjeſus archiepiſcopus Van*, anno 1616.

II.

ECCLESIA WASITHÆ.

Wasitha vel *Waſeth* civitas eſt provinciæ Irac vel Arac Babylonicæ, ab ejus præfecto Hagiagio Saraceno condita anno Hegiræ 83. Chriſti 702. quam Tigris mediam ſecat, ubi Waſithæ paludes ad ſeptem uſque paraſangas porriguntur. Media ſita eſt inter nobiliores urbes Baſſoram, Bagdadum, Cuſam & Ahwaz, ejuſque ſedes epiſcopalis cum Caſcarenſi aliquando juncta fuit, ſub Ebedjeſu II. Waſitenſi quoque viciſſim eccleſia Koſtræ.

EPISCOPI WASITHÆ.

I. Hormisdas.

Sebarjesus II. Catholicus *Hormiſdam* ſacerdotem cognomento *Abulelam* genere *Siraſitam* epiſcopum Caſcar & Waſithæ ordinavit.

II. Sebarjesus.

Elias II. Catholicus *Sebarjeſum* Bagdadenſem ordinavit epiſcopum Waſithæ.

III. Barbactjesus.

Anno Græcorum 1579. Chriſti 1255. ordinationi Machichæ II. Catholici aderat *Barbactjeſus epiſcopus Waſithæ.*

Z

I.

ECCLESIA ZUABIÆ.

Inter urbes montanæ regionis Adiabenes Zuabia cenſetur, quæ media exſtat inter Hamadan & Holwan. Zabaïdia ſcribitur in tranſlatione Geographi Nubienſis, ut-pote Zabarum provinciæ caput, cujus eccleſia aliquando cum Nilenſi conjuncta fuit, itemque cum Naamanienſi. Quin Naamaniam cum Zuabia unam eamdemque urbem eſſe Amrus putavit.

EPISCOPI ZUABIÆ.

I. * * *

Inter Joſephi Chaldæorum Catholici vigeſimi-octavi facinora, quibus epiſcopis & presbyteris ſuæ diœceſis inviſus factus eſt, hoc unum recenſet Amrus, quod ſede ſua *epiſcopum Zabarum* deturbaſſet. *Epiſcopum*, inquit, *præterea Zabarum, hoc eſt Naamaniæ, è throno dejecit, qui quum medicæ artis atque Perſicæ linguæ peritus eſſet, ſupplex ad regem appellavit, utque eo gravamine relevaretur impetravit.* To. 3. Bibl. Orient. part. 1. p. 433.

II. Ezechiel I.

Amrus Neſtorianus inter diſcipulos Mar-Abæ Catholici vigeſimi-ſeptimi *Ezechiëlem* Zuabiæ epiſcopum memorat, quem Mares Catholicum poſt Joſeph Abæ ſucceſſorem fuiſſe renuntiatum prodit. *Vid. to. 2. Bibl. Or. p. 412.*

III. Milles.

Tempore Abæ II. Catholici, clericis Bagdadenſibus ſcholam & ædes patriarchales invadentibus, ipſe in cœnobium Waſithæ apud Caſcaram ſeceſſit, ac Saduſtum Tirhanæ & *Milleſium Zuabiæ* epiſcopos Seleucienſis ſedis vicarios conſtituit, anno pontificatus ſui ſexto, Chriſti 747. *Ibid. p. 431.*

IV. Emmanuel.

A Sergio Catholico quinquageſimo-primo ordinatus eſt *Emmanuël epiſcopus Zuabiæ.* Ib. p. 439.

V. Joannes I.

VI. Abraham.

Zuabiæ epiſcopus erat *Joannes Bar-Abgar* vel *Bar-Aghira* ſive *Claudi* filius iſæ Bagdadenſis, quando Catholicus quinquageſimus-quintus renuntiatus fuit anno Græc. 1211. Chriſti 900. feria 5. poſt Dominicam ſeptimam Apoſtolorum. Ipſa promotionis ſuæ die diſcipulum ſuum *Abraham* Zuabiæ epiſcopum ordinavit. *To. 2. Bibliothecæ Orientalis pag. 440.*

VII. Salomon.

Maris II. Catholicus *Salomonem* Zuabiæ

Digitized by Google

ECCLESIA ZUABIÆ.

epiſcopum Perſidis metropolitam conſtituit. *To. 2. Bibl. Orient. p. 443.*

VIII. Ezechiel II.

Quo tempore Elias I. in Chaldæorum Catholicum aſſumptus eſt, vacantis Jeſuiabi IV. morte ſedis cuſtodiam per triennium tenuerat *Ezechiël* Naamaniæ & Zuabiæ epiſcopus. Convenientibus autem epiſcopis ad Catholici electionem; poſt multas altercationes, electi tandem fuere Ezechiël iſte Naamaniæ & Zuabiæ, Elias Tirhanenſis, atque Abu-Said S. Eliæ Abbas, quorum nomina in ſchedulas relata fuerunt & glandulis inſerta. Tertio poſtmodum die extracta ſchedula una Eliæ nomen quum prodiiſſet, A Catholicus proclamatus eſt. Ita Mares Neſtorianus. Rem paulo aliter Amrus narrat, noſtrumque Ezechiëlem Naamaniæ & Zuabiæ epiſcopum *Eliam* vocat. *Vide to. 3. Bibl. Orient. part. 1. pp. 263. & 264.*

IX. Joannes II.

Zabarum quoque ſimul & Nili ſæculo Chriſti decimo-tertio ineunte epiſcopum nomine *Joannem* nobis ſuppeditat apud Aſſemanum *to. 3. pag. 557.* Amrus Neſtorianus, poſt vitam Eliæ III. Catholici, ubi duo miracula deſcripſiſſe Joannes legitur, quæ tempore Jaballahæ II. Catholici contigiſſe ferebantur circa annum Græcorum 1512. Chriſti 1201.

Digitized by Google



DIŒCESIS JACOBITICA.

QUÆ Jacobitarum eccleſia dicitur, non Orientalis diœceſis appendix fuit, velut Armena Ponticæ, ſed hæreticorum hominum ſecta, quorum epiſcopi primarium ſibi antiſtitem præſtituerunt, Antiochenique Patriarchæ titulo donarunt.

Jacobiticæ ſectæ primordia.

I. Proſcripta in concilio Epheſino priori Neſtoriana impietate, nonnulli illius procul evitandæ ſtudio, ex quibuſdam beati Cyrilli Alexandrini textibus malè intellectis, quibus nempe unitatem penitiſſimam perſonæ Chriſti aſſerere contenderat, inferre non dubitarunt unicam etiam in illo naturam eſſe. Quorum imbutus errore Eutyches Conſtantinopolitani monaſterii præfectus, eo uſque progreſſus eſt, ut Chriſtum Deo quidem Patri conſubſtantialem profiteretur, at non item matri & nobis, ac ſi ſola Deitas ejus natura eſſet, non humanitas. Quam impietatem alteram S. Flavianus in Conſtantinopolitano concilio damnaverat, Epheſina ſecunda ſynodus Dioſcoro Alexandrino præſide admiſit & approbavit; reprobavit vero poſt biennium Chalcedonenſe concilium, unaque Dioſcorum novæ hujus hæreſis patronum.

Ægyptii Chalcedonenſi definitioni adverſantur.

II. Dioſcoro ab hoc generali concilio quarto exauctorato, Ægyptii epiſcopi qui ſimul cum eo Chalcedonem venerant, editæ à patribus fidei definitioni ſubſcribere recuſarunt, cauſantes ſecundum diœceſis ſuæ regulas nihil quidquam momenti ſe poſſe decernere aut agere, niſi prævio archiepiſcopo ſuo Alexandrino. Illorum renitentiæ patres nihil doli ſubodorantes, cedendum putavere. Ubi vero illi in patriam remearunt, Dioſcorum proſcriptum indigne ferentes, Ægyptum clamoribus impleverunt, proditam Chalcedone fidem obtendentes, Theodoretum Neſtorianum admiſſum, Neſtorii blaſphemum dogma ſancitum. Quamobrem eo uſque furoris in Ægypto proceſſum eſt, ut pro Alexandrino præſule orthodoxo, qui Dioſcoro ſuffectus erat, Timotheum cognomento Ælurum poſt ejuſdem Dioſcori obitum elegerint, à quo Proterius ipſa ſanctiſſimi Paſchalis feſti vigilia in baptiſterio eccleſiæ trucidatus fuit.

Barſumas monachus Eutychianæ hæreſis in Oriente propagator.

III. In Epheſina illa ſynodo ſecunda, quam prædatoriam & latrocinium jure Patres dixerunt, omnium Orientis monachorum nomine, Theodoſii Imp. juſſu, ſedit Barſumas Meſopotamius Syrus, Eutychianæ hæreſis eo uſque aſſertor, ut in ſanctum ipſe Flavianum qui Eutychem damnaverat, pugnis calcibuſque palam coram omni ſynodo una cum Dioſcoro irruens, necis ejus auctor fuerit, atque adeo à Chalcedonenſi concilio anathemate, uti par erat, petitus. Hic nihilominus Chalcedone in patriam reverſus, ingentem per omnem Syriam monachorum præſertim turmam in ſuum errorem traxit.

Dioſcorus & Barſumas puri-puti Eutychiani.

IV. Atqui Dioſcorus & Barſumas illo tempore, non ſolum Eutychem à Flaviano, ac ſubinde à Chalcedonenſi ſynodo temere & injuria damnatum jactitabant, ſed nec prorſus à prava illius mente diſcrepabant. Quum enim Eutyches, ut modo dicebam, ſic unam Chriſto etiam aſſumpta carne, naturam affingeret, ut obſtinatiſſime negaret eum eſſe conſubſtantialem matri virgini & nobis ſecundum humanitatem: hoc ipſum quoque Dioſcorus palam docebat, ut mihi compertum ſit ex epiſtola quam Gangris in Paphlagonia ubi exul agebat, ad Alexandrinos ſuos ſcripſit. In ea quippe ſic ſuam de Chriſti carne mentem efferebat: *Niſi Chriſti ſanguis ſuapte natura Dei ſit non hominis, quorſum differt à ſanguine hircorum & taurorum, ac cinere vitulæ! Illud enim terrenum & corruptibile eſt. Verum abſit ut dicamus Chriſti ſanguinem ejuſdem eſſe ſubſtantiæ cum illis quæ ſuapte natura ejuſdem generis ſunt:* τοῦτο γὰρ γήϊνον καὶ φθαρτόν· ἀλλὰ μὴ γένοιτο ἑνὸς τῆς κατὰ φύσιν λέγειν ἡμᾶς ὁμοούσιον τὸ αἷμα Χριστοῦ: Quibus verbis, tum Eutychis impietatem ille adſtruebat, tum quod ejus conſectarium erat,

Incorrupticolarum doctrinam præformabat aſſerentium Domini carnem nulli prorſus obnoxiam corruptelæ fuiſſe. Conſimili modo Barſumas, Gregorio Bar-hebræo ſive Abulferagio, eruditiſſimo Monophyſita apud Aſſemanum Maronitam *to. 2. Bibl. Orient.* teſte, *corpus Domini haud inſtar humani corporis eſſe* ſentiebat. Atque hic erat hæreticorum illorum, qui Monophyſitæ audiebant, ſenſus, primis illis natæ hæreſis temporibus; ut vix ab Apollinaris errore altero diſcreparent, niſi quod humanam mentem Domino concederent.

Monophyſitæ ſenſum mutant.

V. Quia vero Cyrillus Alexandrinus Joannis Antiocheni confeſſionem ultro antehac admiſerat, qua ferebatur Chriſtum Deitate conſubſtantialem Patri, nobiſque conſubſtantialem humanitate, ipſeque palam doctrinam deinceps eamdem prædicarat, Ægyptii Monophyſitæ, etſi Chalcedonenſis ſynodi fidei repugnabant, ne ab illius doctrina diſſentire viderentur, Timotheo Æluro duce quem Dioſcoro defuncto Patriarcham creaverant, confeſſionem eamdem obtendere ſtuduerunt. Quamobrem, quum Baſiliſcus arrepta adverſus Zenonem Imp. tyrannide, ſe Chalcedonenſi concilio infenſum oſtentaret, Timotheus ille qui Conſtantinopolim ad eum acceſſerat, Eutychianos monachos à ſe procul abegit, qui confiteri nollent Chriſtum eſſe conſubſtantialem nobis ſecundum carnem, uti conſubſtantialem Patri ſecundum Divinitatem. In quam eamdem confeſſionem coïverunt etiam Orientales qui illam interim ſynodum abnegarent, una cum Petro Cnapheo quem Antiochenæ ſedi impoſuerant; ſicque adeo in Syriæ quoque provinciis, quemadmodum in Ægypto communis hæc aſſertio fuit illorum qui naturam dumtaxat permixtione vel confuſione unam prædicabant. Quam quidem naturam unam ex duabus conſtare aiebant, in duabus vero Chriſtum exiſtere negabant, ne Chalcedonenſem fidem viderentur admittere, atque naturarum duarum aſſertione Neſtorianæ diviſioni favere. Quod in cauſa fuit cur ob unius ſolummodo naturæ prædicationem Monophyſitæ tunc audierint.

Evagr. l. 3. cap. 5.

Eutychi anathema dicunt.

VI. Timotheus igitur ille Ælurus, qui ſe Dioſcori ſucceſſorem jactabat, omneſque alii deinceps ejus aſſectatores, Eutychi quidem tanquam hæretico anathema dicere non dubitarunt, qui veram, aiebant, Dei ex Virgine incarnationem negaſſet, phantaſticam, non veram carnem à Verbo aſſumptam affirmans. Dioſcorum vero interim, illumque archimandritam Barſumam, inter ſanæ rectæque fidei doctores habendos cenſuerunt, quin & Jacobitæ omnes etiamnum inter ſanctos habent; quos tamen Eutychianæ blaſphemiæ conſortes fuiſſe, non ex iis ſolum quæ ſuperius attuli, perſpicuum fit, ſed inprimis ex eo quod illum in ſua ſynodo prædatoria Epheſina à S. Flaviano injuſtè damnatum prædicaverunt & abſolverunt.

Dioſcorum & Barſumam prædicant.

Severus Antiochenus Monophyſiticum dogma exornando corroborat.

VII. Verum quum aſſertio illa unius dumtaxat naturæ Chriſti quæ ex duabus conſtaret, ut Dominus altera ſubſtantiæ ejuſdem eſſet ac Pater, altera item ac nos, multiplici capite undequaque nutaret, Severus monachus, Acephalorum Ægypti quondam anteſignanus, qui Anaſtaſii juſſu Antiochenam ſedem Flaviano II. legitimo orthodoxoque Patriarchæ eripuit, vir dialecticis technis & cavillis eruditus, hanc concinnare adornareque conatus eſt, ejuſque doctrinæ ſyſtema omnibus fere Monophyſitis adeo arriſit, ut in eo amplectendo coïverint. Verum Anaſtaſio Imp. defuncto, Juſtino Catholico principe ſummam rerum adepto, Antiochia, pœnas veritus quas multis de cauſis daturus erat, in Ægyptum fugit, ibique latuit.

Monophyſitæ Jacobitæ dicti à Jacobo Syro monacho.

VIII. Severi præcipuus diſcipulus fuit *Jacobus* quidam Syrus cœnobii Phaſiltæ prope Niſibim monachus, quem *Zanzalum* & *Baradæum* cognominarunt; Baradæum, inquam, quod ſummam paupertatem jactitando detritis veſtibus è dorſualibus jumentorum pannis operiretur; Zanzalum vero quod hoc pacto ſeſe contemptibilem hominibus præberet. Quæ certe cognomina illi à Catholicis per ludibrium indita fuiſſe mihi veriſimile eſt. Huic Gregorius Bar-hebræus œcumenici inſtar archiepiſcopi poteſtatem traditam fuiſſe, Severo annuente, ab epiſcopis qui ab Imperatoribus Juſtino & Juſtiniano incluſi erant, aſſerit, ut per omnes extra Ægyptum regiones ſui dogmatis præſules conſtitueret. Quum vero homuncio Severianus ille cunctas Orientis plagas circumcurſaret, inde factum eſt, ut ab orthodoxis hæretici illi Jacobitæ dicti ſint, qui viciſſim catholicos Melchitarum vocabulo perſtrinxere, propter Chalcedonenſis concilii definitionem quam Marcianus Imperator curaverat, quamque Imperatores alii quos modo dicebam, ab omnibus admitti præcipiebant. Vox quippe Syra *Malcha, Melcha,* regem Imperatorem-ve ſignificat.

Falſa nominis Jacobitæ derivatio.

IX. Quapropter nequaquam audiendi ſunt illi qui *Jacobitarum* appellationem à beatiſſimo Patriarcha Jacob, vel à ſancto Jacobo fratre Domini arceſſendam putarunt, quam poſtremam opinionem Elmacinus ſtatuere non dubitavit, ac ſi Dioſcorus ipſe Alexandrinus hoc nomine propter Apoſtolicæ doctrinæ quam profitebatur reverentiam donatus ſit. Conſtat enim nec Dioſcorum, neque Monophyſitam alium hoc nomine appellatum apud

Digitized by Google

apud ullum illius ævi ſcriptorem Syrum vel Græcum Jacobo Baradæo, vel Juſtiniano Imperatore recentiorem reperiri.

Jacobus Patriarcham ordinat Severi ſucceſſorem.

X. Jacobum Severus Edeſſenæ eccleſiæ epiſcopum aſſignaverat, in qua nempe complures erroris ſui ſocios degere noverat; ea vero urbe procul abeſſe principum Romanorum legibus coactus, œcumenicum archiepiſcopum agens paſſim alios ſui generis epiſcopos, ſacerdotes, diaconos, alioſque miniſtros ordinavit. Inprimis vero Severo in quodam Alexandriæ loco, in quo delituerat, exſtincto anno 539. ſucceſſorem ei ſubrogavit ordinavitque Sergium, qui proinde Antiocheni Patriarchæ titulum ſumpſit, & à quo deinceps Jacobitarum Patriarcharum ſeries propagata eſt, quæ ad hanc uſque diem perſeverat.

Monophyſitæ Ægypti Jacobitæ dicti.

XI. Ex quo Syriæ Orientiſque Monophyſitæ Severiani *Jacobitæ* audire cœperunt, Theodoſiani in Ægypto à Theodoſio Alexandrino Patriarcha Severiani dogmatis aſſecla dicti, qui & Coptitæ vulgo vocitantur, *Jacobitæ* quoque nuncupati ſunt propter ejuſdem doctrinæ affinitatem; eo magis quod utriuſque illius generis hæretici mutuam deinceps inter ſe communionem fovere ſtuduerunt. Quod quidem jam ſatis dictum eſt in Patriarchis Alexandrinis, ſed & iterum mox amplius dicetur in Jacobitarum Orientis Patriarchis. De his itaque Jacobitis dumtaxat mihi in præſentia ſermo eſt, quorum diœceſis per omnem Patriarchatum Antiochenum effuſa fuit, quin etiam in Armenia, nec-non in Perſidis, Parthiæ, & Mediæ regionibus.

Monophyſitica labes regum Perſarum opera invaluit.

XII. Ad illius ſectæ per Orientalem tractum propagationem admodum contulere Perſarum reges qui Meſopotamiam omnem, & Oſroënen Romanis ademerant; quum nempe è re ſua eſſe putarent, inter illarum regionum Chriſtianos diſſidia & jurgia fovere, ſed & illis ſectis favere, quæ religionem aliam tenerent ab ea quam Romani ſive Conſtantinopolitani Imperatores unice colebant: id quod etiam ſubinde præſtiterunt Mohammedani principes, qui Perſarum ditiones ſubjugarunt, Syriamque omnem & Meſopotamiæ provincias Romanis Imperatoribus eripuerunt.

Diœceſis Jacobiticæ partitio.

XIII. Quum itaque per tot illas regiones Monophyſitica labes, adeoque Jacobitica hæreſis ſparſa eſſet, harum magnam partem Occidentem verſus Patriarcha ſibi vindicavit, quam ipſe proxime procuraret & ordinaret, reliquas vero verſus Orientem poſitas ſpeciali cuidam primati credidit, quem *Maphrianum*

Maphriani inſtitutio.

appellavit, quod *fructiferum* ſignificat, quippe cujus muneris eſſet Jacobiticam diœceſim ultra Tigris fluminis alveum propagare. Hic

A porro *Maphrianus* inſtar erat Catholici, qui Armenorum & Chaldæorum ſive Neſtorianorum eccleſiæ præerat. Unde aliquando etiam Maphriani *Catholicorum* titulum arrogare ſibi tentaverunt, atque adeo Bagdadi ſedere, prohibiti vero à Neſtorianis fuerunt. Quod Bar-hebræus apud Aſſemanum *to. 2. Bibl. Orient. pp. 240. & 444.* Ignatio Marco Maphriano contigiſſe narrat anno Heg. 394. atque Joannem Neſtorianorum Catholicum à Califa edictum impetraſſe, quo cavebatur « ut ſolus Neſtorianorum Catholicus ſedem « B Bagdadi perpetuo figeret. Jacobitarum vero « metropolita Tacriti ſederet: quotieſcumque « vero neceſſitas poſtularet Bagdadum veniret, « ſuiſque popularibus viſitatis, ſedem confeſtim « ſuam repeteret. »

Patriarchæ Jacobitarum ſedes, & Maphriani.

XIV. Atqui Patriarchæ quidem Jacobitarum, cui per catholicos Imperatores Antiochiæ morari fas non erat, Amida ſedes fuit, quæ & *Carumd* & Diarbechir vulgo dicitur; quin etiam Barſumæ monaſterium prope Malatiam ſeu Melitenen; nunc vero in monaſterio Zapharenſi ſive S. Ananiæ haud procul C ab urbe Marde ut plurimum manet, frequentius autem Amidæ majoris commoditatis ſuæ & quietis cauſa; Maphrianorum vero nulla primitus certa ſedes fuit, ad Marutam uſque qui quartus ipſorum fuit, quemque Orientales Jacobiticæ ſectæ epiſcopi Tacriti, quæ Meſopotamiæ Aſſyriam verſus poſtrema eſt cis Tigrim poſita, ordinarunt, ut illius quoque civitatis eccleſiæ ſuæ præeſſet. Quod quidem contigit circa annum 630.

XV. Epiſcopatus qui Patriarchalis regiminis fuerunt, hic recenſere non vacat: dicere D ſufficiat ſubjectos illi fuiſſe quotquot à Meſopotamia & Oſroëne Occidentem verſus per omnem Syriam & Ciliciam exiſtebant. Horum vero numerus ſequenti ævo admodum imminutus eſt, tum ob Saracenorum Muſulmanorum intolerabile Chriſtianis jugum quorum plurimos ad deficiendum compulerunt, tum propter varias frequenteſque barbarorum aliorum in illas regiones incurſiones, adeo ut ſæculo decimo-tertio adulto, paucæ jam urbes Patriarchalis ditionis ſtarent. Quam quidem eccleſiarum ſuæ communionis in E Occidentali tractu imminutionem maximam fuiſſe Philoxeno Patriarchæ hoc illo tempore Gregorius Bar-hebræus ſcripſit, quum ipſe Maphriani dignitate contentus, Patriarchalem detrectaſſet. *Etſi Patriarchatum cuperem,* inquit, *ſicut cæteri homines, attamen, quum diœceſes Occidentis jam vaſtatæ fuerint, quid ſupereſt, quod in eis cupiam! An Antiochiæ deſiderium me tenet, quam gemitus, luctuſque occupat! An diœceſis ſacra Gumæ, in qua non remanſit qui mingat ad parietem! An BerrhϾ,*

an Mabugi, aut Callinici, aut Edeſſæ, & Haran, quæ omnes deſertæ ſunt! An ſeptem diœceſeon circa Melitinam, in quibus nec una hodie ſupereſt, Locabenæ ſcilicet, & Arcæ, & Calliſuræ, & Semchæ, & Gubæ, & Claudiæ, & Gargaræ. Hæc Bar-hebræus apud Aſſemanum *to. 2. Bibl. Orient. p. 259.*

Nuperi ævi Jacobiticorum epiſcopatuum recenſio.

XVI. Sæculo autem decimo-ſexto ad finem vergente Leonardus Abel Sidonienſis epiſcopus, quum accepta à Gregorio XIII. Papa juſſione Chriſtianorum Orientis eccleſias luſtraret, hæc de Jacobitarum eccleſiæ ſtatu ſcripſit, Thoma à Jeſu teſte lib. 7. de converſione Gentium pag. 396. *Natio Jacobitica diſperſa eſt per civitates, terras & oppida Syriæ, Meſopotamiæ & Babyloniæ, mixta aliis nationibus, numerum quinquaginta millium domuum obtinet, cujus præcipua pars paupercula eſt, quotidiano labore victum quæritans. In Alepo & Caramit* (hoc eſt Amida) *multæ ſunt divites & honeſtarum facultatum familiæ, aliæque in commercio & mercatura vitam ducentes. Eccleſia Patriarchalis hujus nationis eſt in Meſopotamia extra civitatem Moradin* (Mardin) *in monaſterio Zafram; ſed Patriarcha reſidet in civitate Caramit ad majorem ſui commoditatem & quietem. Hæc natio ſubdita eſt Patriarchæ David; ſed ab epiſcopo Thoma vicario generali fratreque ejus majore ipſius Patriarchæ gubernatur. Sub ejus obedientia moderne vivunt inferiores prælati, Joannes metropolitanus Hieroſolymitanus, à Jacobitis dictus quintus Patriarcha: Michaël archiepiſcopus Edeſſæ, dicta Orpha, vel Raha:* (Roha) *Minas archiepiſcopus Saur; Ephræm archiepiſcopus in eadem provincia, Jacobus archiepiſcopus Biſuairiæ, Abraham epiſcopus Aatafræ, Melchez epiſcopus S. Melchi in Tur, Jeſu* (Iſa) *epiſcopus monaſterii Deiriloomor, Abdelmelich in provincia Tur, Elias epiſcopus in Salach, Elias epiſcopus in monaſterio Inzaz, Gazal epiſcopus in Tarach, Daniël epiſcopus in Maaden. Pilatus metropolitanus in Muſal & Oriente, Gazel archiepiſcopus Miapherichin, ... archiepiſcopus monaſterii de Mar-Abibai, Ananias epiſcopus S. Bertoniæ, Joannes epiſcopus de Hartbert. Iſaac archiepiſcopus Cypri, Simeon archiepiſcopus Caramitanus, Habib epiſcopus.....* Huc uſque Leonardus, ubi certe Maphrianum cum aliis numerat, *Pilatum ſcilicet metropolitanum Muſal & Orientis*, eccleſia Jacobitica Muſal in unam coalita cum Tacritenſi, ut ſuo loco dicetur.

Altera item recentioris.

XVII. Cæterum exiguus iſte epiſcopatuum numerus iterum ad pauciores hodie redactus eſt Fauſto Naïrono Maronita teſte in Evoplia pag. 44. *Quinque metropolitas hic Patriarcha ſub ſe habet*, inquit, *alter videlicet Amed, alter Mouſal, ambo ad Occidentalem partem Tigris, quæ à nonnullis nova Ninive vocatur, quum exſtructa ſit ex ruderibus antiquæ Ninives, quæ parum ab eadem diſtat ad Orientem ejuſdem fluminis. Reliqui tres metropolitæ extra Meſopotamiam numerantur, Maadanenſis nimirum trans Tigrim, Aleppenſis ſive Berohenſis citra Euphratem in Syria Comagena, & Hieroſolymitanus in Palæſtina. Epiſcopatus vero celebriores in Meſopotamia ſunt, Mardenſis & Niſibenſis, qui modo ſub unico ſunt uniti epiſcopo, quum Niſibis ſit pene diruta. Sequuntur Edeſſenus, Gezirenſis ſeu Inſulanus* (in inſula Tigris *Bezabde* dicta) *Gargarenſis prope Edeſſam, Damaſcenus in Syria, præter illos qui erant in regione Tur Abdin trans Tigrim & alios dirutos in Meſopotamia, inter quos eſt Tacritenſis in Babylonia, prope Bagdadum.* Ubi obiter dicam, *Tur Abdin* ſeu montem *Abdin*, id eſt *Devotorum, Dei ſervorum*, trans Tigrim perperam collocari, quum certo cis Tigrim exiſtat; ac non Maphriani ditionis, ſed Patriarchæ fuit, Occidentalis tractus cenſitus, quemadmodum ſuperiùs legimus ex iis quæ Bar-hebræus Philoxeno Patriarchæ ſcribebat.

Eccleſia Jacobitica Hieroſolymitana.

XVIII. In recenſione Leonardi Abel, nec-non Fauſti Naïroni *Hieroſolymitanus* archiepiſcopatus legitur. Hic vero non ipſo primo Jacobiticæ ſectæ ævo inſtitutus fuit, ſed longe recentiori, poſtquam Franci noſtri Palæſtinam Muſulmanis eripuerant. Tunc ſcilicet Jacobitis indulſerunt uti ſacellum in urbe ſancta haberent, unaque epiſcopum, qui ſui generis homines peregrinos curaret. Quumque complures ex eis Tyri, Acone, inque aliis circum civitatibus ſedes tunc fixiſſent, epiſcopi itidem alii creati ſunt, qui eorum regimini præeſſent. Aiunt quidem Athanaſium I. Patriarcham in Kennefrinenſi Syriæ prope Alepum cœnobio à Severo Hieroſolymitano anno 595. vel 597. ordinatum fuiſſe; verum Severus ille ſucceſſorem nullum habuit, ad illa uſque bellorum ſacrorum tempora quæ noſtrates in Syria & Palæſtina geſſerunt. Quod quidem ex Bar-hebræi Chronico Aſſemanus *to. 2. p. 374.* diſerte declarat, his verbis: *Quin & ipſi Syri Jacobitæ nullum Hieroſolymis epiſcopum prius habuerunt, quam Franci ea urbe potiti eſſent.*

Maphriani ditio.

XIX. Quod Maphriani ditionem ſpectat, epiſcopatus illi duodecim initio aſſignati addictique fuerunt, quos Aſſemanus ex Barhebræo hoc ordine recenſet, *in civitate Akula, ſive Cupha* Arabiæ ſcilicet, *Sigaræ, Maaliæ, Arzuni, Gumal, Beth-Raman quæ & Beth-Razick, Charmæ, Gozartæ-Carducæ, Nuhadræ, Pheroz-Sapor, Sſahar-Zul, Arabum Chriſtianorum Taalabenſes Scenitæ.* Metropolitæ ſancti Matthæi Moſulenſis una tantum Ninives diœceſis attributa eſt. Tum alios

Digitized by Google

deinceps epiſcopatus Maphriani inſtituerunt, Bagdadi ſcilicet, Gulmaragæ, Beherini, Urmiæ & Adorbiganæ. Ad Maphriani autem ditionis in Orientales regiones propagationem, Arabum & Mogulenſium in Meſopotamiam excurſiones admodum contuliſſe aiunt, abductis ex illa provincia in Perſidem quamplurimis Jacobitis, quibus ſubinde epiſcopos conſtituere neceſſum fuit. Attamen ſucceſſu temporum Maphriani illa ditio valde quoque imminuta eſt, & paucis admodum eccleſiis præeſt.

Maphriani & epiſcoporum ordinatio. XX. Ad Patriarcham quidem Jacobitam pertinebat metropolitanorum ſuæ diœceſis ordinatio, quemadmodum à legitimo Patriarcha Antiocheno in Orientali diœceſi obſervabatur; epiſcoporum vero ad metropolitanos. Nihilominus, quum Jacobitæ Syriæ & Orientis arctiſſimo amicitiæ fœdere cum Ægyptiis hæreſis ſuæ ſociis jungerentur, atque in tota diœceſi Alexandrina ad Patriarcham Alexandrinum ſolum quorumcumque epiſcoporum ordinationes pertinerent, eamdem poteſtatem illi demum uſurpavere, ac ſolus nunc Patriarcha epiſcopos ordinat, nulla habita canonum ac Nicæni præſertim ſexti ratione. Atque hæc quidem invaluit Patriarchalis ditionis conſuetudo. Quod vere Maphrianum attinet, hic quidem haud ſecus atque Occidentalis tractus epiſcopi à Patriarcha debuit ordinari, reliqui vero ſuæ ditionis epiſcopi ab ipſo; quum tamen primitus Maphrianus ab Orientalibus epiſcopis ipſi ſubjectis eligeretur, ab ipſis quoque inſtituebatur, ac præſertim ad uſque ſæculi ſeptimi medium, quo Tacritenſes Denham Maruthæ diſcipulum quem Maphrianum elegerant, ad Patriarcham Theodorum adduxerunt ut ab ipſo conſecraretur. Sed nec exempla deſunt, quæ in iis quæ dicenda à nobis ſunt afferentur, quibus conſtat Maphrianos & epiſcopos complures, non à Patriarchis, ſed ab aliis epiſcopis ordinatos eſſe. Nec ſane tacendum Severum Theodori illius Patriarchæ ſucceſſorem cunctorum ſuæ ditionis epiſcoporum ordinationem ſibi vindicare voluiſſe, illi vero repugnaſſe complures epiſcopos, maximeque Meſopotamienſes.

Maphriani electio. XXI. Cæterum non epiſcoporum modo Occidentalis tractus, ut metropolitanorum, conſecrationem ſui juris eſſe voluerunt Patriarchæ, ſed ipſam quoque Maphriani electionem ſibi vindicarunt; quod Aſſemanus à Michaële Patriarcha factum obſervat, qui Gregorium ſuum ex fratre nepotem, inſciis Orientalibus Maphrianum inſtituit. Quocirca Bar-hebræus Patriarchas ſuos hanc ſibi poteſtatem vindicaſſe tradit ad inſtar Alexandrinorum, quorum juris ſemper fuit Æthiopiæ ſive

A Habeſſiniæ metropolitas ipſiſmet ex Ægyptiis eligere & conſecrare. *Ex quo*, inquit, *Abyſſini Chriſtianam fidem acceperunt, nullum ex ſuis metropolitam habuere, ſed Ægyptium aliquem virum ipſis præfici oportuit, cui exactam ſemper obedientiam præſtitere. Et hæc quidem conſuetudo ei conſonat quæ in Oriente apud nos viget, ubi Maphrianum Orientales niſi ex Occidente ſibi ordinari ſinunt.* Id quod nimirum ſic conſtitutum fuit, ne aliquando Orientales ſeſe à Patriarchæ obſequentia & ſubjectione ſubtraherent, & ut unitati cum Occidentalibus

To. 2. Bibl. Or. p. 371.

B ſervandæ caveretur.

Epiſcoporum tranſlationes olim Jacobitis raræ. XXII. Diu apud Jacobitas, non Ægyptios modo, verum etiam Syros & Orientales viguit vetus illa eccleſiaſticæ diſciplinæ norma, qua epiſcopos ſuis ſedibus amoveri & ad alias transferri vetabatur; nec Patriarcham ipſum eligi permittebant, qui ſpecialis alicujus eccleſiæ epiſcopatum gereret, quamquam hoc identidem olim ab illis factitatum eſſe diffitendum non eſt: Nam Joannem I. ex epiſcopo Havræ vel Haran, in Patriarcham fuiſſe promotum legimus, qui C tamen ab omnibus admiſſus non eſt, ſed & Orientales anathemati ſubinde, Joanne extincto, epiſcopum quemvis ſuppoſuerunt, qui Patriarchatum ambiret. Cæterum regulam illam à Syris fere obſervatam Aſſemanus ait, ad annum uſque Chriſti 1222. quo ex epiſcopis, & plerumque ex Maphrianis Patriarchas eligere abſque ulla antiquæ diſciplinæ reverentia cœperunt.

Nominis mutandi in Patriarchæ electione conſuetudo. XXIII. Præter iſtas epiſcoporum ad potiores ſedes tranſlationes, quæ ſequiori ævo invaluerunt, Aſſemanus rurſum obſervat D natam quoque eſſe conſuetudinem ut Patriarchæ in ſua promotione nova nomina ſibi adſciſcerent; quod auctor appendicis ad Chronicon Syriacum Bar-hebræi ubi de Joanne Iſmaële cognomento Magedo ex epiſcopo Amidæ in Patriarcham aſſumpto, cui *Ignatii* nomen impoſitum eſt, improbat his verbis: *Factum illegitimum, non ſecus atque illud quod attentatum fuerat à Patriarcha Joanne Bar-Maadan, quem Baſilium Alepi epiſcopum, quum Orientis Maphrianum initiaverat, mutato nomine Ignatium appellavit, quod nefas erat. Nam* E *qui ex epiſcopo aut Maphriano in Patriarcham eligitur, manus impoſitionem accipere nequaquam debet, ſed enthroniſmum dumtaxat, hoc eſt promotionem & orationem S. Clementis, quæ Patriarchæ propria eſt, & idcirco non debet nomen epiſcopi mutari, quum in Patriarcham ordinatur.* Quocirca Fauſtus Naïronus in Evoplia notat omnes fere eccleſias apud Jacobitas « tam metropolitanas quam epiſcopales, nomina « propria habere, cuilibet eccleſiæ addicta, ita « ut ad illas ordinati nomina pariter ſuſcipiant «

» cuique eccleſiæ præfixa. Metropolita Amiden- A
» ſis commutato *Dionyſii* nomine, quo olim vo-
» cabatur, nunc illo *Timothei* inſignitur; metro-
» polita Moſulanus illo *Baſilii*, Madanenſis *Cy-*
» *rilli*, Aleppenſis *Dionyſii* & Hieroſolymitanus
» *Gregorii*. Epiſcopus Mardinenſis & Niſibenſis
» nuncupatur *Athanaſius*, Edeſſenus *Severus*,
» Gezirenſis *Julius*, Gargarenſis... Damaſcenus
Gregorius, & ſic fere de aliis.» Omiſit Patriarcham nunc vulgo Ignatium nominari. Atqui hæc quoque conſuetudo nominum aliorum aſſumendorum apud Neſtorianos invaluit.

Patriarchæ electio & promotio.

XXIV. Jacobitarum Patriarchæ electio B ab epiſcopis tractus Occidentalis & Maphriano fit, collatiſque primum ſuffragiis, tres ſeliguntur in quos plurium vota concurrerint. Tum nominibus illorum in urnam injectis, ille cujus nomen ſtatim poſt divinas preces & liturgiam primum occurrit, Patriarcha ſtatim ſalutatur. Si epiſcopus non eſt, conſecrationem accipit a Maphriano & epiſcopis qui ad ſynodum convenere; ſin vero Patriarchali throno imponitur, tradito ei paſtorali baculo. Quam quidem Patriarchæ promotionem enarrare juvat ex Syrorum pontificali, quod Aſſe- C manus in Diſſertatione de Monophyſitis exſcripſit: *Conſecrationis Patriarchæ tria ſunt propria. Primum, quod ſuffragio, hoc eſt conſenſu omnium epiſcoporum eligitur, & hoc demonſtrat eum eſſe patrem communem totius eccleſiæ, & patrem patrum. Secundum, invocatio S. Spiritus quæ tribuitur Clementi.... & quæ ſuper Patriarcham tantummodo ab epiſcopis conſecrantibus recitatur. Tertium, haſta, hoc eſt Baculus, qui tenendus eſt ab epiſcopis omnibus ſimul & à ſingulis ex ordine ſecundum antiquitatem ſuam, & deinde aſſumitur manus ejus qui in* D *Patriarcham eligitur, & ſuper manus ſingulorum ponitur: & hoc demonſtrat, quod ex voluntate & conſenſu totius eccleſiæ, qua bene complacuit Spiritui ſancto, tradita ſit illi poteſtas ſingularis ſuper eccleſia Dei. Tunc admovent ſedem ſeu thronum, cui eum imponunt verſa facie ad Occidentem, & epiſcopi ac preſbyteri thronum apprehendunt, quem tribus vicibus elevant, ſynodi præſide una quaque vice inchoante & aliis reſpondentibus* ἄξιος *dignus, & clamat omnis populus, dignum & juſtum eſt.* Atqui non ante perficitur ordinatio vel promotio E Patriarchæ, quam fidei profeſſionem in charta à ſe exaratam pronuntiarit. Quam quidem in archivo Patriarchalis eccleſiæ deponit, & cujus exemplum ad ſuæ communionis Alexandrinum Patriarcham mittit. Quum Patriarchæ ordinationem vel promotionem à Maphriano peragi dixerim, non tamen omittam, primis Jacobiticæ ſectæ temporibus, identidemque rurſum, eam à ſeniori epiſcopo factam fuiſſe.

Patriarchæ tituli, & alius eorum modum [illegible] jectio.

XXV. Patriarcham quidem ſuum Jacobitæ inter promotionis ejus ſolennes ritus ita compellant; *A ſpiritu ſancto ſic vocaris ut ſis Patriarcha, hoc eſt Pater primorum eccleſiæ, urbi Antiochiæ, totique ditioni ſedis apoſtolicæ, id eſt Pater omnium noſtrûm*, ſeque in epiſtolis appellat *Patriarcha Theopolis Antiochiæ, & totius Orientis*, quippe qui ſe fingat legitimum eſſe ſucceſſorem illorum qui à beato Petro ad Severum uſque Antiochenam ſedem tenuerunt. Verum quum tanta apud ſuos auctoritate polleat, judicio tamen ſubeſt ſynodi epiſcoporum ſuæ diœceſis, ac ſi quid gravis contra legem aut eccleſiæ ſuæ ſtatuta patraverit, ad ordinem omnino redigitur & exauctoratur. Quod frequentiſſime in illa Jacobitica eccleſia, ut in aliis etiam Orientis, accidiſſe ex his quæ de ſingulis Patriarchis dicenda ſunt, compertum fiet.

Jacobitarum Ægyptii & Syri Eucharistici panis causa diſſenſio.

XXVI. Illa de qua ſuperius dixi, inter utramque eccleſiam Jacobiticam, Orientalem & Copticam communio aliquando propter diverſos ambarum ritus interrupta fuit; quod quidem bis ſæculo undecimo contigit. Nimirum jam olim in Syriæ partibus panes non fermento ſolum, ſed ſale quoque & oleo admiſtis ad communem victum conficere ſolent: qua de cauſa Sareptana mulier Eliæ Prophetæ dicebat, *non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur*. Quocirca Jacobitæ Syri ad Euchariſtiam uſitatum panem ſale & oleo admiſtis coctum adhibebant. Contra vero Ægyptii panem fermento dumtaxat admiſto offerebant. Hinc inter illos orta diſſenſio eſt, Ægyptiis Syrorum morem improbantibus. Quod in cauſa fuit cur Jacobitarum Orientis Patriarcha Joannes Bar-ſuſan qui anno 1012. Syris præerat, librum ſcripſit, in quo uſum ſalis & olei ad Euchariſtiam myſtica interpretatione defendit. Quem librum doctiſſimus Renaudotius ex Colbertino codice appellat in diſſertatione prævia ad tomum 2. liturg. Orientalium. Recruduit nihilominus jurgium poſt annum 1047. Chriſtodulum inter Alexandrinum & Joannem alterum Syrorum hujus nominis undecimum Patriarcham, ſed illud durabile non fuit, brevique compoſitum eſt.

III. Reg. 17. 12.

Jacobitarum de Christo incarnato communis opinatio.

XXVII. Communem Jacobitarum de Incarnationis myſterio opinationem jam expoſui, eos nimirum unam in Chriſto naturam, ut & perſonam, aſſerere, ipſam vero ex duabus compoſitam, divina & humana, atque ex conſequenti operationem & voluntatem prorſus unam, quam Severus omnium primus Theandricam appellavit. Ut vero humanas

Digitized by Google

Chriſti operationes Deitati illius adſcribere non dubitant, ita quoque Deitati paſſiones quaſcumque Chriſtus toleravit, hocque adeo, non Catholico ſenſu, præfracte adverſus Neſtorianos clamabant unum de Trinitate, Verbum ſcilicet, natum & paſſum eſſe. Hoc autem, non alio ſenſu Petrus Cnapheus, eorum ſub Zenone Imp. anteſignanus, Antiochenæ ſedis invaſor, ſacro Triſagii hymno, *ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis,* has voces adjecit, *qui paſſus es pro nobis,* quum ſoli Verbo carne facto hymnum hunc ab eccleſia cani contenderet. Quocirca certum Jacobiticæ hæreſis indicium eſt hujus cantici interpolatio iſta, in quibuſcumque libris reperiatur.

Fruſtra ſæpe tentata Jacobitarum ad catholicam fidem reverſio.

XXVIII. Quum à temporibus bellorum ſacrorum quæ à Francis in Syria geſta ſunt, inter Jacobitas & theologos Latinos de Incarnatione Verbi ſæpe diſputatum ſit, noſtris parum viſi ſunt à Catholica fide diſcrepare: unde mitiùs cum illis Latini principes qui in illis regionibus dominabantur agendum putarunt, nimirum Edeſſæ comites, Antiochiæ principes, Hieroſolymitanique reges, quos forte ſenſim amicèque ad Catholicam communionem aliquando revocandos ſperarunt. Hæcque profecto cauſa fuit, cur illis in Palæſtina eccleſias excitare, & epiſcopos conſtituere conceſſerint. Verum nihil inde confectum eſt, quinimo diligentiſſime illi curarunt, ne, inito cum noſtris commercio, Jacobitæ ſui orthodoxam fidem addiſcerent. Ignatio illorum epiſcopo Hieroſolymitano, Dionyſius Barſalibæus anno 1169. Miſſæ expoſitionem miſit, quò adverſus Francos qui loca ſancta tenebant, hæreſim ſuam tueretur. Neque rurſum virus erroris unquam prorſus eluerunt, quamlibet ſæpe per miſſos apoſtolicos ſeſe Romanæ fidei communionique ſtudioſos ſignificarint. Fucum Latinis theologis qui apud ipſos verſabantur faciebant, nonnullarum vocum obtentu quæ Catholicæ doctrinæ ſpeciem illis offerebant, quibus familiares non eſſent Orientis heterodoxorum loquutiones. Jam olim obſervavi ſæculo decimo-tertio ad pontifices maximos allatas eſſe Romam Jacobitarum præſulum & Patriarcharum confeſſiones, quæ Catholicæ quidem illic tunc viſæ ſunt, licet ipſiſmet progenitorum ſuorum, Severi, aliorumque hæreticorum vocibus contextæ eſſent.

Romanæ tamen ſedis communionem ambire viſi ſunt.

XXIX. Singulas vices non recenſebo, quibus Jacobitæ Romanæ ſedis communionem ambierunt; unam hic commemorabo, quæ præcipua fuit, quaque ſincerius Romano pontifici ſubeſſe ſe velle ſignificarunt. Quod quidem non temere prorſus, ſed certis conditionibus tranſigi voluerunt, ut nihil inde A quidquam ſui priſtini mores, ſua-ve priſca diſciplina & libertas detrimenti aut mutationis tolerarent aut paterentur. Anno ſcilicet 1247. quum Ignatius Patriarcha & Joannes Bar-Muadan Maphrianus litteris Innocentii Papæ IV. quas Andreas de Longiumello Dominicanus ipſis detulerat, ad concordiam invitati eſſent, Ignatius reſponſoria ſua epiſtola, præmiſſa profeſſione fidei (non tamen integra, ut par erat, quippe qua Chriſtum *ex* non *in naturis duabus ſubſiſtere* diſerte declarat) confitendo Romanam eccleſiam matrem & B caput eſſe omnium eccleſiarum, hocce conſulto ſubjungendum putat. *Quum autem poſtuletis unitatem & concordiam; & quis eſt qui hæc renuat, quæ appropinquare faciunt Deo excelſo! Sed in firmamentum pacis & concordiæ, petimus à ſanctitate veſtra, quod Patriarcha noſtro mortuo, congregentur archiepiſcopi, & ſtatuant ſibi ſecundum canonem, & ſecundum ſortem Apoſtolorum, quem elegerit Spiritus ſanctus, & hoc ſecundum canones & conſuetudines noſtras. Secundo, quod Patriarcha & archiepiſcopi, & epiſcopi Latini qui ſunt in* C *partibus noſtris, non judicent ſuper Patriarchas & archiepiſcopos noſtros, ſed ſicut eſt præceptum veſtrum, ſuper Patriarchas & archiepiſcopos Latinos; ita & ſit ſuper nos: & iterum: ſicut recipiunt ſententias veſtras & judicia veſtra, ita & nos. Tertio, quod Patriarcha & archiepiſcopi & epiſcopi Latini non accipiant cenſum de eccleſiis & monaſteriis quæ habemus in terris ipſorum, ſed communicent nobis libertates eccleſiæ, ſicut filiis in honore, & nos ſemper exhibeamus eis reverentiam & honorem. Alioquin non erit decens, quod illa quæ cum magno labore habe-* D *mus, contra libertatem eccleſiæ concupiſcant. Quarto, quod illi de gente noſtra qui contrahent cum Latinis, non compellantur ad confirmationem ſecundam; quum ſint inſigniti charactere baptiſmali, & confirmati una vice. Cum pace igitur & concordia tollatur hæc confirmatio. Iterum notificamus ſanctitati veſtræ, quod ex quo fratres noſtri Latini benedicti egreſſi ſunt ad partes noſtras, populus noſter dilexit eos, & pro poſſe ſuo adſtitit eis in omnibus neceſſitatibus, ſicut in liberatione Sclavorum, vel Coptarum & conſimilium.* Hæc Patriarcha quæ in Annales E ſuos regeſſit Raynaldus ad illum ann. 1247. num. 37. & 38.

Contra Lutheranos & Calviniſtas cum Catholicis ſentiunt.

XXX. Ab aliis Jacobitarum ritibus & conſuetudinibus excutiendis ſuperſedeo, de quibus conſuli poteſt vir rerum Orientalium peritiſſimus Joſeph Simeon Aſſemanus Maronita in *diſſertatione de Monophyſitis,* quam tom. 2. Bibliothecæ Orientalis præmiſit. Hic dumtaxat addam Jacobitas nihil ab eccleſia diſcrepare quod ad illos articulos ſpectat, de quibus Lutherani & Calviniſtæ hæretici ab ea

Digitized by Google

diſſentiunt. Id quod certis jam illius ſectæ præſulum teſtimoniis certiſſime conſtat, ſed & ad nauſeam uſque evictum eſt à viro doctiſſimo Euſebio Renaudot duplici volumine de perpetuitate fidei de Euchariſtia, quæ Gallico idiomate prodierunt.

XXXI. Hic demum me viro illi rerum Orientis Chriſtianorum peritiſſimo Joſepho

A Simeoni Aſſemano debitorem lubentiſſime profiteor, ex cujus conſertiſſima Bibliotheca Orientali maximam partem Patriarcharum atque epiſcoporum Jacobiticæ ſectæ. erui atque recenſui, quorum catalogis identidem interſerui quæcumque mihi aliorum ſcriptorum libros evolventi de illis occurrerunt.

JACOBITARUM PATRIARCHÆ.

I. Severus I.

De *Severo* Antiochenæ ſedis invaſore ſeu melius tyranno dictum eſt in ſerie Patriarcharum Antiochenorum. Huic Patriarchas ſuos ſucceſſiſſe ferunt Jacobitæ, de quibus proinde ſingulis, omiſſo Severo, nunc dicendum.

II. Sergius.

Severus Mokaſſœus Aſchuminenſis in Ægypto epiſcopus Monophyſita hiſtoriam texens Patriarcharum Alexandrinorum, narrat Jacobitas Orientis accepto *Severi* Antiocheni quondam Patriarchæ obitus nuntio, Juſtiniani Imperatoris metu, à ſubrogando altero qui ei ſuccederet aliquandiu abſtinuiſſe; ubi vero audierunt Alexandrinos erroris ſui ſocios, ſucceſſorem Theodoſio deſignaſſe, ſibi quoque Patriarcham præſtituiſſe Theophanem quemdam quem in cœnobio S. Ammonii ordinaverunt, ubi & Patriarchalem ſedem collocavit. Quo factum eſt ut ambo Patriarchæ illi Alexandrinus & Antiochenus in monaſteriis extra urbes manſerint. Quo poſito Theophanes ille ordinatus non erit ante annum Juſtini junioris Imp. tertium, Chriſti 567. quum an. 542. Severus fatis conceſſiſſet. Hæc quidem doctiſſimus Renaudotius ex Severo illo Aſchuminenſi in hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum p. 144. in Petro II. Alexandrino, & in vita Damiani qui Petro ſucceſſit. Antiochenus ille Severi ſucceſſor Theophilus dicitur ex eodem Aſchuminenſi epiſcopo.

Verum Theophanem aut Theophilum illum ignorant Jacobitarum Orientis ſcriptores; Dionyſius Telmarenſis, Jacobitarum Patriarcha in chronico, Dionyſius Barſalibi in catalogo Patriarcharum Antiochenorum Jacobiticæ ſectæ, Bar-hebræus ſeu Gregorius Abulferagius in ſecunda Chronici ſui parte: ſed *Sergium* omnes nominant Severi Antiocheni proximum ſucceſſorem, quem à Joanne Anazarbi epiſcopo ordinatum fuiſſe ferunt. Erat Sergius Telæ ſeu Conſtantinæ in Oſroëne preſbyter, monaſterii *Holæ* ſeu *Arenæ* aſceta, qui non niſi tres annos ſedit. Quid ſi illum Patriarcham hæreticum binominem fuiſſe

B dixero, ac *Theophanem*, *Theophilum-ve*, ac *Sergium* fuiſſe vocitatum!

III. Paulus.

Sergio defuncto, ab illo Jacobo Zanzalo qui ſe œcumenicum epiſcopum jactabat, nulli peculiari ſedi addictum, & ab Eugenio Seleuciæ in Iſauria epiſcopo, vel ut alii ſcribunt, à Thoma Edeſſæ metropolita, *Paulus* Ægyptiaci cœnobii Gubæ Barajæ alumnus, eſt ordinatus Jacobitarum Patriarcha Antiochenus. Hic nihilominus quia diu apud
C Theodoſium Alexandrinum verſatus erat, Alexandrinam ſedem ambiens, Ægyptum petiit; unde ab Athanaſio Theodoræ Imperatricis ex filia nepote diſcedere coactus apud Aretham Gabalæ filium ſe recepit. Poſt vero Conſtantinopolim profectus Imperatori aſſenſus eſt ut Chalcedonenſem ſynodum amplecteretur: in Syriam vero reverſus, à Jacobo Zanzalo vix, nec niſi ejurata fide quam nuper profeſſus erat, in communionem admiſſus fuit: ſed & Alexandrinorum metu qui à Syris ſegregari ejus cauſa cogitabant, Jaco-
D bus habita ſynodo ſententiam depoſitionis in Paulum tulit. Tum Jacobus quum in cœnobium Romani quod in finibus Ægypti ſitum erat, unà cum ſyncellis ſuis Sergio & Juliano, aliiſque epiſcopis & archimandritis Syris perrexiſſet ad Patriarcham in Pauli locum creandum, re infecta periit 30. Julii ann. 889. Chriſti anno 578. poſt tres dies ab obitu Joannis Cartaminenſis cœnobii epiſcopi, ſyncellique ſui Sergii. Paulus ſubinde è Syria fugiens Conſtantinopolim repetiit, ubi quum annos quatuor latuiſſet, vitam morte commutavit. Cæterum hic Paulus aſſectatores
E habuit, quos Paulianitas vocavere, de quibus Timotheus preſbyter Conſtantinopolitanus opuſculo de Receptione Hæreticorum to. 3. collect. Cotelerii p. 411. *Alii Severitæ, iidem Theodoſiani & Paulianitæ, qui ſupradictos Severum & Theodoſium admittunt, atque cum iis Paulum qui à nigredine cognominatus eſt. In doctrina de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto conſentiunt cum Condaubitis, aſſerentes ſcilicet eſſe unum numero Deum, non tamen omnigena æqualitate eumdem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Ab illis vero in eo diſſentiunt,*

Digitized by Google

quod recipiant ut epiſcopos Theodoſium & Paulum, quum utrumque rejiciant Condaubitæ. Ex quibus intelligimus S. Sophronium epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum Paulum Antiochenum Jacobitarum Patriarcham ſignificare, ubi Paulum fuſcum τὸν Μελανὸν explodit tanquam hæreticum, καὶ Παῦλος ὁ Μελανὸς, οὐ μόνον δὲ λεγόμενος ἀλλὰ καὶ γενόμενος κατ᾽ ἀλήθειαν. Cæterum Timotheus preſbyter n. 8. de Severitis Damianitis loquens qui hoc nomen habuerunt à Damiano, ſubdit: *Initio quidem Paulum cujus mentionem fecimus, pro epiſcopo ducebant: deinde rejecerunt eo quod communicaſſet ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ eccleſiæ, ſanctamque Chalcedonenſem ſynodum approbaſſet, tametſi poſtea receſſerit à ſancta Catholica & Apoſtolica eccleſia, atque abnegaverit ſanctum Chalcedonenſe concilium.* Quæ omnia cum Syrorum Jacobitarum narratione conſentanea ſunt, eamque confirmant.

IV. PETRUS.

Jacobo Zanzalo vita functo epiſcopi & monachi Syri in cœnobio Ananiæ inter Balas & Callinicum exſtructo congregati, anno Chriſti 578. Patriarcham ordinarunt *Petrum* juniorem Pauli Callinicenſis filium, Joſepho Amidæ epiſcopo primario ejus conſecratore. Petri cum Joanne Archimandrita, Probo & Stephano diſſidium deſcripſit Aſſemanus Maronita, *to. 2. Bibl. Orient p. 72.* ſed & p. 332. ejuſdem cum Damiano Alexandrino diſputationem ex Dionyſii Patriarchæ & Bar-hebræi annalibus recitat, omnino ſcitu neceſſariam ad intelligenda nonnullorum illius ætatis Græcorum ſcriptorum loca non ſatis enucleata. *Poſt depoſitionem Joannis & Probi*, ait Bar-hebræus, *cœpta eſt quæſtio inter Damianum Alexandrinum & Petrum Antiochenum. Nam cum Tritheïtæ quidam aliqua capitula ſcripſiſſent, & ad Damianum tranſmiſiſſent, & inſtantius ſibi reſponderi poſcerent, Damianus propoſitis quæſtionibus reſpondit, ſuumque librum ad Petrum Antiochenum deferendum curavit, poſtulans ut eum examinaret, & corrigeret quæ emendatione indigere viderentur. Petrus librum percurrens, reperit proprietates notionales perſonarum ſanctæ Trinitatis perſonas ab auctore appellari. Noluit tamen Damianum ab initio reprehendere, ſed errorem tantummodo ei innuit, reſcribens capita quædam in ejus libro occurrere, quæ ſibi dubia & obſcura viſa eſſent, quæ proinde expoſitione & commentario indigerent. Pupugit Damianum ejuſmodi reſponſio, ſuamque doctrinam invidentia premente minime fuiſſe receptam arbitratus, quæſtionem in diſſidium & contentionem vertit. Quumque Petrus generalem hujus rei cauſa conventum* A *indicere cogitaſſet, obſtitit Damianus. Tum Petrus arreptò calamo adverſus Damianum tractatus ſcripſit.* Hæc profecto magnam lucem afferunt iis quæ doctiſſimus Renaudotius in Damiano Alexandrino obſcuriſſime ex Ægyptiacis auctoribus de utriuſque Patriarchæ diſſidio ſcripſit. Atque ad ea accedere videntur, quæ de Petritarum adverſus Damianitas ſententia Timotheus Conſtantinopolitanus tradit num. 9. *Alii Severitæ ſeu Theodoſiani, qui & Petritæ, in epiſcopum ſuſcipiunt poſtremum Petrum, ſuſcipiunt Theodoſium,* B *Severum & Petrum; nequaquam Damianum nec Paulum, quorum doctrinæ repugnant: confitentur enim Deum in veritate, ſubſtantia & natura quemque per ſe eſſe, Patrem, inquam, & Filium, & Spiritum ſanctum, tres hypoſtaſes, tres perſonas, & unamquamque hypoſtaſim Deum eſſe ſecundum veritatem, ſubſtantiam & naturam: unum Deum, unamque ſubſtantiam ac naturam Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum dicunt, non numero ſed perfecta æqualitate. Hos Angelitæ & Paulianiſtæ Tritheitas nominant; ipſi vero vice verſa illos interdum* C *Sabellianos, interdum Tetraditas:* Quæ plane diverſa ſunt ab iis quæ apud eumdem Timotheum ante leguntur in brevi narratione de ſectis Acephalorum n. 15. *Petritæ affirmant hypoſtaſim eſſe ſolas proprietates ſine ſubſtantia: eamque quæſtionem adeo cum ſecta Damianitarum contenderunt, ut ſcripta multa utrimque prodierint quæ certamen eorum teſtantur.* Petri ſenſus abſtruſus adeo fuit, nec pervius prorſus Catholicis, ut ei & Sergio Armenio tanquam Tritheiſmi cujuſdam minoris auctoribus, ac qui nec ſibi conſtarent aut ſecum concordes D eſſent, anathema dixerit Sophronius Hieroſolymitanus epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum: Πέτρος ὁ Σύρος ἀνάθεμα, καὶ Σέργιος ὁ Ἀρμένιος, οἱ τὰς μικρὰς τριθεΐας ἡγούμενοι, καὶ μηδὲ οὔπω πρὸς ἑαυτοὺς συμφωνήσαντες, μηδὲ τὰ αὐτὰ δοξάσαντες· Quibus ſtatim addit Damianum eorum ultra modum impugnatorem novum eſſe ſuæ ætatis Sabellium, Δαμιανὸς ὁ τούτων ὑπερβαλλόντως ἀντίπαλος, νέος φανεὶς τοῖς ἡμετέροις χρόνοις Σαβέλλιος. Atque hæc quidem Græci ſcriptores de Petro Antiocheno ſeu Jacobitarum Patriarcha, qui E Dionyſio teſte in Chronico diem obiit extremum anno Chriſti 591. Hic Petrus junior dictus eſt propter Petrum Cnapheum ſeu Fullonem, quem Jacobitæ uti ſectæ ſuæ quondam coryphæum & principem Petrum ſeniorem appellitant.

V. JULIANUS I.

Joſephus Aſſemanus *Julianum* Petri ſyncellum, monaſterii quod Bar-Aphthonii Kenſerinenſe dicitur, aſcetam, Petro eidem

Digitized by Google

ſucceſſiſſe tradit ex Bar-hebræo & Dionyſii A Barſalibi catalogo, ſed & Bar-hebræus eum ſcripſiſſe tradit contra Sergium illum Armenium, ejuſque fratrem Joannem, qui à Petri deceſſoris ſui doctrina diſcrepabant. Locus recitandus eſt, ex quo lux afferatur iis quæ ex S. Sophronio de utroque produximus: *Ea tempeſtate Edeſſæ epiſcopatum orthodoxorum* (id eſt Monophyſitarum) *tenebat Sergius, Armenius nuncupatus, qui una cum fratre Joanne in Mar-Petri ſcripta inſurrexit, affirmans non eſſe utique legenda. Ambo nihilominus à Juliano Patriarcha reprehenſi fuere, poſt-* B *quam ſententias quibus offenſi fuerant, illis expoſuiſſet: vixque ab inani futilique zelo ſe continuere.* Atqui Julianus ſediſſe fertur annos 3. menſes 5.

VI. Athanasius I.

Theophanes ad annum Heraclii 20. narrat ad hunc Imperatorem, quum Hierapoli in Syria ageret, veniſſe *Athanaſium* Jacobitarum Patriarcham, hominem vafrum & perniciosum, pro innata Syris verſutia, ἤρχετο πρὸς αὐτὸν Ἀθανάσιος ὁ πατριάρχης τῶν Ἰακωβι- C τῶν, habitiſque de fide colloquiis Heraclium ei promiſiſſe Antiochiæ Patriarchatum, dummodo Chalcedonenſem ſynodum admitteret: Athanaſium ſimulatè quidem annuiſſe, duas in Chriſto naturas profitendo; ab Imperatore vero quæſiviſſe, quid de operatione & voluntate Chriſti ſentiendum eſſet, an una dicenda, an duæ! De quo capite Heraclius Sergio Conſtantinopolitano ſcribendum, ac Cyrum Phaſidis conſulendum duxit; qui ambo Monotheleticam hæreſim condiderant. Hæc Theophanes, quæ doctiſſimus D Pagius Combefiſio noſtro auctore falſi arguere non dubitat, nullo ambo certo argumento convicti. Præ manibus habeo prolixum fragmentum Eubuli epiſcopi Lyſtrorum, quo libellum Athanaſii Severianorum, hoc eſt Jacobitarum epiſcopi Heraclio oblatum confutabat. Εὐβούλου ἐπισκόπου Λύστρων, ἐκ τοῦ λόγου πρὸς χάρτην ἐπιδοθέντα Ἡρακλείῳ βασιλεῖ ὑπὸ Ἀθανασίου Σευηριανοῦ ἐπισκόπου. Antiochum monachum appellant, qui homil. 130. Athanaſium Antiochenam ſedem ambiiſſe, non obtinuiſſe ferat: quaſi ille qui Severianis E Orientis jam uti Severi ſucceſſor præerat, ambire non potuerit, ut Antiocheni Patriarchatus integri compos evaderet. Sed acta quoque ſancti Maximi illius ævi confeſſoris diſerte quoque teſtantur *Athanaſium Jacobitarum Patriarcham,* Heraclio fuiſſe auctorem ut eccleſiæ fidem mutaret, quum ambo Hierapoli mutua colloquia haberent. Fuit autem Athanaſius ille, cognomento Camelarius, patria Samoſatenſis, cœnobii Kenſerinenſis alumnus. Hunc alii ſcribunt, anno Græcorum 906. Chriſti 595. alii biennio poſt, Dionyſius in Chronico an. Græcorum 915. Chriſti 604. in Petri locum ſuffectum fuiſſe, ordinatumque à Severo neſcio quo Hieroſolymorum epiſcopo, in illo Kenſerinenſi cœnobio. Huic germanus frater erat nomine Severus, quem Samoſatæ epiſcopum creavit. Alexandriam deinde profectus, anno 927. Chriſti 616. concordiam cum Anaſtaſio Monophyſitarum Patriarcha inſtauravit, quæ ſub Petro & Damiano rupta fuerat. Nimirum ut in hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum legitur, « quum Anaſtaſius Damiani ſucceſſor vehementer optaret, ut ſciſſio quæ jam à tempore Petri Antiocheni epiſcopi Alexandrinam eccleſiam inter & Antiochenam ſubſtiterat, coaleſceret, ſtatim atque audivit ſediſſe illius (Petri) loco *Athanaſium virum doctum & ſincerum,* cujus inter alia exſtabat oratio de Severi Antiocheni laudibus, ut ejus benevolentiam colligeret, primus ad eum ſcripſit de fide epiſtolam. Hanc Athanaſius cum gaudio ſuſcepit, convocatiſque epiſcopis ſuis, ipſis exhibuit, præfatus de antiqua utriuſque eccleſiæ concordia à tempore Severi & Theodoſii, & antiquiſſima inter Petrum apoſtolum Antiochenæ eccleſiæ fundatorem, & Marcum primum Alexandriæ epiſcopum familiaritate. His auditis epiſcopi conſenſerunt ut ſynodica reciperetur, arctiorque inter utramque eccleſiam ſocietas contraheretur. Athanaſius Patriarcha ſumptis ſecum epiſcopis quinque Alexandriam navigavit ut Anaſtaſium inviſeret, qui tunc erat in monaſteriis: unde Anaſtaſius pedes occurrit illi cum hymnis & canticis. Mox ad monaſterium quod erat ad littus maris Orientale diverterunt, in quod Anaſtaſius ſacerdotes Alexandrinos convocavit ut ſacra ſimul celebrarent, & ſacris myſteriis communicarent. In eo epiſcoporum & ſacerdotum concilio verba fecit Athanaſius, multis extollens conſenſum amborum eccleſiarum in unam fidem: manſit cum Anaſtaſio menſem unum, & poſtea in urbem ſuam reverſus eſt. Inde lege quaſi ſtabilita conſuetudo eſt, in utraque Antiochena & Alexandrina Jacobitarum eccleſia diu ſervata, ut novi Patriarchæ alter ad alterum ſcriberent, ſtatim atque ordinati erant, litteriſque illis, quæ non tam privatim, quam publice in epiſcoporum à quibus novus Patriarcha ordinatus erat, concilio ſcribebantur, fidei profeſſio continebatur. » Antiochus monachus Athanaſium varias regiones peragraſſe, ut hæreſim ſuam propagaret teſtatur homilia illa ſua 130. *Audivimus*, inquit, *quemdam in Orientem veniſſe Antichriſti præcurſorem, qui ſedem Antiochenam velit occupare,*

Ἀθανάσιον

Ἀθανάσιον μὲν προσαγορευόμενον, μᾶλλον δὲ θάνατον ἀθάνατον, *cui nomen quidem Athanaſio eſt, ceu dixeris immortalem, imo potius mors immortalis eſt; Apollinaris vero, & Eutychis, & Severi, atque Jacobi dogmata prædicantem. Sanctæ civitatis incolas rectæ fidei tenaces, & circumvicina loca fama hæc non parum perturbavit. Quando igitur, ut mihi litteris nuntiatum eſt, regiones complures locaque & inſulas peragrare cogitat, hinc fit ut multæ hæreſes hinc inde oriantur.* Atqui S. Sophronius in epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum, Athanaſium hunc Antiochenum inter hæreticos ævi ſui annumerat, ut & Anaſtaſium Alexandrinum, quem *Apozygarium* cognominat, Ἀθανάσιος ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἀποζυγάριος Ἀναστάσιος. Hùnc Dionyſius Antiochenus in chronico ſediſſe tradit annos 36. alii 44. numerant. At certe obiit anno Chriſti 631.

VII. Joannes I.

Athanaſii Camelarii ſucceſſor fuit *Joannes* cognomento *Sedrarum*, illius quondam diſcipulus itinerumque ſocius, monaſterii Euſebonæ apud Teledam in agro Antiocheno monachus, qui ordinatus eſt ab Abraham Niſibis epiſcopo anno Græc. 942. Chr. 631. Hic jubente Amro Saadi filio Arabum principe evangelium ex Syriaco idiomate in Arabicum convertit, & quum ſediſſet annos 18. obiit menſe Decembri anno Græcorum 960. Chriſti 649. & ſepultus eſt Amidæ in templo Mar-Zoaræ. Hunc, nî fallor, Joannem Sophronius Hieroſolymitanus in epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum indicat, ubi ait Benjamin Alexandrinum, & Joannem, & alios tres vitam adhuc exſecrabilem vivere, & adverſus pietatem pugnare, καὶ Βενιαμὶν ὁ Ἀλεξανδρεὺς, καὶ Ἰωάννης, καὶ Σέργιος.

VIII. Theodorus.

Joanni ſuffectus eſt *Theodorus*, ex Sceteníis eremi primùm, ac deinde Kenſerinenſis in Syria cœnobii monacho, ab Abrahamo Emeſæ ejuſdem ſectæ Jacobiticæ epiſcopo ſacratus, qui fatis conceſſit anno Græcorum 978. Chriſti 667. quum eccleſiæ ſuæ præfuiſſet annos 18.

IX. Severus II.

Poſt Theodorum illum, Jacobiticæ ſectæ Patriarcha fuit *Severus II.* cognomento *Bar-Maske*, cœnobii Phaghimtæ alumnus, quem Joannes Tarſenſis præſul itidem Jacobita ordinavit anno Græcorum 979. Chriſti 668. Severum inter & Zachonium & Ananiam cœnobii Cartaminenſis, alioſque Meſopotamiæ epiſcopos orta contentio eſt, quum Patriarcha vellet ſibi ad inſtar Alexandrini omnes diœceſis ſuæ ordinationes vindicare: illi vero Nicænos canones opponerent, quibus definitum eſt epiſcopos à ſuarum provinciarum metropolitis conſecrari debere. Eòque diſſidium prorupit, ut Patriarcha epiſcopos, epiſcopi Patriarcham anathemati perculerint, duravitque per quatuor annos ad obitum uſque Severi: qui ſubinde epiſcopi cum illius ſucceſſore à Joanne Maphriano Orientis reconciliati ſunt. Sedit porro Severus II. annos 12. adeoque obiit anno Chriſti 680.

X. Athanasius II.

Annales Syriaci Jacobitarum Severo II. ſucceſſorem aſſignant *Athanaſium II.* patria Baladenſem, qui in ſynodo Rheſinæ habita electus, ab Anania Mardæ & Caphartutæ epiſcopo ordinatus fuit anno Græcorum 995. Chriſti 684. ſeditque ad annum uſque 998. Chriſti 687. quo obiit ſecundum Bar-hebræi Chronicum. Hunc tamen Dionyſius ad annum uſque Græcorum 1015. Chriſti 704. vixiſſe tradit, ut proinde annos viginti in epiſcopatu functus ſit. Verum certo conſtat ejus ſucceſſorem Julianum Jacobiticam ſedem capeſſiviſſe anno Græc. 999. Chriſti 688. Hic ſub Severo Sabočt Kenſerinenſi epiſcopo in ejus monaſterio litteris operam dederat, ac linguam Græcam edoctus, in monaſterio Beth-Malchi interpretandis in Syriacum ſermonem veterum voluminibus Græcis incubuit. Narrat Bar-hebræus Athanaſium, *quum morti proximus eſſet, Sergio Zachonio metropolitæ, quem archiepiſcopum appellabat, præcepiſſe ut Georgium gentium Arabicarum epiſcopum crearet, quem ordinarunt menſe Novembri, duobus poſt Patriarchæ obitum menſibus, anno Græcorum nongenteſimo nonageſimo octavo.*

XI. Julianus II.

Elmacinus Athanaſio II. ſucceſſorem aſſignat Joannem II. qui corrigendus ex Dionyſii Barſalibi catalogo apud Aſſemanum p. 324. & Bar-hebræo, quibus Athanaſio II. ſuccedit *Julianus* cognomento *Roumoia*, ſive *Romanus*, id eſt, *miles*, quia patre milite natus eſt. Ab Athanaſio Sarugenſi epiſcopo, Amidæ, ex Kenſerinenſi monacho Patriarcha ordinatus eſt anno 999. Chr. 687. poſt annos 21. obiit, anno proinde Chr. 708. Julianus hic Simeonis Patriarchæ Coptorum litteras ſynodicas de ſua promotione accepit, quæ in eccleſia Patriarchali Jacobitica lectæ ſunt. Citantur à doctiſſimo Renaudotio in hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum p. 180. Anno 1017. ſeu Chr. 706. ſynodum coëgit in monaſterio Mar-Silæ, cuî præter Julianum præerant *Thomas* Amidæ & *Jacobus* Edeſſæ, ambo, ut videtur, Maphriani

Digitized by Google

ſeu Primates in eccleſia Jacobitica. Hæc in Chronico Barſalibi. *Bibl. Orient. to. 1. p. 468.*

XII. Elias.

Juliano II. ſuffectus eſt *Elias*, qui ex monacho cœnobii Gubæ *Baraiæ*, ab annis jam 18. epiſcopus Euphremiæ urbis erat. Hunc Barhebræus electum ſcribit anno Græc. 1022. Chr. 710. additque hoc eodem anno Walidi Arabum regis ſeu Califæ juſſione, Eliam cum clericis ſuis Antiochiam veniſſe, ibique eccleſiam exſtruxiſſe, poſt ann. 203. ex quo Severus I. ea urbe exceſſerat. Quem tamen annorum numerum Aſſem. to. 2. p. 337. manifeſto mendo laborare contendit, quandoquidem Severus Juſtino Imp. Antiochia fugit anno Chriſti 518. cui ſi 203. adjiciantur, habemus annum 720. Græcorum 1032. non 1022. At vero Severus Achuminenſis in ſua Patriarcharum Alexandrinorum hiſtoria, ubi de Alexandro qui anno 704. Patriarchatum iniit, tradit poſt Juliani Jacobitarum Syrorum Patriarchæ obitum Walidi Califæ juſſione prohibitos illos fuiſſe ne in Juliani locum alter ſubrogaretur; Eliam vero nihilominus communi conſenſu in Antiochena ſede collocatum, qui confeſtim promotionem ſuam litteris ſynodicis Alexandro Patriarchæ Alexandrino ſignificavit. Quocirca, ſi revera Elias à Califa Walido obtinuit, ut ſectæ ſuæ eccleſia & ſibi manſio Patriarchalis exſtruerentur, id factum non eſſe videtur ipſo anno promotionis Eliæ, ſed aliquanto poſt. Verum Elias non tam in Patriarcham provectus eſſe putandus eſt, quam vacantis ſedis commendationem ſuſcepiſſe. Nam Alexander ille Alexandrinus acceptis ejus litteris, has in publico ſuorum conventu legi juſſit, ſimulque ſignificavit Orientales decreviſſe uti Patriarchæ loco epiſcopus Elias conſtitueretur, qui ordinationes celebraret, idque factum ex neceſſitate, ſicut olim Gregorius Theologus Nazianzo Conſtantinopolim vocatus erat, ut illius eccleſiæ curam gereret, hacque ratione Ægyptiorum animi placati ſunt, quibus non arrideret ulla epiſcoporum in alias ſedes tranſlatio. Nihilominus Elias non ſolum Barſalibæo & Bar-hebræo inter genuinos Patriarchas cenſetur, ſed etiam dum vitam ageret Patriarcha verus habitus eſt, ſi ſua ſit codici cuidam olim Nitrienſi, nunc Vaticano quatuor Evangeliorum, fides, in cujus fine, Aſſemano teſte to. 1. Bibl. Orient. pag. 561. hæc leguntur: *Aſſuta & compacta primùm menſe Auguſto anni Græcorum 1029.* Chriſti 718. *ſub Elia Patriarcha, dum Uremam caſtrum ad ripam Euphratis ſitum, in quo codex iſte aſſervabatur, unà cum reliquis caſtris in Meſopotamia poſitis tertiùm viſitaret, à preſbytero Barhadbeſciaba ejuſdem Patriarchæ Eliæ ſyncello: quæ iterum aſſuta & compacta ſunt ſub Patriarchâ Athanaſio Eliæ diſcipulo & ſucceſſore à ſyncellis & preſbyteris Barhadbeſciaba & Sergio, anno Græcorum 1039.* Chriſti 728. Obiit Elias non anno Græcorum 1040. ut ſcripſit Barſalibæus, quando quidem anno 1039. ejus ſucceſſor Athanaſius ſedebat, ſed anno 1034. Chriſti 722. ut Bar-hebræus tradidit. *Aſſem. to. 2. p. 337.*

XIII. Athanasius III.

Poſt Eliam igitur Patriarcha fuit *Athanaſius* ille tertius, archimandrita cœnobii Gubæ Baraïæ, ordinatus menſe Aprili anno Græcorum 1035. in cœnobio Cartaminenſi per Theodoſium Rheſinæ epiſcopum, vel, ut alii tradunt, Edeſſæ à Georgio Arabum epiſcopo, qui eodem anno obiit. Hæc Aſſemanus to. 2. p. 338. Hic unionem cum Armenis fecit, ut ait in catalogo Dionyſius Barſalibi; nimirum coacta ſynodo: ait verò idem Aſſemanus to. 2. p. 296. ex Bar-hebræi chronico, nec-non ut augurari licet ex Barſalibæi, Armenos cum Syris Jacobitis conciliatos anno 1037. Chriſti 725. fato functus anno 1051. Chriſti 729. Ejus meminit præter Elmacinum Severus Aſmonæorum epiſcopus apud doctiſſimum Renaudotium p. 198. hiſt. Alex.

XIV. Joannes II.

Athanaſio III. ſuffectus eſt *Joannes II.* ex monacho Zucheninenſi & epiſcopo Havræ in pago Sarugenſi, nec-non & Haran, per fraudem Athanaſii Sandalenſis epiſcopi Maipheractæ, ſeu Maipherkin electus. Nam quum ea jam ætate in more eſſet Orientalium, ut Patriarchæ per ſortem eligerentur, atque collecta ſynodus tres candidatos, quorum Joannes hic unus erat, deſignaſſet, Athanaſius cui id munus epiſcopi commiſerant, in tribus ſchedulis Joannis ſolius nomen ſcribi curavit, quod quum ter exſtractum eſſet, id miraculi inſtar populo viſum eſt. Verum cognita demum fraude, ut epiſcopis & populo inviſi facti ſunt Joannes & Athanaſius, ita quoque Athanaſius Joanni, qui ipſum gravium criminum reum apud Califam peregit, nihilominus Joannes Patriarcha perſeveravit. Indigne quoque tulerant epiſcopi quod Joannes Amidæ diœceſim in duas partes diviſiſſet. Coacta ſynodo in Tarmana ditionis Cyrenſis pago, Athanaſius à Joanne veniam petiit; mox vero poſitas ſimultates reſumens, epiſcopis Telæ congregatis effecit, ut ipſe ſummus & princeps epiſcoporum renuntiaretur, ad inſtar fere Patriarchæ. Quem conatum fregit Joannes lata in epiſcopos anathematis ſententia, cujus ſolutionem à Patriarcha obnixe

Digitized by Google

poſtularunt, Athanaſio relicto. Joannes quum annos 16. ſediſſet, moritur an. 1066. Chriſti 754. menſe Octobri, ſancita inter ipſum & epiſcopos pace, ejuſque corpus in Bedia juxta Euphratem pago conditum eſt.

XV. Isaac.

In Alexandrinorum Patriarcharum hiſtoria ab æmulis idcirco rejectus Joannes legitur, quod, epiſcopus quum eſſet, dignitatemque illam obtinere non poſſet, nihilominus Patriarchæ Alexandrino Chaïli ſeu Michaëli litteras ſynodicas mittere non dubitaverit, quibus in ſynodo lectis, epiſcoporum ſententia fuit, nullam ei reſponſionem dandam, ſed Antiochenis permittendum, ut ſi luberet, eum ejicerent.

Cæterum poſt Joannis obitum Abdallas Merwani filius Califa *Iſaacum* epiſcopum Harran Patriarcham conſtitui juſſit. Hic nimirum præcipuæ illius uxori carus erat, quia ſterilis quum eſſet, ac ad monaſterium, ut-pote Chriſtiana, religionis cauſa perrexiſſet, viderat in ſomnis viros duos qui ſibi prolem pollicerentur, quam paulo-poſt obtinuit; quorum alterum exiſtimavit fuiſſe Iſaacum epiſcopum Harran. Quocirca Abdallas illum diſtrictiſſime mandavit Patriarcham creari, & qui obſiſterent ſtatim occidi. Hinc metropolitæ duo neci dati ſunt, quod dicerent: *Quomodo epiſcopus Harran audet canones violare, & principis poteſtate ſuffultus ſedem Patriarchalem adhibita vi arripere! quandoquidem te, ô epiſcope, deponi oporteret ſecundum canones, qui ita fieri præcipiunt adverſus eos qui favore principum dignitates eccleſiaſticas ambiunt.* Hos ad Califam Iſaacus detulit, & ob eorum necem magna in Antiochenæ diœceſis provinciis turbatio contigit. Elmacinus lib. 2. hiſt. Saracenicæ pag. 98. inaugurationem refert ejuſdem Iſaac, ejuſque textum ſic ineptiſſime reddidit Erpenius. *Tempore autem Sahali Conſtantinus* (Copronymus utique Imperator) *epiſcopum Iſaac conſtituit Patriarcham Antiochiæ Orientis, quia is eum adierat, eique miniſtraverat priuſquam imperaret. Fuitque in mandatis Imperatoris, ut quicunque reſiſteret, interficeretur.* Quis non rideat, Jacobitarum Patriarcham, in media Saracenorum principis ditione, à Conſtantinopolitano Imperatore conſtitui audiens, cum interminatione necis inferendæ cuicumque reſiſtenti? Sed ridendum ſe iterum præbet interpres, ubi Iſaaci cauſa *Metraninum*, eſſe occiſum addit; qui nempe Arabicam vocem *Metranain* perſonæ cujuſdam nomen fuiſſe arbitratus eſt, ac *metropolitas duos* ea ſignificari neſcivit. Iſaac diplomate regio munitus litteras de more ſynodicas ad Chail Alexandrinum miſit, cum Abdallæ Califæ itidem litteris ad Ægypti Præfectum, quibus jubebatur, ut ſi Chail eas, legatos-ve Iſaac, Damaſci & Emeſæ metropolitas cum ſacerdote & diacono eorum ſociis non reciperet, in Syriam ad Sultanum mitteretur. Negavit Chail ſibi fas eſſe in tam gravi negotio quidquam definire abſque epiſcoporum ſuorum conſilio & aſſenſu. Quamobrem convocati utriuſque Ægypti præſules ſtatuerunt, ut Patriarcha ſuus cum viro ejuſdem ſecum dignitatis ageret quod ſibi factu optimum videretur. Menſe in deliberando inſumpto, pronuntiavit Alexandrinus, ſe neque gladii, neque ignis, neque beſtiarum, aut exſilii metu commiſſurum, ut quod ſubſcriptione ſua ipſe firmaverat, unquam revocaret; nempe cum anathematis interminatione ſancitum eſſe, eum qui epiſcopus foret, Patriarcham ſecundum canones fieri non poſſe; ſed & anathemati à ſanctis Patribus ſuppoſitos illos eſſe qui auctoritate principum ad dignitates eccleſiaſticas promoverentur: ipſos quoque Orientales ſub nupero Patriarcha ſuo Joanne anathemati ſubjeciſſe epiſcopum omnem qui Patriarchatum ambiret. Nihil itaque legati Antiocheni confecerunt, & Chaïle iter in alium locum meditante, ipſa nocte advenit nuntius dicens Iſaacum interiiſſe ejuſque locum occupaſſe Athanaſium quemdam, qui tertio quoque die perierat. Hæc quidem Aſchuminenſis ex quo Renaud. in hiſt. Patr. Alex. pp. 232. & 233. Verum ex Bar-hebræo, Aſſem. narrat to. 2. p. 339. Iſaacum ex monacho Cartaminenſi & epiſcopo Harran, juſſu Abugiafar Almanſor Arabum dynaſtæ, in Patriarcham electum fuiſſe, & Rheſinæ à Jacobo Reſchiphæ epiſcopo conſecratum ipſo anno 1066. Chriſti 754. quo Joannes II. exceſſerat: eum vero à Jacobitis *illegitimum* habitum eſſe. Addit ex eodem Barhebræo, ab Iſaaco illo, quum in monaſterio Turrium montis Edeſſæ ageret, peregrinum quemdam alium monachum interfectum fuiſſe, eò quod noluiſſet ipſum docere auri ex metallo altero conficiendi artem: ac Califam Abugiafarum, qui Iſaac artis chimicæ peritum crediderat, hunc nondum expleto Patriarchatus anno ſuffocari, & in Euphratem projici juſſiſſe, quum eum illius artis rudem comperiſſet.

XVI. Athanasius IV.

Jam *Athanaſii* Iſaaci ſucceſſoris meminimus, quem Bar-hebræus & Barſalibæus *Sandalenſem* cognominant, à patria *Sandalia* Arabiæ civitate, quæ, ex Photio in Bibliotheca codice 3. *Arbylas* à veteribus appellabatur. Monachus primum Cartaminenſis, ac ſubinde Maipherakin epiſcopus fuerat, illarumque turbarum extiterat auctor quas in Joanne II.

retulimus. Hic poſt mortem Iſaac Abugiafari Califæ juſſu in Patriarcham electus, à Chriſtianis Harranitis, quod Abdinenſem Iſaaci diſcipulum ipſis invitis antiſtitem ordinare deliberaſſet, noctu ſuffocatus eſt. Corpus ejus in Cartaminenſe cœnobium à monachis elatum, ut ſancti colitur, ait Aſſemanus to. 2. p. 339. qui negat huic Athanaſio Sandalenſi, ſed alteri ejuſdem nominis cui cognomen *Camelario* fuit, jam ab anno Græcorum 940. Maphrianorum Jacobitarum adſcribendam inſtitutionem. Bar-hebræus Athanaſium & Iſaacum in chronico ſuo omiſit tamquam illegitimos Patriarchas.

XVII. GEORGIUS *primùm.*

XVIII. JOANNES *intruſus.*

XIX. DAVID *intruſus.*

XX. GEORGIUS *ſecundò.*

Statim ab Athanaſii Sandalenſis obitu epiſcopi Jacobitæ ad ſynodum convenerunt in urbe Mabug ſeu Hierapoli Euphrateſiæ, & omnium conſenſu, præterquam Davidis Daræ, & Joannis Callinici, *Georgius* Baaltanenſis, cœnobii Kenſerinenſis monachus, diaconus, & Theodori Samoſatenſis ſyncellus, vir Græcarum litterarum peritus, eligitur anno 1070. Chriſti 758. quo & ſynodicam de ſua promotione epiſtolam de more ſcripſit. Cl. Renaudotius p. 234. ex auctore vitæ Chaïlis Alexandrini Patriarchæ, Georgium tradit Chalcedonenſi fide relicta Jacobiticam ſectam amplexum eſſe, quum alioqui Bar-hebræus eum à pueritia Jacobiticis erroribus imbutum ſignificet, teſte Aſſemano to. 2. p. 340. Quidquid ſit, Meſopotameni epiſcopi, conflato adverſus eum ſchiſmate, *Joannem* illum Callinici epiſcopum, Patriarcham creavere, qui regiones verſus Orientem poſitas annos quatuor tenuit. Eo defuncto, epiſcopi Meſopotameni, una cum Syris in ſynodum convenientes, in Georgium Patriarcham conſenſere, decreveruntque ab officio amovendos epiſcopos quos Joannes ordinaverat. Huic ſynodo aderat *David* Daræ, qui nihilominus Georgium Patriarchali ſede extruſit, illamque, eo in carcerem conjecto, occupavit, Califæ Abugiafari Almanſoris auctoritate fultus; quippe cujus mater principis hujus Saracenorum nutrix fuerat.

JOANNES intruſus.

DAVID, vel ABU-DAVID intruſus.

GEORGIUS iterum.

Manſit in carcere *Mar-Georgius* novem annos, ait Bar-hebræus, uſque ad obitum Abugiafari Califæ, ubi ſcripſit orationes & hymnos elegantes; ſed & canones 22. edixit poſtquam in libertatem aſſertus eſt: quin alias lucubrationes elaboravit, quæ exſtant in cod. Vaticano Syriaco manuſc. 16. ut refert Aſſemanus to. 2. p. 341. Chaïle Alexandrino Patriarcha defuncto, ejuſque locum Menna occupante, Petrus quidam diaconus Mennæ infenſus, ejus nomine confictas litteras Georgio Antiocheno, aliiſque Jacobitis epiſcopis tulit, ad corroganda, ut aiebat, eccleſiis Ægypti quæ à præfectis dure premebantur, pecuniarum ſubſidia, quæ tamen in Mennæ perniciem convertit. Ad Georgium ſubinde Joannes Mennæ ſucceſſor ſynodicam ſcripſit, Elmacino teſte ad annum Hegiræ 286. Chriſti 774. vel 775. *Antiochiæ,* inquit, *Davide defuncto, qui violenter ſedem occupaverat, reverſus in eam eſt Georgius, decimo ab incarceratione ſua anno. Quumque Joannes Alexandriæ Patriarcha conſtitutus eſſet, ſcripſit ad eum ſynodicam, à quo reſponſum retulit in unitate eccleſiæ.* Diem Georgius obiit in regione Claudiæ in monaſterio Barſumæ anno Græcorum 1101. Chriſti 789.

Sub Georgio iſto initium habuit illa inter Jacobitas diſceptatio de his Syriacæ liturgiæ verbis, quæ in fractione hoſtiæ pronunciantur. *Panem cæleſtem frangimus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti;* quæ alii omittenda contenderent, ceu Panem cæleſtem à Verbo ac Filio Dei alium eſſe innuerent, alii tanquam priſco uſu recepta, retinenda. Georgius unicuique permiſit, ut ea verba vel pronunciarent vel tacerent, ut-pote quum in liturgiis Jacobi & Marci diſcipulorum S. Petri non exſtarent, dummodo nemo non confiteretur, *panem qui de cœlo deſcendit, eſſe ipſum Verbum ac Dei Filium.* Commentaria Georgii in quatuor Evangelia laudat Abrahamus Echellenſis lib. de origine nominis Papæ, ac pridem antea Dionyſius Barſalibi in Comment. liturg. cod. Colb. 6207.

XXI. JOSEPH.

Poſt Georgium epiſcopi Bediam minorem quæ in valle Harran ſita eſt convenientes, menſe Julio ejuſdem anni Chriſti 789. *Joſephum* Gubenſis cœnobii monachum ordinarunt. Obiit exacto epiſcopatus anno cum dimidio, menſe Januario, anno Græcorum 1103. Chriſti 791. quem unum dumtaxat epiſcopum ordinaſſe ferunt, Anthimum Balbech ſive Helioplis in Libano. Hunc neſcivit Elmacinus, ut nec alii eccleſiæ Copticæ ſcriptores, qui Georgio proximum ſucceſſorem dant Cyriacum, de quo nunc dicendum eſt.

XXII. CYRIACUS.

ABRAHAM *Antipatriarcha.*

Elmacinus itaque lib. 2. p. 112. *vita functo Georgio,* inquit, *in ejus locum ſuffectus eſt, & Antiochenus Patriarcha conſtitutus* Cyriacus, *qui ſynodicam quoque ſcripſit, miſitque ad Amba-Joannem* (Alexandrinum) *qui cum*

Digitized by Google

gaudio eam recepit, & reſponſum dedit in unitate eccleſiæ. Cyriacus itaque ex monaſterio *Bezonæ,* quod & *de Columna* dicebatur in ditione Callinici, habita ſynodo in urbe Harran, Patriarcha conſecratus eſt die 8. vel, ut alii volunt, 15. Aug. anni Græcorum 1104. Chriſti 792. Hic verba illa liturgiæ *Panem cæleſtem, &c.* abrogare voluit, habita in urbe *Beth-boten* Haranicæ ditionis ſynodo: verum obſtitere epiſcopi ne quid in liturgia innovaretur. Paulo-poſt accidit ut Cyriacus Severum Samoſatorum epiſcopum, qui ſibi advenienti fores eccleſiæ occluſerat, anathemate perculerit. Anno 1109. Chr. 797. Gabriël Julianiſtarum ſeu Aphthartodocetarum Juliani Halicarnaſſenſis ſectatorum Patriarcha, cum Jacobitis jungi poſtulabat, dummodo, nec Juliano anathema diceret, nec Severi I. nomen prædicaret, & qui amborum alteri in vivis ſuperſtes eſſet, utrique populo Patriarcha renunciaretur. Hunc quidem Cyriacus communione ſua donare non dubitavit, ſed epiſcopi effecerunt ne perfecta eſſet unio niſi diſerte Juliano anathema diceretur. Cyriaci autem mentio fit in hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum Renaudotii pag. 242. nec-non epiſtolæ ſynodicæ quam Joanni Patriarchæ miſit per metropolitam Damaſci, alioſque duos epiſcopos. Ejuſdem quoque Joannis ad Cyriacum epiſtola ſynodica habetur in codice Vaticano Arabico 23. ex iis quos Joſephus Aſſemanus ex Oriente Romam advexit, apud eumdem tom. 1. pag. 625. quin etiam Cyriaci ſynodica altera ad Marcum Alexandrinum qui Joanni ſucceſſit anno 799. quum nempe Marcus patriarchatu ſuſcepto ſynodicam perinde Cyriaco miſiſſet per Marcum Taneos & Joannem Farmæ viros doctos & Græci ſermonis peritos, quibus ſocius adjunctus Georgius diaconus & Alexandrinæ eccleſiæ œconomus. Cæterum monachi Gubenſes magnas adverſus ipſum turbas excitarunt, quum mortuo Baccho Alepenſium epiſcopo, ab eo non obtinuiſſent ut in Bacchi locum Xenaïas quidam ejus diſcipulus ordinaretur. Salomonem quippè cœnobii ſancti Jacobi Cyrenſis civitatis, quem Cyriacus conſecrarat, recipere, & Patriarchæ nomen in divina liturgia recitare noluerunt. Ad hæc Cyriacum tanquam Saracenici Imperii hoſtem & Byzantinorum exploratorem apud Califam Aaronem Raſchidum detulere, ſed caſſo conatu, ejus innocentia brevi à principis ſecretario comperta & propalata. Tum monachi epiſcopos aliquot una congregatos inducunt, ut invito Patriarcha epiſcopos duos ordinarent. Quocirca Cyriacus in quodam Cyrrheſticæ regionis loco qui *Gobrin* dicebatur, ſynodo coacta epiſcopos

A illos communionis extorres fecit, ac Gubenſes monachos, qui demum Abrahamum quemdam Cartaminenſem monachum ſibi in Patriarcham conſtituerunt. Is autem Abrahamus adverſus Cyriacum & Dionyſium ejus ſucceſſorem Patriarchas ſtetit, ad annum uſque 1148. ſive 836. Alexandrinorum Jacobitarum monumenta Abrahamum illum, quem metropolitam appellant, inauditam hactenus impietatem induxiſſe, multaque de ſacramentis abſurda effutiiſſe ferunt, ejuſque adeo ſectatores dictos Abrahamæos. Hæc B porro Abrahami, ut tunc jactabatur, hæreſis, cujus aſſertores erant *Cyrenſes, & Gubenſes,* hoc uno articulo conſtabat, quod voces illas, *Panem cæleſtem frangimus, &c.* uti Neſtorianam impietatem ſapientes ex liturgia tollendas cenſerent; cum Cyriacus, ejuſque ſucceſſor Dionyſius, eas, nec diſerte approbarent, nec rejiciendas decernerent. Præterea gravis inter Cyriacum & Tagritenſes ſimultas orta eſt, Simeonis Tagritenſis Maphriani cauſa, quem illi multorum criminum reum peregerant apud Patriarcham. Simeonem Cyriacus, C ſuum quondam diſcipulum & alumnum, damnare renuit. Mortuo brevi ſubinde Simeone, Baſilius à Patriarcha ei ſubſtituitur & ordinatur, qui cum monachis S. Matthæi de primatu contendere cœpit, quòd illi, quorum in cœnobio ſedes erat epiſcopi Moſulenſis ſeu novæ Ninives, authentiam & prærogativam metropoliticam, perinde atque Maphrianus Orientis habebat, ſibi vindicantes, Baſilium Maphrianum & Cyriacum Patriarcham communione ejicere auſi eſſent. Diſſidium iſtud hac demum ratione compoſitum D eſt, ut Danieli Moſulano metropolitæ titulus accederet, ea tamen conditione ut Tagritenſi Maphriano ſubjectus foret. Denique Cyriacus defunctus eſt in urbe Moſul die 19. Auguſti anno Græcorum 1128. Chriſti 816. patriarchatus ſui 24. cum epiſcopos 66. per diverſa loca ordinaſſet.

XXIII. Dionysius I.
Abraham *Antipatriarcha.*
Simeon *Antipatriarcha.*

Cyriaci ſucceſſor fuit *Dionyſius* Telmaenſis, E chronici auctor res ab initio mundi ad ipſius uſque ætatem geſtas continentis. Hujus præcipua quædam capita Aſſemanus edidit *to. 2. Bibl. Orient. p. 98.* Monaſticam vitam in cœnobio Kenſerinenſi profeſſus ad aliud tranſiit S. Jacobi Chiſumenſis dictum; ac poſt biennium, à ſynodo quæ ſucceſſoris Cyriaco dandi cauſa convenerat, in Patriarcham electus eſt. Tum diaconus primùm eſt ordinatus in cœnobio *de Columna* feria 6. Sabbato deinde Preſbyter in cœnobio ſancti

Digitized by Google

Zachæ, demum Patriarcha Dominica Kalendis Auguſti anni 1129. Chriſti 817. in eccleſia urbis Callinici, Theodoſio ejuſdem urbis epiſcopo primario illius conſecratore. *Abrahamus* ille Antipatriarcha, quum ſe ea dignitate fruſtratum vidiſſet, quam ſibi tandem acceſſuram ſperaverat, Gubenſes & alios ſuæ factionis homines induxit, ut Dionyſio obedire recuſarent. Nihilominus Dionyſius luſtratis variis diœceſis ſuæ regionibus prudentia ſua obtinuit, ut complures ab Abrahamo ſecederent & in ſuas partes tranſirent, ac Cyrenſes præſertim, quos certiores fecit, à ſe minime rejici liturgiæ voces illas *Panem cæleſtem frangimus, &c.* Sed & Abrahami, qui multa in ejus perniciem apud Califam & Saracenicæ gentis proceres molitus erat, conatus omnes eo ſucceſſu eliſit, ut ab Al-Mamone Califa per Callinici ducem obtinuerit ut in manus ſuas Antipatriarcha traderetur puniendus, quem Dionyſius cuculla exuit, & Patriarchæ titulo deinceps abſtinere juſſum dimiſit. Quumque ille rurſum tumultuari auſus eſſet, à duce Abdalla comprehenſus, patriarchalibus iterum indumentis nudatus fuit. Cæterum ſchiſma illud apud Jacobitas perſeveravit etiam poſt annum 1148. Chriſti 836. quo Abrahamus interiit, ejus in locum ſuffecto à ſchiſmaticis præſulibus *Simeone* ejuſdem Abrahami fratre, cui manus impoſuit Philoxenus Niſibenſis. Dionyſius mox à ſua conſecratione Marco Alexandrino ſcripſit, à quo & reſponſoriam retulit *in unitate eccleſiæ,* inquit Elmacinus pag. 123. Marcus ei ſubinde gratulatus eſt, quod Abrahamæos cum eorum antiſtite ad colloquium benigne invitatos, eò adduxiſſet ut errorem deteſtarentur. Rem vero non ſic pro voto confectam ſuperiùs vidimus. Marco defuncto, Jacobus ejus ſucceſſor epiſtolam ſynodicam perinde Dionyſio miſit, cui iſte *in unitate eccleſiæ* perinde reſcripſit. Quin fama Jacobi illectus Alexandriam venit ubi multos dies egit in urbe Tani, & quum Ægypti Chriſtianis tributum minui impetraſſet, Syriam repetiit. De hac profectione legenda hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, in Jacobo quinquageſimo Patriarcha. Addit Elmacinus pag. 140. altera vice Dionyſium iter in Ægyptum ſuſcepiſſe cum Al-Mamone Califa propter Chriſtianos Bſammyritanos, qui rebellaverant, & per eum ut-pote curioſum rerum indagatorem Califam didiciſſe rebellandi cauſas præbuiſſe Ægypti præfectos. Quocirca ab Ibrahimo fratre illius qui tunc in Ægypto præfuerat, Al-Mamone defuncto, Dionyſius ad necem quæſitus ſaluti fugâ conſuluit, quo factum eſt ut eccleſia Jacobitica paſtorali regimine diu caruerit. Perſeveravit Dionyſius ad tempus uſque Chaïlis ſeu Michaëlis II. Alexandrini cui ſynodicam dedit, quæ extat in Vaticano codice Syriaco 23. Dionyſius fatis conceſſit die 22. Auguſti anno Græcorum 1156. Chriſti 845. quum ſediſſet annos 27. & centum hinc inde epiſcopos ordinaſſet.

XXIV. Joannes III.
Zebinas *Antipatriarcha.*

Dionyſio defuncto, *Joannes* cœnobii S. Zachæ, quod extra urbem Callinicum ſitum eſt, monachus, in ſynodo quæ in monaſterio S. Silæ habita eſt, ab Abibo Tarſenſi Patriarcha ordinatus eſt die 21. Nov. an. 1158. Chr. 846. Joſephi Alexandrini 15. ad quem ſynodicam de more miſit per metropolitas duos Athanaſium Apameæ & Timotheum Damaſci, quos ſacerdotes multi comitabantur. Hos Joſephus ſeu Juçabus ut celebriori pompa exciperet, Miſra Alexandriam venit. Verum tunc accidit ut Alexandrinus novo crimine accuſatus, à nefario judice Saraceno verberatus ſit coram duobus illis metropolitis: quod refert doctiſſimus auctor hiſtoriæ Patriarcharum Alexandrinorum pag. 291. quibus concinens Elmacinus ait: *Anno decimo Patriarchatus ejus* (Juçabi) *obiit Dionyſius Patriarcha Antiochiæ, cujus in locum ſuffecerunt Abuna Joannem, qui ſynodicam de fide recepto more ſcripſit, miſitque ad Patriarcham Alexandrinum.* Antiochenorum Jacobitarum Patriarcha ſedebat Joannes, quando Coſmas Alexandrinus ordinatus eſt anno Martyr. 567. die 14. menſis Epiphi, ſeu Chriſti 851. 12. Julii, qui ſynodicam ad eum miſit per Severum & Chaïlem epiſcopos & ſacerdotes aliquot, quos Joannes multo honore ſuſcepit. Sic præter hiſt. Patr. Alex. p. 295. Elmacinus p. 150. *Quumque conſtitutus eſſet Coſmas, ſcripſit ſynodicam de religione Patriarchæ Antiocheno Abunæ Joanni, quam more ſolito ad eum miſit,* illeque reſponſum dedit de concordia & amore. Huic eidem Joanni Sanutius Coſmæ ſuccedens, ſynodicas quoque litteras miſit ipſo anno 859. per Paulum & Joannem epiſcopos, in quibus converſionem narrabat eorum qui Chriſti Paſſionem negabant, qui nempe in Ægypto Gaïanitæ dicebantur, ut in Oriente Julianiſtæ. Sedit Joannes III. annos 27. quibus epiſcopos 86. ordinavit; ac die 3. menſis Canun prioris ſive Decembris anni Græcorum 1185. Chriſti 873. deceſſit in urbe Rheſina: corpus ejus, ut teſtamento ſuo decreverat, è cœnobio S. Sophyli ubi ſepultum erat, in monaſterium S. Zachæ tranſlatum eſt.

His temporibus Haſſaſſinitæ ſeceſſionem à Cyrenſibus factam ob has liturgiæ voces *Panem cæleſtem frangimus, &c.* auxerunt,

nolentes eas mutari, ut-pote quæ vetuſtiſſimæ conſuetudinis erant; etſi Neſtorianiſmum Jacobitis illis ſapere videbantur. Quocirca *Zebinam* quemdam Joannis diſcipulum Patriarcham conſtituerunt, qui ipſis Pheraam metropolitam ordinavit. Hic autem Moſulenſem epiſcopum creavit Bar-Nazicham Moyſis Barcephæ diſcipulum.

Sedes vacat.

XXV. Ignatius I.

Joanni III. ſuffectus eſt *Ignatius* è cœnobio Herbaz ditionis Samoſatenæ à Timotheo Samoſatæ epiſcopo ordinatus in monaſterio ſancti Zachæ Callinicenſi die 5. Junii anno Græcorum 1189. Chriſti 877. quum proinde Jacobitica eccleſia Patriarcha vacaſſet annos tres cum dimidio. Obiit vero die 26. Martii feria 3. majoris Hebdomadis in Moriba caſtro anno Græcorum 1194. Chriſti 882. quum ſediſſet annos quatuor, menſes decem, ordinaſſetque epiſcopos 26.

Sedes vacat.

XXVI. Theodosius.

Succeſſit Ignatio illi primo *Theodoſius* cognomento *Romanus*, medicus, ex cœnobio Cartaminenſi aſſumptus, & in ſynodo Amidæ celebrata ordinatus à Timotheo Samoſateno die 3. Februarii ann. Græc. 1198. Chr. 886. adeoque quum ſedes vacaſſet annos quatuor. Huic Theodoſio omnino tribuenda epiſtola eſt ad Gregorium amicum quam Abrahamus Ecchellenſis laudat in libro *de origine nominis Papæ*, in qua reſpondet iis quæ à Gregorio quæſita erant de verbis myſticis Philoſophorum. Ecchellenſis epiſtolæ hujus exemplar Syriacis characteribus & lingua penes ſe exſtare ait, & aliud in bibliotheca montis aurei. Verum à vero aberrat vir ille doctus p. 362. ubi Theodoſium hujus epiſtolæ auctorem Mohammedicis temporibus antiquiorem facit, quum nullum ſæculo nono anteriorem Theodoſium Antiochenam, etiam Jacobitarum ſedem obtinuiſſe certum ſit. E vivis exceſſit Theodoſius hic Kal. Junii anno Græc. 1207. Chr. 895. quum ſediſſet annos octo, menſes 4. & epiſcopos 33. ordinaſſet. In monaſterio Cartaminenſi ſepultus fuit.

XXVII. Dionysius II.

Poſt fato functum Theodoſium *Dionyſius II.* patriarchatu potitus eſt, Bethbatenſis cœnobii alumnus, quod in Aſeth Sarugenſis regionis ſitum erat, ab Emeſæ epiſcopo ſacratus, in ſynodo Beth-batiæ habita territorii Haran menſe Aprili anno Græc. 1208. Chriſti 896. Scripſit de ordinatione ſua ſynodicam epiſtolam ad Michaëlem II. Alexandrinum, cujus

A mentio p. 625. to. 1. Bibl. Orient. ex libro cui titulus, *Fides Patrum*. Ejus tempore claruit Severus epiſcopus Bethraman, qui & Moyſes Barcepha, cujus commentarii in Hexaëmeron latine exſtant, quique Bar-hebræo teſte diem obiit anno Græc. 1214. Chr. 903. die Februarii 12. & in monaſterio ſancti Sergii ſepultus eſt. Dionyſius vero fatis conceſſit anno Græcorum 1220. Chriſti 908. die 16. Aprilis, exacto duodecimo patriarchatus anno. Ordinavit epiſcopos 51.

B

XXVIII Joannes IV.

Succeſſit Dionyſio II. *Joannes IV.* aſſumptus ex *Columna* monaſterii Curzachel ditionis Antiochenæ, & ordinatus à Joanne epiſcopo Marhas in monaſterio *Telſephre* extra urbem Haran poſito, die 21. Aprilis anno Græcorum 1221. Chriſti 909. vel 910. quumque ſediſſet annos 12. menſes 7. ordinaſſetque epiſcopos 41. obiit ſabbato, exeunte menſe Novembri anno Græcorum 1234. currente, Chriſti 922. In codice Vaticano Fidei Patrum, Aſſemano teſte p. 625. to. 1.
C Bibl. Orient. habetur epiſtola Joannis Antiocheni ad Coſmam Alexandrinum de ſua, ni fallor, ordinatione. Ex quo evincitur Coſmam Patriarcham eſſe factum anno 308. Hegiræ, Chriſti 920. potius quam anno 313. vel 311. ut auctores alii atque alii Ægyptii prodidere. Quam chronologiam ſequitur Aſſemanus to. 2. p. 126. Bibl. Orient.

XXIX. Basilius.

Extincto Joanne II. ſuffectus ei eſt *Baſilius* è monaſterio Saphyli Rheſinæ, ordinatuſ-
D que eſt in Moriba caſtro Reſchephæ ab Habibo Anazarbi epiſcopo anno Græcorum 1234. Chriſti 923. die 15. Auguſti. In libro Fidei Patrum exſtat epiſtola Coſmæ ad Baſilium Antiochenum reſponſiva; ut & Baſilii ad Coſmam epiſtola, cujus initium & finem Arabice Latineque recitat Aſſemanus p. 126. to. 2. Bibliothecæ Orientalis. Atqui Baſilius nondum exactis patriarchatus annis undecim obiit, die 25. Martii feria quarta majoris hebdomadis, anno Græcorum 1246. Chriſti 935. Epiſcopos 32. ab eo creatos ferunt. Sepultus
E dicitur in cœnobio Orientali.

XXX. Joannes V.

Baſilium excepit *Joannes V.* ex Anachoretis montis Nigri in Teleda caſtro Antiochenæ ditionis, ordinatus ab Athanaſio Tarſenſi die 28. Auguſti anni Græcorum 1247. ad quem in libro Fidei Patrum habetur epiſtola Macarii Alexandrini qui patriarchatum ſubiit anno Heg. 323. vel 324. ſeu Chriſti 933. vel 934. Dies mortualis Joannis aſſignatur decimo-

Google

tertio Julii feria prima ſive Dominica, quum ſediſſet annos 19. menſes 10. & epiſcopos ſacraſſet 48. Deceſſit itaque anno Græcorum 1267. Chriſti 956. corpus ejus in magno Teledæ monaſterio poſitum eſt in arca Jacobi Edeſſeni.

XXXI. Joannes VI.

Joanni V. ſucceſſit alter *Joannes* ex *Columna Curzachel* ad Uphrinum fluvium oriundus, à Callinicenſi epiſcopo Jacobo conſecratus in Teleda caſtro, anno Græcorum, non 1265. quo deceſſor ejus vitam adhuc agebat, ſed 1267. Chriſti ut prædictum eſt 956. Cæterum omiſſus eſt à Barſalibæo in catalogo. Obiit menſe Canun exeunte, an priore, an poſteriore, non liquet Sederat vero annos 2. menſes 10. & in cœnobio Salomonis Dolichæ ſepultus fuit. Epiſcopos 10. ordinaverat.

XXXII. Dionysius III.

Ex monaſterio Cartaminenſi aſſumptus eſt *Dionyſius III.* qui in Teleda caſtro à Jacobo Callinicenſi die 28. Novembris anni Græcorum 1269. Chriſti 958. ordinatus fuit, & confeſtim ſynodicam ſcripſit Mennæ Alexandrino, qui eodem anno 958. promotus in Patriarcham fuerat. Epiſtolam hanc aliamque ejuſdem Dionyſii ad Mennam continet tractatus *de Fide Patrum*, qui habetur codice Arabico Vaticano num. 23. Aſſemano Maronita teſte to. 2. pag. 350. Periit Dionyſius anno 1272. Chriſti 961. ut fert Bar-hebræus. Quocirca male apud Elmacinum legitur Mennam, cui Dionyſius litteras ſuas miſit, ordinatum eſſe Patriarcham Alexandrinum anno Diocletiani 678. Chriſti 962. Obiit Dionyſius exacto patriarchatus biennio cum menſibus ſex, die Junii 2. anno Græcorum 1272. Chriſti 960. & in cœnobio Cartaminenſi in arca Theodoſii Patriarchæ ſepultus fuit. Epiſcopos octo ſacraſſe dicitur.

Sedes vacat ann. 1.

XXXIII. Abraham.

Dionyſii defuncti locum obtinuit *Abraham* ex cœnobio Taril ditionis Halepenſis, quem Job Zeugmatis epiſcopus in Teleda caſtro conſecravit die 25. Maii, anno Græcorum 1273. Chriſti 961. quum ſedes Jacobitica unum fere annum Patriarcha vacaſſet. Maphrianum Cyriacum aliosque ſex epiſcopos ordinavit intra novem menſes & dies 7. quibus Jacobiticæ ſuæ ſectæ præfuit. Ita Aſſemanus to. 2. pp. 351. 352.

Sedes vacat.

XXXIV. Joannes VII.

Ex eodem cœnobio Taril aſſumptus eſt A *Joannes VII.* Abrahami proximus ſucceſſor, cognomento *Sarighta*, à *ſlorea* ſeu *ſacco arundineo* quo induebatur. Ordinatus fuit à Sergio Sarugi epiſcopo in Capharnabo ditionis Sarugenſis die Dominica 9. Julii, anno Græcorum 1276. Chriſti 964. Ex quo apparet Jacobiticam ſedem vacaſſe annos duos, quatuor menſes, dies quatuor. Mox ab ordinatione ſua ſynodicam miſit ad Mennam Alexandrinum; quin & epiſtolam aliam Mennæ ſcripſit de iis quæ ſibi Conſtantinopoli acciderant, quum illuc ab Imperatore abductus B eſſet. Nimirum Nicephorus Phocas Imper. quum varias regiones Orientem verſus, Saracenis eripuiſſet, Joannem Jacobitarum Patriarcham Melitinam evocavit, permiſitque ut in ea urbe monaſterium Bared dictum exſtrueret. Mox ejuſdem Imperatoris juſſu cum epiſcopis ſuæ ſectæ quatuor, Conſtantinopolim ire coactus eſt, ubi de fide cum Græcorum Patriarcha Polyeucto diſputaverunt. Cum vero hæreſim illi ejurare noluiſſent, in carcerem Joannes truſus fuit, à quo non niſi poſt quatuor menſes, interempto à Joanne Zimiſca C Nicephoro, liber cum ſuis dimiſſus eſt. Joannis Patriarchæ ad Mennam Alexandrinum epiſtolam illam alteram latinè nobis exhibet præſtantiſſimus Renaudotius, hiſtoria Patriarch. Alex pag. 356. ex codice Segueriano, ad hunc modum inſcriptam. *Epiſtola ſynodica ſancti Patris Amba Joannis Patriarchæ Antiochiæ ad Amba Mennam Patriarcham Alexandrinum, quando Romæorum ſive Græcorum Imperator miſit qui Joannem Patriarcham in vincula conjicerent, eumque Conſtantinopolim duci juſſit, ubi in conſpectu ſuo, præſente Pa-* D *triarcha Conſtantinopolitano, & viris Imperii primariis, cum eodem Conſtantinopolitano de fide diſputavit.* Anno nimirum Chriſti 969. ut ex fine ejuſdem epiſtolæ colligitur. Rei geſtæ ſeriem recenſet Joannes hoc præmiſſo exordio: *Cum Imperator Emeſa Conſtantinopolim reverſus eſſet, meque prius in eam urbem miſiſſet, Patriarchæ Conſtantinopolitano mandavit, ut nos coram ſe adduci juberet. Accerſiti itaque ſumus feria quinta ante Dominicam Palmarum. Aderat circa eum magna eccleſiaſticorum ejus multitudo, qui,* E *priuſquam ad Patriarcham perveniremus, nobis obviam tumultuatim venerunt, clamantes & vociferantes, ſcilicet ut terrerent & perturbarent nos antequam in illius conſpectum veniremus. Sed Deus acceptiſſimarum orationum veſtrarum merito patientiam nobis & fortitudinem dedit. Interjecto longo temporis ſpatio, pervenimus ad Patriarcham ad locum conſeſſus ipſius, ubi multitudo magna, & armati homines circa eum erant. Poſtquam eum ſalutaviſſemus, illeque nos ſalutaſſet, & ſedere juſſiſſet,*

Digitized by Google

juſſiſſet, interrogare nos in hunc modum cœpit. Cujuſnam loci Patriarcha es? Reſpondi: Antiochenæ ſedis ſum Patriarcha. Duo igitur, inquit, Patriarchæ eſtis ſuper unam ſedem conſtituti; an inter vos ſciſſura eſt, & tu unam ſedem tenes, & ille alteram? Reſpondi ſciſſuram inter nos eſſe. Tum ille: Num conſtitutus es Patriarcha? Et quis tandem Patriarcharum ordinationem tuam conſenſu ſuo approbavit? Tum ego: Alexandrinæ ſedis, inquam. Quod eſt nomen ejus, ait? Reſpondi: Dominus Mennas. Tum Conſtantinopolitanus: At ille hæreticus eſt. Scripſit enim ad nos litteras inſulſas, & confeſſio fidei ejus de Chriſto prava eſt.... An aſſeris eum deſcendiſſe de cœlo, habitaſſeque in ſancta Maria Virgine, ex qua acceperit corpus ſecundum naturam noſtram? Affirma, aut nega. Ad hæc reſpondi: Confiteor quod Deus Verbum, qui eſt ante ſæcula Filius Patris, deſcendit de cœlis, & habitavit in ſancta genitrice Dei Maria, & aſſumpſit ex ea perſonaliter corpus ſecundum naturam noſtram, animatum, & anima rationali atque intelligente præditum; atque ita ex ea natus eſt Deus homo factus abſque immutatione aut alteratione. Tum ille: Numquid hæc eo ſpectant ut in Chriſto duæ naturæ ſint? Reſpondi: Confitemur Chriſtum compoſitum eſſe ex duabus naturis, ſed poſt unitionem, unam ſolummodò naturam agnoſcimus & perſonam unam Verbi incarnati. Demum poſt longam diſputationem eo die receſſimus. Narrat ſubinde Joannes quæ ſibi acciderint die ſancto Paſchæ, nec-non diſputationem alteram quam Dominica inſequenti cum Patriarcha eodem habuerat; & quibus argumentis, Patrum-ve ſententiis contenderit. In fine epiſtolæ Alexandrinos ſalutari monet à Mar-Macario ſcriba ſive à ſecretis, aut protoſyncello, ab epiſcopis quatuor, itineris utique illius, & carceris ſociis, *Sergio metropolita Euphemiæ, Jacobo metropolita Symnadæ, Joanne epiſcopo Ramatuæ, & Conſtantino epiſcopo Garmæ: ac demum diſcipulis ipſorum Davide & Zacharia.* Byzantio regreſſus Patriarcha cœnobium Barſumæ adiit, deinde ſe ad Bared anno 1280. Chriſti 969. tranſtulit, ubi uſque ad annum 1296. Chriſti 985. quo mortuus eſt, habitavit. Epiſcopos 48. conſtituerat.

XXXV. Athanasius V.

Poſt Joannem VI. Jacobiticæ factionis Patriarcha fuit *Athanaſius* Salachenſis, qui & *Lazarus* quoque dictus, ex monaſterio Sigaræ, ordinatus à Lazaro Anazarbæ metropolita in *Catin* pago regionis Gehon, feria 5. die 21. Octobris, anno Græc. 1298. Chriſti 987. Habitavit in monaſterio *Bared* quod novis ædificiis auxit. Melchitis interim ſive orthodoxis Chriſtianis Græci ritus, Patriarcha ejus tempore præerat Agapius, qui nullam Jacobitis moleſtiam creaſſe fertur. Statim ab ordinatione ſua Athanaſius ſynodicam miſit ad Philotheum Alexandrinum, quæ regeſta exſtat in libro cui titulus *Fides Patrum* fol. 309. atque ex illa apparet alteram eidem ſcripſiſſe Philotheum. Apprime monet Aſſem. to. 2. p. 352. in codice Vaticano, quo tractatus de Fide Patrum continetur, perperam legi Philotheum ſynodicam miſiſſe *Dionyſio Antiocheno*, emendandum vero eſſe *Athanaſio Antiocheno*, quandoquidem nullo catalogo conſtat, ſedente apud Coptitas Philotheo, Patriarcham nomine Dionyſium Antiochenis Jacobitis præfuiſſe. Athanaſius annos 16. ſedit, obiitque in monaſterio Barſumæ, quod in regione Claudiæ ſitum erat, anno 1314. Chriſti 1003. quum epiſcopos 38. ordinaſſet.

XXXVI. Joannes VIII.

Athanaſio ſuffectus eſt *Joannes* filius Abdon Melitinenſis, monaſterii *Curſoris* in eadem urbe alumnus, ex quo tranſiit ad Barſumæ cœnobium, tum deinde ad rupem quamdam ad Euphratem fluvium poſitam, tamdem ad montem Nigrum Antiochiæ vicinum, ubi quum quadraginta annos egiſſet, in Patriarcham electus eſt, anno Græcorum 1315. Chriſti 1004. die 4. Julii, qua diaconus primum eſt ordinatus, die ſequenti preſbyter, ſexta demum Patriarcha, conſecratore Petro Harran epiſcopo, ſexageſimo ætatis ſuæ anno. Hic quum regendis populis ineptum ſe judicaret, Davidi monacho ſyncello ſuo munera obeunda reliquit, quo auctore multi apud Jacobitas abuſus invecti ſunt. Cum vero Armenia minor & Syria tunc Byzantinis parerent, Nicephorus Malatiæ ſeu Melitinæ metropolita Græcus Joannem apud Imperatorem accuſavit, quod Monophyſitarum erroribus Græcos imbuere ſatageret. Quamobrem Joannes Conſtantinopolim venit, cum epiſcopis ſex, & viginti preſbyteris & monachis Jacobitis, Nicephoro eos deducente; ſed quum ab hæreſi quam profitebatur, nullo pacto recedere vellet, ab imperatore in cœnobium Caii in regione Bulgarorum poſitum relegatus fuit, ubi poſt quatuor annos deceſſit, die 2. Februarii, anno Græc. 1344. Chriſti 1033. *In tractatu de Fide Patrum*, ut jacet in Cod. Vaticano n. 31. & 32. habentur epiſtolæ duæ Joannis Antiocheni Patriarchæ ad Zachariam Alexandrinum, quarum ſecunda reſponſoria eſt ad ejus ſynodicam. N. 33. ſequitur itidem Zachariæ ad Joannem ſynodica. Denique n. 34. altera ejuſdem Zachariæ ad eumdem Joannem data Heg. anno 403. Chriſti 1025. Apud Aſſem. to. 1. p. 625.

In hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum p. 402. multa narrantur de Joannis in

Digitized by Google

Patriarcham Antiochenum promotione, ejuſ- A
que Conſtantinopolim profectione & exilio,
quæ hic ad longum regerere operæ pretium
» eſt. « Vetus conſuetudo erat, ait vitæ Zachariæ
» Alexandrini ſcriptor, jam ab antiquis ducta
» temporibus, ſub Severo Patriarcha, ut nulli Ja-
» cobitarum facultas eſſet Antiochiæ manendi,
» Joannes in monaſterio prope Malatiam, ſive
» Melitenen, ſedem conſtituerat. Erat in monte
» vicino *Aſoud*, hoc eſt Nigro, monachus ſancti-
» tatis opinione celebris, quem Athanaſius Pa-
» triarcha paulo ante mortem ſucceſſorem ſibi
» futurum prædixerat. Quum ab Antiochenis B
» quæreretur, alterum eodem nomine mona-
» chum, qui in vicino loco cellam habebat,
» monuit Joannes Abdoun filius, futurum eſſe
» ut craſtino die alteruter ipſorum raperetur in
» Patriarcham conſecrandus: optimum factu
» videri ſibi, ut ex eo loco migrarent, neque
» enim ſe tanto oneri pares eſſe. Quum alter
» ambitione inflatus manere ſtatuiſſet, alter
» fuga ſe proripuit. Interea venerunt qui Joan-
» nem filium Abdoun perquirebant, eoque
» non invento, alterum in cella ſua repertum,
» nec cunctantem abduxerunt: ſed in via cum C
» ad arborem quamdam refrigerationis cauſa
» divertiſſent, nequam ille monachus impacto
» in ejus oculum ramo luſcus factus eſt, ſtatim-
» que vindictam divinam ſentiens, omnem rei
» ſeriem miſſis à clero Antiocheno narravit.
» Qui magis accenſi, tamdem poſt multos la-
» bores & circuitus Joannem filium Abdoun
» repererunt, & reluctantem abduxerunt, & in
» Patriarcham ordinaverunt. Ille in dignitate
» conſtitutus, nihil de priore vitæ inſtituto
» mutavit; quidquid ad eum ex oblationibus
» aut fructibus perveniebat, pauperibus largie- D
» batur, ſibi tantum conſervans quæ ad vitam
» ſuſtentandam erant neceſſaria. Attulit ali-
» quando ad eum mulier quædam ſacculum
» aureis plenum, precataque eſt ut eos accep-
» taret, & in ſuos vel pauperum uſus impen-
» deret. Ille paucis reſpondit, *Deus hoc à te*
» *ſuſcipiat, filia*, nec plura locutus eſt, contra
» morem aliorum qui pecuniis colligendis
» intenti, ſi vel teruncius afferretur, multis &
» magnificis verbis offerentes laudabant. Quo-
» circa mulier, ejuſmodi laudibus à Joanne
» fruſtra exſpectatis, diſceſſit indignabunda. E
» Quod quum diſcipulus obſervaſſet, revocavit
» eam Joannes, juſſitque afferri trutinam, &
» in una lance aurum, in altera chartulam
» paucis illis quæ protulerat verbis inſcriptam
» poni; quæ chartula præponderans, aurum
» in ſublime ſuſtulit. Aiunt quoque ejuſdem
» mulieris filium, è ponte, quem Joannes col-
» latitia pecunia refici curaverat, in flumen
» lapſum, mortuumque, ejuſdem precibus ad
» vitam revocatum. Habitabat Malatiæ Joan-
nes, & illic inque locis vicinis eccleſiæ erant «
quinquaginta-ſex: & Chriſtianorum (utique «
Jacobitarum) qui arma geſtare poſſent, ſexa- «
ginta millia, præter parvulos & fœminas. Ad «
eum Michaël epiſcopus Tanis, ſe cum aliis «
miſſum ait à Chriſtodulo Patriarcha Alexan- «
drino, cujus ſynodicam ei obtulerunt. Hos «
Joannes à ſuo nepote in urbem deduci juſſit, «
ut maximam illam cernerent Syrianorum «
Jacobitarum multitudinem, qui feſtis ſolem- «
nibus, ei in urbem venienti occurrebant cum «
Evangeliis & thuribulis, gaudebantque ſi de «
manu ejus communionem acciperent. » Alia de Joanne tradit vitæ Zachariæ auctor, ac præſertim, metropolitam Malatiæ Melchitam invidia percitum erga Joannem, per unum ex ſuæ ſententiæ epiſcopis apud Conſtantinopolitanum Imperatorem effeciſſe ut Joannes Conſtantinopolim evocaretur: Jacobitas autem ob mandatum illud regium tumultuantes à Joanne ſedatos, allato hoc Apoſtoli effato: *Qui principibus reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Eum denique cum epiſcopis quatuor, & tribus monachis diſcipulis, in urbem regiam ingreſſum, cuſtodiæ traditum eſſe, & poſt dies aliquot adductum in conſeſſum epiſcoporum cui Patriarcha Conſtantinopolitanus præerat. Addit, epiſcopo Malatiæ Joannem accuſante, locum illi datum non eſſe in quo ſederet, ſed ſtare juſſum, ut-pote hæreticum. Ad quod Joannes oſtenſurum dixit, nec ſe, nec ſuos, eſſe hæreticos, ſi demum facultas ſibi de fide diſputandi daretur, quæ inſtigante epiſcopo Malatiæ ei prorſus denegata eſt. Imperator vero Joanni ad ſe adducto dixiſſe fertur, ſanctitatis ejus famam ad ſe perveniſſe, nihilque ab ipſo aliud poſtulare, niſi ut ſynodum Chalcedonenſem amplecteretur, ampliſſima in vicinas ſedi ſuæ provincias poteſtate potiturus. Cui Joannes, *Domine Imperator*, inquit, *Deus imperium tuum, majeſtatemque tuam conſervet. Teſtis ipſe eſt me nunquam intermittere orationes & ſupplicationes ad eum pro imperio tuo potentiſſimo, velut ſacræ litteræ nobis facere præcipiunt, ut tranquillam & ſecuram vitam agamus. Verum majeſtatem tuam non oportet cogere quemquam, ut religionem ſuam deſerat, ſed ſequi exemplum regum duorum quos in noſtra communione habemus, Æthiopiæ ſcilicet & Nubiæ, qui neminem communionis veſtræ cogunt in regionibus ſuis ad ſuam fidem profitendam.* Quas poſtremas voces aiunt à Græco metropolita ſic redditas eſſe, ac ſi Joannes Nubiæ & Æthiopiæ reges Imperatore ſuperiores dixiſſet: quamobrem deportatum eum eſſe in inſulam Conſtantinopoli uno milliari diſtantem: duos metropolitas ejus comites quum Melchitarum fidem amplexi eſſent, per ſummum contemptum factos eſſe ſubdiaconos,

Digitized by Google

aliis duobus fidem ſuam ſtrenue profitentibus. A Joannem iterum ad Imperatorem adductum, quum priſtinam mentem teneret, in vicinæ alterius inſulæ monaſterium tranſlatum, duos annos ibi manſiſſe, cum uno diſcipulo: Anachoretam Melchitam quotidie monachos diſcipulos ſuos miſiſſe qui illum maledictis & ſputis aſpergerent; ex illis juvenem unum, qui quoties Joannes aquam calidam ad pedum ſuorum ægritudine laborantium fomentum parabat, injecto cinere turbabat, à dæmone correptum poſt triduum periiſſe: Joannem demum viro cuidam Conſtantinopolitano B pio qui ſui cauſa in vincula conjectus erat, diſcipulum ſuum miſiſſe qui eum conſolaretur, imminentemque ſuum exitum prædiceret: eum obiiſſe ferunt Ægyptii, anno Martyrum 747. Chriſti 1031. Romano utique Argyro, ut videtur, Byzantinis imperante. Verum ex Syriacis annalibus eum nonniſi anno 1033. fato functum conſtat. Licet autem Ægyptius auctor non plures quam quatuor metropolitas ei ſocios itineris tribuat, ſex tamen numerant Syri, quorum tres Catholicam fidem ſuſceperunt, nempe Ignatius Melitinæ, Elias Heſnæ, C & Iſaac Arcæ; tribus aliis Elia Symnadæ, Joanne Hadeth, & Dionyſio Tel-Patriciæ in hæreſi perſeverantibus, quorum Eliam à populo obrutum dicunt, Moyſen vero & Iſaac fuga ſe in Syriam recepiſſe. Cæterum Joannem diſcipulo ſuo injunxiſſe ferunt, ut ſucceſſorem ſuum moneret ne in poſterum ſedem in Græcorum ditione figeret, verum Amidæ vel Edeſſæ commoraretur. Hæc in hiſt. Patr. Alex. Renaud. p. 402. & ſeqq. legere eſt. Ejuſdem Joannis filii Abdoun vitam ſermone Arabico à Michaële epiſcopo Taneos ſcriptam Aſſe- D manus Maronita edidit *to. 2. Bibl. Or. p. 146.*

XXXVII. Dionysius IV.

Accepto à Jacobitis Patriarchæ ſui Joannis VIII. obitus nuntio, convenerunt epiſcopi in Tamenin ditionis Claudiæ pago, & in ejuſdem loci monaſterio S. Domitii elegerunt in Patriarcham *Dionyſium IV.* cognomento *Haïe*, archimandritam ſancti Lazari apud Gubæ pagum *Tanguth* anno 1345. Chriſti 1034. qui, ut à Joannis diſcipulo monitus erat, Amidam petiit, ibique ſedem E fixit. Cæterum falſum eſt, quod Michaël Tanis in vita Chriſtoduli Patriarchæ Alexandrini ſcripſit, Joanni VIII. ſucceſſiſſe Joannem alterum fratris ejus filium, eumque mox ab ordinatione ſua eidem Chriſtodulo ſynodicam ſcripſiſſe: nam Bar-hebræus & Dionyſius Barſalibi aſſerunt Dionyſium proximum fuiſſe Joannis octavi ſucceſſorem, quem Joannes ille alter Joannis Abdoun fratris filius ſtatim excepit. In Vaticano codice tractatus de fide Patrum n. 35. 36. & 37. apud Aſſem. to. 1. p. 625. leguntur Dionyſii Antiocheni ad Sanuthium Alexandrinum Chriſtoduli deceſſorem epiſtola ſynodica, & binæ ejuſdem Sanuthii ad Dionyſium litteræ reſponſoriæ, quæ datæ feruntur anno Martyr. 751. & 752. ſeu Chriſti 1035. & 1036. Dionyſius autem anno 1355. Chriſti 1044. decimo patriarchatus ſui anno Amidæ obiit, poſtquam epiſc. 36. ordinaſſet.

Sedes vacat.

XXXVIII. Joannes IX.

Dionyſio itaque IV. ſucceſſit ille *Joannes* fratris Joannis Abdoun, vel, ut in Chriſtoduli Alexandrini vita habetur, ſororis filius, qui & *Theodorus* dictus. Is ex monacho cœnobii Bar-Gaghi in monte Melitinæ, invitus in Patriarcham eligitur menſe Auguſto anni Græc. 1360. Chriſti 1049 poſtquam ſedes annos quinque vacaſſet. Ordinatus eſt Amidæ ab Elia epiſcopo Zeugmatis; moxque in ſynodo epiſcopos aliquot depoſuit, qui tempore vacantis ſedis eccleſias ſuas relinquere, & in alias tranſvolare auſi erant. De ſua itidem promotione ſynodicam miſit ad Chriſtodulum Alexandrinum, quæ exſtat in tractatu *de Fide Patrum* n. 38. apud Aſſem. to. 1. p. 625. quam ſequitur num. 42. altera ejuſdem Joannis ad Chriſtodulum quæ *lecta* dicitur *in eccleſiis B. Virginis, & S. Sergii, anno Martyrum 782. ſeu Chriſti 1066.* Deceſſit porro Joannes poſt annum epiſcopatus octavum, & menſes decem, anno 1369. Chriſti 1058. ordinatis epiſcopis per diverſa loca 30.

XXXIX. Athanasius VI. Joannes *Barſuſan*.

Suffectus eſt Joanni IX. *Athanaſius* cognomento *Haïe*, aſſumptus ex cœnobio Aaron Sigaræ, in quod abdicato Arſamoſatenſi epiſcopatu ſe receperat. Electus eſt, inquam, ab epiſcopis Occidentalibus ſeu regionis Ciſeuphratenſis in cœnobio Phares regionis Heſen Manſur. Orientales vero Jacobiticæ ſectæ epiſcopi ejus electionem reprobarunt, ceu qui ex epiſcopali dignitate ad Patriarchalem contra leges promotus eſſet, atque adeo Joſue Barſuſan Joannis IX. Patriarchæ ſyncellum & diſcipulum elegerunt, ſpretis Patrum exemplis quibus Athanaſiani quam fecerant electionem tuebantur. Joſue vero, Athanaſii cauſam coram Saracenis proceribus diſceptandam intelligens, dignitati ceſſit. Athanaſius exactis annis quinque cum dimidio pontificatus, quum ſororis ſuæ filium Ignatium virum ſermonis Græci & Syriaci peritum Melitinæ epiſcopum conſecraſſet, à Græcis comprehenſus, una cum eodem Ignatio, in cœnobium Eudoxii quod ſupra Melitinam erat, detruſus, & quinto poſt menſe Conſtantinopolim ductus, anno 1375. Chriſti 1064. in

urbe Arca vel Arce interiit, ejuſque corpus in A monaſterio Aaron Sigaræ ſepultum. Ignatius vero Byzantium quum veniſſet, indeque ob ſuam hæreſim in Macedoniæ cœnobium Caii fuiſſet deportatus, Michaële Duca poſt tres annos defuncto, Melitinam repetiit.

XL. Joannes X.

Ubi fatis conceſſiſſe Athanaſium auditum, *Joſue* ſive *Joannes Barſuſan*, ab epiſcopis qui in monaſterio Mar-Ab-Hai ad Euphratis ripas convenerant, dignitatem quam abjecerat recipere coactus eſt. In eodem cœnobio quatuor ſupra viginti canones de diſciplina eccleſiaſtica condidit. Epiſcopos quinque, ob varia crimina, exauctoravit, aliis in eorum locum ordinatis. Vir jejuniis & vigiliis addictus, pedes vadere ſolitus, ſcriptioni intentus: quum annos 9. ſediſſet, & epiſcopos per diverſa loca 17. ordinaſſet, obiit Amidæ anno Græc. 1384. Chr. 1073. Ejus corpus in eccleſia Deiparæ in arca marmorea conditum eſt juxta tumulum Joannis IX. præceptoris ipſius. Ejus tempore gravis inter Jacobitas Orientis & Ægypti quæſtio agitata eſt de pane Euchariſtico in quo Orientales ſal & oleum admiſcebant, Ægyptiis repugnantibus, quorum querimoniam Joannes Antiochenus plane neglexit. De ea controverſia D. Renaudotius in hiſt. Patr. Alex. p. 425. Aſſemanus autem monet to. 2. p. 356. cod. Vaticano Orientali 40. Arabico haberi epiſtolam Joannis Barſuſan Patriarchæ Jacobitarum ad Chriſtodulum Alexandrinum, quæ data fertur anno Græc. 1396. ſed mendum eſſe, quandoquidem Barſuſan an. 1384. Chriſti 1073. fato functus eſt, & Chriſtodulus anno 1389. Chriſti 1078.

XLI. Basilius II.

Poſt Joannem, epiſcopi *Baſilium* monaſterii Barſumæ monachum & œconomum ſorte Patriarcham elegerunt, quem Athanaſius Edeſſæ epiſcopus menſe Januario anno Græc. 1385. in Heſen-Manſur ordinavit. Hic porro ad Alexandrinos ſynodicam non miſit, quippe qui Syrorum in conficiendo pane liturgico ritum non admitterent, nec proinde nomen ejus apud Coptitas ad altare recitatum eſt, ſed pro trito more nomen deceſſoris ejus, ac ſi in vivis ſuperſtes eſſet. Sedit annum dumtaxat integrum, & menſes ſex, & in urbe Maipherakin obiit, quum Joannem Maphrianum Tagriti, & alios ſex epiſcopos ordinaſſet, quorum unus fuit Abdon ex familia Joannis Abdon Patriarchæ, quem Symnadæ epiſcopum conſtituit. Hic Abdon præpoſitus erat cœnobii Beth-Gaghæi, cujus nomen, ut & Baſilii, quum Patriarchæ electio ob epiſcoporum diſſenſionem ſorte fieret, in ſchedula exaratum erat.

XLII. Joannes XI.

Poſt Baſilii mortem, *Joannes*, qui & *Abdon*, cujus mox mentio fuit, opera Simeonis Chiſumenſis & Athanaſii Samoſateni, qui nomen ejus, quum ante Baſilii nomen ſorte eſſet extractum, à ſynodi præſide occultatum fuiſſe dicebant, Patriarcha proclamatus eſt. Is Philartum Armenorum militiæ præfectum muneribus induxit, ut reliquos epiſcopos ad manum ſibi imponendam compelleret. Cæterum epiſcopi viciſſim muneribus datis à Philarto obtinuerunt ut libertas ſibi quemcumque B alium vellent eligendi in Patriarcham concederetur. Quocirca, vivente Abdon, Patriarchæ quatuor unus poſt alium Jacobiticam ſedem tenuerunt. Obiit ſub Athanaſio VII. circa annum 1403. Chriſti 1092.

XLIII. Dionysius V.

Epiſcopi itaque anno Græcorum 1388. Chriſti 1076. feria ſexta ante Dominicam Palmarum *Dionyſium*, qui & *Lazarum*, cœnobii Barſumæ archimandritam, eodem in cœnobio elegerunt, qui à Joanne Tagritenſi Maphriano conſecratus eſt. Miſit ſynodicam C ad Chriſtodulum Alexandrinum per Thomam ſacerdotem, qui ſubinde Bagdadenſis epiſcopus fuit, quam ille Cyrillo Chriſtoduli ſucceſſori obtulit anno Martyr. 795. Chriſti 1079. Lecta eſt in eccleſiis, nomenque Dionyſii diptychis inſertum, ad altaria in publicis precibus recitatum. Sed & reſcripſit Cyrillus Dionyſio. Verum nullus dubito quin Ægyptius ſcriptor vitæ Cyrilli in anno Martyrum 795. aſſignando erraverit, quippe cum Dionyſius unum dumtaxat annum & menſes aliquot ſederit, nec proinde in Ægyptum aſſerri D ejus litteræ potuerint anno 795. Martyrum Chr. 1079. hoc eſt Græc. 1390.

XLIV. Joannes XII.

Dionyſio ſuffectus eſt *Joannes* regionis *Carſenæ* anachoreta, quum Abdon Patriarchalem dignitatem ſibi jam per ſeptennium à Dionyſii obitu arrogaſſet, convenientibus in eccleſia Melitinenſi S. Georgii epiſcopis qui Abdonem velut hæreticum damnarunt. In Patriarcham electus eſt anno 1397. Chriſti 1086. & ab Ignatio Melitinenſi epiſcopo conſecratus. Obiit an. 1399. Chr. 1088. vix tranſacto anno E uno cum dimidio, ſepultus eſt in cœnobio Bared: epiſcopos quinque ſacraſſe fertur.

XLV. Dionysius VI.

Joanne defuncto, iterum Abdon patriarchalem ſedem invaſit, & epiſcopos quatuor ordinavit. Verum Marcus archimandrita Bared, munerum largitione apud Philartum Armenorum militiæ præfectum effecit, ut manibus ſibi à duobus epiſcopis impoſitis, Patriarcha renuntiaretur, Dionyſiique nomen aſſumpſit.

Digitized by Google

Maphrianus autem Joannes, & epiſcopi cæteri, coacta ſynodo utrumque damnaverunt, hocque pacto per annos ſex ſchiſmate Jacobitica eccleſia laboravit. Quocirca convenientes denuo epiſcopi, Abdone rejecto, Marcum ſeu *Dionyſium*, Maphriano Joanne ſuadente, admiſerunt, quum nempe Dionyſius Maphriano Niſibenam regionem addixiſſet. Sedit Dionyſius annum unum, & menſes ſeptem, obiitque anno Græcorum 1401. Chr. 1090. ſepultuſque eſt in cœnobio Zarnuchæ ditionis Melitinæ, quum epiſcopos duos conſecraſſet. Cæterum nulla ejus mentio in Jacobitarum diptychis.

XLVI. Athanasius VII.

Joannes Abdon, ſtatim à morte Dionyſii, patriarchalem auctoritatem iterum ſibi vindicavit. Contra vero epiſcopi in caſtro Caramis prope Melitinam congregati, *Athanaſium* Abulpharagium Bar-Chamore patria Amidenſem, ſed Melitinæ educatum, cœnobii Barſumæ monachum, elegerunt in Patriarcham, qui vix per menſes novem adduci potuit ut ſe ordinari pateretur. Demum Gabriëlis Græci Melitinæ præfecti opera in eccleſiam *Curſoris* vi deductus à Timotheo Tel-Patriciæ epiſcopo conſecratus fuit die Dominica, Kalend. Decembris anno 1402. Verum hunc Gabriëlis præfecti juſſu in proſtibulum conjectum aiunt, quod ei pecuniæ ſummam non ſolviſſet, ac Jacobitas quatuor centum aureos pro ipſo pependiſſe, ſicque dimiſſum in cœnobium Barſumæ ſeceſſiſſe. Inde Abdonis ut vitaret inſidias Bagdadum petiit; ſed paulo-poſt Abdon ipſe in Heſen-Manſur fato functus eſt. Is in pœnitentiam longi illius ſchiſmatis quod in Jacobiticam ſectam invexerat, corpus ſuum ante fores eccleſiæ tumulari juſſit ut ab ingredientibus & exeuntibus calcaretur. Quocirca Athanaſius facto epiſcoporum conventu Abdonem mortuum abſolvit, cui etiam ſolemnibus exequiis parentavit. Obiit Athanaſius ſabbato poſt Pentecoſten die 8. Junii anno Græc. 1440. Chriſti 1129. hora tertia, quum ſediſſet annos 38. & epiſcopos conſecraſſet 64. præter Dionyſium Maphrianum Tagriti. Cœnobium Pheſchinenſe exſtruxerat ad ripas Euphratis, juxta ruinas cœnobii alterius quod Samoſatenorum dicebatur. Ejuſtempore Francorum exercitus Antiochiam & Syriæ regiones Saracenis eripuerunt.

XLVII. Joannes XIII.

Mortuo Athanaſio VII. epiſcopi Chiſumæ in urbe Syriæ congregati *Joannem*, qui & *Maudiana*, cœnobii Duair ditionis Antiochenæ præfectum, per ſortem elegerunt, qui in Tel-baſer à Dionyſio Maphriano, poſtquam Dionyſius alter Chiſumenſis epiſcopus ſynodi præſes obiiſſet, opera Goſelini Comitis Edeſſeni, in eccleſia Francorum eſt conſecratus die 17. Febr. anno Græcorum 1440. Chriſti 1129. Inde Barſumæ monaſterium petiit. Deceſſit in cœnobio Duair, exactis octo epiſcopatus annis, quibus epiſcopos duodecim conſtituit.

XLVIII. Athanasius VIII.

Joanne XIII. defuncto, Jacobitica ſedes Patriarcha viduata manſit annum integrum & menſes tres: congregatis tandem epiſcopis quatuor, per ſortem deſignatus eſt *Joſue Barchetre*, qui in cœnobium Macronæ ab epiſcopis duobus evocatus monaſtico habitu indutus fuit, ſumpto *Athanaſii* nomine, dehinc in monaſterio *Cancrata* Presbyter eſt ordinatus ab epiſcopo Cargar, tum denique Patriarcha Amidæ ſacratus fuit à Dionyſio Maphriano Tagriti, duodecim epiſcopis præſentibus, die Dominica 4. Decembris in feſto ſanctæ Barbaræ, anno Græcorum 1450. Chriſti 1139. Moajedoddinus Bar-Niſan Amidæ princeps convivio ſynodi Patres excepit. Poſtera vero die, quum Patriarcha epiſcopum Gehonis, qui Melitinam uſurpaverat, in diœceſim ſuam priſtinam ſecedere præcepiſſet, Baſilium item Amida transtuliſſet in caſtrum Giaaphar; quippe Patriarchæ ſedem Amidæ fixerat, inde ſchiſma ortum eſt: Baſilius enim Gehonis epiſcopus in vulgus ſparſit in Athanaſii electione fraudem eſſe factam, unius Joſue nomine in ſchedis exarato. Præterea epiſcopi regionum Occidentalium, ſive cis Euphratem verſus Antiochiam poſitarum, Athanaſium recipere recuſarunt, ut pote cujus electioni non interfuerant. Poſtea vero Occidentales illi præſules an. 1452 Chr. 1141. in Heſen-Manſur convenientes, libellum canonum quos condiderant, Patriarchæ mittunt, pollicentes ſe eum recepturos, ſi hos canones à ſe obſervandos ſponderet. Conditioni annuente Athanaſio, in monaſterium omnes venerunt, eique obedientiam juraverunt. Aliquando Goſelinum ſibi adverſantem expertus eſt, quum ſcilicet nonnulli ei ſuggeſſiſſent Athanaſium legitime ordinatum non eſſe, ſed brevi mentem mutavit comes, quia Athanaſius epiſcopos duos quos ille deſignaverat, ultro admiſit. Anno 1466. Chriſti 1155. in monaſterio Barſumæ coacta ſynodo quadraginta canones ſtatuti ſunt, & Moſulana diœceſis Tagritenſi adjecta. Fama fuit eum ſacros ordines pecunia venumdediſſe. Diem poſtremum obiit menſe Julio anno 1477. Chriſti 1166. quum annos 27. & menſes 7. ſediſſet. Maphrianos duos ſacravit, & epiſcopos 33.

XLIX. MICHAEL I.

Athanaſio VIII. ſuffectus eſt *Michaël*
magnus, Eliæ Melitinenſis preſbyteri filius,
ex familia Kandiſia, cœnobii Barſumæ præpo-
ſitus, qui ab epiſcopis in Pheſchinenſi mona-
ſterio congregatis, die Pentecoſtes per ſortem
eſt electus. Sed ordinatus fuit die 18. Octo-
bris feria 3. anno 1478. Chriſti 1166. acce-
dentibus præſertim, anachoretarum, epiſcopi
quoque Hieruſalem, & Dionyſii Barſalibi
ſuffragiis, quorum auctoritas excitatum à
pluribus tumultum compeſcuit. Nimirum
tres fuerant in ea electione candidati, Abu-
galeb ſenex, qui cum Athanaſio jam ante
Patriarchatum ambiverat, Raban-Sahada
ſive *Martyrius* monachus in monte Edeſſæ,
& Michaël monaſterii Barſumæ præpoſitus:
ortoque de eis diſſidio à ſynodo decretum
eſt, ut Maphrianus cum epiſcopis duodecim
Michaëli manus imponeret, Edeſſenus epiſco-
pus liturgiam celebraret, Melitinenſis Evan-
gelium, Barſalibæus alteram lectionem reci-
tarent, Chiſumenſis *Gratia divina, &c.* pro-
clamaret, Gehonenſis & Gubenſis orationes
dicerent. Mox à conſecratione ſua Michaël
ſynodicam fidei ſuæ profeſſionem Alexan-
drino Patriarchæ Marco per tres monachos
miſit; deinde in monaſterio Ananiæ ſece-
dens 28. canones condidit. Dionyſium Bar-
ſalibæum ad Amidæ epiſcopatum tranſtulit,
ipſe vero Amida relicta in caſtrum Mardin
migravit, ubi ſedem patriarchalem fixit.
Luſtrata Cilicia Hieroſolymam venit, ubi à
Patriarcha Francorum honorifice exceptus eſt.
Antiochiæ annum tranſegit, ibique chriſma
conſecravit. Prius vero quam urbem ingre-
deretur, Patriarcham Græcorum in Coſairo
commorantem inviſit. Antiochia ſe in mona-
ſterium Barſumæ recepit, ubi coacta ſynodo
anno 1480. Chriſti 1168. canone edixit, ne
mulieres cujuſvis conditionis aut gradus, cum
epiſcopis, aut in monaſteriis monachorum
cohabitarent. Anno 1481. Chriſti 1169.
Manuël Comnenus, miſſis per Chriſtopho-
rum litteris, Michaëlem invitavit, ut collo-
quium de religione cum Theoriano, quem ad
Narſetem ſeu Nierſen Armenorum Catholi-
cum delegabat, haberet. Michaël Johannem
Chiſumenſem miſit, qui epiſcopus *Ceſſunii*
ſcribitur in Theoriani legatione ad Armenos,
ὁ ἐπίσκοπος Κισσυνὶς Ἰωάννης. Catholicum ſe
victum faſſum eſſe aſſerit Theorianus. Bar-
hebræus vero narrat Theorianum, poſtquam
Conſtantinopolim reverſus erat, denuò in
Syriam ab Imperatore delegatum, Michaë-
lem ad caſtrum Romanum accerſiviſſe, qui
Theodorum cognomento Barvehebun diſci-
pulum ſuum miſit, cum Theoriano diſpu-
taturum: diſceptatum eſſe de ſubſtantia &

A natura ex doctrina Ariſtotelis, Theorianum
vero ad Theodori argumenta obmutuiſſe:
quocirca Catholicum reſumptis viribus Theo-
riano ſcripſiſſe, quum ſynodum celebravero
ſententiam meam Imperatori aperiam. Nihil
itaque his colloquiis confectum Jacobita Bar-
hebræus tradit. Quæ Michaël toto patriarcha-
tus ſui tempore geſſerit, ad longum ex Bar-he-
bræo recitat Aſſem. to. 2. p. 363. pauca hæc
delibare intereſt. Eo in Syria patriarchatum ge-
rente, diſſidium apud Jacobitas Ægypti exar-
ſit de confeſſionis ſacramento. « Doctor qui-
B dam cæcus, Marcus nomine, Kombari filius, «
confeſſionem peccatorum commendare cœ- «
pit, ſed ad mentem impurorum Maſſaliano- «
rum, & juxta ſententiam *Lemophtii,* qui aſſe- «
rebant nos in corpore incorporeos futuros, «
& impaſſibilitatem aſſequuturum eum, qui «
peccata confitetur. Quamobrem Marcus «
Alexandriæ Papa confeſſionem omnino re- «
jecit. Hinc magnum in tota Ægypto ſchiſma «
fuit. Et nonnulli quidem Patriarcham dam- «
nantes, filium Kombari tuebantur: alii hunc «
rejicientes, Patriarchæ adhærebant. Utraque «
C pars Michaëlem Patriarcham, qui Antiochiæ «
tunc agebat, per litteras ea de re conſuluit. «
Qui conſcripto prolixo libello Maſſalianorum «
errorem impugnans, damnationem filii Kom- «
bari confirmavit: ad Papam vero (Alexandri- «
num ſcilicet) ſcripſit, non oportere ipſum «
propter Kombari filium confeſſionem reſ- «
puere. » Hæc Bar-hebræus, Aſſemano inter-
prete pag. 367. qui in nota putat amanuen-
ſem Anthropomorphitarum nomen in *Lemo-
phtium* convertiſſe. Sed non attendit vir per-
eruditus à Bar-hebræo Lampetium Maſſa-
D lianorum Ægypti olim anteſignanum à quo
Lampetianorum hæreſis dicta eſt, hoc loci
ſignificari. De quo nempe Joannes Damaſ-
cenus hær. 98. Timotheus Conſtantinopo-
litanus, ac præſertim Photius in Bibliotheca
codice 52. Propter hanc ſacræ confeſſionis
abrogationem tractatum ſcripſit Michaël *de
Præparatione ad Communionem*, quem magni
facit doctiſſimus Renaudotius tom. 2. liturg.
Orient. p. 50. & p. 448. Præterea de abrogata
ab Ægyptiis confeſſione pluribus differit in
hiſt. Patriarch. Alexandr. pag. 550. in Marco
E Patriarcha. Cæterum, quum, mortuo Marco
Alexandrino Patriarcha, Joannes cogno-
mento Abugaleb ei ſuffectus eſſet, hic ad
Michaëlem I. Antiochenum Patriarcham Ja-
cobitarum ſynodicam epiſtolam miſit ſeu fidei
ſuæ confeſſionem per Petrum epiſcopum, ac
Michaël Joannis nomen per univerſas eccle-
ſias recitari juſſit. Hoc ait Aſſemanus fac-
tum anno Græcorum 1504. Chriſti 1193.
To. 2. Biblioth. Orient. pag. 368. Quod vero
Michaëlem attinet, quum ſenuiſſet, *Joſue*

Digitized by Google

cognomento *Labeo,* fratris ejus filius, ab epiſcopis & archimandritis exigere tentavit chirographum, quo ipſi futuram in patriarchatu ſucceſſionem ſponderent. Quod Labeoni ſummum omnium, ipſiuſque patrui, adverſus ſe odium conciliavit. Michaël autem ipſa nocte, die 7. Novembris anni 1511. Chriſti 1199. feria ſecunda, diem extremum clauſit, poſt 33. pontificatus annos, creatis Maphriano uno, & epiſcopis 54. ſepultuſque eſt in eccleſia nova Barſumæ, in ſepulcro quod ipſe vivens ſibi paraverat. *Fuit,* inquit Bar-hebræus, *vir glorioſæ memoriæ, in ſacris ſcripturis eruditus, ſtatura venerabilis, vultu decorus, clara ſuavique voce, in ſcribendo diu noctuque aſſiduus libros admirabiles in ſancta Dei eccleſia reliquit.* Præcipue vero librum pontificalem & liturgiam ad accuratos codices veteres recenſuit & emendavit.

L. Athanasius IX.

LI. Michael *junior.*

LII. Joannes XIV.

Succeſſorem habuit Michaël *Athanaſium,* qui *Saliba calvus* dictus eſt, ex Barſumæ monaſterii archimandrita per ſortem electus fuit die 16. Decemb. an. Græc. 1511. Chr. 1199. in cœnobio Modik, ubi epiſcopi quindecim convenerant. Interim à Gregorio Maphriano, & aliis epiſcopis, *Joſue Labeo* ordinatus fuit, appellatuſque *Michaël* junior, qui quum Amidam petiiſſet, à Menna epiſcopo urbe excedere compulſus eſt. Mardæ, ſeu in caſtro Mardin & monaſterio Hananiæ, nihilominus conſecratus fuit à Gregorio Maphriano ſuo fratre germano, feria ſexta quæ Confeſſorum dicitur, illo, inquam, eodem an. Græc. 1511. treſque epiſcopos creavit. Verum à Mardenſibus brevi expulſus, Tur-Abdinum perrexit, moxque Melitinam, ubi in paterna domo delituit. Anno inſequenti Athanaſius Patriarcha, Tur-Abdinum veniens, multoque honore ſuſceptus, Joſue ſeu Michaëlem monaſterio Barſumæ exegit, effecitque ut nuſquam prodire auderet. Obiit Athanaſius in eodem Barſumæ monaſterio, anno 1518. Chriſti 1207. quum annos ſeptem ſediſſet.

Athanaſio defuncto, Michaël ſeu Joſue Labeo, ſubornato Melitinæ domino Montagebo, Patriarchalem ſedem, & Barſumæ monaſterium occupat. Epiſcopi vero Tur-Abdini in monaſterio *Siræ* congregati, *Joſue* ſcribam anachoretam, invitum & reluctantem Patriarcham ordinant, in illo *Siræ* monaſterio, anno Græc. 1519. Chriſti 1208. impoſito ei *Joannis* nomine, qui nihilominus in Baximatenſi monaſterio delituit, donec à Leone Armenorum rege commendatitias ad

A Ezzadinum Cæſareæ Cappadociæ tyrannum obtinuit, ut Patriarcha ubique proclamaretur. Tum Cæſarea Melitinam petiit, inde monaſterium Barſumæ, ex quo egreſſus eſt ut Meſopotamiæ urbes luſtraret. Joſue Labeo, ſubornatis Melitinæ præfectis, monaſterium Barſumæ iterum occupavit, ubi anno 1526. Chriſti 1215. deceſſit. Quo exſtincto Joannes in Barſumæ monaſterium reverſus, Patriarchatum quietus tenuit uſque ad annum 1531. Chriſti 1220. quo fato functus eſt. Hic porro Joannes Patriarchæ dignitatem B adeptus, Joannem Damaſci epiſcopum, una cum Abraham abbate Baximatenſi, & Cyrio Lazari monachi & preſbyteri Tur-Abdinenſis ſororis filio, pro more priſtino ad Joannem Alexandrinum delegavit anno Græcorum 1522. Chriſti 1211. ut notatur in fine codicis 2. Nitrienſis Vaticani, *to. 1. Bibl. Orient. p. 561.* De hoc Joanne intelligenda veniunt quæ leguntur in chronico Alberici ad annum 1205. hic prorſus recitanda. *In partibus Aſiæ majoris verſus Meſopotamiam & Armeniam, quidam Jonas vir venerabilis Patriarcha erat* C *in civitate Suſis. In hujus Jonæ manibus, dum miſſam celebraret more ſuæ gentis, hoc eſt ſecundum conſuetudinem Surianorum, tale fertur contigiſſe miraculum, quod magnus ille panis fermentatus unde fiebat ſacrificium, in parvam & pulchram convertitur hoſtiam ad morem ſacrificii Latinorum, & calix ligneus annihilatur cum cochlearibus, reperto vero ſanguine in argenteo calice: & hoc accidit in feſto S. Joannis-Baptiſtæ hujus anni; unde plures Surianorum eccleſiæ, Armenii, Georgiani, Lubiani, Nubiani, & Jacobitæ ad conſuetudinem ſanctæ Catholicæ* D *& Romanæ eccleſiæ de die in diem per hoc miraculum cœperunt converti. Et iſte Jonas Patriarcha magno concilio de quo ſuo loco tractabitur* (Lateranenſi ſcilicet) *interfuit, & poſtmodum in Patriarcham Alexandrinum promotus fuit.* Hæc quidem ut ad Joannem noſtrum ſpectare queant, temporum ratio permittit, ac ſæpe Jonam apud varios auctores pro Joanne ſcriptum reperi. Plane Petrus Apoſtolus & *Jonæ* & *Joannis* filius ab Evangeliſtis appellatur. Joannem vero Antiochenum in Patriarcham Alexandrinum promotum eſſe E nihil abſonum magis. De miraculo autem nihil intereſt diſputare.

LIII. Ignatius II.

David, qui Maphrianus Tagritenſis à Joanne XIV. ordinatus fuerat, poſt illius obitum communibus ſuffragiis in monaſterio Modik in Patriarcham promotus fuit, anno Græcorum 1533. Chriſti 1222. Dominica Pentecoſtes, recitata ſuper eum oratione S. Clementis, quæ Patriarcharum

Digitized by Google

propria eſt, & tradito ipſi paſtorali baculo, ſuper thronum in eccleſia circumductus. Quam cæremoniam, quæ in Ignatii Davidis conſecratione adhibita eſt, « idcirco, inquit Aſſemanus, to. 2. p. 371. annotatam Bar-hebræus voluit, ut quoſdam ſuæ gentis Patriarchas carperet, qui ex epiſcopali ad Patriarchalem dignitatem evecti, integram tamen Patriarchæ ordinationem, qualis in pontificali Syrorum deſcribitur, quæque pro his dumtaxat inſtituta eſt qui ex preſbyteris in Patriarchas ordinantur, perperam acceperunt. » Circa annum Martyrum 953. quæ æra Ægyptiorum Chriſtianorum fuit, ſeu Chriſti 1237. Cyrillus Alexandrinus, multis ſuorum reclamantibus, Hieroſolymorum metropolitam ordinavit in alieno proinde territorio, quod ad Antiochenam prorſus ſedem ſpectabat. Tunc vero temporis in urbem ſanctam venit Jacobitarum Patriarcha Ignatius, nec-non Armenorum Catholicus. Quod ubi Cyrillus Alexandrinus reſcivit, epiſcopum Kandeka, & unum è ſacerdotibus Miſræ, ad eum cum muneribus delegavit, qui apud metropolitam à Cyrillo ordinatum prius diverterunt. Ignatius munera ultro ſuſcepit, verum Alexandrino nihil juris in alienis diœceſibus eſſe dixit. Cæterum illos invitavit ut apud ſe hoſpitarentur, quod epiſcopus ſibi licere negavit abſque metropolitæ licentia. Tum Ignatius munera Cyrillo remiſit, metropolitam communione privavit, & epiſcopum ad audientiam ſuam admittere amplius noluit. At metropolita Francis qui urbem ſanctam tenebant ſibi conciliatis, locum ſuum pertinaciter tenuit. Ut autem Ignatius par pari referret, Æthiopem quemdam Thomam, nobilis apud Abyſſinos generis, Abyſſinorum metropolitam Hieroſolymis creavit, contempto Alexandrini Patriarchæ in ea ordinatione jure; ob quam etiam ordinationem Franci, tanquam ipſis inconſultis factam, Ignatio multum ſuccenſuere: poſtmodum tamen placati ſunt. Pax ſubinde inter utrumque Patriarcham quibuſdam conditionibus inita, quarum hæc præcipua fuit, *ut nihil innovaret Alexandrinus adverſus jura Antiocheni Patriarchæ, ſed metropolita nuper Hieroſolymis inſtitutus, ultra Gazam, quæ eſt limes Dominii Ægyptiaci, nullam juriſdictionem uſurparet.* De hoc diſſidio legenda hiſtoria Patriarch. Alexandrin. p. 579. & ſeqq. nec-non Bibl. Orient. to. 2. pag. 372. & ſeqq. Hieroſolymis diſcedens Ignatius Antiochiam venit, ibique tranſacta æſtate, autumno ineunte, cœnobium Barſumæ repetiit. Poſthac vero Antiochiam reverſus, hortum à Francis civitatis dominis emit in ſuperiori parte urbis, ubi eccleſiam & cellulas ædificavit, in quibus Patriarcha

A deinceps manere poſſet. Anno 1237. Chriſti, Gregorius Papa IX. miſſis ad varias Orientis nationes Chriſtianas fratribus Ordinis Prædicatorum, ab eorum priore Provinciali, cui Philippo nomen erat, accepit Jacobitarum Patriarcham, qui venerat adorare in Hieruſalem in die palmarum, promiſiſſe obedientiam Romanæ eccleſiæ, abjuraſſe omnem hæreſim, confeſſionem tradidiſſe ſuæ fidei litteris Chaldaïcis & Arabicis, atque ipſammet Ordinis Prædicatorii veſtem induiſſe. Quocirca gratulatoriam epiſtolam eidem Patriarchæ Gre-
B gorius ſcripſit quam recitat Raynaldus ad annum 1237. n. 88. Verum Matthæus Pariſius teſtatur hunc Patriarcham timore Tartarorum perculſum ad Catholicam unitatem redire ſimulaſſe, ut à noſtris auxilia eliceret, rebus vero pacatioribus factis in errore perſeveraſſe. Nihilominus poſt decem annos Ignatius idem, miſſis ad Innocentium IV. litteris & fidei ſuæ confeſſione, ſignificavit iterum ſe communionem Romanam ambire. Litteras refert Raynaldus ad annum 1247. n. 36. ad hunc modum inſcriptas: *Illi ſupremo*
C *generi conſtitutivo omnium ſpecierum, quod ita vocatur genus, quod non contingit ipſum vocari ſpeciem, Patri patrum, ſanctiſſimo Innocentio tenenti ſedem B. Petri principis Apoſtolorum, glorificato à Chriſto Deo, &c. ſervus ſervorum Chriſti Ignatius debilis, cui creditum eſt à Spiritu ſancto, ut ſit paſtor Syriæ, & totius Orientis populi Jacobitarum, adorationem ſinceram in ſpiritu & corpore.* In his litteris expoſitio fidei inſeritur, nihil prorſus diſcrepans à conſueta Jacobitarum. Alteram n. 40. exhibet Raynaldus fidei confeſſionem priore breviorem ab
D eodem Ignatio miſſam hoc titulo: *Confeſſio venerabilis Patris Ignatii Patriarchæ Chriſtianorum Orientalium, qui vocantur Jacobitæ, pro ſe, & pro populo ſibi commiſſo.* Subjungit denique Raynaldus n. 41. confeſſionem primatis Jacobitarum Orientalium, quem *Maphrianum* appellant, quæ incipit: *Dico ego Joannes debilis primas Jacobitarum Orientalium, quod confeſſio mea, & fides mea eſt de Domino noſtro Jeſu-Chriſto, &c.* in qua confeſſione Monophyſitarum error de una Chriſti natura ſeu ſubſtantia ex duabus compoſita diſerte & in-
E tegre enuntiatur; nec proinde Romæ admiſſa eſt, uti neque aliæ Ignatii. Quum in Cilicia quæ Armenorum regi parebat, eccleſias & ſedes epiſcopales haberent Jacobitæ, nonnulla aliquando Ignatium inter & Conſtantinum Armenorum Catholicum diſſentio fuit, quod Ignatius eccleſiam Armenis concedere noluiſſet. Ambo vero ſubinde pacem inierunt. Tandem Ignatius in caſtro Romano Ciliciæ oppido deceſſit, die 14. Jun. an. Græc. 1564. Chriſti 1253. ejuſque exequias Conſtantinus celebravit,

Digitized by Google

celebravit, ac ſepulcrum curavit. Hic porro Ignatius David alio quoque cognomine *Sabas* appellabatur, Gregorio Bar-hebræo teſte, in Syriaco carmine ad illum ipſum Ignatium Sabam ſcripto, ubi ei gratias agit quod ipſum Antiochiæ in ſpecu agentem viſitaſſet. Carmen habetur in cod. Syriaco Vaticano 45. ut fertur *to. 1. Bibl. Or. p. 616.* De eo Ignatio agit Aſſem. *ibid. to. 2. pp. 245. 371. & ſeqq.*

LIV. Dionysius VII.
LV. Joannes XV.

Poſt Ignatium *Dionyſius*, qui & *Aaron Angur*, Melitinæ epiſcopus, in cœnobio Barſumæ, eodem anno Græcorum 1564. Chriſti 1253. die 14. Septembris in feſto S. Crucis, ab epiſcopis Dionyſio Claudiæ, Gregorio Heſen-Manſur, Gregorio Aaronis filio Lacabenæ, Barſuma Gubæ, & Baſilio Damiano Cæſareæ, in Patriarcham eſt ordinatus, *cujus hæc altera ordinatio,* inquit Bar-hebræus, Aſſemano teſte to. 2. p. 376. *non ſecus ac illa Patriarchæ Haiæ reprehendenda eſt, tamquam alterum baptiſma. Quum enim epiſcopus in Patriarcham vocatur & eligitur, inthroniſmus dumtaxat celebrari debet, tradito ipſi baculo, ejuſque manu ſupra omnes elevata.* Cæterum ejus promotioni aſſentiri noluit Joannes Bar-Maadani Maphrianus cum nonnullis factionis ſuæ præſulibus, qui ipſum Patriarchali dignitati inhiantem ad ſchiſma faciendum impulerunt. Quidquid autem Gregorius cognomento Abulfaragius qui Lacabenæ tunc epiſcopus erat, aliique pariter, tentare potuerint ut Maphrianum à propoſito deterrerent, ille nihilominus, Alepi quo convenerant, Patriarcha renunciatus eſt, ipſo eodem anno die 4. Decembris in feſto ſanctæ Barbaræ. Tum à rege Damaſci diploma Joannes impetravit ut ab omnibus Patriarcha haberetur. Simile vero diploma Dionyſius Angur ab eodem Damaſci rege, Edeſſenorum opera, obtinuit; alterum etiam ab Ezzadino Iconii Sultano poſtulavit. At Naſerus Damaſci rex indignè ferens quod Dionyſius Tartarorum benevolentiam captaſſet, diploma ejus confirmare recuſavit, niſi grandem pecuniæ ſummam penderet. Aliud ſubinde diploma idem Damaſci tyrannus Joanni Bar-Maadani dedit, quo Dionyſii privilegia revocabantur, ſed non multo poſt Dionyſius, contrario Naſeri diplomate, in tota Syria & in regione Aſiatica quam Iconii Sultanus tenebat, proclamatus fuit. Poſtquam autem ambo diu de Patriarchatu contenderant, Dionyſius anno 1570. Chriſti 1259. à Saliba archimandrita avunculi ſui filio homicidii accuſatus eſt: Salibæ animum Dionyſius cum epiſcopis & archimandritis demulcere ſategit, eumque in Barſumæ monaſterium reduxit, ſed ille paucis poſt diebus ab ipſis Dionyſii ſervis necatus fuit. Quod facinus magnam Dionyſio, licet eo prorſus inſcio patratum, invidiam conflavit; demum quum ſuperbiæ & ferociæ, qua etiam in monachos ſæviebat, nihil remitteret Dionyſius, ipſe quoque à Sergio monacho, Baſilio diacono, & Abrahamo laïco, die 18. Febr. anno Græc. 1572. Chriſti 1261. in cancellis altaris ubi nocturnas preces Sabbati jejunii Ninivitarum peragebat, neci datus fuit. Joannes vero Bar-Maadani miſſis poſt Dionyſii obitum ad Iconii Sultanum legatis obtinuit ut monaſterio Barſumæ, totique Romæorum ditioni præeſſet: Melitinæ itaque proclamatus eſt, monaſterium tamen adire noluit, ſed in Cilicia manſit apud regem Armenorum, ac demum anno 1574. Chriſti 1263. in quadrageſimæ jejunio in Baximatæ cœnobio obiit. Exſtat inter Syriacas liturgias codd. Nitr. 3. & 4. *to. 1. Bibl. Or. p. 362.* Anaphora Joannis filii Maadani Patriarchæ Jacobitarum. Idem Aſſemanus *to. 2. pp. 242. 376. & ſeqq.* de eo Joanne agit.

LVI. Ignatius III.

Exſtincto Joanne Bar-Maadani qui Dionyſio Angur ſuperſtes in vivis fuerat, *Ignatius,* qui & *Joſue,* monaſterii Gavicathæ archimandrita, in eodem monaſterio quod prope Mopſueſtiam ſitum erat, Patriarcha electus fuit, & in feſto Luminum vel Epiphaniæ anno 1575. Chriſti 1264. conſecratus. Qui mox Gregorium Abulfaragium Halepi tunc epiſcopum, Maphrianum Orienti creavit in urbe *Sis,* præſente Aytono Armenorum rege, qui tamen non multo poſt conſenſit ut Ignatii loco Theodorus Cuphlidenſis Patriarcha eſſet: verum Theodorus dignitatem nullis ſuis artibus & conatibus aſſequi potuit, ſoluſque Ignatius Patriarchalem ſedem tenuit ad obitum uſque ſuum, hoc eſt ad 17. uſque diem Novembris anni 1593. Chriſti 1282. quo hydropiſi laborans in Cilicia mortuus eſt, atque in Baximatæ cœnobio ſepultus.

LVII. Ignatius IV.

Ignatium III. excepit *Ignatius,* qui & *Philoxenus.* Huic priſtinum nomen *Nemrod* fuit, & quum Melitinenſis epiſcopus conſecratus eſt, *Philoxeni* nomen accepit Poſt vero Patriarcha factus *Ignatius* dici voluit de deceſſoris nomine. In Patriarcham promotus fuit 2. Februarii die Præſentationis Domini in templo, an. Græcorum 1594. Chriſti 1283. cique Patriarchatum confirmavit Abaka Tartarorum rex, ſed & ratum habuit Gregorius Abulfaragius Maphrianus. Poſt biennium, quum Melitinæ Ignatius moraretur, terræ

Digitized by Google

motu cœnobium Barſumæ totum penè corruit. Obiit anno Græc. 1603. Chriſti 1292. Huic Jacobitarum Patriarchæ ſcriptam putamus illam Nicolai IV. Papæ epiſtolam, quam recitat Raynaldus ad ann. 1289. n. 56. qua ipſum invitabat ut Romanam fidem profiteretur, ejuſque formulam ſibi à Joanne de Monte-Corvino Minorita offerendam ſuſciperet. Huc uſque Aſſemanus, ex Bar-hebræi ſeu Gregorii Abulfaragii ſecunda parte chronici, Jacobitarum Patriarchas recenſuit, quem & nos hinc inde exſcripſimus. Eundem quoque ducem ſequuti, reliquos ex anonymis auctoribus in tertia chronici parte collectos adjiciemus.

LVIII. IGNATIUS V. *alias I. dictus.*

IGNATIUS BARSUMAS.

MICHAEL *Antipatriarcha.*

IGNATIUS CONSTANTINUS *Antipatriarcha.*

Defuncto Ignatio Philoxeno in cœnobio Barſumæ, epiſcopi Orientales in cœnobio Hananiæ convenientes, Malcho epiſcopo Maipherakin ſynodi præſide, cum ingenti monachorum ſacerdotum & diaconorum multitudine, Kalendis Januarii in feſto Circumciſionis Domini, anno Græcorum 1604. Chriſti 1293. communibus ſuffragiis elegerunt *Nicolaum* vel *Bader-Zachæ Bar-Vahib*, ſeu *Vahibi* filium, qui Mardenſis epiſcopus ordinatus *Joſephi* nomen aſſumpſerat, Patriarcha vero factus, vocari *Ignatius* voluit, atque ab eo deinceps ſucceſſoribus ejus Patriarchis *Ignatii* nomen familiare fuit. Ejus promotioni Barſumas Maphrianus Gregorii Abulfaragii frater & ſucceſſor ultrò aſſenſus eſt. Nonnullos hic libros edidit, ac præſertim Anaphoram ſeu liturgiam quæ nomine Joſeph inſcribitur. Quadraginta annos ſediſſe fertur, obiitque die 19. Aprilis, anno proinde Græcorum 1644. Chriſti 1333.

Ignatius, qui & Barſuma Michaël Patriarcha Silenſis.

Cæterum cum Orientales epiſcopi Nicolaum Joſephum in Patriarcham elegiſſent, Occidentales in Ciliciæ civitate Sis congregati, *Barſumam* monaſterii Gavicathæ præfectum ordinarunt, impoſito ei *Ignatii* nomine, quem tamen Aytonus Armenorum rex *Michaëlem* conceſſo ei diplomate appellavit.

Ignatius, qui & Conſtantinus Patriarcha Syriæ.

Tertius præterea Patriarchæ dignitatem ſibi arrogavit *Conſtantinus* Melitinæ epiſcopus, qui epiſcopos vicinarum regionum in cœnobio Barſumæ collectos adegit ut ſibi manus imponerent, quin & *Ignatii* nomen aſſumpſit.

Paulo-poſt Michaël Barſumas obiit, nec alter ſuffectus eſt qui ejus locum uſurparet, ſed Jacobitarum grex in duas partes ſciſſus manſit, Orientalibus Ignatio Bar-Vahibi legitimo Patriarchæ obtemperantibus, Occidentalibus vero Conſtantino Antipatriarchæ: ac ſchiſma perſeveravit ad annum uſque Græcorum 1805. Chriſti 1494. Aſſemanus *to.2. pp. 381. 382.*

LIX. IGNATIUS VI.

MICHAEL II. & CONSTANTINUS *Antipatriarchæ.*

PHILOXENUS *Antipatriarcha.*

Ignatio filio Vahib defuncto, Orientales epiſcopi, ſynodo in Hananiæ monaſterio collecta, præſide Barſuma Salachenſi, *Iſmaëlem* cognomento *Magedum* fratris nuperi Patriarchæ filium, ex epiſcopo Amidæ Patriarcham, impoſito ei *Ignatii* nomine, ordinarunt anno Græcorum 1643. Chriſti 1332. Ordinarunt, inquam, *actu illegitimo*, ut bene animadvertit ejus vitæ ſcriptor, apud Aſſeman. to. 2. p. 383. *non ſecus atque illud quod attentatum fuerat à Patriarcha Bar Maadani cum Baſilio Alepi epiſcopo, quem Maphrianum Orienti initiando, mutato nomine Ignatium appellavit. Nam qui ex epiſcopo aut Maphriano in Patriarcham eligitur, manus impoſitionem accipere nequaquam debet, ſed inthroniſmum dumtaxat, hoc eſt proceſſionem & orationem ſancti Clementis, quæ Patriarchæ propria eſt. Atque idcirco non debet epiſcopi nomen mutari, quum Patriarcha conſtituitur.* Cæterum quia Iſmaëlis electioni complures ex Orientalibus non affuerant, Matthæus filius Annæ Maphrianus eam ratam habere noluit; obſervat enim idem auctor ab antiquis patribus inductam eſſe conſuetudinem, ut cum Patriarcha ordinatur, Maphrianus capiti ejus manum imponat, & ſimiliter Maphriano Patriarcha. Diſſidium porro hoc Maphriani cum Iſmaële quatuor annos duravit. In urbe Sis Patriarcha alter electus fuerat *Michaël II.* cujus nomen in Oriente proclamatum eſt. Is quum Jacobitas Occidentis, nec-non interiorum Orientis partium quæ ad Auſtrum accedunt, Maragæ puta, Tauriſii & Adorbigani, per annos 36. rexiſſet, obiit anno Græcorum 1660. Chriſti 1349. anno proinde Chriſti 1313. Patriarchalem dignitatem uſurpavit. Eodem circiter tempore Conſtantinus alter Occidentalium Jacobitarum Patriarcha, à Curdis, quod pactam pecuniæ ſummam ſolvendo impar eſſet, interemptus eſt. Quocirca epiſcopi qui ei paruerant, Cypri ſcilicet, Hieroſolymæ, Cargar, Alepi, & Philoxenus Damaſci, qui Melitina oriundus erat, in urbe Sis convenientes, Philoxenum illum Patriarcham Antiochiæ & Syriæ renuntiarunt, qui, Michaële, ut prædictum eſt, nuper defuncto,

Ignatius, qui & Iſmaël dictus [illegible]

Ignatius Philoxenus Patriarcha Syriæ.

illius & Conſtantini diœceſes obtinuit.

Interim Ignatius Iſmaël ſuorum odium in ſe conciliavit, ac Maphriani præſertim, tum ob ſimoniæ labem, tum etiam quod Fachreddinum fratris ſui filium Patriarchatus hæredem conſtituere molitetur: *Facinus à Joanne ſive Joſue Bar-Suſan Patriarcha in epiſtola ad Armenos acriter reprehenſum*, inquit vitæ Iſmaëlis ſcriptor.

Ignatius præterea Georgii cujuſdam monachi calumniis obtemperans, Baſilium Sabam Salachæ epiſcopum, nulla veritatis inquiſitione prævia, à communione ſegregavit, nec abſolvere illum unquam voluit, etſi Sabas id multa humilitate poſtulaverat; quin Tur-Abdinenſis regionis epiſcopi alii, proceresque interceſſores acceſſerant. Ea pertinacia indignati illi una convenientes in regione Tur-Abdinenſi, Sabam ipſum dignum conclamarunt qui ipſis Patriarcha præeſſet. Hic autem, obtento à Sultano Adelo diplomate, ad cœnobium S. Jacobi Eremitæ, quod Salachæ extructum erat, veniens, Tur-Abdini Patriarcha inauguratus fuit die 6. Auguſti in feſto quod vocant Tabernaculorum, ſive Transfigurationis Domini, anno Græcorum 1675. Chriſti 1364. aſſumpto *Ignatii* nomine. Quo factum eſt ut ſchiſmate rurſum tertio Jacobitarum eccleſia laboraverit ad annum uſque Græcorum 1805. Chriſti 1494.

Ignatius, qui & Baſilius Saba, Salachenſis primus Patriarcha Tur-Abdinenſis.

Anno autem 1676. Chriſti 1365. die 4. Junii Ignatius Iſmaël Patriarcha obiit, exactis annis 33. quum Abrahamum monachum Maphrianum ordinaſſet, quem Athanaſium nominari voluit. Sepultus eſt in Hananiæ monaſterio.

LX. Ignatius VII. *alias* III.

Iſmaële Ignatio defuncto, epiſcopi Maaræ & Maipherakin *Sciahabum*, ſororis ipſius filium, ſuffragante Armenorum Jacobitarum præſule, tertium Mardæ Patriarcham ordinarunt, qui ſumpto *Ignatii* nomine annos 16. ſedit, & quum anno 1692. Chriſti 1381. menſe Januario obiiſſet, ſepultus fuit in cœnobio Hananiæ.

LXI. Ignatius VIII. *alias* IV.

Quartus Mardæ Patriarcha fuit *Abraham*, qui & *Cyrillus Bar-Garib*, ex epiſcopo Amidæ in cœnobio Hananiæ inauguratus. *Ignatii* nomen de more ſumpſit, & anno 1715. Chriſti 1404. Behenamum Hedlenſem Cartaminenſis monaſterii aſcetam, impoſito ei Baſilii nomine Maphrianum Orientis conſecravit, quum ea dignitas annos 15. vacaſſet. Obiit Ignatius Bar-Garib in monaſterio Zapharanenſi an. 1723. Chriſti 1412. poſt 31. Patriarchatus annum.

A Interim anno 1698. Chriſti 1387. Gabriël, qui & Baſilius, Siſidis Patriarcha in cœnobio Gavicathæ interierat, cui Philoxenum Damaſci epiſcopum ſuffecerunt, à Simeone Zabdæ filio Manemita præſule conſtitutum.

Philoxenus Damaſci Patriarcha Siſenſis.

Sed & anno 1700. Chriſti 1399. obiit Ignatius Salachenſis Tur-Abdinenſium Patriarcha, & ſepultus eſt in cœnobio Salachenſi ſancti Jacobi. Anno inſequenti Tur-Abdini Patriarcha ordinatus fuit *Joſue* filius Mutæ Medi, qui *Ignatii* nomen ſibi aſcivit.

Ignatius Joſue Patriarcha Tur-Abdini ſecundus.

B

LXII. Ignatius IX. *alias* V.

Poſt Ignatium Abraham, quintus Mardenſis Patriarcha fuit *Behenam* Hedlenſis Maphrianus è regione Bartellæ; in cœnobio Zapharanenſi ordinatus eſt à Dioſcoro, qui & Behenam Sciatti, Arabum epiſcopo, anno Græcorum 1723. Chriſti 1412. & *Ignatius* appellatus. Hunc Jacobitæ *ſancti* appellatione ornarunt.

Anno 1728. Chriſti 1417. Ignatius Joſue Tur-Abdinenſium Patriarcha, gubernatoris C Heſnæ Cephæ opera depoſitus, in monaſterium Nataphæ regionis Mardenſis detruſus eſt, ejuſque in locum *Maſudus* Salachenſis, aſſumpto *Ignatii* nomine, ordinatus: ſed tribus poſt annis veneno ſublatus eſt.

Ignatius, qui & Maſub Salachenſis Patriarcha tertius Tur-Abdinenſium.

Anno itaque 1731. Chriſti 1420. Tur-Abdinenſes Ignatium Joſue ad ſedem ſuam reducere propoſuerunt; at ille Barſumæ Maphriani diſcipuli ſui hortatu, provectam ætatem cauſatus, eos monuit ut Mardenſi potius ſe Patriarchæ ſubjicerent. Anno autem ſequenti obiit in cœnobio Hananiæ quod ad D Orientem urbis Mardæ ſitum erat.

Nihilominus eodem anno Tur-Abdinenſes in cœnobio Salachæ congregati, *Henochum* Inuardenſem cœnobii Cartaminenſis epiſcopum, quartum ſibi Patriarcham conſtituunt, qui, ut alii, *Ignatius* eſt appellatus.

Ignatius, qui & Henoch Inuardenſis, quartus Patriarcha Tur-Abdinenſium.

Hoc circiter tempore Philoxenus Syriæ Patriarcha obiit, ac *Baſilius*, qui & *Simeon* Manemita epiſcopus Cargar, Alexandrinum Coptitarum Patriarcham conveniens, ab eo Syriæ Patriarcha ordinatus eſt.

Simeon Manemita Patriarcha.

Anno 1756. Chriſti 1445. Henoch E Inuardenſis Tur-Abdinenſium Patriarcha extinctus eſt, & in Salachenſi ſancti Jacobi cœnobio ſepultus, cujus in locum ſuffectus eſt *Cuma* Severinita, *Philoxenus* dictus, Cartaminenſis cœnobii epiſcopus, qui *Ignatii* quoque nomen aſſumpſit.

Ignatius, qui & Cuma Philoxenus, quintus Patriarcha Tur-Abdinenſium.

Quum eodem anno Hieroſolymis fato functus eſſet Baſilius Simeon Patriarcha Syriæ, Behenam Patriarcha, accepto obitus ejus nuntio, in ſanctam illam civitatem ſe contulit, effecitque ne Jacobitæ qui illic morabantur

novum Patriarcham alterum eligerent. Ibi etiam epiſcopos duos creavit, Iſam Hieroſolymorum totiuſque Palæſtinæ, & Joſephum Bar-Niſan Damaſci. Anno demum 1766. Chriſti 1455. obiit tranſactis 43. patriarchatus annis. Ipſe eſt Ignatius ille Jacobitarum Patriarcha, qui anno 1439. ad Eugenium Papam IV. Abdallam eccleſiæ Edeſſenæ metropolitam miſit, de qua legatione hæc Eugenius habet in bulla quam dedit anno Chriſti 1444. in poſterioribus Florentini concilii actionibus, quæ in Laterano habitæ ſunt. To. 9. Conc. novæ edit. Pariſ. anno 1714. col. 1039. edit. vero Par. anni 1672. to. 13. col. 1223. *Sua ſola benignitate & dignatione conceſſit (Deus), ut poſt unionem Græcorum in ſacro œcumenico concilio Florentino, qui cum Romana eccleſia in quibuſdam articulis diſcrepare videbantur, ac poſt reductionem Armenorum & Jacobitarum, qui variis opinionibus involuti, omni tandem diſſenſione relicta, in unam rectam veritatis ſemitam convenerunt* (aliæ gentes accedant.) *Ecce nunc iterum, ipſo cooperante Domino, aliæ nationes de longinquis convenerunt, inter Tigrim & Euphratem, Meſopotamiam habitantes, quæ de proceſſione ſpiritus ſancti, & aliis quibuſdam articulis non recte ſentiebant ... adeo ut venerabilem fratrem noſtrum Abdallam archiepiſcopum Edeſſæ, venerabilis fratris noſtri Ignatii Patriarchæ Syrorum, atque totius nationis ſuæ legatum ad hanc uſque almam urbem ad præſentiam noſtram, & ſacrum hoc Lateranenſe œcumenicum concilium traxerit, &c. Datum Laterani in publica ſeſſione ſynodali anno Incarn. Dom. 1444. pridie Kal. Octob. Pontif. noſtri anno 14.* In ea bulla exponitur fides ſeu confeſſio de Spiritus ſancti ex Patre Filioque proceſſione, de duabus itidem Chriſti naturis & voluntatibus, quam Abdallas ſuſcepit nomine prædicti Syrorum Patriarchæ, non certe Tur-Abdinenſis cujus auctoritas ultra Tigrim porrigebatur, ſed Mardenſis cui Meſopotamienſes omnes obſequebantur, atque adeo Edeſſeni.

LXIII. Ignatius X. *alias* vi.

Ignatium Behenam excepit *Ignatius* Chaleph Maadanenſis, filius ſororis Baſilii Barſumæ Maphriani, ex epiſcopo Gozartæ ordinatus Patriarcha Mardenſis & Syriæ anno Græcorum 1766. Chriſti 1455. à Barſuma Arabum epiſcopo.

Ignatius Joſue ſextus Patriarcha Tur-Abdinenſium.

Anno inſequenti *Ignatius* Joſue Inuardenſis, qui & *Baſilius*, epiſcopus regionum ſupra Tigrim poſitarum, Patriarcha Tur-Abdinenſium renuntiatur, Georgio Cartaminenſis cœnobii epiſcopo manum ei imponente. Qui quum ſediſſet annos ſex, conceſſit fatis, & ſepultus eſt in monaſterio Salachenſi

A ſancti Georgii anno 1772. Chriſti 1461.

Ignatius, qui & Azizus Philoxenus Bar-Sabta ſeptimus Patriarcha Tur-Abdinenſium.

Huic Ignatio Joſue eodem anno feria 5. majoris hebdomadis ſuffecerunt *Ignatium Philoxenum* epiſcopum Haæ, qui prius *Azizus Bar-Sabta* nominabatur, ex Baſilea Mardenſis regionis pago, cœnobii Cartaminenſis monachum, eique manum impoſuit Georgius Severinita Cartaminenſis epiſcopus. In fine codicis Syriaci 4. quem cum aliis Aſſemanus Maronita Romam advexit, hæc chronologica nota viſitur, tom. 1. Bibl. Orient. pag. 608. *Compactus & colligatus ab Abrahamo preſbytero*
B *anno Græcorum 1789.* Chriſti 1477. vel 1478. *in monaſterio Samuëlis, Simeonis & Gabriëlis, ſub Ignatio Salchenſi, ſeu Azizo Bar-Sabta Patriarcha, Joanne epiſcopo prædicti monaſterii, & Cyrillo Modiadenſi.* Hic vigeſimo-primo Patriarchatus anno diem clauſit anno 1793. Chriſti 1482. in Heſna Cepha, & in eccleſia S. Zachæ ſive Nicolai conditus fuit. Pacem inierat cum Mardenſi Patriarcha Chalepho, ſeque alterna vice ad conficiendum chriſma invitaverant. Verum Azizo Philoxeno extincto, Tur-Abdinenſes in duas factiones
C diviſi, alii *Sabam* Arabum epiſcopum ſibi Patriarcham crearunt, alii *Joannem* Inuardenſem. Uterque, Heſnæ Cephæ Domino quem ambo oblatis donis ſibi conciliare curaverant decernente, Patriarchalem dignitatem retinuit; ac Saba quidem ſenex in cœnobio Salachæ, Joannes vero juvenis in cœnobio quodam pagi Modiadenſis: Etenim Chalephus Mardenſis Patriarcha effecit ut juvenis ſeni morem gereret, quandiu in vivis ſupereſſet. Tum poſt biennium Ignatius Chalephus Patriarcha interiit, anno 1795. Chriſti
D 1484. & in cœnobio Zapharanenſi conditus eſt. Aſſem. *to. 2. pp. 385. 386.*

Octavus & nonus Tur-Abdinenſium Patriarchæ, Saba & Joannes.

LXIV. Ignatius XI. *alias* vii.

Poſt Chalephi obitum, Azizo Maphriano ſororis ejus filio Patriarchatum ambiente, aliiſque itidem epiſcopis eamdem dignitatem largitione pecuniarum ab Ibrahimo Mardæ domino obtinere conantibus, viri apud Jacobitas præſtantiores, obtento ab eodem Ibrahimo decreto, *Joannem Bar-Sila,* qui & *Ananias Xenaïas* olim dictus fuerat, Amidæ
E epiſcopum, renunciari curarunt anno 1795. Chriſti 1484. Hic multas hinc inde eccleſias ædificavit, inprimiſque Zapharanenſe monaſterium amplificavit & exornavit, in quo hodie ſedes eſt Patriarcharum. In eodem Zapharanenſi monaſterio è vivis exceſſit, quinquageſimo ſuæ ætatis anno, die 24. Septembris, veſpere feriæ tertiæ in feſto S. Domitii, anno Græcorum 1804. Chriſti 1493. Sunt qui eum veneno ſublatum ferunt à Joſue quodam Surenſi, Kalendis Octobris, quod in

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA
Digitized by Google

vita Noë ſucceſſoris ejus narrari teſtatur Aſſemanus to. 2. Bibl. Orient. p. 386.

Sedes vacat anno uno.

LXV. Ignatius XII. *alias* viii.

Ignatio Bar-Sila ſucceſſor datus eſt *Noë* Maphrianus, Bacupha in monte Libani oppido oriundus anno Græcorum 1762. Chriſti 1451. ex Aſſemano Bibl. Or. to. 2. p. 468. Hic ineunte Novemb. anni Græcorum 1805. Chriſti 1494. inauguratus fertur: perperam tamen ut modo patebit. Ejus geſta fuſe recenſentur in tertia parte chronici Syriaci, ſeu appendice ad chronicon Bar-hebræi; ex eodem Aſſemano, ibid. pag. 386. ubi etiam refert, anno 1805. Chriſti 1494. Ignatium Maſudum Tur-Abdinenſium Patriarcham, dignitatem abdicaſſe, atque in cœnobium quoddam ſe recepiſſe, hoc ſuis affectatoribus mandato relicto. *Ab hac die in poſterum quiſquis fidejuſſorem ſe præbuerit, aut Patriarcham novum Salachæ poſt me fecerit, anathema ſit tam ille qui ordinaverit, quam qui ordinatus fuerit, nec à ſanctis Apoſtolis, nec à mea humilitate abſolvitor. Quoniam unus eſt Syrorum Patriarcha, is nimirum qui Mardæ commoratur,* (Ignatius Noë ſcilicet) *ſicut ait Dominus noſter in Evangelio, ut fiat unum ovile, & unus paſtor.* Eo autem mandato ſchiſma Jacobitarum ſublatum eſt, quod ab an. Græc. 1675. Chr. 1364. ordinato Saba Baſilio, inductum fuerat.

Ignatius, qui & Maſudus, decimus & poſtremus Patriarcha Tur-Abdinenſium.

Nonnulla ſcripſit Noë Patriarcha, verſibus Syriacis, & ſoluta oratione, ut ex codice Syriaco Vaticano 15. aſſerit Aſſemanus to. 1. Bibl. Orient. p. 616. legendus etiam to. 2. p. 468. Codex alter Syriacus 30. ab ipſo Noë Jacobitarum Patriarcha Syriacis litteris, ſed ſermone partim Syriaco partim Arabico in urbe Berœa fer. 3. die 11. April. anno Græcorum 1819. (Chriſti 1508.) exaratus, ex eodem Aſſemano to. 2. p. 504. exhibet homiliam *compoſitam à Noë Patriarcha in urbe Moſul, anno Græcorum 1803.* Chriſti 1492. *adverſus hæreticos, qui beatam Virginem Deiparam eſſe negant, nec celebrant feſtum Annunciationis,* Neſtorianos utique. Porro ex nota hac chronologica diſcimus Noë, biennio ſaltem ante ann. 1805. Chr. 1494. Patriarchatum iniiſſe, anno nempe 1803. Chriſti 1492. Idem Aſſemanus to. 2. p. 469. poſt memoratam hanc Noë Patriarchæ inter alia ejuſdem ſcripta homiliam, hæc ſubdit. *In eodem cod. 30. fol. 138. idem Noë res in Oriente, ac præſertim in Meſopotamia geſtas ad ſuam uſque ætatem, hoc eſt ad annum Græcorum 1807. Chriſti 1496. breviter deſcribit.* Quo ille obierit anno incertum eſt: videtur ætatem produxiſſe ultra ann. Chriſti 1508. quo Berœæ in Syria agebat.

A Qui ſequuntur Patriarchæ Jacobitarum, leguntur in Anonymi cujuſdam Jacobitæ (à n. 117.) catalogo, quem Aſſemanus edidit *to. 2. p. 325.*

LXVI. Ignatius XIII. *alias* ix.

Ignatio Noë ſucceſſit Ignatius *Joſue ex caſtro Kelat. Hic à fide deficiens, Hagarenus, hoc eſt, Saracenus factus eſt: deinde pœnitentia ductus in Cyprum fugit, ubi ſummam ſui ſceleris pœnitentiam egit. Quem ſic pœnituiſſe ferunt, ut præ foribus eccleſiæ procumbens, collum pedibus* B *populi ingredientis & egredientis ſubmitteret. Quocirca dignitati ſuæ reſtitutus, ex hac luce migravit.* Hæc Anonymus Jacobita n. 117.

LXVII. Ignatius XIV. *alias* x.

Illi Joſue ſuffectus eſt in eo catal. n. 118. *Ignatius Jacobus è regione Syriæ, hoc eſt Damaſcenus* (quum nempe *Damaſcena* nuncupata eſſet regio omnis quæ *Syria* veteribus dicebatur, ex quo Damaſcus Califarum ſedes facta erat.) Ignatius hic ipſe prorſus eſt cujus meminit Joannes Albertus Widmanſtadius C Orientalis Auſtriæ cancellarius, in præfatione ad novum Teſtamentum Syriacum quod typis evulgavit anno 1555. ubi ait, Aſſemano teſte to. 1. Bibl. Orient. p. 535. *A conventu principum qui Heliopruniæ agebatur, revertenti ſibi occurriſſe Moyſen Meredinæum* (ſeu Mardenum) *ex Meſopotamia Catholicum ſacerdotem in Rhetia Ripenſi, qui .... ab Ignatio Patriarcha Antiocheno, quum ob alias cauſas graviſſimas, tum ut novi Teſtamenti volumen prælo excuſorio multiplicatum, in Syriam reportaret, Romam miſſus fuerat.* Iſte Moyſes Romæ fidei profeſ- D ſionem anno 1552. dedit, quam Andreas Maſius latinè vertit, addiditque ad calcem commentarii Moyſis Barcephæ de Paradiſo. In ea obteſtabatur *Patrem patrum, & Paſtorem paſtorum pontificem Julium III. qui accepit ſignaculum nominis Trinitatis, ut dignaretur acceptare hanc ſuam profeſſionem ſuo nomine, atque etiam nomine Patriarchæ ſui:* ſanctiſſimos quoque cardinales ut hanc acceptarent, *pro me,* inquit, *& pro Patriarcha noſtro, qui juſſit me confiteri coram vobis fidem hanc veſtram veram.* Quam tamen Ignatius ratam ſubinde non habuit, E inquit Aſſemanus ib. p. 536. quandiu nempe in patria manſit; quippe qua Chalcedonenſe concilium, uti generalia alia, commendabatur. Ignatius ille ipſe eſt qui & *Nehemet-Alla* nuncupabatur; nam in Syriaco codice, ex quo Aſſemanus to. 2. Bibl. Orient. p. 217. ac deinceps multa recitat de Joanne Mardenſi metropolita, notatur ibid. p. 229. exaratum illum eſſe *medio menſe Illul, ſive Septembri anno 1871.* (Chriſti 1560.) *in pago Dair-Havil in miniſterio Paſtoris paſtorum Mar-*

Ignatii Patriarchæ temporis prædicti, qui eſt Nemet-Allah. Sedebat ergo Nehemet-Alla anno Chriſti 1560. adeoque diſtinguendus omnino eſt ab Ignatio Mardenſi, qui eo poſterior eſt, & malè *Nehemet-Alla* nominatur in catalogo Patriarcharum Jacobitarum Anonymi n. 121. apud Aſſem. to. 2. p. 325. Ignatius porro Nehemet-Alla, quum ad Mohammedanos defeciſſet, mox facti pœnitens Romam ſe recepit, ibique mortuus eſt, uti mox videbimus. Eidem Nehemet-Alla Pius IV. litteras dedit per Joannem Abrahim Caſſa epiſcopum Hattadi in Aſſyria, apud Raynaldum ad annum 1562. n. 31. hujus tenoris. *Venerabili fratri Neemæ Patriarchæ ſive primati Jacobitarum. Venerabilis frater ſalutem, &c. Dilectus hic frater Joannes Abrahim Caſſa dictus epiſcopus Hattadi piè admodum Apoſtolorum limina viſitavit, menſeſque aliquot hic manſit, quem nos, & ipſius devotionis cauſa, & quia ex natione Jacobitarum eum eſſe audivimus, libenter videmus. Et ſane viſus eſt nobis vir religioſus, & Deum timens; de tuæ vero fraternitatis bonis ea prædicavit, quæ nobis relata nos impulerunt, ut eo iſtuc cum benedictione noſtra revertente, noſtris te litteris ſalutandum eſſe duxerimus: quod eo propenſius facimus, quia commiſſo nobis licet indignis apoſtolicæ ſedis regimine admonemur ut univerſos eccleſiarum præſules fraterna charitate complectamur in ſollicitudinis noſtræ partem vocatos, & ad dominici gregis ſalutem curandam, unumquemque eorum ſtudium nobiſcum jungere cupiamus. Nec vero fraternitas tua ignorat, univerſarum Chriſti ovium curam Petro, & ſucceſſoribus ejus Romanis Pontificibus ab ipſo Chriſto fuiſſe commiſſam .... Optaremus admodum nationem iſtam Jacobitarum in ea unione manſiſſe cum ſancta Romana eccleſia, quæ conciliata fuit, ut ſcire te credimus, ſacroſanctæ ſynodi Florentinæ tempore, quæ à felicis recordationis Eugenio Papa IV. prædeceſſore noſtro congregata fuit: Sed quia propter magnam mutationem rerum, & temporum varietatem, interrupta fuit, fraternitatem tuam in Domino hortamur, & monemus, ut eam excolere poſtea ſtudeas, quum ſcias unam eſſe fidem, unam Chriſti ſponſam eccleſiam catholicam, cujus ipſa Romana eccleſia caput & fundamentum eſt, &c. Datum Romæ apud S. Marcum, die XXIII. Julii, anno M. D. LXII. Anno III.* Sedebat proinde hoc anno 1562. ille Nehemet-Alla Jacobitarum Patriarcha.

LXVIII. IGNATIUS XV. *alias* XI.

Sequitur in illo catal. n. 119. Ignatius *David ex regione Maadan*, Ignatii Jacobi frater. Ad hunc Davidem Gregorius XIII. Papa nuntium apoſtolicum miſit Leonardum Abel epiſcopum Sidonienſem, *cum confirmatione Patriarchatus & Patriarchali pallio, anno ſalutis 1583. Spe motus*, inquit Petrus Strozza, *quam in eo excitaverat reconciliationis illius Patriarchæ cum ſancta apoſtolica ſede Nehemes ejus frater, olim & ipſe Jacobitarum Patriarcha, qui declinandæ Turcarum perſequutionis cauſa, ad Gregorii charitatem confugerat. Legationis ſuæ ſucceſſum parum felicem epiſcopus Sidonienſis reverſus, infecta re, renuntiavit poſtea Sixto V. commentario diligenter conſcripto, in quo multa ſcitu digna leguntur de hac natione.* Hæc Strozza Diſput. de Dogmatibus Chaldæorum: apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. p. 536.*

LXIX. IGNATIUS XVI. *alias* XII.

Ignatium hunc Davidem excipit in catalogo Anonymi Jacobitæ num. 120. Ignatius *Abdalla ex caſtro benedicto Heſna Atta*: de quo nulla alibi.

LXX. IGNATIUS XVII. *alias* XIII.

Abdallæ ſucceſſit n. 121. *Mar-Ignatius Mardenſis ex benedicto genere Mar-Joannis Bar-Silæ*, (Patriarchæ ſcilicet ſupra n. 64.) Addit Anonymus, perperam tamen, *qui & Nehemet-Alla. Hic Hagarenus factus eſt.* Ignatius enim *Nehemet-Alla* eſt LXVII. Patriarcha, dictus Ignatius XIV. alias X. cujus ipſe mentionem fecit n. 118. Vid. ſupra col. 1404. 1405.

LXXI. IGNATIUS XVIII. *alias* XIV.

Sequitur in eodem catalogo, n. 122. Ignatius *Petrus David Sciah ex Marde*. Jacobitis præerat, ex catalogo Patriarch. Syro-Jacobitarum, apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 482.* an. Chriſti 1579. & 1586. Sed error videtur in priori epocha: nam Ignatius XV. qui & David, Patriarcha erat anno 1583. ut videre eſt initio hujus col. 1406. Sedebat tamen certo hic Ignatius XVIII. anno 1589. quod compertum fit, eodem Aſſemano teſte *ibid. p. 300.* ex nota chronologica codicis Syriaci dicti *liber Directionum*; cujus meminit Renaudotius *to. 2. p. 471.* Idem opus Syriacè pereleganter exaratum pro Vaticana Bibliotheca comparatum eſt, cui ad calcem librarius hanc epocham adjunxit. *Abſolutus eſt hic liber Directionum anno Græcorum 1901.* (Chriſti 1589.) *menſe Canun priore* (Decembri) *feria 2. qua inchoatur jejunium Nativitatis, diebus ſanctorum Patrum & fidelium paſtorum & gubernatorum ſanctæ Eccleſiæ, Patris noſtri & Domini vitæ noſtræ, Domini noſtri Mar-Ignatii glorioſi Patriarchæ Excelſi, qui & David-Sciah, & Mar-Timothei epiſcopi, qui & Thomas.*

LXXII. IGNATIUS XIX. *alias* XV.
LXXIII. IGNATIUS XX. *alias* XVI.

Præcedentibus addit Anonymus Jacobita n. 123. Ignatium *Pilatum ex Manſuria*, & n. 124. Ignatium *Abdalgani ejus fratrem*: de

Digitized by Google

quibus nihil aliud occurrit, niſi quod Pilatum illum eſſe putem, qui Pilatus metropolitanus Moſul & Orientis, ſive Maphrianus, ex Leonardo Abel, erat anno 1583.

LXXIV. Ignatius XXI. *alias* xvii.

Poſtremus in anonymi catalogo n. 125. eſt Ignatius *Petrus Hodaïe*. Primus codicum Berœenſium qui in Bibliothecam Vaticanam tranſierunt, Aſſemano teſte to. 1. Bibl. Or. pag. 585. *Syriacè ſcriptus* legitur *ab Ephræm Phigana monacho ſub Ignatio Hudaïa Patriarcha Jacobitarum feria 2. die 8. Julii anno Græcorum 1933.* (Chriſti 1622.)

Qui ſequuntur excepti ſunt ab Aſſemano, ex Jacobitarum monumentis, ut ipſemet profitetur *to. 2. Bibl. Orient. p. 325.*

LXXV. Ignatius XXII. *alias* xviii.

LXXVI. Ignatius XXIII. *alias* xix.

LXXVII. Ignatius XXIV. *alias* xx.

LXXVIII. Ignatius XXV. *alias* xxi.

Poſt Ignatium Petrum Patriarcha ſedit Ignatius *Abdalmeſſias*, de quo nihil occurrit. Huic ſucceſſit Ignatius *Simeon*, qui catholicam fidem amplexus Jacobitas complures ad eam adduxit. Hic utique eſt Jacobitarum Patriarcha qui de religione melius ſentiens, ſolum vertere coactus eſt, atque Marde relicta Alepum ſeceſſit, ibique mortuus eſt. Succeſſores habuit *Andream Achigiam filium Abdalgal*, & *Petrum* qui, ut habet catalogus Patriarch. Syro-Jacobitarum, apud Aſſem. *to. 2. pag. 482.* à Jacobitis in exilium pulſus

A pro fide orthodoxa Adanæ obiit (4. Martii anni Chriſti 1702.)

LXXIX. Ignatius XXVI. *alias* xxii.

Ignatio Petro à Jacobitis ejecto, quis poſt illum continuo Mardæ toti ſectæ præfuerit non ſatis aſſequor. To. 4. Collectionis Epiſtolarum Gallico idiomate editarum hoc præmiſſo titulo, *Lettres Edifiantes*, Jacobitas epiſcopos & monachorum præpoſitos anno Chr. 1687. Mardim ſeu Marden conveniſſe legitur, eligendi Patriarchæ cauſa, deſignaB tumque ab eis fuiſſe *Georgium* Moſulenſem monachum, qui dignitatem hanc admittere noluit. Quocirca communibus ſuffragiis ab eis electum *Iſaac* Amidæ metropolitam, qui à ſynodo aberat: quum vero ille erga catholicos atque Alepenſem præſertim Ignatium, qui Patriarcha quoque nuncupabatur, propenſiorem animum præferret, ipſos, eo relicto, iterum ad Georgium Patriarcham renunciandum converſos eſſe; qui eorum votis tunc annuit, & Stephanum Alepenſem Patriarcham Adanam Ciliciæ civitatem in exilium mitti C curavit, anno circiter Chriſti 1706.

LXXX. Ignatius XXVII. *alias* xxiii.

Jacobiticæ ſectæ anno Chr. 1721. Patriarcham refert Aſſemanus to. 2. Bibl. Or. p. 325. *Iſaac*, qui Georgio ſucceſſerat. Hic Alepi ſedere dicitur. Anno autem 1716. Eliam Edeſſenum metropolitam delegavit, ut Jacobiticas Syriæ, Phœniciæ & Palæſtinæ eccleſias viſitaret. Idem Aſſem. *ibid. in diſſert. de Monoph.* ubi de epiſc. Edeſſæ.

PATRIARCHÆ ALEPENSES.

Andreas.

E Jacobitis, ſive Surianis, complures ejurato Monophyſitico errore Catholicam fidem eſſe amplexos ſupra dixi: hoc autem factum eſt opera Patrum Franciſcanorum qui *Capucini* dicuntur: eorum enim documentis *Andreas Achigian* Alepenſium Surianorum præſul Romanæ ſedis communionem ambivit, miſſa illuc ſinceræ fidei Catholicæ profeſſione, una cum Machario Antiocheno Patriarcha, & Cachadauro Armenorum antiſtite. Quod non contigit niſi poſt annum Chriſti 1646. nam codex Syriacus 26. ex his quos Aſſemanus Romam advexit, qui continet officium feſtivum S. Artemii Martyris, Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum. In Aſcenſione Domini. In Pentecoſte. In Nativitate ſancti Joannis-Baptiſtæ. In Nativitate Domini. Unius ſancti Monachi. In Præſentatione Domini in Templum. *Scriptus* legiD tur, anno Chriſti 1646. eo teſte to. 1. Bibl. Orient. pag. 614. *ab Andrea Achigian, qui poſtea fuit Patriarcha Syrorum.*

Abdel-Messias *hæreticus intruſus.*

Andrea defuncto Aleppenſem ſedem arripuit neſcio quis *Abdel-Meſſias*, quem Patriarcha Caramitenſis pro Andrea epiſcopum deſignaverat. Verum poſt quintum tyrannidis ipſius menſem, quum Surianos qui Catholicam fidem ſectabantur variis modis adigeret ut priſtinos errores repeterent; quin etiam E apud infideles traducere non dubitaret, oratoris regis Chriſtianiſſimi apud Turcarum Imperatorem opera detruſus eſt, ſuffecto in ejus locum Petro Gregorio Catholico.

Gregorius.

Suriani Catholici Abdel-Meſſiæ tyrannidem ferre non valentes, alium ſibi Patriarcham deſignarunt, *Petrum Gregorium* ſcilicet

Digitized by Google

qui Hieroſolymorum archiepiſcopatu donatus erat: quam electionem ab Othomanorum Imperatore ratam haberi obtinuerunt oratoris Regis Chriſtianiſſimi præſidio. Promotionis ipſius accepto decreto, Patriarchali throno eum impoſuerunt epiſcopi octo, quorum unus Maronita erat, Suriani tres, Græci duo, Armeni duo, Catholicæ fidei & communionis profeſſores omnes. Mox litteras dedit Romano pontifici, nec-non cardinalibus congregationis *de propaganda fide;* ad quos etiam ſcripſit epiſtolam univerſa gens Surianorum: quas legere eſt in libro Italico idiomate ſcripto qui *Teatro Turcico* inſcribitur; ubi additur ab eodem Gregorio ordinatos fuiſſe duos archiepiſcopos, Alepenſem & Hieroſolymitanum.

IGNATIUS *Petrus.*

Gregorio ſucceſſit *Ignatius Petrus*, qui epiſtolas duas Chriſtianiſſimo Regi Ludovico XIV. ſcripſit de ſua ad Romanæ eccleſiæ communionem acceſſione, quas Gallicè recitat author Teatri Turcici p. 554. & ſeqq. ſecunda Alepi ſcripta fertur die 14. Novembris anno Chriſti 1678.

STEPHANUS.

Anno Chriſti 1706. *Stephanus* Patriarcha Surianorum in arce Adanenſi, cum tribus epiſcopis, Catholicæ Romanæque fidei cauſa, Jacobitarum hæreticorum calumniis oppreſſus, carcere teterrimo, catenis onuſtus cuſtodiebatur, in quo ſubinde confeſſores occubuerunt. Ita refert Paulus Lucas, *voyages dans l'Aſie mineure, to. 2. p. 348.*

PETRUS.

Aleppi ſedet his temporibus *Petrus* filius Joannis Miſrhæ, collegii Romani *de propaganda fide* alumnus.

JACOBITICÆ DIŒCESIS ANTIOCHENÆ METROPOLES.

JACOBITICÆ diœceſis Antiochenæ nullæ mihi notitiæ ſuppetunt, quarum ope epiſcopatus ſingulos pro uniuſcujuſque metropoli recenſere queam. Quamobrem conſultius me facturum putavi, ſi metropoles ſeorſim primum, tum ſingulos ſubinde epiſcopatus alphabetico ordine digererem.

A

I. ECCLESIA ALEPI METROPOLIS.

ALEPUS vel *Halepus*, nobile illud Syriæ emporium eadem eſt civitas atque Berœa, in qua quum Jacobitæ multi commorentur, hujus ſectæ Patriarchæ epiſcopum ac metropolitam illis conſtituerunt. Nec deinceps deſiit ad hanc uſque diem Jacobitarum, quos & Surianos vocant, præſulum Alepenſium ſeries.

EPISCOPI ALEPI.

I. MATTHÆUS I.

JOANNES I. Jacobitarum Patriarcha, circa annum Chriſti 644. quo Mohammedani Syriam omnem tenebant, *Matthæum* Alepi epiſcopum creavit: ex chronico Dionyſii, apud Aſſemanum *to. 2. Bibl. Orient. p. 103. item pag. 335.*

II. BACCHUS.

III. SALOMON.

Anno Chriſti 798. obiit *Bacchus* Alepi epiſcopus, de quo nihil nobis compertum eſt: eo autem mortuo monachi cœnobii Gubæ à Cyriaco Patriarcha petierunt ut *Xenaïam* quemdam hujus Bacchi diſcipulum in ejuſdem locum ordinaret. Abnuit Cyriacus, & *Salomonem* cœnobii S. Jacobi apud Cyrum Euphratenſis Syriæ civitatem alumnum, epiſcopum Alepenſem creavit. Indignati Gubæ monachi, nec Salomonem admiſerunt, nec ipſiuſmet Patriarchæ Cyriaci nomen in liturgia amplius recitavere. Quinimo eum apud Aaronem Raſcidum Califam accuſarunt tanquam Saracenis infeſtum: ab Iſmaële tamen filio Saleh Califæ ſecretario, cui ejus cauſam Califa commiſerat, innocens declaratus, ad ſuum Callinicenſe cœnobium Cyriacus ſe recepit.

Digitized by Google

recepit. Tum monachi Gubæ epiſcopos quoſdam in *Scialaz* pago congregatos inducunt ut duos epiſcopos ordinarent, quorum unus Alepenſium curam gereret. Verum Patriarcha, coacta *Gubrini*, quod *Caſtrum Cruſtenorum* ſive *Cyrrhenſium* eſt, ſynodo, epiſcopos illos, Gubenſeſque monachos communionis extorres fecit. Hi porro ad extrema redacti, *Abrahamum* quemdam Cartaminenſem monachum ſibi in Patriarcham inſtituunt, qui Antipatriarcha factus, ſub Cyriaco & Dionyſio Telmaharenſi ejus ſucceſſore vixit, uſque ad annum Græcorum 1148. Chriſti 837. Ita ex chronico Gregorii Bar-hebræi refert Aſſemanus *to. 2. Biblioth. Orient. p. 342.*

IV. Anastasius.

Abraham Patriarcha *ex cœnobio Taril ditionis Alepi,* à Job Zeugmæ epiſcopo in Teleda caſtro die 25. Maii anno Græcorum 1273. Chriſti 962. ordinatus, *Anaſtaſium* præceptorem ſuum, qui cœnobii Circiſii in regione Germaniciæ archimandrita fuerat, epiſcopum Alepi inſtituit. Hæc refert Aſſemanus *ibid. pag. 351.*

V. Dionysius I.

Circa annum Chriſti 1245. Ignatius David Patriarcha, *Dionyſium,* quem Melitinenſem in Armenia minore conſtituerat epiſcopum, Melitina Alepum, unde Melitinam tranſlatus fuerat, rurſus tranſtulit, juxta decretum ſynodi ea de cauſa habitæ; quia nimirum conſpirationis monachorum cœnobii Barſumæ adverſus ipſum ferebatur fuiſſe auctor. Aſſemanus *ibid. p. 374.*

VI. Basilius.

Dionyſio paulo-poſt defuncto, *Saliba Vagius* Jacobi Edeſſeni filius ad ſedem Alepenſem evectus eſt, ſumpto *Baſilii* nomine, anno Græcorum 1557. Chriſti 1246. Medicæ artis valde peritus Patriarcham Ignatium Davidem aliquando podagra & calculo laborantem curavit. A Joanne Bar-Maadani Alepi electo in Patriarcham anno Græcorum 1564. Chriſti 1253. ſtatim ad Maphriani Orientis dignitatem promotus fuit, impoſito *Ignatii* nomine. Verum *Dionyſio* dicto *Aaron Angur,* (qui ante Joannem Bar-Maadani in Patriarcham ordinatus in monaſterio Barſumæ, mox dejectus fuit ab epiſcopis factionis *Joannis Bar-Maadani* Alepi congregatis, qui præfatum *Joannem*, ut dictum eſt, Patriarcham crearunt,) opera Gregorii Barhebræi Alepi epiſcopi, Patriarchalem dignitatem pro Syria recuperante anno 1569. Chriſti 1258. Baſilius Saliba Maphrianus, abdicata epiſcopali dignitate, Tripolim ſeceſſit, ibidemque obiit eodem anno, die 12. Junii. Ita Aſſem. *tom. 2. pp. 375. 377. 378. & 455.*

ECCLESIA ALEPI.

VII. Matthæus II.

Joannes Bar-Maadani, Baſilio Alepi epiſcopo, quem, ut ſupra obſervatum eſt, ad Maphriani dignitatem provexerat, ſucceſſorem nominavit *Matthæum,* Ignatii Davidis Patriarchæ diſcipulum, & Gumenſis in agro Antiocheno eccleſiæ præſulem, cujus nomen antea *Dionyſius* fuerat. Hoc autem contigit anno Græcorum 1564. Chriſti 1253. invitis Coptorum legis peritis qui Danielem Chaboræ epiſcopum poſtularant, hominem Arabum ſcientiis profanis nimis addictum. Aſſemanus *to. 2. p. 377.*

VIII. Gregorius.

Alepenſi eccleſiæ Jacobiticæ à Dionyſio Angur Patriarcha præfectus fuit *Gregorius* Bar-hebræus cognomento *Abulfaragius,* ex Lacabeno epiſcopatu tranſlatus. At paulo-poſt, quum Joannem Bar-Maadani, qui Alepum venerat, multa adverſum ſe quod Dionyſii Angur partem foveret moliri animadvertiſſet, in paternam domum ſe recepit, deinde in Barſumæ cœnobium. Quando autem ejus opera Dionyſius Angur dignitatem Patriarchalem pro tota Syria recuperavit, anno Chriſti 1258. ipſe quoque eccleſiæ Alepi curam iterum ſumpſit, uſque ad annum Græcorum 1575. Chriſti 1264. Tunc enim ab Ignatio Joſue Patriarcha, qui ſchiſmate ſublato per mortem, tum Dionyſii Angur anno Chriſti 1261. tum etiam Joannis Bar-Maadani anno Chriſti 1263. unanimiter electus fuerat, ex Alepenſi eccleſia, Maphrianus Orientis proclamatus eſt. Obiit in ea dignitate anno Græcorum 1597. Chriſti 1286. Aſſemanus *ibid. pp. 246. 266. & 378.*

IX. * * *

In appendice ad chronicon Gregorii Barhebræi, inter epiſcopos qui poſt Michaëlis II. Patriarchæ obitum anno 1660. Chriſti 1349. Philoxenum elegerunt, recenſetur *epiſcopus Alepi,* teſte Aſſemano *ibid. p. 383.*

X. Dionysius II.

Non ita pridem præerat, & adhuc forſan præeſt Jacobiticæ ſive Surianorum eccleſiæ Alepi *Dionyſius* Sciocralla, cujus meminit Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. p. 170.* De eo aiens, *librum* (Dionyſii Barſalibæi adverſus hæreſes) *quum in urbe Syriæ Alepo eſſem commodavit mihi Dionyſius Sciocralla Jacobitarum epiſcopus.*

Digitized by Google

II. # ECCLESIA AMIDÆ.

AMIDA, Syriacè *Amed* & *Amid*, olim *Conſtantia*, Meſopotamiæ urbs eſt munitiſſima, quæ quod, teſte Abulfeda in Tab. Geogr. n. 260. *arcem amplam habeat, muroſque ex nigris lapidibus in quos nec ferrum valet, nec ignis; Caramida*, hoc eſt, *nigra Amida* appellatur. Quoniam vero in regione *Diar-Bacr*, ſive *Diar-Bechir* ſita eſt, idem quoque ipſa nomen obtinet. Inter Antiochenæ diœceſis metropoles Amida cenſetur, atque in ea Jacobitarum Patriarchæ ſedem fixerunt ad annum uſque Chriſti 1166. quo Michaël I. cognomento *Magnus* Patriarcha Mardim migravit; in hac enim civitate deinceps ſederunt Patriarchæ Jacobitæ. Amidenſium epiſcoporum ſeriem aliquam uſque ad Saracenica tempora dedi productam, nunc reliquos ejuſdem Jacobiticæ ſectæ præſules, quotquot mihi occurrerunt, recenſebo.

EPISCOPI AMIDÆ.

I. EUNOMIUS.

II. JOANNES.

III. CYRIACUS.

IV. THOMAS I.

ALibi jam dixi Jacobitis præſulibus hujus eccleſiæ accenſendos videri *Eunomium* qui anno Chriſti 546. *Joannem* qui anno 551. *Cyriacum* qui anno 578. & *Thomam I.* qui anno 622. (vel potius 623.) ſediſſe memorantur in Dionyſii chronico, ut refert Aſſemanus *to. 2. Biblioth. Orient.* in diſſert. de Monoph. ubi de Amida, & *pag. 48.* Florebat adhuc iſte Thomas anno 955. Chriſti 644. *ibid. pag. 103.* De *Cyriaco* addit *pag. 90.* ex eodem Dionyſii chronico, eum obiiſſe anno Græcorum 934. Chriſti 623. & ſcripſiſſe canones quos laudat Gregorius Bar-hebræus in ſuo nomocanone. Aliquod forſan opus in canones edidit.

V. SAMUEL *intruſus*.

Circa annum Chriſti 616. Coſroës Perſarum rex, Amidæ epiſcopum præfici voluit *Samuëlem*, ut & Eſaiam Edeſſæ, & Jonam Telæ; quorum Samuël quidem & Jonas in Aſſyriam unde venerant redire compulſi ſunt, eo quod in diœceſes Patriarchæ Jacobitarum ſubditas, non à Patriarcha, ſed à Maphriano Orientis electi, intruſi fuiſſent. Eſaias vero eccleſiam Edeſſenam retinuit, donec ab Heraclio Imperatore ea ſede motus eſt. Aſſeman. *to. 2. pag. 334.*

VI. THOMAS II.

Dionyſius in chronico, teſte Aſſemano to. 1. Bibl. Or. p. 468. meminit cujuſdam *Thomæ* epiſcopi Amidenſis, qui anno 1017. Chriſti 706. ſynodo habitæ in monaſterio Mar-Silæ præfuit cum Juliano II. Patriarcha. Hic Thomas ex eodem Dionyſii chronico, apud Aſſemanum to. 2. pag. 105. obiit anno A 1024. Chriſti 713. & in ejus locum Theodotus ſubſtitutus fuit. Notandum porro Aſſeman. to. 2. in diſſert. de Monoph. & p. 48. unum dumtaxat recenſere Thomam inter Cyriacum & Theodotum, expreſſiſque verbis aſſerere in priori loco hunc Thomam ſediſſe ab anno Chriſti 623. uſque ad 713. quod ſpatium eſt 90. annorum, ita ut neceſſe foret illum vixiſſe 120. annos, aut amplius. Hoc autem, ut inſolitum, Dionyſius procul dubio animadvertere nunquam omiſiſſet. Satius itaque videtur exiſtimare Thomam B qui obiit anno Chriſti 713. alium eſſe ab eo Thoma qui ordinatus eſt epiſcopus Amidæ anno Chriſti 623.

VII. THEODOTUS.

Theodotus hic Thomæ ſucceſſor ſedem Amidenſem tenuit uſque ad annum 1040. Chriſti 729. quo ea relicta, in locum quemdam, Amidam inter & Daram, ſecedens, columnam ædificavit, & ſupra eam aſcendit ut Thomam Telenſem ſtylitam imitaretur, cœnobium quoque ibidem extruxit, quod, C inquit Dionyſius, in præſentem uſque diem viſitur (obiit Dionyſius ille 22. Aug. anno 1156. Chr. 845.) apud pagum, quem *Coluc* appellant, ubi & diem clauſit. Ejus memoriam ceu *ſancti* celebrant Jacobitæ ad diem 16. Auguſti, quo illum *Amidæ Patriarcham* librarius perperam vocat. Aſſemanus *tom. 2. pp. 48. 105. & 106.*

VIII. COSMAS.

Anno Græcorum 1040. Chriſti 729. poſt Theodoti Amidenſis epiſcopi receſſum, ejus D ſucceſſor fuit *Coſmas*, quem Dionyſius in chronico *virum antiqui moris* appellat, aitque, quum pagum *Tela-Comum* (in Itinerario Antonini *Thilaticomum* dictum) viſitare voluiſſet, ac ejectus fuiſſet ab incolis, grandem ipſis calamitatem obtigiſſe, quam ſuis precibus à Deo obtinuerat. Aſſemanus *to. 2. p. 106.*

Digitized by Google

ECCLESIA AMIDÆ.

IX. Sabas.
X. Severus I.
XI. Severus II.

Coſmam in epiſcopatu Jacobitico Amidenſi excepit *Sabas*, ex monaſterio *Zuchenin* quod in ejuſdem urbis territorio ſitum eſt, aſſumptus. Cui poſt annos 20. defuncto, ab anno nimirum Chriſti 730. uſque ad 750. (ut ex Dionyſii chronico refert Aſſem. to. 2. in differt. de Monoph. ubi de urbe Amida) ſubrogatus fuit *Severus* ejuſdem cœnobii monachus. Hic poſt annum unum, quum B diœceſim viſitaret, peſte ſublatus eſt; eique ſuffectus *Severus* alter ex eodem monaſterio ſumptus: qui dignitate abdicata, quam ab anno Chriſti 751. uſque ad 755. tenuerat, obiit die 14. Mart. anno Græcorum 1076. Chriſti 765. in ſuo monaſterio, ubi & ſepultus eſt. Ejus tempore, anno Chriſti 754. Joannes II. Jacobitarum Patriarcha, Amidenſem diœceſim in duas diviſit, partem Severo relinquens, alteram Eſaiæ Aſpharinenſi epiſcopo adjudicans, propter quod multorum epiſcoporum indignationem in ſe C concitavit. Ita Aſſemanus *to. 2. in differt. de Monoph. & pp. 107. & 338.*

XII. Abas.

Severo ſucceſſit anno Græcorum 1066. Chriſti 755. *Abas* cœnobii *Mar-Abibi Arzenunenſis* monachus. Eodem anno juxta chronicon Dionyſii quod refert Aſſemanus to. 2. p. 111. ſed amanuenſis mendum eſſe obſervat p. 340. & legendum anno 1070. Chriſti 759. coacta eſt ſynodus in urbe Mabug, cui adfuit inter cæteros Abas epiſcopus Amidæ. D In ea Georgius ex *Baaltan* pago oriundus, & cœnobii Kenſerinenſis monachus, Jacobitarum Patriarcha creatus eſt. Sed quum Meſopotameni epiſcopi, ſchiſmate facto, *Joannem* Callinici epiſcopum ſibi in Patriarcham conſtituiſſent, altera ſynodus epiſcoporum Geziræorum, Moſulanorum, & Occidentalium, habita eſt in urbe Sarug, poſt mortem tamen hujus Joannis, quam ad annum Græcorum 1076. Chriſti 765. recitat Dionyſius in chronico. Huic ſynodo rurſus interfuit Abas epiſcopus Amidæ, præfuit autem Georgius, E quem omnes Patriarcham confirmaverunt. Vixiſſe exiſtimatur Abas uſque ad annum Chriſti 776. quo Dionyſius chronicon ſuum abſolvebat; nam ejus obitus non meminit. Aſſem. *ibid. in differt. de Monoph. & pp. 48. 111. 112. & 114.*

In chronico Gregorii Bar-hebræi, teſte eodem Aſſemano in differt. de Monoph. ſequentes epiſcopi Amidenſes Jacobitæ laudantur.

XIII. Cyrinus.

Cyrinus ille à Joanne XI. dicto Abdone, olim Synnadæ epiſcopo, qui poſt Baſilium anno 1386. Chriſti 1075. defunctum in Patriarcham proclamatus eſt, ordinatus epiſcopus Amidæ, ibidem à Chriſtiana religione ad Mahometanam ſectam tranſiit. Aſſemanus *to. 2. in differt. præfata de Monoph. & p. 357.*

XIV. Basilius.

Joannes XIII. qui & *Maudiana* vocatur, quum Chiſumæ quæ eſt Syriæ urbs inter Alepum & Edeſſam, ſedem figere ſtatuiſſet, *Baſilium Barſumnam* hujus urbis epiſcopum Amidam tranſtulit; is autem paulo-poſt indigne ferens Joannem Bar-Andream Mabugi epiſcopum ſua ſede amotum fuiſſe per Patriarcham, ea præciſe de cauſa quod ſibi tranſeunti non occurriſſet, abdicato epiſcopatu Amidenſi, in Pheſchinenſe monaſterium ſe contulit, ibique quinque annos moratus eſt, donec ejuſdem Patriarchæ juſſu ad ſuam Amidenſem eccleſiam redire coactus fuit. Hæc geſta ſunt poſt annum 1440. Chriſti 1129. quo Joannes in Patriarcham electus eſt. Ex ea vero narratione colligimus Jacobitarum Patriarchas eccleſiæ Amidenſis aliquandiu epiſcopatum geſſiſſe, priuſquam ſedem Chiſumam tranſtuliſſent. Aſſem. *ibid. & pag. 360.*

XV. Dionysius.

Jacobus Bar-Salibi, id eſt *Salibi filius*, anno Chr. 1154. ab Athanaſio VIII. Jacobitarum Patriarcha epiſcopus Marhas ſive Germaniciæ Euphrateſiæ urbis ordinatus fuit, mutato *Jacobi* in *Dionyſii* nomine; & anno ſequenti, poſt coactam ab eodem Patriarcha in cœnobio Barſumæ ſynodum, ad epiſcopatum Mabugenſem tranſlatus: tandem anno Chr. 1167. à Michaële Patriarcha Athanaſii ſucceſſore eccleſiæ Amidenſi præfectus eſt, quam per annos quinque adminiſtravit, mortuus menſe Novembri, anno Græcorum 1483. Chriſti 1171. & ſepultus in eadem urbe Amida, in eccleſia Deiparæ, juxta ſepulcra Patriarcharum Bar-Abdon & Bar-Suſan. Operum ejus extat catalogus apud Aſſemanum *to. 2. Bibl. Orient. p. 211.* qui de eo agit à p. 156. uſque ad præfatam pag. 211.

XVI. Abraham.

Poſt Dionyſium hunc, chronicon Barhebræi *Abrahamum* recenſet, qui circa annum Chriſti 1180. ex eorum quatuor epiſcoporum numero fuit, qui conſpiratione in Michaëlem I. Patriarcham facta, *Theodorum Bar-Vehebum* Patriarcham proclamarunt. De eo

Abraham legendus Aſſemanus *to. 2. Bibl.* A
Orient. pp. 213. & 368.

XVII. MENNAS.

Abrahamo *Mennas* in ſede Amidenſi pro Jacobitis ſuffectus fuit. Hic fautores Michaëlis II. qui ejus apud infidelem Amidæ principem, anno 1511. Chriſti 1199. menſe Decembri ordinationem fieri curabant adverſus Athanaſium IX. Patriarcham; auctoritate qua apud omnes ob medicinæ peritiam pollebat, urbe excedere compulit. Joannem quoque XIV. adverſus eumdem Michaëlem anno B
Chriſti 1208. ad Patriarchatum evexit, quod petitam à Michaële ad ſolvendum Amidæ principi tributum pecuniam non impetraſſet. Aſſemanus *tom. 2. in diſſert. de Monoph. & pp. 231. 232. 369. & 370.*

XVIII. JOANNES I.

Anno Græcorum 1564. Chriſti 1253. quo, die 14. Septembris Dionyſius Angur Jacobitarum creatus eſt Patriarcha, ſedebat Amidæ *Joannes Saliba*, qui cum Joanne Maipheractenſi epiſcopo diſcipulo ſuo, Alepum velo- C
citer ſe contulit, ut Joannis Bar-Maadani Maphriani conatus reprimeret, quem ejus factionis epiſcopi ad dignitatem Patriarchalem, adverſus eumdem Dionyſium, ibi volebant promovere: ſed Maphrianum illum jam electum in Patriarcham reperit. Aſſem. *ibid. & p. 376.*

XIX. JOANNES II.

Joannes, qui & *Iſmaël* cognomento *Magedus*, Joannis diaconi Mardenſis fratris Ignatii Bar-Vahib Patriarchæ qui dictus eſt Ignatius V. alias I. filius, poſt hujus Patriarchæ obitum, anno Græc. 1643. Chriſti 1332. ex epiſcopo Amidæ, Patriarcha renuntiatus eſt, aſſumpto *Ignatii* nomine, dictus Ignatius VI. alias II. Aſſem. *p. 382.*

XX. CYRILLUS.

XXI. DIONYSIUS II.

Poſt mortem Ignatii VII. alias III. qui & *Sciahab* vocabatur, anno Græcorum 1692. Chriſti 1381. *Abraham*, qui & *Cyrillus Bargarib*, ex epiſcopo Amidæ in Patriarcham aſſumptus eſt, dictus Ignatius VIII. alias IV. ſtatimque *Joſephum* fratrem ſuum cognomento *Dionyſium* eccleſiæ Jacobitarum Amidenſi præfecit. Aſſem. *p. 384.*

XXII. JOANNES III.

Anno Græcorum 1782. Chriſti 1471. Ignatius X. alias VI. qui & Chaleph Maadanenſis Patriarcha Mardæ & Syriæ, adhibitis Azizi Patriarchæ Tur-Abdinenſis, & Georgii Cartaminenſis epiſcopi conſiliis, *Joannem Bar-Sila* Amidæ & Savræ epiſcopum creavit, qui poſt ejuſdem Ignatii mortem anno 1795. Chriſti 1484. Patriarcha proclamatus eſt, Ignatius XI. dictus alias VII. Aſſem. *p. 385. & 386.*

XXIII. SIMEON.

Simeon quidam, ſub Ignatio XVIII. alias XIV. dicto Petro David Sciah ex Marde, laudatur à Leonardo epiſcopo Sidonienſi ad ann. Chriſti 1583. ut epiſcopus Amidenſis, teſte Aſſem. *in diſſert. de Monoph. to. 2. Bibl. Or.* ubi de epiſcopis Amidæ, qui etiam citat in margine Thomam à Jeſu *lib. 7. p. 386.*

XXIV. TIMOTHEUS.

Sæculo decimo-ſeptimo ad finem vergente, circa annum Chriſti 1694. Amidæ epiſcopus ſedere dicebatur *Dionyſius* qui *Timothei* nomen aſſumpſerat. Ita Naironus Fauſtus Maronita in Evoplia, *pag. 46.*

III. ECCLESIA ANAZARBÆ.

ANAZARBA, ſeu *Anazarbus*, quæ etiam *Indarbe* à Syris, & *Ain-Zarba* ab Arabibus, quaſi *fons Zarbæ* & corrupte *Navarza* appellatur, Ciliciæ ſecundæ eſt metropolis, ad Pyramum fluvium ſita quem *Gehonem* Abulpheda vocat, à Siſide viginti-quatuor millibus paſſuum diſtans. In ea urbe Jacobitis præfuerunt epiſcopi ſequentes.

EPISCOPI ANAZARBÆ.

I. ABIBUS.

ANno Græcorum 1234. Chriſti 923. D
Abibus Anazarbæ pro Jacobitis epiſcopus Baſilium I. die 15. Auguſti, in Moriba caſtro Reſchephæ, Patriarcham conſecravit. Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph.* ubi de epiſcopis Anazarbæ, & *p. 349.*

II. LAZARUS.

Athanaſius V. cognomento Salachenſis, die 21. Octobris anno 1298. Chriſti 986. Patriarcha ordinatus eſt in *Caïn* pago regionis *Gehon* à *Lazaro* Anazarbæ metropolita. Aſſem. *ibid. p. 351.*

Digitized by Google

III. Athanasius I.

IV. Athanasius II.

Michaël I. Jacobitarum Patriarcha, circa annum Chriſti 1166. Antiochiam ingreſſus, A tres ibi epiſcopos conſecravit, quorum unus *Athanaſius* fuit, in locum alterius *Athanaſii* ipſius Patriarchæ patrui qui Anazarbenſi eccleſiæ triginta tribus annis & amplius præfuerat. Aſſem. *ibid. p. 363.* ECCLESIA ANAZARBÆ.

IV. ECCLESIA APAMEÆ.

APAMEA, quæ olim *Hemat*, deinde *Apamia* vocabatur, nunc autem ab Arabibus *Hamah* dicitur; in novo Jacobitarum jure, Emeſæ conjuncta fuit; utraque demum Damaſco: teſte Aſſemano, ubi de ea urbe, quæ ſecundæ Syriæ metropolis eſt, in differt. Monoph. *to. 2. Bibl. Orient.* Nulla nobis ſuppetit epiſcoporum Jacobitarum hujus eccleſiæ notitia. In epiſtola quidem, quam Joannes VII. cognomento *Sarighta*, à Nicephoro Phoca Græcorum imperatore Conſtantinopolim accerſitus, ut cum Polyeucto hujus regiæ urbis epiſcopo de fide conveniret, ad Mennam Alexandrinum Coptorum Patriarcham, anno Græcorum 1280. Chriſti 969. ſcripſit, prout eam refert & interpretatur Aſſemanus *to. 2. pag. 139.* legitur: *Ego vero, & Sergius metropolita Apameæ, &c. vobis ſalutem dicunt.* Quinimo, aſſeruerat idem Aſſemanus *pag. 351.* Renaudotium, qui in *hiſt. Patr. Alex. pag. 362.* ejuſdem epiſtolæ Joannis Patriarchæ verſionem latinam recitans, pro *Apameæ* ſcripſerat *Euphemiæ*, in hoc mendoſum codicem fuiſſe ſequutum. Verum ipſemet poſtea, pag. ſcilicet 478. pro innato animi candore fatetur in hac epiſtola Joannis, *Euphemiam* diſerte haberi, non *Apameam*, & delendam monet totam lineam qua pag. 351. Renaudotium hac in re reprehenderat. Ex quo fit evidens Sergium illum inter epiſcopos Jacobitas, non *Apameæ*, ſed Euphemiæ eſſe computandum.

C

I. ECCLESIA CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ.

SÆculo duodecimo, Cæſarea Cappadociæ primæ metropolis, non Armenis ſolum, ſed & Jacobitis incolis plena erat, quibus ejuſdem communionis epiſcopi præfuere. Hi præſertim nobis innoteſcunt.

EPISCOPI CÆSAREÆ *in* CAPPADOCIA.

I. Basilius I.

MICHAEL I. Jacobitarum Patriarcha die Pentecoſtes electus anno 1478. Chriſti 1166. & die 18. Octobris conſecratus, dum varia ſuæ ſectæ loca viſeret Hieroſolymam uſque profectus, *Baſilium* Cæſareæ epiſcopum, & alium epiſcopum ſibi comites aſcivit. Hic itaque Baſilius ſedebat ante annum 1511. Chriſti 1199. quo Michaël I. deceſſit. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Or.* in differt. de Monoph. ubi de epiſcopis Cæſareæ, *& p. 363.*

II. Basilius *alter.*

Sæculo decimo-tertio, Cæſareæ epiſcopus erat *Baſilius* cognomento *Damianus*, quem Gregorius Bar-hebræus, de promotione ſua in Maphrianum ſive Primatem Orientis, cui ille interfuit, agens parte 2. chronici, *venerabilem* C *ſenem* appellat. Is Dionyſium VII. qui & Aaron Angur dicebatur, Patriarcham, quum plurimis aliis epiſcopis, in cœnobio Barſumæ die 14. Septembris anni 1564. Chriſti 1253. proclamavit. Electionem quoque Raban Joſue archimandritæ cœnobii Gavicathæ in Patriarcham, qui Ignatius III. dictus fuit die Epiphaniæ anni 1575. Chriſti 1264. factam antequam eo adveniret, probavit. Aſſeman. *ibid. & pp. 247. 376. & 379.*

D

III. Jacobus.

Anno 1594. Chriſti 1283. Ignatii IV. Patriarchæ, qui & Philoxenus Nembrod appellabatur, ordinationi fruſtra ſeſe *Jacobus* Cæſareæ metropolita, cum Barſuma Gavicathæ archimandrita qui ei dignitati inhiabant, oppoſuit. Aſſeman. *ibid. & p. 381.*

Digitized by Google

ECCLESIA CYPRI.

II. CYPRUS Inſula, inter ſuos incolas, ut Chriſtianos ritus Græci, ita & Jacobitas habuit, quibus ſui epiſcopi præfuerunt. Sequentes ab Aſſemano recenſentur in diſſertatione ſæpius laudata de Monoph. 2. tomo præfixa Bibl. Or. ubi de epiſcopis agit Inſulæ Cypri.

EPISCOPI CYPRI.

I. PROCLUS.

JACOBUS Edeſſenus epiſcopus, qui anno 1019. Chriſti 708. 5. Junii obiit, in epiſtola quam ad Adæum preſbyterum de variis eccleſiæ ritibus ſcripſit, meminit orationis *Magnus es Domine*, quam, inquit, *S. Proclus* cujuſdam urbis Inſulæ Cypri epiſcopus compoſuit. Hunc Proclum Jacobitam fuiſſe admodum veriſimile eſt, quum ab eo Jacobo Edeſſeno laudetur, qui Jacobitis perpetua communione conjunctus fuit. Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. pp. 486. 487. 573. & to. 2. pp. 336. & 337.*

II. PAULUS.

Anno Græcorum 935. Chriſti 624. ſedebat *Paulus* Cypri epiſcopus qui 30. S. Greg. Naz. homilias in Syriacum ſermonem convertit, ut legitur in nota quæ eſt ad calcem codicis cujuſdam Nitrienſis, teſte Aſſem. *to. 1. p. 172.* ubi additur, *ſcriptus autem fuit, hoc eſt, aſſutus & compactus anno Græc. 1156.* (Chriſti 845.) *ſub Dionyſio Patriarcha Antiochiæ.* Hic fuit Dionyſius I. qui eodem anno deceſſit. Unde vix inficiari poteſt hunc Paulum fuiſſe Jacobitam.

III. ATHANASIUS I.

Electioni Ignatii III. Patriarchæ Jacobitarum in cœnobio Gavicathæ factæ anno 1575. Chriſti 1264. adfuit inter cæteros *Athanaſius* epiſcopus Cypri: ex chronico Gregorii Barhebræi, teſte Aſſemano in diſſert. laudata, *& p. 379.*

IV. * * *

In appendice ad idem chronicon narrari obſervat idem Aſſemanus ibid. & pag. 383. *epiſcopum Cypri* qui non nominatur, una cum epiſcopis Hieroſolymæ, Gargar, & Alepi, anno 1660. Chriſti 1349. Siſidem Ciliciæ urbem petiiſſe, ibique Philoxenum Damaſci epiſcopum in Patriarcham Jacobitam Antiochiæ & Syriæ, adverſus Ignatium VI. alias II. qui Joannes Iſmaël vocabatur, inſtituiſſe.

V. DIONYSIUS.

VI. ATHANASIUS II.

In pontificali Syrorum Jacobitarum, qui A citatur cod. 4. inter Ecchellenſes, apud Aſſemanum *to. 1. Bibl. Orient. p. 573.* laudantur, teſte eodem *to. 2. in diſſertatione de Monoph.* ubi de Inſula Cypri, *Dionyſius* ad annum Chriſti 1454. & *Athanaſius* ad annum 1457. Dionyſius porro ordinaſſe dicitur pag. 80. hujus cod. Salomonem diaconum, & Joannem preſbyterum, in eccleſia S. Behenami Maguſæ (quæ eſt Cypri urbs vulgo *Famagoſta*) anno Græc. 1765. Chriſti 1454. & Abrahamum diaconum in eccleſia Deiparæ Nicoſiæ anno 1768. Chriſti 1456. vel 1457. Athana- B ſius vero pp. 80. & 97. in eadem Deiparæ eccleſia preſbyteros Jacobum, Aaron, & Joannem: & diaconos Aaron, Iſam, Conſtantinum, Mamam, & Ephræm: in eccleſia autem S. Georgii diaconos Davidem, Barſumam, Taliam, & Abdelmeſſiam.

VII. JOANNES.

Abrahami Ecchellenſis codex 5. cujus meminit Aſſem. *to. 1. pag. 554.* Anaphoras ſive liturgias 22. continet, quarum multæ Monophyſitarum nominibus inſcribuntur, C puta Joannis qui & Joſue Barſuſan Patriarchæ, Philoxeni epiſcopi Mabugenſis, Lazari Bar-Sabtæ ſeu Philoxeni epiſcopi Babylonis, Dionyſii epiſcopi Amidæ, Jacobi Sarugenſis, Thomæ Germaniciæ, & Matthæi paſtoris. Hanc vero in fine notam habet, *codex Syriacus ſcriptus Gamblini in Cypro à preſbytero Jamino ſub Joanne Metoſcita epiſcopo, anno Græcorum 1846. Chriſti*, ut notat ſcriptor, *1536. Sabbato die 19. Februarii.* Hic utique *Joannes* Jacobitarum præſul fuit, qui tot Jacobitarum liturgias legebat.

D VIII. ISAAC.

Quum Leonardus Abel epiſcopus Sidonienſis, miſſus eſſet à Gregorio XIII. nuncius apoſtolicus ad Ignatium XV. alias XI. qui vocabatur David Maadenſis, Jacobitarum Patriarcham, anno Chriſti 1583. *Iſaac* Cypri ejuſdem ſectæ archiepiſcopatum tenebat. Ita Aſſemanus in diſſertatione ſæpius laudata de Monoph. to. 2. præfixa, ubi & citat in margine Thom. à Jeſu, *lib. 7. de converſ. gent. pag. 386.*

Digitized by Google

D

I. ECCLESIA DAMASCI.

DAMASCUS Phœniciæ Libani inſignis civitas, quæ aliquando Saracenici Imperii caput fuit, Jacobitas plurimos habuit incolas quibus præſidebat ejuſdem ſectæ metropolita. Horum multos recenſet doctiſſ. Aſſeman. in Bibl. Orient.

EPISCOPI DAMASCI.

I. * * *

IN hiſtoria Patriarcharum Alexandriæ quam clariſſ. Renaud. edidit, refertur pag. 233. Iſaac Jacobitarum Patriarcham Antiochenum ſtatim à ſua promotione, anno 1066. Chriſti 754. ſynodicam Chaïli ſeu Michaëli Patriarchæ Alexandrino miſiſſe per metropolitas duos, *Damaſci*, & Emeſæ.

II. ANASTASIUS.

Anno Græcorum 1129. Chriſti 818. *Anaſtaſius* Damaſci epiſcopus ſynodo adſtitit, in qua Dionyſius Telmarenſis electus fuit Patriarcha. Aſſeman. *to. 2. Bibl. Or. p. 344.*

III. TIMOTHEUS.

Joannes III. Patriarchatum adeptus anno 1158. Chriſti 846. epiſtolam ad Alexandrinos ſuæ communionis ſcripſit, cujus latores fuere Athanaſius metropolita Euphemiæ, & *Timotheus* Damaſci. Idem Aſſemanus, *ibid. pag. 348.*

IV. THEOPHILUS.

Synodicam Philothei Patriarchæ Alexandrini ad Dionyſium Patriarcham Antiochiæ refert Aſſemanus *to. 2. pp. 142. & 143.* ſic terminatam, *datum menſe Barmuda, anno ab Incarnatione Chriſti Dei noſtri 979. ſanctorum Martyrum 703.* nimirum, inquit Aſſemanus æræ vulgaris Chriſtianæ anno 987. nam Philotheus utitur epocha *Incarnationis ſecundum Alexandrinos*, quæ octo annis Chriſtiana vulgari prior eſt, ut Pagius paſſim obſervat in critica Baronii. Aſſerit idem Aſſem. p. 141. in hiſt. Alex. dici Philotheum hunc 63. Patriarcham Alexandrinum præfuiſſe Coptis ab anno Martyr. 692. ad annum 716. hoc eſt ab anno Chriſti 976. ad annum 1000. At doctiſſ. Renaud. in hiſt. Patr. Alex. p. 373. ait in iſtius Philothei, ſicut & in aliorum qui præceſſerunt, ætate aſſignanda, magnam eſſe authorum negligentiam; quemcumque tamen calculum ſequi placeat, illum Philotheum certo fuiſſe electum ante Muazzi Califæ mortem, qui obiit (pag. 372.) anno Hegiræ 365. Chriſti 975. In ea porro Philothei epiſtola ad Dionyſium (quæ extare

A dicitur in lib. Pauli Ebn-Regia *de Fide Patrum* fol. 302. & præcedit aliam quæ fol. 305. eſt ad Athanaſium, citantur autem ambæ *to. 1. Bibl. Orient. p. 625.* ſub 23. cod. Arab. nn. 28. & 29.) mentio fit ſynodicæ ejuſdem Dionyſii quæ per *Theophilum* archiepiſcopum Damaſcenum miſſa fuerat. Notandum vero, cum Aſſemano, to. 2. p. 352. circa nomen *Dionyſii* Patriarchæ mendum irrepſiſſe, & loco ejus legendum videri in ea epiſtola, ut in ſequenti, *Athanaſium.* Ratio eſt, quod toto tempore quo Philotheus iſte Alexandriæ B præfuit, id eſt ab anno Chriſti 975. aut 976. uſque ad 1000. nullus Dionyſius Antiochenam rexerit Jacobitarum eccleſiam, ut ex Bar-hebræi chronico & ex catalogo Bar-Salibæi fit manifeſtum. Unde hic emendat Aſſemanus, quod dixerat pag. 141. Dionyſium, ad quem ſcribit Philotheus, fuiſſe Dionyſium Athanaſii prædeceſſorem; & contendit fuiſſe Athanaſium, non quidem VI. hujus nominis, ſed V. cognominatum *Salachenſem*, qui, poſt mortem Joannis VII. cognomento *Sarightæ*, Patriarchatum iniit, die C 21. Octob. anni 1298. Chriſti 987. & obiit anno Chriſti 1003. vel 1004.

V. JOANNES I.

Codex ſecundus inter Nitrienſes, nunc Vaticanus, quatuor Evangelia continens Syriacè ſcripta, cujus mentionem facit Aſſemanus *to. 1. Bibl. Orient. p. 561.* habet *fol. 5.* annotationem ab eodem Aſſemano *tom. 2. pag. 236.* exſcriptam, in qua legimus *Mar-Joannem* Damaſci epiſcopum, cum quibuſdam aliis miſſum fuiſſe à Mar-Joanne Antiocheno Patriarcha ad Mar-Joannem Patri- D archam Alexandrinum: ſic autem clauditur illa annotatio, *acta ſunt hæc & perfecta anno Græcorum 1522. die 8. menſis Tamus*, hoc eſt, Julii, anni Chriſti 1211. Joannes hic Patriarcha Antiochenus fuit Joannes XIV. qui & *Joſue ſcriba* cognominabatur, electus anno 1519. Chriſti 1208. & mortuus anno 1531. Chriſti 1220. Joannes vero Patriarcha Alexandrinus, ille fuit 74 cognomento *Abul-Maged*, filius Abi-Galeb, qui ab anno Martyrum 905. ad annum 932. hoc eſt, ab anno Chr. 1189. ad annum 1216. Coptis præfuit.

Digitized by Google

ECCLESIA DAMASCI.

Joannes itaque Damaſci metropolita, legatione præfata functus eſt, ſi non ipſo anno Chriſti 1211. ſaltem uno ex præcedentibus ab anno Chriſti 1208.

VI. Joannes II.

Anno Græcorum 1575. Chriſti 1264. alter *Joannes* Damaſci archiepiſcopus adſtitit cum plurimis epiſcopis ordinationi Patriarchæ Ignatii III. qui & Joſue dicebatur. Aſſemanus *to. 2. p. 379.* Anteà Dionyſio Angur Patriarchæ, electo anno 1564. Chriſti 1253. die 14. Sept. quando ille Naſerum Damaſci regem adiit, ut Ezzaddini Iconii regis, & Baſanuini Tartarorum militiæ præfecti, diplomata confirmaret, quibus jura Patriarchatus ſibi adſtruebantur, comes aderat, cum quibuſdam aliis epiſcopis, *Damaſci metropolita.* Idem fortaſſis fuit ac Joannes iſte ſecundus. Aſſeman. *ibid. p. 377.*

VII. Philoxenus I.

Joanne, qui & Iſmaël cognomento Magedus, Patriarcha Mardæ renuntiato, anno 1643. Chriſti 1332. ſub nomine Ignatii VI. alias II. Occidentalis tractus epiſcopi, inter quos erat *Philoxenus* Damaſci metropolita, ex urbe Melitina quò poſt Michaëlis II. mortem anno 1660. Chriſti 1349. convenerant, Siſidem profecti, eumdem Philoxenum Antiochiæ & Syriæ Patriarcham, adverſus hunc Joannem qui obiit anno 1676. Chriſti 1365. conſtituerunt. Aſſem. *ibid. p. 383.*

VIII. Dioscorus I.

Poſt hunc Philoxenum, *Dioſcorus,* qui & *Jacobus Barkainæus,* id eſt, *fuſoris filius,* Damaſci epiſcopatum tenuit uſque ad annum Græcorum 1671. Chriſti 1360. quo Iſmaëlem Patriarcham in cœnobio S. Jacobi doctoris ſupra monaſterium Hananiæ commorantem adiit, rogaturus ut Maphrianum Orientis ipſum crearet. Quumque Patriarcha id fieri fas eſſe negaſſet ſine Orientalium conſenſu, ille oblata Salecho Mardæ domino quadraginta millium nummorum ſumma, ſubornatiſque Amera Matthæo, Denha Neſtorianorum Patriarcha, & clero populoque oppidi Carmeliſæ, ad cœnobium S. Matthæi contendit, cujus monachi Maphrianum eum proclamarunt. Sed quia cuncti Orientales contra hanc illegitimam ejus ordinationem à monachis factam obſtrepebant, Baſilium Ciliciæ Patriarcham, Philoxenum ſcilicet qui fuerat Damaſci epiſcopus adiit, à quo die 29. Junii anni 1672. Chriſti 1361. ſumpto *Gregorii* nomine ordinatus eſt. Orta vero inter ipſum & juris peritos quoſdam Mohammedanos de rebus fidei controverſia, Bagdadi interfectus eſt, anno 1676. Chriſti 1365. Aſſemanus *ibid. pp. 461. & 462.*

IX. Philoxenus II.

Anno Græcorum 1698. Chriſti 1387. quum Gabriël, qui & Baſilius Siſidis Patriarcha, in cœnobio Gavicathæ obiiſſet, ejus in locum ab Occidentalibus epiſcopis ſubſtitutus fuit *Philoxenus* Damaſci epiſcopus, cui Simeon Zabdæ filius Manemita manum impoſuit. Vir erat, ut Gregorius Bar-hebræus aſſerit in chronico, ſacris profaniſque doctrinis inſtructus. Obiit circa ann. 1732. Chriſti 1421. Aſſeman. *ibid. pp. 384. & 385.*

X. Joseph.

XI. Dioscorus II.

Ignatius IX. alias V. qui & Behenam Baſilius Hedlenſis, Patriarcha Mardæ & Syriæ, quum Baſilium Simeonem Syriæ Patriarcham Hieroſolymis obiiſſe accepiſſet anno 1756. Chriſti 1445. eo ſtatim profectus eſt, ut Jacobitas hujus urbis à novi Patriarchæ electione avertens, ſchiſma quod per Syros & Mardenſes Patriarchas inductum fuerat, aboleret. Res pro voto ceſſit, ibique duos creavit epiſcopos, Iſam ſcilicet pro Jacobitis Hieroſolymorum totiuſque Palæſtinæ, & *Joſephum* Bar-Nizan pro Jacobitis Damaſci, Emeſæ, totiuſque Phœniciæ, cui etiam ſubjecit eccleſias Heliopolis, Caræ, Sadad, Nabachæ, Tripolis, & Apameæ. Hic Joſeph anno 1769. Chriſti 1458. à Patriarcha Chalephi Maphrianus Orientis aſſumpto Cyrilli nomine creatus; paucis poſt menſibus Emeſæ deceſſit. Antequam vero ad Maphriani dignitatem eveheretur, & dum adhuc vivebat Baſilius Maadani Maphrianus, è Syria in Meſopotamiam proficiſcens, vacuam Damaſci ſedem *Dioſcoro* cognomento *Ebn-Dſau* Nabachæo, ſic dicto ex pago *Nabach* Syriæ, unde oriundus erat, reliquit. Dioſcorus ille ex nota ad calcem codicis Arabici 40. poſita, teſte Aſſemano *to. 2. pp. 244. & 509.* anno 1766. Chriſti 1455. die 24. Novemb. eccleſiæ Damaſcenæ præerat. Refert idem Aſſem. *pag. 244.* ex Edenenſe in vindiciis Maronitarum & in chronico, hujus Dioſcori opera catholicum Libani Ducem gente Maronitam Jacobiticis erroribus fuiſſe infectum. De eo Dioſcoro adhuc agit Aſſem. *ibid. in diſſert. de Monoph.* ubi de epiſcopis Damaſci, *& p. 385.*

XII. Noe.

Huic Dioſcoro ſucceſſit in epiſcopatu Damaſci *Noë* Libaniota, qui Emeſæ epiſcopus paſſim dicitur. Is anno 1800. vel 1801. Chriſti 1489. vel 1490. Maphrianus ab Ignatio XI. alias VII. qui & Joannes Bar-Sila Patriarcha

Digitized by Google

Patriarcha conſtitutus, poſt ejus mortem anno 1805. Chriſti 1494. Patriarcha electus eſt, fuitque Ignatius XII. alias VIII. Aſſeman. *ibid. & pp. 386. 462. & 468.*

XIII. MICHAEL *ſive* JESU.

Ex relatione Leonardi Abel Sidonienſis, apud Thomam à Jeſu *lib. 7. de converſ. gent. p. 386.* ſub Ignatio Davide, anno Chriſti 1583. *Michaël* (*Jeſu* vocatur ab Aſſemano in diſſert. de Monoph.) Damaſcenus Jacobitarum epiſcopus morabatur in cœnobio *Deiriloomor* ſito propè Heliopolim Phœniciæ Libaniſiæ urbem; quæ ſedes eſt epiſcopi Baalbach ſeu Heliopoleos, & nunc ad Damaſcenum metropolitam pertinet, qui toti Phœniciæ tam maritimæ quam mediterraneæ præeſt. Ita Aſſem. in præfata *diſſert. de Monoph. to. 2. Bibl. Orient.* præfixa.

XIV. ATALLAHA.

Circa medium ſæculi proxime elapſi, ſedebat Damaſci Jacobitarum præſul *Atallaha*. Is, ob flagitia depoſitus, ad Patriarcham Alexandrinum Coptorum ſe recepit. Quum autem, eo tempore, quidam Indiarum populi, A quantumlibet Neſtoriani, ab illo Patriarcha epiſcopum petiiſſent, Atallahan ad ipſos miſit, qui ſtatim Moſulam veniens à Neſtorianorum Indiarum metropolita huic eccleſiæ præfectus eſt. De eo fuſius in diœceſi Chaldæorum.

ECCLESIA DAMASCI.

XV. GREGORIUS.

XVI. PETRUS *Catholicus.*

XVII. NEHEMES *Catholicus.*

Poſtremus Jacobitarum Damaſci epiſco- B pus, inquit Aſſemanus in diſſert. de Monoph. ſæpius citata, *Gregorius Abdalazal*, paucis abhinc annis excedere urbe compulſus eſt: eamque eccleſiam hæretico paſtore vacuam, annuente ſacra congregatione *de Propaganda Fide*, accepit Catholicus Syrorum epiſcopus *Petrus Meſſercia:* quo paulo-poſt defuncto, ab eadem ſacra congregatione nuper ſubſtitutus fuit *Nehemes*, quem olim conſpirantes Jacobitæ ex urbe Alepo Adanam, una cum Petro Patriarcha, aliiſque orthodoxis ejuſdem Syrorum nationis epiſcopis in exilium miſerant.

II.

ECCLESIA DARÆ.

DARA, vel *Daras,* urbs eſt ſtadiis 98. Niſibi diſtans, Procopio teſte *lib. 1. de bello Perſico cap. 10.* & à limite utriuſque imperii, Romanorum ſcilicet & Perſarum, ſtadiis ſeptem circiter & triginta. Hanc anno Græcorum 817. Chriſti 506. Anaſtaſius Imperator firmiſſimis mœnibus cingi curavit, ut ſcribunt Joſue ſtylites, Dionyſius Patriarcha, & Zacharias Melitinenſis. Urbis eo modo ex vico factæ præſulem Thomas Amidæ epiſcopus, *Eutychianum* presbyterum inſtituit; quo decedente, *Thomas* Rheſinenſis Abdiæ filius, ſecundus Daræ epiſcopus creatus eſt. Is, Juſtini Imperatoris juſſu in exilium pulſus, quod ſynodum Chalcedonenſem recipere noluiſſet, anno Chriſti 540. obiit. Ex quo autem Dara in poteſtatem Saracenorum venit anno 952. Chriſti 641. ejus ſedes ab Amidenſis metropolitæ juriſdictione exempta fuit, imò & in archiepiſcopalem à Jacobitis erecta, ut ex vetuſtiſſimo codice Syriaco inter Ecchellenſes 16. ſcripto anno 1243. Chriſti 932. cujus meminit Aſſemanus *to. 1. Bibl. Orient. pag. 576. & to. 2. p. 119.* liquet, in quo Joannes, *metropolita Daræ,* ſæpius appellatur. Circa annum Chriſti 1130. imminuto valde Chriſtianorum numero, eccleſia Darenſis, Mardenſi, Niſibenæ, Haranenſi, Chaborenſi, & Caphartutenſi conjuncta fuit, ſub Joanne Mardæ epiſcopo, qui anno 1436. Chriſti 1125. ordinatus obiit anno 1476. Chriſti 1165. Ita Aſſemanus *tom. 2. in diſſert. de Monoph. & pp. 58. 119. & 216.*

EPISCOPI DARÆ.

I. DAVID.

POſt occupatam à Saracenis urbem Daram, primus ejus pro Jacobitis epiſcopus in Dionyſii chronico occurrit *David,* ad annum 1066. Chriſti 755. Is ſynodo Sarugenſi epiſcoporum Geziræorum, Moſulanorum, & Occidentalis tractus adfuit, in qua Georgium Patriarcham conſtituerunt, anno 1076. Chriſti 765. In altera ſynodo Sarugenſi an- C no 1078. Chriſti 767. cui etiam præſens fuit, in ejuſdem Georgii juſſu Abdallæ Arabum regis in vincula conjecti locum intruſus eſt. Eos tamen ſolos ſibi obſequentes epiſcopos habuit, à quibus electus fuerat; cæteris, vel Georgii nomen in eccleſia recitare pergentibus quandiu in carcere vixit, vel neutri eorum adhærentibus. Aſſemanus *tom. 2. in diſſert. præfata de Monoph. & pp. 110. 111. 112. 113. & 340.*

ECCLESIA DARÆ.

II. Joannes.

Celebre eſt apud Jacobitas hujus *Joannis* Daræ epiſcopi, cujus jam ſupra meminimus, nomen. Huic Dionyſius Patriarcha, teſte Bar-hebræo, chronicon ſuum nuncupavit: ex quo dubium plurium eruditorum tollitur quandonam Joannes ille vixerit, ſiquidem Dionyſii chronicon ad annum circiter Græcorum 1155. Chriſti 844. perductum eſt: obiit vero 22. Auguſti anno 1156. Chriſti 845. Ea igitur ætate florebat Joannes Daræ epiſcopus, & metropolita, ut in codice 16. ſupra memorato appellatur. Plures libros A edidit, ſcilicet quatuor de reſurrectione corporum, duos de cœleſti & eccleſiaſtica Hierarchia, quatuor de ſacerdotio: ejuſdem quoque Darenſis anaphoram laudat auctor catalogi liturgiarum, apud Schultengium *tom. 3. p. 106. n. 29.* his verbis, *Joannis epiſcopi Daranenſis Chaldaïcè compoſita anno à Nativitate Domini 725.* Verum omnino palam eſt iſtum *Joannem* epiſcopum *Daranenſem,* aliunde nobis ignotum, eum non eſſe de quo loquimur, ut-pote quem ille toto ſæculo præceſſit: vel errorem hic extare in epocha 725. fortaſſis pro 825. Aſſem. *ib. pp. 118. & ſeqq. & 347.*

****

E

I.

ECCLESIA EDESSÆ.

DE Edeſſa Oſroënes metropoli jam fuſe dictum eſt. Altas in ea urbe Neſtoriana hæreſis radices primum egerat: at acri ſtudio intenderunt Monophyſitæ ad eam deſtruendam ſuamque ſtabiliendam. Chronicon Edeſſenum, quod doctiſſ. Aſſemanus edidit *to. 1. Bibl. Orient. p. 424. & ſeqq.* hanc nobis Jacobitarum iſtius eccleſiæ præſulum ſeriem ſuppeditat.

EPISCOPI EDESSÆ.

I. Jacobus I.

Jacobus Baradæus Zanzalus, cognomento *Phaſilta,* à quo Jacobitæ nomen ſumpſerunt, Edeſſenæ eccleſiæ, poſt Adæum qui obiit anno Græcorum 852. Chriſti 541. eodem anno curam ſuſcepit, ex Dionyſio Patriarcha in chronico, apud Aſſemanum *to. 1. pag. 424. & to. 2. pag. 62.* Eum tamen Barhebræus, apud eumdem Aſſem. *to. 2. p. 327. œcumenicum metropolitam* appellat, quaſi nulli ſedi ſpecialiter addictus, ubique apud hæreſis ſuæ ſectatores metropolitico jure fungeretur. C *Pauci epiſcopi,* inquit, *in quodam caſtro ſub cuſtodia publica detenti, tuendæ religionis ſtudio permoti, per manus impoſitionem ordinarunt Jacobum* (hunc Baradæum) *virum ſimplicem, Conſtantinopoli per eos dies commorantem. Is preſbyter erat in monaſterio Phaſiltæ ex Gamua pago in Monte-Izla* (prope Niſibin urbem) *quem & œcumenicum metropolitam ordinarunt. Ea dignitate auctus Jacobus, ubique aderat, opere & ſermone paratus. Erat porro vir inops, pauper, laboris patientiſſimus, pedum celeritate adeo pollens ut alterum Azaëlem putares.* D *Cœpit itaque poſitas ad Orientem regiones luſtrare, & orthodoxis* (intelligit Jacobitas) *ſacros ordines ubique conferre, & clericos inſtituere ſub mendici ſpecie latens, &c. Nulli erant ea tempeſtate in Oriente epiſcopi orthodoxi* (id eſt Monophyſitarum erroribus imbuti) *ut præter Marim Singaræ epiſcopum neminem haberent, qui ſacerdotes* (hujus ſectæ) *ordinaret, donec ſurrexit Jacobus, cujus opera ſacerdotum cenſus mirum in modum auctus eſt, eamque ob cauſam* B *ex ejuſdem nomine Jacobitæ ſunt nuncupati.* Idem de nomine Jacobitarum ab eo Jacobo aſſeritur in codice Syriaco Nitrienſi Clementino Vaticano 3. fol. 153. & in cod. Syriaco Vaticano 26. ad diem 31. Julii in hæc verba: *Jacobus Baradæus à quo Jacobitæ nuncupati ſumus,* teſte Aſſemano *to. 2. p. 65.* qui inſuper obſervat Niceph. lib. 18. c. 52. ſic ſcribere; *Jacobitæ ſunt nominati, propterea quod ei, quem dixi, Monophyſitarum hæreſis ſtudioſo Jacobo adhærerent.* Anaſtaſius quoque Sinaïta huic Jacobo coævus in *Hodego* ſimilia tradit de nomine Jacobitarum. Ex quibus refelluntur hujus ſectæ nonnulli, qui à S. Jacobo fratre Domini hoc ſibi inditum nomen repetunt: quod eſt adeo falſum, inquit Aſſem. *to. 2. p. 66.* ut ante Jacobi Baradæi ætatem, ne veſtigium quidem *Jacobitarum* in ullis tam Monophyſitarum, quam Catholicorum monumentis appareat. *Baradæus* vocitabatur Jacobus ille, non ex urbe *Bardaa,* quæ duntaxat circa annum Chriſti 705. condita eſt; anno enim Hegiræ 85. eam ædificari curavit *Abdalazizus filius Hatemi filii Naaman Bahelitæ,* teſte Gelaleddino Aſiutenſi in chronico Califarum, cod. Arab. Clem. Vat. 47. fol. 80. apud Aſſem. *to. 1. p. 627. & to. 2. pag. 67.* ſed à voce *Bardaa,* quæ clitellam, *lacerumque pannum* deſignat, *quod ei amictus erat,* inquit Eutychius Alexand. to. 2. annal. p. 147. *è centonibus al-Baradai ſeu dorſualium quæ jumentis inſterni ſolent.* Phaſilta autem, unde cognomen eidem Jacobo ortum eſt, cœnobium erat in quo ille monachus fuit, antequam epiſcopus Edeſſenus fieret. Ex eo

Digitized by Google

tamen cognomine contigit, ut vulgo, apud Jacobitas, *Jacobus Phaſilta* à *Baradæo* diſtinguatur: nam in pervetuſto ſanctorum Kalendario, à Saliba Barchirone preſbytero exarato ad calcem cod. Syriaci 32. cujus mentio fit *to. 2. Bibl. Orient. p. 505.* legitur ad diem 31. Julii, ut refert idem Aſſemanus in differt. de Monoph. ubi de Edeſſa: *Jacobi epiſcopi Phaſiltæ ex Umka Izalæ oppido, qui fuit diſcipulus Jacobi magni cognomento Baradæi.* Item in formula fidei, quæ in pontificali Syrorum p. 94. à Patriarcha vel epiſcopo electo ante conſecrationem emittenda notatur coram præſide ſynodi, præter S. Jacobum apoſtolum, duo alii Jacobi recenſentur, nimirum *Jacobus Patriarcha, & Jacobus Phaſiltæ.* Barhebræus nihilominus, Jacobus Tigritenſis, & codices liturgici, Jacobum Baradæum & Jacobum Phaſiltæ, unum eumdemque hominem faciunt. Dionyſius quoque Patriarcha in chronico ait, quaſi de uno, *anno Græcorum 862.* (Chriſti 551.) *claruit Jacobus Edeſſæ epiſcopus, ex monaſterio Phaſiltæ.* Nec antiquiores auctores qui de Jacobo Baradæo, vel Jacobitis diſſeruerunt, Jacobum Phaſiltæ à Baradæo diſtinguunt. Hic porro epiſcopatum adeptus, Monophyſitarum partes adeo acriter propugnavit, ut Acephali qui in Meſopotamia & Syria capite carebant, aliique ſynodi Chalcedonenſis hoſtes in varias factiones ſciſſi, ac diverſa nomina ſortiti, ei ſe conjunxerint, unamque veluti ſectam conflaverint *Jacobitarum*, ex ejus nomine, ut ſupra obſervatum eſt, appellatam. Præerat tum orthodoxis Antiochenus Patriarcha Ephræm Amidenſis, Monophyſitis vero Sergius primus eorumdem poſt Severum Patriarcha, quem ab anno Græcorum 850. Chriſti 539. ad annum 861. Chriſti 550. cathedram tenuiſſe affirmat Dionyſius in chronico. Eo mortuo, Baradæus, ut-pote Edeſſenam ſedem occupans primariam in Meſopotamia, ubi Syri à legitimo Antiochiæ præſule deſciverant, Paulum quemdam in Patriarcham ſuæ ſectæ ordinavit, coram pluribus epiſcopis ad id coactis. Innumeras de hujus Jacobi geſtis fabulas conſarcinant ejus aſſeclæ. Obiit tandem anno Græcorum 889. Chriſti 578. ex eodem Dionyſio, poſtquam Edeſſenam ſedem per annos 37. tenuiſſet. Ejus, ceu *ſancti*, memoriam colunt Jacobitæ in ſuo Kalendario, ad diem 28. Novembris.

II. Theodorus.

III. Thomas.

Gregorius Bar-hebræus in chronico, apud Aſſemanum *to. 2. in differt. de Monoph. & pag. 325.* refert, quo tempore Amazonius Catholicis Edeſſæ præerat, (qui anno 553.

A quintæ ſynodo generali interfuit) Jacobitarum curam ſuſcepiſſe (ſub Jacobo nimirum Baradæo, quem *epiſcopum* totius ſectæ *œcumenicum* appellat) *Theodorum* quemdam. Nec dubium, inquit Aſſemanus, quin ſubſequutis etiam temporibus, ut ſuum Jacobitæ, ſic ſuum Edeſſæ orthodoxi epiſcopum habuerint. Idem Bar-hebræus *Thomæ* mentionem facit, qui dum Jacobus Baradæus in vivis erat, dicebatur, ipſo procul dubio annuente, Edeſſæ epiſcopus, à quo poſt Sergii Patriarchæ obitum anno Chriſti 542. ordinatum B Paulum ejus ſucceſſorem in Patriarcham aliqui tradunt. Hos duos Dionyſius in chronico prætermiſit. Aſſemanus *in præfata differt. & pag. 331.*

IV. Sergius.

Jacobitis hujus eccleſiæ præfuit, tempore Juliani I. (qui, poſt Petrum Callinicenſem anno Græcorum 902. Chriſti 591. mortuum, Patriarchatum geſſit, tribus annis & menſibus quinque) *Sergius.* Adverſus hunc, & fratrem ejus Joannem, librum ſcripſit præfatus Julia- C nus, de quo hæc habet Bar-hebræus, apud eumdem Aſſeman. to. 2. pag. 333. *Eadem tempeſtate Edeſſæ epiſcopatum orthodoxorum* (id eſt Jacobitarum) *tenebat Sergius, Armenus nuncupatus, qui una cum fratre Joanne in Mar-Petri* (Callinicenſis) *ſcripta inſurrexit, affirmans non eſſe utique legenda. Ambo nihilominus à Juliano Patriarcha reprehenſi fuere, poſtquam ſententias, quibus offenſi fuerant, illis expoſuiſſet: vixque ab inani & futili zelo ſe continuere.* Hic utique *Sergius* ille *Armenus* eſt, quem Sophronius Hieroſolymitanus in D epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum *Tritheiæ minoris* parentem dicit: Πέτρος ὁ Σύρος, Σέργιος Ἀρμένιος, οἱ τῆς μικρᾶς Τριθεΐας ἡγούμενοι. Verum quum Petrus ille Syrus alter non fuiſſe videatur à Petro Callinicenſi, mirum ſubit cur Sophronius hunc Sergio Armeno ſocium jungat in minoris Tritheïſmi defenſione: niſi quod iis hæreticis, non ſecus ac aliis ſæpe, contigerit, ut in quibuſdam à ſe invicem diſſentirent, quamvis in præcipuo erroris capite concordes eſſent. Sergium iſtum neſcio cur omiſerit Dionyſius in ſerie E epiſcoporum Edeſſæ, quam exhibet Aſſem. *to. 1. p. 424.* nam eodem anno 889. Chriſti 578. quo obiit Jacobus Baradæus, ordinatum ſcribit Severum.

V. Severus.

VI. Esaias.

Sergio ſucceſſit *Severus* & ſediſſe memoratur in chronico Edeſſeno uſque ad annum Græc. 914. Chriſti 603. quo Narſes militiæ Perſarum præfectus, expugnata Edeſſa cum

lapidibus obrui juſſit. Deinceps ſedes vacavit uſque ad annum Græc. 939. Chriſti 628. quo juxta Theophanem & Cedrenum *Heraclius Imperator Edeſſam profectus, ejus eccleſiam ſub Coſrois temporibus à Neſtorianis occupatam, orthodoxis reſtituit.* Ita Aſſem. *to. 1. pag. 425.* qui addit *to. 2. p. 33.* poſt mortem Severi, à Coſroë Perſarum rege, quemdam *Eſaiam* intruſum fuiſſe in Edeſſenam Jacobitarum ſedem, illamque tenuiſſe donec ab Heraclio Imperatore pulſus fuit; unde hunc in ſerie epiſcoporum Edeſſæ collocandum cenſet poſt Severum. Scribit autem Elmacinus in hiſtoria Saracenorum pag. 14. quod *Heraclius profectus Rubam* (Edeſſam) *juſſerit Chriſtianos reverti à ſecta Jacobitica ad orthodoxam, id quod fecerunt.* Ex quo infert Aſſemanus *to. 1. pag. 425.* epiſcopos ſaltem tres ſequentes, Simeonem, Cyriacum & Jacobum fuiſſe orthodoxos. Emendat tamen *to. 2. pag. 337.* quod de orthodoxa hujus Jacobi fide *to. 1. p. 470.* aſſeruerat, & merito quidem, ut ex infra dicendis patebit. Idem quoque de duobus aliis ſentiendum videtur.

VII. Simeon I.

Ex chronico Edeſſeno, *Simeon* hujus eccleſiæ epiſcopus ordinatus eſt anno Græc. 939. Chr. 628. obiit vero anno 961. Chriſti 650. quo etiam Joannes I. Patriarcha vivere deſiit. Ita teſtatur Dionyſius, apud Aſſeman. to. 1. pag. 425. *Anno 961. Græcorum obiit S. Mar-Joannes Patriarcha Antiochiæ* (ſcilicet Jacobitarum) *& ſepultus fuit Amidæ in templo ſancti Mar-Zoaræ. Eodem quoque anno obiit S. Mar-Joannes Arabum epiſcopus, & ſepultus fuit in eadem urbe Amidæ in templo S. Joannis-Baptiſtæ. Eodem denique anno etiam Amidæ obiit S. Mar-Simeon Edeſſæ epiſcopus, ſepultuſque fuit in templo Mar-Zoaræ.* Ex quibus verbis liquet Simeonem aliis ſuæ ſectæ epiſcopis à Jacobitis accenſeri, nec eos vel leviter dubitaſſe quin ſuos errores ſemper profeſſus fuerit.

VIII. Cyriacus.

De eo ſic loquitur Dionyſius, apud Aſſeman. to. 1. p. 425. *Anno 962.* (Chr. 651.) *factus eſt Mar-Theodorus Antiochiæ Patriarcha: Edeſſæ autem Cyriacus.* Et infra. *Anno 988.* (Chriſti 677.) *obiit Mavias Arabum rex.... Edeſſæ autem pro Cyriaco factus eſt Mar-Jacobus.*

IX. Jacobus II.
X. Abibus.

In aſſignando anno quo *Jacobus* iſte Edeſſenam ſedem conſcendit, inter ſe non conveniunt Dionyſius Patriarcha, & Gregorius

A Bar-hebræus: nam, ut modo dictum eſt, cum ſuffectum Cyriaco an. Græcorum 988. Chriſti 677. ſcripſit Dionyſius; Bar-hebræus vero eum ordinatum teſtatur ab Athanaſio II. qui Patriarchatum iniit anno Græcorum 995. Chriſti 684. *Circa eadem tempora*, inquit, *claruit Jacobus, Edeſſenus nuncupatus, quoniam poſtea eidem urbi præfectus eſt ab iſto Athanaſio.* Non minus diſſentiunt de anno mortis ejus, quippe quam contigiſſe aſſerit Dionyſius anno Græcorum 1021. Chriſti 710. Barhebræus autem anno Græc. 1019. Chr. 708.
B Epocham Bar-hebræi Dionyſianæ præfert Aſſemanus *to. 2. pag. 337.* Hujus tempore, anno 990. Chriſti 679. die Dominica, 3. April. veterem Edeſſæ eccleſiam, ingenti terræ motu cum magna populi clade corruiſſe narrat Dionyſius, apud Aſſem. *to. 1. p. 426.* Item *p. 468. Anno 1017.* (Chr. 706.) *habitam fuiſſe ſynodum in monaſterio Mar-Sila, cui præfuerunt Julianus Patriarcha, & Thomas Amidæ, & Jacobus Edeſſæ librorum commentator; florebat ipſe ſanctus Mar-Jacobus urbis Edeſſæ.* Epitomen vitæ ejus ex Bar-hebræo
C refert Aſſemanus *to. 2. p. 336.* quæ eſt ejuſmodi: *Natus eſt religioſiſſimus Jacobus Indaba in caſtello regionis Gumiæ in agro Antiocheno, & in monaſterio Aphtonii, quod Kenſerinenſe dicitur, Græcam linguam, & ſacrorum librorum lectionem perfectè didicit. Inde Alexandriam profectus, ibique eruditus, in Syriam poſtliminio revertitur, tandem Edeſſam delatus, illius eccleſiæ epiſcopus creatus eſt. Eam tamen ſedem, improborum quorumdam clericorum factione exagitatus, quum eorum inſolentiam ferre non poſſet, ſponte reliquit. Sed & cum Patriar-*
D *cha Mar-Juliano, cæteriſque epiſcopis, pro eccleſiaſticorum canonum obſervantia acriter pugnavit. Quum autem nemo ei aures præberet, ſed omnes ut res tempori accommodaret eum adhortarentur, ſacrorum canonum collectos codices, ante monaſterii valvas ubi Patriarcha morabatur, concremavit, alta voce proclamans: Canones à vobis conculcatos atque minime cuſtoditos, quaſi ſupervacaneos & inutiles flammis devoveo. Indeque ſimul ad monaſterium Mar-Jacobi de Chiſuma ſeſe proripiens, ibidem manſit. Ejus in locum Edeſſæ conſecratus eſt epi-*
E *ſcopus Habibus ſenex vir mitis ingenioque aperto & candido, & ob morum ſuavitatem comitatemque gratiſſimus. Jacobum vero monachi Euſebonæ ad ſe arceſſivere, apud quos per undecim annos Pſalmos & ſcripturarum græcam lectionem docuit, græcumque ſermonem fere jam exoletum reſtituit. Quam ob cauſam à fratribus in Græcos peſſime animatis vexatus, ad magnum cænobium Teledæ migravit, ibique novennio commoratus, veteris Teſtamenti libros emendavit. Interea Habibus mortuus eſt: quamobrem*

Digitized by Google

Edeſſeni Patriarcham adiere, eique ſupplicarunt ut Jacobum ad ſuam eccleſiam redire pro poteſtate juberet. Paruit Jacobus: ſed poſt quatuor à recepta ſede menſes in Occidentem profectus, ut libros & diſcipulos ſuos ad ſuam eccleſiam adſportaret, quum ad monaſterium perveniſſet, libroſque ſuos præmiſiſſet, vita functus eſt anno Græcorum 1019. (Chriſti 708.) *die 5. Junii.* Huc uſque Bar-hebræus. At Dionyſius ſcribit, apud eumdem Aſſeman. to. 1 pag. 426. *Anno 1021.* (Chriſti 710.) *defuncto S. Mar-Jacobo Edeſſæ epiſcopo ſubrogatum fuiſſe Mar-Habibum*, qui, *anno 1040.* (Chriſti 729.) *obiit*. Jacobi memoriam colunt Syri, tum Maronitæ, tum Jacobitæ, in Kalendario, inquit Aſſemanus *to. 1. p. 468.* Porro hæc omnia, ſi vera ſint, perpetuam evincunt ad mortem uſque, hujus Jacobi cum Jacobitis, tam Patriarchis, quam monachis, communionem, quæ cum orthodoxa fide minime cohærere potuit. *Librorum commentator* apud Jacobitas nuncupatur, duplici ex cauſa, ut obſervat idem Aſſemanus *to. 1. pag. 475.* qui etiam *pag. ſeqq.* ejus operum analyſim tradit: prior eſt, quod canonicos ſacræ ſcripturæ libros commentariis illuſtraverit: poſterior, quod plurimas ſanctorum Patrum atque hæreticorum lucubrationes è Græco Syriacas fecerit. De Abibo ejus, ſive dum viveret, ſive poſtquam obiit, ſucceſſore, nihil aliud occurrit dicendum, niſi prætenſum miraculum quod refert Dionyſius ad annum 1032. Chriſti 721. apud præfatum Aſſem. *to. 1. p. 427.* ipſum ſcilicet à Deo obtinuiſſe ut monachus cœnobii S. Abelis in agro Edeſſeno qui jam obierat, è ſepulcro ſurgeret, locumque ſibi interroganti declararet in quo cujuſdam Saraceni depoſitum, quod ille repetebat, condiderat; & deinde, eo annuente, in ſepulcro ſeſe reponeret.

XI. Constantinus I.

De eo hoc ſolum legimus in Dionyſii Patriarchæ chronico, *anno 1040.* (Chr. 729.) *obiit ſanctus Mar-Abibus Edeſſæ epiſcopus, cui Conſtantinus ſucceſſit.* Ejus tempore Edeſſa aquis jam quintùm ſubmerſa eſt anno 1054. Chriſti 743. Obiit autem anno 1065. Chriſti 754. Aſſemanus *tom. 1. pag. 428. & to. 2. pp. 105. & 107.*

XII. Timotheus.

Vixit ille ab anno 1065. Chriſti 754. uſque ad annum 1072. Chriſti 761. Georgii Patriarchæ cognomento Baaltan partes contra Joannem Callinici ſequutus eſt, teſte Dionyſio ad annum 1065. Chriſti 754. ubi ortum inter Jacobitas in ordinatione Georgii ſchiſma fuſius deſcribit. Aſſemanus *to. 1. pag. 428. & to. 2. pag. 111.*

XIII. Simeon II.

XIV. Anastasius *electus.*

XV. Zacharias.

Timotheo anno 1072. Chriſti 761. mortuo ſubrogatus fuit *Simeon* ex vico Beth-Cheduna ubi incluſus aſceticam vitam agebat. Hic ab Edeſſenis ad Georgium Patriarcham pertractus, adduci non potuit ut in urbe maneret, aut pontificalibus muniis fungeretur, ſed tertio ab ordinatione ſua die in montem Edeſſæ proximum ſecedens, cœnobium quoddam Deiparæ nuncupatum incoluit, ut conſuetis meditationibus liberius vacaret. Edeſſenæ autem eccleſiæ præficiendum curavit *Anaſtaſium* quemdam Æthiopem, cœnobii Zuchenim monachum, cujus probitatem ſibi fuiſſe à Deo manifeſtatam dicebat. Verum Anaſtaſius iſte, è manibus Edeſſenorum intempeſta nocte elapſus pridie quam ſacrandus eſſet, in monaſterium ſuum reverſus eſt. Tum Simeon Anaſtaſii exemplo, relicta Edeſſa in montem Samoſateni agri ſe recepit, ubi reliquum vitæ ſuæ tempus in ſuſcipiendis peregrinis impendit. Ejus in locum *Zachariam* ex columna ſuper quam morabatur aſſumptum ſuffecerunt Edeſſeni, qui anno Græcorum 1080. Chriſti 769. Edeſſa ejectus fuit. Aſſemanus *to. 1. p. 428. & to. 2. pp. 111. 112. & 114.*

XVI. Elias I.

Zachariæ eodem anno 1080. Chriſti 769. ſucceſſit *Elias ex monaſterio Cartaminenſi: vir crudelis & flagitioſus*, inquit Dionyſius, *quique Deum ob oculos nequaquam habebat, quo epiſcopo Edeſſeni digni erant, non is Edeſſeno epiſcopatu. Verum quum à nemine in urbem admiſſus fuerit, ideo quæ poſt ejus ordinationem ſubſequuta ſunt facinora, ſilentio præterire duximus. Atque ita Edeſſa abſque epiſcopo manſit.* Hîc ſuam epiſcoporum Jacobitarum Edeſſæ ſeriem Dionyſius claudit. Aſſem. *to. 1. p. 428.*

XVII. Theodosius.

Circa annum Græc. 1136. Chriſti 825. *Theodoſius*, Dionyſii Telmarenſis Jacobitarum Patriarchæ ex cujus chronico multa de epiſcopis Edeſſenis ſupra excerpſimus frater, eccleſiam Jacobiticam Edeſſenam adminiſtrabat. Is librum carminum ſancti Gregorii Nazianzeni è græco Syriacum fecit, teſte Gregorio Bar-hebræo, apud Aſſem. *to. 2. p. 345.*

XVIII. Constantinus II.

Aſſemanus *to. 1. Biblioth. Orient. pag. 63.*

ECCLESIA EDESSÆ.

codicis Syriaci 3. ex Oriente Romam adſportati, ubi continentur commentaria ſancti Ephræm Syri in vetus Teſtamentum, mentionem facit, in quo hæc temporis nota legitur folio 383. unde cognoſcimus *Conſtantinum* quemdam Edeſſenam Jacobitarum eccleſiam rexiſſe anno Græcorum 1172. Chriſti 861. *Abſoluta eſt decem poſt annos hujus utiliſſimi Theſauri accurata collectio per peccatorem Severum, &c. Anno* (Græcorum) *centeſimo ſeptuageſimo-ſecundo ſupra milleſimum, die 24. Adar* (ſeu Martii) *in monaſterio S. Barbaræ quod in Monte-Edeſſæ ſitum eſt, diebus beatiſſimi Patriarchæ Mar-Joannis,* (Joannes eſt III. qui ab anno Græcorum 1158. Chriſti 847. uſque ad annum 1185. Chriſti 873. per 27. annos Patriarchatum Jacobitarum tenuit) *& religioſiſſimi metropolitæ* (utique Edeſſæ) *Conſtantini, &c.* Quæ vero in corpore hujus codicis continentur, enumerat Severus ille hoc modo: *Summa expoſitionis veteris inſtrumenti S. Ephræm quidem 5600.* (ſcholia ſunt interpretum) *ſancti vero Jacobi Edeſſeni in Pentateuchum, in Job, una cum reliquis ſcholiis quæ in hoc codice ſparſim habentur, 2860. ſumma autem Pauli Apoſtoli, Matthæi & Joannis Evangeliſtarum, quæ omnia fere commentaria ſunt Joannis Chryſoſtomi, licet pauca quædam ad alios etiam pertineant, 2400. ſumma omnium 10860.* De Conſtantino nihil aliud nobis innoteſcit.

XIX. Paulus.

XX. Jacobus III.

In fine codicis 15. Syriaci Vaticani, cujus meminit Aſſemanus *to. 1. Bibl. Or. p. 614. & to. 2. p. 152.* nota eſt, in qua mentio fit *Pauli* & *Jacobi* epiſcoporum Edeſſæ, hoc modo: *Cantus correcti à Paulo & Jacobo epiſcopis Edeſſenis: exaratus autem fuit Codex hic à Joanne, diebus religioſiſſimorum ac beatiſſimorum Patriarcharum, domini Joannis cognomento Abdon, ſedis Apoſtolicæ Antiochiæ urbis* (qui Jacobitis præfuit ab anno Græcorum 1315. Chriſti 1004. uſque ad annum 1344. Chriſti 1033. *& domini Zachariæ Patriarchæ Alexandriæ,* (ab anno Chriſti 1000. ad annum 1034.) *& domini Thomæ metropolitæ Samoſatæ, & domini Thomæ epiſcopi Claudiæ, &c. Non multum* itaque ante hoc tempus, & ſubinde ſæculo decimo, vixiſſe duo illi epiſcopi Edeſſæ *Paulus* & *Jacobus* videntur.

XXI. Athanasius I.

Anno Græcorum 1385. Chriſti 1074. *Athanaſius* Edeſſæ epiſcopus Baſilium II. Patriarcham in Heſen-Manſur ordinavit. Aſſem. *to. 2. p. 356.*

XXII. Basilius I.

Eodem ſæculo ad finem vergente, Athanaſius VII. Patriarcha Edeſſæ præfecit *Abugaleb Bar-Sabuni*, Joannis Saidi Melitinenſis fratrem, virum Syriaci & Græci ſermonis peritum, eique *Baſilii* nomen impoſuit. Verum eumdem, nondum exactis 40. diebus, epiſcopatu dejecit. Deſtitutionis hujus cauſa fuit, quod cimelia & ornamenta Patriarchalia, quæ Joannes Abdon apud Edeſſenos, pro quadam argenti ſumma quam debebat, depoſuerat, Athanaſio contra fidem datam, reddere detrectaret, ſcripta ipſi epiſtola, qua declarabat ſe ideo promiſſis ſtare non potuiſſe, quoniam obſtabant Edeſſæ principes apud quos ea ornamenta cuſtodiebantur. Propter hoc diſſidium ſciſſi ſunt Edeſſeni in duas partes, alii Baſilium tuebantur, alii Athanaſium in illum veluti rebellem commovebant. Baſilius autem Francos Edeſſæ tunc dominos adiit, ut Athanaſium placarent, hunc quoque Dionyſius Melitines epiſcopus vir provectæ ætatis, cum 70. nobilibus ſuæ civitatis, convenit. At tantum abſuit ut eos omnes exaudiret Patriarcha, quin potius Dionyſium epiſcopatu privaverit. Quæ quidem omnia poſt captam à Balduino noſtrate Bononienſi, Godefridi Bullionis germano fratre, Edeſſam, ut apparet, contigere, adeoque poſt annum 1098. Hic utique Baſilius Edeſſæ epiſcopus, veriſimiliter auctor eſt carminum trium metro S. Jacobi, id eſt dodecaſyllabo, de Edeſſæ expugnatione, quorum meminit Bar-hebræus apud Aſſemanum *to. 2. p. 317.* Demum Baſilius ille, quum accepto mortis Athanaſii nuntio, anno Græcorum 1440. Chr. 1129. ad ſynodum, quæ Chiſumæ pro ejus ſucceſſoris electione celebrabatur, properaret, Samoſatæ ex equo decidit, Edeſſamque tranſportatus paulo-poſt exceſſit è vita. Aſſem. *to. 2. pp. 212. 358. & 359.*

XXIII. Basilius II.

Anno 1454. Chriſti 1143. Gozelinus Edeſſæ comes *Baſilium Bar-Summa*, è Chiſumenſi epiſcopatu ad Edeſſenum transferri curavit, quam tranſlationem approbavit Athanaſius VIII. In ſynodo coacta ab eodem Athanaſio in cœnobio Barſumæ anno 1466. Chriſti 1155. Diœceſis Sibabarecha, amoto Baſilio ejus epiſcopo, Edeſſenæ adjuncta eſt. Obiit Baſilius Edeſſenus circa annum 1480. Chriſti 1169. quo ipſi ſuffectus eſt Athanaſius Denha ejuſdem eccleſiæ archidiaconus. Aſſem. *ibid. pp. 361. 362. & 364.*

XXIV. Athanasius II.

Hunc *Athanaſium* Michaël I. dictus Magnus,

Digitized by Google

anno Græcorum 1480. Chriſti 1169. epiſcopum Edeſſæ ordinavit. De quo nihil aliud nobis notum eſt. Aſſem. *ibid. p. 364.*

XXV. Theodorus.

Anno Græcorum 1518. Chriſti 1207. mortuo Athanaſio IX. Patriarcha, in Michaëlem Juniorem, dictum Joſue Labeo, qui jam anno 1512. Chriſti 1201. contra eumdem Athanaſium à quibuſdam epiſcopis fuerat electus, conſenſere epiſcopi. Verum *Theodorus* cognomento *Sukair,* qui tunc ſedebat Edeſſæ, & duo alii epiſcopi, indignati quod petitam ab eo ad ſolvendum Amidæ domino tributum pecuniam non impetraſſent, in cœnobio *Siræ,* cum pluribus Tur-Abdini epiſcopis, Joannem XIV. qui & Joſue ſcriba cognominabatur, Patriarcham crearunt anno 1519. Chriſti 1208. Eidem ſubinde Meſopotamiæ eccleſias Jacobiticas luſtranti comes adfuit *Theodorus,* cum Menna Amidæ epiſcopo, ingentique cleri & populi multitudine, qui incredibilem argenti ſummam con- C geſſere, multo Patriarcham alieno ære obſtrictum obtendentes. Obierat quum Ignatius II. qui & David, ex Maphriano Patriarcha factus eſt, anno Græcorum 1533. Chriſti 1222. Aſſem. *pp. 231. 370. & 371.*

XXVI. Joannes.

Ad calcem codicis Syriaci 6. cujus meminit Aſſem. *to. 1. pag. 611.* legitur hæc nota temporis; *Scriptus in monaſterio ſancti Jacobi doctoris, in monte Edeſſæ, à Simeone monacho ac preſbytero, anno Seleuci 1534.* (Chr. 1223.) *menſe Maio, die 12. ſub Ignatio II. qui & David Patriarcha Antiocheno, & Joanne metropolita Edeſſeno. Joannes* itaque tunc temporis erat Edeſſæ epiſcopus.

XXVII. Abdalas.

Anno Chriſti 1444. Romam venit *Abdalas* Jacobitarum Edeſſenorum metropolita cum litteris Ignatii IX. alias v. Behenam, qui & Baſilius Hedlenſis vocabatur, & Patriarcha fuit Jacobitarum ab anno Græcorum 1723. Chriſti 1412. uſque ad annum 1766. Chriſti 1455. quo obiit. Has litteras Abdalas obtulit Eugenio IV. ſummo pontifici, in concilio quod Florentia Romam tranſlatum erat, ut litteris ſuis Eugenius ipſe teſtatur. *Ecce nunc iterum,* inquit, *ipſo cooperante Domino, aliæ nationes de longinquis convenerunt, inter Tigrim* A *& Euphratem Meſopotamiam habitantes, quæ de proceſſione Spiritus ſancti, & aliis quibuſdam articulis non recte ſentiebant. Multa igitur nobis, & omnibus Chriſti fidelibus eſt cauſa lætandi, quia jam, annuente Domino, Romanæ eccleſiæ ſplendidiſſima de fidei veritate aſſertio, quæ munda ſemper fuit ab omni macula falſitatis, etiam apud Orientem, ultra Euphratis terminos, novis coruſcationibus micat, adeo ut venerabilem fratrem noſtrum Abdalem* ſive Abdalam *archiepiſcopum Edeſſæ venerabilis fratris noſtri* B *Ignatii Patriarchæ Syrorum, atque totius nationis ſuæ legatum ad hanc uſque almam Urbem, ad præſentiam noſtram, & ſacrum hoc Lateranenſe concilium traxerit, & vocarit, humiliter & devote poſtulantem ut eam fidei regulam quam ſacro-ſancta Romana profitetur eccleſia, eiſdem traderemus, &c. Datum Laterani in publica ſeſſione ſynodali anno Incarn. Dom. 1444. pridie Kal. Octob. Pontif. noſtri anno 14.* To. 9. conc. novæ edit. Pariſ. ann. 1714. col. 1040. edit. vero ann. 1672. to. 13. col. 1223.

XXVIII. Jacobus IV. *ſive* Michael.

Thomas à Jeſu *lib. 7. de converſ. Gentium p. 386.* citatus ab Aſſemano *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph. eidem tomo præfixa, ubi de epiſcopis Edeſſæ, Jacobum,* quem *Michaëlem* vocat Aſſemanus, anno Chriſti 1583. eccleſiæ Jacobitarum Edeſſæ fuiſſe epiſcopum refert, ex epiſtola Leonardi Abel epiſcopi Sidonienſis ad Gregorium XIII. in qua hæc habet, *Jacobus epiſcopus Orpha, vel Roha.* Sic enim D ab Arabibus vocatur Edeſſa.

XXIX. Elias II.

Idem vir doctiſſimus Aſſemanus ſubdit, ſe Alepo Tripolim euntem, ineunte anno Chriſti 1716. ſocium itineris habuiſſe *Eliam* Jacobitarum Edeſſæ epiſcopum, qui, juſſu Iſaac ejuſdem gentis Patriarchæ, diſperſos per Syriam, Phœniciam, & Palæſtinam Jacobitas viſitabat.

Monet quoque *ibidem,* id eſt *in diſſert.* E *citata de Monophyſ. Gabriëlem, Daniëlem, Agæum,* & *Abdam,* Edeſſenos epiſcopos, laudari in Kalendario Syriaco Jacobitarum, ad dies Januar. 9. Februar. 17. April. 28. Julii 7. & Decemb. 23. Kalendarium hoc legitur, codice Syriaco 32. cujus meminit in eodem to. 2. Bibl. Orient. pag. 505. *Kalendarium ſanctorum per integrum annum.*

Digitized by Google

ECCLESIA EMESÆ.

II. EMESA Phœniciæ urbs eſt ad Auſtrum Apameæ; nunc ſubjicitur uni Jacobitarum in Phœnicia & Syria propriè dicta commorantium epiſcopo, qui Damaſci, ut plurimum, ſedet. Olim ſuos habuit epiſcopos Jacobitas peculiares, è quibus ſequentes nobis ſuppeditat Aſſemanus, *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Emeſa.

EPISCOPI EMESÆ.

A

I. ABRAHAM.

ANno Græcorum 960. Chriſti 649. Emeſæ epiſcopus *Abraham*, in chronico Bar-hebræi, legitur Theodoro Patriarchæ manum impoſuiſſe. *To. 2. Bibl. Orient. p. 335.*

II. * * *

Doctiſſ. Renaudot. in hiſt. Patr. Alexand. pag. 233. refert Iſaac Antiochiæ, ſive Jacobitarum Orientis Patriarcham (qui ſedit ab anno Græcorum 1066. Chriſti 755. ad ſequentem quo obiit) ſynodalem epiſtolam miſiſſe ad Chaïlem Alexandrinum per Damaſci & *Emeſæ* metropolitas, qui non nominantur.

III. JACOBUS.

Dionyſius II. Patriarcha anno Græcorum 1208. Chriſti 897. conſecratus fuit, ex chronico Bar-hebræi, à *Jacobo* Emeſæ epiſcopo, in ſynodo quæ ea de cauſa coacta eſt *Beth-Batin* ditionis Haran. *Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 349.*

IV. NOE.

Noë Libaniota ex epiſcopo Emeſæ ab Ignatio Bar-Sila Patriarcha anno Græcorum 1800. Chriſti 1489. Maphrianus ordinatus eſt, & poſt ejuſdem obitum anno 1805. (Chriſti 1493. vel 1494.) Patriarcha renunciatus, ſub nomine Ignatii XII. alias VII. *To. 2. pp. 386. & 462.*

ECCLESIA EUPHEMIÆ.

III. EUPHEMIA Meſopotamiæ urbs, quam Joſue ſtylites *Euphediam* appellat, & Abulfeda *in Tab. geogr. n. 210. Phamiam*, à priſcis temporibus epiſcopos habuit, inter quos hi numerantur.

EPISCOPI EUPHEMIÆ.

I. JOANNES.

ISte *Joannes*, epiſcopus Euphemiæ, ut Jacobo Zanzalo Baradæo, à quo *Jacobitæ* dicti ſunt qui ejus errores profitebantur, coævus, laudatur in chronico Gregorii Bar-hebræi. Florebat itaque anno Græc. 852. Chriſti 541. & ſequentibus. Aſſem. *to. 2. p. 324.*

II. ELIAS.

Elias ex cœnobio Gubæ Baraiæ aſſumptus ad epiſcopatum Euphemiæ anno Græcorum 1002. Chriſti 691. rurſus, poſt mortem Juliani II. ex ſede Euphemiæ cui præfuerat decem & octo annis, ad Patriarchalem conſcendit anno 1020. Chriſti 709. Obiit autem anno Græcorum 1034. Chriſti 723. Dionyſius quidem in chronico, ejus morti annum Græcorum 1040. aſſignat: verum jam anno præcedenti 1039. Athanaſius III. ejus ſucceſſor memoratur in cod. 1. Nitr. apud Aſſemanum *to. 1. pag. 361.* De eo Elia legendus idem Aſſem. *to. 2. pp. 95. & 337.*

III. ATHANASIUS.

Joannes III. anno Græcorum 1158. Chr. B 846. Patriarcha conſtitutus, ſtatim ſynodicam epiſtolam de unitate fidei miſit Juçabo Patriarchæ Alexandrino per *Athanaſium* metropolitam Euphemiæ, & Timotheum Damaſci, qui multos in comitatu ſacerdotes habebant. Ita ex Renaudot. *in hiſt. Patr. Alex. p. 291.* Aſſem. *to. 2. p. 348.*

IV. SERGIUS.

Joannes VII. *Sarighta* dictus, qui Patriarchatum adeptus eſt anno Græcorum 1276. Chriſti 965. Conſtantinopolim Nicephori C Phocæ Imperat. juſſu ductus anno 1280. Chr. 969. inter ſocios viæ, & malorum quæ ibi paſſus eſt, nominat, in epiſtola quam ad Mennam Alexandrinum Patriarcham eodem anno ſcripſit, *Sergium* metropolitam, non *Apameæ*, ut Aſſemanus tranſtulerat *tom. 2. pp. 139. & 351.* ſed *Euphemiæ*, ut idem Aſſemanus *pag. 478.* monet legendum; nam, inquit, in epiſtola Joannis Patriarchæ, *Euphemia* diſerte habetur, non *Apamea*. Renaudotius eamdem epiſtolam referens in hiſt. Patr. Alex. pag. 362. dicit quoque *Sergium* metropolitam *Euphemiæ:* hoc mendum putarat ejus codicis Aſſemanus *pag. 351.*

I. ECCLESIA

Digitized by Google

H

I. ECCLESIA HIERUSALEM.

JACOBITÆ Hieroſolymis ſui ritus epiſcopum ipſo fere ſui ſchiſmatis tempore creavere; ſed cui nulli deinceps videntur dati ſucceſſores, uſque ad ſæculum duodecimum, quo Franci noſtri Palæſtinam tenuerunt, ut deducit Aſſemanus *tom. 2. pag. 374.* ex Gregorio Bar-hebræo. Hic porro Hieroſolymorum præſul, ſolius epiſcopi nomine donabatur, & Antiocheno Jacobitarum ſuberat Patriarchæ; poſtea tamen archiepiſcopi titulo auctus eſt, & ipſe deinde etiam Patriarcha dici voluit. In cœnobio Magdalenæ morabatur: ſed Joannes Bar-Sila, dictus Ignatius XI. alias VII. qui ab anno 1795. Chriſti 1484. ad annum 1804. Chriſti 1493. Jacobitarum tenuit Patriarchatum, eccleſiam quam Jacobitæ Ægyptii Hieroſolymis habebant, ſoluto pretio, Syris ſuis comparavit. Aſſemanus *to. 2. pag. 386.*

EPISCOPI HIERUSALEM.

I. SEVERUS.

PRimus Hieroſolymorum ſectæ Jacobiticæ epiſcopus in chronico Gregorii Bar-hebræi *Severus* occurrit, qui anno Græcorum 906. Chriſti 595. vel juxta alios anno 908. Chriſti 597. Athanaſio I. Patriarchæ manum impoſuit in monaſterio Kenſerinenſi. Aſſemanus *in diſſert. de Monoph. to. 2. præfixa, & p. 334.*

II. IGNATIUS I.

Poſt Severum nullus legitur Jacobitis præfectus Hieroſolymorum epiſcopus ante ſæculum duodecimum quo Franci noſtri Palæſtinam poſſidebant, ut jam obſervatum eſt. Tunc enim Athanaſius VIII. qui & Joſue Barchetre dicebatur, electus anno Græcorum 1450. Chriſti 1139. *Romanum* ex Hieroſolymitano Jacobitarum cœnobio Magdalenæ, in Barſumæ monaſterium evocatum, circa annum 1451. Chriſti 1140. ſanctæ urbis epiſcopum creavit, impoſito ipſi *Ignatii* nomine, qui hanc ſedem per integros 45. annos occupavit. Ad hunc præſulem Dionyſius Bar-Salibi epiſcopus Amidæ, ſuam miſſæ expoſitionem miſit anno Græc. 1480. Chriſti 1169. ut Francos impugnaret qui terram ſanctam occupaverant, teſte clariſſ. Steph. Edenenſi *c. 7. de hæreticis anaphorarum auctoribus n. 16.* apud Aſſem. *to. 2. pag. 156.* qui de eo Ignat. etiam loquitur, *ibid. in diſſert. de Monoph. & pp. 361. & 368.*

III. ATHANASIUS I.
IV. IGNATIUS II.

A Michaële I. Patriarcha, electo anno Græc. 1478. Chriſti 1167. *Athanaſius* frater ipſius Hieroſolymorum ſedi præfectus, quum à monachis cœnobii S. Magdalenæ minime reciperetur, Antiochiam ſeceſſit, ibique obiit an. Græc. 1504. Chr. 1193. die 21. Octobr. in cœnobio Duair, & hujus loci archimandrita *Ignatius*, qui & *Sahada* cognominabatur, A illi ſucceſſor datus eſt ab eodem Michaële. Aſſem. *ibid. & p. 368.*

V. * * *

Sæculo decimo-tertio, tempore *Ignatii II.* qui & *David* dicebatur, Patriarchæ Antiocheni Jacobitarum, electi anno Græcorum 1533. Chriſti 1222. Cyrillus filius Laklaki Patriarcha Alexandrinus Coptorum, electus anno Græcorum 1546. Chriſti 1235. Hieroſolymorum epiſcopum ordinavit, cujus ignoramus nomen, multis contendentibus non licere ipſi in territorio ad ſedem Antiochenam B Alexandrinæ conjunctiſſimam pertinente ordinare epiſcopum. Verum has ille rationes deſuper habens, novum illum præſulem Hieroſolymam miſit, attributa ipſi in omnem provinciam auctoritate. Quum vero Ignatius David Hieroſolymam veniſſet, Cyrillus ad eum miſit munera ex Ægypto per epiſcopum Khandekæ, & unum ſacerdotem, qui prius ad metropolitam Hieroſolymorum à Cyrillo ordinatum diverterunt, deinde ad Ignatium iverunt, muneraque obtulerunt ei. Is illa C lætus accepit, monens identidem Patriarchæ Alexandrino nihil juris eſſe in diœceſibus ſedi Antiochenæ ſubjectis: tum illos ut apud ſe hoſpitarentur, invitavit. Renuente epiſcopo, eo quod licentiam non petiiſſet à metropolita Hieroſolymitano, munera Cyrilli ad ipſum remiſit, metropolitamque excommunicavit, nec epiſcopum Khandekæ ultra admiſit in conſpectum ſuum. Metropolita autem, Francorum auctoritate implorata, dignitatem retinuit, & in Coptorum eccleſias plenam juriſdictionem obtinuit. Vulgò ferebatur D cum ſubſcriptione ſua teſtatum ipſis fuiſſe quod eamdem fidem, eamdemque doctrinam, quam illi, profiteretur; *ea enim,* inquit auctor vitæ Cyrilli Laklaki, *ipſorum conſuetudo eſt, ut neminem ſibi prorſus adjungant, niſi poſtquam id fecerit.* Pax tamen poſtea inita inter utrumque Patriarcham, cujus una

ECCLESIA HIERUSALEM. conditio fuit, quod nihil innovaret Alexandrinus adverſus jura ſedis Antiochenæ, & quod metropolita nuper Hieroſolymis conſtitutus, ultra Gazam quæ erat limes dominii Ægyptiaci, nullam auctoritatem uſurparet. Ita Renaudotius *in hiſt. Patriarch. Alexand. pp. 579. 580. & 581.* & Aſſemanus *to. 2. pag. 371. & ſeqq.*

VI. Athanasius II.

Anno Græcorum 1575. Chriſti 1264. ordinationi Patriarchæ Ignatii III. qui & Joſue cognominabatur, in cœnobio Gavicathæ quod apud Mopſueſtiam Ciliciæ urbem ſitum eſt, cum aliis epiſcopis interfuit *Athanaſius* Hieroſolymorum antiſtes. Aſſemanus *to. 2. pag. 379.*

VII. Isa.

Hunc *Iſam* Hieroſolymæ totiuſque Palæſtinæ epiſcopum, Ignatius IX. alias v. qui & Behenan, & Baſilius Hedlenſis vocabatur, electus Patriarcha Mardæ & Syriæ anno Græcorum 1723. Chriſti 1412. ordinavit Hieroſolymis anno 1756. Chr. 1445. Aſſem. *to. 2. pag. 385.*

VIII. Dioscorus.

Doctiſſimus Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. p. 9.* refert, ex Stephano Edenenſi in chronico, quod recenſet *to. 1. p. 631.* inter cod. Arab. n. 82. *Dioſcorum* quemdam, cognomento *Ebn-Dhau*, Jacobitarum Hieroſolymis degentium epiſcopum, cum Moyſe Ebn-Atſcia, Noë Bacuphenſi, & aliis, impii archimandritæ Barſumæ, qui in concilio Chalcedonenſi ob hæreſim Eutychianam damnatus, in eadem obierat anno Græcorum 769. Chriſti 458. die 1. Febr. cultum propagare apud Maronitas Montis Libani incolas fuiſſe conatum. Dioſcorus enim ille ejuſque ſocii in oppido Beſciara domicilium nacti, Abdalmonemum Libaniticæ provinciæ præfectum in ſuum errorem pertraxere, templumque ſub nomine hujus Barſumæ in eodem oppido extrui curarunt. Id palam fit ex his ipſius Abdalmonemi verbis quæ leguntur in manuſ. cod. Syr. & Arab. Evangeliorum Bibliothecæ collegii Romani Maronitarum fol. 9. *Anno Alexandri Philippi Græcorum regis 1771.* (Chriſti 1460.) *hunc ſacri Evangelii codicem Dux Abdalmonemus Zaini, & Dux Badrus, &c. legarunt ſancto, puro ac præſtantiſſimo Marſumæ, cujus templum ſuum eſt in oppido Beſciara, &c. ſcripſit Abdalmonemus Zaini filius.* Obiit hic Abdalmonemus, teſte eodem Edenenſi in præfato chronico, anno Chriſti 1469.

IX. Gregorius I.

Anno 1827. Chriſti 1516. Jacobitarum Hieroſolymis commorantium epiſcopus erat *Gregorius*, qui ſubſcriptione ſua eo anno 13. Martii ad calcem codicis 3. Nitrienſis Vaticani teſtatur exaratum eſſe à Jacobo Abdallæ Syro hunc liturgiarum codicem, & cœnobio S. Mariæ Syrorum in deſerto Scetenſi ab eodem dono oblatum. Ita Aſſeman. *to. 1. p. 562. & to. 2. in præf. de Monoph.*

X. Joannes.

Leonardus Abel epiſcopus Sidoniæ mentionem facit, apud Thomam à Jeſu *lib. de procur. ſalute gent. p. 386.* cujuſdam *Joannis* Hieroſolymæ epiſcopi anno Chriſti 1583. quo Ignatium Davidem Jacobitarum Patriarcham à Gregorio XIII. miſſus viſitavit. Aſſemanus *in præf. de Monoph.*

XI. Abdalgalilus.

Anno Græcorum 1975. Chriſti 1664. *Abdalgalilus* ſeu Galilæi ſervus *Hieroſolymorum nationis Jacobiticæ archiepiſcopus* nomen ſuum inſcripſit cuidam codici monaſterii Scetenſis fol. 353. & 385. ut refert Aſſemanus *to. 1. p. 306.*

XII. Gregorius II.

Vergente ad finem ſæculo decimo-ſeptimo, *Gregorius* antea *Joſue* appellatus, Hieroſolymæ epiſcopus, unus ex iis epiſcopis fuit, qui cum Petro Patriarcha, ob fidem Catholicam quam amplexi fuerant, ex Palæſtina & Syria conſpiratione Jacobitarum expulſi ſunt. Romam ſe recepit, ubi diem clauſit extremum. Aſſemanus *in diſſert. ſæpius citata de Monoph.*

M

I. ECCLESIA MABUG.

Mabug, ipſa eſt *Hierapolis* Syriæ Euphrateſiæ urbs, ut alio loco dictum eſt, prodigioſæ olim *Atargatis* ſive *Dercetûs* Deæ cultu famoſa, Hierapolis enim idem eſt ac *urbs Sacra*, ſeu *Sacerdotalis*. Confundenda porro non eſt, nec cum urbe *Marhas*, ut Edenenſis *cap. 7. de hæreticis anaphorarum auctoribus, num. 10.* nec cum *Germanicia*, quæ eadem eſt ac *Marhas*, ut auctor vitæ Thomæ Heracleenſis in codice Syriaco 16. cujus

Digitized by Google

meminit Aſſem. *to. 1. p. 614.* nec cum Berœa, ut Naironus Fauſtus in Evoplia *p. 51.* Ita obſervat idem Aſſem. *to. 2. pag. 23.* Cæterum Mabugi, & Marhaſi ſeu Germaniciæ unus aliquando, & ipſo ſeptimo ſæculo, epiſcopus fuit, ſed qui Marhaſi potius quam Mabugi ſederet. Aſſem. *to. 2. in præf. de Monoph. & pp. 23. 91. & 334.* ECCLESIA MABUG.

EPISCOPI MABUG.

I. Jacobus.

IN annotatione codicis pervetuſti, cujus meminit doctiſſimus Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. p. 27.* legitur fol. 160. *Abſolutus eſt hic liber anno Alexandri 875.* (Chriſti 564.) *menſe Aprili, die 20.* Pertinuit olim ad Abraham & Jacobum epiſcopos: ſicut ibidem habetur, *Abrahami Arabum epiſcopi ad multos annos.* Et mox *liber hic Philoxeni Mabugenſis ſpectat ad religioſum Mar-Jacobum epiſcopum Mabugenſem*, cujus ſermo de jejunio extat in cod. Arab. Vatic. 62. p. 248. Aſſem. *ibid.*

II. Thomas.

Gregorius Bar-hebræus, apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 334.* aſſerit *Thomam* Heracleenſem (quem Germaniciæ epiſcopum omnes Jacobitarum codices liturgici dicunt) *Mabugi* fuiſſe præſulem: utrique fortaſſis ſimul præfuit. Florebat autem ſub Athanaſio I. Patriarcha, electo anno Græc. 906. vel. 908. Chriſti 595. vel 597. & mortuo anno 942. Chriſti 631. De eo Thoma fuſius infra loquemur in eccleſia Germaniciæ.

III. Joannes.

IV. Bar-Turca.

V. Joannes *iterùm.*

Anno Græcorum 1440. Chriſti 1129. Joannes XIII. qui & Maudiana vocabatur, paulo-poſt ſuam electionem Mabugo tranſiens, *Joannem Bar-Andream*, ex Phareſmana urbe oriundum, virum Syriaci & Armeniani ſermonis peritum, hujus urbis epiſcopum depoſuit, ea ſolum de cauſa quod ſibi obviam non proceſſiſſet, ejuſque ſedi quemdam *Bar-Turca* ſubſtituit. Sed tertio poſtea anno cognitis ejuſdem Bar-Turca flagitiis, eum hac ſede amovit, & *Joannem Bar-Andream* reſtituit. Bar-Turca è caſtro Zaid oriundus erat, in oppido Tel-Baſer primum ſedit epiſcopus, deinde Symnadam, demum Chaboram à Patriarcha tranſlatus fuit, verum quum ob flagitioſam quam ubique ducebat vitam omnibus exoſus eſſet, à quibuſdam Armenis interemptus eſt.

A Joannes porro an. 1459. Chr. 1148. Mabugenſem cum Timotheo Carſenæ epiſcopo ſedem commutavit, ſed non multo poſt, orto inter ipſum & Philartum Carſenæ gubernatorem diſſidio, in Pheſchinenſe cœnobium ſe recepit, & Timotheus ad Carſenenſem rediit eccleſiam. Synodo coactæ ab Athanaſio VIII. in cœnobio Barſumæ anno 1466. Chriſti 1155. interfuit Joannes Bar-Andreas, ibique tranſlatus eſt ad eccleſiam Tur-Abdinenſem, ſed anno ſequenti in cœnobio Ananiæ obiit magna ſibi doctrinæ comparata B fama. Aſſem. *to. 2. pp. 360. 361. & 362.*

VI. Dionysius.

In ſynodo modo relata, quæ anno Græcorum 1466. Chr. 1155. ab Athanaſio VIII. in cœnobio Barſumæ congregata eſt, *Dionyſio* Bar-Salibæo jam Marhaſenſi epiſcopo, diœceſis quoque Mabugenſis conceſſa fuit. Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monoph. & p. 362.*

VII. * * *

Dionyſio VII. cognomento Aaron Angur, electo Patriarcha anno Græcorum 1563. vel C potius 1564. Chriſti 1253. quum Naſerum Damaſci regem adiret, ut jura Patriarchatus ſibi ſalva conſiſterent adverſus Joannem Bar-Maadani ejus æmulum, qui paucis menſibus poſt ipſum Patriarcha quoque creatus fuerat, ſocius, cum tribus aliis, itineris fuit *epiſcopus Mabugi.* Idem eſt fortaſſis ac Athanaſius qui ſequitur. Aſſem. *to. 2. p. 377.*

VIII. Athanasius.

Electioni Ignatii III. qui & Joſue cognominabatur, anno Græcorum 1575. Chriſti D 1264. adfuit cum aliis *Athanaſius* Mabugi epiſcopus. Aſſem. *to. 2. p. 379.*

IX. Muhabub.

Clariſſim. Renaudot. in hiſt. Patr. Alex. pag. 75. ait *Menbigenſem* ſeu *Hierapolitanum* quemdam epiſcopum citatum ab Elmacino ceu qui ſcripſerit de concilio Nicæno, ab aliis auctoribus vocari *Muhabub* Conſtantini filium, qui tamen nobis ignotus eſt.

II. ECCLESIA MAIPHERACTÆ *ſeu* MAIPHERCHIN.

MAIPHERACTA ſeu *Maipherchin* & Martyropolis, urbs eſt Meſopotamiæ ſeptem dierum itinere à Moſul per caſtrum Chipha diſtans, octo autem per Marden. Non eſt eadem ac Tagritum, licet utriuſque vir unus aliquando curam geſſerit, hinc modo

ECCLESIA MAIPHERACTÆ ſeu MAIPHERCHIN.

Maipheractæ, modo Tagriti, dictus epiſcopus; ſic S. Maruthas, qui ſub Theodoſio Magno floruit, fuit epiſcopus Tagriti, ex chronicis & codicibus liturgicis Syrorum paſſim; Maipheractæ etiam præfuiſſe legitur in nonnullis codicibus Syriacis, & expreſſe in Kalendario Syriaco ad diem 17. Febr. cod. Syr. 32. cujus meminit Aſſem. *to. 2. p. 505.* Eam inter Jacobitarum metropoles Leonardus Abel in ſua relatione numerat, apud Thomam à Jeſu *pag. 386.*

EPISCOPI MAIPHERACTÆ.

I. ATHANASIUS I.

ATHANASIUS Sandalenſis, ex monacho Cartaminenſi, epiſcopus Maipheractæ factus eſt: quo tempore monaſterium ædificavit in monte *Tel-beſine*, ex ejus nomine cœnobium Mar-Athanaſii dictum. Is effecit per fraudem ut Joannes III. anno 1051. Chr. 740. ſedem Patriarchalem conſcenderet. Inter eos tamen poſtmodum graves inimicitiæ ortæ ſunt. Quin etiam Athanaſius ab epiſcopis Telæ congregatis obtinuit, ut principem & metropolitam magnum in eccleſiis Patriarchæ ſubjectis ipſum proclamarent, qua auctoritate fretus, ſpreta quam tulerat Joannes excommunicationis ſententia, epiſcopos inſtituit & deſtituit prout libuit. Tandem Joanne anno 1066. Chriſti 755. nec multo poſt ejus quoque ſucceſſore Iſaaco mortuis, præſtitit ut Abugiafari regis juſſu Patriarcha renunciaretur, dictus Athanaſius IV. Verum ea dignitate paucis dumtaxat annis potitus eſt; nam à Chriſtianis Haranitis, eo quod Abdinenſem Iſaaci diſcipulum ipſis invitis antiſtitem ordinare deliberaſſet, noctu ſuffocatus eſt, anno Græcorum 1070. Chriſti 759. & in cœnobio Cartaminenſi ſepultus, ubi pro *ſancto* colitur. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. pp. 107. 110. 338. & 339.*

II. ATHANASIUS II.

Athanaſius VIII. qui & Joſue Barchetre vocabatur, Patriarcha electus anno Græcorum 1450. Chr. 1139. in cœnobium Aaron Sigaræ venit anno 1452. Chriſti 1141. ibique *Athanaſio* Maipheractæ epiſcopo Amidenam ſedem regendam dedit. Hujus Athanaſii obitum refert Bar-hebræus ad annum Græcorum 1480. Chriſti 1169. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph. & pp. 361. & 364.*

III. IGNATIUS I.

In locum Athanaſii II. ſuffectus eſt à Michaële I. Patriarcha anno 1480. Chriſti 1169. *Abugalebus*, qui & *Ignatius* cognominabatur, Maphriani Ignatii fratris filius, in cœnobio Crucis ordinatus. Obiit anno 1493. Chriſti 1182. Aſſem. *to. 2. pp. 364. & 368.*

IV. IGNATIUS II.

Poſt mortem Abugalebi Ignatii cujus modo mentionem fecimus, eodem anno 1493. Chriſti 1182. *Ignatius* ejuſdem ex fratre

A nepos, qui & *Gabriël* dicebatur, monachus cœnobii Barſumæ, ab eodem Michaële factus eſt Maipheractæ epiſcopus. Aſſemanus *to. 2. p. 368.*

V. JACOBUS.

Jacobus Severus cognomento *Bar-Sciaco* ſive Bar-Eſau, ex Bartela Ninivenſis provinciæ caſtro ortus, ex monacho cœnobii ſancti Matthæi, quod apud Niniven ſitum eſt, ad Maipheractenſem & Tagritenſem epiſcopatus poſt Ignatium Gabriëlem evectus eſt, ut

B enim monet doctiſſ. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Maipheractæ epiſcopis, quamvis epiſcopus ſancti Matthæi, & Tagriti ille dicatur, in pontificali tamen Jacobitarum, cujus meminit cod. 4. inter Ecchellenſes, *tom. 1. Bibl. Orient. pag. 573.* ubi profeſſio fidei ab ipſomet Jacobo edita legitur, Maipheractæ epiſcopus nuncupatur, *auctore Jacobo metropolita Maipheractæ.* A Maphriano ſcilicet qui Maipheractam, Tagritum, cœnobium S. Matthæi, & Moſulanam diœceſim adminiſtrabat, tanquam vicarius & ſuffraga-

C neus eas eccleſias regendas ſuſceperat. Multa ſcripſit, quorum analyſim tradit Aſſem. *to. 2. pp. 237. & ſeqq.* Obiit autem anno Græcorum 1542. Chriſti 1231. *quum ad viſendum* Ignatium II. *qui & David dicebatur, electum* anno Græc. 1533. Chr. 1222. proficiſceretur, & ſepultus eſt in cœnobio ſancti Matthæi. Aſſem. *to. 2. pp. 237. 455. & 477.*

VI. JOANNES.

Joannes ille Maipheractæ epiſcopus florebat anno 1564. Chriſti 1253. quo Alepum properavit cum Joanne Saliba Amidenſi epi-

D ſcopo cujus fuerat diſcipulus, ut ſchiſma impediret quod Joannes Bar-Maadani Maphrianus in eccleſiam Jacobiticam ſua adverſus Dionyſium Angur jam promotum Patriarcham electione inducere moliebatur, ſed eum jam pridie inauguratum eò pervenientes repererunt. Anno etiam Græcorum 1568. Chriſti 1257. ordinationi Machichæ in Patriarcham Neſtorianorum, cum pluribus aliis epiſcopis interfuit. Aſſemanus *to. 2. pp. 376. & 455.*

VII. MALCHUS.

E Synodo in qua Ignatius V. alias I. Mardenſis Patriarcha electus eſt, anno Græcorum 1604. Chriſti 1293. præerat *Malchus*

Digitized by Google

Maipheractæ epiſcopus. Aſſemanus *tom. 2. Bibl. Orient. pag. 382.* A

VIII. * * *

Ignatius VII. alias III. Sciahab dictus Mardenſis Patriarcha ab epiſcopis Maaræ & *Maipheractæ* Jacobitis anno Græcorum 1676. Chriſti 1365. ordinatus eſt. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. pag. 384.*

IX. GAZEL.

ECCLESIA MAIPHERACTÆ *ſeu* MAIPHERCHIN.

Hunc *Gazel* Leonardus Abel epiſcopus Sidoniæ *archiepiſcopum de Miapherichin* dicit fuiſſe anno Chriſti 1583. in ſua relatione apud Thomam à Jeſu *p. 386.* Eumque poſt Pilatum metropolitanum in Muſal & Oriente, hoc eſt Maphrianum, collocat. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.*

III. ECCLESIA MALATIÆ.

De *Malatia*, quæ eſt *Melitina*, ſive *Meletina* & *Meletine*, in Armenia minori, ſatis alibi dictum eſt. *Poſita eſt*, inquit Abulfeda *in Tab. geogr. num. 396. ad Auſtrum Sebaſtes, tribus circiter manſionibus ab ea diſtans: ad occaſum Cachtæ & Gargaræ, duabus fere manſionibus ab iiſdem diſſita: Et ad Aquilonem Zabatræ, à qua longa manſione diſtat.* Monaſterium Barſumæ, hujus ſcilicet impii archimandritæ qui pro Eutyche adverſus S. Flavianum Patriarcham Conſtantinopolitanum in latrocinio Epheſino tot excitavit turbas, ibi celebre erat in quo digitum ejus aſſervari teſtatur Gregorius Bar-hebræus. Frequentes in ea urbe Syros Jacobitas fuiſſe conſtat, ex chronico, tum Dionyſii Patriarchæ, tum ejuſdem Bar-hebræi, tum etiam ex Michaële epiſcopo Taneos, in vita Zachariæ Coptorum Patriarchæ, apud Severum Mokaffæum Aſmonæorum epiſcopum in hiſt. Alexandr. Patria fuit Joannis VIII. & IX. Athanaſii VIII. Michaëlis I. & II. Patriarcharum: item Maphrianorum Gregorii Jacobi Michaëlis II. fratris & I. nepotis, Gregorii Bar-hebræi vulgo Abulfaragii, & ejus fratris Gregorii Barſumæ; Dionyſii quoque Bar-Salibæi epiſcopi Amidæ, aliorumque plurimorum, quos Jacobitæ ſummis laudibus celebrant. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.*

EPISCOPI MALATIÆ.

I. ZACHARIAS.

Zacharias Malatiæ ſive Melitinæ epiſcopus, quem *rhetorem* vocat Evagrius *in hiſt. eccl. lib. 2. capp. 2. 8. & 10.* id eſt *oratorem*, acerrimus fuit Monophyſitarum hæreſis aſſertor ſub Anaſtaſio, Juſtino, & Juſtiniano Imperatoribus, ſæculo ſexto. Aſſem. *to. 2. p. 54.*

II. JACOBUS.

Jacobum hunc laudat Dionyſius Bar-Salibi in expoſitione Evangeliorum, fol. 166. ubi ait, *Verum probati authores Græci* (loquitur de Monophyſitis Orientis qui Græcè ſcripſerunt) *una cum tribus Jacobis, Sarugenſi, Edeſſeno, & Melitinenſi, aſſerunt, ſimul & uno puncto temporis, ad unionem in utero Virginis coiiſſe Verbum Deum, & animam, & corpus: nec corpus in utero mulieris animam præcedere.* Hîc refert & refellit errorem Philoxeni circa tempus creationis animæ Chriſti; quum autem *Jacobum* Melitinenſem, poſt Jacobum Edeſſenum nominet qui anno Græcorum 962. Chriſti 651. epiſcopatum iniit, ut illo poſteriorem, videtur Jacobus iſte nonniſi poſt ſæculum ſeptimum medium floruiſſe. Aſſem. *to. 2. p. 158.*

III. ELIAS.

Elias, ex monacho cœnobii Zuchenienſis, quod apud Amidam ſitum eſt, Melitinæ epiſcopus factus, florebat anno Græcorum 1269. Chriſti 958. quo monaſterium Sergii in finibus regionis Gubenſis fundatum fuit. Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monoph. & pp. 284. & 350.* B

IV. IGNATIUS I.

Eliæ ſucceſſit *Ignatius Iſaac*, cognomento *Curſor*, qui anno 1280. Chriſti 969. cœnobium Deiparæ, & majorem Melitinæ eccleſiam, ex ejus nomine *Curſoris* dictam, ædificavit. Curſor autem propterea dicebatur, quod monaſteria montis Edeſſæ luſtrare ſolitus eſſet. Obiit anno 1302. Chriſti 991. Aſſem. *ibid. & pp. 351. & 365.* C

V. JOANNES I.

Ignatio ſuffectus eſt eodem anno *Joannes*; qui cum ſeptem monachis Jacobitis Byzantium abductus fuit, & in carcerem conjectus. Græci interim Curſoris eccleſiam occupaverunt. Aſſeman. *pag. 352.* D

VI. IGNATIUS II.

Sæculo undecimo *Ignatius* alter Melitinenſi præfuit eccleſiæ. Hic anno Græcorum 1340. Chriſti 1029. ductus eſt Conſtantinopolim cum Joanne VIII. cognomento Abdon, Patriarcha, & quinque aliis epiſcopis,

ECCLESIA MALATIÆ.

& 20. tam preſbyteris quam monachis Jacobitis, Romani Argyri Imperatoris juſſu, ut hæreſim Monophyſiticam ejurarent, ipſe, cum duobus epiſcopis, ſcilicet Moyſe Heſnæ, & Iſaac Arcæ, fidem orthodoxam amplexus eſt: duo tamen poſteriores ad Jacobitarum rediere communionem. Aſſem. *p. 353.*

VII. Ignatius III.

Ignatius iſte Athanaſii VI. Patriarchæ, qui & Haje cognominabatur, ex fratre, vel ut alii aiunt ex ſorore nepos, vir Græci & Syriaci ſermonis peritus, quum à patruo epiſcopus Melitinæ ordinatus eſſet, à Græcis anno 1374. Chriſti 1063. una cum præfato Patriarcha, eo quod errores Jacobitarum propugnarent, comprehenſus, in cœnobium Eudoxii, quod ſupra Melitinam eſt, detruſus fuit. Patruus ejus, quinto poſt menſe, dum inde Byzantium traheretur, in urbe Arca diem clauſit extremum. Ipſe vero Byzantium perductus, in Cajum Macedoniæ montem relegatus eſt, ſed mortuo poſt tres annos Imperatore Duca, Melitinam rediit. Anno 1397. Chriſti 1086. Joanni XII. electo in Patriarcham impoſuit manum. Tandem obiit anno 1406. Chriſti 1094. menſe Octobri. Aſſem. *to. 2. diſſert. de Monoph. & pp. 212. 355. & 357.*

VIII. Joannes II.

In Ignatii locum Athanaſius VII. Patriarcha, qui & Abulfaragius dicebatur, *Joannem Said Bar-Sabuni,* virum quoque linguas Græcam & Syriacam apprime poſſidentem, in cœnobio Eliæ prophetæ vici Cancratæ ditionis Amidenſis ſubſtituit. At ſtatim atque Melitinam ingreſſus eſt Joannes, obſedit eam Calig Arſelan Iconii Sultanus. Gabriël vero urbis præfectus metuens ne illam Turcis proderet, lancea caput ejus percuſſit, ex quo vulnere mortuus eſt, die 4. Julii anni 1407. Chriſti 1095. vel 1096. Corpus ejus, quod Gabriël abſcondi juſſerat, poſt biduum elatum eſt, & in eccleſia Curſoris ſepultum. Hæc Barhebræus, qui addit, vaſtata à Turcis Melitina, ſedem per ſeptennium vacaſſe. Aſſem. *to. 2. pp. 211. 212. & 358.*

IX. Dionysius I.

Idem Athanaſius VII. Joanni, ſeptimo ab ejus morte anno, proindeque anno 1414. Chriſti 1102. vel 1103. ad eccleſiam Malatiæ ſive Melitinenſem, è Gubenſi tranſtulit *Dionyſium,* cognomento *Bar-Maudiana* ſuum olim præceptorem, & Joannis X. Patriarchæ, dicti Bar-Suſan, diſcipulum. Is, teſte Barhebræo, *Scriptionem & lectionem librorum eccleſiaſticorum* in hac urbe *inſtauravit, poſtquam exactum Divinorum officiorum ritum, qui in cœnobio Bar-Gaghæi obſervabatur, cœnobitas monaſterii Barſumæ, apud quos deſtructa Guba ſeſe receperat, ſummo cum labore docuiſſet.* Quum vero duodecimo poſt anno, apud eumdem Athanaſium Patriarcham precator pro Baſilio Abugaleb Bar-Sabuni epiſcopo Edeſſæ acceſſiſſet, tantum abſuit ut ipſum placaret, quin potius ab illo privatus fuerit Melitinenſi epiſcopatu, ſubrogato in ejus locum Joanne Elizæo. Illum inſuper qui tam Gubæ quam Malatiæ epiſcopatum per 50. annos geſſerat, cum duobus aliis epiſcopis, cenſuris dum vixere, ligatos voluit, nec ullis precibus commotus eſt ut eos etiam morti proximos abſolveret. Dionyſius iſte, & Abugaleb Bar-Sabuni, Davidem ejuſque monachos cœnobii Ab-hai, veluti Maſſalianorum hæreſi infectos, eo quod revelationes & miracula quædam jactarent, damnare decreverant, ſed eorum ſententiam improbavit Patriarcha. Aſſeman. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de epiſcopis Melitines, *& pp. 358. 359.*

X. Joannes III.

Jam diximus Dionyſio ſubſtitutum ab Athanaſio VII. *Joannem Elizæum,* quod contigit circa annum 1426. Chriſti 1115. Hic cœnobii Bared archimandrita erat, eique Patriarcha in ordinatione nomen *Joannis* impoſuit. Verum Melitinenſes, quum illum cognoviſſent vino addictum, rejecerunt. Aſſem. *ibid. & p. 359.*

XI. Ignatius IV.

Athanaſius VIII. qui & Joſue Barchetre nuncupabatur, & electus eſt Patriarcha anno Græcorum 1450. Chr. 1139. in cœnobium Barſumæ profectus, *Theodorum* ſororis ſuæ filium, impoſito *Ignatii* nomine, epiſcopum Melitinæ creavit. Is, in Michaëlis I. Patriarchæ ordinatione, anno 1478. Chriſti 1167. Evangelium legit. Non multo poſt à principe urbis Melitinæ comprehenſus, & in carcerem detruſus, ſolutis tercentum argenteis evaſit. Anno 1480. Chriſti 1169. ſynodo quam in cœnobio Barſumæ Patriarcha congregaverat, adfuit, ibique ſeipſum fratremque ſuum Sergium preſbyterum, à neſcio quo crimine ipſis impoſito purgavit. Aſſem. *ibid. & pp. 361. 363. 364.*

XII. Dionysius II.
XIII. Joannes IV.

Ignatio ſucceſſit *Dionyſius,* cui anno Græcorum 1504. Chriſti 1193. mortuo *Joannes Bar-Conon* à Michaële I. Patriarcha ex eccleſia Calliſuræ ſubſtitutus eſt. Aſſemanus *ibid. & pag. 368.*

Digitized by Google

XIV. Ignatius V. Maphrianus.

Ignatius, qui & *David* dicebatur, monachus, diſcipulus Barſumæ cognomento Taphſis, *Maphrianus* à Joanne XIV. factus eſt anno 1526. Chr. 1215. Juſſu Califæ Bagdadenſis in carcerem conjectus, viginti millibus aureis à Tagritenſibus pro eo ſolutis liberatus eſt. Simeonis quoque principis Bartelæ perſecutione exagitatus, in cœnobium Barſumæ venit, ut Joannem Patriarcham inviſeret, à quo Malatienſem eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepit anno 1529. Chriſti 1218. ſed Patriarcha poſt biennium defuncto, ipſe in ejus locum electus eſt & Ignatius II. nuncupatus, anno 1533. Chriſti 1222. Obiit anno 1564. Chriſti 1253. Aſſem. *ibid. & pp. 371. 454.*

XV. Dionysius III.

Ignatius David, poſt adeptum Patriarchatum, eccleſiæ Melitinenſi præfecit *Dionyſium* Hieremiæ filium, eodem anno 1533. Chriſti 1222. Tartaris Armeniam vaſtantibus anno 1554. Chriſti 1243. pater Gregorii Bar-hebræi, ut ipſe Bar-hebræus refert in chronico Arabico quod *hiſtoriam Dynaſtiarum* inſcripſit, apud Aſſem. *to. 2. p. 245. Dionyſium Melitinenſem archiepiſcopum adiit, & collatis de urbe tuenda conſiliis, tum Mohametanos, tum Chriſtianos in magna eccleſia congregarunt, qui juramento ſe obſtrinxere, mutuam fidem ſe ſervaturos, & archiepiſcopo obtemperaturos in omnibus, quæ ipſe judicaret cum Tartaris tranſigenda, ut ſcilicet urbem cuſtodirent, & in mœnibus excubias agerent, & facinoroſos homines à flagitiis coliberent. Reſpiciens igitur Deus,* pergit Barhebræus, *ad bonam eorum voluntatem, avertit ab eis inimicum, qui quum prope Melitinam conſediſſet, urbem tamen oppugnare, aut infeſtare minime eſt auſus.* Poſtmodum Patriarcha à peregrinatione Hieroſolymitana, quam Dionyſio concomitante ſuſceperat, Antiochiam reverſus, eumdem Dionyſium, ceu acceptorum beneficiorum immemorem, conſpirationiſque à monachis cœnobii in ipſum attentatæ auctorem, coacta epiſcoporum & archimandritarum ſynodo, ex decreto eorum, Melitinenſi epiſcopatu dejecit, Alepumque remiſit unde Melitinam tranſlatus fuerat. Obiit circa annum 1557. Chriſti 1246.

XVI. Arias.

Ignatius, amandato, ut dictum eſt, Melitene Dionyſio, & Alepum remiſſo, Salibam Claudiæ epiſcopum Melitinam ire juſſit ut ibi natalitia feſta celebraret, quibus peractis *Ariam*, juvenem filii Samuëlis archimandritæ cœnobii Barſumæ ex fratre nepotem Melitinæ ſedi præfecit. Sed ille intra ejuſdem A anni ſpatium mortuus eſt. Aſſemanus *to. 2. pag. 374.*

XVII. Dionysius IV.

Ariæ ſuffectus eſt *Aaron* cognomento *Angur*, Ariæ Kokenſis archimandritæ diſcipulus, ab eodem Ignatio, in cœnobio Curſoris, impoſito ipſi *Dionyſii* nomine. Patriarcha autem in monaſterium Barſumæ reverſus, ad celebrandas huc ſecum quadrageſimæ ſolennitates Dionyſium, alioſque epiſcopos arceſſivit. At Dionyſius cum epiſcopis Gubæ, B Calliſuræ & Claudiæ, quod Patriarcham erga ſe male affectum ſuſpicarentur, eum adire recuſarunt. Ille igitur ab Aarone Tanzico Lacabenæ epiſcopo de ſtructis ſibi apud Melitinæ principes inſidiis admonitus, è cœnobio Barſumæ in regionem Coraram quæ in ditione Alepi eſt, noctu ſe proripuit, ſynodumque ibi indixit adverſus Dionyſium Melitinæ epiſcopum, datis ea de cauſa ad Joannem Bar-Maadani Maphrianum, & ad cunctos epiſcopos Syriæ, Palæſtinæ, & Romæorum ſive Imperii Conſtantinopolitani litteris; ſed C quum Maphrianus, nonniſi præmiſſo ſibi de futura in Patriarchatu ſucceſſione chirographo adeſſe vellet, infecta re ſynodus dimiſſa eſt. Cæterum Patriarcha veritus ne à præfecto Coraræ Edeſſam mitteretur, in caſtrum Romanum ſeceſſit, indeque litteras ſuſpenſionis & interdicti in Dionyſium Melitinæ epiſcopum, ad preſbyteros & locorum omnium viros primarios ſcripſit, quas tamen nemo palam legere auſus eſt. Dionyſius itaque Melitinenſem Jacobitarum eccleſiam rexit uſque ad annum 1564. Chriſti 1253. quo poſt D mortem Ignatii ipſe Patriarcha electus eſt. Obiit anno 1572. Chriſti 1261. Aſſemanus *pp. 374. 375. 376.*

XVIII. Gregorius.

XIX. Athanasius.

XX. Gregorius *iterùm.*

XXI. Athanasius *iterùm.*

XXII. Philoxenus.

Dionyſius Angur ſtatim atque Patriarchatum iniit, *Gregorium Simeonem* epiſcopum E Heſen-Manſur qui ipſius electioni interfuerat, ad ſedem Melitinenſem tranſtulit. Is Ignatium III. qui & Joſue cognominabatur fratrem ſuum, ad dignitatem Patriarchalem anno 1575. Chriſti 1264. cum aliis epiſcopis evexit. Ortis deinde, ob Ignatii promotionem, diſſidiis, dum ille Tartarorum regem adierat, ejus adverſarii Dionyſium Claudiæ epiſcopum in locum Gregorii obtrudere voluerunt, eumque idcirco Melitinam duxere ut ibi de more inauguraretur. Verum quum audiiſſent

Digitized by Google

ECCLESIA MALATIÆ.

quod Patriarcha reverteretur, ea re infecta, A *Athanaſium Pharagum* ex Lacabenenſi eccleſia ad Melitinenſem tranſtulerunt. Eis tamen Patriarchæ poſtea reconciliatis, *Gregorius* videtur ſuam ſedem uſque ad obitum ſervaſſe, qui non multo poſt contigit anno circiter 1576. Chriſti 1265. Aſſem. *pp. 376. 379. 380. 381.*

Gregorio mortuo, preſbyteri Melitinæ Patriarcham rogarunt ut Nemrod ejuſdem Gregorii ex fratre nepotem ipſi ſubſtitueret, quorum precibus abnuens, eo quod Nemrod ille adhuc puer eſſet, *Athanaſium Pharagum*, qui B eam ſedem jam bis invaſerat, huic eccleſiæ præfecit. Eumdem poſtea, ob varias adverſus illum Melitinenſium accuſationes, ex Gregorii Abulfaragii Maphriani conſilio, epiſcopatu amovit, ejuſque in locum *Nemrod* præfatum ordinavit in cœnobio Gavicathæ, Kal. Octobr. an. Græcorum 1585. Chriſti 1274. impoſito ipſi *Philoxeni* nomine; qui huic eccleſiæ præfuit uſque ad annum Græcorum 1594. Chriſti 1283. quo ad Patriarchalem dignitatem evectus fuit. Obiit anno 1603. Chriſti 1292. Aſſem. *to. 2. pp. 381. 382.*

XXIII. Constantinus.

Philoxenus Nemrod Patriarcha conſtitutus anno Græcorum 1594. Chriſti 1283. ſucceſſorem ſibi in epiſcopatu Melitinenſi *Conſtantinum* ſubrogavit. Ejus temporibus anno 1596. Chriſti 1285. in hyeme Melitina cum finitimis locis terræ motu concuſſa eſt, & cœnobium Barſumæ ibidem ſitum, ubi Patriarcha morabatur, totum fere corruit. Poſt mortem Philoxeni, Conſtantinus adverſus Ignatium V. alias I. Mardenſem, qui & Joſeph Bader-Zache Bar-Vahib dicebatur, anno Græc. 1604. Chriſti 1293. Patriarcham electum; & alterum Ignatium Barſumam, qui & Michaël appellabatur, eratque cœnobii Gavicathæ archimandrita, ab Occidentalibus epiſcopis in Cilicia congregatis eodem tempore Patriarcham proclamatum, tertius ipſe quoque Patriarchæ titulum ſibi conferre collectos plures in monaſterio Barſumæ epiſcopos compulit, aſſumpto pariter Ignatii nomine. Verum mortuo paulo-poſt Michaële, ſchiſma in eccleſia Jacobitica inter hunc Ignatium & Ignatium Mardenſem perſeveravit. Illum quidem Occidentalibus, hunc vero Orientalibus pro Patriarcha habentibus. Anño circiter 1660. Chriſti 1349. obiit Conſtantinus iſte à Curdis interemptus, quod pactam auri ſummam ipſis ſolvendo impar eſſet. Aſſem. *to. 2. pp. 382. 383.*

IV. ECCLESIA MARDÆ.

MARDA ſeu *Marde* vel *Mardin*, Arabicè *Maredin*, caſtrum eſt munitiſſimum Meſopotamiæ in prærupti montis vertice poſitum, ad cujus radices Niſibis extat civitas. De Mardæ incrementis legenda quæ Aſſemanus ex Noë Libaniota Jacobitarum Patriarcha recitat *to. 2. Bibl. Orient. pp. 470. 471.* A Michaële I. ibidem ſedes Patriarchæ fixa, nimirum in cœnobio Ananiæ quod Zapharanenſe nuncupatur. Epiſcopi Mardenſes etiam aliquando in cœnobio Cartaminæ propè ſito habitarunt.

EPISCOPI MARDÆ.

I. Ananias I.

ANno Græcorum 995. Chriſti 684. Athanaſio II. Patriarchæ Jacobitarum *Ananias* Mardæ & Caphartutæ epiſcopus in ſynodo Rheſinenſi ea de re coacta manum impoſuit. Aſſem. *in diſſert. de Monoph. to. 2. Bibl. Or. præfixa,* ubi de epiſcopis Mardæ, *& p. 335.*

II. Serguna.

Apud Dionyſium Patriarcham in chronico, ab anno Græcorum 1066. Chriſti 755. ad 1080. Chriſti 769. frequens mentio occurrit *Sergunæ* epiſcopi Mardenſis, viri utique inſignis. Aſſem. *ib. & pp. 110. 111. 112. 114.*

III. Ananias II.

Ananias iſte, monachus primum cœnobii ſancti Matthæi in monte *Elpheph* in Meſo- C potamia, apud novam Niniven quæ *Moſul* dicitur, à Cyriaco Patriarcha anno 1104. Chriſti 793. epiſcopus Mardæ & Caphartutæ ordinatus eſt. Ex codice Syriaco refert Aſſemanus *to. 2. p. 122.* cœnobium Zapharanenſe, poſtea *Mar-Ananiæ* ex hujus epiſcopi nomine dictum, non fuiſſe quidem ab ipſo ædificatum ſed inſtauratum duntaxat, poſtquam ab habitatoribus deſertum fuerat. Ananias enim à Cyriaco epiſcopus Mardæ & Caphartutæ D conſtitutus, quum hanc domum (quæ haud procul ab urbe Mardæ erat & cœnobium *Natphæ* ſeu *Nataphæ* nuncupabatur) à duodecim monachis ſolitariam vitam agentibus habitatam vidiſſet, curam ejus ſuſcepit, ædes in melius reduxit, cœnobium multimodis locupletavit ornamentis, magnaque monachorum ibidem congregata multitudine leges illis ac regulas præſcripſit. Vixit in illa domo, epiſcopatus

Digitized by Google

epiſcopatus nihilominus munia gerens, annos fere tres & viginti. Obiit tandem circa annum 1127 Chriſti 816. Aſſem. *ibid. & pp. 222. 223. 342.*

IV. Ignatius.

Poſt Ananiæ mortem, ex eodem codice Syriaco, *Ignatium* ejus diſcipulum, Mardæ & Caphartutæ epiſcopum Cyriacus Patriarcha inſtituit. Aſſem. *ibid. p. 223.*

V. Joannes I.

Ab anno Græcorum 1436. ad 1476. ſive ab anno Chriſti 1125. ad 1165. *Joannes* ſedit Mardæ epiſcopus, ab Athanaſio VII. Abulfaragio Patriarcha ordinatus, qui vicinarum quoque urbium Daræ, Haran, Chaburæ, Caphartutæ, & Niſibis eccleſias Jacobiticas gubernavit. Ejus geſta clariſſ. Aſſem. reperit in codicibus Syriacis duobus, quorum partem nonnullam exſcripſit *to. 2. pp. 217. & ſeqq.* titulus eſt: *Ope Domini noſtri ſcribimus memoriam & cauſam habitationis, ſeu inſtaurationis cœnobiorum diœceſeos Mar-Joannis metropolitæ Mardæ.* In fine, *p. 227.* dies & annus obitus ejus notantur hoc modo. *Migravit ab hoc ſæculo nequam & miſeriarum pleno, & abiit ad Dominum ſuum Mar-Joannes ſanctus metropolita Mardæ, & Daræ, & Chaburæ, & Caphartutæ, & Tel-Beſmæ, anno Græcorum 1476.* (Chriſti 1165.) *die 12. Julii, in neomenia menſis Romadan, hoc eſt, Jejunii Arabum, anno Hegiræ eorum quingenteſimo-ſexto.* (Hic mendum eſt, ex tranſpoſitione fortaſſis numeri 6. de ſecundo loco ad tertium. Hegira enim anno Græcorum 1476. reſpondens, non eſt 706. ſed 760.) *Iſte autem homo ſanctus, juſtus, doctor, ſapiens, & illuminatus fuit in omni arte, &c. Qui vivificavit religionem omnem quæ mortua fuerat, qui ædificavit monaſteria deſtructa à ducentis & trecentis annis, quorum nemo nomina noverat; eccleſias magnas & pulchras lapide & calce quinque, &c. parvas autem viginti quatuor, &c. monaſteria nova, &c.* Et ex eodem codice paulo ſupra *pp. 224. & 225.* habet Aſſem. *Vixit autem Mar-Joannes illuſtris nomine annos 77. & epiſcopatum geſſit annos 38.* (imo, inquit idem Aſſem. ibid. in nota, *quadraginta,* ut infra notatur, *p. 226.* & Gregorius Barhebræus in chronico Syriaco teſtatur: nam ordinatus eſt anno Græcorum 1436. & obiit anno 1476.) .... *Idem Mar-Joannes multos codices procuravit, & plurimum laboravit ut compingeret & uniret codices diſperſos & obtruncatos diuturnitate temporis, & ſcripſit quatuor Evangelia parva auro & argento &c. Contulit autem laborem & curam ad eccleſiæ utilitatem, & ad procurandam ejuſdem ſuppellectilem, ut phialas, & calices, & thuribula, & cruces, & flabella, & arcas, & ſedes: quam diligentiam nemo alius habuit. Unum ejus diligentiæ ſpecimen fuit, quod Alexandriam pecuniam miſit, & emit per mercatores amicos ſuos duas phialas, & urceum ad conſecrationem chriſmatis, & calices tres ſtanneos, & quinque vaſa, quibus ſimile non fuit reperire, niſi in theſauris regum. Conſecravit autem chriſma per tredecim vices, & locupletavit omnes chriſtianos omnium regionum, &c. Epiſcopatum geſſit annis quadraginta, &c. Ordinavit preſbyteros & diaconos ſeptingentos.* Bar-hebræus quoque narrat, apud Aſſeman. *pp. 208. & 209.* Dionyſium, qui & Jacobus Barſalibi, tomum ſcripſiſſe, quo Joannis quemdam librum confutans, diſtinguebat, contra ipſum, inflicta à Deo flagella, à noxis quæ ob hominum incuriam accidunt. Joannes porro indignatione commotus, Jacobum ad Patriarcham Athanaſium detulit, *conqueſtus epiſcopi doctrinam à diacono impugnari. At Patriarcha Mardenſem epiſcopum plus juſto honorans, miſſis ad Jacobum litteris hominem acriter reprehendens, interdicto etiam coërcuit. Jacobus autem librum ſuum coram ſynodo protulit; quem quum Patriarcha legiſſet laudavit ſummopere, ejuſque auctorem Jacobum non modo ab interdicto abſolvit, verum etiam Marhaſenſem epiſcopum conſecravit, impoſito ei Dionyſii nomine: utque cum Mardenſi reconciliaretur, eumdem in urbem Marden allegavit, quod & feliciter evenit.* Joannis Mardenſis obitum ſic refert idem Bar-hebræus in chronico Syriaco part. 2. fol. 303. apud Aſſemanum *p. 225.* in nota. *Eodem anno 1476. celeberrimus Mar-Joannes Mardæ, quum ex cœnobio Mar-Ananiæ, ad ſpecum Adrur, Haje* (id eſt, Athanaſium) *anachoretam viſitaturus aſcenderet, ex equo cecidit, & mortuus eſt: ejuſque, ac Maphriani* (Joannis ſcilicet qui eodem anno obierat, inquit *ibidem* Aſſemanus. Hic tamen mendum eſt. Non enim vocabatur *Joannes* Maphrianus iſte, ſed *Ignatius* hujus nominis II. Nec anno Græc. 1476. obiit, ſed anno præcedenti 1475. Chriſti 1164. die 14. Junii, ut narrat idem Aſſem. *pp. 450. 452. & 453.*) *ejuſque, ac Maphriani cimelium, quod ad ipſum ex hæreditate devenerat, apud quoſdam impios depoſitum, ab iis impie diſſipatum eſt.* Subjungit Bar-hebræus, poſt Joannis Mardenſis obitum, Patriarchas Jacobitas ex urbe Amida Mardam ſedem tranſtuliſſe.

VI. Maudiana.

Michaël I. qui Patriarcha electus eſt anno Græcorum 1478. Chriſti 1167. *Maudiana* Edeſſenum Mardenſi eccleſiæ præfecit circa annum 1493. Chriſti 1182. Is, quum paulopoſt ab hujus urbis incolis vexatus eſſet, Melitinenſium conſilio, ut ſcribit Bar-hebræus,

Digitized by Google

ECCLESIA MARDÆ.

Byzantium adiit, ubi ſuſcepta Chalcedonenſium religione ad Maipheractenſem diœceſim remiſſus eſt. Aſſem. *to. 2. p. 368.*

VII. Joannes II.

Joannes Aaron cognomento *Bar-Maadani*, hoc eſt filius Maadanenſis ex *Maadan* Meſopotamiæ regione oriundus, ab Ignatio II. qui & David dicebatur, epiſcopus Mardæ ordinatus eſt anno 1543. Chriſti 1232. Ab eodem poſtea Maphrianus creatus circa annum 1560. Chriſti 1249. illi demum ſucceſſit, Alepi à ſuæ factionis epiſcopis Patriarcha renuntiatus anno Græcorum 1564. Chriſti 1253. adverſus Dionyſium Angur, qui in cœnobio Barſumæ tribus fere ante menſibus eodem anno electus fuerat. Obiit anno 1574. Chr. 1263. Aſſem. *to. 2. pp. 242. 377. 379.*

VIII. Joseph.

Bader-Zache id eſt *Nicolaus* cognomento *Bar-Vahib*, ſeu *Vahibi filius*, *Joſeph* appellari voluit, quum epiſcopus Mardæ conſecratus eſt. Hoc autem contigit ante annum Græcorum 1604. Chriſti 1293. quo ad dignitatem Patriarchæ evectus fuit, Kalendis Januarii, aſſumpto *Ignatii* nomine V. alias I. Obiit anno 1643. Chriſti 1332. Aſſemanus *ibid. pp. 381. 382. 464.*

IX. Joannes III.

Ex auctore Appendicis ad chronicon Barhebræi, anno 1675. Chriſti 1364. *Joannes* Severinita epiſcopus Cartaminæ, Mardenſis quoque eccleſiæ curam gerebat. Aſſem. *to. 2. in differt. de Monoph.* ubi de epiſcopis Cartaminæ. Inferius autem *p. 382.* eum cognominatum dicit *Joſue Bar-Sophre, & p. ſeq. 383.* recenſet inter illos præſules, qui pro Saba Salachenſi epiſcopo, apud Ignatium VI. Joannem Iſmaëlem dictum, fruſtra interceſſerunt, anno eodem Græcorum 1675. Chriſti 1364.

X. Henoch.

XI. Philoxenus.

Idem auctor Appendicis ad chronicon Bar-hebræi, teſte Aſſem. in præfata *differt. de Monoph. Henoch* Inuardenſem, commemorat, qui anno 1732. Chriſti 1421. & Cumam Severinitam *Philoxenum*, qui an. 1756. Chriſti 1445. ex epiſcopis Cartaminæ & *Mardæ* in Patriarchas quartum & quintum Tur-Abdinenſium electi ſunt. De iiſdem rurſus agit Aſſem. infra *p. 385.* ubi ait Henoch Inuardenſem, qui *Ignatii* nomine inſignitus fuerat Patriarcha factus Tur-Abdinenſium, obiiſſe anno 1756. Chriſti 1445. ejuſque in locum ſubſtitutum fuiſſe Cumam Severinitam, Philoxenum nuncupatum quum Cartaminenſis epiſcopus eſſet, qui *Ignatii* quoque nomen aſſumpſit, habuitque ſucceſſorem anno 1767. Chriſti 1456. Ignatium Joſue Inuardenſem.

XII. Georgius.

Georgius Severinita Cartaminenſis epiſcopus, quem auctor Appendicis ad chronicon Bar-hebræi dicit Cartaminæ ſimul & *Mardæ* fuiſſe præſulem, Ignatio quidem Joſue Inuardenſi, ſexto Tur-Abdinenſium Patriarchæ, anno 1767. Chriſti 1156. Ignatio autem Philoxeno Azizo Bar-Sapta ſeptimo Tur-Abdinenſium Patriarchæ anno 1772. Chr. 1461. manum impoſuit. Aſſem. *to. 2. & p. 385.*

XIII. Timotheus.

Aſſemanus *ibidem pp. 300. & 500.* recitat notam temporis in fine codicis Syriaci Vaticani 23. appoſitam, in qua *Timotheus Elias*, qui & *Thomas*, epiſcopus Mardæ, ſediſſe dicitur, anno Græc. 1901. (Chriſti 1590.)

XIV. Athanasius.

Sæculo proxime elapſo *Athanaſius Saphar* Mardæ epiſcopus, ſuſcepta fide Catholica Romam ſe recepit. Ibi vivebat adhuc anno 1721. quo 2. *Bibl. Orient.* tomum edidit clariſſ. Aſſeman. ut ipſe refert *in differt. de Monophyſ.* Inter codices Ecchellenſes quos recenſet idem Aſſeman. *to. 1. pag. 580.* ſexageſimus eſt opus hujus Athanaſii Saphar, *hiſtoria* ſcilicet *expeditionis Franciſci Piqueti epiſcopi Babylonis ad regem Perſarum. Arabicè litteris Syriacis in 12. Chart. 105. Codex ipſius auctoris manu exaratus anno Chriſti 1685.*

I. S

ECCLESIA SAMOSATÆ.

Samosata Syriæ Comagenæ ad Euphratem urbs celebris eſt: hanc *Somiſatam* Abulfeda appellat *in Tab. geogr. n. 221.* nec multum diſtare ait, tum à caſtro Romano quod ad Orientem; tum à caſtro Manſur quod ad Auſtrum habet. Proxima Samoſatæ cœnobia memorantur *Herbaz*, ubi Ignatius I. Patriarcha electus anno Græcorum 1189. Chriſti 878. monachus egerat; *Mar-Ab-Hai* ubi epiſcopi Samoſateni aliquando manſerunt, & *Pheſchin* cujus archimandrita David obſervandum ſtatuit ne quid monachi poſſiderent.

Digitized by Google

EPISCOPI SAMOSATENI.

I. Severus I.

Athanasius I. cognomento Camelarius, patria Samoſatenus, electus Patriarcha anno Græc. 906. vel ut alii ſcribunt 908. Chriſti 595. vel 597. *Severum* fratrem ſuum ordinavit Samoſatæ epiſcopum, priuſquam Alexandriam peteret concordiam inſtauraturus Alexandrinos inter & Antiochenos Jacobitas, quæ ſub Petro & Damiano rupta fuerat. Aſſeman. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de epiſcopis Samoſatæ, *& p. 334.*

II. Theodorus.

Georgius Patriarcha, qui ad eam dignitatem evectus eſt an. Græcorum 1070. Chriſti 759. *Theodori* Samoſateni epiſcopi ſyncellus fuerat. Aſſem. *to. 2. p. 340.*

III. Constantinus.

Ex Dionyſii Patriarchæ chronico, *Conſtantinus* Samoſatæ epiſcopus ab anno Græcorum 1057. ad annum 1066. id eſt ab anno Chriſti 746. ad annum 755. inter Jacobitas claruit. Anno 1070. Chriſti 759. electioni Georgii Patriarchæ in ſynodo Mabugenſi factæ interfuit: & rurſus anno 1076. Chriſti 765. in ſynodo Sarugenſi, ipſe, aliique epiſcopi qui ſeſe à Georgio antequam ordinaretur ſubduxerant, & Joannem Callinici epiſcopum ſibi conſtituerant Patriarcham; poſt hujus mortem, Georgio ejuſdem hujus ſynodi præſidenti obtemperandum in poſterum decreverunt. Aſſemanus *tom. 2. pp. 107. 110. 111. 112. 114.*

IV. Severus II.

Anno circiter Græcorum 1108. Chriſti 797. Cyriacus Patriarcha *Severum* Samoſatæ epiſcopum excommunicavit, eo quod ſibi Samoſatam advenienti fores eccleſiæ in faciem occluſiſſet. Aſſem. *ibid. p. 342.*

V. Timotheus I.

Timotheus Samoſatæ epiſcopus duos Patriarchas ordinavit; ſcilicet Ignatium I. cœnobii Herbaz ditionis Samoſatenæ monachum, in Callinicenſi monaſterio S. Zachæ, die 5. Junii, anno Græcorum 1189. Chriſti 878. & Theodoſium in ſynodo Amidena, A die 5. Februarii, anno 1198. Chriſti 887. Aſſem. *ibid. pp. 348. 349.*

VI. Thomas.

Sæculo undecimo florebat *Thomas* Samoſatæ epiſcopus, temporibus nimirum Joannis Abdon Patriarchæ Antiocheni Jacobitarum, & Zachariæ Alexandrini, ut adnotatur in fine codicis Syriaci 15. apud Aſſem. *tom. 1. Bibl. Orient. pag. 614.* ubi legitur *exaratus à Joanne, ſub Joanne cognomento Abdun Patriarcha Antiochiæ, Zacharia Patriarcha Alexandriæ, Thoma epiſcopo Samoſatæ, & altero* B *Thoma epiſcopo Claudiæ.* Nam Joannes Abdon electus fuit Patriarcha anno Græcorum 1315. Chriſti 1004. & obiit anno 1344. Chriſti 1033. Zacharias autem electus fuit circa eumdem annum 1315. Chriſti 1004. & obiit anno 1343. Chriſti 1032.

VII. Athanasius.

Circa annum Græc. 1386. Chriſti 1075. *Athanaſius* Samoſatæ epiſcopus, una cum Simeone Chiſumenſi epiſcopo, poſt Baſilii II. C mortem, Joannem XI. cognomento Abdon è Symnadæ epiſcopo Patriarcham proclamavit. Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monoph. & pag. 356.*

VIII. Timotheus II.

Sæculo duodecimo, anno 1454. Chriſti 1143. Goſelinus Edeſſæ comes *Timotheum* è Gargar Samoſatam transferri juſſit, quam tranſlationem, Athanaſius VIII. ut Comitem ſibi exaſperatum placaret, ratam habuit. Aſſemanus *ibid. & p. 361.*

D IX. * * *

Leonardus Abel in ſua relatione ad annum Chriſti 1583. quam Thomas à Jeſu *lib. 7. de converſ. gent. p. 386.* deſcripſit, *archiepiſcopum* in monaſterio S. Ab-Hai ſedentem laudat, teſte Aſſemano *in diſſert. de Monoph.* ubi de eo cœnobio agit, huncque *Samoſatæ* epiſcopum fuiſſe exiſtimat, qui in hoc monaſterio in ejus confiniis ſito ſedem habuerit, pro more Orientalium recentiorum, maxime Jacobitarum & Maronitarum, quorum epiſcopi in cœnobiis extra urbes poſitis commorantur.

II.

ECCLESIA SYMNADÆ.

Frequens eſt in Jacobitarum annalibus *Symnadæ* mentio, quam doctiſſimus Aſſemanus Phrygiæ urbem *Synnadam* vulgo appellari dicit *in diſſert. de Monoph. tom. 2. Biblioth. Orient. præfixa.*

ECCLESIA SYMNADÆ.

EPISCOPI SYMNADÆ.

I. Jacobus.

ANno 1280. Chriſti 969. *Jacobus* Symnadæ metropolita, una cum Joanne VII. Sarighta Patriarcha Antiocheno Jacobitarum, Nicephori Phocæ Imperatoris juſſu, Conſtantinopolim ductus eſt, ut ibi cum urbis regiæ Patriarcha, aliiſque doctoribus Græcis, de fidei articulis inter eos controverſis diſputarent. Id teſtatur Joannes ipſe in epiſtola quam ad Mennam Alexandrinum Coptorum Patriarcham ea de re ſcripſit, apud Aſſem. *to. 2. p. 139.* & Renaudot. *in hiſt. Patr. Alex. p. 360.* ubi legitur, *ego vero, & Sergius metropolita Euphemiæ* (ſic enim haberi in ea epiſtola monet Aſſemanus *p. 478.* non *Apameæ,* ut ſupra *pag. 139.* poſuerat) *& Jacobus metropolita Symnadæ, &c.*

II. Elias.

Romanus Argyrus Imperator, anno Græcorum 1340. Chriſti 1029. Joannem VIII. filium Abdon, cum ſex epiſcopis, quorum unus *Elias* fuit Symnadæ præſul, Byzantium perduci juſſit. At quum Patriarcha hæreſim ejurare nollet, eum in cœnobium Caii, quod in regione Bulgarorum ſitum eſt, relegavit imperator, ubi deceſſit anno 1344. Chriſti 1033. Elias vero, qui ſimiliter in erroribus Jacobitarum perſeverabat, à populo coram palatio lapidibus obrutus interiit. Bar-hebræus in vita Joannis Abdon Patriarchæ, Græcos refert à Jacobitis etiam exegiſſe, ne oleum pani Euchariſtico admiſcerent, neve crucem unico digito ſed duobus formarent. Nihil hoc facto antiquius, de ſale & oleo hucuſque legi apud ſcriptores, inquit Aſſem. *to. 2. p. 356.* ſi illud Iſaaci magni carmen excipias quod *p. 183.* ſupra indicavi; nimirum, ut monet eo loci idem Aſſem. S. Iſaac Syrus, carmine de ſanctis Martyribus, codice Syr. Vaticano 5. fol. 99. n. 14. cujus mentio fit, *to. 1. Bibl. Or. pag. 608.* olei meminit, quum de pane Euchariſtico loquitur, non eo tamen ſenſu, ſubdit Aſſemanus, quo recentiores Jacobitæ volunt oleum & ſal farinæ miſceri, ſed quo antiquioribus mos erat, & recentiores etiam ſacerdotes Syri ſolent, oleo ſcilicet manum linientes, ne dum oblatam formant, maſſa manui adhæreat. Idem obſervat Renaudot. *to. 2. pag. 66.* Florebat S. Iſaac ſub Theodoſio & Marciano Imperatoribus ſæculo quinto medio, ex eodem Aſſeman. *to. 1. pp. 207. & ſeqq.*

III. Abdon.

Baſilius II. Patriarcha, electus anno Græcorum 1385. Chriſti 1074 eodem anno, aut ſequenti quo obiit, ſex ordinavit epiſcopos, quorum unus fuit *Abdon* ex familia Joannis VIII. Abdon Patriarchæ, eumque ex archimandrita cœnobii Beth-Gaghæi, Symnadæ metropolitam conſtituit. Ejus nomen, una cum Baſilii, in ſchedula ſcriptum, quum Patriarchæ electio ob diſſenſum epiſcoporum ſorte facta eſt, & ante Baſilii nomen extractum, à præſide ſynodi occultatum fuiſſe, ut Baſilius Patriarcha renuntiaretur, Simeon Chiſumæ, & Athanaſius Samoſatæ epiſcopi contendentes, illum poſt Baſilii mortem Patriarcham proclamarunt anno 1386. Chriſti 1075. qui fuit Joannes XI. & obiit circa annum 1403. Chriſti 1092. Aſſemanus *to. 2. pp. 356. 357. 358.*

IV. Bar-Turca.

Bar-Turca è caſtro Zaid in Armenia oriundus, à Joanne XIII. Maudiana Patriarcha electo anno Græcorum 1440. Chriſti 1129. ex epiſcopatu Mabugenſi ad quem eum eodem anno promoverat, ad Tel-Baſerenſem, deinde ad Symnadenſem, poſtea ad Chaburenſem tranſlatus. Quum ob flagitioſam vitam quam ubique duxit omnibus exoſus eſſet, tandem à quibuſdam Armenis interemptus eſt. Aſſem. *ibid. p. 360.*

T

I. ECCLESIA TARSI.

TARSUS Ciliciæ primæ metropolis, S. Pauli Apoſtoli patria, Jacobitis incolis plena fuit, quorum epiſcopos nonnullos Dionyſius Patriarcha, & Gregorius Bar-hebræus in ſuis chronicis recenſent.

EPISCOPI TARSI.

I. Joannes.

SEVERUS cognomento Bar-Maske Patriarcha electus anno 979. Chriſti 668. ordinatus fuit eodem anno à *Joanne* epiſcopo Tarſenſi. Aſſemanus *tom. 2. Bibliothecæ Orientalis, in diſſert. de Monoph.* ubi de epiſcopis Tarſi, *& pag. 335.*

Digitized by Google

ECCLESIA TARSI.

II. Abibus.

Abibus eccleſiæ Tarſenſi præerat anno Græcorum 1158. Chr. 847. quo Joanni III. Patriarchæ, in cœnobio S. Silæ apud Edeſſam, manum impoſuit. Aſſem. *ibid. & p. 348.*

III. Athanasius I.

Anno Græc. 1247. Chriſti 936. *Athanaſius* Tarſi epiſcopus, in Teleda caſtro ditionis Antiochenæ Joannem V. Patriarcham ordinavit. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. & p. 350.*

IV. * * *

Athanaſius VIII. qui & Joſue Barchetre, A ad dignitatem Patriarchalem evectus anno Græcorum 1450. Chriſti 1139. quum circa annum 1452. Chriſti 1141. in cœnobium Aaron Sigaræ ſe conferret, Maipheractenſi epiſcopo Amidenam ſedem regendam dedit, *Tarſenſi* vero Antiochiam. Aſſemanus *ibid. & pag. 361.*

V. Athanasius II.

Ignatii III. qui & Joſue, electioni in Patriarcham interfuit cum aliis epiſcopis in cœnobio Gavicathæ apud Mopſueſtiam, anno Græcor. 1575. Chriſti 1264. *Athanaſius* Tarſi epiſcopus. Aſſem. *ibid. & p. 379.*

DIŒCESIS JACOBITICÆ ANTIOCHENÆ EPISCOPATUS.

A

I. ECCLESIA ACONIS.

ACE, ſeu *Aco*, quæ etiam *Ptolemais*, Phœniciæ maritimæ urbs eſt. In ea, poſtquam à Francis ſubacta eſt ſæculo duodecimo ineunte, quam plures Jacobitæ commorati ſunt, quibus ejuſdem ſectæ præfuerunt epiſcopi. Horum tamen vix unus aut alter ad notitiam noſtram devenit.

EPISCOPI ACONIS.

I. Athanasius.

IGNATIUS II. qui & David, electus Patriarcha anno Græcorum 1533. Chriſti 1222. *Athanaſium* Joſue diſcipulum ſuum, ex Lacabenæ, ad Aconis, anno 1557. Chr. 1246. epiſcopatum tranſtulit. Salibam quidem Vagium Jacobi Edeſſeni filium huic eccleſiæ præficere Ignatius decreverat; ſed obſtitit Athanaſius, poſtulans ut ea ſibi gubernanda traderetur. Anno 1564. Chriſti 1253. Joannes Bar-Maadani, qui adverſus Dionyſium Angur ſe creari Patriarcham curaverat Alepi, inde Antiochiam profectus, litem inter Athanaſium hunc Joſue Ptolemaidis epiſcopum, & alterum Joſue epiſcopum Tripolis pendentem, priori adjudicavit. Aſſemanus *to. 2. pp. 375. 377.*

II. Isa.

B Pulſis è Syria Francis in fine ſæculi decimi-tertii, Jacobitæ qui antea epiſcopos habuerant Hieroſolymis, Damaſci, Tripoli & Emeſæ, valde numero diminuti in Palæſtina & Phœnicia, duobus epiſcopis contenti ſunt, quorum unus Hieroſolymis, alter Damaſci, vel Emeſæ reſidebat. Hinc Ignatius IX. alias V. Patriarcha electus anno 1723. Chriſti 1412. audito æmuli ſui Baſilii Simeonis Hieroſolymis obitu, eo profectus an. 1756. Chr. 1445. ut Jacobitas ibi degentes à novi Patriarchæ in ejus locum electione averteret, duos illis epiſcopos ordinavit, *Iſam* ſcilicet, qui Hieroſolymis, totique Palæſtinæ, ſubindeque *Aconi* præeſſet, & Joſephum Bar-Niſan, qui Damaſco atque Emeſæ. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Acone, *& pag. 385.*

II. ECCLESIA ANAZETÆ.

ANAZETA, Ptolemæo *Anzeta*, Syris *Anazit* & *Hanazit*, Armeniæ urbs eſt, ad radices montis *Saü*, qui mons *Taurus* appellatur. Montis Saü meminit Maſius præfatione in Barcepham, eumque *Tura-Zahöio* vocat, id eſt *montem aridum*. *Abraham* Anazetæ epiſcopum Dionyſius Patriarcha in chronico floruiſſe aſſerit anno Græcorum 836. Chriſti 525. teſte Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.*

Digitized by Google

III. ECCLESIA ARCÆ.

Gregorius Bar-hebræus inter epiſcopatus Melitinæ vicinos, *Arcam* recenſet, quam in Armenia quoque itinerarium Antonini collocat. Ejuſdem Bar-hebræi ævo qui obiit anno Græcorum 1597. Chriſti 1286. non ſtabat amplius, ſicut nec ſex aliæ urbes quarum mentionem facit, apud Aſſem. *to. 2. pag. 260.* his verbis; quibus ſe Patriarchatum non ambire ſignificabat. *An Antiochiæ deſiderium me tenet, quam gemitus luctuſque occupat!.... An ſeptem diœceſeon circa Melitinam, in quibus nec una domus ſupereſt, Lacabena ſcilicet, & Arcæ, & Kaliſura, & Semchæ, & Gubæ, & Claudia, & Gargaræ!*

EPISCOPI ARCÆ.

I. Isaac.

Duos hujus urbis epiſcopos reperio, quorum primus eſt *Iſaac*. Is una cum Joanne VIII. cognomento Abdon Patriarcha, anno 1340. Chriſti 1029. Conſtantinopolim ductus Romani Argyri Imperatoris juſſu, hæreſim Monophyſiticam invitus ejuravit: mox in Syriam regreſſus, porrecto ſupplici libello, ad communionem Jacobitarum rurſus admitti obtinuit. Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de epiſcopis Arcæ, *& p. 353.*

II. Basilius.

Tempore Ignatii II. qui & David dicebatur, & electus eſt Patriarcha anno Græcorum 1533. Chriſti 1222. *Baſilius* Arcæ epiſcopus, cum præfectis cœnobii Barſumæ, inſtigante Dionyſio Melitinenſi epiſcopo, hunc Patriarcham, apud Aladdinum Chikobadum regem accuſaturus Melitinam venit. At eum retrocedere Ignatius, auctoritate, & magis adhuc opibus quibus pollebat, coëgit. Aſſemanus *ibid. & pag. 371.*

IV. ECCLESIA ARSAMOSATÆ.

Arsamosata, quæ *Armoſata* & *Arſamote* à nonnullis appellatur, Armeniæ fuit urbs non ignobilis, inter Tigrim & Euphratem ſita, unde Plinius *lib. 6. cap. 9.* ait, *oppida celebrantur in majore* (Armenia) *Armoſata Euphrati proximum.* Nummum Marci Aurelii Medicæum laudant Holſtenius & Spanhemius inſcriptum ΑΡΜΟϹΑΤΤΗΝΩΝ *Armoſattenorum*, apud Cellarium *to. 2.* notitiæ Orbis antiqui, *p. 391.* Dionyſius Patriarcha refert in chronico, teſte Aſſem. *tom. 2. pag. 113.* anno Græcorum 1079. Chriſti 768. caſtrum Arſamoſatam, jubente Abbaſo Amera, id eſt Duce ſive præfecto Geziræ, fuiſſe ædificatum, vel potius inſtauratum. Scribit etiam idem Patriarcha *Aaronem* huic eccleſiæ præfuiſſe ab anno Græcorum 814. Chriſti 503. ad annum 829. Chriſti 518. quo, ob hæreſim Monophyſiticam, à Juſtino Imp. in exilium pulſus fuit. Idem Aſſem. *ibid. in diſſert. de Monoph.*

V. ECCLESIA JACOBITICA ASIÆ.

Obſervat doctiſſimus Aſſemanus *to. 2. Bibl. Or. p. 84.* ex ipſomet Joanne epiſcopo Aſiæ, de quo nunc agendum erit, conſuetudinem eſſe hæreticorum, partium ſuarum epiſcopos, ubi exiguus ſectariorum numerus eſt, integræ provinciæ aut regno præficere. Sic enim legimus, inquit, apud hunc Joannem, Eutropium Julianiſtarum in Aſia epiſcopum fuiſſe, Sergium in regno Homeritarum, & alios alibi. Epiſcopus Aſiæ in hoc ſenſu appellatur à Dionyſio Patriarcha in chronico *Joannes* iſte inter Monophyſitas celeberrimus, quem Gregorius Bar-hebræus dicit ſucceſſorem fuiſſe Anthimi in epiſcopatu Conſtantinopolitano Monophyſitarum, ſæculo ſexto, depoſiti. Quod vero Dionyſius eum *Aſiæ epiſcopum* vocet, non explicans cujus eccleſiæ ſpecialis tenuerit ſedem, merito exiſtimat Aſſemanus rationem eſſe quia Joannes hic, non unius duntaxat certi loci, aut urbis, ſed totius Aſiæ minoris regimen apud ſuos Monophyſitas acceperat, in Lydia quoque, in Caria, & in Phrygia. Certe idem Dionyſius in chronico ad annum Græcorum 829. Chriſti 518. poſtquam epiſcopos Ciliciæ, Cappadociæ, & Syriæ recenſuiſſet, quos Juſtinus Imp. ut-pote concilii Chalcedonenſis impugnatores ſedibus deturbavit, duo-deviginti alios ſubjungit Aſiæ, Cariæ, & Phrygiæ præſules, qui eamdem ob cauſam relegati ſunt.

Digitized by Google

ECCLESIA JACOBITICA ASIÆ.

EPISCOPI JACOBITÆ ASIÆ.

JOANNES

SEctariorum igitur qui in iis provinciis remanſerant, curam & regimen ſuſcepit *Joannes*, à Monophyſita Syriæ Patriarcha illuc miſſus, maxime poſtquam dejecto Anthimo Conſtantinopolitano Patriarcha, res Monophyſitarum in eo terrarum tractu cecidiſſent. Hinc Bar-hebræo is qui ſimplex epiſcopus erat & Severo Antiochenæ ſedis invaſori ſubjectus, Anthimi Patriarchæ ſucceſſor fuit, eo quod, ut dictum eſt, Monophyſitis omnibus illarum provinciarum, poſt Anthimi depoſitionem, præeſſet. Itaque in Conſtantinopolitano Monophyſitarum Patriarchatu, inquit idem Aſſem. *in diſſert. de Monoph.* ubi de Aſia, per ea tempora id factum eſt, quod poſtea Hieroſolymitano contigit, quem Monophyſitæ Antiocheno throno ſubjectum voluere. Ob exiguum ſcilicet illius ſectæ numerum, quæ in utraque diœceſi commorabatur, æquius viſum iis fuit in locum Patriarchæ unum epiſcopum ſubſtituere, quam Patriarcham modicæ plebi præficere. Porro Joannes ille epiſcopus Aſiæ, ex Amida Meſopotamiæ urbe ſe genus duxiſſe ipſemet teſtatur, in hiſtoria quam à Theodoſii junioris temporibus uſque ad Juſtinianum Imperatorem & ad ann. Græcorum 885. Chriſti 574. ſcripſit, apud Dionyſ. Patr. in chronico; fol. enim 115. de peſte quæ in Meſopotamia graſſabatur, loquens ait, *tempus nunc eſt de flagello referre, quo percuſſa eſt urbs educationis noſtræ Amida cum reliquis finitimis civitatibus.* In ea autem hiſtoria, cujus ſummam & quædam fragmenta tradit Aſſem. *tom. 2. pp. 83. & ſeqq.* narrat Joannes ſibi à Juſtiniano Imp. provinciam mandatam fuiſſe, ut Monophyſiticæ factionis monachos ex omnibus Syriæ cœnobiis Conſtantinopolim arceſſeret, id autem ſe recuſaviſſe, *quia,* inquit, *verebamur ſanctorum horum perfectorumque virorum maledicta & imprecationes:* nimirum, ne, ſi poſt tanti laborem itineris unitas eccleſiarum ex ſententia non ſequeretur, in ejus auctorem dira verba congererent. Refert etiam anno Juſtiniani 19. commiſſum ſibi ab eo fuiſſe munus inquirendi in Ethnicos qui in regia urbe latitabant, & peracto diligenti examine, complures deprehenſos fuiſſe hujuſmodi homines, nobilitate, opibus & eruditione inſignes, Patricios, Grammaticos, Sophiſtas, Scholaſticos, & Medicos: ex his Phocam quemdam patriciæ dignitatis hauſto veneno ſibi mortem conſciviſſe, reliquos vero paganos in eccleſiam conveniſſe ut Chriſtiana religione per ipſum imbuerentur:

A anno quoque Græcorum 853. Chr. 542. ſe ejuſdem Imperat. juſſu regiones Aſiæ, Cariæ, Lydiæ & Phrygiæ perluſtrando, à gentilium erroribus ad Chriſti fidem ſeptuaginta hominum millia pertraxiſſe, quibus ipſe baptiſmum adminiſtravit. Iſtud Joannis opus plura continet quæ ab aliis auctoribus vel prætermiſſa, vel levi manu tractata ſunt, ſed ſingulari annorum epocha uſus fuiſſe videtur, inquit Aſſem, *ibid. p. 85.* dum Juſtiniani Imper. vitam, & reliqua geſta fere cuncta, decennio protrahit, quam ab aliis ſcriptoribus referuntur: ſic illum B obiiſſe aſſerit an. Græc. 885. pro 876. Hujus demum Imperatoris morte, & Juſtini II. ſororis ejuſdem filii inauguratione, anno Græc. 876. Chriſti 565. abſolvit, adeo ut superviχiſſe merito credatur. Sed mirum eſt virum Monophyſitam tanta apud Juſtinianum auctoritate valuiſſe, niſi erroris labem, coram illo ſimulata Chalcedonenſi fide, aſtute celaverit. De Julianiſtarum ſive Incorrupticolarum epiſcoporum ordinatione hæc memorat ſcitu digniſſima, quæ tantum abeſt ut preſbyterianos, Joannemque Seldenum eorum patro- C num juvent, quin potius clare demonſtrant, tam Monophyſitis, quam Catholicis tunc temporis in confeſſo fuiſſe inanem prorſus & irritam ordinationem quæ à ſimplici preſbytero confertur. Procopius, inquit, apud eumdem Aſſemanum *ibidem pag. 87.* Epheſi epiſcopus in hæreſim Julianiſtarum, quam olim abjuraverat, relapſus, eamdem ad extremum uſque ſpiritum retinuit. Eo è vivis ſublato, conveniunt ſeptem ejuſdem hæreſeos preſbyteri, ut pontificem loco ipſius ſibi præficiant. Quumque nullus ſupereſſet ejus D factionis epiſcopus qui ordinationem ritè faceret, ipſi Eutropium quemdam in medium producunt, ejuſque capiti manum defuncti Procopii imponunt, orationes Chirotoniæ interim recitantes. Atque ita conſecratus Eutropius, alios ipſe ſolus decem epiſcopos ordinavit, quos ad diſſeminandum in Oriente & Occidente errorem diſtribuit, Conſtantinopolim ſcilicet, Alexandriam, Antiochiam, in Arabiam, in Perſidem, & uſque ad Homeritas. Primus vero Homeritarum pſeudo-epiſcopus Sergius fuit, qui ſubſtituto E ſibi Moyſe, antequam annos quatuor impleret, interiit. Nonnulli vero ex ipſis in Sophenen & Arzanitidem profecti ſunt, & in Armeniam uſque pervadentes, populos illos hæreſi Julianiſtarum infecere, &c. De hac autem Eutropii, Sergii, & Moyſis ordinatione quid ſentiendum eſſet, ſic idem Joannes declarat. *Poſtquam mortuus eſt Procopius, convenerunt, ut perhibetur, ſeptem preſbyteri, de quibus vere dici poteſt,*

fel biberunt & inebriati ſunt, & mente capti, & excæcatus eſt intellectus eorum ſpiritu ſtuporis & erroris, & contra omnem eccleſiaſticorum canonum ordinem conſilium inierunt. Nam quemdam monachum, Eutropium nomine, adducentes, eum ſuper illud cadaver inclinant, & mortui manum attollentes, ejus capiti imponunt, orationes Chirotoniæ epiſcopatus pro mortuo ſuper ipſum recitantes: atque hoc pacto pſeudo-epiſcopus ille ordinatus eſt præter legem, & eccleſiaſticis omnibus conſtitutionibus reclamantibus. Et quidem infelix hic & vas inane Eutropius non contentus una perditione, vanoque errore, & mercatura ſacculi perforati, quam ex manu mortui ſe feciſſe exiſtimabat, obducta intellectui ejus caligine, nullaque regulæ aut eccleſiaſtici canonis habita ratione, quum ipſe vas corruptionis per mortuum factus eſſet, priori malo novum adjecit, decem falſos epiſcopos conſtituens, qui & ipſi phantaſtice facti ſunt. Atqui meminiſſe debuerat, mortuum, quum adhuc vivus & incolumis eſſet, ab ordinatione epiſcopi facienda abſtinuiſſe, quod ab uno epiſcopo eam fieri, contra canones eſſe duceret. Ejus igitur exemplo decebat Eutropium rubore ſuffundi, nec audere, quum ſolus eſſet, epiſcopos inſtituere. Adde quod ipſe per mortui manum ordinatus eſt: atque adeo liquet, tam ipſum, quam omnes ab eo ordinatos, quique inpoſterum ab eis ordinabuntur, eccleſiaſticis ordinibus mortuos eſſe, & ordinationis eſſe expertes, & frigida ſenſuque ſpirituali carentia cadavera. Cujus rei, & nos, & omnes Aſiæ regiones teſtes ſumus. Ita, inquam, Joannes Aſiæ epiſcopus, cujus verba Syriaca cum eorum tranſlatione Latina affert Aſſem. *ib. pp. 87. & 88.*

VI. ECCLESIA ASPHARINI.

ASPHARINUM, ſive Suphrin, unde *Syphrea* Marcellino, *Siphris* Procopio, & *Sipphara* Ptolemæo, Amida diſtat, eodem Procopio teſte, ſtadiis 350. Sub Anaſtaſio Imperatore, initio ſæculi ſexti, Petrus Comes militum Dux, qui in caſtrum hujus urbis ſe receperat, ab ipſis oppidanis Cavadi Perſarum regi traditus eſt ſimul cum civitate, & militibus. At ille cæſis militibus hunc ſervari juſſit, nullamque creari Aſpharinenſibus moleſtiam. Ita Joſue Stylites in hiſtoria calamitatum quæ acciderunt Edeſſæ, Amidæ, & in tota Meſopotamia ab anno Græcorum 806. uſque ad annum 818. id eſt, ab anno Chriſti 495. ad annum 507. apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. pag. 276.*

EPISCOPI ASPHARINI.

ESAIAS.

GREGORIUS Bar-hebræus, in chronico Syriaco fol. 277. meminit *Eſaiæ* Aſpharini epiſcopi, ſub Joanne II. Patriarcha, electo anno Græcorum 1051. Chriſti 740. *Diœceſim quoque Amidæ,* inquit, *in duas Patriarcha dividens, climata quinque Eſaiæ Aſpharini* epiſcopo, Athanaſii *Sandalenſis diſcipulo tradidit; civitatem vero & reliquos pagos Severo* ejuſdem urbis epiſcopo. *Id quod ægre ferentes Amidenſes contradixerunt, aientes: haudquaquam permittemus ut regio noſtra dividatur. Quumque iis vim inferre Patriarcha nequiret, offenſus eſt Sandalenſis, aliique epiſcopi cum illo &c.* Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph. & pag. 338.*

B

I. ECCLESIA BAGHEDSCIÆ.

BAGHEDSCIA, ſeu Begadſcia, *oppidum eſt regionis Mardæ juxta Caphartutam,* inquit Abraham Preſbyter ex eodem loco oriundus, ad calcem libri S. Iſaac, quem anno 1521. Chriſti 1210. deſcripſit, teſte Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. p. 215. & to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de hac civitate. Vicus juxta Haſrai pagum & cœnobium Barſumæ in regione Mardæ poſitus dicitur à Danïele diacono, ad calcem codicis Syr. 31. quem anno 1546. Chriſti 1234. exaravit, ut legere eſt *tom. 2. pag. 505.* Ejus quoque mentionem facit codex Syriacus apud eumdem Aſſem. *to. 2. pp. 222. & 228.*

EPISCOPI

Digitized by Google

EPISCOPI BAGHEDSCIÆ.

JOANNES.

JOANNES epiſcopus Baghedſciæ ſediſſe memoratur ſub Ignatio VII. qui & Azizus Philoxenus Bar-Sapta, Tur-Abdinenſium Patriarcha, in fine codicis Syriaci ſermones continentis S. Iſaac presbyteri Antiocheni qui medio ſæculo quinto florebat. Sic enim in eo legitur apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. p. 215. Liber iſte ſexaginta ſermonum ſancti Iſaac Syri, eſt Raban Joſue monachi ac presbyteri & incluſi, qui ipſum emit iis quæ per Dei gratiam poſſidebat.... ſcripſerat eum olim claræ memoriæ Abraham presbyter Joſephi presbyteri filius ex Baghedſcia oppido oriundus anno Græcorum 1521.* (Chriſti 1210.) *Nunc vero iterum compegit, conſuit, colligavit, conglutinavitque Abraham presbyter & monachus, Beſimami filius, patria Severinita, anno Græcorum 1789.* (Chriſti 1478.) *in ſacro monaſterio Mar-Samuëlis, Mar-Simeonis, & electi Mar-Gabriëlis, diebus paſtorum eccleſiæ Mar-Ignatii Salachenſis qui & Azizus Bar-Sapta, & Mar-Joannis epiſcopi præfati monaſterii, & Mar-Cyrilli Modiadenſis, una cum reliquis orthodoxis* (id eſt Jacobitis) *epiſcopis.* Obſervat porro Aſſem. in eo loco, vocem *Raban*, quæ Syriacè *Magiſter noſter* ſignificat, ex conſuetudine Syrorum, presbyteris & monachis honoris cauſa attribui. *Modiad* autem, *Baghedſciam*, *Beth-Tabitam*, *Capharnutam*, & *Severinam*, de quibus in prædicto codice mentio fit, vicos eſſe in Meſopotamia, non procul ab urbe Mardin. Monaſterium denique ſanctorum Samuëlis, Simeonis & Gabriëlis, Baghedſciæ fuiſſe ſitum, cujus proinde epiſcopus fuerit *Joannes* in eo reſidens, aſſerit idem Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Baghedſcia.

II. ECCLESIA BAALBACH.

QUam Græci *Heliopolim* Syriæ dixerunt, hanc urbem *Baalbach* appellabant Syri, quin etiam *Beth-Semes*, vel *Medinat-Semſa*, hoc eſt *civitas Solis*. In Phœnicia Libani ſita erat, ſed nunc nonniſi rudera ejus ſuperſunt. Ea in urbe Jacobitæ multi fuerunt, ejuſque epiſcopo obtemperabant etiam illi omnes qui regionem adjacentem uſque Damaſcum incolebant, Sadad ſcilicet, Karam, Nabach, & cœnobium S. Moyſis, quæ poſtea in unam Damaſci, totiuſque Phœniciæ diœceſim, imminuto Jacobitarum ſicut & cæterorum Chriſtianorum numero, coaluerunt. Sæculo tamen decimo-ſexto in monaſterio *Deiriloomor* Heliopoli vicino epiſcopus Jacobita ſedebat, ut infra videbimus.

EPISCOPI BAALBACH *ſive* BAALBECH.

I. ANTHIMUS.

JOSEPH Patriarcha anno Græcorum 1101. Chriſti 790. electus, *Anthimum* ordinavit epiſcopum Baalbech ſive Heliopoleos in Libano, ante annum 1103. Chriſti 792. quo ipſe obiit. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph. & pag. 341.*

II. THEODOSIUS.

Anno Græcorum 1104. Chriſti 793. Cyriaco Patriarchæ Joſephi ſucceſſori *Theodoſius* & ipſe Anthimi epiſcopi Baalbech ſucceſſor, in ſynodo quæ in urbe Haran habita eſt, manum impoſuit. Aſſem. *ibid. & p. 342.*

III. JESU.

In relatione Leonardi Abel, apud Thomam à Jeſu *lib. 7. de converſ. gent. pag. 386.* memoratur *Jeſu*, ſeu *Iſa epiſcopus monaſterii Deiriloomor,* anno Chriſti 1583. Hic porro epiſcopus, quum in eo monaſterio commoraretur, quod epiſcopi Baalbech ſive Heliopolis ſedes fuerat, Heliopolitanus quoque merito epiſcopus dici poteſt. Aſſem. *in diſſert. de Monoph.* ubi de monaſterio Deiriloomor.

III. ECCEESIA BASSORÆ.

BASSORA, ſeu *Boſra*, Græcis *Boſtra*, Arabibus *Baſra*, urbs eſt ad Tigrim verſus Occaſum ſita, Abulfeda teſte *in tab. geogr. n. 292.* qui *n. 188.* aliam *Baſram* regionis Huranæ, hoc eſt Arabiæ Petreæ metropolim haud procul Damaſco ponit, apud Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Baſſora. Amrus Matthæi filius, ſcriptor Neſtorianus, qui ſeriem Patriarcharum Chaldæorum ex Mari Salomonis filio compilavit medio ſæculo decimo-quarto, in catalogo ſedium metropolitanarum & epiſcopalium Patriarchæ Orientis

Digitized by Google

ECCLESIA BASSORÆ. ſubjectarum, nominat tertio loco metropolitam Baſſoræ. *Hi ſunt*, inquit apud Aſſemanum *to. 2. p. 458. metropolitæ Patriarchæ Orientis, eorumque ſedes. 1. Metropolita Gondiſapor, qui primas tenet, & Patriarcham ordinat, conſentientibus Patribus atque fidelibus. 2. Metropolita Niſibis. 3. Metropolita Baſſoræ.*

EPISCOPI BASSORÆ.

JOANNES.

APud Jacobitas celebris eſt *Joannes* Baſſoræ epiſcopus ſeu Boſtrorum in Arabia, unde & *Arabum epiſcopus* in chronico Dionyſii Patriarchæ dicitur. Claruit ab anno Græc. 928. Chriſti 617. ad annum 961. Chriſti 650. quo Amidæ obiit. Anaphoram ejus ſeu liturgiam Syriacam Renaudot. latinè vertit *to. 2. liturg. Orient. pag. 421.* Ejuſdem quoque meminit Steph. Edenenſis circa finem *cap. 7. de hæreticis liturgiarum auctoribus.* Hunc Joannem inſuper laudat ut ſcripturæ ſacræ commentatorem Jacobus Bartelenſis epiſcopus Tagritenſis, *in libro Theſauror. part. 4. cap. 1.* A codice Beroenſ. 1. apud Aſſemanum *tom. 1. Bibliothecæ Orientalis pag. 585.* Refert idem Aſſemanus *tom. 1. p. 167.* Dionyſ. Patriarcham in chronico Syr. ad annum Græcorum 862. Chriſti 551. aſſerere Theodorum creatum fuiſſe epiſcopum Hirtæ, ſeu ditionis Naaman, nimirum Arabum Chriſtianorum qui Naamani dynaſtæ parebant, & huic *Joannem* (de quo agimus) anno Græcorum 928. Chr. 617. ſucceſſiſſe, Joanni demum Georgium anno 961. Chriſti 650. ſcilicet hi Arabum epiſcopi, Hirtæ Naamanis ſedem habebant, ut ipſemet obſervat *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Arabia.

IV. ECCLESIA BETH-MANAEM.

BETH-MANAEM, ſeu *Manaëm*, pagus eſt regionis Tur-Abdinenſis quam *Haïtamam* vocant: in ſchiſmate illo quo Saba Salachenſis Tur-Abdinenſium Patriarcha proclamatus fuit, anno Græcorum 1675. Chriſti 1364. epiſcopali dignitate decoratus eſt.

EPISCOPI BETH-MANAEM.

SIMEON.

ANno Græcorum 1698. Chriſti 1387. *Simeon* Zabdæ filius Manemita, id eſt Manemitarum epiſcopus, inquit Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* Philoxeno Damaſci epiſcopo in Patriarcham Syriæ electo manum impoſuit. Idem Aſſem. *ibid. & p. 384.*

C

I. ECCLESIA CALLINICI.

DE *Callinico* urbe Meſopotamiæ in Oſroëna ad Euphratis ripas ſita, quam Seleucus Callinicus, teſte auctore chronici Alexandrini *p. 408.* apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph.* ubi de Callinico, de ſuo nomine *Callinicopolim*, & *Callinicum* appellavit, alio jam loco dictum eſt. Hic inſerere juvat quæ refert Dionyſius Patriarcha in ſuo chronico, ex auctore chronici Edeſſeni cujus verba tranſcripſit, apud eumdem Aſſem. *tom. 1. pp. 258. & 405. Anno Græcorum 777.* (Chriſti 466.) *ædificavit Leo Imp.* (id eſt inſtauravit) *Callinicum urbem in Oſroëna, quam de ſuo nomine Leontopolim appellavit.* Addit auctor chronici Edeſſeni, quod omiſit Dionyſius, *epiſcopum etiam in ea conſtituit.* Id eſt, ut intelligit Aſſem. novum epiſcopum urbi inſtauratæ præfecit. Porro Callinici epiſcopus fuit *Paulus*, ſæculo ſexto ineunte, juxta Dionyſium Patriarcham in chronico ad annum Græcorum 814. Chriſti 503. quem ad annum 830. Chriſti 519. ait ſede ſua à Juſtino Imperatore pulſum quod ſynodum Chalcedonenſem rejiceret. In urbem itaque Edeſſam confugiens, ibi Severi libris incubuit in Syriacum ſermonem vertendis. Id ex hac nota colligitur ad calcem cod. Nitr. 29. appoſita, apud eumdem Aſſem. *to. 1. pag. 570. & to. 2. p. 46. Abſolutus eſt liber iſte menſe Aprili anni Græcorum 839.* (Chriſti 528.) *in urbe Meſopotamiæ Edeſſa, diebus Mar-Joannis Bar-Aphtonii archimandritæ monaſterii Seleuciæ S. Thomæ; opera & ſtudio Mar-Pauli Callinicenſis, qui è Græca lingua in Syriacam transferre curavit hos religioſi ac beati Mar-Severi Patriarchæ libros: videlicet magnum illum adverſus Julianum, & adverſus Appendicem, & adverſus Manichæos, & Philalethem,* ſeu apologiam pro Philalethe, inquit Aſſemanus, quam

Digitized by Google

Severus adverſus Joannem Cæſareenſem conſcripſerat. Quamvis autem hic Paulus fuerit Monophyſita, eum tamen Jacobitis Callinici epiſcopis non accenſemus, quia Jacobitarum ſectam ſic denominatam præceſſit.

EPISCOPI CALLINICI.

I. THOMAS.

T*HOMAS* Callinici epiſcopus, Athanaſii Patriarchæ & Jacobi Edeſſeni temporibus, dicitur ad calcem cod. Syr. Nitrienſ. 31. qui anno Græcorum 1012. Chriſti 701. exaratus eſt. Aſſem. *to. 1. p. 571. & to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Callinico.

II. JOANNES I.

Anno 1070. Chriſti 759. Callinici epiſcopus ſedebat *Joannes*, qui licet ſuffragium primus dediſſet Georgio in electione ad dignitatem Patriarchalem, eo tamen nondum ordinato ipſemet Patriarchatum uſurpavit, quem tenuit uſque ad obitum anno 1076. Chriſti 765. Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monoph. & pp. 111. 112. 340.*

III. THEODOSIUS.

Theodoſius Callinici epiſcopus, anno Græcorum 1129. Chriſti 818. electo in urbe ſua Callinici, poſt Cyriaci mortem, Dionyſio Tel-Maharenſi chronici auctori manum impoſuit, ut teſtatur ipſe Dionyſius à Gregorio Bar-hebræo relatus, apud Aſſeman. *tom. 2. pag. 344.*

IV. * * * V. * * *

Gravi exorto circa annum Græc. 1168. Chriſti 857. inter Joannem III. Dionyſii Patriarchæ ſucceſſorem & Baſilium Lazarum Stylitam quem ipſemet Maphrianum, anno 1159. Chriſti 848. creaverat, diſſidio, Maphrianus iſte Tagritenſibus in Patriarcham valde exaſperatis tres epiſcopos ordinavit, *Callinici* nimirum, Haran, & Rheſinæ, iis amotis quos Patriarcha his eccleſiis præfecerat. Duo hic deſignantur *Callinici* epiſcopi non nominati, ſcilicet *qui amotus eſt* à Maphriano, & qui ab eodem *illi ſubrogatus eſt.* Interim autem Patriarcha Melchiſedechum in locum Baſilii Maphrianum inſtituit, Baſilius quoque alterum Joanni Patriarcham ſubſtituere cogitabat: demum utroque eo Maphriano, quadraginta ab invicem diebus, anno 1179. Chriſti 868. mortuo, pax reſtituta eſt, eoſque Joannes Patriarcha quos Baſilius *Callinico*, Haran, & Rheſinæ dederat epiſcopos, ad alias ſedes vacuas tranſtulit. Aſſemanus *to. 2. pag. 437.*

II.

VI. CYRIACUS.

Ad calcem cod. Nitrienſis 11. cujus mentionem facit Aſſem. *to. 1. pag. 566.* legitur *exaratus* codex ille *anno Græcorum 1169.* (Chriſti 858.) *die 12. Novemb. ſub Joanne Patriarcha* (III. hujus nominis tunc florente) *& Cyriaco Callinici metropolita.* Porro quum Cyriacus decimo ante Baſilii Maphriani, de quo ſupra, obitum anno ſederet; ac ſubinde jam cœpto inter eumdem Maphrianum & Joannem III. Patriarcham diſſidio: veriſimile admodum eſt Cyriacum hunc Callinici epiſcopum, unum fuiſſe ex duobus epiſcopis Callinici qui ſupra non nominantur.

VII. JACOBUS.

Joannes VI. Patriarcha electus anno Græcorum 1265. Chriſti 954. à *Jacobo* Callinicenſi epiſcopo ordinatus eſt in cœnobio Tedeæ. Aſſem. *to. 2. p. 350.*

VIII. JOANNES II.

Joannem Denha Callinici epiſcopum Athanaſius VIII. Patriarcha electus anno Græcorum 1450. Chriſti 1139. ab epiſcopatus adminiſtratione removit in ſynodo Ananiæ habita. Eumdem Michaël I. qui Athanaſio ſucceſſerat anno 1478. Chriſti 1167. diſcuſſa iterum illius cauſa, quum deprehendiſſet reum, licet Mardæ, Moſul & Bagdadi dominorum Mahometanorum protectione fulciretur, dignitate epiſcopali, & communione privavit. Is vero poſtea reſipiſcens Patriarcham adiit tunc Antiochiæ commorantem, à quo in montem Edeſſæ miſſus, antequam Patriarcha eo adveniret, fato functus eſt, circa annum 1485. Chriſti 1174. Aſſemanus *ibid. pp. 365. 366.*

ECCLESIA CALLISURÆ.

C*ALLISURA* urbs epiſcopalis, ex ſeptem fuit quæ circa Melitinam vaſtatæ dirutæque ſunt ſæculo decimo-tertio labente, teſte Gregorio Bar-hebræo anno Chriſti 1286. mortuo: apud Aſſem. *tom. 2. Bibl. Orient. pag. 260.* In ea ſequentes epiſcopos Jacobitis præfuiſſe comperimus.

EPISCOPI CALLISURÆ.

I. ABRAHAM.

ANno Græcorum 1345. Chriſti 1034. Dionyſius IV. Patriarcha ordinatus eſt ab *Abraham* Calliſuræ epiſcopo in cœnobio S. Domitii oppidi Tamenin ditionis Claudiæ. Aſſemanus *to. 2. p. 353.*

II. * * *

Ex tribus epiſcopis quos Athanaſius VII. Patriarcha electus anno Græcorum 1401. Chriſti 1090. cenſuris ligavit, nec ullis precibus adductus eſt ut etiam in mortis articulo conſtitutos abſolveret, *Calliſuræ epiſcopus* deſignatur. Aſſem. *ibid. p. 359.*

III. JOANNES.

Joannes Bar-Conon Calliſuræ epiſcopus ad
A Melitinæ ſedem tranſlatus eſt à Michaële I. Patriarcha, anno Græcorum 1504. Chriſti 1193. Aſſem. *ibid. p. 368.*

IV. ANDREAS.

Anno Græcorum 1585. Chriſti 1274. *Andreas* Calliſuræ epiſcopus Ignatium III. Patriarcham Ciliciam peragrantem comitatus eſt, præſenſque aderat quum ille Philoxenum Nemrod Melitinæ epiſcopum ordinavit. Ejuſ-
B dem quoque Philoxeni in Patriarcham promotioni, ſub nomine Ignatii IV. anno 1594. Chriſti 1283. cum epiſcopis Gubæ & Gargar interfuit: niſi forte *epiſcopus Calliſuræ*, qui in ea Philoxeni inauguratione non nominatur, alius fuerit, & Andreæ ſucceſſor. Aſſemanus *ibid. p. 381.*

III. ECCLESIA CAPHARTUTÆ.

CAPHARTUTA oppidum eſt Meſopotamiæ haud procul Marde & Dara ſitum; Mardenſi epiſcopatui jungebatur temporibus Cyriaci Patriarchæ, qui obiit anno Chriſti 818. ut ex codice Syr. colligitur, quem recenſet Aſſemanus *to. 2. Bibl. Or. p. 222.*

EPISCOPI CAPHARTUTÆ.

I. ANANIAS.

CYRIACUS Jacobitarum Patriarcha, anno Græcorum 1104. Chriſti 793. conſecratus, eodem anno *Ananiam* monachum cœnobii S. Matthæi quod in monte Elpheph ſitum eſt, epiſcopum Mardæ & Caphartutæ ordinavit, ut teſtatur Jeſu-Dena ſcriptor Neſtorianus, apud Aſſem. *ibid. pag. 342. & to. 3. p. 196.*

II. IGNATIUS.

Ananiæ poſt annos fere viginti tres defuncto, proindeque anno 1126. aut ſequenti, Chriſti 815. aut 816. ſubſtituit idem Cyriacus Patriarcha in ſedibus Mardæ & Caphartutæ *Ignatium* hujus Ananiæ diſcipulum. Aſſemanus ex præfato codice Syriaco, *to. 2. p. 223.*

III. JOANNES.

Joannes epiſcopus fuiſſe legitur ſimul Mardæ,
C Caphartutæ, Daræ, Haran, Niſibis, Chaboræ, ac Tel-Beſine ab anno Græcorum 1436. quo ab Athanaſio VII. ordinatus eſt, uſque ad annum 1476. quo obiit: id eſt, ab anno Chriſti 1125. uſque ad annum 1165. Imminutus ſcilicet valde his temporibus, ob earum urbium devaſtationem, ut orthodoxorum, ſic & Jacobitarum numerus, cauſa fuit cur tot eccleſiis Joannes præficeretur. Frequentius, inquit Aſſem. *to. 2. p. 127.* duabus aut tribus
D ſimul civitatibus præfectos epiſcopos Jacobitas legimus, quam ab una ad aliam eccleſiam tranſlatos. Hic ambitus in conciliis damnatur. Illud propter exiguum Chriſtianorum numerum neceſſarium viſum eſt, ut congrui ad ſuſtentationem epiſcoporum reditus, qui in Oriente ex ſolis fere oblationibus & decimis fidelium conſtant, haberi poſſent. De eo Joanne ſupra locuti ſumus, ubi de epiſcopis Mardæ, *col. 1459.* Legendus idem Aſſem. *ibid. pp. 207. 216. 225. 361.*

IV. ECCLESIA CARSABACHÆ.

MIhi incompertum qua in regione civitas illa ſita ſit. Aſſemanus *in diſſert. de Monoph. to. 2. Bibl. Orient. præfixa*, ubi de eo oppido, ſuſpicatur eſſe fortaſſis *Chorſabiam* Ptolemæi *lib. 5. cap. 7. p. 146.* Armeniæ minoris haud procul Tagrito diſtantem, quæ etiam *Sibabarcha* aut *Sababarech* aliquando appellatur. Certe epiſcopum ſequentem ex hujus eccleſiæ epiſcopatu Cyriacus Patriarcha ad Maphriani dignitatem promovit.

Digitized by Google

EPISCOPI CARSABACHÆ.

SARBELIUS.

CYRIACUS Patriarcha electus anno Græcorum 1104. Chriſti 793. *Sarbelium* Carſabachæ epiſcopum, qui Tagritenſes cum Matthæanis ſive cœnobii S. Matthæi in Meſopo- A tamia apud novam Niniven quæ Moſul dicitur conſtructi monachis conciliaverat, inſtituit Maphrianum; verum is, illa poſt aliquot annos dignitate dimiſſa, in cellula quadam quam Carſabachæ ſibi ædificaverat ſeſe incluſit. Aſſemanus *to. 2. p. 434.*

V. ECCLESIA CARSENÆ.

CARSENA, urbs eſt Cyrrheſticæ, apud Mabugum ſeu Hierapolim ſita; Armenis Ciliciæ regibus ſubjiciebatur. Palutianus Pheſchinenſis cœnobii ad ripas Euphratis fundator ſub Athanaſio VII. Patriarcha electo anno Græcorum 1401. Chriſti 1090. è regione Carſena ortum ducebat. Aſſemanus *to. 2. p. 359.*

EPISCOPI CARSENÆ.

I. TIMOTHEUS.

II. JOANNES.

III. TIMOTHEUS *ſecundò.*

TIMOTHEUS Carſenæ epiſcopus, anno 1459. Chriſti 1148. hanc eccleſiam cum B Mabugenſi commutavit. At paulo-poſt, *Joanne Bar-Andrea*, qui Mabugo Carſenam tranſierat, cum Philarto ejuſdem Carſenæ gubernatore Armeno diſſidium habente, & idcirco in Pheſchinenſe monaſterium ſe recipiente, *Timotheus* ad hanc ſedem, relicto Mabugo, rediit. Aſſem. *ibid. p. 361.*

VI. ECCLESIA CARTAMINÆ.

CARTAMINA antiquiſſimum Syrorum monachorum cœnobium eſt apud Marden Meſopotamiæ urbem ante ann. Chriſti 500. conditum, quacum aliquando in epiſcopatum eumdem coaluit, adeo ut Cartaminæ epiſcopus Mardenſem eccleſiam regeret. In eo monaſterio, teſte Zacharia Melitinenſi, Joannes Amidæ epiſcopus aſceticam vitam duxerat, obiit autem anno Chriſti 502. quo Amida à Perſis capta fuit, ut ſcribit Joſue Stylites. Legendus Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. p. 283. & to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Cartamina.

EPISCOPI CARTAMINÆ.

I. JOANNES I.

MEdio ſæculo ſexto, Cartamina epiſcopum habere cœpit: Gregorius enim Barhebræus in chronico, obitum *Joannis Cartaminenſis cœnobii epiſcopi* ad annum 889. Chriſti 578. contigiſſe narrat tribus diebus ante Jacobi Baradæi ſeu Zanzali epiſcopi Edeſſeni mortem in eodem cœnobio Romani, quod in Ægypti finibus ſitum eſt. Ita Aſſem. *to. 2. pag. 332.* qui etiam obſervat *in diſſert. præfata de Monophyſ.* eccleſiæ Orientalis hunc morem aliquando viguiſſe, ut quibuſdam D monaſteriis epiſcopi præficerentur. Unde Sozomenus *lib. 6. hiſt. eccl. cap. 32.* refert *Barſen, Eulogium, & Lazarum epiſcopos fuiſſe non alicujus urbis, ſed honoris duntaxat cauſa, tamquam ad repenſanda præclara ipſorum facinora in ſuis monaſteriis ordinatos.* Hoc igitur pacto inſtitutos primum fuiſſe exiſtimat vir eruditus, tam cœnobii Cartaminæ, quam ſancti Matthæi apud Niniven epiſcopatus, C licet iis poſtea à Jacobitarum Patriarchis diœceſes aliquot adjectæ ſint.

II. ANANIAS.

Severus cognomento Bar-Maske, in Patriarcham electus anno Græc. 979. Chr. 668. contendebat adverſus Sergium Zachonium, *Ananiam* cœnobii Cartaminenſis, alioſque Meſopotamiæ epiſcopos, ordinationem cunctorum epiſcoporum ſibi reſervatam, exemplo Alexandrini Patriarchæ. Illi è contra Nicænos canones allegabant quibus definitur ut epiſcopi à proprio ordinentur metropolita, quum autem neutra pars à ſua ſententia recedere vellet, Patriarcha epiſcopos, hi viciſſim Patriarcham anathemate perculerunt, duravitque eo in ſtatu altercatio per annos quatuor, uſque ad annum 991. Chriſti 680. quo Severus obiit, tunc enim ii epiſcopi à Joanne cognomento Bar-Jeſu Orientis Maphriano reconciliati ſunt. Aſſemanus *to. 2. pag. 335.* De Bar-Jeſu agit *pag. 422.* quem à Severo

Bar-Maske Patriarcha Maphrianum inſtitutum ait anno Græcorum 980. Chriſti 669. obiiſſe vero anno 995. Chriſti 684.

III. Joannes II.

Anno Græcorum 1299. Chriſti 988. ab Athanaſio V. Patriarcha *Joannes* ordinatus eſt epiſcopus cœnobii Cartaminenſis, de quo hæc ſcitu digna ſcribit Gregorius Bar-hebræus, apud Aſſeman. *tom. 2. pag. 352. Hic characteres ſtrongylos,* (id eſt rotundos) *quorum uſus jam ab annis centum ſublatus fuerat, reſtituit, ex librorum inſpectione ipſe diſcens, filioſque fratris ſui docens. Qua in re perfectum ſcriptionis donum conceſſum fuit Emmanuëli, ejuſque fratri Nache-Bſiruotæ. Miſit autem* Joannes *epiſcopus Petrum eorum fratrem Melitinam, qui pergamenas attulit: ſcripſitque Emmanuël ſeptuaginta codices, ſcripturam nimirum verſionis ſimplicis, & τῶν ſeptuaginta, & Heracleenſis, & tomum Homiliarum in tres choros diſtributum: eoſque cœnobio Cartaminenſi ex legato dedit: libros, inquam, quibus ſimiles in toto terrarum orbe haud facile eſt reperire.* Porro *verſio ſimplex,* cujus hic meminit Barhebræus, Syriaca prima eſt ex hebræo textu concinnata, qua longe recentior eſt altera Syriaca tranſlatio ex verſione græca ſeptuaginta interpretum quæ jacebat in hexaplis Origenis cum obelis & aſteriſcis: quamvis hæc poſterior tranſlatio annum Chriſti 988. multum præcedat.

IV. Daniel.

Cartaminenſis epiſcopus aliquando fuit *Daniël,* quem Aſſeman. *tom. 2. in diſſert. de Monophyſ.* obſervat in Kalendario Syrorum coli die 9. Decemb. Hujus Kalendarii mentionem facit *pag. 505.* in codice Syriaco 32. Quis fuerit Daniël iſte, & quo tempore floruerit, incertum prorſus.

V. Ignatius.

Anno Græc. 1604. Chriſti 1293. *Ignatius* Cartaminæ epiſcopus ſynodo aſtitit in cœnobio Ananiæ congregatæ quum Ignatius V. alias I. in Patriarcham promotus eſt. Aſſem. *to. 2. pag. 382.*

VI. Joannes III.

Hujus, ut videtur, proximus ſucceſſor fuit *Joannes, Joſue Bar-Sophre* Severinita, id eſt, juxta Aſſem. *to. 1. p. 216.* Severina vico in Meſopotamia ortus, & Cartaminæ epiſcopus, qui electioni interfuit Ignatii VI. Patriarchæ anno 1643. Chr. 1332. Primas etiam tenuit inter epiſcopos qui, quum pro Saba Salachenſi epiſcopo, apud eumdem Ignatium, à quo ſine ullo examine criminum ipſi impoſitorum excommunicatus fuerat, ſequeſtres incaſſum ſe præbuiſſent, Sabam illum primum Tur-Abdinenſium Patriarcham anno 1675. Chriſti 1364. uno ore proclamaverunt. Ita auctor appendicis ad chronicon Gregorii Bar-hebræi, apud Aſſem. *ibid. in diſſert. de Monoph.* ubi de epiſcopis Cartaminæ, *& pp. 382. 383. 384.*

VII. Henoch.

Henoch Inuardenſis Mardæ & Cartaminæ epiſcopus erat anno Græc. 1732. Chr. 1421. quum ipſum Tur-Abdinenſes in cœnobio Salachæ ſuum Patriarcham quartum conſtituerunt. Obiit in eodem cœnobio an. 1756. Chriſti 1445. Aſſem. *ibid. & p. 385.*

VIII. Cuma.

Huic ſucceſſit in Patriarchatu Tur-Abdinenſium eodem anno 1756 Chriſti 1445. qui eidem in epiſcopatu Mardæ & Cartaminæ ſucceſſerat *Cuma Severinita Philoxenus* nuncupatus. Obiit anno 1767. Chriſti 1456. Aſſemanus *ibid. & p. 385.*

IX. Georgius.

Anno Græcorum 1772. Chriſti 1461. Ignatio, qui & Azizus Philoxenus dicebatur, ſeptimo Tur-Abdinenſium Patriarchæ, *Georgius* Severinita Cartaminenſis epiſcopus manum impoſuit. Aſſem. *ibid. & p. 385.*

VII. ECCLESIA CHABORÆ.

CHABORA varie à variis appellata, ſcilicet *Chaboras* à Ptolemæo *lib. 5. cap. 18. Alchabur* ab Abulfeda *in tab. geogr. num. 256. Aboras* à Strabone *lib. 16. pag. 514.* & Procopio *lib. 2. de bello Perſ. cap. 5. Aboras* à Zoſimo *lib. 3. cap. 12.* & Ammiano *lib. 23. cap. 11. Abboras* à Joa. Malela in Juliano *pag. 17.* Aburas ab Iſidoro Characeno *pag. 4.* Fluvius eſt Meſopotamiæ dictus *Chobar* Ezech. *1. v. 9.* & alibi, juxta quem ſita erat urbs ejuſdem nominis. In ea ſedes fuit Jacobitis epiſcopalis, quæ tamen ab anno Chriſti 1125. ad annum 1165. ſub Joanne Mardenſi epiſcopo, conjuncta reperitur cum eccleſiis Mardæ, Haran, Niſibis, Daræ, Caphartutæ, ac Tel-Beſme, ut jam ſupra obſervatum eſt, ubi de eccleſia Caphartutæ egimus, *coll. 1481. 1482.* Ita Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.*

Digitized by Google

EPISCOPI CHABORÆ.

I. Stephanus.

Stephanus Chaboræ epiſcopus electioni A interfuit Georgii Patriarchæ, anno Græcorum 1070. Chriſti 759. ex Dionyſii Patriarchæ chronico, apud Aſſemanum *to. 2. pag. 111.* Obiit anno 1079. Chriſti 768. *ibid. pag. 114.*

II. Bar-Turca.

Bar-Turca, circa annum 1441. Chriſti 1130. à Joanne XIII. Patriarcha è Symnadæ eccleſia Chaboram tranſlatus eſt. Aſſem. B *ibid. pag. 360.*

III. Joannes.

Joannes Mardæ epiſcopus ab anno 1436. uſque ad annum 1476. id eſt ab anno Chriſti 1125. uſque ad annum 1165. Chaboræ, ut & plurium aliarum eccleſiarum curam ſuſcepit. Aſſem. *ibid. p. 216.*

IV. Daniel.

Daniël Chaboræ epiſcopus Joannis Maphriani diſcipulus, ab Ignatio II. Patriarcha electo anno Græcorum 1533. Chriſti 1222. cella Patriarchali excedere juſſus eſt, circa annum Chriſti 1252. quod ejuſdem Ignatii nomine epiſtolam ad Mardæ Dominum calumniis plenam adverſus Maphrianum præceptorem ſuum ſcripſiſſet: qui Alepum profectus, quum apud Negemum quemdam Naxivanenſem Mahometanorum antiſtitem profanis Arabum ſcientiis animum applicuiſſet, ejuſdem opera ad Mohammedanam ſuperſtitionem tranſiit. Hujus defectionis cauſa etiam refertur repulſa quam tulerat à Joanne Bar-Maadani in Patriarcham promoto anno 1564. Chriſti 1253. ne Alepenſi præficeretur eccleſiæ. Verum paucis poſt menſibus in extrema pauperie fato functus eſt. Aſſemanus *ibid. pp. 375. 377.*

VIII. ECCLESIA CEPHÆ CASTELLI.

De *Cepha Caſtello* quæ urbs eſt Meſopotamiæ ad Tigrim inter Gozartam & Maipherakin, jam alio in loco dixi. Vocatur quoque *Chipha, Haſan-Cepha, Heſn-Chipha,* & *Has-Caphi.* Fuit ſedes epiſcopalis Jacobitarum, ſed nullus mihi occurrit ex ejus epiſcopis. Maipheractæ ſedi conjuncta nunc eſt.

IX. ECCLESIA CHISUMÆ.

Chisuma, quam *Ceſſunium* Theorianus vocat in diſputat. cum Nierſeſe Armenor. Patriarch. urbs eſt Syriæ Alepum inter & Edeſſam ſita. Ibi cœnobium ſancti Jacobi celebratur, in quod Jacobus Edeſſenus abdicato epiſcopatu ſe recepit, in quo etiam Dionyſius Telmaharenſis monachus fuit, teſte Gregorio Bar-hebræo. Aſſem. *in diſſert. de Monoph. & p. 344.*

EPISCOPI CHISUMÆ.

I. Simeon.

Anno Græcorum 1386. Chriſti 1075. *Simeon* Chiſumæ epiſcopus cum Athanaſio Samoſatæ epiſcopo, auctor fuit, poſt Baſilii II. mortem, ut Joannes XI. dictus Abdon Patriarcha renuntiaretur. Aſſem. *to. 2. p. 356.*

II. Dionysius.

Dionyſius Chiſumæ epiſcopus ſynodo præfuit ibidem habitæ anno Græcorum 1440. Chriſti 1129. in qua Joannes XIII. electus eſt Patriarcha. Sed quum paulo poſt obiiſſet, huic Patriarchæ Dionyſius Maphrianus manum impoſuit. Aſſem. *to. 2. p. 360.*

III. Basilius.

Dionyſio eodem anno ſucceſſit *Baſilius* C *Barſumna,* qui moleſte ferens quod Joannes XIII. Patriarcha Joannem Bar-Andream epiſcopum Mabugenſem depoſuiſſet, eo quod ſibi non iviſſet obviam, ejuſque in locum Bar-Turca hominem flagitioſum ſubſtituiſſet, eccleſiam ſuam Chiſumenſem dimiſit, & in Pheſchinenſe monaſterium ad ripas Euphratis ſitum ſe recepit, ubi quinque annos moratus, ejuſdem Patriarchæ juſſu Chiſumam D redire coactus eſt. Idem Baſilius cum Joanne Bar-Andrea Mabugenſi, aliique epiſcopi Occidentales in caſtro Manſur congregati anno 1452. Chriſti 1141. libellum canonum condiderunt, & ad Athanaſium VIII. Patriarcham Joannis XIII. ſucceſſorem tranſmiſere, hac conditione ei promittentes obedientiam, ſi ipſe viciſſim illos canones obſervaturum ſe promitteret: quod ex utraque parte conclu-

ECCLESIA CHISUMÆ. ſum. Anno demum 1454. Chriſti 1143. Goſcelini Edeſſæ comitis ope ad Edeſſenam eccleſiam tranſlatus eſt: quam tranſlationem Athanaſius Patriarcha ratam habuit, ut Goſcelinum placaret. Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monophyſ.* ubi de epiſcopis Chiſumæ, *&* *pp. 360. 361.*

IV. Elias.

Idem Athanaſius Patriarcha *Eliam* monachum Baſilio Barſumnæ ſubrogavit. Aſſem. *in diſſert. de Monoph. & p. 361.*

V. Joannes.

Eliæ ſucceſſit teſte Aſſem. in eadem *diſſert. de Monoph. Joannes* doctrina apud Jacobitas celebris, qui conſcriptum ab alio Joanne in Mardenſem epiſcopum anno Græc. 1436. Chriſti 1125. ordinato de divina Providentia libellum confutavit: ſynodo quoque aſtitit in cœnobio Barſumæ congregatæ anno 1466. Chriſti 1155. Athanaſii VIII. temporibus, in qua Roabanum Euphrateſiæ oppidum, ejus diœceſi additum eſt: diſputationem demum cum Theoriano habuit ſub Michaële I. Pa- A triarcha & Manuële Comneno Imperatore, anno 1481. Chriſti 1170. Notandum tamen in diſputatione Theoriani cum Nierſeſe Armenorum Patriarcha *to. 4. Bibl. Vet. Patrum*, Joannem hunc *Ceſſunii* epiſcopum appellari. Theorianum à Nierſeſe Patriarcha & à Joanne Chiſumenſi epiſcopo victum fuiſſe jactitat Gregorius Bar-hebræus. At contrarium colligitur ex ipſamet epiſtola, quam idem Barhebræus ab Armenorum Patriarcha ad Michaëlem Jacobitarum Patriarcham de illa diſputatione ſcriptam refert apud Aſſeman. B *to. 2. Bibl. Orient. pp. 364. 365.* In ea quippe ait, *& ritus quidem reformare pro bono pacis facile nobis eſſet, duaſque naturas juxta Theologum dicere. Verum ut particulam illam*, qui crucifixus es pro nobis *expungamus, aut ſanctis viris anathema dicamus, fieri nulla ratione poteſt. His tamen non obſtantibus quidquid tu feceris, etiam nos faciemus.* Morte præventus Nierſes, ut ſcribit Galanus *tom. 1. conciliat. eccl. Armen. cum Latina, cap. 21. pag. 322.* hanc concordiam perficere nequivit. Aſſem. de eo Joanne agit etiam *in diſſert. præfata de Monoph. & pp. 208. 209. 361. 362.*

X. ECCLESIA CIRCESII.

CIRCESIUM oppidum eſt Oſrhoënæ regionis, cujus mœnia Aboras ſive Chaboras & Euphrates fluvii ambiunt. A variis varie denominatur, ſcilicet à Procopio, Evagrio & Zoſimo *Circeſium*: ab Eutropio & Sexto Rufo, *Circeſum*: à Capitolino *Circeium*: à Syris *Carcaſin* & *Carcheſion*: denique ab Arabibus *Carchiſia*. Nonnus Circeſii epiſcopus Monophyſita, qui anno 829. Chriſti 518. Juſtini Imper. juſſu ſede pulſus fuerat, in exilio vitam finivit, teſte Dionyſio Patriarcha in chronico, apud Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Circeſio, qui etiam obſervat hunc Nonnum *Cereſinæ* epiſcopum dici in collatione Catholicorum habita Conſtantinopoli anno 844. Chriſti 533. tempore Juſtiniani Imperatoris. Verum nullus ex epiſcopis Jacobitis hujus eccleſiæ, ex quo Joannes Baradæus Zanzalus Edeſſæ epiſcopus huic ſectæ nomen dedit, mihi hactenus occurrit.

XI. ECCLESIA CLAUDIÆ.

CLAUDIA una fuit è ſeptem urbibus Melitinæ in Armenia minore vicinis, quas vaſtatas ſuo tempore memorat Gregorius Bar-hebræus ſæculo decimo-tertio vivens, apud Aſſemanum *to. 2. Bibl. Or. p. 260.* Ptolemæus *lib. 5. cap. 7.* eam collocat juxta Euphratem, & ad præfecturam Lavinianam olim pertinuiſſe aſſerit. Marius Niger *in Theſauro geograph.* apud Ortelium hanc ait hodie *Caſtamenam* vocari. Attamen *Caſtamenæ*, ſeu, ut Arabes proferunt, *Caſtamuniæ* ſitus à Claudia differt; nam Abulfeda teſte *in tabulis geogr. num. 400. Caſtamuniam inter & Ancyram iter quinque dierum eſt, Caſtamunia ad ortum Ancyræ poſita.* Cœnobia Modik & Barſumæ juxta Claudiam in Annalibus Jacobitarum celebrantur. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Claudia.

EPISCOPI CLAUDIÆ.

I. Thomas.

CLAUDIÆ epiſcopum *Thomam* nomine, ſub Joanne VIII. dicto Abdon, electo anno Græcorum 1315. Chriſti 1004. proindeque C ſæculo undecimo, ſediſſe liquet ex nota ad calcem codicis Syriaci 15. appoſita, in qua ſic legitur apud Aſſem. *tom. 1. Bibl. Orient. p. 614. & to. 2. p. 152. Exaratus fuit Codex hic diebus religioſiſſimorum ac beatiſſimorum Patriarcharum*

Digitized by Google

Patriarcharum domini Joannis cognomento A
Abdon Sedis Apoſtolicæ Antiochiæ urbis, &
domini Zachariæ Patriarchæ Alexandriæ, &
domini Thomæ metropolitæ Samoſatæ, & domini Thomæ epiſcopi Claudiæ. Joannes Abdon obiit anno Græcorum 1344. Chriſti 1033. Zacharias autem anno 1343. Chriſti 1032.

II. Dionysius.

Ignatii II. cognomento David, electi ann. Græc. 1533. Chriſti 1222. *Dionyſius Saliba* B *Haripha* epiſcopus Claudiæ, cauſam defendit apud Francos in eum exaſperatos, quod Thomam Æthiopem Hieroſolymis ordinaſſet Abyſſinorum metropolitam, ipſis, ut aiebant, inconſultis. In eoſdem enim culpam refundendam monſtravit, qui à Patriarcha poſtulati, num ſibi metropolitam illum ordinandi facultatem dare vellent, reſponderant faceret quidquid æquum judicaret. Anno Græcor. 1564. Chriſti 1253. electioni adfuit Dionyſii VII. dicti Aaron Angur Ignatii ſucceſſoris. Eo autem interempto ann. 1572. Chr. 1261. Ignatii III. cognomento Joſue inaugurationem anno 1575. Chriſti 1264. in Gavicatæ cœnobio peractam ægrè tulit; quin & cum aliis epiſcopis illum apud Tartarorum regem accuſavit, quod in Cilicia abſque ejus nutu Patriarcha renuntiatus fuiſſet. Patriarcha tamen, Gregorii Bar-hebræi quem Maphrianum inſtituerat opera, regem placavit. Verum, perſeverante diſſidio, epiſcopi factionis ejus eum ipſum in Patriarcham promovere voluerunt, niſi impediiſſet adventus Ignatii Joſue, cui ex ejus conſilio ſeſe omnes ſubmiſerunt. Obiit tandem in decrepita ætate anno 1585. Chr. 1274. Aſſemanus, *tom. 2. pp. 373. 376. 380. 381.*

ECCLESIA CLAUDIÆ.

XII.

ECCLESIA CYRI.

Cyrus Syriæ urbs eſt, *Cyrrhus* & *Cyrrus* à nonnullis dicta, caput regionis Cyrrheſticæ, quam Syri regionem *Cruſtenſium* appellant. In chronico Dionyſii Patriarchæ mentio fit cujuſdam *Sergii* Cyri epiſcopi Monophyſitæ, qui anno Græc. 829. Chr. 518. à Juſtino Imp. in exilium miſſus eſt. Vivebat adhuc anno 844. Chriſti 533. quo ex parte Severianorum interfuit collationi habitæ Conſtantinopoli ſub Juſtiniano. Nullius abhinc epiſcopi Jacobitæ hujus ſedis mihi occurrit notitia. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* Legendus etiam *p. 342.* ubi, ex Greg. Bar-hebræi chronico, monachorum Gubenſium ſchiſma in Cyriacum Patriarcham, electum anno Græcorum 1104. Chriſti 793. refert, cujus cauſa ſynodum coëgit Cyriacus in caſtro *Cruſtenorum* ſive *Cyrrhenſium*, in qua, tum epiſcopos, tum monachos rebelles excommunicavit. Hi vero Abrahamum Cartaminenſem monachum ſibi in Patriarcham præfecerunt.

G

I.

ECCLESIA GARGARÆ.

Gargar caſtrum eſt ad provinciam Amidæ ſpectans, ex Greg. Bar-hebræo, qui illud inter ſeptem ſedes epiſcopales enumerat Melitinæ urbi adjacentes. *Carcar* ab Abulpheda nominatur *in tab. geogr. n. 217.* ubi ipſum affirmat omnium ſuæ ætatis in Syria munitiſſimum fuiſſe ad occidentalem Euphratis partem, juxta *Cachtam*, quam bidui itinere à Melitina diſtare obſervaverat *n. 213.* Aſſeman. *to. 2. in diſſert. de Monoph.*

EPISCOPI GARGARÆ.

I. Timotheus. Joseph *coadjutor.*

Timotheus Gargarenſis epiſcopus anno 1450. Chriſti 1139. Athanaſium VIII. Patriarcham in cœnobio Cancratæ preſbyterum ordinavit. Quum vero Timotheus quinque poſt annis, anno ſubinde 1455. Chr. 1144. opera Goſelini Edeſſæ Comitis ad eccleſiam Samoſatenam tranſlatus eſſet, *Joſeph* ſororis ejus filius, qui in Gargarenſi epiſcopatu gerendo ipſi adjutor fuerat, ab eodem Athanaſio, Abugaleb monachi & Joannis epiſcopi Mardæ ſuaſione, in cœnobium Macronæ C circa ann. 1471. Chriſti 1160. detruſus eſt, ſimulque ejecti omnes quos conſanguinei in teneriori ætate conſtitutos ſibi coadjutores epiſcopos ordinari curaverant. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph. & pp. 361. 362.*

II. Ignatius.

Timotheo & Joſepho ab eodem Athanaſio VIII. Patriarcha ſuffectus eſt *Ignatius*, quem poſtea Michael I. in Patriarcham conſecratus anno Græcorum 1478. Chriſti 1167. comitem itineris cum Baſilio Cæſareæ aſſumpſit, dum varias ſuæ diœceſis urbes

ECCLESIA GARGARÆ.

Hieroſolymam uſque luſtraret. Aſſemanus, *ibidem, & p. 363.*

III. * * *

Ignatius IV. qui & Philoxenus Nemrod dicebatur, anno Græc. 1594. Chriſti 1283. ab epiſcopis Gubæ, Calliſuræ & *Gargar* in Patriarcham ordinatus eſt in cœnobio Barſumæ. Aſſem. *p. 381.*

IV. Simeon.

Gargarenſem eccleſiam *Simeon* Manemita regebat anno 1732. Chriſti 1421. quo poſt mortem Philoxeni in Patriarcham Syriæ à factionis ſuæ epiſcopis proclamati an. 1698. Chriſti 1387. eumdem ipſe patriarchatum adeptus eſt adverſus Ignatium IX. aliàs V. electum anno 1723. Chriſti 1412. Hunc Alexandrinus Coptorum Patriarcha, quem ea de cauſa adierat, Patriarcham conſtituit. Fratrem habebat Moyſen preſbyterum ex Beth-Manem Haitamæ pago. Aſſem. *p. 385.*

II. ECCLESIA GARMES.

Garme, ſeu *Beth-Garme*, Arabibus *Bagerma:* Metaphraſti apud Lipom. *to. 2. in vita S. Bademi, Betgerme:* Agathiæ ſcholaſtico *lib. 4. p. 136. Germa:* regio Aſſyriæ eſt urbes *Dakuka, Sciahar-Kadta, Buazicha,* aliaſque continens, quas Elias Damaſcenus Neſtorianorum epiſcopus, relatus ab Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. p. 459.* enumerat. Huic toti regioni epiſcopus unus præerat. Idem Aſſem. *in diſſert. de Monoph.* ubi de Garme.

EPISCOPI GARMES.

Constantinus.

Unus mihi dumtaxat occurrit Garmes epiſcopus, *Conſtantinus* nomine, qui Joannem VII. Patriarcham anno Græc. 1280. Chriſti 969. Conſtantinopolim Nicephori Phocæ Imp. juſſu pergentem comitatus eſt, & cum eo in exilium miſſus, ob pertinaciam qua hæreſim Jacobiticam tuebantur. In epiſtola ab illo Joanne eodem anno ad Mennam Alexandrinum Coptorum Patriarcham ſcripta legitur: *Ego vero .... & Conſtantinus epiſcopus Garmæ*, (vel, ut habet Renaudotius *in hiſt. Patr. Alex. p. 362. epiſcopus Jerma*) *qui mecum ſunt in exilio .... vobis ſalutem dicunt.* Quatuor autem poſtea menſibus interempto Imp. Joannes Patriarcha liber cum ſuis dimiſſus eſt. Aſſem. *to. 2. in diſſert præfata de Monoph. & pp. 139. & 351.*

III. ECCLESIA GEHONIS.

Gehon regio eſt Ciliciæ quam fluvius *Gehon* Græcis *Pyramus* alluit. Athanaſius V. Patriarcha cognomento Salachenſis, in *Catin* pago regionis *Gehon* ordinatus fuit anno Græcorum 1298. Chriſti 987. Aſſemanus, *in diſſert. de Monoph. & p. 351.*

EPISCOPI GEHONIS.

I. Basilius.

Basilius Gehonis epiſcopus erat ſub Patriarchatu Joannis XIII. cognomento Maudiana, electi anno 1440. Chriſti 1129. Is autem, quum in ejus cella ſive domo, ob politiorem indolem, & rerum gerendarum peritiam, ſyncelli inſtar, moraretur, & Melitinenſem ſedem ambiret, Joanne hujus eccleſiæ epiſcopo mortuo, quotquot Patriarchæ à Melitinenſibus præſentabantur, rejici curabat: quos inter Joſue fuit ex ea urbe oriundus Bar-Chetre dictus, tunc diaconus, quem inſuper cenſuris à Patriarcha innodari fecit, eo quod illum Melitinenſes communibus ſuffragiis poſtulaſſent. Porro Joſue ſumma cum humilitate, perinde ac ſi reus fuiſſet, interdictum Patriarchæ obſervans, abſolutionem petebat. Sic epiſcopo per tres annos Melitina caruit, uſque ab obitum Patriarchæ anno 1448. Chriſti 1137. Tum vero Baſilius ejus ſigillo uſus, litteriſque ſuppoſitis quibus Melitinæ epiſcopus ab eodem ante mortem ſuam præficiebatur, hanc eccleſiam uſurpavit. At Joſue illo Bar-Chetre ad Patriarchatum provecto ſub nomine Athanaſii VIII. anno 1450. Chriſti 1139. ſtatim Baſilius Melitina diſcedere & priſtinam Gehonis ſedem repetere juſſus eſt, qui non modo non paruit, ſed & in vulgus ſparſit Athanaſii electionem fraude fuiſſe peractam, ut-pote ejus unius nomine in tribus ſchedulis ſcripto. Nihilominus Gehonem redire coactus eſt; & in ordinatione Michaëlis I. anno 1478. Chr. 1167. ipſe & epiſcopus Gubenſis orationes recitarunt. Nepotem habebat quem epiſcopum

Digitized by Google

coadjutorem, licet junior eſſet, conſtitui curavit; ſibique ſubſtituit in eccleſiæ Gehonis regimine: verum Michaël Patriarcha paulopoſt ſuam inaugurationem cœnobium Bared à Joanne VII. Sarighta apud Melitinam urbem fundatum luſtrans, epiſcopum Gehonis una cum ejus nepote coadjutore, ob varia, quorum accuſabantur, crimina condemnavit, & epiſcopatu dejecit. Aſſemanus *in diſſert.* A *de Monophyſ.* ubi de Gehone, *& pp.* 360. *& ſeqq.*

ECCLESIA GEHONIS.

II. Abugaleb.

Anno Græcorum 1480. Chriſti 1169. idem Michaël I. Patriarcha Antiochia in cœnobium Barſumæ reverſus ſynodum indixit, in qua *Abugaleb* monachus epiſcopus Gehonis ordinatus eſt. Aſſem. *ibid. & p.* 363.

IV. ECCLESIA GERMANICIÆ.

GERMANICIA, Syris & Arabibus vulgo *Marhas*, Euphrateſiæ urbs eſt duodecim millibus paſſuum à ripis fluvii Gehonis diſtans, teſte Abulfeda *in tab. geogr. n.* 209. quam *Baniciam* corrupto ex Germanicia nomine appellari ſcribit Edenenſis *cap.* 7. *de hæreticis Liturgiarum ſcriptor. num.* 20. ſed cum Mabugo, quæ eadem ac Hierapolis eſt, ex auctoritate cujuſdam anonymi Syri, confundit. Hæc impii Neſtorii patria fuit. In ea autem Jacobitæ epiſcopos conſtituerunt, qui initio ſeptimi ſæculi Mabugenſis etiam eccleſiæ curam gerebant. Aſſemanus, *to.* 2. *in diſſert. de Monoph.* ubi de Germanicia, *& pp.* 91. 92.

EPISCOPI GERMANICIÆ.

I. Thomas.

PRæter *Thomam* inſignem illum Severianum Germaniciæ epiſcopum, quem Juſtinus I. Imperator anno 829. Chriſti 518. in exilium miſit, quique Monophyſitarum cauſam Conſtantinopoli anno 844. Chriſti 533. in collatione cum Catholicis habita tuitus eſt; centum circiter poſtea annis ejuſdem urbis epiſcopus fuit *Thomas* alter cognomento *Heracleenſis*, de quo Greg. Bar-hebr. in chronico ad annum 927. Chriſti 616. hæc loquitur, *Sub hæc tempora floruit Thomas Heracleenſis cœnobii Taril monachus, qui à puero in Kenſerinenſi monaſterio litteris græcis excultus, poſtea Mabugi epiſcopus fuit* (utrique eccleſiæ Mabugi & Germaniciæ ſimul præfuiſſe hunc Thomam probabile eſſe arbitratur Aſſem. *to.* 2. *p.* 334. in nota ad hæc Bar-hebræi verba, quia Germaniciæ epiſcopus in omnibus liturgicis codicibus dicitur: Jacobitæ enim, ex antiqua conſuetudine, ubi exiguus ſuæ ſectæ eſſet numerus, pluribus civitatibus unum epiſcopum præficiebant.) *Exagitatus autem à Domitiano Melitinenſi, in Ægyptum profectus eſt, habitavitque in Anton Alexandriæ in ſacro Antonianorum monaſterio: ubi memorabili diligentia ſacrum Evangeliorum codicem, & reliquos novi Teſtamenti libros admodum exacta & accurata emendatione reſtituit poſt primam verſionem Philoxeni Mabugenſis ſtudio elaboratam.* In præſtantiſſimo Evangeliorum codice Syriaco Bibliothecæ Angelicæ S. Auguſtini Romæ hæc à Thoma ipſo annotata leguntur, apud Aſſem. *ibid. p.* 93. *Collatus fuit ſtudioſiſſimè* (hic liber) *à me paupere Thoma ad tria exemplaria græca valde accurata, correctaque in An-* B *ton* (id eſt, urbis via aut loco ubi extat monaſterium S. Antonii, ut colligitur ex Barhebr. relato ſupra *p.* 24. *Magnæ urbis Alexandriæ, in ſacro Antonii monaſterio, ubi & ipſum mihi exaravi pro peccatricis animæ meæ utilitate, & pro multorum beneficio, qui diligunt quæruntque utilem exactamque divinarum ſcripturarum integritatem noſſe & cuſtodire. Scriptus autem collatuſque fuit in loco quem ſupra memoravi anno Alex.* (Magni) 927. (Chr. 616.) *Indictione quarta. Quantum autem laboris & ſtudii in ipſo, ejuſque ſociis* (reliquis nimirum C novi Teſtamenti libris) *ſubierim ſolus Dominus novit, qui unicuique ſecundum opera ſua retributurus eſt in ſuo juſto rectoque judicio.* Eadem epigraphe paucis mutatis legitur in aliis Evangeliorum codicibus verſionis Heracleenſis, tum Florentinis, tum Regio-Pariſienſibus. Et quidem clariſſ. Renaudot. *to.* 2. *Liturg. Orient. pag.* 389. ex codice Syriaco manuſc. membranaceo Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis, quo Evangelia continentur à Joſue filio Johanan ſacerdotis anno Græcorum 1503. Chriſti 1192. elegantiſſime exa- D rata, hanc annotationem exhibet. *Hic eſt liber quatuor Evangeliorum ſanctorum, qui tranſlatus eſt ex græca lingua in Syriacam ſtudio exactiſſimo, maximoque labore, primo quidem in urbe Mabug ſive Hierapoli anno* 819. *Alexandri Macedonis* (Chriſti 508.) *tempore ſancti Philoxeni confeſſoris & epiſcopi ejuſdem civitatis. Deinde vero recognitus ſumma cum diligentia à me Thoma paupere ad duo* (legendum tria) *exemplaria græca eximia & accuratiſſime ſcripta Alexandriæ in civitate magna ad ſanctum Antonium, ſive monaſterium religioſorum S. Antonii, anno Alexandri* 1327. (legendum 927.)

Chr.515. (legendum 516.) Verſione Syriaca Thomæ Heracleenſis in divinis officiis utuntur Jacobitæ, teſte anonymo Jacobita in cod. mſſ. Arabico Bibl. collegii Maronitarum Romæ, *fol.414.* apud Aſſem. *to. 2. pp. 23. 24.* Scripſit quoque Anaphoram ſive Liturgiam hic Thomas, quæ extat in cod. Ecchellenſi 5. *fol. 94.* & latinè prodiit *to. 2. Liturg. Or.* Renaud. *p. 383.* In ea porro hæc duo obſervanda. Primum, quod ſingulari artificio commendetur, in quantum diverſæ quibus conſtat orationes, Threnorum & Pſalmorum Abecedariorum more, incipiunt, & ipſa cultiori ſtilo ſcripta eſt. Secundum, quod, tam in exemplaribus manuſcriptis, quam in eo quod Renaudot. edidit, *conſecratoria Chriſti verba* deſiderentur, non quidem ipſius Thomæ culpa, quaſi illa ex induſtria omiſerit, conſecrationis vim à verbis Chriſti ad invocationem ſancti Spiritus transferens, ut exiſtimat Naïronus in Evoplia, *p. 164. & ſeqq.* ſed amanuenſium Jacobitarum fraude, qui ut recentiſſimum Græcorum circa invocationem Spiritus ſancti errorem auctoritate antiquarum Liturgiarum ſtabilirent, conſecratoria Chriſti verba expunxerunt, ut indicat Renaud. *lib. cit. pag. 390.* Ita doctiſſ. Aſſem. *to. 2. p. 92.*

II. Joannes I.

Anno Græcorum 1129. Chriſti 818. ſedebat *Joannes* Germaniciæ epiſcopus, qui Dionyſii I. Telmaharenſis, chronici auctoris, electioni in Patriarcham interfuit. Aſſeman. *tom. 2. in diſſert. de Monophyſ. & pag. 344.*

III. Joannes II.

Sæculo ſequenti, Joannem IV. Patriarcham renuntiatum an. 1221. Chriſti 910. *Joannes* epiſcopus Marhas ſive Germaniciæ ordinavit in monaſterio *Tel-Sephre,* quod extra Haran urbem ſitum eſt. Aſſem. *ibid. & p. 349.*

IV. Dionysius.

Athanaſius VIII. qui & Joſue Bar-Chetre, Patriarcha electus anno Græcorum 1450. Chriſti 1139. *Jacobum* rhetorem, epiſcopum Marhas ſive Germaniciæ conſtituit, impoſito ei *Dionyſii* nomine, anno Græcorum 1465. Chriſti 1154. Hic eſt qui cognominatur *Barſalibi* aut *Barſalibæus,* id eſt *Saliba filius:* patria Melitinenſis fuit. Anno ſequenti 1466. Chriſti 1155. coactæ in monaſterio Barſumæ ſynodo, cui idem Patriarcha præerat, aſſitit, in qua ejus eccleſiæ addita eſt Mabugenſis. Eum poſtea Michaël I. Athanaſii ſucceſſor anno 1478. Chriſti 1167. ad Amidenſem tranſtulit. Obiit demum Amidæ menſe Novembri anni 1483. Chriſti 1171. vel 1172. *Doctor fuit eloquentiſſimus,* inquit Bar-hebræus in chronico, apud Aſſem. *tom. 2. p. 210. & fidus ſui ſæculi. Collegit, ſcripſitque exactos commentarios in cunctos utriuſque Teſtamenti libros, in opera doctorum, & in centurias Evagrii. Dialecticam illuſtravit, & alia plurima volumina edidit.* De eo agit Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monophyſ. & pp. 156. & ſeqq. & pp. 361. 362. 365.*

V. ECCLESIA GIAAPHARIS.

GIAAPHAR caſtrum, inter Rakam & Balam juxta Euphratem ſitum, ab Abulfeda *in tab. geogr. num. 234. arx Giaabar* vocatum olim, eodem teſte *Duſaria* dicebatur, à Duſaro Duce exercitus Naamanis filii Monderi, ejus conditore. Mox *Giaabar* nomen accepit, à Giaabaro qui ea potitus eſt. Refert Aſſem. *in diſſert. de Monoph. & p. 361.* Athanaſium VIII. ſtatim poſt ordinationem ſuam anno 1450. Chriſti 1139. epiſcopum quidem Gehonis Baſilium Melitina in diœceſim ſuam excedere juſſiſſe, alterum vero *Baſilium* Amida in caſtrum Giaaphar. Non auſim tamen aſſerere caſtrum illud, quod forſan antiſtitis Amidenſis erat dumtaxat manſio, fuiſſe unquam Jacobitis ſedem epiſcopalem.

VI. ECCLESIA GUBÆ.

GUBA, una fuit ex ſeptem civitatibus epiſcopalibus Melitinæ proximis, in quibus nullam quidem domum ſuperſtitem manſiſſe ſua ætate teſtatur Gregor. Bar-hebræus, apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. p. 260.* Inter ejus præſules Jacobitas hos nobis ſuppeditat idem Aſſem. *in diſſert. de Monoph.*

EPISCOPI GUBÆ.

I. Dionysius.

SÆculo undecimo labente *Dionyſius Bar-Maudiana,* Gubæ epiſcopus ab Athanaſio VII. Patriarcha, electo anno Græc. 1401. Chriſti 1090. cujus quondam fuerat præceptor, ſicut & Joannis X. Patriarchæ, cognomento Bar-Suſan, electi an. 1375. Chr. 1064.

Digitized by Google

fuerat diſcipulus, ad Melitinenſem eccleſiam A anno 1413. Chriſti 1102. tranſlatus eſt. Vaſtata enim à Turcis Melitina anno 1406. Chriſti 1095. poſt mortem Joannis Saïdi Bar-Sabuni, eodem anno ordinati ab Athanaſio in epiſcopum hujus urbis, & paulo-poſt à Gabriële ejuſdem urbis præfecto occiſi, per ſeptennium ea civitas epiſcopo Jacobita caruerat, teſte Bar-hebræo apud Aſſem. *to. 2. pp. 212. & 358.* Porro Dionyſius ille, quum jam exactum divinorum officiorum ritum in cœnobio Bar-Gaghæi obſervatum cœnobitas monaſterii Barſumæ, apud quos deſtructa B Guba ſeſe receperat, aſſiduo labore docuiſſet, ſcriptionem & lectionem librorum eccleſiaſticorum Melitinæ inſtauravit. Eum nihilominus Patriarcha duodecim poſtea annis, non ſolum epiſcopatu dejecit, eo quod pro Abugalebo Edeſſæ metropolita contra quem excanduerat, preces ad ipſum fudiſſet; ſed & cenſuris, licet epiſcopatum per annos quinquaginta geſſiſſet, ligavit, à quibus nec morti proximum voluit unquam abſolvere. Idem Aſſem. *pp. 358. & 359.*

II. LAZARUS.
III. GREGORIUS.
IV. BARSUMAS.

Lazarus ante annum 1557. Chriſti 1246. Gubæ erat epiſcopus: eo enim anno quo probabiliter obiit, illi ſuffectus eſt die 14. Septembris ab Ignatio II. Patriarcha electo anno 1533. Chriſti 1222. *Gregorius Abulfaragius* cognomento *Bar-hebræus*, id eſt *Hebræi filius*, anno ætatis vigeſimo, quem idem Patriarcha anno ſequenti ad eccleſiam Lacabenæ tranſtulit, & in ejus locum *Barſumam* fratris Lazari filium Gubæ conſtituit præſulem. Aſſemanus *pp. 246. 374. 375.*

V. * * *

Anno Græc. 1594. Chr. 1283. Ignatius IV. Patriarcha, cognomento Philoxenus Nemrod, in cœnobio Barſumæ, die 2. Februarii ab epiſcopis *Gubæ*, Calliſuræ & Gargar conſecratus legitur apud eumdem Aſſem. *ibid. p. 381.* Hic epiſcopus Gubæ alius fortaſſis non eſt à Barſuma Lazari nepote ante annos 36. ordinato, quem modo memoravimus.

VII.

ECCLESIA GUMÆ.

GUMA Antiocheni agri regio eſt, teſte Bar-hebræo qui eam inter epiſcopatus Antiochenæ diœceſeos recenſet, ſicque vaſtatam ſuo tempore ſcribit, ut nullus remanſerit incola, apud Aſſem. *tom. 2. p. 260. Giumam* appellat hanc Abulfeda, *in deſcriptione Syriæ fol. 66.* additque *in tab. geogr. num. 220.* alias *Ravandan* nuncupari. Idem Aſſeman. *ibid. in diſſert. de Monophyſ.*

EPISCOPI GUMÆ.

DIONYSIUS *ſive* MATTHÆUS.

JOANNES Bar-Maadani, qui ſe adverſus Dionyſium Angur electum die 14. Septemb. anni 1564. Chriſti 1253. in cœnobio Barſumæ, ad Patriarchatum eodem anno die 4. Decembr. Alepi promoveri curavit, non multo poſt *Dionyſium*, qui & *Matthæus* appellatur, Ignatii II. Patriarchæ diſcipulum, *Gumæ* epiſcopum, ad Alepenſem eccleſiam tranſtulit, ſic tamen ut Gumenſis ſimul ad- C miniſtrationem ſervaret: nam in Ignatii III. Patriarchæ ordinatione anno 1575. Chriſti 1264. poſt Joannis Bar-Maadani obitum peracta in cœnobio Gavicathæ apud Mopſueſtiam Ciliciæ urbem ſito, inter alios epiſcopos recenſetur *Dionyſius Gumarum*: niſi hic *Dionyſius* alius fortaſſis fuerit à Dionyſio Matthæo Alepum tranſlato, eique in Gumenſi eccleſia ſucceſſerit. Aſſemanus *ibid. & pp. 377. 379.*

H

I.

ECCLESIA HAÆ.

HAA caſtrum eſt regionis Tur-Abdinenſis, ex qua in Kalendario Syriaco Jacobitarum ad dies 23. Januar. 28. April. 16. Auguſti, 21. Septemb. & 18. Novemb. ortum duxiſſe dicuntur Saba, Phinées, Jazdinus, & Abæus abbas Cartaminæ. Item 28. Septemb. memoria colitur Jonæ Haæ epiſcopi qui in urbe Hemat martyrium ſubiiſſe fertur. Sedes epiſcopi Jacobitæ Haæ eſt in monaſterio S. Crucis in Zaz prope Haam ſito. Aſſemanus, *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Haa, & monaſterio S. Crucis in Zaz.

Digitized by Google

EPISCOPI HAÆ.

ECCLESIA HAÆ.

I. JONAS.

JONAS ille Haæ epiſcopus, cujus ceu *Martyris* memoriam coli in Kalendario Syriaco Jacobitarum die 28. Septemb. modo diximus, videtur unus fuiſſe ex antiquioribus eorum epiſcopis; quem, quum non conſtet quandonam ſederit, hic primum ponimus. Aſſem. *in diſſert. præfata de Monoph.*

II. IGNATIUS.

Gregorius Bar-hebræus in chron. narrat B *Ignatium* Haæ epiſcopum anno 1485. Chr. 1174. quum ſuos preſbyteros & monachos apud infidelem principem accuſaturus pergeret, à Curdis ad ſtipitem alligatum interiiſſe. Aſſeman. *ibid. & p. 366.* Sunt autem Curdi quos veteres appellavere *Carduchos*, de quibus Renaudotius *to. 2. Liturg. Orient. p. 508.* & Moreri *in Lexico.*

III. SEVERUS.

Anno Græc. 1604. Chriſti 1293. *Severus* C Haæ epiſcopus ſynodo interfuit in cœnobio Ananiæ congregatæ pro electione Ignatii V. aliàs I. in Patriarcham. Aſſeman. *ibidem, & p. 382.*

IV. CYRILLUS I.

Cyrillus, qui & *Simeon Elianita* vocabatur, epiſcopus Haæ, Ignatium VI. aliàs II. Iſmaëlem, anno 1643. Chr. 1332. cum aliis in eodem Ananiæ cœnobio, Patriarcham renuntiavit. Ex iis quoque epiſcopis fuit qui, quum D fruſtra apud eumdem Patriarcham pro Saba Salachenſi epiſcopo, ab eo nullo prævio calumniæ ipſi impactæ examine, vinculo excommunicationis ligato interceſſiſſent, hunc ipſum Sabam ſibi in Patriarcham conſtituerunt die 6. Auguſti anni 1675. Chr. 1364. unde ſchiſma Patriarcharum Tur-Abdinen- A ſium initium ſumpſit. Aſſem. *ibid. & pp. 382. & 383.*

V. PHILOXENUS.

Philoxenus, qui & *Azizus Bar-Sapta* cognominabatur, ex Baſilea Mardenſis regionis pago oriundus, epiſcopus Haæ erat, quum anno Græc. 1772. Chriſti 1461. Ignatio Joſue Inuardenſi ſexto Tur-Abdinenſium Patriarchæ ſuffectus eſt. Obiit anno 1793. Chr. 1482. Aſſem. *ibid. & p. 385.*

VI. CYRILLUS II.

In codice 24. Syriaco ab Aſſem. recenſito *to. 2. Bibl. Orient. p. 500.* qui continet Gregorii Bar-hebræi Primatis ſive Maphriani Orientis chronicon Syriacum, ab Adamo ad annum Græcorum 1597. Chriſti 1286. quo obiit, in tres partes diviſum; ſubſequitur *pag. 501.* continuatio *ab auctore anonymo hiſtoriæ Maphrianorum Jacobitarum ab anno Græcorum 1597.* (Chriſti 1286.) uſque ad annum 1807. Chriſti 1496. *quo Abraham à Noë Patriarcha Orienti præfectus fuit.* Deinde additur *pertinuiſſe olim hunc codicem* (poſt annum utique Chriſti 1496. exaratum) *ad Ephræmum diaconum Malchi filium ex Kuſiana pago apud Haam caſtrum Tur-Abdini, ſub Ignatio Patriarcha* (XII. nimirum alias VII. ſive Noë ad Patriarchatum evecto anno 1805. Chriſti 1494.) *& Cyrillo ejuſdem Haæ epiſcopo,* qui tunc proinde ſedebat.

VII. ELIAS.

In relatione Leonardi Abel, apud Thomam à Jeſu *lib. 7. pag. 386.* laudatur *Elias epiſcopus in monaſterio S. Crucis in Zaz*, qui an. Chr. 1583. florebat. Jam obſervatum eſt ſupra, iſtud monaſterium ſedem fuiſſe epiſcopi Haæ. Aſſemanus, *to. 2. in diſſertat. de Monoph.* ubi de eo cœnobio S. Crucis.

II. ECCLESIA HADATHÆ.

HADATHA ſeu *Hadeth*, ab Arabibus *Haditha* vocatur. Duplex eſt, juxta Abulfedam *in tab. geogr. nn. 258. & 262.* hujus nominis civitas: una in Meſopotamia ad Euphratem fluvium haud procul ab Anbara ſeu Pheroz-Sapor. Altera extra Meſopotamiam ad Tigrim verſus Auſtrum eo loco poſita quo Zeba major Tigri miſcetur. Tertia in Segeſtana ponitur. De prima hîc nobis ſermo eſt, non de ſecunda quæ Maphriani Jacobitæ ditionis fuit. Geographo Nubienſi *clim. 5. Hadath* Meſopotamiæ, *caſtellum quidem eſt, habet vero omnes conditiones ad civitatem requiſitas.*

EPISCOPI HADATHÆ.

JOANNES.

ANno 1340. Chriſti 1029. *Joannes* Hadethenſis epiſcopus, una cum Joanne VIII. cognomento Abdon Patriarcha Conſtantinopolim abductus, ibique in erroribus Jacobitarum tuendis perſeverans, in vinculis vitam finivit. Aſſem. *to. 2. in diſſ. de Monoph. & p. 353.*

BIBLIOTECA CENTRAL

III. ECCLESIA HARAN.

HARAN, Arabibus *Harran*, ſive *Charran*, urbs eſt Meſopotamiæ Craſſi clade notiſſima. Duplex recenſetur hujus nominis civitas: una in Oſroëne, quam veteres *Charras* dixerunt, altera in Phœnicia Libani. De priore nunc loquimur, cujus *Joannes* Monophyſita epiſcopus fuit, ante exortum Jacobitarum nomen, idcirco in exilium pulſus anno Græcorum 829. Chriſti 518. Juſtini Imperatoris juſſu, teſte Dionyſio Patriarcha in chronico, apud Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* Ejus memoriam colunt Jacobitæ in ſuo Kalendario die 2. Decembris.

EPISCOPI HARAN.

I. SERGIUS.

SERGIUS epiſcopus Harran, in ſupra memorato Dionyſii chronico ad annum Græcorum 857. Chriſti 546. claruiſſe refertur, una cum Achudeme Perſarum primate, Joanne Armeniæ Catholico, Eunomio Amidæ epiſcopo, Joanne Pergami, Photio Smyrnæ, Joanne Kennefrini, Joanne Callinici, Joanne Aſiæ, Joanne & Barſohede Perſarum epiſcopis. Fortaſſis hic Sergius ille ipſe eſt cujus meminit S. Sophronius Hieroſolymorum Patriarcha in epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum, ubi ait, *Benjamin Alexandrinus, & Joannes, & Sergius, Thomaſque, & Severus Syri.*

II. SIMEON I.

Idem Dionyſius Patriarcha meminit ad annum Græcor. 928. Chriſti 617. *Simeonis* epiſcopi Haran, coævi Jacobo Judæo, Athanaſio I. Patriarchæ Jacobitarum, Joanni epiſcopo Arabum, & Cyriaco epiſcopo Amidæ. Ejus memoriam colunt Jacobitæ, in ſuo Kalendario, die 3. Januarii. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph. & p. 102.*

III. SIMEON II.

Simeon alter, epiſcopus quoque Haran, memoratur in eodem Dionyſii Patriarchæ chronico, ad ann. Græc. 1040. Chriſti 729. ut qui claruerit inter celebriores Jacobitas hujus temporis, ſcilicet Eliam Patriarcham, Conſtantinum Edeſſæ, & Theodotum Amidæ. Eum colunt in ſuo Kalendario, die 2. Junii. Aſſem. *ibid. & pp. 105. & 107.*

IV. JOANNES I.

Poſt hunc Simeonem epiſcopus Haran fuit *Joannes*, qui anno Græc. 1051. Chriſti 740. Athanaſio III. Patriarchæ ſuffectus eſt, ſub nomine Joannis II. Equidem illum Barhebræus epiſcopum *Hauræ*, hîc appellat. At poſtea, inter exempla tranſlationum epiſcoporum ad majores eccleſias, quæ aſſeclæ Athanaſii VI. in Patriarcham aſſumpti ex epiſco-

A patu Samoſatæ, anno 1369. Chriſti 1058. proferebant, citatos notat Eliam Euphemiæ, & *Joannem Haran* epiſcopos. Hinc enim conjicit Aſſemanus, *in diſſert. de Monoph.* ubi de Haura, eum Joannem, qui prius in cœnobio Zuchenin apud Amidam ſito monaſticam vitam egerat, Hauræ ſimul & Haran eccleſias rexiſſe. Doctiſſ. Renaudot. *to. 2. Liturg. Or. pag. 260.* exiſtimat huic Joanni aſſignandam eſſe liturgiam, quæ apud Jacobitas S. Joannis Chryſoſtomi nomen præfert. De eo Joanne legendus Aſſeman. *in præfata diſſert.* ubi de B Haran, *& pp. 338. & 355.*

V. SIMEON III.

Joanni ſucceſſit *Simeon*, qui, ex Dionyſii Patriarchæ chronico ad annum Græcorum 1057. Chriſti 746. quum prius monachus fuiſſet Cartaminenſis, epiſcopus Haran factus, floruit eo tempore cum præfato Joanne II. Patriarcha, Conſtantino Samoſatæ, & Athanaſio Maipheractæ. Ita refert Aſſem. *to. 2. pag. 107.* Qui tamen, *in diſſert. de Monoph.* hunc confundit Simeonem cum Simeone II. C epiſcopo Haran exiſtente anno 1040. Chriſti 729. Verum Simeon iſte II. deſierat eam eccleſiam adminiſtrare, & probabiliter vivere, à ſex annis ad minus, anno 1057. Chriſti 746. ſiquidem Joannes, ex epiſcopatu Haran, ad Patriarchalem dignitatem conſcendit anno 1051. Chriſti 740. ut ſupra dictum eſt. Fortaſſis error ſubiit in hac epocha, adeo ut pro 1057. Chriſti 746. legendum foret in Dionyſii chronico anno 1051. Chriſti 740. Obſervat enim idem Aſſeman. *pp. 95. 337. & 338.* à chronici Dionyſiani deſcriptore, D Athanaſii III. obitum, ſicut & Eliæ ejus prædeceſſoris ſex annis retardari: & Eliam quidem non anno 1040. Chr. 729. obiiſſe, ſed anno 1034. Chriſti 723. Athanaſium pariter diem clauſiſſe extremum, non anno Græc. 1057. Chr. 746. ſed an. 1051. Chr. 740. Idem cenſere poſſumus etiam de Simeone; quem tunc nihil obſtaret quominus aſſereremus alium non fuiſſe à *Simeone II.* & defunctum ſaltem non ſerius anno 1051. Chriſti 740. quo ipſi

jam ſucceſſerat Joannes, ex epiſcopo Haran eodem anno Patriarcha renuntiatus.

VI. Isaac.

Sub præfato hoc Joanne II. quem Athanaſius Sandalenſis epiſcopus Maipheractæ ad Patriarchatum promoveri per fraudem curaverat, Athanaſius idem ejus odium in ſe nihilominus expertus, epiſcopos propria auctoritate, quaſi Patriarcha eſſet, inſtituit; inter illos autem *Iſaacum* præfecit eccleſiæ Haran, qui poſtea electus eſt, anno 1066. Chriſti 755. in Joannis II. ſucceſſorem, ope Abu-Giafaris Almanſor Arabum regis. Is primo anno Patriarchatus nondum expleto ab eodem Abu-Giafare ſuffocari juſſus eſt, & in Euphratem projici, eo quod ipſum chimicæ artis rudem, ſecus ac crediderat, reperiſſet. Aſſeman. *to. 2. pp. 338. & 339.* Renaudot. *in hiſt. Patr. Alex. pp. 232. & 233.*

Athanaſius porro Sandalenſis, poſt Iſaaci interitum, ejuſdem Abu-Giafari voluntate in Patriarcham aſſumptus, quum Haranitis *Abdinenſem* Iſaaci diſcipulum, quem reſpuebant, epiſcopum creare deliberaſſet, ab ipſis noctu ſuffocatus eſt, rumore in vulgus ſparſo quod rex Abu-Giafar eum occidi mandaſſet. Idem Aſſem. *p. 339.*

VII. Dionysius I.

VIII. Dionysius II.

Dionyſius, quem epiſcopum Haran, Dionyſius alter Patriarcha in chronico ad annum 1066. Chr. 755. & ante mortem Joannis II. appellat, quum tamen tunc temporis Iſaac præfatus eam eccleſiam regeret, ex qua eo anno ad ſedem Patriarchalem evectus eſt; revera interfuit ut epiſcopus Haran ſynodo Mabugenſi anno Græc. 1070. Chriſti 759. in qua Georgius Patriarcha renunciatus fuit. Id quidem contigiſſe narrat idem Dionyſius Patriarcha anno Græc. 1066. Chriſti 755. ſed amanuenſis, qui tam Georgii ordinationem, quam intruſionem Joannis Callinici adverſus ipſum, loco non ſuo deſcripſit, mendum eſſe affirmat Aſſem. *to. 2. p. 340.* nam ad annum 1070. Chriſti 759. ut dictum eſt, revocandæ ſunt. Obiit Dionyſius, teſte eodem Dionyſio Patriarcha, anno Græc. 1079. Chriſti 768. eique ſucceſſit *Dionyſius* alter; ex monaſterio Zuchenin. Idem Aſſem. *ib. pp. 110. & 111.*

IX. Petrus.

Anno Græcorum 1315. Chriſti 1004. *Petrus* epiſcopus Haran Joanni VIII. cognomento Abdon Patriarchæ electo manum impoſuit. Idem Aſſem. *ibid. p. 352.*

X. Thomas.

XI. Isidorus.

In Kalendario Jacobitarum *Thomas* & *Iſidorus* epiſcopi Haran recenſentur. Prior quidem die 5. Julii: poſterior vero die 4. Februar. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.*

XII. Joannes II.

Joannes, Mardæ epiſcopus anno Græcorum 1436. Chriſti 1125. ordinatus ab Athanaſio VII. Abulfaragio dicto, eccleſiarum ſimul *Haran*, Daræ, Chaboræ, Caphartutæ, Niſibis, & Tel-Beſmæ curam geſſit. Obiit anno 1476. Chriſti 1165. Aſſem. *in diſſert. de Monoph. & pp. 216. & 225.*

IV. ECCLESIA HARET-BARET.

HARET-BARET, Armeniæ minoris oppidum eſt, Abulfeda teſte *in tab. geogr. n. 236.* qui inter illud & Amidam, Semſatam caſtrum à Samoſata Euphrateſiæ urbe diverſum collocat. Quin & eidem geographo Haret-Baret ipſum eſt caſtrum Zaid; à Barhebræo quoque in chronico vocatur *Heſna*, id eſt caſtrum *Zaïdi*. Aſſem. *to. 2. p. 213.*

EPISCOPI HARET-BARET *ſive* ZAID.

I. Moyses.

ANno Græcorum 1340. Chriſti 1029. *Moyſes* epiſcopus Heſnæ, ſive Caſtri, id eſt, ut Heſnam exponit doctiſſ. Aſſeman. *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monophyſ.* Caſtri Zaïdi, Conſtantinopolim ductus cum Joanne VIII. Patriarcha dicto Abdon, Romani Argyri Imperatoris juſſu, eo in exilium pulſo ob pertinaciam in errore, fidem Chalcedonenſem amplexus eſt; ſed illam poſtea in Syriam reverſus ejuravit, ut ad communionem Jacobitarum iterum admitteretur. Aſſemanus, *in eodem tomo p. 353.*

II. Joannes.

Gregorius Bar-hebræus narrat in chronico Athanaſium VIII. Patriarcham Joſue Bar-Chetre dictum, qui electus fuerat anno Græcorum 1450. Chriſti 1139. Amida digreſſum in caſtrum Zaid veniſſe anno 1460. Chriſti 1149. ibique tres annos manſiſſe, & per id tempus *Sergium* diſcipulum ſuum ordinaſſe ejuſdem Caſtri epiſcopum, impoſito ei *Joannis* nomine. Aſſemanus *in diſſert. de Monoph. & pag. 362.*

III. Josue.

Joſue caſtri Zaïdi epiſcopus, anno 1491. Chriſti

Digitized by Google

ECCLESIA HARET-BARET.

Chriſti 1180. una cum Simeone epiſcopo Arzuni, Abrahamo Amidæ, & alio qui Sibabarchæ epiſcopus erat, Theodorum Bar-Vehebun, Amidæ, adverſus Michaëlem I. in Patriarcham ordinavit, unde ſchiſma inter Jacobitas per annos tredecim conflatum eſt. Aſſem. *in præfata diſſert. de Monoph.* ubi de caſtro Zaid, *& pp. 213. & 368.*

IV. Basilius.

Baſilius eidem caſtro Zaidi præerat epiſcopus anno 1533. Chriſti 1222. quo Ignatius II. cognomento David, in cœnobio Modik, ab ipſo, & pluribus aliis epiſcopis, Patriarcha proclamatus eſt. Aſſemanus *ibid. in diſſert. de Monoph. & p. 371.*

V. Dioscorus.

Dioſcorus Heſnæ Zaidi epiſcopus, tempore Joannis Bar-Maadani anno 1564. Chr. 1253. adverſus Dionyſium VII. Aaronem Angur Patriarcham paucis ante menſibus electum renuntiati, non parum claruit. Quum enim Simeonis medici Heſnenſis qui circa annum 1518. Chriſti 1207. cœnobium S. Cyriaci Zonicratæ in regione Heſnæ ſeu caſtri Zaidi inſtauraverat, ſexaginta monachis eo deductis, filius, Michaël nuncupatus, ad Mahometanam ſuperſtitionem tranſiiſſet, illudque cœnobium, ejectis monachis, in Xenodochium pauperum ſectæ ejuſdem Mahometanæ convertiſſet; Dioſcorus libros A ſacros hujus monaſterii ab eo Michaële redemit, Evangeliumque picturis exornatum, quod Raban Zebinas calligraphus exaraverat, Taurizenſi eccleſiæ dono dedit, anno circiter 1566. Chriſti 1255. Poſtea ſub Ignatio III. in Patriarcham promoto anno 1575. Chriſti 1264. à tumultuantibus adverſus illum Patriarcham epiſcopis quibus etiam ipſe ſeſe adjunxerat, in Maphrianum aſſumptus eſt, qui in throno eum collocantes, & per eccleſiam circumducentes, patrarunt *rem novam & peregrinam*, inquit Bar-hebræus apud Aſ- B ſeman. to. 2. pag. 380. *& quæ à ſæculo acta non fuerat, ut ſcilicet in Occidente abſque Patriarcha, ab epiſcopis Occidentalibus, ſine Orientalium conſenſu, Maphrianus crearetur.* Verum hanc dignitatem paulo-poſt ipſe dimiſit, & una cum epiſcopis qui eum proclamarant, Patriarchæ obedientiam exhibuit, rediitque in caſtrum diœceſim ſuam. Aſſemanus *ibid. in diſſert. de Monoph. & pp. 370. 378. & 380.*

VI. Joannes II.

Leonardus Abel epiſcopus Sidonienſis, C nuncius apoſtolicus à Gregorio XIII. miſſus per Orientem, inter epiſcopos Jacobitas anno Chriſti 1583. ſub Ignatio XVIII. qui Petrus David Sciah cognominabatur, viventes, numerat *Joannem epiſcopum de Haribert*, in relatione ſua, apud Thomam à Jeſu, *lib. 7. pag. 386.* Aſſemanus *in diſſert. præfata*, ubi de Haret-Baret.

V. ECCLESIA HATACHÆ.

Hatacha, Abulfedæ *in tab. geogr. n. 243. Hattach*, urbs eſt regionis Diar-Bechir, id eſt, Amidenſis in Meſopotamia, haud procul à Maipheracta.

EPISCOPI HATACHÆ.

Simeon.

Simeon Hatachæ epiſcopus, ſynodo interfuit in qua anno 1604. Chriſti 1293. Ignatius V. alias I. cognomento Bar-Vahib, in Patriarcham ordinatus eſt. Aſſemanus *in diſſertat. de Monophyſ.* ubi de Hatacha, *& pag. 382.*

VI. ECCLESIA HAURÆ.

Haura ditionis Sarugenſis pagus eſt, teſte Bar-hebræo, qui Jacobum doctorem, ſub Severo 28. Februar. anni Græc. 850. Chriſti 539. mortuo celebrem, periodeutem ſeu viſitatorem Hauræ in Sarug fuiſſe ſcribit, antequam ad epiſcopatum Batnæ Sarugi eveheretur. Aſſemanus *in præfata diſſert.* ubi de Haura, *& p. 322.*

EPISCOPI HAURÆ.

Joannes.

Idem Bar-hebræus *Joannem* Zuchenenſem monachum narrat ex epiſcopo *Hauræ*, anno Græcor. 1051. Chriſti 740. in Patriarcham D electum, qui fuit Joannes II. Athanaſii III. ſucceſſor. Verum quum Joannes iſte dicatur etiam à Bar-hebræo epiſcopus Haran, infert Aſſem. ipſum eccleſiis Hauræ ſimul & Haran præfuiſſe. *In diſſ. de Mon. & pp. 338. & 355.*

K

I. ECCLESIA KENNESRIN.

KENNESRIN ſive *Kenneſre*, Abulfedæ *in tab. geogr. Kennaſrin*, nonnullis *Canſara* & *Canſarinum*, urbs Syriæ fuit initio imperii Saracenici, nunc pagus ſolummodo propè Alepum. Celeberrimum eſt in hiſtoria Jacobitarum cœnobium Kenneſrinenſe, ex quo prodierunt Patriarchæ multi. Dionyſius I. illius inſtaurandi ab Othmano Duce obtinuit facultatem circa annum 1130. Chriſti 819. Iſidorus Kenneſrinenſis epiſcopus Monophyſita, in chronico ejuſdem Dionyſii Patriarchæ, ad annum 829. Chriſti 518. nominatur. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Kenneſrin.

EPISCOPI KENNESRIN.

SEVERUS.

SEVERUS *Sabocht* epiſcopus Kenneſrin ad annum circiter 941. Chriſti 630. à philoſophicis, mathematicis, & eccleſiaſticis ſtudiis in chronico Gregorii Bar-hebræi commendatur. Athanaſii II. cognomento Baladenſis, Patriarchæ in ſynodo Rheſinenſi ab Anania Mardæ & Caphartutæ epiſcopo anno Græcorum 995. Chriſti 684. ordinati, præceptor fuerat. Aſſem. *ibid. & p. 335.*

A

L

I. ECCLESIA LACABENÆ.

LACABENA, una eſt ex ſeptem urbibus circa Melitinam, quas ætate ſua deſtructas fuiſſe idem Bar-hebræus ſcribit. Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monoph.*

EPISCOPI LACABENÆ.

I. BASILIUS.

ATHANASIUS VIII. qui & Joſue Bar-Chetre, anno 1450. Chriſti 1139. Patriarcha ordinatus, *Baſilium* epiſcopum Lacabenæ anno circiter 1454. Chriſti 1143. ob fornicationis crimen depoſuit. Quum tamen ille injunctam ſibi pœnitentiam egiſſet ab eodem Patriarcha cœnobiis Zabar præfectus eſt, deinde in diœceſim Sababarech eadem de cauſa tranſlatus, demum poſt tres annos in idem flagitium relapſus, epiſcopatu dejectus eſt. Aſſem. *ibid. & p. 361.*

B

II. EUDOXIUS.

Ignatii II. qui & David cognominabatur, electioni in Patriarcham anno Græc. 1533. Chriſti 1222. interfuit *Eudoxius* Bar-Bitra Lacabenæ epiſcopus. Aſſemanus *ibidem, & pag. 371.*

III. ATHANASIUS I.

Athanaſius Joſue ejuſdem Ignatii II. diſcipulus, ex Lacabena eccleſia, anno 1557. Chriſti 1246. ab eo Patriarcha ad Ptolemaidis ſedem tranſlatus eſt. Aſſemanus *ibid. & pag. 375.*

IV. AARON.

V. GREGORIUS.

Athanaſio ſubrogavit in epiſcopatu Lacabenæ eccleſiæ Ignatius II. Patriarcha eodem anno *Aaronem Tanzig*, qui ea poſt duos fere annos dimiſſa, Hieroſolymam petens anno 1558. Chriſti 1247. ibi in cellula ſe clauſit. Patriarcha autem in ejus locum *Gregorium* Bar-hebræum chronici auctorem, qui & Abulfaragius cognominatur, ex Guba tranſtulit. Obiit anno 1597. Chriſti 1286. Aſſem. *ibidem, & à pp. 244. uſque ad 321. & 375. & 460.*

C

VI. ATHANASIUS II.

Dionyſius VII. qui & Aaron Angur, anno 1564. Chriſti 1253. Patriarcha electus, Gregorio Lacabena Alepum rurſus tranſlato ſuffecit *Athanaſium Pharagum*, qui poſtea à tumultuantibus adverſus Ignatium III. anno 1575. Chriſti 1264. in Patriarcham promotum, quibus ſeſe adjunxerat, epiſcopis, Melitinam tranſlatus, & ab ipſo deinde Patriarcha in ea ſede confirmatus, ab eodem demum, propter Melitinenſium accuſationes, ad primam ſuam eccleſiam revocatus fuit. Aſſem. *ibid. & pp. 380. & 381.*

Digitized by Google

M

I. ECCLESIA MAADAN.

MAADAN Meſopotamiæ regio eſt, in qua Sermed pagus, & caſtrum S. Abel quod ſedes eſt epiſcopi Maadanenſis.

EPISCOPI MAADAN.

I. MALCHUS.

IGNATIUS XII. alias VIII. cognomento Noë Jacobitarum Patriarcha, electus anno Græcorum 1805. Chriſti 1494. ſcripſit ad *Malchum* epiſcopum Maadan librum de natura univerſali & particulari. Aſſeman. ex codice Syr. 45. *to. 1. Bibl. Orient. p. 616.*

II. DIONYSIUS.

Dionyſii David epiſcopi Maadan mentio fit in nota appoſita ad calcem cod. Syr. 29. apud Aſſem. *to. 2. p. 53.* Sic enim legitur *in 8. bomb. 203. Syriacis litteris, ſed ſermone partim Syriaco, partim Arabico, exaratus à* A *Joanne monacho Gargarenſi die 6. Martii anno Græcorum 1895.* (Chriſti 1584.) *ſub Ignatio David-Sciah Patriarcha, ejuſque fratre Timotheo, Thoma epiſcopo, & Joanne Mina epiſcopo, ut annotatur fol. 152. nec-non anno Græcorum 1897.* (Chriſti 1586.) *in Sermed pago regionis Maadanenſis apud urbem Hizan ſub eodem Ignatio David-Sciah Patriarcha, & Dionyſio David epiſcopo Maadan, uti annotatur fol. 108.* Hic *Dionyſius*, ni fallor, ipſe eſt, cujus meminit Leonardus Abel epiſcopus Sidonienſis, omiſſo Dionyſii nomine, his verbis: *David epiſcopus in Maaden*, in ſua relatione, apud Thomam à Jeſu *lib. 7. de converſ. gent. pag. 386.*

II. ECCLESIA CASTRI MANSUR.

MANSUR *Caſtrum*, Arabicè *Heſn-Manſur*, Abulfedæ *in tab. geogr. num. 224.* eſt apud Samoſatam, ad ortum fluminis Azrach & Auſtrum Euphratis: Melitinaque ad occaſum monte ſeparatur. Manſur Amerita, ſub Meruano Califarum Amiadum poſtremo, id caſtrum exſtruxit, eodem Abulfeda teſte, qui ſcribebat anno Hegiræ 721. (Chriſti circiter 1343.) uti ad calcem operis ejus geographici annotatur. Aſſemanus *to. 2. in diſſertatione de Monophyſ.* ubi de Manſur caſtro.

EPISCOPI CASTRI MANSUR.

I. STEPHANUS.

STEPHANUS Tur-Abdinenſis caſtri Manſur epiſcopus, conſpiratione cum Menna Amidæ & Theodoro Edeſſæ epiſcopis facta, Joannem XIV. adverſus Michaëlem II. anno 1519. Chriſti 1208. in Patriarcham elegit, eo quod petitam à Michaële pecuniam, ad ſolvendum domino Amidæ tributum non impetraſſent. Aſſem. *ibid. & pp. 231. & 370.*

II. GREGORIUS.

Gregorius, qui & *Simeon*, epiſcopus erat C caſtri Manſur anno Græcorum 1564. Chriſti 1253. quo Ignatio II. morienti, cum Baſilio epiſcopo Roaban, ingentique preſbyterorum ac monachorum multitudine, adfuit. Dionyſium quoque VII. Aaronem Angur cognominatum, eodem anno die 14. Septembris, cum aliis epiſcopis in cœnobio Barſumæ congregatis ad Patriarchatum evexit, & ab ipſo viciſſim eodem die ad eccleſiam Melitinæ tranſlatus eſt. Anno 1575. Chr. 1264. ordinationi Ignatii III. Patriarchæ fratris ſui B interfuit, obiitque anno ſequenti. Aſſem. *in præf. diſſert. de Monoph.* ubi de Manſur caſtro, & de Melitina, *& pp. 376. 379. & 381.*

III. IGNATIUS.

Dionyſius VII. Patriarcha Gregorio Simeoni in epiſcopatu Heſen-Manſur ſubſtituit *Barſumam* diaconum, Habibi preſbyteri filium, Ignatiique II. Patriarchæ diſcipulum & conſanguineum, cui nomen *Ignatii* impoſuit, anno 1564. Chriſti 1253. Is adverſus Ignatii III. electionem, cum aliis epiſcopis, Tartarorum regem adire conſtituit, ſed præventus rex ab illo Patriarcha eos non admiſit: ſubſecuta deinde pax, qua firmata epiſcopus Heſen-Manſur & Gregorius Bar-hebræus Maphrianus ſua opera effecerunt, ut Theodorus Cuphlidenſis regimen cœnobii Barſumæ eidem Patriarchæ relinqueret, ſeque reciperet in monaſterium Syræ, quod ad ripas Siræ ſitum eſt. Anno 1585. Chriſti 1274. idem epiſcopus caſtri Manſur Patriarchæ comes fuit in Ciliciam pergenti. Aſſemanus *ibid. & pp. 376. 380. & 381.*

III. # ECCLESIA MODIAD.

MODIAD oppidum eſt regionis Tur-Abdinenſis in Meſopotamia cis Tigrim. Jacobitarum ſedes fuit epiſcopalis.

EPISCOPI MODIAD.

CYRILLUS.

AD calcem codicis cujuſdam Syriaci, apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. p. 216.* in quo opera habentur S. Iſaac magni, mentio fit *Cyrilli* epiſcopi Modiad. Hæc enim nota apponitur: *Nunc vero iterum compegit, conſuit, colligavit, conglutinavitque* (hunc codicem) *Abraham Preſbyter & monachus, Behenami filius, patria Severinita* (id eſt Severina ortus) *anno Græcorum 1789.* (Chriſti 1478.) *in ſacro monaſterio Mar-Samuëlis, Mar-Simeonis, & electi Mar-Gabriëlis, diebus paſtorum eccleſiæ Mar-Ignatii Salachenſis, qui & Azizus Bar-Sapta* (ſeptimus Patriarcha Tur-Abdinenſis) *& Mar-Joannis epiſcopi præſati monaſterii, & Mar-Cyrilli Modiadenſis.* Hic *Cyrillus* itaque Jacobitis eccleſiæ Modiadenſis præerat anno Chriſti 1478.

P

I. # ECCLESIA PERRHÆ.

PERRHA ſeu *Perri* & *Perre*, Syris *Parin* ſive *Pharin*, oppidum eſt in provincia Euphratenſi. In chronico Dionyſii Patriarchæ ad annum Græcorum 821. Chriſti 510. urbs Meſopotamiæ dicitur, quia nimirum in finibus Euphrateſiæ & Meſopotamiæ ſita eſt. Apud hanc urbem celebre erat anno 1172. Chriſti 861. Jacobitarum cœnobium ſeptem Martyrum, uti ad calcem codicis Syriaci annotatur, apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. pag. 63.* his verbis, *liber hic eſt Simeonis monachi ex caſtro Manſur, & ex monaſterio ſeptem Martyrum quod apud Pharin antiquam urbem ſitum eſt.* In eodem Dionyſii chronico ad annum 821. Chriſti 510. *Gamalinus* Perrhorum epiſcopus laudatur, quod in profligandis quorumdam pſeudomonachorum erroribus egregiam operam navaſſet: verba refert Aſſem. *to. 1. p. 409.* Inter epiſcopos vero Monophyſitas quos Juſtinus Imperator anno 829. Chriſti 518. exilio mulctavit, *Euſtathius* ejuſdem urbis epiſcopus recenſetur. Cæterum nullus mihi occurrit epiſcopus hujus loci qui Jacobitis, à conflata eorum ſecta præfuerit. Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Perrha ſeu Perri.

R

I. # ECCLESIA RESAINÆ.

RESAINA, alias *Reſæna, Reſina, Rheſina,* ſeu *Riſina* nuncupatur: Arabibus *Ras-Ain,* id eſt *caput fontis,* eo quod trecenti & amplius fontes inde emanent, ex quibus fluvius Chaboras formatur, ut aſſerit Abulfeda *in tab. geogr. n. 239.* Duplicem Rheſinam Claudius Ptolemæus *lib. 5. cap. 18.* ſtatuit in Meſopotamia; unam poſt Edeſſam ſub gradu 73. alteram poſt Aphadanam ſub gradu 74. Quæ vero in Geneſi *cap. 10. v. 12. Reſe,* ſeu in hebræo *Reſen* dicitur, extra Meſopotamiam in Aſſyria eſt, inter Niniven & Chale. Sicut enim urbes inter fluvios poſitas Syri *Apameas* dixere; ita eas apud quas fontes vel amnes erumpunt, *Reſainas.* Biduo Haran ſive Charris diſtat, eodem Abulfeda teſte, Reſaina de qua loquimur. Extat juxta eam monaſterium *Saphyli* quod Athanaſius IX. circa annum Græcorum 1517. Chriſti 1206. inſtauravit, ex quo Baſilius I. Patriarcha anno 1234. Chriſti 923. aſſumptus fuerat, & in quo Joannes III. & Dionyſius II. ſepulti ſunt. Petrus Rheſinæ ad Chaboram civitatis epiſcopus in Dionyſii Patriarchæ ad annum Græc. 829. Chriſti 518. & Gregorii Bar-hebræi chronicis laudatur ut ſectæ Monophyſiticæ propugnator, ob quam à Juſtino Imperatore eo anno in exilium pulſus eſt. Idem Bar-hebræus meminit etiam *Aſcolii* ejuſdem urbis epiſcopi, Petro fortaſſis ſubrogati, quem Sergius Rheſinenſis Archiater apud Ephræmum Antiochiæ Patriarcham accuſavit. Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monoph.* ubi de Reſaina, & cœnobio Saphyli.

Digitized by Google

EPISCOPI RESAINÆ.

THEODOSIUS.

ANno Græcorum 1035. Chriſti 724. Reſainæ epiſcopus Jacobita ſedebat *Theodoſius*, quo nempe Athanaſium III. Patriarcham in Cartaminenſi monaſterio ordinaſſe dicitur; quamvis alii aſſerant hunc Patriarcham Edeſſæ à Georgio Arabum epiſcopo fuiſſe conſecratum. Aſſem. *ibid. & p. 338.*

II. ECCLESIA RESCHIPHÆ.

RESCHIPHA oppidum eſt Meſopotamiæ ad Euphratem fluvium, cujus meminit Ptolemæus *lib. 5. cap. 18.*

EPISCOPI RESCHIPHÆ.

JACOBUS.

JACOBUS cæcus Reſchiphæ epiſcopus Iſaacum ex monacho Cartaminenſi & epiſcopo Haran in Patriarcham juſſu Abu-Giafaris Almanſor Arabum regis electum anno Græcorum 1066. Chriſti 755. Rheſinæ ordinavit. Aſſem. *in diſſert. de Monoph. & p. 339.*

III. ECCLESIA ROABANI.

ROABANUM oppidum eſt Euphrateſiæ haud procul à Chiſuma. Sedes epiſcopalis Jacobitica fuit. Eam quidem Athanaſius VIII. anno Græcorum 1466. Chriſti 1155. eccleſiæ junxit Chiſumenſi; verum ab illa ſeparata rurſus eſt, ut modo patebit. Aſſemanus *in diſſert. de Monophyſ.*

EPISCOPI ROABANI.

I. JOANNES.

A SUb Athanaſio VIII. in ſynodo quæ anno Græcorum 1466. Chriſti 1155. in cœnobio Barſumæ habita eſt, *Joannis* epiſcopi Chiſumæ regimini addita fuit Roabani eccleſia. Aſſem. *ibid. & pp. 209. & 362.*

II. BASILIUS.

Baſilius epiſcopus Roabani erat anno Græcorum 1564. Chriſti 1253. quo Ignatio II. Patriarchæ morienti adſtitit. Aſſem. *ibid. & pag. 376.*

✦✦✦

S

I. ECCLESIA SALACHÆ.

SALACHA, oppidum eſt Meſopotamiæ in regione Tur-Abdin ſitum, inter Mardin & Niſibin, cis Tigrim, non vero trans illud flumen ut aſſerit Naironus *in Evopl. p. 45.* Sedes epiſcoporum hujus loci in cœnobio ſancti Jacobi fixa erat: ibi quoque habitarunt Patriarchæ Tur-Abdinenſes ab anno Græcorum 1675. Chriſti 1364. uſque ad ann. 1805. Chriſti 1494. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph. paragr. 9.* ubi de Salacha.

EPISCOPI SALACHÆ.

I. DANIEL.

INter epiſtolas Jacobi Edeſſeni epiſcopi, ad hanc eccleſiam regendam aſſumpti an. Græcorum 962. Chriſti 651. una extat ad *Danielem*, cujus fragmentum habetur *in codice Syr. 3. p. 111.* apud Aſſem. *tom. 1. Bibl. Or. pp. 487. 495. & 607.* Scripſit ipſe *expoſitionem in Pſalmos*, cujus fragmenta extant in præfato cod. *3. pp. 47. 87. 115. 152. & 252.* ubi vocatur *Daniel Salchenſis* abbas & doctor, teſte eodem Aſſem. *to. 1. pag. 495.* qui addit eum paſſim citari à Bar-hebræo in *horreo* B *myſteriorum*: Item in nota librorum Syriacor. codice mſſ. Latin. Vatic. 6429. pag. 133. eumdem his verbis deſignari, *Danielis epiſcopi Salahani magna expoſitio ſuper Pſalmos.* Codex Syr. 3. de quo ſupra, *exaratus* legitur *à Severo in monaſterio ſanctæ Barbaræ in monte Edeſſæ, ſub Joanne Patriarcha* (III. ſcilicet anno Græc. 1158. Chriſti 847. electo, qui obiit an. 1185. Chriſti 874.) *& Conſtantino*

Digitized by Google

ECCLESIA SALACHÆ.

metropolita, die 25. Mart. anno Græc. 1172. A (Chriſti 861.)

II. DIOSCORUS.

Ordinationi Ignatii V. alias I. cognomento Bar-Vahib, anno Græcorum 1604. Chriſti 1292. in cœnobio Ananiæ die 1. Januarii factæ, cum pluribus aliis epiſcopis, interfuit *Dioſcorus*, qui & *Moyſes*, Salachæ præſul. Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monoph.* §. *9.* & *pag. 382.*

III. BARSUMAS.

Anno Græcorum 1643. Chriſti 1332. ſynodo præfuit in cœnobio eodem Ananiæ congregatæ pro electione Ignatii VI. alias II. dicti Iſmaël, *Barſumas* Salachæ epiſcopus. Aſſemanus *ibid.*

IV. BASILIUS.

Barſumæ ſuffectus eſt à præfato Ignatio VI. *Sabas* Abulhaſani preſbyteri Salachenſis filius, cui & *Baſilii* nomen impoſuit. Verum quum Georgius quidam monachus Baſilium hunc calumniis impeteret, nimium credulus Patriarcha, eum abſque ullo examine excommunicavit, nec voluit unquam abſolvere, quantumvis hic epiſcopus maximam ei demiſſionem exhibuiſſet. Inde ſubſequutum eſt ſchiſma Tur-Abdinenſium: epiſcopi enim hujus regionis ea Ignatii obſtinatione indignati, ex cœnobio Zapharanenſi, quo convenerant ut apud illum pro Baſilio intercederent, in patriam ſuam revertentes, eumdem Sabam Salachenſem epiſcopum, ſibi in Patriarcham adverſus Ignatium præfecerunt, B qui *Ignatii* nomen aſſumpſit, fuitque primus Tur-Abdinenſium Patriarcha. Id contigit anno Græcorum 1675. Chriſti 1364. Obiit anno 1700. Chriſti 1389. Aſſemanus *ibid.* & *pp. 383.* & *344.*

V. ELIAS.

In Leonardi Abel Chienſis, epiſcopi Sidonienſis, relatione legitur ad annum Chriſti 1583. *Elias* epiſcopus in Salach, apud Thomam à Jeſu, *lib. 7. de converſ. gent. p. 386.* Aſſem. *in diſſert. præfata de Monoph.* §. *9.*

II. ECCLESIA SARUG.

SARUG, vel potius *Batnan*, Stephano *Batnæ*, Procopio *Batne*, Meſopotamiæ oppidum eſt, unius diei itinere Edeſſa, pariterque Haran diſtans. Ut accuratius loquamur, Sarug non eſt urbs, ſed regio, in qua *Batna* urbecula extat. Hinc Syris dicitur *Batna Sarugi*, vel *Batna in Sarugo*, Joſue Stylitæ in chronico, *Batnan quod in Sarug eſt;* Bar-hebræo *Batnæ Sarugi*, quatenus ſcilicet oppidulum, quod ex ſe obſcurum eſſet, adjecto regionis nomine, magis innoteſceret; palam eſt quippe oppidum non eſſe in oppido. Fatendum nihilominus, poſt occupatam à Saracenis Meſopotamiam, *Batnam* Arabicè *Sarug* appellari cœpiſſe, & à Syris recentioribus, *Batna quæ & Sarug.* Jacobus Sarugenſis vulgo dictus, huic eccleſiæ præfectus eſt anno Græcorum 830. Chriſti 519. De eo diximus in Patriarchatu Antiocheno. Errores Monophyſitarum minime admiſiſſe videtur, quandoquidem, ſub Juſtino Imperatore, qui anno 829. Chriſti 518. epiſcopos Monophyſitas ſuis ſedibus dejecit, ipſe in ſua ſede egit tranquillus. De eo, ejuſque orthodoxia, ſicut & de Batna, ac Sarugo, legendus Aſſem. *tom. 1. Bibl. Orient. pp. 283.* & *ſeqq.* & *tom. 2. in diſſert. de Monophyſ.* ubi de Sarug, & *pp. 321. 322.*

EPISCOPI SARUG.

I. ATHANASIUS.

ANno Græcorum 999. Chriſti 688. *Athanaſius* Sarugi epiſcopus Amidæ Julianum Patriarcham ordinavit. Aſſem. *in diſſert. præfata de Monoph.* & *p. 337.*

II. GEORGIUS.

Georgius Sarugenſis epiſcopus erat, tempore Jacobi Edeſſeni, qui obiit, juxta Barhebræum apud Aſſem. *to. 2. pag. 337.* anno Græcorum 1019. Chriſti 708. die 5. Junii. In pervetuſto enim Nitrienſi codice, cujus meminit idem Aſſeman. *tom. 1. pag. 285.* & *tom. 2. pag. 499.* extat *epiſtola Mar-Jacobi* C *Edeſſeni ad Mar-Georgium epiſcopum Sarugi.*

III. SERGIUS.

Sergius Sarugi epiſcopus Joannem VII. Patriarcham nuncupatum Sarightam in Capharnabo regionis Sarugenſis pago, anno 1276. Chriſti 965. ordinavit. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* & *p. 351.*

IV. GABRIEL.

Gabriël Marhaſenſis, cognomento *Sciamabir*, Sarugi epiſcopus, ab Athanaſio VIII. anno 1450. Chriſti 1139. ad Patriarchatum evecto, depoſitus fuit. Aſſemanus *ibidem*, & *pag. 362.*

Digitized by Google

III. ECCLESIA SAURÆ.

SAURA, oppidum eſt Meſopotamiæ prope Amidam urbem, nec procul diſtans Marde. Joannes Mardenſis epiſcopus cœnobia ſanctorum Abæ & Theodoti ibi ſita inſtauravit. Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monoph. & pp. 221. & 228.*

EPISCOPI SAURÆ.

I. JOANNES.

ANno Græcorum 1782. Chriſti 1471. Ignatius X. alias VI. qui & Chaleph, adhibitis Azizi Philoxeni Bar-Sapta Patriarchæ VII. Tur-Abdinenſis, & Georgii epiſcopi Cartaminenſis conſiliis, *Joannem Bar-Sila* Amidæ ſimul & *Sauræ* epiſcopum præfecit. Qui poſtea anno ſcilicet 1795. Chriſti 1484. Ignatio Chaleph Patriarchæ mortuo, ſub nomine Ignatii XI. alias VII. ſuffectus eſt. Obiit autem anno 1804. Chriſti 1493. Aſſemanus *ibid. & pp. 385. & 386.*

II. MINAS.

In relatione Leonardi Abel epiſcopi Sidonienſis mentio fit epiſcopi cujuſdam Sauræ, *Minas* nomine, anno Chriſti 1583. ſedentis, dum Amidæ, ſive Caramitæ, interim præerat Simeon. Ita Thomas à Jeſu Carmelita diſcalceatus, *lib. 7. de converſ. gent. cap. 386.* apud Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.*

III. EPHRÆM.

Idem Thomas à Jeſu, in eodem loco, teſtatur, tempore quo ſcribebat, epiſcopum in Sauræ provincia reſidentem, *Ephræmum* appellari. Aſſem. *ibid.*

IV. ECCLESIA SECRED.

SECRED, Abulfedæ *in tab geogr. n. 264. Seert* & *Eſeerd*, urbs eſt Meſopotamiæ, dicta etiam *Mobadra*, haud procul à Tigri flumine; ab urbe Maipherchin, teſte eodem Abulfeda, diſtat itinere unius diei cum dimidio, Amida quatuor dierum, Moſul quinque dierum; ad ortum Moſul, & ad Auſtrum Maipherchin Amidæque ſita eſt. Aſſemanus *in diſſert. de Monophyſ.*

EPISCOPI SECRED.

PHILOXENUS.

PHILOXENUS epiſcopus Mobadræ ſive Secred interfuit anno Græcorum 1643. Chriſti 1332. ordinationi Ignatii VI. alias II. qui & Iſmaël Magedus cognominabatur, in cœnobio Ananiæ. Aſſem. *ibid. & p. 382.*

V. ECCLESIA SEMCHÆ.

SEMCHA ſeu *Semaha*, una fuit ex ſeptem ſedibus epiſcopalibus Melitinæ urbi vicinis, quas Gregorius Bar-hebræus ſua ætate deſolatas teſtatur. Illam, in vita Dionyſii III. Patriarchæ anno 1269. Chriſti 958. electi, trans Euphratem collocat. Nullus hujus eccleſiæ epiſcopus Jacobita mihi occurrit. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph. & pp. 260. & 350.*

VI. ECCLESIA SIBABARCHÆ.

SIBABARCHA ſeu *Sababarech* Jacobitarum epiſcopatus fuit in Meſopotamia, haud procul Edeſſa diſtans, cujus etiam eccleſiæ anno 1466. Chriſti 1155. adjunctus eſt. Aſſem. *ibid. diſſert. de Monoph. & p. 362.*

EPISCOPI SIBABARCHÆ.

I. BASILIUS.

BASILIUS Lacabenæ epiſcopus, qui ob incontinentiam depoſitus fuerat, peracta pœnitentia, ab Athanaſio VIII. in Patriarcham promoto anno Græcor. 1450. Chriſti 1139. primum cœnobiis Zabar præfectus eſt, deinde *Sababarech* factus eſt epiſcopus, ſed quum poſt tres annos ejuſdem flagitii iterum accuſatus fuiſſet, epiſcopatu dejectus eſt, &

Digitized by Google

ECCLESIA SIBABARCHÆ. Sibabarcha diœceſi Edeſſenæ adjuncta, in ſynodo quæ habita eſt ab eodem Patriarcha in cœnobio Barſumæ anno 1466. Chriſti 1155. Aſſem. *ibid. & pp. 361. & 362.*

II. * * *

Ex Gregorio Bar-hebræo in chronico Syriaco fol. 309. anno Græcorum 1491. Chriſti 1180. quidam *Sibabarchæ* epiſcopus cujus nomen omiſit, una cum Simeone Arzuni, Joſue ſcriba Heſnæ-Zaïdi, & Abrahamo Amidæ epiſcopis, Theodorum Bar-Vehebun antipatriarcham, adverſus Michaëlem I. Amidæ conſtituerunt. Aſſem. *ibid. & p. 213.*

VII.

ECCLESIA SIS.

SIS Ciliciæ urbs eſt, ſedes regis & Patriarchæ Armenorum, teſte Galano *in concil. eccl. Arm. Rom. part. 1. cap. 19. n. 4. p. 226.* apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph.* ubi de urbe Sis. Hanc inter Anazarbum & Mopſueſtiam Abulfeda *in tab. geogr. num. 196.* collocat. Ibi concilium congregatum ſub Leone III. Armeniæ rege, anno Chriſti 1307. cujus acta refert idem Galan. *pag. 455.* Ignatius II. qui & David, ad Patriarchatum evectus anno Græcor. 1533. Chriſti 1222. eccleſiam Deiparæ in ea urbe ædificavit ad latus majoris Armenorum eccleſiæ, circa annum 1558. Chriſti 1247. quæ commune ejuſdem civitatis excidium ab Ægyptiis anno 1560. Chriſti 1249. illatum ſola evaſit. Eodem tempore Iſa Edeſſenus medicus alteram Jacobitis eccleſiam Barſumæ nuncupatam in eadem urbe conſtruxit. Aſſem. *ibid. & p. 375.*

EPISCOPI SISIDIS.

DIONYSIUS.

DIONYSIUS Siſidis epiſcopus, anno Græcorum 1575. Chriſti 1264. ordinationi Ignatii III. Patriarchæ interfuit. Aſſemanus *ibid. & p. 379.*

T.

I.

ECCLESIA TARACH.

INter recentioris ævi epiſcopatus Jacobiticos *Tarach* cenſetur in relatione Leonardi Abel Chienſis, epiſcopi Sidonienſis, apud Thomam à Jeſu *lib. 7. de converſ. gent. cap. 386.* Fortaſſe idem eſt, inquit doctiſſ. Aſſem. *tom. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monophyſ.* cum epiſcopatu *Talach* de quo Ebed-Jeſu in catalogo *p. 80.* Talach autem eadem eſt, ac *Tahal* Garmæorum urbs, Xenaiæ patria, cujus meminere tum Simeon Beth-Arſamenſis in epiſtola de Neſtorianis, apud præfatum Aſſem. *to. 1. pp. 352. & 353.* tum auctor anonymus vitæ ejuſdem Xenaiæ, apud eumdem *to. 2. pag. 10.* his verbis, *Philoxenus epiſcopus Mabugenſis Deo ſapiens & ſcientia illuſtris, idem eſt ac Mar-Xenaias, cujus nomen ab editis voluminibus celebratur, patriam habuit Tahal oppidum in regione Perſarum ſitum.*

EPISCOPI TARACH.

GAZAL *ſive* GAZEL.

ANno Chriſti 1583. ſedebat *Gazal* ſive *Gazel* epiſcopus Tarach, teſte ſupra memorato Leonardo Abel epiſcopo Sidonienſe in ſua relatione, apud Thomam à Jeſu *lib. 7. de converſ. gent. cap. 386.* Aſſem. *tom. 2. in diſſert. de Monoph.*

II.

ECCLESIA TELÆ.

TELA ſimplici vocabulo, quæ & *Tela-Mauzalat*, ut ab aliis Syriæ ac Meſopotamiæ *Telis* ſecernatur; (idem enim Syrorum ſermone ſonat *Tela* ac *mons* ſeu *collis*,) Meſopotamiæ oppidum eſt, haud procul ab Euphrate, in monte ſeu colle poſitum. Inſtaurata fuit illa civitas à Conſtantio Imp. anno Græcorum 661. Chriſti 350. & *Conſtantina* ab ejus nomine appellata, teſte auctore chronici Edeſſeni his verbis, apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. p. 273.* in notis n. 4. *Anno Græcorum 661. ædificavit etiam Conſtantius Telam urbem, quæ olim Antipolis dicebatur.* Pro *Antipoli* Tacitus *lib. 6. cap. 41.* *Anthemuſiada* habet. Ammiano *lib. 14. cap. 19.* Straboni *lib. 16.* & Plinio *lib. 5. cap. 24.* Anthemuſia dicitur. Ejus ſitum deſcribit Theophanes ad annum 13. Anaſtaſii; *Conſtantina*, inquit, *Niſibin ad occaſum ſex & quin-*

Digitized by Google

& quinquaginta ſtadiis, totidemque Amidam, Septemtrionem verſus, diſtantes habet. Quare corrigendus Henricus Valeſius, verba ſunt Aſſem. *ibid.* qui in notis ad *lib. 1. Evagr. p. 58.* eam in Phœnicia collocat. Legendus idem Aſſem. *tom. 1. Bibl. Or. p. 395.* ubi Dionyſium Patriarcham emendat, *& to. 2. in diſſert. de Monoph.*

EPISCOPI TELÆ.

I. JONAS.

PRætermiſſo *Joanne* Telæ epiſcopo Monophyſita, quem laudant, tum Dionyſius Patriarcha in chronico ad annum Græcorum 814. Chriſti 503. ut quem anno 823. Chriſti 512. Sidonienſi concilio interfuiſſe dicit, & anno 829. Chriſti 518. Juſtini Imperatoris juſſu in exilium pulſum, tum Gregorius Barhebræus, eum recenſens inter Canoniſtas, & propugnatores ſectæ Monophyſiticæ; cujus etiam nomen inter Severianos epiſcopos legitur in collatione quæ anno 844. Chr. 533. B tempore Juſtiniani Imperat. Conſtantinopoli habita fuit; licet enim ille Jacobitarum profiteretur errores, florebat tamen antequam hæc ſecta eo nomine donaretur. *Jonas* nobis primus occurrit, qui à Coſroë Perſarum rege circa ann. 927. Chriſti 616. Telæ præfectus epiſcopus, & in diœceſi Patriarchæ ſubdita non à Patriarcha, ſed à Maphriano Orientis ordinatus, in Aſſyriam unde venerat, ab A Athanaſio I. Patriarcha electo anno Græcorum 906. vel 908. Chriſti 595. vel 597. redire coactus eſt. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph.* ubi de Tela, *& pp. 53. 54. 89. 302. 327. & 334.*

II. PAULUS.

Gregorius Bar-hebræus in Horreo myſteriorum, *Paulum* quemdam Telæ epiſcopum laudat, quem vetus Teſtamentum in Syriacum vertiſſe teſtatur. At quandonam ille floruerit non liquet. Aſſem. *ibid. pp. 48. & 279.*

III. JANNES.

IV. SABINUS.

Dionyſius Patr. in chron. apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 114.* hæc narrat: *Anno 1080. Chriſti 769. Zacharias epiſcopus Edeſſa exceſſit, & Jannes Tela. Pro Zacharia autem factus fuit Edeſſæ epiſcopus Elias ..... pro Janne vero Sabinus.*

III. ECCLESIA TELÆ ARSANIÆ.

TELA Arſaniæ ſic dicitur, quod ad Arſaniam fluvium Armeniæ inter Tigranocerta & Artaxata fluentem poſita ſit. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph.*

EPISCOPI TELÆ ARSANIÆ.

IGNATIUS.

IGNATIUS hujus Telæ epiſcopus anno C Græcorum 1575. Chriſti 1264. unus ex iis epiſcopis fuit, qui poſt ordinationem Ignatii III. Patriarchæ, in cœnobio Gavicathæ apud Mopſueſtiam Ciliciæ urbem ſito peractam, Arduam petierunt eumdem Patriarcham ejuſque ordinatores coram Tartarorum rege accuſaturi, quod ipſius conſenſum non poſtulaſſent. Verum prævenit eos Bar-hebræus Maphrianus, regique Patriarcham reddidit acceptum. Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. in eadem diſſert. & p. 380.*

IV. ECCLESIA TEL-BASER.

TEL-BASER caſtrum eſt in Syria, diſtans Alepo itinere duorum dierum, juxta Abulfedam *in deſcript. Syriæ fol. 65.* & aquis hortiſque abundans. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monophyſ.*

EPISCOPI TEL-BASER.

BAR-TURCA.

JOANNES XIII. cognomento Maudiana, anno Græc. 1440. Chr. 1129. Chiſumæ in Patriarcham electus, deinde conſecratus in eccleſia Francorum caſtri Tel-Baſer à Dionyſio Maphriano, *Bar-Turcam*, quem eidem D caſtro epiſcopum præfecerat, poſtea Symnadam, Mabugum quoque in locum Joannis Bar-Andreæ per tres annos, demum Chaboram tranſtulerat, epiſcopatu dejecit, ob flagitioſam ejus ubique vitam. Is tandem omnibus exoſus factus, à quibuſdam Armenis interemptus eſt. Aſſem. *in diſſert. præfata, & p. 360.*

V. ECCLESIA TEL-BESME.

TEL-BESME, Joanni Mardenſi *Tela-d-Beſme* ſeu *Tel-Beſmai*, id eſt, *collis aromatum*; caſtellum eſt haud procul ab urbe Marda, cujus epiſcopatui aliquando conjunctum fuit. Athanaſius IV. cognomento Sandalenſis, epiſcopus primum Maipheractæ, deinde Patriarcha renuntiatus anno Græc. 1068. Chriſti 757. cœnobium in eo caſtro conſtruxit, Athanaſii nuncupatum, quod Joannes Mardenſis poſtea inſtauravit. Aſſemanus, *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monophyſ.*

EPISCOPI TEL-BESME.

JOANNES.

JOANNES epiſcopus Mardæ ab Athanaſio VII. dicto Abulfaragio Patriarcha ordinatus anno Græcor. 1436. Chriſti 1125. eccleſias A ſimul *Tel-Beſme*, Caphartutæ, Daræ, Niſibis, Haran, & Chaboræ rexiſſe fertur; celebris eſt inter Jacobitas. Obiit anno 1476. Chriſti 1165. Legendus de eo Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. pp. 216. & ſeqq.*

VI. ECCLESIA TEL-PATRICIÆ.

TEL-PATRICIA, caſtrum eſt circa Melitinam, in quo Jacobitis præfuerunt epiſcopi. Hi, ex Gregorii Bar-hebræi chronico, nobis occurrunt apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monophyſ.*

EPISCOPI TEL-PATRICIÆ.

I. DIONYSIUS.

DIONYSIUS Tel-Patriciæ epiſcopus, una cum Joanne VIII. Patriarcha Conſtantinopolim, Romani Argyri Imperat. juſſu, anno Græcorum 1340. Chriſti 1029. abductus, & in carcerem truſus eſt, eo quod errores ſuos ejurare detrectaret. At poſt Imper. deceſſum B è carcere dimiſſus ad eccleſiam ſuam rediit. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in eadem diſſert. p. 353.*

II. TIMOTHEUS.

Anno Græc. 1402. Chr. 1091. *Timotheus* Tel-Patriciæ epiſcopus Athanaſium VII. Patriarcham, Melitinæ, in eccleſia Curſoris, ordinavit. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 358.*

VII. ECCLESIA THADMOR.

THADMOR, quam Joſephus *lib. 8. Antiq. cap. 2. Thadamoram* vocat, & vulgo *Palmyra* dicitur apud auctores, Syriæ urbs eſt, cujus *Joannes* epiſcopus Monophyſita inter eos recenſetur à Dionyſio Patriarcha in chronico, quos Juſtinus Imperator, anno Græc. 829. Chriſti 518. in exilium miſit. Cæterum nullus hujus ſedis epiſcopus Jacobo Zanzalo Baradæo recentior nobis innoteſcit. Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph.*

VIII. ECCLESIA THEODOSIOPOLIS.

THEODOSIOPOLIS Armeniæ urbs eſt ad dextram Euphratis partem ſita. Hanc Conſtantinus Senatorii ordinis vir Illyricarum copiarum ductor anno 813. Chriſti 502. Perſis prodidit, ut ſcribunt Evagrius, Theophanes & Joſue Stylites, apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. pag. 272. & to. 2. in diſſert. de Monoph.* Verum anno ſequenti recuperatam Anaſtaſius Imperator, teſte Procopio *lib. 1. de bello Perſ. cap. 10.* mœnibus validiſſimis cingi juſſit. Anno 1061. Chriſti 750. Saracenis erepta fuit à Conſtantino Copronymo, qui Syros Armenoſque ex ea, ac Melitina in Thraciam tranſtulit. *Petrus* Theodoſiopolis epiſcopus, unus è ſex epiſcopis Monophyſitis fuit, qui in collatione habita Conſtantinopoli anno 844. Chriſti 533. partes Severianorum adverſus Catholicos propugnarunt. Nullus quoque nobis occurrit hujus eccleſiæ epiſcopus Jacobita qui à temporibus Jacobi Zanzali floruerit.

Digitized by Google

IX. ECCLESIA TRIPOLIS.

TRipolis Phœniciæ maritimæ urbs eſt celeberrima, de qua fuſe agunt Abulfeda *in tab. geogr. n. 184.* & Cellarius *to. 2. geogr. antiq. p. 446.* ſedes epiſcopalis Jacobitarum fuit, quorum eccleſia ſancti Behenami nomen gerebat. At nunc pauci admodum hujus ſectæ homines Tripoli commorantur, illoſque Phœniciæ epiſcopus, Damaſci ut plurimum habitans, regit. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph.*

EPISCOPI TRIPOLIS.

JOSUE.

ANno Græcorum 1564. Chriſti 1253. aut ſequenti, *Joſue* Pherſonis filius, Tripolis epiſcopus, orta ipſum inter & Athanaſium Joſue Ptolemaïdis præſulem contentione, venit cum illo Antiochiam, quo Joannes Bar-Maadani adverſus Dionyſium VII. Aaronem Angur nuncupatum, recens Alepi electus Patriarcha profectus fuerat. Verum, quum cecidiſſet cauſa, ira exardeſcens, A Joannem apud Francos regionis hujus tunc dominos accuſavit, quod Dionyſio legitimo Jacobitarum Patriarchæ Melitinæ in cœnobio Barſumæ degenti Patriarchatum eripuiſſet. Trium menſium ſpatium datum eſt à Francis ut coram ipſis jus ſuum Patriarcha uterque tueretur. Vicit Joannes, tum conciliatis ſibi Francis largitione munerum, tum etiam obtento à Damaſci rege diplomate quo juriſdictionem in tota Syria Patriarchalem exerceret. Aſſem. *in præfata diſſert. p. 377.*

X. ECCLESIA TUR-ABDIN.

TUr-Abdin id eſt, *mons Abdinus,* quem indigenæ *Tur* abſolute appellant, regio eſt cis Tigrim, multa oppida, pagos, & cœnobia virorum ac monialium continens. Olim unus epiſcopus Jacobitis totius regionis præerat, qui *Tur-Abdinenſis* dicebatur. At crevit poſtea epiſcoporum illius tractus numerus, epiſcopis, Salachæ, Beth-Manaem, & in aliis locis, conſtitutis; præſertim poſtquam Saba Salachenſis epiſcopus in Tur-Abdinenſium Patriarcham, adverſus Ignatium VI. totius Jacobitarum ſectæ Patriarcham, proclamatus eſt anno 1675. Chriſti 1364. quod ſchiſma per 130. annos duravit, ſcilicet uſque ad annum 1805. Chriſti 1494. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph.*

EPISCOPI TUR-ABDIN.

I. MOYSES.

DOctiſſimus Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 158.* ſcriptores referens à Dionyſio Bar-Salibi Amidenſi epiſcopo, (qui obiit anno 1518. Chriſti 1207.) recenſitos in ſua Evangeliorum expoſitione, epiſtolam laudat Jacobi Edeſſeni *ad Moſen Tur-Abdinenſem fol. 161.* Jacobus porro ille diem clauſit extremum, ex Gregorio Bar-hebræo apud eumdem Aſſem. *ibid. p. 337.* anno Græcorum 1019. Chriſti 708. Septimo itaque ſæculo florebat hic Moyſes Tur-Abdinenſis epiſcopus.

II. CYRIACUS.

Georgius Athanaſii IV. dicti Sandalenſis ſucceſſor, Patriarcha renuntiatus eſt, juxta Dionyſium Patriarcham in chronico apud Aſſem. *Bibl. Or. p. 111.* anno Græc. 1066. Chriſti 755. (At mendum eſſe in hac epocha monet idem Aſſem. *ibid. p. 340.* & legendum anno Græc. 1070. Chriſti 759.) in ſynodo B Mabugenſi, cui cum aliis intererat *Cyriacus* Tur-Abdini epiſcopus.

III. ***

Athanaſius VII. Abulfaragius nuncupatus, qui Patriarcha electus eſt anno Græc. 1402. Chriſti 1091. tres epiſcopos cenſuris, dum vixere, ligatos voluit, Dionyſium ſcilicet Bar-Maudiana, Calliſurenſem, & *Tur-Abdinenſem:* nec ullis precibus adduci potuit, ut eos etiam morti proximos abſolveret. Obiit ipſe Patriarcha anno 1440. Chriſti 1129. Ita ex C Bar-hebræo Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 359.*

IV. ***

V. JOANNES.

Anno Græcorum 1466. Chriſti 1155. in ſynodo quam Athanaſius VIII. celebravit menſe Januario in cœnobio Barſumæ, *Joanni* Bar-Andreæ qui eccleſiam Carſenæ dimiſerat, ſedes Tur-Abdinenſis collata eſt, amoto *ſeniore ejus loci epiſcopo.* Aſſemanus *tom. 2. Bibl. Or. pp. 209. & 362.*

ECCLESIA TUR-ABDIN.

VI. Chamisius.

Chamiſius Tur-Abdini epiſcopus obiit paulo ante electionem Ignatii II. Patriarchæ factam in monaſterio Barſumæ anno Græc. 1533. Chriſti 1222. Aſſemanus, *Bibl. Or. pag. 371.*

VII. Lazarus.
VIII. Ammoes.

In Kalend. Jacobitarum quod extat in cod. Syr. 32. apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 55.* cujus etiam meminit *in diſſert. de Monoph.* colitur B die 3. Januar. memoria *Lazari*, & die 30. Sept. *Ammoïs*, epiſcoporum Tur-Abdinenſium, quorum ætatem ignoramus. Conjicit idem Aſſem. *ibid.* Ammoëm eſſe qui carmen heptaſyllabum de reſurrectione, quum adhuc preſbyter & medicus eſſet compoſuit, ut habetur in cod. Syr. Vatic. 28. *Ammoës preſ-* A *byteri & medici carmen heptaſyllabum de reſurrectione, ibid. p. 502.* Ad calcem hujus codicis legitur, *in 8. bombyc. 178. Syriacis litteris & ſermone exaratus circa annum Græc. 1664.* (Chriſti 1353.) *quo amanuenſis fol. 160. notat matrem ſuam vita functam fuiſſe.*

IX. Melchez.
X. Abelmedich.

Anno Chriſti 1583. quum Leonardus Abel Chienſis epiſcopus Sidonienſis miſſus à Gregorio XIII. Orientem luſtraret, vidit *Melchez*, id eſt Malchum, *epiſcopum ſancti Malchi in Tur*, & *Abelmedich*, ſeu Abdelmeſſiam, *epiſcopum in eadem provincia Tur.* Ita Thomas à Jeſu, *lib. 7. de converſ. gent. p. 386.* apud Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* Hi ſcilicet epiſcopi duo, in diverſis ejuſdem regionis locis, ut videtur, ſedebant.

U

I. ECCLESIA URIMÆ.

De *Urima* Meſopotamiæ urbe alio loco dictum eſt. Recentiores eam tradunt caſtrum eſſe in Syria ad ripam Euphratis juxta Samoſatam. Aſſemanus *tom. 2. Bibl. Or. in diſſertatione de Monophyſ.*

EPISCOPI URIMORUM.

I. Theodorus.
II. Georgius.

Hos Urimorum epiſcopos nobis ſuppeditat codicis 2. Nitrienſis, hodie Vaticani, nota, indicans quatuor Evangelia Syriacè ſcripta à Joanne in caſtro Urema ſub *Theodoro* epiſcopo, menſe Septembri anno Græcorum 1047. Chriſti 736. viſa & emendata à *Georgio* epiſcopo (utique ejuſdem loci ac Theodori ſucceſſore) quæ olim pertinuerant ad Abraham epiſcopum Hadetenſem, deinde ad Lazarum preſbyterum & monachum Tur-Abdinenſem, ex oppido Beth-Manhem, qui menſe Julio, die 8. anni Græcorum 1522. Chriſti 1211. hunc codicem aſſuit, &c. Hæc leguntur apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. p. 561.*

III. David.

C *David* Urimorum epiſcopus erat, anno Græcorum 1156. Chriſti 845. ſub Dionyſio Telmaharenſi Patriarcha, uti annotatur in fine codicis mſ. Syriaci, qui tomum primum operum ſancti Gregorii Nazianzeni complectitur. Sic enim habet, apud Aſſeman. *tom. 1. pag. 172.* Tomus primus operum Gregorii theologi, in quo triginta homiliæ continentur. Tranſtulit eum è Græco in Syriacum Paulus Cypri epiſcopus anno Græcor. 935. (Chriſti 624.) Scriptus autem fuit, hoc eſt, aſſutus & compactus anno Græcorum 1156. (Chriſti 845.) ſub Dionyſio Patriarcha Antiochiæ, & *Davide* epiſcopo Uremæ caſtri, quod apud Euphratem ſitum eſt.

Z

I. ECCLESIA ZABATRÆ.

Zabatra, quam Gregorius Bar-hebræus *Zabar* appellat, caſtrum Syriæ eſt Melitinæ & caſtro Manſur æqualiter diſtans. Ejus ſitum ſic Abulfeda deſcribit, *in deſcript. Syr. fol. 67.* apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph. Zabatra caſtrum eſt in finibus regionis Romæorum* (quo nomine Armeniam & Cappadociam comprehendit) *à Romæis dirutum, cujus ſitus in libro Longitudinum dicitur eſſe Longitudinis graduum 61. 20. Latitudinis 36. 50. Nunc autem Zabatra deſolata eſt & inculta, nec quidquam ex ea ſupereſt, præter murorum*

Digitized by Google

ECCLESIA ZABATRÆ.

veſtigia, quæ etiam magna ex parte deſiderantur. Sita eſt in planitie, montibus & ſilvis undequaque circumdata; abeſt autem à Melitina duabus fere manſionibus, & à caſtro Manſur totidem manſionibus, eſtque ad auſtrum Melitinæ, & ad occaſum caſtri Manſur: quod inter & ipſam mons nemuſque eminet. Ejus notitiam hauſimus, quum Melitinam menſe Moharramo anni Hegiræ decimi-quinti ſupra ſeptingenteſimum, (Chriſti 1316.) *in quem menſis Niſan* (id eſt Aprilis) *incidit, expugnavimus. Quo quidem menſe inter quercus in territorio Zabatræ lepores plurimos venati ſumus, quorum magnitudini pares nullos in Syria reperimus.* Ex quibus Abulfedæ verbis ejus ætatem diſcimus. Cæterum in cœnobiis juxta Zabatræ territorium ſitis, poſtquam diruta eſt, epiſcopus hujus loci commorabatur.

EPISCOPI ZABATRÆ.

I. JOANNES.

ANno 1280. Chriſti 969. *Joannes* Zabatræ epiſcopus, Joanni VII. Sarightæ Patriarchæ, Conſtantinopolim Nicephori Phocæ Imperatoris juſſu pergenti, comes adfuit, ipſo Joanne Patriarcha teſte in epiſtola ad Mennam Alexandrinum Coptorum Patriarcham eo anno ſcripta, apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 139.* Equidem in ea legitur, *& Joannes epiſcopus Ramatuæ,* at *Ramatuam* hic pro *Zabatra* poni obſervat idem Aſſeman. *ibid. in diſſert. de Monoph.* ex quarumdam litterarum Arabicarum confuſione, ob quam pariter *Abtuam* legit Renaudotius *Hiſtoria Patriarc. Alex. pag. 362.*

II. BASILIUS.

Athanaſius VIII. qui & Joſue Barchetre, Patriarcha electus anno Græc. 1450. Chriſti 1139. *Baſilium* Lacabenæ epiſcopum, poſt peractam pœnitentiam fornicationis ob quam fuerat depoſitus, cœnobiis *Zabar,* id eſt, ut exponit Aſſem. *tom. 2. in diſſert. de Monoph.* Zabatra diruta, non ipſi caſtro, ſed cœnobiis in ejus territorio poſitis, circa annum 1454. Chriſti 1143. epiſcopum præfecit. Eumdem deinde ad eccleſiam tranſtulit Sababarech, quam rexit per três annos. At quum hujus iterum flagitii accuſaretur, epiſcopatu dejectus eſt. *Ibid. & p. 361.*

II.

ECCLESIA ZAPHARANI.

ZAPHARANUM, celebre Jacobitarum cœnobium eſt, dictum etiam *Nataphæ,* aut *Natphæ,* & *S. Ananiæ,* haud procul ab urbe Marda. Ab Anania Mardæ epiſcopo quem Cyriacus Patriarcha anno Græcorum 1104. Chriſti 793. ordinavit, & ab Ignatio VIII. alias IV. Xenaia dicto, Partriarcha Mardæ electo anno Græcorum 1692. Chriſti 1381. inſtauratum fuit. Epiſcopi aliquando ſedes extitit, &, ut quidem videtur, Mardenſis, qui in Cartaminenſi quoque cœnobio interdum reſidebat. Leonardus Abel epiſcopus Sidonienſis ſcribit in ſua relatione apud Thomam à Jeſu, *lib. 7. de converſ. gent. p. 386.* Patriarchalem eccleſiam Jacobitarum eſſe in Meſopotamia extra civitatem Maredin in monaſterio Zaphram, Patriarcham vero in civitate *Caramit* commorari ſolitum, quia ibi commodius & tranquillius vitam degit. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph.* ubi de monaſterio S. Ananiæ, *& pp. 222. 229. 334. & 466.*

EPISCOPI ZAPHARANI.

SABA.

IGNATIUS VI. alias II. qui & Joannes Iſmaël Magedus nuncupatur, Patriarcha renuntiatus eſt anno Græcorum 1643. Chriſti 1332. in cœnobio Ananiæ, à pluribus epiſcopis, inter quos nominatur *Saba cœnobii Nataphæ.* Aſſemanus *p. 382.*

III.

ECCLESIA ZEUGMATIS.

DE *Zeugmate* Syriæ Euphrateſiæ oppido ſatis alibi dictum eſt. Zeugma *pontem* ſignificat, huic oppido inditum eſt iſtud nomen, eo quod ibi ponte Euphrates trajiceretur. Aſſemanus *tom. 2. in diſſertatione de Monophyſitis.*

Digitized by Google

ECCLESIA ZEUGMATIS.

EPISCOPI ZEUGMATIS.

I. Job.

Job epiſcopus Zeugmatis, anno Græcorum 1273. Chriſti 962. die 25. Maii in Teleda caſtro Abrahamo Patriarchæ manum impoſuit. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 351.*

II. Elias.

Joannem quoque IX. Patriarcham, anno Græcorum 1360. Chriſti 1049. Amidæ ordinavit *Elias* epiſcopus Zeugmatis. Aſſem. *ibid. & p. 354.*

MAPHRIANI, *ſeu* PRIMATES ECCLESIÆ JACOBITICÆ.

Maphrianus, dignitas eſt apud Jacobitas Patriarchali quidem inferior at metropolitica major. *Primatem* recte vertas. Orienti præſidet, hoc eſt, Chaldææ & Aſſyriæ, nec-non extremis Meſopotamiæ partibus, ſub Antiocheni Jacobitarum Patriarchæ poteſtate. Hoc Maphriani nomen, non à vocabulo Syro *Aleph* quod ſignificat *docere*, & in eo ſenſu *Malphono Doctor* eſt, ſed à voce *Aphri* qua *fecunditas* deſignatur, originem trahit, teſte Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph. n. 8.* Hinc *Maphriano* ſeu, ut Orientales Syri proferunt, *Maphriana* ſonat *fecunditatem tribuens:* quia nimirum Pater patrum eſt, & epiſcopus epiſcoporum Orientis, quos ipſe ordinat, ac veluti filios pater gignit. De Maphriani juriſdictione apud eam ſectam, prima inſtitutione, ac ſede, late Gregorius Bar-hebræus, qui fuit ipſe Maphrianus, diſſerit in chronico Syriaco, parte 3. ubi eorum ſeriem uſque ad ſuam ætatem ducit. Ex eo doctiſ. Joſeph Simonius Aſſemanus Syrus Maronita Maphrianorum catalogum nobis ſuppeditat, quem ſequar, interjectis hinc inde quæ alibi repperero.

Maphrianorum Jacobitarum exordium ab ipſomet Jacobo Zanzalo Baradæo, qui Edeſſenæ eccleſiæ ordinatus eſt epiſcopus anno Græcorum 852. Chriſti 541. arceſſere proclive foret, quippe quem narrat Gregorius Bar-hebræus apud Aſſem. *tom. 2. Bibl. Orient. pag. 327.* ab epiſcopis Monophyſitis *œcumenicum metropolitam* creatum, ut ubique ſcilicet metropolitico jure fungeretur. Is itaque quum in Orientem veniſſet, *Achudemem,* de quo mox dicemus, ei regioni metropolitam præfecit. Ex hoc tempore, inquit Bar-hebræus, apud eumdem Aſſem. *ibid. p. 414.* duo cœperunt eſſe in Oriente primates: unus *Neſtorianorum* qui tum Ezechiël erat, *Monophyſitarum* alter, qui primus Achudemes fuit, à quo ſuum Maphrianorum catalogum incipit idem Bar-hebræus. Obſervat tamen *ibidem* Aſſemanus, revera, neque *Achudemem*, neque ſucceſſores ejus *Kamjeſu* & *Samuëlem* inter Maphrianos Jacobitarum numerari debere, quia certam ſuæ dignitatis ſedem non habuerunt: ſed *Marutham* eorum primum eſſe, ut-pote qui in urbe Tagrito primatialem ſedem fixerit. Nihilominus, cum iiſdem Bar-hebræo & Aſſemano, ab Achudeme Maphrianorum *initium ducimus.*

I. Achudemes.

Achudemes primus Jacobitarum in Oriente metropolita.

A Achudemes, quem latinè *fratrem matris ſuæ* dixeris, inquit Aſſem. *p. 414.* à Jacobo Baradæo ordinatus fuit Orientis metropolita, an. Græcorum 870. Chriſti 559. quanquam ferunt alii eum à Chriſtophoro Armeniorum catholico antea inſtitutum fuiſſe epiſcopum Arabum. Quum autem Arabibus Scenitis Evangelium prædicaſſet, plurimoſque illorum adduxiſſet ad Chriſtianam fidem, multos ex eis ſacerdotes & monachos conſtituit, quibus duo condidit cœnobia, unum appellatum B *Ain-Kena*, alterum cognomento *Gavicatha* apud urbem Tagritum. In ea urbe puerum quemdam ex regia Perſarum ſtirpe baptizavit, impoſito ei Georgii nomine. Hinc autem Coſroës Anuſchervanus Perſarum rex gravi ira excandeſcens in Achudemem, caput illi amputari juſſit die 2. Aug. anno Græc. 886. Chr. 575. Ejus corpus in eccleſia Mahuzæ ſepultum eſt, quæ poſtea ejus nomen portavit. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Or. pp. 441. & 448.*

II. Kamjesu.

Kamjeſu, qui latinè ſonat *ſurrexit Chriſtus*, tertio poſt Achudemis cædem anno, quum Hormiſdas Coſroïs filius defuncto patri ſucceſſiſſet, metropolita Orientis inſtitutus eſt, anno ſcilicet Græcorum 889. Chriſti 578. Hic plures diverſis locis epiſcopos ordinavit qui Jacobiticam ſectam adverſus Neſtorianos tuerentur. Obiit in decrepita ætate anno Græcorum 920. Chriſti 609. Aſſemanus *ibid. pp. 414. & 416.* [illegible]

III. Samuel.

Quinto poſt Kamjeſu mortem anno, *Samuël* præfectus eſt Jacobitis metropolita in Oriente, anno nimirum Græcorum 925. Chriſti 614. Obiit vero anno 935. Chr. 624. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 416.* [illegible]

IV. Maruthas.

Quum præcedentes Jacobitarum in Oriente metropolitæ primatialem ſedem nullibi [illegible]

Digitized by Google

qui in urbe Tagrit fixit ſedem.

fixiſſent, *Maruthas* eorum primus eſt, qui urbem Tagritum elegerit, primus exinde Maphrianus Jacobitarum in Oriente numerandus. Sic autem peracta fertur ejus ordinatio. Anno Græcorum 940. Chriſti 629. pace firmata Siroëm Perſarum regem inter & Heraclium, Athanaſius I. cognomento Camelarius, qui electus fuerat Jacobitarum Patriarcha, anno 906. vel 908. Chriſti 595. vel 597. Joannem diaconum diſcipulum ſuum ad regem Perſarum ob negotia quædam domeſtica miſit. Is in cœnobium ſancti Matthæi apud novam Niniven quæ Moſul dicitur in Meſopotamia ſitum digreſſus, Chriſtophorum metropolitam, Adæumque archimandritam huic monaſterio præſidentes, cœnobitaſque rogavit, ut cum Patriarcha Athanaſio & Occidentalibus convenirent. Annuerunt illi; & Chriſtophorus quidem, epiſcopis quatuor finitimarum urbium, Georgio nempe Sigaræ, Danièle Nuhadræ, Gregorio Beth-Roman, & Jazdephane Sciaharzul accitis, eos, treſque ejuſdem cœnobii præſtantes monachos, *Marutham* ſcilicet, Aitallaham, & Acham, ſocios ſumpſit quibuſcum Patriarcham adiret, poſtulaturus ut aliquem eorum Orienti primatem præſtitueret. Athanaſius illos perhumaniter excepit, at quin precibus eorum ſatisfaceret obſtare dixit ſynodi Nicænæ canonem, quo *definitum eſt*, inquit, *ut defuncto metropolita magno Orientis, ipſi Orientales epiſcopi caput ſibi patremque communem ordinarent.* Hæc ſi dixerit Athanaſius, alludebat profecto ad canonem 38. collectionis Arabicæ decretorum Nicænorum, quam permirum eſt ipſo ſæculo ſeptimo fere ineunte, admiſſam apud Orientales fuiſſe. Ii igitur epiſcopi Orientales Marutham eligentes, eum metropolitam magnum in urbe Tagrito ordinarunt, univerſam Orientalem ſuæ ſectæ eccleſiam ipſi committentes, facienteſque poteſtatem inſtituendi metropolitam cœnobii S. Matthæi, qui ſupra cæteros epiſcopos, & infra ipſum Maphrianum ſedem haberet. Inſuper Aitallaham urbis Gumal, quæ in regione Maragæ extat, & Acham Pheroz-Saporis epiſcopos initiarunt. Poſthæc Maphrianus & metropolita cœnobii cum ſex illis epiſcopis in Orientem regreſſi, deſignaverunt *duodecim diœceſes ſub poteſtate Maphriani Tagritenſis. Nimirum 1. Arabiæ. 2. Singaræ. 3. Maaltæ. 4. Arzuni. 5. Gumal. 6. Beth-Raman, quæ & Beth-Razich. 7. Charmæ. 8. Gozartæ Carducæ. 9. Nuhadræ. 10. Pheroz-Sapor. 11. Sciaharzul. 12. Arabum Chriſtianorum, qui ſunt Taalabenſes Scenitæ. Metropolitæ autem cœnobii* ſancti Matthæi *unam tantum Ninives diœceſim aſſignarunt:* ſed quæ poſtea Maphriano quoque regenda tradita eſt.

A Ut autem ad Marutham revertamur: ex pago Sciurzak regionis Nuhadræ oriundus erat, primum monaſticæ diſciplinæ vacavit in cœnobio Nardi, ubi preſbyter initiatus eſt; mox petiit Callinicum, & in cœnobio S. Zachæ ſeu Nicolai apud eam urbem ſito viginti annos tranſegit. Inde in montem Edeſſæ migravit ut litteris operam daret, quibus perfecte inſtructus ad monaſterium ſe contulit ſancti Matthæi, ibique ritus & canones ordinavit. Verum quum poſt mortem Gabriëlis Singarenſis Jacobitæ, Coſroïs regis medici, B res hujus ſectæ in aula regis Perſarum deperirent, Cupham, quam Syri Akulam vocant, Arabiæ urbem profectus, in cella Raban-Saporis commoratus eſt. Reverſus in monaſterium ſancti Matthæi, Maphrianus, ut dictum eſt, conſecratus fuit, qua auctus dignitate, Tagritum perrexit, eamque urbem novis extructis cœnobiis & eccleſiis exornavit. Saracenis ea ætate regnum Perſarum vaſtantibus, ipſe arcem Tagritenſem ultro aperuit, ne quid ab illis detrimenti cives ſui pati cogerentur. Jacobitarum itaque numerus in Perſide miri- C fice auctus eſt. Sed & ingens Edeſſenorum multitudo, qui in eam regionem captivi abducti fuerant, domicilium in Segeſtana & Choraſana fixere, quibus duos epiſcopos præfecit, unum Segeſtanæ, Harnuæ alterum. Obiit tandem anno vigeſimo ſui epiſcopatus, Græc. ſcilicet 960. Chr. 649. die 2. Maii, & in majori eccleſia quam in arce conſtruxerat, ſepultus eſt. Ita ex Gregorio Bar-hebræo Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. pp. 418. 419. & 420.*

V. Denha I.

Denha I. ſecundus Jacobitarum Maphrianus.

D Maruthæ ſuffectus eſt *Denha*, cujus ordinationem ſic idem Bar-hebræus deſcribit, apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 421. Eodem anno quo Maruthas Maphrianus, deceſſit & Joannes Patriarcha Athanaſii præceptoris ſui ſucceſſor, eumque Theodorus Patriarcha excepit, qui Maphrianum Orienti ordinare deſiderans, quomodo Patriarcha Alexandriæ Abyſſinis metropolitam inſtituit, litteras hac de re ad epiſcopos & primates Orientis dedit, poſtquam eos ſibi conciliaſſet, eorumque conſenſum habuiſſet. (Namque fœdus cum ipſis ſanxerat litteris ſyſtaticis,* E *& epiſcoporum Occidentalium teſtimoniis firmatum, quod quum Patriarcha deceſſiſſet, Maphrianus electo manum imponeret; & ſicuti abſque Patriarcha Maphrianus, ſic abſque Maphriano Patriarcha haud quaquam eligeretur.) Tum vero Tagritenſes Denham diſcipulum Mar-Maruthæ elegerunt, & ad Patriarcham Theodorum adduxere, qui eum Tagrito, univerſoque Orienti Maphrianum ordinavit.* Is, quum decem annos ſediſſet, obiit die 3. Novemb. anno proinde Græc. 970,

Digitized by Google

Chriſti 659. & ſepultus eſt juxta Marutham A in eadem eccleſia.

Sedes vacat.

Barjeſu tertius Maphrianus.

VI. Barjesu.

Anno Græcor. 980. Chriſti 669. *Barjeſu* à Severo Bar-Maſche Patriarcha, Maphrianus ordinatus eſt, decem annis poſt deceſſum Denhæ, quibus ſedes vacavit. Eccleſiam ædificavit in urbe Tagrito in honorem SS. Sergii & Bacchi martyrum. Migravit ex hac vita die 17. Decemb. anni Græc. 995. (dicendum potius anni 994. Chriſti 683. quia Abraham B & David qui ei ſucceſſere per plures menſes, anno 995. Chriſti 684. obierunt, ut modo patebit) Sepultus eſt in eccleſia Arcis ejuſdem urbis. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 422.*

VII. Abraham I.

VIII. David.

Abraham quartus Maphrianus. David quintus Maphrianus.

Barjeſu excepit *Abrahamus,* cui paucis poſt menſibus decedenti *David* ſuffectus eſt ab Orientalibus epiſcopis. Is ſexto ſui epiſcopatus menſe ab epiſcopis Occidentalibus ad electionem novi Patriarchæ (qui fuit utique C Athanaſius II. dictus Baladenſis, in ſynodo Rheſinenſi electus anno Græc. 995. Chriſti 684.) evocatus, ibidem obiit eodem, ut videtur, anno. Aſſem. *ibid. pp. 429. & 478.*

Sedes vacat.

IX. Joannes I.

Joannes ſenex ſextus Maphrianus.

Poſt obitum Davidis vacavit ſedes Tagritenſis ſex annis, inquit Aſſem. *ibid.* ex Barhebræo. Verum hic errorem irrepſiſſe neceſſe eſt: nam mortem Barjeſu ipſe aſſignat *p. 422.* ad diem 17. Dec. anni Græc. 995. (994.) D huic autem ſucceſſiſſe ait *pag. 429.* Abrahamum & Davidem, quibuſdam menſibus: deinde ſedem vacaſſe ſex annis, ac *Joannem* qui poſtea ordinatus eſt, ſediſſe annum unum cum dimidio, & obiiſſe die 2. Januar. anni Græcor. 999. Oportet igitur Joannem iſtum ad dignitatem Maphriani evectum fuiſſe ad minus anno Græcorum 997. menſe Junii vel Julii. At ab anno 995. certe provecto, ſiquidem Abraham per aliquot menſes, & David ſex menſibus, in eo anno fuere Maphriani, ab eo, inquam, an. 995. fere elapſo, E uſque ad dimidium anni 997. palam eſt non fluxiſſe niſi annum unum cum ſex, ſeptem aut octo menſibus. Id quoque emendat Aſſemanus infra *p. 478.* & pro ſex annis ſeſqui annum ſubſtituendum monet. Porro toto tempore quo ſedes Tagritenſis vacavit, cœnobii ſancti Matthæi metropolita erat *Joannes Saba,* ſeu *Senex,* qui à monachis rogatus ut paſtores eccleſiis Orientis præficeret, negavit ſibi hanc poteſtatem eſſe, ſed adhibendam dixit ab iis operam ut Maphrianus in locum Davidis crearetur, ad quem earum eccleſiarum cura regimenque jure ſpectabat. Hac reſponſione offenſi cœnobitæ, de Joanne ab epiſcopatu dejiciendo cogitare cœperunt. Scriptis itaque ad Athanaſium II. Patriarcham litteris, Joannem aſſeruerunt ſenio confectum à regimine cœnobii ſe ſponte ſubduxiſſe, ſucceſſorem proinde poſtulantes qui ejus locum impleret. Patriarcha deceptus, epiſcopum ad ipſos miſit, quem ii cum incredibili pompa in cœnobium deduxere; Joannes autem in monaſterium *Beth-Urba,* quod apud Tagritum urbem ſitum eſt, ſe recepit. Sed quum peſtilens morbus cœnobitas monaſterii S. Matthæi corripuiſſet, octogintaque ex illis extinxiſſet unius hebdomadæ ſpatio, novus epiſcopus ad Patriarcham regreſſus eſt. Tunc vero monachi, agmine facto, Joannem ſeniorem adierunt, veniam ab eo petentes, qui benedictione quidem ſua illos donavit, non tamen adduci potuit ut in ipſorum monaſterium rediret. Congregatis nihilominus in urbe Tagrito ſex epiſcopis, *Joannes* in Maphrianum Orientis aſſumptus eſt. Ejus opera Meſopotamiæ epiſcopi, (quos Severus Bar-Maſche Patriarcha cunctorum ſibi ordinationem epiſcoporum arroganti repugnantes anathemate perculerat, eodem viciſſim ab iis anathemate perculſus per 4. annos, ſcilicet uſque ad ipſius mortem,) cum Athanaſio II. ejus ſucceſſore reconciliati ſunt. Sedit annum unum cum dimidio, in quibus tres epiſcopos ordinavit. Obiit die 2. Jan. an. Græc. 999. Chr. 688. & ſepultus eſt in eccleſia SS. Sergii & Bacchi martyr. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. pp. 335. 429. & 430.*

X. Denha II.

XI. Bacchus.

Denha II. ſeptimus Maphrianus. Bacchus octavus Maphrianus.

Denha hujus nominis II. ann. Græcorum 999. Chriſti 688. die 13. Martii ab epiſcopis Orientalibus Maphrianus ordinatus, eccleſiam Achudemæ nuncupatam Tagriti ædificavit, quam inter catholicas hujus urbis voluit eſſe tertiam, quia duas alias in eadem urbe Maruthas & Barjeſu Maphriani conſtruxerant. Eo tempore Julianus II. Athanaſii II. Patriarchæ ſucceſſor, qui electus fuerat eodem Græc. anno 999. Chriſti 688. Tagritenſem eccleſiam cum Antiochena ejuſdem ſectæ conciliare deſiderans, epiſcopos & optimates Orientis, nequicquam reclamante Denha Maphriano, per litteras induxit, ut ſublato ſchiſmate ad unitatem redirent. Cauſa porro hujus ſchiſmatis fuerat, quod Athanaſius II. Patriarcha abſque Orientalium conſenſu, ad monachorum ſancti Matthæi ſupplicationem, metropolitam in locum Joannis ſenioris ſubſtituiſſet, ut ſupra dictum eſt. At peracta

Digitized by Google

peracta unione, in Denham quæſitum eſt, cui, quum ſe ſubmittere detrectaret, Patriarcha, ex ſynodi à ſe coactæ decreto, *Bacchum* Akulæ epiſcopum ſubrogavit. Hunc Bacchum Aſſemanus inter Maphrianos non computat. Quippe quod Denha, qui cœnobium Kenſerinenſe petierat, ibique per duos manſerat annos, ab Elia Juliani ſucceſſore, Patriar. proclamato anno Græc. 1020. Chriſti 709. ſuæ dignitati reſtitutus fuerit, quam tenuit univerſim annis quadraginta, obiitque die 19. Oct. anni 1039. Chr. 728. ſepultus in eccleſia quam ipſe conſtruxerat. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 430.*

XII. Paulus.

Paulus nonus Maphrianus.

Paulus preſbyter cœnobii *Canoſciæ*, quod in ditione Sigaræ ſitum eſt, poſt Denhæ mortem, ab Athanaſio III. Patriarcha electo anno Græcorum 1035. Chriſti 724. in Maphrianum ordinatus, Tagritenſes, cæteroſque Orientales inter ſe & cum Occidentalibus reconciliavit. Obiit vero anno Græcor. 1068. Chriſti 757. die 5. Martii, quum ſediſſet annis 29. & ſepultus eſt in eccleſia Arcis. *Sub eo mortui ſunt,* inquit Gregorius Barhebræus, *duo Patriarchæ, Athanaſius* (III.) *ſcilicet & Joannes* (II.) *& ſecundo poſt hujus obitum anno creatus fuit Georgius, (anno nimirum Græcorum 1070.* Chriſti 759.) Quibus verbis palam eſt ipſum prætermittere Iſaacum & Athanaſium IV. Joannis III. ſucceſſores, qui ante Georgium Patriarchæ renuntiati fuerant, ab anno 1066. Chriſti 755. uſque ad annum 1070. Chriſti 759. tanquam illegitimos Patriarchas. Aſſem. *ibid. p. 430.*

Sedes vacat.

XIII. Joannes II.

XIV. Joseph.

Joannes II. decimus Maphrianus. Joſeph undecimus Maphrianus.

Joannes Bionita ex monacho cœnobii S. Matthæi, in ſynodo epiſcoporum Orientalium, quæ propter Jonam Gulmargæ præſulem in monaſterio Canoſciæ habebatur, Maphrianus renuntiatus eſt, & ad Georgium Patriarcham remiſſus ut conſecrationis munus ab eo acciperet. Inde reverſus præfatum Jonam qui ſynodi decretum ſpernebat, damnavit. Eo tempore Georgius Jacobitarum, Theodoretus Græcorum, & Jacobus Neſtorianorum Patriarchæ, in carcerem juſſu Califæ Bagdadenſis propter diverſas accuſationes conjecti fuere, nec niſi poſt novem annos ſub hujus Califæ ſucceſſore, Cypriani opera Niſibis Neſtorianorum metropolitæ, libertate donati ſunt. Tunc autem Georgius Tagritum veniens, Joannem Maphrianum, quem cives multorum criminum reum peragebant, cognita ejus cauſa exauctoravit, ſubrogato *Joſepho,* cui Joannes paucis ſolum menſibus ſupervixit. Aſſem. *to. 2. p. 432.*

XV. Sarbelius.

Sarbelius duodecimus Maphrianus.

Joſepho paucis quoque menſibus poſt ſuam ordinationem mortuo, *Sarbelius* epiſcopus Carſabachæ, à Cyriaco Patriarcha electo anno Græc. 1104. Chriſti 793. ad Maphriani dignitatem promotus eſt. Tagritenſes cum Matthæanis reconciliaverat. Gradum poſt aliquot annos dimiſit, ut ſeſe in cellula quam ſibi Carſabachæ extruxerat, includeret. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Or. p. 434.*

XVI. Simeon.

Simeon decimus-tertius Maphrianus.

Sarbelio *Simeon* Cyriaci præfati diſcipulus in Bediæ pago natus, ſuffectus eſt, quem tamen hic Patriarcha, propter Tagritenſium quorumdam, & Philoxeni Niſibis epiſcopi accuſationes, deponere coactus fuit. *Ibid.*

XVII. Basilius I.

Baſilius I. decimus-quartus Maphrianus.

Baſilius Baladenſis Simeoni ab eodem Cyriaco Patriarcha ſubſtitutus, decimo epiſcopatus ſui anno ex urbe Tagrito in patriam ſeceſſit, ut Mohammedanorum vexationes declinaret. Anno Græc. 1129. Chriſti 818. ſynodo Callinicenſi interfuit, in qua Dionyſius I. dictus Telmaharenſis, chronici auctor, poſt mortem Cyriaci, Patriarcha renuntiatus eſt. Quum autem ei manum vellet imponere, Tagritenſes apud epiſcopos Occidentales egerunt, ut non is qui ex Balada oriundus erat, ſed Theodoſius Callinici epiſcopus ipſorum civis, electum ordinaret. Obiit anno Græcorum 1141. Chriſti 830. in cœnobio Hanikitarum, prope Baladam, ibique ſepultus eſt. Aſſem. *ibid.*

XVIII. Daniel.

Daniël decimus quintus Maphrianus.

Daniël iſte à Dionyſio Patriarcha poſt Baſilii mortem Maphrianus ordinatus eſt eodem anno Græcorum 1141. Chriſti 830. Sedit annos quatuor, & Niſibi diem clauſit extremum an. 1145. Chriſti 834. ſepultuſque eſt Tagriti in eccleſia Achudemæ. *Ibid. p. 436.*

XIX. Thomas I.

Thomas I. decimus-ſextus Maphrianus.

Thomas Tagritenſis, monachus cœnobii Severi in monte Edeſſæ, ab eodem Dionyſio Patriarcha Maphrianus conſtitutus eſt. Quum autem Tagritum veniſſet, Georgium Beherinenſem epiſcopum, qui diœceſim Charmæ uſurpaverat, damnavit. Charmenſes porro Georgii cauſam ſuſcipientes Maphrianum à præſide in carcerem mitti curarunt, ex quo tamen octo poſt menſibus declaratus innocens exivit. Georgius ille ad extremum à fide Chriſtiana defecit. Obiit Thomas Sabbato

Digitized by Google

die 8. Maii, an. Græc. 1158. vel potius 1157. A Chr. 846. quo dies 8. Maii in Sabbatum incidit, ut obſervat Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 437.*

XX. Basilius II.
XXI. Melchisedech.

Baſilius II. decimus-ſeptimus. Melchiſedech decimus-octavus Maphriani.

Baſilius hujus nominis ſecundus, Lazarus Stylita antea dictus, ſuper columnam Beth-Batim ditionis Haran commorabatur, quando à Joanne III. Dionyſii I. ſucceſſore qui Patriarcha electus fuit anno Græcor. 1158. Chriſti 847. ordinatus eſt Maphrianus Orientis in eccleſia ſancti Thomæ, Caphartutæ, B die 3. Sept. anni Græcor. 1159. Chriſti 848. Decimo epiſcopatus ejus anno gravis ipſum inter & Joannem Patriarcham contentio orta eſt, adeo ut Tagritenſes Patriarchæ nomen è diptychis expunxerint, & Baſilius, amotis tribus quos Patriarcha ordinaverat epiſcopis, Callinici ſcilicet, Haran, & Rheſinæ, alios inſtituerit. Res tandem eo devenit, ut ſynodum uterque in ſua ditione coëgerit ad ſeſe mutuo deponendos. Cauſa ad Motuacchelum Chaliſam delata, Patriarcha victor evaſit, quumque Tagritum veniſſet, *Melchiſedech* C clam in locum Baſilii ordinavit. Baſilius vero Tagrito Niſibin profectus alterum Joanni Patriarcham ſubrogare meditabatur, opera præſertim Occidentalium quorumdam epiſcoporum qui Joannem oderant, ſed morte præventus eſt Sabbato die 17. Oct. anno Græc. 1180. poſtquam annos viginti cum menſe ſediſſet. Mendum eſſe in numero obſervat Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 437. in nota 2.* quia anno Græc. 1180. Chriſti 869. dies 17. Octob. in feriam quartam incidit, non in Sabbatum. Et certe, ut ſtet Baſilium ſediſſe viginti annos & unum D menſem, debuit excedere ex hac vita anno Græcorum 1179. Chriſti 868. fortaſſis die 8. Octobris quæ eo anno Sabbatum erat. Melchiſedech autem quadrageſimo ab obitu Baſilii die deceſſit. Pax ſubinde firmata eſt ineunte anno Græcorum 1180. Chriſti 869. quo ſynodum Orientalium & Occidentalium epiſcoporum in urbe Caphartuta Joannes Patriarcha indixit. In ea octo canones conditi ſunt ad Patriarcham & Maphrianum ſpectantes: ut ſcilicet Maphrianus primum à Patriarcha locum ſupra omnes præſules Occidenta- E les obtineret, electoque Patriarchæ imponeret manum. Abſolutus præterea cum ſuis Baſilius fuit à cenſuris quibus illos innodaverat Joannes, & epiſcopi quos idem Baſilius Callinico, Haran, & Rheſinæ præfecerat, alias ſedes vacuas impleverunt. Aſſem. *ibid.*

Sedes vacat.

XXII. Sergius.

Sergius decimus-nonus Maphrianus.

Anno Græcorum 1183. Chriſti 872. in eccleſia S. Thomæ Tagritenſium Callinici *Sergius* monachus cœnobii Aluch, Maphrianus ordinatus eſt. Is quum ad ſynodum quæ anno 1189. Chriſti 878. pro electione Ignatii I. Patriarchæ habita eſt in cœnobio Callinicenſi ab epiſcopis Occidentalibus invitatus non fuiſſet, ejuſdem Ignatii nomen prædicari in Oriente vetuit reliquo vitæ ſuæ tempore. Sed & inter ipſum & Tagritenſes diſſidium non leve emerſit, eo quod Elizæo & Barhadbeſciabæ epiſcopis illegitime ordinatis ab epiſcopo cœnobii S. Matthæi diœceſes conceſſiſſet; illos enim Joannes Patriarcha & Baſilius Maphrianus ſuſpenſos denuntiarant, Melchiſedech vero Maphrianus in eorum locum alios conſtituerat epiſcopos. Hinc igitur Tagritenſes in Sergium commoti, ejus nomen expunxerunt è diptychis. Is autem obiit die 11. Novemb. anno Græc. 1194. Chriſti 883. Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. p. 439.*

Sedes vacat.

XXIII. Athanasius I.

Athanaſius I. qui & Sergius vigeſimus Maphrianus.

Sergio *Sergius* ſucceſſit, patria Tagritenſis, monachus in cœnobio Severi, quod in monte Edeſſæ ſitum eſt. Tertia die poſt ordinationem Theodoſii patriarchæ, ab eodem ordinatus eſt Amidæ, die ſcilicet 8. Februar. anno Græcorum 1198. Chriſti 887. ſublato ſchiſmate quod Sergius ipſius prædeceſſor invexerat. Nomen *Athanaſii* aſſumpſit. Ejus tempore ſchiſma aliud exarſit præcedenti longe gravius. Haſſaſinitæ enim qui ditionis Tagritenſis erant, ab ipſo receſſerunt. Cauſa fuit quæſtio à centum fere annis ſub Georgio Patriarcha circa annum Græcor. 1101. Chriſti 790. agitari cœpta, de iis verbis in liturgia Syriaca in fractione hoſtiæ contentis, *Panem cæleſtem frangimus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti;* Hæc ſcilicet nonnulli tanquam uſu recepta, retinenda eſſe affirmabant; alii è contra contendebant eſſe tollenda, ut-pote quibus *Panem cæleſtem,* id eſt corpus Chriſti, ſive Chriſtum ipſum, alium à Filio Dei eſſe ſignificari exiſtimabant. Georgius quidem ea verba, neque probans, neque condemnans, permiſerat ut unuſquiſque quid ſibi videretur faceret, modo nulla contentio eorum occaſione in eccleſia excitaretur. Synodus pariter in Beth-Botin ditionis Haran à Cyriaco habita qui ea verba abrogari volebat, decrevit ne quid in liturgia innovaretur, ſed unuſquiſque iis verbis pro ſuo libitu uteretur: ob eam itaque quæſtionem Haſſaſinitæ in Athanaſium Maphrianum ſuum tumultuati ſunt, & Gubenſibus ſe conjungentes, quibuſcum jam propter eadem verba à Cyriaco, Dionyſio & Joanne III. Patriarchis excommunicati fuerant, in apertum ſchiſma proru-

Digitized by Google

pere: Zebinam quippe ejuſdem Johannis di- A ſcipulum in Patriarcham ſibi conſtituerunt: Zebina vero Pheraam ordinavit metropolitam Haſſaſſinitidis regionis, id eſt Maphrianum, qui Bar-Naſicham Moyſis Barcephæ diſcipulum urbi præfecit Moſul. Zebina autem, ut eccleſiam in urbe Tagrito ſuis aſſeclis procuraret, Vizirum, id eſt proregem hujus civitatis adiit, ſed Athanaſii Maphriani opera repulſus eſt. Duravit id Haſſaſſinitarum ſchiſma uſque ad annum Græcor. 1489. Chr. 1178. quo à Michaële I. Patriarcha cum eccleſia Jacobitica reconciliati ſunt. Obiit demum B Athanaſius die 27. Decembris anno Græc. 1215. Chriſti 904 & ſepultus eſt Tagriti in eccleſia SS. Sergii & Bacchi martyrum. Vacavit ſedes octo (vel potius ſeptem) annis. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph. n. 7. in fine, &* ubi de Haſſaſſinitide regione; & *pp. 341. 342. & 440.*

Sedes vacat.

XXIV. THOMAS II.

Thomas II. vigeſimus-primus Maphrianus.

Thomas Stylita in monte Edeſſæ morabatur, quum à Joanne IV. Patriarcha electo C anno Græcor. 1221. Chriſti 910. Maphrianus ordinatus eſt anno Hegiræ 298. Græc. 1222. Chriſti 911. Sed quarto poſt menſe iu urbe Tagrito deceſſit, & in eccleſia Achudemæ ſepultus eſt. Vacavit ſedes annis duobus. Aſſem. *ibid. p. 441.*

XXV. DENHA III.

Denha III. vigeſimus-ſecundus Maphrianus.

Denha hujus nominis tertius, jam preſbyter erat, quando ab eodem Joanne Patriarcha anno Heg. 300. Græcor. 1224. Chriſti 913. in Maphrianum promotus fuit. Sedit D annis viginti, quibus undecim epiſcopos conſecravit. Obiit die 18. Julii anno Heg. 320. Græcorum 1244. Chriſti 933. & in eccleſia Achudemæ Tagriti ſepultus eſt. Aſſem. *ibid.*

XXVI. BASILIUS III.

Baſilius III. vigeſimus-tertius Maphrianus.

Baſilius hujus nominis III. Niſibi oriundus, diaconus, anno Hegiræ 325. Græcor. 1248. Chriſti 937. ad Maphriani dignitatem evectus eſt. Sedit annis 24. quibus epiſcopos duodecim ordinavit. Obiit die 11. Auguſti Hegiræ 349. Græc. 1272. Chriſti 961. & E ſepultus eſt in eccleſia Achudemæ. Aſſemanus *ibidem.*

XXVII. CYRIACUS.

Cyriacus vigeſimus-quartus Maphrianus.

Cyriacus, qui & *Horanus*, preſbyter eccleſiæ Tagritenſium in urbe Niſibi ſitæ, à Patriarcha Abrahamo qui in Teleda caſtro die 25. Maii anno Græcor. 1273. Chriſti 962. ordinatus fuerat, eodem anno menſe Aug. exeunte, in urbe Alepo ad Maphriani ſedem promotus eſt. Obiit Tagriti die 27. Februar. anno Hegiræ 369. Græc. 1291. Chr. 980. quum ſediſſet annos 18. & quatuordecim epiſcopos conſecraſſet. Sepultus eſt in eccleſia ſanctorum Sergii & Bacchi martyrum. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Or. p. 442.*

XXVIII. JOANNES III.

Joannes III. vigeſimus-quintus Maphrianus.

Joannes, qui & *Dinara Bar-Jeſu*, parentibus Tagritenſibus Damaſci natus, ex diacono preſbyter & Maphrianus à Joanne VII. cognomento Sarighta qui patriarchalem dignitatem ſuſcepit die 9. Julii anno Græc. 1276. Chriſti 965. ordinatus eſt in urbe Germanicia die 7. Aug. anno Hegiræ 370. Græc. 1291. Chriſti 980. Obiit Bagdadi die 18. Aprilis, anno Græcorum 1299. Chr. 988. poſtquam annos (non *ſex cum menſibus ſex*, ut ſcribit Bar-hebræus, inquit Aſſeman. ſed) ſeptem cum menſibus 8. & diebus 11. Corpus ejus Tagritum tranſlatum eſt, & in eccleſia Achudemæ conditum. Vacavit ſedes tres circiter annos. Aſſem. *ibid. p. 443.*

XXIX. IGNATIUS I.

Ignatius I. vigeſimus-ſextus Maphrianus.

Ignatius hujus nominis I. qui & *Marcus Bar-Chichi*, ex archidiacono Moſulanæ Tagritenſium eccleſiæ, ab Athanaſio V. Salachenſi Patriarcha electo anno Græc. 1298. Chriſti 987. in Maphrianum ordinatus eſt in cœnobio Bared, die 19. Febr. anno Græc. 1302. Chriſti 991. Quum anno Heg. 392. Græc. 1313. Chriſti 1002. fer. 2. hebdom. 2. Quadrageſimæ, Mahometani eccleſiam Jacobitarum Bagdadi ſitam ſuccendiſſent, direptis etiam Neſtorianorum ejuſdem urbis eccleſiis ac cœnobiis, eò petiit Ignatius Maphrianus anno Hegiræ 394. Chriſti 1004. ut ſuæ ſectæ eccleſiam repararet. A Neſtorianis æque ac Jacobitis perhonorifice exceptus fuit, tam propter eruditionis ſuæ famam quam propter ejuſdem patruum Thomam Bezzam, Petri filium, qui in ea civitate plurimum apud principes infideles pollebat. Inde autem Joannes Neſtorianorum Patriarcha, invidia motus, à Chalifa edictum obtinuit, quo cavebatur, *ut ſolus Neſtorianorum Catholicus ſedem Bagdadi perpetuo figeret; Jacobitarum vero metropolita Tagriti ſederet: ſed quotieſcumque id neceſſitas poſtularet,* Bagdadum *peteret ſuoſque populares viſitaret, deinde ad ſuam ſedem ſe reciperet.* At poſtquam annos 25. Ignatius Maphriani munia obiiſſet, epiſcopoſque conſecraſſet quatuordecim, in adulterio deprehenſus, Mahometanam ſectam Bagdadi amplexus eſt, cujus tamen ſceleris pœnitentiam egiſſe fertur: idque colligitur ex quodam ejus carmine Syriaco, ubi hæc ait; *Væ mihi, qui veritate relicta ſomnium*

dilexi.... *Lætifica in me, Domine, glorioſos cæleſtium cœtus, qui ſimul gaudent ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Luctuoſus hic Ignatii Maphriani lapſus contingere debuit an. Græc. 1327. Chriſti 1016. & datus eſt ei ſucceſſor Athanaſius, de quo nobis modo dicendum. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. pp. 443. & 444.*

XXX. Athanasius II.

Athanaſius II. vigeſimus-ſeptimus Maphrianus.

Athanaſius hujus nominis ſecundus, qui & *Abdelmeſſias* vocabatur, diaconus Edeſſenus, Ignatio Maphriano ad Mahumetanam ſectam tranſlato ſuffectus eſt. Orientales enim epiſcopi illum Joanni VIII. Abdonis filio, Patriarchæ electo anno Græcor. 1326. Chriſti 1015. obtulerunt, qui eum epiſcopum & Maphrianum ordinavit, anno Græcorum circiter 1338. Chriſti 1027. Is Dionyſium IV. cognomento Haie, Joannis VIII. ab anno 1345. Chriſti 1034. ſucceſſorem, profugum, & Tagriti ſub ſpecie monachi latitantem, perhumaniter excepit, effecitque ut ab epiſcopis, qui ejus inthronizationi hactenus obſtiterant, proclamaretur. Obiit anno Græcorum 1352. Chriſti 1041. quum annos quatuordecim ſediſſet, novemque creaſſet epiſcopos. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 447.*

XXXI. Basilius IV.

Baſilius IV. vigeſimus-octavus Maphrianus.

Athanaſio ſucceſſit *Baſilius* hujus nominis quartus, patria Tagritenſis, Cavadæ filius, anno Græcorum 1357. Chriſti 1046. ab Orientalibus epiſcopis ordinatus, vacante tum, poſt Dionyſii IV. mortem Patriarchali Jacobitarum ſede. Ad ſynodum quam anno 1360. Chriſti 1049. congregaverunt Occidentales epiſcopi pro electione Patriarchæ, nec Maphrianus, nec ejus epiſcopi invitati ſunt, eo quod promotionem Maphriani, uſque ad hanc Patriarchæ electionem, differre recuſaſſent. Joannes IX. tamen, cognomento Theodorus, qui Patriarcha renuntiatus eſt, Baſilium per litteras, ad unionem mutuo ſervandam inter epiſcopos utriuſque tractus, hortari non deſtitit, donec Gozartæ habito ſimul colloquio pax inſtaurata eſt, confirmatumque denuo, quod, nec ſine Maphriano Patriarcha, nec ſine Patriarcha Maphrianus ordinaretur. Obiit Baſilius anno Græcorum 1370. Chriſti 1059. & vacavit ſedes annis 16. Aſſem. *ibid. pp. 447. & 478.*

Sedes vacat.

XXXII. Joannes IV.

Joannes IV. vigeſimus-nonus Maphrianus.

Joannes, qui & *Saliba,* monachus cœnobii S. Gabrielis in pago Severino natus, ſexto-decimo ab obitu Baſilii anno, à Baſilio II. Patriarcha electo anno Græc. 1385. Chriſti 1074. ordinatus eſt Maphrianus, anno ſequenti, in cœnobio Cartaminenſi, Niſibena diœceſi ejus ditioni addita, confirmatiſque mutuo pactis, ne ſcilicet Occidentales epiſcopi abſque Maphriani præſentia & conſenſu Patriarcham eligerent. Moſul inde profectus, Timotheum, cognomento Sogdes, metropolitam cœnobii ſancti Matthæi conſtituit. Mox Bagdadum ivit, ac Tagritum. Quum autem Dionyſius VI. adverſus Joannem XI. Abdonem dictum, ſedis invaſorem, Patriarcha renuntiatus fuiſſet anno Græcor. 1399. Chriſti 1088. poſt mortem ſcilicet Baſilii II. & duorum ejus ſucceſſorum Dionyſii V. & Joannis XII. Maphrianus Joannes, multique alii epiſcopi, coacta ſynodo Joannem Abdonem & Dionyſium qui de Patriarchatu contendebant, primum damnarunt utrumque: poſtea tamen, è duobus malis minus eligentes, Dionyſium receperunt Abdone rejecto. Dionyſii cauſam maxime juvit Maphrianus, cui ille Niſibenam diœceſim confirmaverat: effecit etiam ut idem Dionyſius in Zarnukæ cœnobio apud Melitinam ſito uſque ad obitum ſecurus habitaret. Athanaſium pariter VII. qui ei ſubſtitutus eſt anno Græc. 1402. Chriſti 1091. deduxit Bagdadum, eique diploma Patriarchatus à Califa obtinuit. Eccleſia Tagritenſi, quæ Achudema vocabatur, ab Arabibus direpta, Joannes Tagrito Moſulum ſe contulit, ibique in eccleſia S. Zainæ annos undecim moratus eſt. Obiit tandem anno Græcorum 1417. Chriſti 1106. die 2. Martii, anno ſui epiſcopatus, ſupra triginta, uno. In eadem eccleſia ſepultus fuit, & vacavit ſedes ſex annis, cum quinque menſibus. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. p. 448.*

XXXIII. Dionysius I.

Dionyſius I. trigeſimus Maphrianus.

Dionyſius, qui & *Moyſes* monachus, ab Athanaſio VII. Patriarcha, anno Græcorum 1423. Chriſti 1112. in feſto migrationis Deiparæ ad Maphriani ſedem evectus eſt. Primus fidei profeſſionem coram Patriarcha emiſit. A Sogde metropolita cœnobii ſancti Matthæi, & Abulfaragio Moſulano presbytero, qui Abuſciacherum Tagritenſem presbyterum, Maphrianum conſtituere conabantur, Ninive, Niſibi, finitimiſque locis excedere coactus, Tagritum, licet deſtructum, petiit, ac novis, Califæ obtenta licentia, ornavit ædificiis. Mortuo Athanaſio Patriarcha, qui monachos cœnobii ſancti Matthæi cum ipſo reconciliaverat, Joannem XIII. cognomento Maudianam, anno Græc. 1440. Chr. 1129. die 17. Februar. ordinavit Patriarcham. Mox Hieroſolymam profectus, contentionem aliquam cum Joanne I. Mardenſi epiſcopo habuit. Inde Gozartam Cardoam regreſſus, epiſcopum quendam Tur-Abdinenſem huic

Digitized by Google

urbi præfecit. Niniven poſtea adiit, ſanctique Matthæi cœnobium; eo enim tempore, Zacchæus Arzuni epiſcopus eccleſiam Ninives invaſit, Barbutela vero hujus monaſterii archimandrita, ſubornato Moſulano præſide, Maphrianum compulit ut ſe ejuſdem monaſterii metropolitam crearet. Athanaſio VIII. qui poſt Joannis XIII. mortem, Patriarcha electus eſt, Amidæ manum impoſuit, anno Græcor. 1450. Chriſti 1139. Quum autem Bagdadum veniſſet, ubi ab Ebed-Jeſu Neſtorianorum Patriarcha perhumaniter ſuſceptus eſt, paulo-poſt obiit anno 1453. Chriſti 1142. die 17. Junii. Annis fere triginta ſederat, & præter duos Patriarchas ſupra relatos, epiſcopos novem ordinaverat. Corpus ejus Tagritum tranſlatum eſt, & in eccleſia S. Georgii ſub altari Barſumæ, quod ipſe extruxerat, conditum. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Or. p. 449.*

XXXIV. Ignatius II.

Ignatius II. trigeſimus-primus Maphrianus.

Ignatius hujus nominis II. cognomento *Lazarus*, Haſani preſbyteri Ebræ caſtri regionis Gubæ filius, monachus cœnobii Sergii, ab Athanaſio VIII. Bar-Chetre Patriarcha in cœnobio Aaron Sigaræ Maphrianus promotus eſt, anno Græcorum 1454. Chriſti 1143. Vitandæ hujus dignitatis cauſa ſuam Arabicæ linguæ ignorantiam attulerat; ſed auditus non fuit. Melitinæ, Amidæ, Moſuli, in cœnobio ſancti Matthæi, & Bagdadi à Jacobitis perhonorifice exceptus fuit: quin & ab ipſo etiam Ebed-Jeſu Neſtorianorum Patriarcha. Venit poſtea Tagritum, ibique Arabicum brevi idioma didicit. Anno 1463. Chriſti 1152. præfatum Athanaſium in caſtro Zaidi commorantem adiit, rogaturus ut cœnobium S. Matthæi cujus metropolita obierat, Maphriani juriſdictioni ſubjiceret: cœnobium enim illud, Niniven, & Tagritum in unam Maphriani diœceſim conjungi cupiebat. Tagritenſes è contra veriti, ne in urbe Ninive, aut in cœnobio ſancti Matthæi Maphrianus ſedem figeret, antiqua illarum eccleſiarum jura conſervari poſtulabant. Athanaſius porro nihil innovandum cenſuit. Ignatius itaque, qui nihil prætermittebat ut conſilium ſuum perficeret, ad ſynodum à Joanne I. Mardæ epiſcopo anno Græc. 1464. Chriſti 1153. convocatam acceſſit, ejuſque auxilio, ac Moſuli præfecti mandatis, Ninivitas, & cœnobii ſancti Matthæi monachos compulit, ut ſibi tanquam ſpeciali eorum epiſcopo obedientiam exhiberent. Hoc modo Moſulanam diœceſim, quæ cœnobium illud & Niniven complectebatur, Tagritenſi copulavit, quam unionem confirmavit Athanaſius anno 1466. Chriſti 1155. in ſynodo habita in cœnobio Barſumæ. Hoc eodem anno duo oratoria conſtruxit, unum Bartelæ quod caſtrum eſt regionis Niniviticæ, alterum Bagdadi apud S. Thomæ eccleſiam. Anno 1470. Chriſti 1159. Abraham preſbyter, eoquod repudiata uxore ſua alteram deduxiſſet, à Maphriano depoſitus eſt. Is vero ira commotus Maphrianum apud Arabes Moſulanos accuſavit, quod Mahometanorum filias Chriſtianis viris matrimonio conjungi præciperet. Calumniam fulciebat quadam epiſtola ejuſdem qua, à preſbyteris pagi Tel-Aphar conſultus de filia alicujus apoſtatæ, cum viro fideli contrahente matrimonium an in eccleſia de more benediceretur, reſponderat benedici debere, niſi ipſa ſectam Mahometanam amplexa fuiſſet. Ea de cauſa Moſulani principes puellam in carcerem miſerunt, mortem illi comminantes, niſi patris ſui religionem ſequeretur: Maphrianum pariter gravioribus affecerunt ſuppliciis. Verum Abrahamo poſt 40. dies ſubitanea morte ſublato, utrumque liberum dimiſerunt, & puella quidem Hieroſolymam profecta monaſticum habitum induit, Maphrianus autem Niniven ſe recepit, cujus incolæ Jacobitæ trecentos denarios præſidi, pro ejus liberatione perſolverant. Anno 1472. Chriſti 1161. idem Maphrianus à Gemaleddino Moſuli Viziro ad Georgium Iberorum regem delegatus eſt pro redemptione captivorum Mahometanorum, quos ille è ditione Arabum abduxerat. Tandem anno 1475. Chriſti 1164. cœnobium Barſumæ petens, morbo correptus apud Anchalum regionis Niſibenæ vicum, ibidem deceſſit die 14. Junii. Sederat unum & viginti annos, corpus ejus cum cimeliis in cœnobium Ananiæ à diſcipulis deportatum fuit, ubi illud ſepelierunt. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. pp. 450. 451. & 452.*

XXXV. Joannes V.

Joannes V. trigeſimus-ſecundus Maphrianus.

Joannes Sarugenſis, cœnobii Jacobi in monte Edeſſæ inſtaurator & archimandrita, anno Græcorum 1476. Chriſti 1165. die 6. Novembris, ab Athanaſio VIII. Patriarcha Maphrianus ordinatus, Michaëli I. ejus ſucceſſori anno 1478. Chriſti 1167. manum impoſuit. Eodem quoque anno, mortuo Timotheo Arabum epiſcopo hanc diœceſim in duas diviſit, quibus duos præfecit epiſcopos, Abujaſerum & Rohedum ejus diſcipulum. *Quum enim populus univerſus,* inquit Bar-hebræus in vita hujus Joannis Sarugenſis, *monachum quemdam Abujagerum nomine virum virtutibus & doctrina præditum poſtulaſſet, eo tamen Maphrianus rejecto, Rohedum monachum ejuſdem Abujaſeri diſcipulum, impoſito ei Mar-Joannis nomine, ordinavit. Quamobrem cuncti adverſus eum inſurgentes,*

hominem recipere noluerunt. Cauſa itaque ad principis tribunal deducta, compulſus fuit Maphrianus Abujaſerum quoque ordinare. Et Rohedo quidem diœceſim Arabum, & Badadæ, cum cœnobio Moallak ſancti Sergii dicto in monte Sajo juxta Tigrim fluvium attribuit; Abujaſero vero, eccleſias Tel-Aphar & Abu-Mariæ. Anno 1489. Chriſti 1178. ipſum inter & Michaëlem Patriarcham diſſidium ortum eſt, cui Haſſaſſinitæ occaſionem præbuerunt. Hi ſcilicet qui populus erant Tagritenſis diœceſis, quum à Cyriaci ævo anno Græc. 1104. Chriſti 793. electo Patriarcha, ab eccleſia Jacobitica propter illa liturgiæ Syriacæ verba, *Panem cœleſtem frangimus in nomine &c.* ſeparati eſſent, reconciliari poſtulabant. Michaëlem itaque adierunt, rogantes ut epiſcopum ipſis ordinaret. Quamvis autem Michael poſtulata eorum non admiſiſſet, inquiens eos ſub Maphriani juriſdictione conſtitutos epiſcopo minime indigere; Maphrianus nihilominus, illos, illorumque ſuſceptores palam & ubique anathematizabat. Michael itaque, miſſis ad ipſum duobus monachis, monuit talia in Haſſaſſinitas geſta non decere. Cyriacus, aiebat, & Dionyſius Telmaharenſis omnem operam adhibuere, ut eos conciliarent, nec potuerunt; tu vero revertentes ejicis. At Joannes Maphrianus non modo in ſua pertinacia perſtitit, verum & male habuit Patriarchæ legatos, adeo ut in ipſum etiam ſchiſma moliretur. Quod quum ejus diœceſani acriter reprehendiſſent, eique ſuaſiſſent ut Patriarchæ ſubjaceret, ad Michaëlem tandem accedere, veniamque ab eo petere propoſuit. Michael porro Maphrianum coram ſe introduci non permiſit, rem in ſynodo definiendam affirmans, quam revera in cœnobio Barſumæ congregavit. Adfuit Maphrianus cum ſuis epiſcopis, datoque chirographo obedientiam promiſit Patriarchæ. Anno Græcorum 1499. Chriſti 1188. abdicata ſponte dignitate in cœnobium montis Edeſſæ ſe contulit; ſed mutata paulo-poſt ſententia, eumdem Patriarcham rogavit ut in priſtinum locum reſtitueretur. Niniven deinde petiit: dormiens vero una die ſuper tectum magnæ eccleſiæ Beth-Cudidæ, caſtri Niniviticæ regionis, lapſus eſt & interiit, menſe Aug. anno Heg. 584. Græcorum 1499. Chriſti 1188. Sedit annos fere 23. corpus ejus ad cœnobium ſancti Matthæi tranſlatum eſt, ibique ſepultum. Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph. & p. 452.*

XXXVI. Gregorius I. Charimus.

Gregorius I. trigeſimus-tertius Maphrianus.

Gregorius, qui & *Jacobus*, Michaëlis Patriarchæ ex fratre nepos, inſciis Orientalibus epiſcopis, ab eodem Michaële dominica poſt Epiphaniam anno Græcorum 1500. Chriſti 1189. Maphrianus ordinatus, vix obtinuit ab infideli Moſul principe, ſoluta ingenti pecuniæ ſumma, ut Sigaræ, Chaboræ, & Niſibi præeſſet: Matthæani enim cœnobitæ cum Ninivitis, Moſulanis & Tagritenſibus convenientes, *Charimum* Maſeæ filium cœnobii ſancti Matthæi monachum, ex urbe Tagrito oriundum, à quatuor epiſcopis Orientalibus eligi curaverant. At quum Gregorium à Michaële patruo ſuo ordinatum accepiſſent, tunc oblata Moſulano præſidi duplo majori quam is dederat, pecunia, ei ingreſſum urbis Moſul, Ninivisque & cœnobii S. Matthæi prohibitum fore obtinuere; Charimus itaque in præfato cœnobio Maphrianus ordinatus eſt ſabbato ante dominicam Palm. ejuſdem anni, aſſumpto *Dionyſii* nomine. Verum Gregorius ad annuum tributum duorum millium aureorum præſidi ſolvendum ſeſe adſtringens, Dionyſium an. Heg. 586. Chr. 1191. feria 2. die 10. menſis 6. in carcerem detrudi impetravit, & vigeſimo-tertio poſt die veſtibus pontificiis in eccleſia Moſul exui, deinde in regionem Maipheractæ & Hatachæ relegari. Toto ſic Oriente ſuæ ditioni ſubacto, & poſt Michaëlis Patriarchæ mortem fratre ſuo Joſue Labeone in Patriarcham promoto, ipſe obiit in Haël caſtro montis Sigaræ, die 12. Oct. anni Græc. 1526. Chriſti 1215. Corpus ejus in cœnobium S. Matthæi tranſlatum eſt. Dionyſius ejus æmulus jam deceſſerat die 24. Decemb. anno Græc. 1515. Heg. 600. Chriſti 1204. & in majori Maipheractæ eccleſia ſepultus fuit. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. pp. 453. & 454.*

XXXVII. Ignatius III.

Ignatius III. trigeſimus-quartus Maphrianus.

Ignatius, qui & *David*, diſcipulus Barſumæ, cognomento Taphſis, quum Joſue Labeo dictus Michaël II. Patriarcha quadrageſimo die poſt Gregorium Maphrianum fratrem ſuum anno Græc. 1526. Chriſti 1215. ex hac vita migraſſet; anno ſequenti à Joanne XIV. qui anno Græc. 1519. Chriſti 1208. adverſus Michaëlem Patriarcha electus fuerat, Maphrianus ordinatus eſt. Moſul primum, deinde Tagritum petiit an. 1530. Chr. 1219. Jacobitas hujus civitatis inviſurus. Quia vero multis lætitiæ ſignis ab illis exceptus fuit, Mahometanis id indigne ferentibus, Maphrianus juſſu Chaliſæ Bagdadenſis in carcerem conjectus eſt. Sed Tagritenſium opera qui pro illo viginti millium aureorum ſummam perſolverunt liberatus, Moſul rediit, ubi à Simeone Bartelæ principe exagitatus, Chaboram profectus eſt, indeque monaſterium Barſumæ Joannem Patriarcham ſalutaturus venit, à quo Melitinæ urbis epiſcopatu auctus, ibidem per biennium egit. Mortuo

Digitized by Google

autem Joanne anno Græcor. 1533. Chriſti 1222. ipſe eodem anno Maphrianorum primus in Patriarcham aſſumptus eſt, ſub nomine Ignatii II. Obiit in caſtro Romano die 14. Junii anni Græc. 1564. Chriſti 1253. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. pp. 371. & ſeqq. & 454.*

XXXVIII. Dionysius II.

Dionyſius II. trigeſimus-quintus Maphrianus.

Ab Ignatio II. in ſuum ſucceſſorem Maphrianus renuntiatus eſt eodem anno Græc. 1533. Chriſti 1222. *Dionyſius*, qui & *Soliba*, Capharſaltenſis, epiſcopus Gozaltæ. Is autem quum anno 1542. Chriſti 1231. adverſus Curdos terram Capharſaltenſium invadentes armatus procederet, lancea confoſſus occubuit menſe Septemb. Corpus ejus in eodem loco ſepultum eſt. Aſſem. *ibid. p. 454.*

XXXIX. Joannes VI.

Joannes VI. trigeſimus-ſextus Maphrianus.

Joannes, qui & *Aaron Bar-Maadani*, ex metropolita Mardæ ab Ignatio II. Patriarcha ad Maphriani ſedem provectus eſt ann. Græc. 1543. Chriſti 1232. In urbe Ninive ad quinquennium manſit; deinde Bagdadum petiit anno 1548. Chriſti 1237. ubi de S. Aaron carmen Syriacum compoſuit metro dodecaſyllabo. Anno 1554. Chriſti 1243. die 3. Auguſti Joſephum Mardenſem monachum inſtituit Gozartæ Cardoæ epiſcopum, impoſito ei Gregorii nomine. Anno ſeq. à Moſulanis & Ninivitis invitatus, poſt ſuſceptam Hieroſolymitanam peregrinationem vix adduci potuit ut ad eos reverteretur. Ipſe eſt *Joannes* ille *Jacobitarum Orientalium Primas*, cujus extat apud Raynaldum ad annum Chr. 1247. n. 41. fidei confeſſio ad Innocentium IV. ſummum Pontificem per fratrem Philippum Ordinis Prædicator. miſſa. Initium ejus eſt: *Confeſſio primatis Jacobitarum Orientalium. Dico ego Joannes debilis primas Jacobitarum Orientalium, quod confeſſio mea & fides mea eſt de Domino noſtro Jeſu-Chriſto Verbo Dei æterno*, &c. In hac porro confeſſione à Monophyſitarum errore non recedit: aſſerit enim quod Chriſtus *ipſe eſt Deus unus incarnatus, Filius unus natus ex Patre primò nativitate æterna, & ex Maria virgine poſtremò nativitate temporali. Una perſona, una ſubſtantia ex duabus ſubſtantiis: non quod divinitas converſa ſit in humanitatem, aut humanitas in divinitatem; nec quod compoſita ſit ex iis duabus ſubſtantiis ſubſtantia tertia: ſed eſt unita ſecundum normam unionis vitæ non accidentalis, &c.* De confeſſione Ignatii II. Patriarchæ, quæ ibidem quoque num. 36. refertur, ſupra dictum eſt col. 1394. Præfuit Orienti viginti annos & amplius. Poſt obitum vero Ignatii II. adverſus Dionyſium VII. cognomento Angur, Patriarcha proclamatus eſt Alepi, Salibæ hujus A urbis metropolitani opera, ann. Græc. 1564. Chriſti 1253. ſeditque ad ann. 1574. Chriſti 1263. quo deceſſit. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. pp. 377. & ſeqq. & 454.*

XL. Ignatius IV.

Ignatius IV. trigeſimus-ſeptimus Maphrianus.

Ignatius, qui & *Saliba*, Edeſſenus, Gregorii Bar-hebræi condiſcipulus, anno Græc. 1557. Chriſti 1246. conſecratus eſt epiſcopus Alepi, aſſumpto *Baſilii* nomine. Is in eadem civitate Joannem Bar-Maadani Maphrianum in Patriarcham adverſus Diony- B ſium Angur inaugurari curavit anno 1564. Chriſti 1253. à quo & ipſe paulo-poſt Maphrianus proclamatus fuit, & *Ignatius* nominatus. At quum anno 1569. Chriſti 1258. Dionyſius opera Bar-hebræi patriarchalem in Syria dignitatem recuperaſſet, Ignatius Saliba Tripolim ſeceſſit, ibique obiit eodem anno die 12. Junii, & vacavit ſedes per ſexennium. Aſſem. *to. 2. pp. 377. 378. & 455.*

XLI. Gregorius II.

Gregorius Bar-hebræus, trigeſimus-octavus Maphrianus.

Gregorius Abulfaragius, cognomento Bar- C hebræus, id eſt *Hebræi filius*, ſcriptorum Jacobitarum facile princeps, inquit Aſſeman. *to. 2. Bibl. Orient. p. 244.* patria Melitinenſis fuit, patre Aaron medico, anno Græc. 1537. Chriſti 1226. natus. A teneris annis Græcæ, Arabicæ & Syriacæ linguis ſtrenuam impendit operam: mox philoſophiæ ac theologiæ emenſo curſu, medicinam ſub patre aliiſque hujus profeſſionis celeberrimis viris quos ipſe in ſuis libris laudat, diligenter coluit. Ab Ignatio II. qui & David, patriarcha, epiſcopus Gubæ ordinatus eſt vigeſimo ſuæ ætatis D anno, Græcorum utique 1557. Chriſti 1246. Anno ſequenti eum idem patriarcha ad eccleſiam Lacabenam tranſtulit. In ſchiſmate quod, poſt obitum Ignatii anno 1564. Chriſti 1253. ob Dionyſii Angur & Joannis Bar-Maadani ad patriarchatum electionem, Jacobitarum ſectam diviſit, prioris partes amplexus eſt, à quo ad epiſcopatum Alepenſem promotus fuit. Dionyſio vero anno Græcor. 1572. Chriſti 1261. & Joanne anno 1574. Chriſti 1263. defunctis, ab Ignatio III. qui & Joſue, Patriarcha communibus ſuffragiis E anno ſequenti electo, die 6. Jan. Maphrianus conſtitutus eſt die 19. ejuſdem menſis. *Siſidem*, inquit ipſemet Bar-hebræus, apud Aſſem. *to. 2. p. 247. Patriarcha cum epiſcopis profectus, præſentibus Aytono Rege, ejuſque filiis, & magnatibus, & nonnullis epiſcopis & doctoribus Armenorum, cum magna populi multitudine, in catholica Deiparæ eccleſia Gregorium Orientis primatem proclamavit.* Ejus geſta ex ejuſdem ſcriptis legenda *ibid.* à *pag. 248.* ad *p. 263.* Obitum illius fuſe narravit Barſuma ejus

Digitized by Google

frater, *to. 2. Bibl. Orient. pp. 264. & ſeqq.* Deceſſit anno 1597. Chriſti 1286. die 30. Julii. Ebn-Chalican ſcriptor Mahometanus refert Bar-hebræum ad Mahometanam ſectam tranſiviſſe, teſte Eduardo Pocockio, qui *hiſtoriam* Bar-hebræi *compendioſam Dynaſtiarum* Arabicam, Latinamque ejus interpretationem à ſe factam edidit Oxonii, anno Chriſti 1663. Verum pura calumnia eſt, quam honor in ejus exequiis à chriſtianis, non tantum Jacobitis, ſed etiam Neſtorianis, Armenis, & Græcis impenſus, abunde diluit. Legatur Aſſeman. *tom. 2. Bibl. Orient. pp. 309. & 310.* Triginta & unum libros à Gregorio Bar-hebræo exaratos teſtatur idem Barſuma ejus frater, illorumque titulos ſuppeditat, *ibid. pp. 268. & ſeqq.* In eo tamen catalogo tres deeſſe ait Aſſem. *p. 272.* qui ejuſdem Bar-hebræi operum ſummam exhibet à *pag. 275.* uſque ad *pag. 321.* Obſervat autem *pag. 315.* initium Hegiræ Mahometanæ, ab anno Chriſti 624. ſumi in chronico ejus Syriaco; de qua ipſemet ſic loquitur, *Computus quoque annorum lunarium Arabicorum ab hoc anno inchoatur, qui eſt ab Adam 6130. idemque Græcorum 933. & à Redemptore noſtro ſexcenteſimus-vigeſimus-quartus.* Quia nimirum, inquit Aſſemanus, Chriſtum natum putat anno Græcorum 309. non 311. Corpus Gregorii Bar-hebræi, qui in urbe Maraga obierat, in cœnobium S. Matthæi tranſlatum eſt, ibique ſepultum: & vacavit ſedes annis duobus. Aſſemanus *ut ſupra, & p. 460.* ubi ſubdit; quæ ſequuntur Maphrianorum vitæ, eas ab anonymis eſſe extractas.

XLII. Gregorius III.

Gregorius III. trigeſimus-nonus Maphrianus.

Gregorius, qui & *Barſuma Saphi Bar-hebræus junior*, præcedentis frater, à Philoxeno Patriarcha electo anno Græcorum 1594. Chriſti 1283. Maphrianus ordinatus eſt in cœnobio Barſumæ, anno Græcorum 1599. Chr. 1288. in feſto S. Thomæ. Ignatium V. alias I. Patriarcham electum ineunte anno 1604. Chriſti 1293. agnoſcere noluit, niſi poſtquam de prædeceſſoris ejus Philoxeni Nemrod morte fuit certus. Deceſſit ipſe in Bartelæ caſtro, anno 1619. Chriſti 1308. & corpus ejus in tumulo fratris illius conditum eſt. Vacavit ſedes annis novem. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. pag. 460.*

Sedes vacat.

XLIII. Gregorius IV.

Gregorius IV. quadrageſimus Maphrianus.

Gregorius, qui & *Matthæus*, Annæ Bartelenſis filius, archimandrita cœnobii ſancti Matthæi, ab Orientalibus epiſcopis ad Ignatium V. dictum Bar-Vahib, & Bader Zachæ, Patriarcham in cœnobium Ananiæ apud Marden ſitum adductus fuit anno Græcorum 1628. Chriſti 1317. ut ibidem ab ipſo Maphrianus ordinaretur. Ignatii VI. alias II. qui & Iſmaël Magedus nuncupabatur, promotioni in Patriarcham anno Græcorum 1643. Chriſti 1332. peractæ abſentibus & inconſultis Orientalibus, per quatuor annos aſſentiri recuſavit; quo tempore Michaëlis II. Siſidis & Ciliciæ Patriarchæ nomen in Oriente proclamatum eſt. Huic tamen poſtmodum reconciliatus, eum in Oriente & Moſulana regione recipi curavit. Aliud diſſidium ipſum inter & eundem Iſmaëlem exarſit, quod legere eſt apud Aſſemanum *tom. 2. Bibliothecæ Orientalis pag. 383.* & nos ſupra breviter deſcripſimus *coll. 1398. & ſeq.* Tabrizum urbem bis viſitavit, ibique à Sciacro Sciarapho nobili Jacobita honorifice exceptus eſt, Bartelenſibus, Moſulanis, Maſudo Amera, id eſt Duce ſive præfecto, urbis Carmeliſæ domino, inprimis carus. Iſte utique *Marſorianus*, id eſt, Maphrianus eſſe videtur, quem Joannes XXII. Papa hortatus eſt anno Chriſti 1330. epiſtola ad ipſum miſſa, ut creditos ipſius paſtorali curæ populos ad unionem cum Romana eccleſia revocaret, & Fratres Prædicatores ac Minores qui in ejus regione verſabantur, benigne foveret. Hanc ſummi pontificis epiſtolam refert Odoricus Raynaldus, ad annum 1330. *num. 57.* Sedit annos 28. ordinavitque duos epiſcopos, quorum unum cœnobio S. Sergii in monte Sajo, & urbi Sigaræ præfecit, alterum vero Maaræ, Niſibi, & Gozartæ Cardoæ. Obiit in cœnobio ſancti Matthæi ineunte menſe Januario anni Græcor. 1656. Chriſti 1345. & ad Occidentalem altaris partem contra arcam ſancti Matthæi ſepultus eſt. Vacavit autem ſedes annis viginti. Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. pp. 383. & 460.*

XLIV. Dioscorus *intruſus*.

Dioſcorus quadrageſimus-primus Maphrianus.

Vacante Maphriani Orientis ſede poſt Gregorii IV. mortem, *Dioſcorus*, qui & *Jacobus Bar-kainæus*, id eſt, *fuſoris filius*, epiſcopus Damaſci hanc dignitatem uſurpavit. Is ex Hatacha urbe ſupra Maipheractam ſita oriundus, Damaſci eccleſiam regebat anno Græcorum 1671. Chriſti 1360. quo Iſmaëlem Patriarcham in cœnobio S. Jacobi Doctoris ſupra monaſterium Ananiæ commorantem adiit, rogaturus ut ipſum crearet Orientis Maphrianum. Quum autem Patriarcha reſpondiſſet id fieri non poſſe abſque Orientalium epiſcoporum conſenſu, ille oblata Salecho Mardæ domino 40. millium nummorum ſumma, ſubornatiſque Amera Matthæo, Denha Neſtorianorum Patriarcha, & clero populoque oppidi Carmeliſæ, ad cœnobium S. Matthæi contendit,

contendit, cujus monachi Maphrianum eum proclamarunt. Sic rem narrat Auctor appendicis ad chronicon Bar-hebræi. *His itaque Bar-kainæus aſſumptis, in cœnobium S. Matthæi aſcendit ut à monachis Maphrianus ordinaretur. Rem admirandam & à ſæculo inauditam, à monachis ſcilicet Maphrianum ordinari! Nihilominus Bar-kainæus ad id monachos compulit; extractoſque è ſacrario paſtorales patrum baculos ſingulis monachis diſtribuens, huic quidem aiebat: Tu locum Patriarchæ imple: alteri vero; Tu eſto pro tali epiſcopo. Atque ita ex monachis, quemdam conſtituit Patriarcham, alios epiſcopos, & alios lectores & cantores, conculcato chriſtiano canone, ſpretaque eccleſiaſtica conſuetudine. Quum vero officium chirotoniæ inchoare vellent, occurrit eis ordinatio diaconorum, quam ſuper eum recitarunt, quum nemo inter ipſos eſſet qui patrum ordinationem ab ordinatione diaconorum diſcerneret. Sic igitur eum initiarunt, imo vitiarunt. Rem illegitimam & maxima reprehenſione dignam! & Gregorii nomen ſibi ipſe impoſuit. Quamobrem cunctorum Orientalium odium incurrit.* Quos inter Joannes presbyter, Denhæ presbyteri filius, qui Carmeliſæ eccleſiam gubernabat, publice hominem traducens aiebat, nullo pacto adducar, ut Dioſcorum, quem Joſeph Beeza & David monachi conſecrarunt, Maphrianum admittam, niſi prius ab uno aliquo Patriarcha impoſitionem manus acceperit. Baſilium itaque, qui Michaëli II. Patriarchæ Ciliciæ ann. 1660. Chr. 1349. ſucceſſerat, quum antea Damaſci epiſcopus eſſet Philoxenus nomine, convenit, commendatitiis Ameræ Matthæi, Denhæ Neſtorianorum Catholici, & monachorum S. Matthæi litteris munitus, à quo die 29. Junii, anno Græc. 1672. Chr. 1361. retento Gregorii nomine ordinatus eſt. Bartelam inde petiit, ſed Joannis presbyteri opera ejectus ab Haſano Ameræ Matthæi fratre, Tagritum, deinde Bagdadum ſeceſſit. Demum, orta ibi inter ipſum & juriſperitos quoſdam Mahometanos de rebus fidei controverſia, ab iis interemptus eſt, & corpus ejus combuſtum ac in Euphratem conjectum. Dioſcori hujus Bar-kainæi *Anaphoram* laudat Steph. Edenenſis, *cap. 7. de hæreticis Liturgiarum auctoribus, n. ultimo.* Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. pp. 460. 461. 462. & 463.*

XLV. Athanasius III.

Athanaſius III. quadrageſimus-ſecundus Maphrianus.

Dioſcoro mortuo, *Athanaſius*, qui & *Abraham*, Ignatii VI. aliàs II. anno Græcor. 1643. Chr. 1332. in Patriarcham aſſumpti ſyncellus, ab eodem Maphrianus initiatus eſt anno Græcorum 1676. Chriſti 1365. feria 2. ineunte menſe Octobri, in feſto S. Adæi Apoſtoli. Monachum antea egerat ab anno

A ætatis ſuæ ſeptimo, ſub Cyrillo Haæ epiſcopo, in cœnobio Crucis, quod ſupra urbem Haam ſitum eſt. Inde quinto poſt anno ad cœnobium Nataphæ apud Zapharanum haud procul ab urbe Marda ſe contulit. Demum ab Ignatio præfato ad ſyncelli munus, deinde ad Maphriani dignitatem evectus fuit. Moſulum, Bartelam, Carmeliſam, cœnobium S. Matthæi, Tagritum, Bagdadum, & Arbelam luſtravit, ordinatis ubique diaconis & presbyteris. Sedit annos 24. & deceſſit anno Græc. 1700. Chr. 1389. Ejus tempore, anno ſcili-
B cet Græc. 1680. Chriſti 1369. die 25. Aug. cœnobium S. Matthæi à Curdis direptum eſt; & ſex poſt annis eccleſia Arbelæ corruit. Vacavit ſedes annis 15. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. pp. 460. & 462.*

XLVI. Basilius V.

Baſilius V. quadrageſimus-tertius Maphrianus.

Baſilius, qui & *Behenam*, in pago Hedla natus, quum ſub Jacobo Stylita, in turri quadam apud Severinum vicum diſciplinæ monaſticæ operam dediſſet, ab Ignatio VIII. alias IV. cognomento Bar-Garib, Patriarcha
C electo anno Græcorum 1692. Chriſti 1381. Maphrianus ordinatus eſt, impoſito *Baſilii* nomine, anno Græcor. 1715. Chriſti 1404. Eidem Ignatio ſucceſſit, aſſumpto Ignatii nomine anno Græcorum 1723. Chriſti 1412. Fuit Ignatius IX. alias v. Obiit vero anno 1766. Chriſti 1455. Aſſemanus, *ibid. pp. 384. 385. 462. 465. & 466.* qui in hoc ultimo loco obſervat, auctorem appendicis ad chronicon Bar-hebræi, quum loquendo de electione Baſilii Behenami Hedlenſis Maphriani in Patriarcham ait *morem* fuiſſe, *ut vel*
D *Maphrianus in Patriarcham conſtitueretur, vel quemcunque is idoneum judicaſſet;* intelligendum eſſe de *more* ſequioris ævi ſuo tempore uſurpato, quando ſcilicet Maphriani nihil aliud fere eſſe cœperunt quam deſignati Patriarcharum ſucceſſores. Non enim, inquit, ita fiebat priſcis temporibus, quibus in electione quidem Patriarchæ, ejuſque ordinatione exigebatur Maphriani ſuffragium & præſentia; non tamen ad Patriarchæ dignitatem is transferri ſolebat, ut ex ſupra dictis liquet. Ignatius David Maphrianus, teſte Bar-hebræo, primus
E fuit, qui anno Græc. 1533. (Chriſti 1222.) Patriarchalem ſedem occupavit.

XLVII. Dioscorus II.

Dioſcorus II. quadrageſimus-quartus Maphrianus.

Dioſcorus, qui & *Behenam* cognomento *Sciatti*, Arabum epiſcopus, Ignatio IX. ad Patriarchalem dignitatem manum impoſuit, anno 1723. Chriſti 1412. Ab ipſo viciſſim tribus poſtea annis Maphrianus inauguratus eſt, anno ſcilicet 1726. Chriſti 1415. Sedit duos annos, mortuus anno 1728. Chriſti

1417. & vacavit ſedes annis quinque. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. pp. 344. 462. & 466.*

XLVIII. Basilius VI.

Baſilius VI. quadrageſimus-quintus Maphrianus.

Baſilius, qui & *Barſuma* Maadanenſis, in tribus cœnobiis, Abel ſcilicet in regione Maadan, Jacobi incluſi apud Salacham, & Ananiæ haud procul à Marde aſceticam vitam fovit, deinde à Baſilio Behenam, ſive Ignatio IX. alias V. Patriarcha, cujus ſyncellus fuerat, Maphrianus ordinatus eſt anno Græcorum 1733. Chriſti 1422. impoſito *Baſilii* nomine. Obiit autem anno 1766. Chriſti 1455. & in cœnobio Gubæ ſepultus eſt. Aſſem. *ibid. pp. 384. & 462.*

XLIX. Cyrillus.

Cyrillus quadrageſimus-ſextus Maphrianus.

Cyrillus, qui & *Joſeph Bar-Niſan,* epiſcopus primum fuit Damaſci & Emeſæ, anno Græc. 1756. Chriſti 1445. ordinatus Hieroſolymis ab Ignatio IX. præfato. Deinde ab Ignatio X. alias VI. cognomento Chaleph ejus ſucceſſore ad Maphriani ſedem promotus eſt anno 1769. Chriſti 1458. & paucis poſt diebus deceſſit Emeſæ. Hinc fortaſſis nulla ejus mentio fit in Maphrianorum vitis, quas auctor Appendicis ad Syriacum Barhebræi chronicon tradidit. Aſſemanus *ibid. pp. 385. & 462.*

L. Basilius VII.

Baſilius VII. quadrageſimus-ſeptimus Maphrianus.

Baſilius, qui & *Azizus,* Chalephi Patriarchæ ex ſorore nepos, Secred ſive Mobadra Meſopotamiæ urbe haud procul à Tigri flumine oriundus, ab avunculo ſuo, adhibitis Azizi Patriarchæ Tur-Abdinenſium ſeptimi, & Georgii epiſcopi Cartaminenſis conſiliis, Maphrianus Orientis renuntiatus eſt, anno Græcorum 1782. Chriſti 1471. impoſito Baſilii nomine. Obiit die 10. Septembris anno 1798. Chriſti 1487. & ſepultus eſt in cœnobio Gubæ. Vacavit ſedes duobus annis. Aſſemanus *ibidem, pp. 385. & 462.*

LI. Noe.

Noë, quadrageſimus-octavus Maphrianus.

Noë Bacupha montis-Libani oppido oriundus anno Græcorum 1762. Chriſti 1451. à Joanne XI. alias VII. dicto Bar-Sila, Patriarcha electo anno 1795. Chriſti 1484. ex epiſcopatu Emeſæ ad Maphriani dignitatem tranſlatus eſt anno 1801. Chr. 1490. Eidem poſtea ſucceſſit, aſſumpto Ignatii nomine, ineunte Novembri, anno Græcorum 1805. Chriſti 1494. Diximus ſupra, ubi de eo inter Jacobitarum Patriarchas, *coll. 1402. & 1403.* ex cod. Syr. 30. in quo legitur apud Aſſeman. *to. 2 p. 504. Homilia compoſita à Noë Patriarcha in urbe Moſul anno Græc. 1803.* Noë Patriarcham fuiſſe renuntiatum, non eo anno 1805. ſed biennio ante, anno ſcilicet 1803. Chr. 1492. Verum ab iſta epocha me avertit, & priori inſiſtendum movet, tum quod Ignatius Bar-Sila ejus prædeceſſor obierit die 24. Septemb. vel 1. Octob. anno Græc. 1804. Chriſti 1493. tum etiam quod Aſſem. ejuſdem homiliæ mentionem faciens *pag. 468.* vocem *Patriarchæ* omittat. Arabice ſcripſit tres *Orationes,* inquit, nimirum *Catecheſim* ſeu tractatum de fide Jacobitarum: *Encomium in Jacobitas:* & *homiliam de Annuntiatione B. V.* Id colligo ex codice 30. catalogi, quem ad calcem hujus tomi *(2. Bibl. Or. p. 504.)* ſubjicio, ubi *fol. 133.* hæc Noë de ſeipſo annotat. *Explicit, ut reperi. Orate pro mea ruditate. Die undecima Aprilis, feria 3. hora 9. anno Græcorum 1819.* (Chriſti 1508.) *in urbe Beræa exaravit Noë peccator.* Fol. vero 142. compoſitæ à ſe homiliæ de Annuntiatione B. V. titulum hunc præfigit. *Homilia quam Noë* (deeſt *Patriarcha*) *in urbe Moſul anno Græc. 1803.* (Chriſti 1492.) *habuit, adverſus eos qui Mariam Dei Genitricem eſſe negant, nec feſtum glorioſæ Annuntiationis celebrant.* Initium; *In nomine Patris ſimplicis, & Filii mediatoris, & Spiritus paracleti, &c.* Manifeſtum eſt enim Noë non aſſerere quod tunc Patriarcha fuerit, quum hanc pronuntiavit homiliam in urbe Moſul anno Græc. 1803. quamvis Patriarcha eſſet quando hunc codicem exaravit anno Græcorum 1819. Atque hoc ſolum vox *Patriarcha* indigitat quæ in capite hujus homiliæ apponitur *p. 504.* ſi ab ipſo Noë ſcripta fuit. Concludendum itaque videtur, contra quod *col. præfata 1403.* poſueramus, Noë Maphrianum hanc homiliam pronuntiaſſe biennio antequam ſedem Patriarchalem conſcenderet. Ejus geſta fuſe deſcribit auctor Appendicis ad Syriacum Barhebræi chronicon, tertia parte. Vide Aſſem. *to. 2. pp. 386. 462. 468. & ſeqq.*

LII. Abraham II.

Abraham II. quadrageſimus-nonus Maphrianus.

Abraham in caſtro quod *Arcem Attæ* vocant natus, ab Ignatio XII. alias VIII. dicto Noë Maphrianus ordinatus eſt in cœnobio Zapharanenſi, anno Græcor. 1807. Chriſti 1496. Aſſem. *ibid. pag. 462.* qui & teſtatur *pag. ſeq.* ultra non progredi auctorem Appendicis ad 3. part. chronici Bar-hebræi. Quoſdam tamen alios hinc inde ſuppeditat Aſſemanus, ut ſequitur.

Pilatus.

Pilatus Maphrianus.

Ex relatione Leonardi Abel epiſcopi Sidonienſis, apud Thomam à Jeſu *lib. 7. de converſ. gent. p. 386.* anno Chriſti 1583. *Pilatus erat metropolitanus in Muſal & Oriente,* id eſt, Maphriani munia gerebat. Nam, ut obſervat Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de*

Digitized by Google

Monoph. n. 9. ubi de Moſul, ex quo Ignatius Lazarus Maphrianus Moſulanam diœceſim Tagritenſi copulavit anno Chr. 1155. omnes Maphriani deinceps titulum archiepiſcoporum Moſul ſeu Ninives ſibi vindicarunt. Is poſtmodum in Patriarcham electus Ignatius XIX. appellatus fuit. Aſſemanus *in præfata diſſert. de Monophyſ. to. 2. Bibl. Or. præfixa.*

ELIAS.

Elias Maphrianus.

Anno Græc. 1901. Chriſti 1590. ſediſſe *Eliam* Maphrianum colligimus ex nota cod. Syriaco *librum Directionum* ſeu *Epitomen eccleſiaſticorum Canonum & legum ſæcularium* Gregorii Bar-hebræi continenti appoſita, apud Aſſemanum *to. 2. Bibl. Orient. p. 300.* Ad calcem enim hujus codicis librarius eam epocham adjunxit. *Ad gloriam & honorem & decus ſanctæ, glorioſæ & conſubſtantialis Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti unius Dei veri, abſolutus eſt liber hic Directionum anno Græcorum 1901. menſe Canun priore* (Decembri) *feria 2. qua inchoatur jejunium Nativitatis, diebus ſanctorum Patrum & fidelium paſtorum & gubernatorum ſanctæ eccleſiæ, Patris noſtri & Domini vitæ noſtræ, Domini noſtri Mar-Ignatii glorioſi Patriarchæ excelſi, qui & David-Sciah, & Mar-Timothei epiſcopi, qui & Thomas. Dominus exaltet ſedes eorum uſque ad cœli faſtigium, amen. Rogatur itaque unuſquiſque prudentium fratrum, qui recurrente aliquando temporis rota in librum hunc offenderit, ut cum charitate oret, & veniam poſcat pro infeliciſſimo hominum Abed-Nuhra miſero, nomine, non operibus preſbytero, Stephani diaconi filio, cujus Elias Maphrianus avunculus eſt, ex benedicto caſtro Dair-Elia, cui à ſancto Elia nomen inditum, in regione cuſtodita à Deo Mardæ urbis, qui ſanctum hunc librum exaravit, &c.*

Nihil amplius de Maphrianis Jacobitarum ad notitiam noſtram devenit, quorum licet olim auctoritas, teſte Aſſemano *in præfata diſſert. de Monoph. n. 8. in fine*, in ſubjectos epiſcopos eadem omnino fuerit, ac Patriarchæ Jacobitarum in ſuos; ita ut epiſcopales ſedes inſtituerent, epiſcopos ordinarent & deponerent, chriſma conſecrarent; omnia denique pontificalia munia in Orientalibus diœceſibus exercerent, quibus in Occidente Patriarcha fungebatur, exceptis tantum epiſcoporûm ex una in aliam ſedem tranſlationibus quæ nullibi à Maphrianis factæ leguntur: his tamen temporibus, ad ſolum *Maphriani* & *Catholici* ſeu *Primatis Orientis* titulum reſtringitur.

ECCLESIÆ
MAPHRIANO JACOBITARUM SUBJECTÆ.
ECCLESIA MOSUL.

AB eccleſia *Moſul* incipimus, quia ſola eſt metropolitana ditionis Maphrianorum Orientis. Hæc porro civitas, quæ etiam *nova Ninive, Moſal, Mozal,* & Arabice *Mauſel* appellatur, ad Tigrim fluvium verſus occaſum intra Meſopotamiam ſita eſt. Diſtat à Maipherchin per caſtrum Cepham itinere ſex dierum, & à Marde ſeptem dierum. Ex adverſa parte Tigris ad ortum eſt antiqua Ninive, quam recentiores nonnulli cum Moſul confundunt. Ad ejus auſtrum Zeba minor Tigri miſcetur apud antiquam urbem Athur, inquit Abulfeda *in tab. geogr. n. 257.* Fit mentio *Moſel* Ezech. 27. v. 19. Juxta hanc urbem in monte *Elpheph,* extat monaſterium ſancti Matthæi, ſedes olim *metropolitæ Ninives* ſive *Moſul,* qui dicebatur quoque *metropolita S. Matthæi*, & primum à Maphriano locum inter Orientales epiſcopos tenebat. Hoc cœnobium, *Chuchta* nomen deferebat priuſquam in Jacobitarum poteſtatem veniret, teſte Gregorio Bar-hebræo, qui monachos duodecim una cum Bar-Sohede Ninives epiſcopo, à Pheroſe Perſarum rege, Barſumæ Niſibi præſulis Neſtoriani anno Græcorum 746. Chriſti 435. ordinati opera, trucidatos refert, apud Aſſeman. *to. 2. Bibl. Orient. pag. 403.*

EPISCOPI MOSUL.

I. GARMÆUS.

GREGORIUS Bar-hebræus de *Garmæo* hæc habet, apud Aſſemanum *ibid. p. 411. Nullus erat in Oriente epiſcopus* (Monophyſita) *præter Carem Sigaræ epiſcopum, quem orthodoxi* (Monophyſitæ) *ex omnibus locis conſulebant, impoſitionem manus ab ipſo accipientes. Erat autem eo tempore Catholicus Armeniorum Mar-Chriſtophorus, vir ſanctus, Syrus genere. Hic quum monachos in cœnobio S. Matthæi iterum congregatos accepiſſet, illud cœnobium petiit:*

quumque virum ex eis caſtum, Garmæum nomine, eidem cœnobio metropolitam in locum Bar-Sohede martyris ordinaſſet, in regionem ſuam regreſſus eſt. Hoc contigit poſt annum 851. Chriſti 540. quo Edeſſam Coſroës rex Perſarum fruſtra obſedit, ſed habitatorum ejus, quotquot ex finitimis pagis captivos fecerat, ſecum in Perſidem duxit. Aſſeman. *to. 2. Bibl. Orient. pag. 411.*

II. Tobias.

III. Jesu-Zacha.

IV. Sahadas.

V. Simeon.

VI. Christophorus.

Idem Aſſemanus *pag. 414.* ex Bar-hebræo hæc ſcribit: In cœnobio ſancti Matthæi, poſt Garmæi metropolitæ obitum, quem Catholicus Armeniorum ordinaverat, ſucceſſit *Tobias* quem vivens Garmæus initiaverat. Tobias ſucceſſorem ſibi conſecravit *Jeſu-Zacham.* Huic *Sahada* ſucceſſit. Sahadæ *Simeon.* Simeonique *Chriſtophorus* qui Marutham, anno Græcorum 940. Chriſti 629. Maphrianum Orientis conſecravit.

VII. Joannes.

VIII. * * *

Mortuo Davide Orientis Maphriano, anno Græcorum 995. Chriſti 684. *Joannes* cognomento *Saba,* id eſt *Senex* cœnobii S. Matthæi metropolita requiſitus eſt ab hujus cœnobii monachis, ut dum vacabat Maphriani ſedes, ipſe eccleſiis Orientis paſtore viduatis epiſcopos præficeret. Repulſam paſſi cœnobitæ alium in ejus locum metropolitam ab Athanaſio II. Patriarcha petierunt; qui eorum litteris deceptus, *metropolitam* ad illos miſit, cujus nomen non indicatur. Verum octoginta monachis unius hebdomadæ ſpatio morbo peſtilenti ſublatis, novus ille metropolita ad Patriarcham regreſſus eſt: ſuperſtites autem monachi Joannem ſenem qui in cœnobium *Beth-Urba* prope Tagritum ſe contulerat adeuntes, veniam poſtularunt. Is illos quidem benedictione ſua donavit; ſed noluit ad eorum monaſterium reverti. Congregatis tamen in urbe Tagrito ſex epiſcopis, in Maphrianum aſſumptus eſt, fuitque Joannes hujus nominis I. Sedit annum unum & ſex menſes; obiit vero die 2. Januarii, anno Græc. 999. Chriſti 688. De eo ſupra fuſius, inter Maphrianos. *col. 1537.* Hujus Joannis Anaphoræ meminit Stephanus Edenenſis, *cap. 7. de hæreticis Liturgiarum auctoribus, num. 19.* Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. pp. 429. 430. & 463.*

IX. Daniel.

Daniel epiſcopus Moſulanus ſedebat anno Græcorum 1128. Chriſti 817. quo Cyriacus Jacobitarum Patriarcha deceſſit. Quum enim Baſilius I. ab eo Patriarcha Maphrianus ordinatus, cum monachis cœnobii S. Matthæi graviter diſceptaret propter metropoliticam dignitatem quam illi Danïeli epiſcopo ipſorum monaſterii volebant parem vindicare ac quæ ipſi Orientis Maphriano competebat, Cyriacus bono pacis conſulturus, metropolitæ titulum huic Danïeli conceſſit, ea tamen conditione, ut ille ejuſque ſucceſſores epiſcopi Moſulani, quorum ſedes erat in præfato S. Matthæi cœnobio, Tagritenſi Maphriano ſubjicerentur. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph.* ubi de Moſul, *& p. 343.*

X. Moses.

Hic *Moſes* cognomento *Bar-Cepha,* de quo infra fuſius, ubi de eccleſia Bet-Chino, epiſcopus dicitur fuiſſe *Moſul* ab anonymo vitæ ejus ſcriptore, apud Aſſeman. *to. 2. p. 219.* Obiit die 12. Febr. anno Græcorum 1214. Chriſti 903.

XI. Bar-Nasicha.

Tempore Athanaſii primi, Maphriani, qui Amidæ ordinatus eſt à Theodoſio Patriarcha die 8. Febr. anno Græc. 1198. *Chriſti 887.* ſchiſma Aſſaſſinitarum contigit, de quo ſupra egimus, ubi de eo Athanaſio inter Maphrianos *col. 1542.* Quum igitur ii Zebinam Joannis III. Patriarchæ *diſcipulum* in Patriarcham ſibi conſtituiſſent, *Zebinas ille Pharaam* Metropolitam Orientis ſive Maphrianum, contra Athanaſium Aſſaſſinitis ordinavit: hic vero *Bar-Naſicham* Moyſis Barcephæ diſcipulum epiſcopum Moſul conſecravit. Aſſem. *ibid. & p. 440.*

XII. Timotheus.

Joannes IV. cognomento Saliba Maphrianus inauguratus anno Græcor. 1386. Chriſti 1075. paulo-poſt Moſulanam in urbem profectus *Timotheum,* qui & *Sogdes* nuncupabatur, metropolitam ſancti Matthæi ſive Moſulis conſtituit. Is anno 1423. Chriſti 1112. una cum Abulpharagio Moſulano *preſbytero,* poſt hujus Joannis Maphriani *mortem,* Abuſciacherum quemdam Tagritenſem preſbyterum futili conatu in ejus locum promovere ſategit. Verum quum id ad votum non ceſſiſſet, Dionyſium I. eodem anno ad Maphriani ſedem ab Athanaſio VII. Patriarcha evectum, Ninive ſive Moſulo, Niſibi, finitimiſque locis excedere coëgit. Aſſeman. *ibid. pp. 448. & 449.*

Digitized by Google

ECCLESIA MOSUL.

XIII. Zachæus.
XIV. Barbutela.

Sub præfato Dionyſio I. Maphriano *Zachæus* epiſcopus Arzun eccleſiam Ninives ſive Moſul invaſit. *Barbutela* autem cœnobii S. Matthæi archimandrita, ſubornato Moſulano præſide, Maphrianum compulit ut ſe ejuſdem loci metropolitam crearet. Aſſemanus, *to. 2. Bibl. Orient. p. 449.*

XV. Jacobus.

Jacobus Bartela Ninivenſis provinciæ caſtro oriundus, filius Eſau, unde *Bar-Eſau* nuncupabatur, primum ſub Joanne Barzughi monacho Neſtoriano cœnobii Beth-Koke regionis Arbelæ grammaticam & dialecticæ partem didicit: deinde ſub Camaloddino Jonæ filio philoſopho Moſulano philoſophica evolvit ſcriptorum Arabum opera. Monaſticam diſciplinam amplexus eſt in cœnobio S. Matthæi, cujus poſtea epiſcopus & etiam Tagriti renuntiatus eſt, ſuffraganeus tamen ſolummodo. Ut enim obſervat Aſſem. *ib. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de monaſterio S. Matthæi & de eccleſia Tagriti agit, ex quo in Maphriani poteſtatem anno Græc. 1466. Chr. 1155. iſtud monaſterium devenit, ſuffraganeus ſolum fuit, tum ejuſdem monaſterii, tum ſedis Tagritenſis epiſcopus. Hic ſcilicet vice Maphriani, ejuſque conſenſu, illis in locis pontificalia munia exercebat. Eum Bar-hebræus in tertia parte chronici Syriaci *Severum Bar-Sciacco* appellat, quod nomen factus epiſcopus aſſumpſit. Quædam ejus ſcripta ſuperſunt, *ſymbolum fidei, expoſitio divinorum officiorum, liber dialogi, & liber theſaurorum.* Hunc poſtremum abſolvit, ipſomet teſte ad calcem ejuſdem operis, quod extat in codice Berœenſi I. cujus meminit Aſſemanus *to. 1. Bibl. Orient. p. 585. & to. 2. p. 237. profundo veſpere celeberrimæ diei Pentecoſtes anno Græc. 1542.* (Chriſti 1231.) *die 10. menſis Maii.* In quatuor partes dividitur, quarum prima de Deo uno & trino, 13. capitibus diſſerit. Secunda de Incarnatione Verbi, de Eccleſia, de Sacramentis & Ritibus Eccleſiaſticis, 41. capitibus. Tertia de providentia Dei & actibus humanis, 19. capitibus. Quarta de Angelis, de opere ſex dierum, de Antichriſto & fine mundi, de Paradiſo, & de Inferno, 40. capitibus. Obiit eodem anno 1542. Chriſti 1231. & ſepultus eſt in cœnobio S. Matthæi. Aſſem. *ubi ſupra, & tom. 2. Biblioth. Orient. pp. 455. & 477.*

XVI. Georgius.
XVII. Stephanus.

Anno Græcorum 1807. Chriſti 1496. in eccleſia Severini pagi in regione Haitamæ ab Ignatio XII. alias VIII. dicto Noe Patriarcha in locum *Georgii* epiſcopi cœnobii ſancti Matthæi nuper defuncti, initiatus fuit *Stephanus* Severinita, ejuſdem Georgii diſcipulus. Aſſem. *tom. 2. Bibl. Or. p. 462.*

XVIII. Basilius.

Aſſem. *ibid. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Moſul, hæc de *Baſilio iſto* ſcribit. *Baſilius Iſaac* ſub Petro poſtremo orthodoxorum Patriarcha Archiepiſcopus Ninives, eodem Petro in exilium ob catholicam fidem pulſo, Romam, ineunte hoc ſæculo, ſe recepit, ubi convertendis in Arabicum ſermonem theologicis & philoſophicis libris operam dedit uſque ad annum proxime elapſum (Chriſti 1720.) quo in vivis eſſe deſiit. De eodem etiam adhuc vivente ait *ibid. p. 10.* aſceticas aliquot (Barſumæ Jacobitarum anteſignani epiſtolas) ſe legiſſe teſtatur amiciſſimus idem ac rerum Syriacarum doctiſſimus *Iſaac* archiepiſcopus Ninives, qui à Jacobitis propter orthodoxam fidem exagitatus, in urbem ſe recepit, ubi philoſophicis ac theologicis libris è Latino in Arabicum convertendis ſtrenuam operam etiamnum impendit.

Digitized by Google

EPISCOPATUS DIŒCESIS MAPHRIANI JACOBITARUM.

A

I. ECCLESIA ADORBIGANÆ.

ADORBIGANA, juxta Maſium in epiſtola ad Augerium à Buſbeck quam præmiſit tranſlationi ſuæ Latinæ Anaphoræ ſeu Liturgiæ ſancti Baſilii Syriacæ, urbs eſt Perſidis dierum circiter octo itinere ab Ninive diſtans verſus Orientem. Maruthas Maphrianus circa annum Chriſti 630. hunc epiſcopatum inſtituit, ex Gregorio Bar-hebræo in chronico Syriaco. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de ea urbe.

EPISCOPI ADORBIGANÆ.

I. * * *

MARUTHAS, qui anno Græcorum 940. Chriſti 629. Maphrianus ordinatus eſt, primum Adorbiganæ epiſcopum creavit, teſte Bar-hebræo in vita ejus, ut ex illo refert Aſſem. *in diſſert. de Monoph. num. 9.* ubi de Harnua. *Per idem tempus, orthodoxorum* (id eſt Jacobitarum) *numerus in Perſide auctus eſt; & ingens Edeſſenorum numerus qui à Perſis in captivitatem abducti fuerant, domicilium in Segeſtana & Choraſana fixere: qui ad Marutham Maphrianum legationem miſerunt, epiſcopos ſibi ordinari poſtulantes. At ille unum quidem epiſcopum Segeſtanæ inſtituit, alterum Harnuæ, & tertium Adorbiganæ.* Hoc porro contigit ante annum Græc. 960. Chriſti 649. quo die 2. Maii obiit Maruthas.

II. PHILOXENUS.

Philoxenus epiſcopus Adorbiganæ erat tempore Cyriaci Horani qui ab Abrahamo Patriarcha Maphrianus ordinatus eſt anno Græcorum 1273. Chriſti 962. Tunc enim deprehenſus in ſtupro cum muliere Mahometana, & ipſe à Chriſtiana defecit fide. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or.* ubi de Adorbigana, *& pag. 442.*

III. JOANNES.
IV. SEVERUS.

Gregorius Bar-hebræus in chron. Syriaco, hæc narrat à ſe facta, poſtquam ad dignitatem Maphriani provectus fuit ab Ignatio III. anno Græc. 1575. Chriſti 1264. *Conſecravit* Maphrianus *etiam Denham monachum cognomento Bar-Hamra ex cœnobio ſancti Matthæi epiſcopum Adorbiganæ, qui Joannis nomen aſcivit. Hic vero poſt conſecrationem ad ſuam eccleſiam profectus in Beth-Saidam pagum provinciæ Arbelæ pervenit, ibique extinctus eſt, & in nova eccleſia quæ in eodem pago conſtruebatur, tumulatus. Autumno ineunte Niniven Maphrianus repetiit, & anno 1577.* (Chr. 1266.) *epiſcopum Gozartæ Cardoæ dedit Vehbum monachum ex cœnobio ſancti Matthæi, qui Joannes eſt appellatus: atque per eoſdem dies Adorbiganæ urbi epiſcopum præfecit Joſue monachum ex eodem cœnobio, qui Severi nomen aſſumpſit.* Aſſemanus *to. 2. p. 251.*

II. ECCLESIA AKULÆ.

AKULA, quam Gregorius Bar-hebræus eamdem eſſe dicit in chronico Syriaco cum *Cupha* celeberrima Arabiæ urbe; Abulfeda tamen *in tab. geogr. ubi de Arak*, oppidulum facit, quod *Dair-Al-Akul* appellat, à Cupha diverſum, apud Bagdadum: ad Euphratis ripam ſita eſt. In præfato Bar-hebræi chronico frequens mentio fit epiſcoporum Jacobitarum quos Arabibus præfuiſſe narrat: eos porro Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Akula, in ea urbe, vel ſaltem in urbe Hirta Naamanis ipſi proxima, ſedem fixiſſe arbitratur.

EPISCOPI AKULÆ.

BACCHUS.

DENHA hujus nominis inter Maphrianos Orientis II. anno Græcor. 999. Chriſti 688. die 13. Martii, poſt Joannis I. obitum ordinatus, cum Juliano Patriarcha acriter diſceptavit, eo quod Athanaſius II. ejus in Patriarchatu prædeceſſor, ad ſupplicationem mona-

chorum S. Matthæi, metropolitam in locum præfati Joannis adhuc viventis conſecraſſet. Quum vero, cæteris epiſcopis cum Juliano reconciliatis, Denha ſubmittere ſe detrectaret, ſynodus à Patriarcha habita decrevit, eo à dignitate Maphriani amoto, *Bacchum* tunc Akulæ epiſcopum, Orienti præficiendum A eſſe. Denha igitur in cœnobium Kenſerienſe ſe contulit, ibique manſit duos annos, donec ab Elia, qui anno Græcorum 1020. Chriſti 709. Juliano Patriarchæ ſucceſſit, in ſedem ſuam reſtitutus eſt. Aſſemanus *tom. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph.* & *p. 430.* ECCLESIA AKULÆ.

III.

ECCLESIA ARABUM.

ASSEMANUS, *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monop. num. 9.* ubi de Arabia, obſervat hujus regionis eccleſiam Maphriani Orientis Jacobitarum ditioni, ab ipſis Maruthæ temporibus, de quo nos ſupra *col. 1534.* egimus, fuiſſe ſubjectam: duplicem vero epiſcopum curam ejus ſuſcepiſſe; unum, *Arabum* abſolute dictum, cujus *Akula*, ut plurimum, ſedes erat, aliquando tamen *Balada* & *Telaphar:* alterum *Arabum Taalabenſium Scenitarum*, cujus ſedes *Hirta Naamanis:* utriuſque vero fieri mentionem apud Bar-hebræum in vita præfati Maruthæ Maphriani. Priorem epiſcopatum Joannes Sarugenſis Maphrianus anno Chr. 1167. in duos diviſit: mortuo enim Timotheo, Rahedo quidem diœceſim Arabum, & Baladæ, & cœnobii Moallak ſive ſancti Sergii aſſignavit, impoſito ei Joannis nomine; Abujaſerum autem qui Rahedi præceptor fuerat epiſcopum conſtituit Tel-Aphar, & Abu-Mariæ. At poſt mortem Abujaſeri in priſtinum ſtatum diœceſis illa rediiſſe videtur. Porro, qui apud Dionyſium Patriarcham, & Gregorium Bar-hebræum, ut Theodorus, Joannes, & Georgius, *Arabum epiſcopi* appellantur; ii, non *Akulæ*, aut *Baladæ*, ſed *Hirtæ Naamanis*, de qua inferius, ſedem habebant. Hæc omnia Aſſem. citatus.

EPISCOPI ARABIÆ.

I. ABRAHAM.

AD calcem cod. Syr. anno Chriſti 564. exarati, in quo aliqui tractatus Philoxeni Xenaiæ epiſcopi Mabugenſis continentur, mentio fit *Abrahami* Arabum epiſcopi. Sic enim legitur apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. p. 27. Abſolutus eſt hic liber anno Alexandri 875.* (Chriſti 564.) *menſe Aprili, die vigeſima.* Pertinuit olim ad Abraham & Jacobum epiſcopos, ut ibidem habetur. *Abrahami Arabum epiſcopi ad multos annos.*

II. TIMOTHEUS.

Anno Græc. 1478. Chriſti 1167. obiit *Timotheus* Arabum epiſcopus, ex Gregorio Bar-hebræo, apud Aſſemanum *tom. 2. Bibl. Orient. p. 452.*

III. JOANNES I.

Timotheo ſubſtituit Joannes Sarugenſis Maphrianus eodem anno Græcorum 1478. Chriſti 1167. *Rahedum* Abujaſeri monachi diſcipulum, eique impoſito *Mar-Joannis* nomine, diœceſim Arabum, Baladæ, & cœnobii Moallak, ſive S. Sergii attribuit. Quum D tamen populus univerſus Abujaſerum poſtulaſſet, Rahedumque recipere nollet, cauſa ad principis tribunal deducta, compulſus eſt Maphrianus Abujaſerum quoque ordinare, illique partem ejuſdem diœceſis committere, Tel-Aphar nimirum & Abu-Mariam, ut ſupra dictum eſt. Joannes Rahedus adhuc vive- B bat anno Græc. 1500. Chr. 1189. Eo enim anno poſt Joannis Sarugenſis Maphriani obitum, monachi cœnobii ſancti Matthæi cum Ninivitis, Moſulanis & Tagritenſibus, Charimum Maſeæ filium, ejuſdem cœnobii monachum, ex urbe Tagrito oriundum, à quatuor epiſcopis Orientalibus, quorum unus fuit Joannes iſte Rahed, in Maphrianum eligi, & ad Michaëlem I. Patriarcham ut ab ipſo conſecraretur, adduci decreverunt. Verum ubi ii epiſcopi audierunt Gregorium quemdam ejuſdem Patriarchæ ex fratre nepotem C in Maphrianum ab eo, ipſis inſciis, Dominica poſt Epiphan. fuiſſe inſtitutum, in Michaëlem excandeſcentes, hunc Charimum in cœnobio ſancti Matthæi Sabbato ante Dominicam Palmarum, Maphrianum ordinarunt; adverſus eumdem Gregorium, cui inſuper ingreſſum urbis Moſul, Ninives, & cœnobii ſancti Matthæi denegari à Moſulano præſide procurarunt. Vide ſupra, ubi de Gregorio I. inter Maphrianos, *col. 1549.* Aſſem. *tom. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph. & pp. 452. 453. & 454.*

IV. BEHENAMUS.

Anno Græcorum 1723. Chriſti 1412. *Dioſcorus,* qui & *Behenam Sciatti* Arabum epiſcopus, Ignatio IX. alias V. Patriarchæ manum impoſuit; ab eoque viciſſim tribus poſtea annis Maphrianus Orientis creatus eſt. Obiit anno 1728. Chriſti 1417. Aſſem. *ibid.*

Digitized by Google

ECCLESIA ARABUM.

in diſſert. præfata de Monoph. & *pag. 384.*

V. SABA.

Tur-Abdinenſes, poſt Azizi Bar-Saptæ ſeptimi ipſorum Patriarchæ obitum, anno Græcorum 1793. Chriſti 1482. ſciſſi ſunt in

A duas factiones, quarum una *Sabam* ſenem Arabum tunc epiſcopum ſibi in Patriarcham conſtituit, qui in cœnobio Salachæ moratus eſt; altera Joannem Inuardenſem juvenem qui in monaſterio quodam apud pagum Modiad ſedem fixit. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 386.*

IV.

ECCLESIA ARZUN.

ARZUN, Armeniæ urbs eſt, *Arzaniorum* oppidum dicitur à Procopio. In Syria ad radices montis Saji collocatur à Dionyſio Patriarcha in chronico. Abulfeda *in tab. geogr. nn. 399. & 406.* eam *Arzan*, & *Arzan-al-Rum* appellat, quia nimirum ditionis Romæorum terminus erat, apud quam Euphratem fluvium oriri ſcribit. Quartum inter epiſcopatus Maphriano ſubjectos locum tenuiſſe refert Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph.* & *p. 419.*

EPISCOPI ARZUN.

I. ACHA.

IN Kalendario Jacobitarum, quod extat cod. Syr. 32. apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 505.* recenſito, memoria colitur *Achæ* epiſcopi Arzun, die 28. Junii. Ita idem Aſſem. *ibid. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Arzun.

II. ZACCHÆUS.

Zacchæus Arzuni epiſcopus, tempore Dionyſii I. Maphriani anno Græcor. 1423.

B Chr. 1112. ordinati; eccleſiam Ninives circa annum 1440. Chriſti 1129. invaſit. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. præfat.* & *p. 449.*

III. SIMEON.

Anno Græcorum 1491. Chriſti 1180. *Simeon* Arzuni epiſcopus, & tres alii epiſcopi, conſpiratione facta adverſus Michaëlem I. Patriarcham, Theodorum Bar-Vehebun ipſi oppoſuerunt, eum antipatriarcham creantes. Aſſem. *ibid.* & *p. 368.*

◆◆

B

I.

ECCLESIA BAGDADI.

BAGDADUM urbs, ex Seleuciæ & Cteſiphontis nobiliſſimarum Perſidis civitatum ruinis, ad Tigrim ab Almanſore Abbaſidarum Califarum ſecundo, dicto Abugiafar Abdalla Arabum rege condita eſt, anno Hegiræ 145. Græcorum 1074. Chriſti 763. ut referunt Gelaleddinus Aſiutenſis in codice Arab. 46. & Elmacinus, *lib. 2. hiſtor. Sarac. cap. 3.* apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. p. 10.* & *to. 2. p. 123.* & ab eodem Califa *Bar-Aſſalam*, ſeu *Medinat-Aſſalam*, id eſt, *civitas pacis* appellata fuit: unde Syris *Medinat-Salama*, & Græcis Εἰρηνόπολις, teſte Nilo Doxapatrio *in notitia Patriarchatus Antiocheni. Babel*, ſeu *Babylon* à recentioribus nuncupatur, licet ab antiqua urbe Babylone diverſa ſit. Hæc enim ad Euphratem, Bagdadum vero ad Tigris ripas ſitum eſt. Id nomen à quodam monacho Bagdado dicto, qui eccleſiæ in illis pratis erectæ inſerviebat, ſortitam hanc urbem tradunt Ben-Caſenus apud Gabriëlem Sionitam & Joannem Heſronitam *de urbibus & moribus Orientalium cap. 2.* & Elmacinus ſupra citatus. Aliud etymon aſſignat Abulfeda *in deſcriptione Arak, fol. 76. Aiunt nonnulli*, inquit, *Bagh ſermone Perſico Hortum ſignificare, & Dad nomen proprium viri eſſe; adeoque Bagdadum, Hortum Dadi ſonat.* Hæc civitas multis ſæculis Califarum ſedes fuit: fuit etiam Chaldæorum Neſtorianorum Patriarchæ, poſt Seleuciæ & Cteſiphontis deſtructionem. Græci pariter Catholicum in ea habuerunt, ut ſcribit Nilus Doxapatrius *in notitia Patriarchatus Antiocheni.* Verum Abraham cognomento Abraza Patriarcha Neſtorianorum anno Hegiræ 300. Græc. 1224. Chriſti 913. teſte Bar-hebræo apud Aſſemanum *to. 2. in diſſert. de Monoph. num. 9.* ubi de Bagdado, *& pp. 440. & 441.* Joannem Græcorum metropolitam, quem Elias ejuſdem gentis Antiochenus Patriarcha Bagdadum miſerat, ea urbe excedere coëgit, obtento à Califa diplomate, quo decernebatur ut Elias adductus Bagdadum chirographo proprio ſe ſuoſque ſucceſſores ad has conditiones obſervandas adſtringeret, recognoſceret nimirum *non licere inpoſterum Catholico aut metropolitæ Græco in urbe Bagdado permanere, aut ſedem figere: ſed eum identidem epiſcopum aliquem eò deſtinare debere qui Græcos inibi commorantes viſitet, eorumque neceſſitatibus conſulat, deinde in* regionem

Digitized by Google

regionem ſuam regrediatur. Idem cum Jacobitis egerunt Neſtoriani apud eundem Aſſeman. *ibid. pag. 444.* eorum enim Maphriano Ignatio Bar-Chichi, ut ſupra dictum eſt *col. 1544.* Joannes Neſtorianorum Patriarcha prohiberi curavit à Califa, anno Hegiræ 394. Græcorum 1315. Chriſti 1004. ne ſedem Bagdadi figeret. Non tamen efficere valuerunt Neſtoriani, ut Jacobitæ epiſcopum ibidem non haberent Maphriano Orientis ſubjectum; Bar-hebræus ſiquidem narrat, ſe Bagdadi æſtatem anni Græcor. 1576. Chriſti 1265. tranſegiſſe, ibique quatuor ordinaſſe diaconos, & epiſcopum unum, apud eundem Aſſeman. *pag. 251.* ſed & antea epiſcopos ejuſdem urbis eos habuiſſe commemorat in vita Dionyſii Patriarchæ, à quo refert Lazarum Babylonis ſeu Bagdadi epiſcopum anno Græcorum 1140. Chriſti 829. fuiſſe depoſitum, *ibid. pag. 346.* ECCLESIA BAGDADI.

EPISCOPI BAGDADI.

I. LAZARUS.

DIONYSIUS I. Patriarcha, chronici auctor, A ut modo dictum eſt, anno Græcorum 1140. Chriſti 829. *Lazarum* Bar-Sapta, qui tunc Jacobitarum Babylonis ſeu Bagdadi epiſcopus erat, à civibus ſuis accuſatum depoſuit, ipſomet Mamone Califa, ad quem Lazarus appellaverat, ſententiam ejus approbante. Porro Lazarus iſte, ipſe eſt *Baſilius Philoxenus* Anaphoræ, ſeu Liturgiæ Syriacæ ſcriptor, cujus mentio fit in codice Nitr. 4. fol. 218. apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. pag. 562.* & B *to. 2. pag. 123.* ubi poſt relatas aliorum Anaphoras legitur, *Baſilii, alias Philoxeni, epiſcopi Bagdadi, qui & Lazarus Bar-Sapta.* Item in codice Syriaco 31. *tom. 2. pag. 505.* extat *Lazari epiſcopi Bagdadenſis* tractatus *de baptiſmo.* Bar-hebræus quoque in Ethicis *part. 1. cap. 5. ſect. 4.* de cantuum inventoribus differens, de Lazaro hæc habet, quæ Aſſemanus recitat *to. 1. p. 167. Licet autem Cyrinus* filius Manſur, (is eſt S. Joannes Damaſcenus) *Chalcedonenſem ſynodum profiteretur, cantibus tamen ſuis nihil eorum obtruſit quæ* C *ſchiſmati* (Jacobitarum) *occaſionem præbuere. Qua de cauſa conſcripti ab eodem cantus in noſtras eccleſias, tum in Oriente, tum in Occidente,* (id eſt, in Chaldæa, & Meſopotamia) *introducti ſunt, teſte præſtantiſſimo epiſcopo Lazaro Bar-Sapta.*

II. * * *

Lazaro deſtituto *alium* idem Dionyſius Patriarcha ſubrogavit eodem anno Græcorum 1140. Chriſti 829. ut conjicere pronum eſt. Aſſemanus, *to. 2. in diſſert. de Monoph.* & *pag. 346.*

III. BASILIUS.

Baſilius, qui & *Matthæus,* epiſcopus Bagdadi erat anno Græcor. 1500. Chriſti 1189. ex quatuor enim epiſcopis Orientalibus unus fuit, per quos cœnobitæ Matthærani, cum Ninivitis, Moſulanis, & Tagritenſibus, Charimum Maſeæ filium, in Maphrianum eligi, & ad Michaëlem I. Patriarcham conſecrationis cauſa adduci curaverant: ut ſupra fuſius dictum eſt, ubi de Joanne I. Arabiæ epiſcopo *col. 1568.* Aſſemanus, *tom. 2. Bibl. Orient. pp. 453. & 454.*

IV. TIMOTHEUS.

Gregorius Bar-hebræus, dum Maphrianus erat, hæc de ſe ipſo ſcribit apud eumdem Aſſem. *ibid. p. 251. Maphrianus autem Bagdadi æſtatem* (anni Græcorum 1576. Chriſti 1265.) *exegit, ordinavitque quatuor diaconos, atque epiſcopum eidem urbi Bagdad conſecravit, Joſue* (ſcilicet) *monachum ex cœnobio Mar-Ananiæ, qui Timothei nomen aſſumpſit.*

II. ECCLESIA BALADÆ.

BALADA, quam *Balat* Maſius appellat *in præfat. ad Barcepham,* urbs Meſopotamiæ eſt ad Tigrim ſita, teſte Abulfeda *in tab. geogr. n. 255.* Ad diœceſim epiſcopi Arabiæ apud Jacobitas pertinuit, ſed à Joanne Sarugenſi Maphriano, ut ſupra explicatum eſt ubi de Joanne I. Arabiæ epiſcopo, *col. 1567.* epiſcopus ei peculiaris ordinatus eſt, nimirum qui ſequitur. Aſſemanus, *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monophyſ. num. 9.* ubi de Arab. & de Balada, *& p. 452.*

EPISCOPI BALADÆ.

JOANNES.

ANno Græcorum 1478. Chriſti 1167. mortuo Timotheo Arabum epiſcopo, Joannes Sarugenſis Maphrianus *Rahedum* ſubſtituit, eique impoſito *Joannis* nomine, diœceſim Arabum, & *Baladæ,* & cœnobii Moallak, ſeu ſancti Sergii aſſignavit. Aſſem. *ibid.*

Digitized by Google

III.

ECCLESIA BEHERINI.

BEHERINUM, urbs eſt Charmæ proxima, ditionis Maphriani. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monophyſ. num. 9.*

EPISCOPI BEHERINI.

GEORGIUS.

THOMAS Tagritenſis, à Dionyſio I. Patriarcha ad Maphriani dignitatem evectus, quum in urbem Tagritum veniſſet, *Georgium* Beherinenſem epiſcopum damnavit quod A Charmæ diœceſim uſurpaſſet. Id contigit ante diem 8. Maii anni Græcorum 1157. Chriſti 846. quo Thomas ille obiit. Georgius vero ad extremum Chriſtianam fidem ejuravit. Aſſem. *ibid.* & *p. 437.*

IV.

ECCLESIA BETH-ARSAM.

BETH-ARSAM, pagus erat ſive oppidulum apud Seleuciam, Bar-hebræi temporibus. Hanc Græci *Arſamopolim* dicunt. *Beth-Arſam* Syri, id eſt *domum*, ſeu *urbem Arſamæ.* Fortaſſis Arſames Perſarum rex, Darii pater, huic urbi nomen dedit. Aſſem. *tom. 1. Bibl. Orient. p. 341.* & *to. 2. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Beth-Arſam. Dionyſius in chron. ad annum Græcorum 821. Chriſti 510. ei præfuiſſe *Simeonem* teſtatur, quem ſub Cavade Perſarum rege, adverſus Neſtorianos, pro fide orthodoxa murum ſeſe oppoſuiſſe affirmat. *Diplomate* enim *regio munitus,* inquit, apud Aſſem. *in diſſert. præfata* & *p. 409. quacumque pertranſiit, chirographum ab Armenis, Græcis, Syriſque accepit, profitentibus ſe à fide Neſtorianorum alienos eſſe; litteraſque ſubſcriptionibus ſingulorum firmatas ad regem attulit, qui ſigillo eaſdem firmavit: appellatæque ſunt codices confeſſionis, & in eccleſia Tagriti urbis repoſitæ, quæ ſola corruptionem Barſumæ* Niſibeni *evaſerat.* Beth-Arſamenſi eccleſiæ præfuit ab anno Græcorum 821. uſque ad 836. id eſt ab anno Chriſti 510. uſque ad 525. Hæc de eo tradit Dionyſius Patriarcha, apud eumdem Aſſeman. *tom. 1. pag. 341. Anno* (Græcorum) 821. *claruit S. Simeon epiſcopus Beth-Arſam, qui & Simeon ſophiſta Perſa appellatur. Hic aliquando tres ex ſecta Magorum primarios nobileſque viros Chriſtiano dogmate imbuit, baptizavitque. Quod quum eorum ſocii comperiſſent, eos ſcilicet relicta Magorum ſecta, Chriſtianam religionem amplexos fuiſſe, apud regem eoſdem deferunt, mandatumque accipiunt, niſi fidem Chriſti abjurarent, ut morti traderentur. Ii vero qui corona vitæ digni habiti fuerant, nec minas, nec gladium regis metuentes, incitante eos maxime ad ſubeundum fortiter pro vita æterna martyrium beato Simeone; Abſit, aiebant, ut abnegemus Deum vivum qui fecit cœlum & terram, & Filium ejus Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, qui nos ad ſe pro ſua gratia vocavit, & adduxit: Abſit, ut hunc abnegemus, & creaturam ejus pro ipſo adoremus. Tunc beati decimo à ſpirituali eorumdem regeneratione die per celerem gladii mortem ad Deum martyrio coronati migrarunt.* Aſſemanus *ibid.* Simeonem ex illis fuiſſe arbitratur qui non palam quidem Chalcedonenſe concilium admitterent, ejus tamen fidei definitionem approbabant ſecundum unitivum Zenonis Imperatoris decretum. Verum ejus orthodoxiæ minus favet, ipſomet fatente, quod huic edicto ſubſcripſerit in quo altum de ſacro concilio Chalcedonenſi, & de ſancti Leonis epiſtola extat ſilentium; quod Anaſtaſium Imperatorem, Xenaiam ſeu Philoxenum Hierapolis antiſtitem infenſiſſimum fidei Chalcedonenſis hoſtem, & Cyrum Edeſſenum, ceu Catholicos laudaverit in epiſtola quam *de Barſuma Niſibeno deque Neſtorianorum hæreſi in Perſidem invecta* ſcripſit, & Aſſemanus ex cod. Syr. 11. tranſlatam edidit *to. 1. pp. 346. & ſeqq.* quod denique in eadem epiſtola, anathema Ibæ ac Theodoreto dixerit à ſynodo Chalcedonenſi abſolutis. Hinc etiam illum Stephanus Edenenſis ad ſcriptorum Jacobitarum gregem detrudit, *libro de hæreticis Anaphorarum auctoribus, cap. 7. n. 12.* Ab hæreſi nihilominus Monophyſitarum non parum eum abluit, quod ipſemet narrat in altera epiſtola ad cognominem Simeonem Gabulæ abbatem, de martyribus Homeritis, *to. 1. pp. 358. & ſeqq.* ipſum Hirta Naamanis die 20. Canun poſterioris, id eſt Januarii anni octingenteſimi-trigeſimi-quinti, Chriſti 524. profectum cum Abrahamo presbytero Euphraſii filio, qui à Juſtiniano, id eſt Juſtino ſeniore, (hunc enim Orientales Juſtinianum I. appellare ſolent) ad Monderum, ſive Alamundarum, ut græci latinique vertunt, Arabum regem fœderis paciſcendi cauſa delegatus fuit. Amicus ergo hujus Simeonis erat Abrahamus Juſtini legatus, ejuſque & reliquorum fidelium in Perſide atque Arabia degentium cauſam auctoritate Juſtini contra hæreticos tuebatur.

Digitized by Google

Quod autem Zenonis henoticon ſuſceperit Beth-Arſamenſis, id potuit fieri abſque eo quod hæreſim Monophyſitarum amplecteretur. Multi enim Catholici, (inter quos S. Flavianus Antiochiæ Patriarcha, & S. Elias Hieroſolymorum antiſtes memorantur,) ut pacem eccleſiis conciliarent, malebant Chalcedonenſe concilium ſilentio premere, quam illud palam approbando vehementiores in ſuis eccleſiis excitare tumultus. Præterea Chalcedonenſem ſynodum ſe amplecti ſatis inſinuat, in illa ipſamet priori epiſtola, eam fidem ſe tenere affirmans, *quam ſequuti ſunt, confirmaruntque quadringenti nonaginta & quinque epiſcopi Alexandriæ magnæ, Antiochiæ in Syria, Cappadociæ & Galatiæ:* ii quippe epiſcopi ſunt qui Leoni Imp. pro Chalcedonenſi concilio reſcripſere. Et certe licet ſynodi Chalcedonenſis mentionem non faciat in ea epiſtola, non tamen eam damnat, aut ſugillat; quod utique præſtitiſſet, ut cæteri Monophyſitæ, ſi Monophyſita fuiſſet. Obſervandum tandem occurrit Neſtorianam luem in Perſide, ſub Barſuma Niſibeno ſic altas radices egiſſe, ut non de Chalcedonenſi concilio, ſed de Epheſino controverſia ubique agitaretur: unde in id Catholicis ibi maxime incumbendum erat, ut eam hæreſim penitus profligarent. Mirum itaque videri non debet, ſi Neſtorii fautores in ea epiſtola proſcripſerit, quorumdam vero è contra Monophyſitarum in avertenda Neſtoriana hæreſi ardentiorum ſtudium laudaverit, & laborem. Hæc Aſſem. *to. 1. pp. 342. & ſeqq.* De hujus ſedis epiſcopis Jacobitis nihil ad notitiam noſtram venit.

V. ECCLESIA BETH-CUDIDÆ.

BETH-CUDIDA, ſeu *Beth-Cudidia*, caſtrum eſt regionis Niniviticæ, haud procul à cœnobio ſancti Matthæi, & Bartela. Bar-hebræus refert de ſeipſo, apud Aſſeman. *to. 2. Bibl. Orient. p. 260.* quod *profectus Niniven diebus Dominici jejunii anno Græc. 1595.* Chriſti 1284. *Raban Jobum ex domo Cudidia elegerit, atque per impoſitionem manus epiſcopum conſecraverit, qui Joannis nomen aſſumpſit, & eccleſiæ Nuhadrenſium præfectus eſt, fueritque undecimus eorum, quos ipſe,* dum *Maphrianus* erat, *in Oriente conſecravit.* Aſſemanus *to. 2. Bibl. Or. in diſſertat. de Monophyſ. num. 9.*

VI. ECCLESIA BETH-CHINO.

BETH-CHINO, ſeu *Beth-Chionia* urbs eſt apud Moſul, & Beth-Raman, ex qua oriundus videtur Joannes II. Maphrianus, cui Bionitæ, id eſt, Chionitæ cognomentum fuit, littera Syriaca Ch. in B vitio amanuenſis mutata. Aſſem. *ibid.*

EPISCOPI BETH-CHINO.

MOSES.

AUctor anonymus ad calcem cod. Syr. 32. hæc de eo *Moſe* cognomento *Bar-Cepha*, inter Jacobitas celeberrimo tradit, apud Aſſemanum *to. 2. Bibl. Orient. pp. 218. & 219. Pater ejus erat ex Chohail pago ad Tigrim fluvium, qui hodie Maſciahad-Chohol dicitur; mater vero ex Balad urbe. Natus autem & educatus fuit in eadem urbe Balad. Nomen patris ejus Simeon, & nomen matris Maria, & vocatus fuit Moſes Bar-Cepha: Moſes quidem de nomine patrui, qui erat doctor in eccleſia magna Beth-Sciahak, magiſter David Beth-Raban, &c. Scripturam doctus fuit à Raban Cyriaco archimandrita Mar-Sergii in Monte-Sajo ad latus Balad urbis. Poſtea monaſticum habitum induit in eodem cænobio Mar-Sergii, & electus fuit in epiſcopum Moſul, & Beth-Raman, & Beth-Chiuniæ, & Mar-Severi nomen aſſumpſit: expoſuitque omnes libros eccleſiæ, & vixit nonaginta circiter annos, rexitque* A *epiſcopatum annis quadraginta. Tagritenſium vero viſitator fuit per annos decem, &c. Rogarunt eum Ignatius Karontæ, & Cyriacus ejus præceptor, & Abibus ejus itidem magiſter ut exponeret Pſalmos, & Paulum: & expoſuit Evangelium, & Pentateuchum, & librum Judicum, & librum Prophetarum, & Actus Apoſtolorum, & Apoſtolum; & duos Theologi* (Nazianzeni) *tomos: & fecit librum diſputationum adverſus hæreſes, & librum hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Denique obiit .... anno Græc. 1214.* Chr. 903. *menſe Februario, die 12. Sabbato. Deus eum in* B *cœtibus Apoſtolorum ejuſdem ſociorum conſtituat, noſque adjuvet per ejus orationes, amen.* Huc uſque anonymus ex quo Andreas Maſius vitam hujus Bar-Cephæ concinnavit, ſed anno Græcorum 1224. pro anno 1214. & die 13. Februarii, pro 12. ejuſdem menſis perperam ſubſtitutis. Bar-hebræus enim dicit, ut anonymus, *Mortuus eſt autem hic epiſcopus die 12. Februarii menſis, anno Græcorum 1214. & ſepultus eſt in cænobio Mar-Sergii in monte.*

Digitized by Google

ECCLESIA BETH-CHINO.

Addit Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 219.* extare in cod. Syriaco 31. nunc Vaticano, ejuſdem Bar-Cephæ *librum de anima*, capp. 40. *Commentarium de ſacro Chriſmate*, capp. 50. *De Baptiſmo*, capp. 24. *& de Aſcenſione Domini*, capp. 20.

VII.

ECCLESIA BETH-RAMAN.

BETH-RAMAN, urbs eſt Ninivíticæ regionis; inter epiſcopales Maphriano ſubjectas numeratur ſexta, apud Aſſem. *to. 2. pag. 419.* Olim *Beth-Razich* dicta fuit, vel *Beth-Vazich*, ut alii volunt. In ea regione S. Milleſius cum ſociis, & S. Daniël cum Varda virgine ſub Sapore Perſarum rege martyrio coronati ſunt, de quibus Aſſeman. *tom. 1. Bibl. Orient. pp. 12. 186. 187. & 188.* Item *to. 2. in diſſert. de Monoph.*

EPISCOPI BETH-RAMAN.

I. MOSES.

DE eo *Moſe*, qui & *Bar-Cepha*, modo differuimus; hoc ejus cognomentum *Bar-Cepha, Cephæ* ſeu *Petri filium* ſignificat. Dionyſius Bar-Salibæus in expoſitione Liturgiæ Syriacæ *cap. 10.* cum nominat *Moyſen Moſuli*, & *Moyſen Bar-Cepham Moſuli*, quod confirmat ipſum fuiſſe Moſuli epiſcopum, ut etiam anonymus ejus vitæ ſcriptor diſerte tradit. In tractatu de opere ſex dierum, *part. 1. cap. 18.* docet animas juſtorum, poſt exitum à corpore, in paradiſo terreſtri detineri, uſque ad communem omnium reſurrectionem. Ita Aſſeman. *tom. 2. p. 130.* qui addit eamdem eſſe recentiorum Græcorum de omnibus ſanctorum animabus ſententiam, eas ſcilicet in paradiſo voluptatis, aut in aliquo alio terreſtri loco degere uſque ad diem judicii. De quo ad Bellarminum remittit, *de Sanct. Beatit. cap. 1.* & ad Renaudot. *tom. 2. Liturg. Orient. p. 333.*

II. MICHAEL.

Gregorius Bar-hebræus, anno Græcorum 1589. Chriſti 1278. Tagrito Niniven reverſus, *Michaëlem*, cognomento *Mochles*, eccleſiæ Beth-Raman conſecravit. Sic ipſemet in chronico, apud Aſſem. *to. 2. p. 255.*

VIII.

ECCLESIA BETH-SAIDÆ.

BETH-SAIDA, de qua hic agimus, non eſt oppidulum Galilææ patria S. Petri Apoſtoli, ſed Ninivíticæ regionis civitas. Hæc titulares epiſcopos habuit: ex quo enim Ignatius II. cognomento Lazarus Maphrianus anno Græc. 1464. Chriſti 1153. Moſulanam diœceſim, qua Ninive & cœnobium S. Matthæi continebantur Tagritenſi conjunxit, ejus ſucceſſores, ut epiſcoporum ſibi ſubjectorum numerum augerent, ſuffraganeos quoſdam epiſcopos ad titulum adjacentium caſtrorum inſtituerunt, quos veluti vicarios ſuos Tagriti, vel Maipheractæ, vel in monaſterio ſancti Matthæi reſidere jubebant. Hujuſmodi fuerunt, teſte Bar-hebræo, Severus Jacobus Bar-Sciacco, Baſilius Abraham, &c. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monophyſ. & pp. 255. & 455.*

EPISCOPI BETH-SAIDÆ.

BASILIUS.

PRæfatus Gregorius Maphrianus refert in chronico, apud Aſſem. *to. 2. pag. 255.* à ſe anno Græcorum 1589. Chriſti 1278. in urbe Ninive ordinatum fuiſſe *Baſilium*, qui & Raban *Abraham*, cœnobioque ſancti Matthæi ad titulum eccleſiæ Beth-Saidæ præfectum.

C

I.

ECCLESIA CHARMÆ.

CHARMA, inter epiſcopatus Maphriano ſubjectos ſedes ſeptima, apud Aſſemanum, *to. 2. p. 419.* eadem non videtur ac *Charmadara*, quæ ſupra Samoſatam ad Euphratem poſt duodecim millia paſſuum extat in Auguſtana tabula, & *Cholmadara* dicitur juxta Euphratem à Ptolemæo *lib. 5. cap. 15.* Charmadara enim Syriæ Euphratenſis erat, adeoque Patriarchæ potius Jacobitarum ditionis, quam Maphriani Orientis: Charma è contra, ut Beherinum, Perſidis oppidum fuit, vel ſaltem Perſidi vicinum; quandoquidem Georgius Beherini epiſcopus, ſæculo nono Charmenſem eccleſiam uſurpavit, ſuique juris fecit.

Digitized by Google

EPISCOPI CHARMÆ.

I. Zacchæus.

ANno Græc. 1066. Chriſti 755. ex Dionyſii Patriarchæ chronico, Georgii electioni in Patriarcham in ſynodo Mabugenſi adfuit cum pluribus aliis epiſcopis *Zacchæus* Charmæ; apud Aſſem. *tom. 2. Bibl. Or. p. 111.* qui tamen obſervat, *p. 340.* in hac temporis epocha mendum eſſe amanuenſis incuria, qui Georgii ordinationem anno Græcorum 1070. Chr. 759. factam, loco non ſuo deſcripſit. In ſupra memorato Dionyſii chron. apud eumdem Aſſem. *ibid. p. 115.* aſſignatur Zacchæi obitus ad annum Græcor. 1084. Chriſti 773. *Anno 1084.* inquit, *obiit Paulus epiſcopus Tagrit, Zacchæus Charmæ, & Jonas Neardæ; quorum in locum nemo ſuffectus fuit, dum Georgius Patriarcha in vinculis detineretur: Davidem enim pro legitimo Patriarcha haud agnoſcebant.*

A

II. Georgius *intruſus.*

Thomas hujus nominis inter Maphrianos primus, à Dionyſio I. Patriarcha ordinatus, ante annum Græcorum 1156. Chriſti 845. quo ille Patriarcha obiit, quum Tagritum veniſſet, *Georgium* Beherinenſem epiſcopum, de quo ſupra *col. 1540.* damnavit, eo quod Charmæ diœceſim uſurpaſſet. Charmenſes autem cauſam Georgii propugnantes Maphrianum à præſide in carcerem mitti curarunt, unde tamen octo poſt menſibus declaratus innocens exiit. Georgius ad extremum defecit à chriſtiana fide. Aſſeman. *to. 2. Bibl. Or. p. 437.*

B

III. Basilius.

Anno Græc. 1575. Chriſti 1264. conſecrationi Ignatii III. Patriarchæ in monaſterio Gavicathæ apud Mopſueſtiam Ciliciæ urbem ſito interfuit *Baſilius* Charmæ epiſcopus. Aſſem. *ibid. p. 379.*

G

I. ECCLESIA GOZARTÆ.

GOzarta ſeu *Gazarta*, id eſt, *Inſula*, variis nominibus inſignitur, ſcilicet *Gozarta Cardu*, aut *Cardoa*, ſeu *Carduchia*, à proximis montibus Carduchiis: Neſtorianis *Gozarta Zebedæa:* Arabibus *Gezira*, & *Gezirat-Ebn-Omar: Bezabde* & *Bizabda* dicitur Ammiano, *lib. 20. cap. 15. Zabdicene* S. Hieronymo *in chronico ad annum 11. Conſtantis: Gezerta* denique Maſio *in præfat. ad anaph. S. Baſilii,* qui eam *Tigris inſulam* ſcribit *duodecim circiter paſſuum millibus ſupra Mozal* (Moſul) *poſitam, decem fere millia paſſuum ſuo ambitu continentem, muris undique cinctam, & à paucis aliis quam Chriſtianis hominibus habitatam.* Inter epiſcopatus Maphriano ſubjectos octavo loco recenſetur, *tom. 2. Bibl. Orient. p. 419.* Idem Aſſem. *ibid. in diſſert. de Monophyſ. n. 9.*

EPISCOPI GOZARTÆ.

I. Basilius.

ANno Græc. 1483. Chr. 1172. *Baſilius Marcianus* Gozartæ epiſcopus, Arabum hujus loci opera, qui falſa inſtrumenta produxere, in carcerem truſus fuit. At Gaziræi Jacobitæ ſoluto pretio illum liberari, & cœnobium apud eam urbem ſitum, quod ſimul invaſerant, ſibi reſtitui curarunt. Aſſemanus, *to. 2. Bibl. Or. p. 452.*

C

II. Dionysius.

Dionyſius, qui & *Saliba* Capharſaltenſis, Gozartæ epiſcopus erat anno Græc. 1533. Chriſti 1222. quo ab Ignatio II. Patriarcha, ſtatim atque ad hanc dignitatem promotus eſt, Maphrianus renuntiatus fuit. Obiit anno 1542. Chriſti 1231. à Curdis, contra quos armatus proceſſerat, lancea confoſſus. Aſſemanus, *tom. 2. Biblioth. Orientalis pp. 375. & 454.*

III. Gregorius.

Gregorium Joſephum, anno 1554. Chriſti 1243. Joannes Bar-Maadani tunc Maphrianus, epiſcopum Geziræ conſtituit. Aſſeman. *ibid. & p. 454.*

IV. Joannes.

Gregorius Bar-hebræus refert de ſeipſo in chron. quod dum erat Maphrianus, *Niniven* veniens, *epiſcopum Gozartæ Cardoæ anno Græcorum 1577.* (Chriſti 1266.) *dederit Vehbum*

D

monachum ex cœnobio S. Matthæi, qui Joannes eſt appellatus, apud Aſſemanum *tom. 2. Bibl. Orient. p. 251.* Addit *ibid. p. 256.* quod *anno Græc. 1591.* (Chriſti 1280.) *feria 4. hebdom. Paſſionis, obierit Joannes ille epiſcopus Gozartæ Cardoæ, quum ante obitum res ſuas omnes diſpenſaſſet, quia à multo tempore ægrotabat. Redemit autem captivos in vinculis detentos, & ad cœnobium atque ad Maphrianum*

Digitized by Google

ECCLESIA GOZARTÆ.

pro facultate quod habuit miſit; nec vel unum A obolum poſt ſe reliquit.

V. DIOSCORUS.

Idem Bar-hebræus, apud eumdem Aſſeman. *tom. 2. Bibl. Or. p. 262.* hæc de Joannis ſucceſſore ſcribit: *Dominica die* (25. Novemb.) *poſt inventionem* quarumdam *reliquiarum* (anno Græcorum 1596. Chriſti 1285.) *conſecravit Maphrianus* (ipſemet) *Gabrielem monachum Bartelenſem ex cœnobio S. Matthæi, epiſcopum Gozartæ urbis Cardu, quem Dioſcorum nominavit, poſtquam ea eccleſia vidua manſerat ad quinquennium.* Hic porro Dioſcorus Liturgiæ auctor videtur quam Renaudotius cum Syriacis aliis edidit, *to. 2. p. 492.*

VI. * * *

Gregorius Matthæus Maphrianus, duos epiſcopos ordinavit, ante ann. utique Græc. 1656. Chriſti 1345. quo menſe Januar. ipſe diem clauſit extremum, unum quem Sigaræ urbi præfecit; alterum quem Maaræ, & Niſibi & *Gozartæ Cardoæ.* Aſſemanus *tom. 2. Bibl. Orient. p. 460.*

VII. CHALEPH.

Chaleph Maadanenſis Gozartæ epiſcopus erat anno Græcor. 1766. Chriſti 1455. quo ad Patriarchatum aſſumptus eſt, & Ignatius X. alias VI. nuncupatus. Obiit anno 1795. Chriſti 1484. Aſſem. *ibid. pp. 385. & 386.*

II. ECCLESIA GULMARGÆ.

GULMARGA urbs eſt prope Sigaram; ad Maphriani ditionem olim ſpectabat. Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monophyſ. num. 9.*

EPISCOPI GULMARGÆ.

JONAS.

JOANNES Bionita Maphrianus renuntiatus fuit in ſynodo epiſcoporum Orientalium habita in monaſterio Canoſciæ ditionis Sigaræ propter *Jonam* Gulmargæ epiſcopum, quem decretum hujus ſynodi adverſum ſe latum B ſpernentem idem Maphrianus, Tagritum reverſus, damnavit. Id porro contigit ante annum Græc. 1101. Chriſti 790. quo Georgius Patriarcha, Maphriani hujus conſecrator, fato functus eſt. Aſſemanus, *ibidem & p. 432.*

III. ECCLESIA GUMAL.

GUMAL, urbs eſt in regione Maragæ ſita, inter epiſcopatus Maphriano ſubjectos quintum tenebat locum. Aſſemanus *to. 2. in diſſert. de Monoph. & p. 419.*

EPISCOPI GUMAL.

AITALLAHA.

EPiſcopi Orientales qui anno Græcorum 940. Chriſti 629. Marutham metropolitam magnum Orientis, ſive Maphrianum ordinarunt in urbe Tagrito, *Aitallaham* identidem urbis Gumal epiſcopum initiarunt. Aſſemanus, *ibidem.*

H

I. ECCLESIA HADETH *ad* TIGRIM.

DUplex hujus nominis extat civitas, teſte Abulfeda *in tab. geogr. nn. 258. & 262.* una in Meſopotamia ad Euphratem fluvium haud procul ab Anbara, ſeu Pheroz-Sapor: altera extra Meſopotamiam ad Tigrim verſus Ortum, ubi Zeba major Tigri miſcetur. Hadethæ ad Tigrim epiſcopatus Neſtorianorum ſub metropolita Moſulano mentio occurrit in tabula Eliæ, apud Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph. & p. 459.* Jacobitæ pariter in ea urbe epiſcopum habuerunt.

EPISCOPI HADETH *ad* TIGRIM.

ABRAHAM.

IN cod. Nitrienſi II. Syriaco, apud Aſſem. *tom. 1. Bibl. Or. p. 561.* hæc leguntur, ipſo teſte: « Quatuor Evangelia Syriacè ſcripta « à Joanne in caſtro Urema ſub Theodoro epi- « ſcopo, menſe Septembri anno Græc. 1047. « (Chriſti 736.) viſa & emendata à Georgio «

Digitized by Google

» epiſcopo, quæ olim pertinuerant ad *Abraham* » Hadethenſem.» Hic Hadeth ad Tigrim memoratam cenſet idem Aſſeman. *to. 2. in diſſert. de Monoph. n. 9.* cujus proinde epiſcopus ille fuerit ante annum 1047. Chriſti 736.

II. JOSEPH.

Cod. Arabicus Vatic. 40. cujus meminit Aſſemanus, *to. 2. Bibl. Orient. p. 509.* hæc habet: *In fol. bomb. 159. Arabicis litteris & ſermone exaratus à Moyſe Ataſcia preſbytero Hadethenſi Jacobita anno Græcorum 1766.* (Chriſti 1455.) *die 24. Novemb. ſub Patriarchis Ignatio Antiocheno* (X. alias VI. qui & Chaleph, eo anno promoto Dominica Pen-A tecoſtes) *& Matthæo Alexandrino* (qui probabiliter Matthæus ille eſt XC. Patriarcha ex Sahid ſive Thebaïde oriundus, quem Bollandi continuatores dicunt ultimum fuiſſe à quo chriſma conſecratum fuerit uſque ad annum Jeſu-Chriſti 1703. ut ad ipſos ſcripſit Bernatus: hæc de eo Matthæo Renaudot. *in hiſt. Patr. Alexandr. p. 611.*) *& Baſilio Maadani Maphriano* (hujus nominis VI. qui & Barſuma Maadanenſis, ac eo anno obiit) & *Joſepho Cyrillo epiſcopo* (utique hujus loci, ſive *Hadeth*, ſiquidem non dicitur alterius loci antiſtes.) Joſeph itaque hic Cyrillus Hadethæ erat epiſcopus ſub Maphriano Orientis, anno Græc. 1766. Chriſti 1455.

ECCLESIA HADETH ad TIGRIM.

II. ECCLESIA HADITHÆ *in* SEGESTANA.

TErtia *Haditha* fuit, quam *in Segeſtana* dicit Bar-hebræus, apud Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* & *p. 362.* Hujus epiſcopus memoratur Aaron.

EPISCOPI HADITHÆ *in* SEGESTANA.

AARON.

CIrca annum Græc. 1466. Chriſti 1155. ſub Athanaſio VIII. Barchetre ſedebat *Aaron* Hadithæ in Segeſtana epiſcopus, quem Ignatius II. Maphrianus ordinaverat. Is ad ſectam Mahometanam tranſiit, poſtea tamen reſipiſcens, quum ſuam ſedem recuperare non poſſet, Conſtantinopolim profectus eſt, ibique B fidem ſuſcepit Chalcedonenſis ſynodi. Mox in Syriam reverſus, iterum Alchorano manus dedit: ſed rurſus chriſtiana reſumpta profeſſione, ad pœnitentiam peragendam Hieroſolymam petiit, deinde ad montem Libanum apud Maronitas ſeceſſit, ubi vita functus eſt. Aſſemanus, *tomo 2. in diſſertat. de Monoph. n. 9. & p. 362.*

III. ECCLESIA HARNUÆ.

HARNUA nobilis Choraſanæ urbs eſt; hanc Amrus in tabula ſedium epiſcopalium Neſtorianorum, apud Aſſeman. *to. 2. Bibl. Orient. p. 458.* & Abulfeda *in tab. geogr. n. 501. Haram* appellant. Idem Aſſem. *ibid. in diſſert. de Monoph. n. 9.*

EPISCOPI HARNUÆ.

* * *

EPiſcoporum Jacobitarum Harnuæ nullus alius occurrit, præter eum non nominatum, quem Maruthas Maphrianus ordinavit, teſte Bar-hebræo his verbis, apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſ. de Monoph. n. 9. & p. 420. Per idem tempus, Orthodoxorum* (id eſt Jacobitarum) *numerus in Perſide auctus eſt, & ingens Edeſ-* C *ſenorum numerus, qui à Perſis in captivitatem abducti fuerant, domicilium in Segeſtana & Choraſana fixere, qui ad Marutham Maphrianum legationem miſerunt, epiſcopos ſibi ordinari poſtulantes. At ille unum quidem epiſcopum Segeſtanæ inſtituit, alterum Harnuæ, & tertium Adorbiganæ.* Obiit Maruthas, ut ſupra dictum eſt, anno Græc. 960. Chriſti 649.

IV. ECCLESIA HASSASSINITARUM.

REgio *Haſſaſſinitidis* Tagritenſis ditionis eſt, eamque Arabes *Haſſaſſam* dicunt, unde ejus incolæ *Haſſaſſini, Aſſiſſini*, vel *Haſſaſſinitæ* nuncupantur. In illa porro regione, non ſolum Mahometani degunt, quorum meminere Guillelmus Tyrius *lib. 20. hiſt. cap. 31.* Jacobus de Vitriaco *hiſt. Hieroſ. cap. 81.* & Renaudot. *hiſt. Patr. Alex. pag. 320.* verum etiam Chriſtiani Jacobitæ, ex ſuo præſertim ſchiſmate, ob illa Liturgiæ Syriacæ verba

Digitized by Google

ECCLESIA HASSASSINITARUM.

panem cœleſtem frangimus in nomine Patris, &c. quæ expungi vel demiſſa voce proferri nolebant, in Jacobitarum Syrorum hiſtoria noti, de quo nos ſupra *coll. 1374. 1542. & 1543.* Duravit quidem hoc illorum diſſidium ab anno circiter Chriſti 890. uſque ad annum 1178. quo ſub Michaële I. Patriarcha reconciliari petierunt. An vero tunc ad aliorum Jacobitarum mentem & morem, circa hæc verba, ſeſe accommodaverint, clare non traditur. Vide Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph. n. 7. verſus finem*, ubi de Jacobitarum ſchiſmatibus, & *n. 9.* ubi de Haſſaſſinitide, & *pp. 203. 204. 215. 341. 343. 366. 440. & 452.*

EPISCOPI HASSASSINITARUM.

I. PHERAA.
II. MATTHÆUS.

Ex quo Haſſaſſinitæ circa annum Græc. 1201. Chriſti 890. à cæteris Jacobitis receſſere, ſub Athanaſio I. Maphriano, ſibique Zebinam Joannis III. Patriarchæ diſcipulum in Patriarcham aſſumpſerunt, unum duntaxat novimus *Pheraa* nomine, quem Zebina ille metropolitam ſeu Maphrianum eorum ordinavit. Ejuſdem tamen factionis præſulem A quoque fuiſſe *Matthæum* cognomento *Paſtorem*, Anaphoræ Syriacæ auctorem, quem revera ex Syrorum monumentis clariſſ. Stephanus Edenenſis Maronita, *de Orthodoxis Liturgiarum ſcriptoribus c. 2. n. 6.* Haſſaſſinitis præfuiſſe ſcribit, ſuſpicatur Aſſem. tum exinde, tum etiam ex ſtilo hujus Anaphoræ, & ex more epiſcoporum ejuſdem ætatis Liturgias condendi. *to. 2. in diſſert. de Monoph. n. 9. & pp. 320. & 440.*

V. ECCLESIA HIRTÆ NAAMANIS.

Hirta, quæ & *Hirta Naamanis*, urbs Aſſyriæ eſt, Cupha tribus millibus diſtans; dicta eſt autem *Naamanis*, inquit Abulfeda *in tab. geogr. n. 270.* quia *ibi ſedes erat Naamanis filii Monderi, ibique Chriſtianam religionem amplexus Monderus filius Amrilcaiſi, magnificas eccleſias conſtruxit.* Ut Neſtoriani in ea urbe epiſcopos, ita & ſuos habuerunt Jacobitæ. Aſſemanus, *to. 2. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Hirta.

EPISCOPI HIRTÆ.

I. THEODORUS.
II. ACHUDEMES.
III. JOANNES.
IV. GEORGIUS.

Dionysius Patriarcha in chr. ad annum Græcor. 862. Chr. 551. ſcribit *Theodorum*, eo utique anno, ordinatum fuiſſe epiſcopum Hirtæ Naamanis, nimirum Arabum Chriſtianorum qui Naamani dynaſtæ parebant. Huic porro ſucceſſiſſe oportet *Achudemem*, ex epiſcopo Arabum, ad metropolitani ſeu Maphriani Orientis dignitatem evectum à Jacobo Baradæo Zanzalo anno Græcorum 870. Chriſti 559. quamvis præfatus Dionyſius de Achudeme hic ſileat, & Theodoro ſuffectum fuiſſe afferat anno Græcor. 928. Chr. 617. *Joannem*, quem *Arabum epiſcopum* dicit, & inter alios præſules Jacobitas floruiſſe ab eo anno 928. uſque ad annum 961. Chr. 650. quo obiit, & Amidæ ſepultus eſt in templo S. Joannis-Baptiſtæ. Demum eo anno 961. B Joanni ſubrogatum fuiſſe aſſerit *Georgium*. Verum Bar-hebræus refert, apud Aſſeman. *tom. 2. Bibl. Or. p. 335.* quod Athanaſius II. Baladenſis Patriarcha, qui obiit anno Græc. 998. Chriſti 687. *quum ex hac luce migraturus eſſet, Sergio Zachonio metropolitæ, quem Archiepiſcopum appellabat, præceperit ut Georgium gentium Arabicarum epiſcopum crearet: quem ordinarunt menſe Decembri, duobus poſt Patriarchæ obitum menſibus, anno Græc. 998.* Ab eo autem quidam auctores narrant Athanaſium III. Patriarcham fuiſſe conſecratum menſe C Aprili anno Græc. 1035. Chriſti 724. paulo ante quam eodem anno obierit. Opera ejus citant Dionyſius Bar-ſalibæus, & Gregorius Bar-hebræus nonnullis in locis, apud Aſſem. *to. 2. pp. 158. 160. 283. 302. & 313.* De eo, ſicut & de præcedentibus Hirtæ epiſcopis adeas eumdem Aſſem. *tomo 1. Bibl. Or. p. 167. & tom. 2. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Hirta, *& pp. 102. 103. 335. 338. & 414.*

ECCLESIA

M

I. ECCLESIA MAALTÆ.

MAALTA ſeu *Maaltaja,* dicitur in geographia Nubienſi *clim. 4. part. 6.* pagus eſſe Meſopotamiæ apud Singaram. Inter ſubjectos Maphriano epiſcopatus tertio loco recenſetur à Bar-hebræo, apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph. n. 9.* & *p. 419.* Nullum novimus hujus ſedis præſulem Jacobitam.

II. ECCLESIA MAARÆ.

MAARA, ſeu *Maarin,* epiſcopatus fuit Jacobitarum, qui cum Niſibenſi poſtea conjunctus eſt. Aliam in Syria *Maaram* ſeu *Moarram* commemorat Bar-hebræus, apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. p. 320.* ex qua in Libanum montem Francos perrexiſſe ſcribit, ibique ingentem populi multitudinem, ex iis qui Nazaræi dicuntur, interfeciſſe. Duplicem *Maaram* in Syria agnoſcit Abulfeda, unam quidem nuncupatam *Maarat-Neſrin,* ſeu *Maarrat-Meſrim, in deſcript. Syriæ fol. 64.* alteram abſolutè *Al-Maara,* ſeu *Maarat-al-Naaman, in tab. geogr. n. 218.* In codice mſ. 30. Syriac. cujus meminit Aſſeman. *ibidem, pag. 503. & in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Maara, extat Arabica, ſed Syriacis litteris exarata oratio Eliæ filii Hadethenſis *ad Maarinenſes qui habitant apud Niſibin.*

EPISCOPI MAARÆ.

A

I. * * *

GREGORIUS hujus nominis inter Maphrianos quartus, qui & Matthæus, duos epiſcopos ordinavit: unum, quem urbi Sigaræ præfecit: *alterum,* quem *Maaræ,* Niſibi & Gozartæ Cardoæ. Obiit Maphrianus ille ineunte menſe Januario anni Græcor. 1656. Chriſti 1345. Aſſem. *ibid. in diſſert. de Monoph. & p. 460.*

II. * * *

Ignatius VII. alias III. Patriarcha, qui & Sciahab, Ignatii VI. ex ſorore nepos, poſt avunculi obitum, ab epiſcopis *Maaræ* & Maipheractæ Jacobitis anno Græc. 1676. Chriſti 1365. in tertium Mardæ Patriarcham ordinatus legitur, *ibid. & p. 383.*

III. ECCLESIA MARGÆ.

MARGA ditionis Moſulanæ pagus eſt, teſte Amro in vita Abrahæ Neſtorianorum Patriarchæ, apud Aſſeman. *tom. 2. Bibl. Orient. pp. 435. & 436.* Differt à Maraga ampliſſima Adorbiganæ regionis civitate, quam deſcribit Abulfeda *in tab. geogr. n. 417.* & cujus ſæpe mentio fit in chronico Bar-hebræi, apud eumdem Aſſem. *ibid. pp. 253. 264. 266. & 268.*

EPISCOPI MARGÆ.

BARHADBESCIABA.

BARHADBESCIABA Margæ epiſcopus erat anno 1129. Chriſti 818. quo, libello electionis Dionyſii I. chronici auctoris in Patriarcham ſubſcripſit. Aſſem. *tomo 2. in diſſert. de Monophyſ. n. 9. & p. 344.*

IV. ECCLESIA MOALLAK.

MOALLAK monaſterium eſt, ſub nomine ſancti Sergii, cujus feſtum in Kalendario Syriaco ad dies 14. & 23. Decembris colitur; in monte Sajo è regione Baladæ urbis extat propè Tigrim. Ibi Moyſes Bar-Cepha monaſticæ diſciplinæ incubuit. Epiſcopatus erat Maphriano ſubjectus; ſed hunc Gregorius Matthæus Maphrianus, de quo ſupra, circa annum Græcorum 1641. Chriſti 1330. cum epiſcopatu Sigaræ conjunxit. Aſſeman. *to. 2. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de monaſterio ſancti Sergii.

Digitized by Google

ECCLESIA MOALLAK.

EPISCOPI MOALLAK.

A

I. Joannes.

Gregorius Bar-hebræus Maphrianus ſcribit de ſeipſo, apud Aſſeman. *to. 2. Bibl. Orient. p. 255.* quod Tagrito Niniven reverſus, ibi tres (quatuor tamen enumerat) epiſcopos conſecraverit, quorum tertius *Deulha* fuit, quem Mar *Joannem* appellavit, & *cœnobio* præfecit *ſancti Sergii*, alium vero, qui etiam nomen Joannis aſſumpſit, Sigaræ epiſcopum conſtituerit.

II. * * *

Gregorius alter itidem Maphrianus, cognomento Matthæus, ut jam ſupra dictum eſt, anno 1641. Chriſti 1330. duos epiſcopos ordinavit, quorum *alterum cœnobio S. Sergii* in monte Sajo, quod *Moallak* appellant, & urbi Sigaræ præfecit, duos utique epiſcopatus illos in unum conjungens; alterum Maaræ, & Niſibi, & Gozartæ Cardoæ, quarum pariter eccleſiarum curam uni præſuli commiſit. Aſſemanus *ibid. in diſſert. de Monoph. & p. 460.*

N

ECCLESIA NISIBIS.

I. Nisibis, urbs Meſopotamiæ antiquiſſima & nobiliſſima, *Achar* olim nuncupabatur, ſeu *Achad*, ut legit S. Hieron. *quæſt. in geneſ. cap. 10. n. 10.* ubi de Nemrod: *regnavit*, inquit, *& in Arach, hoc eſt in Edeſſa; & in Achad, quæ nunc dicitur Niſibis.* Idem aſſeruerat S. Ephræm, *commentar. in geneſ.* cod. Syr. mſ. cujus meminit Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. p. 26. in fine.* Syris recentioribus *Soba* dicitur, unde Ebed-Jeſu catalogi ſcriptorum Syrorum auctor, qui Niſibenus fuit epiſcopus, *Sobenſis* ubique appellatur. Arabes eamdem vocant *Naſibin*, teſte Abulfeda *in tab. geogr. n. 249.* quod & Stephanus confirmat. *Neſibis* in nummis inſcribitur. *Antiochiam Mygdoniæ* Græci dixere, ut Plutarchus in Lucullo affirmat. Huic urbi ad Aquilonem mons *Maſius* imminet, quem Abulfeda *montem Geudum* nuncupat, ex quo fluvius Maſius, ab eodem Abulfeda *Hermas* vocatus, ab Andrea Maſio *Hormiz*, ſive *Saocora*, à Juliano *Mygdonius*, *inundans infunditur in adjacentem mœnibus campum.* Sancti Jacobi Niſibenſis, qui temporibus Conſtantini Magni, & Conſtantii Imperatorum floruit, epiſcopatu celeberrima fuit, Romanique Imperii limes, donec Juliani Apoſtatæ ſtrage in Perſarum devenit poteſtatem. Ibi Neſtoriana lues admodum invaluit, ſed & pauci Jacobitæ extiterunt, quibus aliquando peculiares, ſæpius vero vicinarum ſedium epiſcopi præfuerunt. Aſſemanus, *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Niſibi.

EPISCOPI NISIBIS.

I. Abraham.

Ex Bar-hebræi chronico, *Abraham* Niſibi ſedebat epiſcopus anno Græcor. 942. Chriſti 631. quo Joanni I. Jacobitarum Patriarchæ manum impoſuit. Aſſeman. *to. 2. in diſſert. de Monoph.* & *p. 335.*

II. Philoxenus.

Philoxenus Niſibi epiſcopus, exinde notus eſt in Jacobitarum hiſtoria, tum quod Cyriacum Patriarcham, anno Græc. 1104. Chriſti 793. electum compulerit, ut Simeonem Maphrianum, qui ejuſdem Patriarchæ fuerat diſcipulus, exauctoraret; tum etiam quod à Nonno archidiacono multorum criminum accuſatus, & circa annum Græcorum 1139. Chriſti 828. in ſynodo Rheſinenſi, cui Dionyſius I. præerat, damnatus, apud Abrahamum antipatriarcham, qui adverſus eumdem Cyriacum Dionyſii prædeceſſorem à quibuſdam epiſcopis monachiſque Gubenſibus promotus fuerat, ſe contulerit, ac ſchiſma-B ticis ejuſdem aſſeclis eccleſiam in urbe ſua Niſibi tradiderit. Aſſeman. *ibid.* & *pp. 346. & 434.*

III. Joannes.

Licet Dionyſius VI. Patriarcha Joanni IV. qui & Saliba, Maphriano, ut eum ſibi conciliaret adverſus Joannem Abdonem ſuum æmulum, Niſibenam diœceſim, circa annum Græcorum 1399. vel 1400. Chriſti 1088. vel 1089. conceſſiſſet, *ex quo tempore*, inquit Bar-hebræus, *cæpit Niſibis ad Ma-* C *phriani ditionem ſpectare:* nihilominus *Joannes* Mardæ epiſcopus, de quo ſupra inter Mardæ epiſcopos *coll. 1459. & 1460.* (qui certe, non Maphriano, ſed Patriarchæ ſubjectus erat) ab anno Græcor. 1436. Chriſti 1125. uſque ad ann. 1476. Chriſti 1165. annuente ut conjectu pronum eſt Maphriano, *Niſibin*, una cum Haran, Chabora, Dara, Caphartuta, & Tel-Beſme gubernavit. Imo Naïronus in Evoplia, *part. 1. cap. 2. num. 20. pag. 45.* Mardenſem epiſcopatum cum Niſibeno

hodie conjunctum affirmat. Aſſem. *tom. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph.* & *pag. 216.*

IV. * * *

In appendice ad chronicon Bar-hebræi refertur, à Gregorio Matthæo Maphriano, ut jam ſupra pluries dictum eſt, unum *epi-* A *ſcopum*, cujus reticetur nomen, Maaræ, *Niſibi*, & Gozartæ Carduchiæ fuiſſe præpoſitum, circa annum Græcorum 1641. Chriſti 1330. Ex quibus manifeſtum fit varium hujus urbis fuiſſe ſtatum apud Jacobitas, maxime poſtquam ex priſtina amplitudine decidit. Aſſem. *ibid.* & *pag. 460.* ECCLESIA NISIBIS.

II. ECCLESIA NUHADRÆ.

NUHADRA, quæ & *Beth-Nuhadra* vocatur, Arabicè autem ab Amro, in vita Patriarcharum Neſtorianorum, *Benihudra*, ea eſſe exiſtimatur, quam *Naardam, Neerdam* & *Neardam* auctores antiqui, ut Ptolem. *lib. 5. cap. 18. pag. 164.* & Joſephus *antiq. Judaïc. lib. 18. cap. 12.* nuncupant. *Nearda*, inquit hic ultimus, apud Cellarium *to. 2. geogr. antiquæ lib. 3. cap. 15. pag. 718. urbs eſt Babyloniæ populoſa, fertilem & amplam regionem ſeu agrum poſſidens .... nec hoſtium adſultibus patet, undique Euphrate & firmis muris circumdata.* Babyloniæ dixit urbem, quam Ptolemæus in Meſopotamia collocat, quia in utriuſque erat confinio. Interjectis quibuſdam ſæculis, quum doctiores Judæorum Rabbini ex Palæſtina in Babyloniam demigraſſent, ſcholas ſuas Nehardeæ, Soræ & Pumpedithæ celebriores inſtituerunt, de quibus Buxtorfius *Tiber. cap. 6.* & Bartoloccius *in Bibl. Rabb. part. 3. §. 13. pag. 663.* Quia vero copioſis agris cingebatur Nearda, hinc quoque factum eſt, ut ipſa regio tota ejuſdem urbis vocabulo appellaretur. Unde Benjamin Tudelenſis in itinerario *pag. 63.* ait, à Karkeſia ſive Circeſio *bidui itinere diſtat Aliobar, quæ & Pumpeditha dicitur; in Nehardea*, id eſt in Nehardenſi regione. Inter epiſcopatus Maphriano ſubjectos nono loco ponitur in chronico Bar-hebræi, apud Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph. n. 9.* & *p. 419.*

EPISCOPI NUHADRÆ.

I. DANIEL.

ANno Græcor. 941. Chriſti 630. *Daniël* epiſcopus Nuhadræ, & quatuor alii finitimarum diœceſeon præſules, Marutham monachum ex pago Sciurzach regionis Nuhadræ oriundum in Maphrianum Orientis elegerunt & conſecrarunt. Aſſemanus, *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph.* & *pp. 416. & 419.*

II. JONAS.

Dionyſius Patriarcha, apud eumdem Aſſemanum, *to. 2. pag. 111.* refert in electione Georgii ad Patriarchatum, quam ad annum Græcor. 1066. Chriſti 755. revocat, quum re ipſa anno ſolum 1070. Chr. 759. peracta fuerit, inter alios adfuiſſe *Jonam Be-Nuhadræ:* quorum plurimi ab eo, antequam conſecrationis munus acciperet, receſſerunt, Joannemque Callinicenſem renuntiarunt Patriarcham. Huic porro Orientales adhæſere, dum interim epiſcopi Occidentales & Moſulani Georgio parebant. Poſtmodum autem Joanne illo defuncto, anno Græcorum 1076. Chriſti 765. in ſynodo Sarugenſi omnes Georgio ſeſe ſubmiſerunt, decernentes epiſcopali honore amovendos, quotquot Joannes ordinaverat. Obiit Jonas, eodem Dionyſio teſte, anno 1084. Chriſti 773. & una cum ipſo *Paulus epiſcopus Tagrit, & Zacchæus Charmæ, quorum in locum*, inquit, *nemo ſuffectus fuit, dum Georgius Patriarcha in vinculis detinere-* B *tur: Davidem enim pro legitimo Patriarcha haud agnoſcebant.* Aſſeman. *to. 2. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Nuhadra, & *pag. 111. 112. & 115.*

III. ATHANASIUS.

Gregorius Bar-hebræus Maphrianus narrat, apud eumdem Aſſeman. *ibid.* & *p. 249.* ſe anno Græcorum 1576. (Chriſti 1265.) feria 4. intermedia Jejunii dominici in eccleſia ſuperiori Daniëlis pagi, *Behenamum* monachum cognomento *Bar-Summane* epiſco- C pum Nuhadrenſium inſtituiſſe, cui nomen Athanaſii impoſuit. Erat vir perfectus & prudens, & obiit anno Græc. 1590. Chr. 1279. in Bartela caſtro, & tranſlatum eſt ejus corpus ad cœnobium ſancti Matthæi. Idem Aſſem. *pag. 255.*

IV. JOANNES.

Athanaſio defuncto, annis quinque Nuhadræ ſedes vacavit; tandem Gregorius Barhebræus Maphrianus modo memoratus Niniven reverſus *diebus dominici jejunii, anno* D *Græc. 1595.* Chriſti 1284. ut ipſemet ſcribit, apud Aſſem. *pag. 260. Raban Jobum monachum ex domo Cudidia elegit, atque per impoſitionem manus epiſcopum conſecravit, qui Joannis nomen aſſumpſit, & eccleſiæ Nuhadrenſium præfectus eſt, fuitque epiſcopus undecimus eorum quos* prædictus *Maphrianus in Oriente conſecravit.*

P

ECCLESIA PHEROZ-SAPORIS.

PHEROZ-SAPOR, quæ & *Anbara*, ad Euphratem ſita eſt non longè ab urbe Bagdado, teſte Abulfeda *in tab. geogr. n. 272.* Poſt Nuhadram ponitur in catalogo epiſcopatuum Maphriano ſubjectorum, apud Aſſeman. *tom. 2. Bibl. Orient. pag. 419.* Judæi eam vocant *Peruz-Sciabur*, ibique nongenta millia ſuæ gentis fuiſſe jactant, ut ſcribit Bartoloccius, *in Bibl. Rabbin. part. 3. §. 13. p. 663.* Idem Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph. n. 9.*

EPISCOPI PHEROZ-SAPOR.

ACHA.

MARUTHAS, & qui ipſum in Maphrianum ordinarunt, circa annum Græc. 941. Chriſti 630. Aitallaham urbis Gumal, quæ in regione Maragæ ſita eſt, & *Achan* Pheroz-Saporis initiarunt epiſcopos, ex Bar-hebræo in chronico, apud Aſſem. *ibid. & p. 419.*

S

I. ECCLESIA SCIAHARZUL.

SCIAHARZUL, epiſcopatuum Maphriano ſubjectorum undecimus, apud Aſſemanum, *to. 2. Bibl. Orient. p. 419.* ab Abulfeda *in tab. geogr. n. 436. Sciahrazur* dicta, urbs eſt provinciæ *Al-Gebal*, hoc eſt montanæ Arach ſeu Aſſyriæ, à Maraga ſex manſionibus diſſita; ab Halavana duabus ſupra viginti paraſangis. Cellarius, notitiæ Orbis antiqui *to. 1. lib. 1. cap. 12. pag. 55.* de paraſangis hæc docet: Hieronym. *commentar. in Joel. cap. 3. Nec mirum*, ait, ſi una quæque gens *certa viarum ſpatia ſuis appellet nominibus: quum & Latini mille paſſus vocent, & Galli Leucas, & Perſæ paraſangas.* Athenæus *lib. 3. cap. 34.* Περσικὰ ὀνόματα *Perſica nomina* vocat τὰς παρασάγγας *paraſangas.* Nomen indubitato eſt Perſicum. Paraſangæ menſuram nobis Strabo *lib. 11. p. 357.* valde dubiam reddit: ait enim οἱ μὲν ἑξήκοντα σταδίων φασὶν, οἱ δὲ τριάκοντα, ἢ τετταράκοντα, *alii ſexaginta ſtadiorum eſſe dicunt, alii triginta, aut quadraginta.* Eſto, variare *paraſangas* pro diverſis locis, id tamen pro metro videtur habendum eſſe, quod pleriſque locis valet, & in quo plures ſcriptores conſentiunt: hinc, quum Herodotus, Heſychius, Suidas, & Hero in Iſagoge, in τριάκοντα, *tricenis* ſtadiis conſentiant, hunc numerum pro veriore, ſaltem communiore putamus poſſe accipi. Rarus tamen in litterarum ſtudiis uſus *paraſangarum* eſt, nec forſan niſi in hiſtoriis Perſarum, ut Xenophontis, & ſi qui alii ejus generis ſuperſunt. Adi Suidam. Hactenus Cellarius, cujus hæc verba deſcribenda viſa ſunt pro *paraſangarum* intelligentia. Sed ut ad *Sciaharzul* revertamur, inter Moſul & Hamdanam ſita eſt, teſte eodem Abulfeda, qui & addit *Sciahra* Perſico ſermone *urbem* ſignificare, *Zur* vero nomen eſſe ejus conditoris. Aſſem. *to. 2. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Sciaharzul.

EPISCOPI SCIAHARZUL.

JAZDEPHANES.

JAZDEPHANES epiſcopus Sciaharzul, unus ex iis fuit, qui anno Græcorum 941. Chriſti 630. Marutham Maphrianum ordinarunt. Aſſem. *ibid. & p. 419.*

II. ECCLESIA SEGESTANÆ.

SEGESTANA, urbs Choraſanæ regionis eſt, teſte Abulfeda *in tab. geogr. num. 401.* qui Haram itinere undecim dierum ab ea diſtare affirmat. Bar-hebræus in ea à Marutha epiſcopum inſtitutum fuiſſe refert, apud Aſſem. *to. 2. p. 420.* Dionyſius Patriarcha in chronico ad annum Græcor. 1078. Chriſti 767. Georgium Patriarcham, de iis quos Joannes Callinici ſedis Patriarchalis invaſor ordinaverat ita loquentem inducit, apud eundem Aſſeman. *in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Segeſtana; *ut ſacerdotium & epiſcopatus ei conferatur, qui ad inferiores Segeſtanæ & Harabæ regiones pergere voluerit. Quod & epiſcopis placuit.*

Digitized by Google

ECCLESIA SEGESTANÆ.

EPISCOPI SEGESTANÆ.

* * *

Bar-hebræus in chronico narrat, apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. præfata de Monoph. n. 9.* & *pag. 420.* aucto multum in modum Jacobitarum numero, quum ingens A Edeſſenorum qui à Coſroë Perſarum rege captivi abducti fuerant multitudo domicilium in Segeſtana & Choraſana fixiſſet, iis Marutham epiſcopos præfeciſſe; *unum* quidem *Segeſtanæ*, alterum Harnuæ, & tertium Adorbiganæ.

III. ECCLESIA SIGARÆ.

Sigara, Arabibus *Sengiar,* Græcis Σίγγαρα, Latinis quoque *Singara* urbs Meſopotamiæ eſt, non Tigri appoſita, ut contendit Cellarius *to. 2. geogr. antiq. p. 721.* inquit Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Sigara, ſed tribus fere manſionibus ab eo diſtans, ut ex ejuſdem urbis Civium relatione ſcribit Abulfeda *in tab. geogr. n. 252.* qui illam totidem manſionibus ab urbe Moſul abeſſe affirmat; illam quidem ad occaſum, Moſul vero ad ejus ortum. In proximo Sigaræ monte, qui Sozomeno *lib. 6. cap. 23. Sigoron,* & Ptolemæo *lib. 5. geogr. cap. 18. pag. 163. Singaras mons* dicitur, cœnobium fuit S. Aaron cujus in chronico Bar-hebræi frequens mentio occurrit, apud Aſſem. *to. 2. pp. 354. 355. & 361.* aliud tamen eſt à monaſterio ejuſdem nominis, quod pariter in eo chronico memoratur, *ibid. pp. 284. 350. & 351. Mares* porro ſeu *Cares, ibid. pp. 327 & 411.* ex tot Monophyſitis quos Juſtinus Imperat. anno Græcorum 829. Chriſti 518. exilio mulctavit unus in Oriente ſupererat, *quem,* teſte eodem Bar-hebræo, *Monophyſitæ ex omnibus conſulerent, impoſitionem manus ab eo accipientes.* Gregorius Matthæus Maphrianus, *ibid. p. 460.* circa annum Græcorum 1641. Chriſti 1330. epiſcopatum hujus eccleſiæ cum cœnobio ſancti Sergii in Monte-Sajo conjunxit.

EPISCOPI SIGARÆ.

I. Georgius.

Georgius Sigaræ epiſcopus, unus illorum fuit, qui, cum Chriſtophoro S. Matthæi metropolita, Marutham elegerunt & ordinarunt Maphrianum Orientis, anno Græcorum 940. Chriſti 629. aut ſequenti. Aſſemanus *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph.* & *p. 419.*

II. Elias.
III. Josue.

Elias Sigaræ epiſcopus erat, circa annum Græcorum 1061. Chriſti 750. Hæc de eo C habet Gregorius Bar-hebræus, apud Aſſem. *in diſſert. præfata,* & *pp. 338. 339. & 340. Verum Sandalenſis* (tunc epiſcopus Maipheractæ, qui poſtea Athanaſius IV. fuit cognomento Sandalenſis electus Patriarcha anno Græcorum 1067. Chriſti 756.) *in ſua haud quieſcens impietate, epiſcopum quidem Haranitis abſque Patriarchæ* (Joannis II. in Patriarcham aſſumpti anno Græc. 1051. Chr. 740.) *conſenſu, quemdam Iſaac nomine ordinavit, Eliam vero Sigaræ, virum ſapientem & doctorem, qui priorem Theologi* (ſancti Gregorii Nazianzeni) *tomum mirifice expoſuit, illuſtravitque, etſi ex Maphriani diœceſi eſſet, ſubſtituto* B *in ejus locum viro quodam flagitioſo qui Joſue Bacr dicebatur, condemnavit.* In ſua tamen poſtea ſede videtur reſtitutus Elias: nam inter præſules quos refert Dionyſius Patriarcha, apud eumdem Aſſeman. *pag. 111.* adfuiſſe ſynodo Mabugenſi, in qua Georgius, poſt Athanaſii Sandalenſis necem, renuntiatus eſt Patriarcha, anno Græc. 1070. Chriſti 759. legitur *Elias* Sigar.

IV. Joannes.

Gregorius Bar-hebræus Maphrianus, Niniven reverſus anno Græc. 1589. Chr. 1278. quatuor epiſcopos ordinavit, inter quos fuit *Moyſes* qui *Joannis* nomen aſſumpſit, & Sigaræ præfectus eſt. Sic narrat ipſemet Barhebræus, apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. p. 255.*

V. * * *

Gregorius Matthæus Maphrianus, qui obiit ineunte menſe Januario anni Græcor. 1656. Chriſti 1345. 28. annorum ſpatio quo ſedit, duos ordinavit epiſcopos, *unum,* quem cœnobio ſancti Sergii in Monte-Sajo Moallak dicto, & urbi *Sigaræ* aſſignavit: alterum quem Maaræ, Niſibi, & Gozartæ Cardoæ. Aſſem. *ibid. pag. 460.*

T.

I. ECCLESIA TAALABENSIUM ARABUM.

EPISCOPATUS *Taalabenſium* ſive *Taghibenſium Arabum*, duodecimo loco inter eos qui ſub
Maphriani ditione tempore Maruthæ poſiti fuerunt, recenſetur à Bar-hebræo, apud
Aſſeman. *to. 2. Bibl. Orient. p. 419.* hoc modo *Arabum Chriſtianorum, qui ſunt Taalabenſes*
Scenitæ. Scenitæ, id eſt, *Tabernaculorum habitatores*. Hirtæ Naamanis ſedebat horum Jaco-
bitarum epiſcopus, ut ſupra obſervatum eſt. Joſue Stylites, *in hiſtoria Calamitatum quæ*
acciderunt Edeſſæ, Amidæ, & in tota Meſopotamia, ab anno Græc. 806. uſque ad ann. 818.
id eſt, ab anno Chriſti 495. uſque ad annum 507. cujus ſummam exhibet doctiſſ. Aſſem.
tom. 1. Bibl. Orient. à *pag. 260.* uſque ad *pag. 283.* ſæpius meminit *Arabum Taalabenſium*,
eoſque refert, *ibid. pag. 276.* in copias irruiſſe Romanis infenſas. Strabo *lib. 16.* τὰς Σκηνὰς
Scenas urbem Arabum Meſopotamiam auſtralem & deſertam inhabitantium commemorat,
quam *ſuper foſſam quandam ad Babyloniæ fines* collocat, *à Seleucia ſchœnis decem & octo*
diſtantem: quæ omnia, inquit Aſſem. *tom. 2. in diſſertat. de Monophyſ. n. 9.* ubi de eccleſia
Taalabenſium Arabum, cum Hirta conveniunt. Schœnus porro, teſte Cellario *tom. 1.*
geogr. antiq. pp. 55. & 56. quædam ſtadiorum menſura eſt, inæqualis tamen, pro ratione
locorum, ita ut alicubi *ſexaginta* ſtadia contineret, alibi *quadraginta*, alibi *triginta* aut *triginta*
duo, alibi *viginti-quinque*, alibi centum ſupra viginti. Sed, ſubdit ipſe, quantacumque
ſchœnus menſura fuit, aut quoquo orta genere ſive gente; uſus ejus perrarus eſt, & vel
rarior quam paraſangarum. Quod ad nos, de *Taalabenſium* epiſcopis nihil hic adjiciendum
occurrit iis quæ ſupra diximus, ubi de Arabia, & de Hirta Naamanis.

II. ECCLESIA TAGRITI.

TAGRIT, Arabibus *Tecrit*, urbium Meſopotamiæ verſus Aſſyriam poſtrema eſt, teſte
Abulfeda *in tab. geogr. num. 266.* ab urbe Moſul ſex diſtat dierum itinere, cis Tigrim
poſita, ad auſtrum ortumque fluvio alluitur cui Iſaac nomen, ab Iſaaco Ibrahimi filio
copiarum duce Califæ Al-Motuaccheli. Erumpit etiam apud hanc urbem fluvius Degila,
ſeu Deglata aut Tigris minor, qui terras Samræ ad Bagdadum uſque irrigat. Traditam
Saracenis à Marutha Maphriano fatetur Bar-hebræus, ut civibus ſuis indulgerent. Differt
Tagrit à Maipherchin ſeu Maipheracta. Sedes facta eſt Maphriani Orientis Jacobitarum ab
anno Græc. 941. Chr. 630. quo præfatus Maruthas ibidem Maphrianus conſecratus fuit. Id
vero Tagritenſibus ideo fortaſſis conceſſum, quod Barſumæ Niſibeno, Neſtorianiſque per
Aſſyriam & Meſopotamiam debacchantibus acriter reſtiterint, ut refert idem Bar-hebræus,
apud Aſſem. *tom. 2. Bibl. Orient. pp. 409. & 410.* At exinde etiam contigit ut vix ullum
habeamus epiſcopum Jacobitam hujus eccleſiæ, præter illos qui, vel ante Marutham eam
occuparunt ſedem, vel vicarii deinceps Maphrianorum fuerunt: quamvis interim Melchitis,
id eſt qui Chalcedonenſem ſynodum ſuſcipiebant, proprius non deeſſet in ea urbe epiſcopus.
Anno Græcor. 1423. Chriſti 1112. Dionyſius I. Maphrianus Tagritum fere ſolo æquatum
novis, obtenta Califæ licentia, ædificiis ornavit ex chronico Bar-hebræi, apud Aſſemanum,
tom. 2. pag. 449. Ignatius II. cognomento Lazarus Maphrianus, eidem Tagritenſi eccleſiæ
Moſulanam diœceſim, Niniven, & cœnobium ſancti Matthæi adjici curavit anno Græco-
rum 1466. Chriſti 1155. Ab anno 1533. Chriſti 1222. quo Ignatius III. dictus David, ad
Patriarchæ dignitatem ſub nomine Ignatii II. ex Maphriano evectus eſt, uſque ad ann. 1589.
Chr. 1278. quo Gregorius Bar-hebræus Maphrianus factus Tagritenſes viſitavit, nullus eam
urbem Maphrianus intraverat, ſed ſuffraganeus epiſcopus eo mitti ſolebat qui pontificalia
munia loco Maphriani exerceret. *Exacta ibidem* (Bagdadi) *æſtate*, inquit ipſemet Bar-
hebræus, apud Aſſem. *to. 2. pp. 254. & 255.* *autumno ineunte anni* Græc. 1589. Chr. 1278.
Tagritum Maphrianus (id eſt Bar-hebræus) *aſcendit, & in celeberrimis ejus eccleſiis commoratus*
eſt, & læti ſunt per hunc modum omnes nobiles Tagritenſes ubique, quoniam à ſexaginta annis,
ex quo inde abierat Ignatius, quum Patriarcha factus eſt, nullus hactenus eam urbem intraverat
Maphrianus. Nos latet qui nam fuerint epiſcopi Jacobitæ Tagritenſes, antequam Maruthas
Maphrianorum ſedem Tagriti figeret.

Digitized by Google

ECCLESIA TAGRITENSIS.

EPISCOPI TAGRITENSES.

I. Paulus.

Dionysius Patriarcha in chronico ſæpius meminit cujuſdam *Pauli* epiſcopi Tagrit. Hunc ait Georgii Patriarchæ electioni in ſynodo Mabugenſi peractæ anno Græcorum 1070. Chriſti 759. adfuiſſe; item anno 1080. Chriſti 769. inter plures alios præſules Jacobitas claruiſſe: obiiſſe demum anno 1084. Chriſti 773. Aſſemanus, *to. 2. Bibl. Orient. pp. 111. 114. & 115.*

A

II. Abibus.

Inter tres epiſtolas ſynodicas Joannis X. cognomento Bar-Suſan Patriarchæ electi anno Græcorum 1375. Chriſti 1064. ad Chriſtodulum Alexandrinum Coptorum Patriarcham, qui ab anno Græcorum 1358. Chriſti 1047. ad annum 1389. Chr. 1078. ſediſſe legitur, quæ extant in *lib. de fide Patrum*, tertia ad calcem *fol. 365.* citat epiſtolam *Abibi* epiſcopi Tagritenſis ad Chriſtianos Arabes; ejuſdemque Abibi rurſus *fol. 366.* epiſtolam ſecundam, ex iis tribus quas ille de ſancta Trinitate conſcripſit. Aſſeman. *to. 2. Bibl. Orient. pag. 154.*

B

III. Jacobus.

Jacobus ex Bartela caſtro Ninivenſis provinciæ, Patre Eſau ortus, primum cœnobiticam diſciplinam amplexus eſt in monaſterio ſancti Matthæi, deinde ad Tagritenſem epiſcopatum evectus fuit, ut ſcilicet tanquam Maphriani vicarius pontificalia ejus vice inibi munia obiret. Bar-hebræus *in 3. part. chron.* cum *Severum Bar-Sciacco* appellat, quod nomen Jacobus aſſumpſit factus Tagritenſis præſul. Obiit anno Græcorum 1542. Chriſti 1231. Aſſem. *ibid. pp. 237. 455. & 477.*

III. ECCLESIA TAURIZ.

Tauriz, ſeu *Tabriz*, quam Abulfeda *in tab. geogr. n. 424. Tauriz* vel *Tebriz* appellat, metropolis eſt regionis Adorbiganæ. Ibi Hulachus Tartarorum rex commorabatur, teſte eodem Abulfeda, quod & Bar-hebræus confirmat de Dionyſio Angur Patriarcha loquens ad ann. 1570. Chr. 1259. Hanc eſſe *Ecbatanam Mediæ urbem Judithæ hiſtoria nobilitatam eſſe rentur multi*, inquit Maſius, quod & ipſe videtur ſentire *præfat. in Anaph. S. Baſilii*, & in epiſt. ad Augerium Buſbeckium, cujus partem recitat Aſſem. *to. 1. pp. 523. & ſeqq.* ubi ait *p. 525. ex Tauris, amœniſſima Perſarum regis ſede, quam Ecbatanam Judithæ hiſtoria nobilitatam eſſe rentur multi.* Verum Ecbatana illa, juxta Ptolemæum *lib. 6. geogr. cap. 2. pag. 171.* habet gradus 88. 37. 45. Tauriz vero, ſecundum Abulfedam, grad. longit. 73. lat. 39. Præterea Niger, apud Ortelium *in theſ. geogr.* veroſimilius putat Ecbatanam eandem eſſe cum Eſbahan, quæ regis Perſarum ſedes eſt, de qua idem Abulfeda agit *in tab. geogr. num. 459.* Difficultatem tamen faceſſit, quod Iſpaham in regione Parthiæ ſita ſit, Ecbatana autem caput fuerit Mediæ veteris. Aſſemanus, *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Tauriz.

EPISCOPI TAURIZ.

I. Basilius.

II. Severus.

III. Dionysius.

Jacobitis urbis Tauriz præerat *Baſilius* ſæculo decimo-tertio; de eo enim hæc ſcribit Gregorius Bar-hebræus in chronico, apud Aſſem. *ibid.* & *p. 253. Anno* Græcor. *1583.* Chriſti 1272. *hiberno tempore Baſilius epiſcopus Tabrizi mortuus eſt, qui eccleſiam populo noſtro* (id eſt Jacobitis) *religioſorum mercatorum ope inſtauravit. Supervenere interim monachi quidam ex cœnobio ſancti Matthæi, & Maphriano* (ipſimet Bar-hebræo) *ſupplicarunt, illum epiſcopatum petentes, quibus tamen haud quaquam ſatisfecit, quia doctrina non ſatis inſtructi erant, & moribus juvenes: ſed eam eccleſiam Severo ejuſdem cœnobii archimandritæ commiſit, qui ſub diebus feſti magni reſurrectionis illuc profectus, honorifice exceptus eſt, cœpitque urgere fabricam ædium ejuſdem eccleſiæ Tabrizi.* Addit *pag. ſeq. 254. Anno 1588.* Chriſti 1277. *mortuus eſt Severus epiſcopus Tabrizi, & contriſtati ſunt valde fideles ob ejus mortem: & ſuffragium commune dedere Joſepho monacho ejus ex ſorore nepoti, qui conſecratus eſt in monaſterio ſancti Matthæi ab eodem Maphriano* (id eſt Bar-hebræo) *diebus jejunii quadrageſimalis, & abiit, atque in eccleſia Tabrizi reſedit, appellatuſque eſt Dionyſius.* Eo Dionyſio ſedente, anno Græcorum 1593. Chriſti 1282. idem Bar-hebræus, quum ab Achmede Tartarorum rege, diploma pro

C

D

Digitized by Google

ECCLESIA TAURIZ.

ædificatione eccleſiarum Adorbiganæ, Aſſyriæ, atque Meſopotamiæ obtinuiſſet, Tabrizum petiit, *habitavitque in eccleſia, & ædificium oratorii ejus perfecit, atque januam eidem ex ſectis lapidibus conſtruxit. Cellas quoque ſuper oratorium peregrinis ædificavit, & cœmeterium defunctis; quia præter ædiculam ſub limine templi poſitam non erat pro epiſcopi habitatione locus. Porticum præterea æſtivam conſtruxit, & domum hibernam, & caminum, omniaque perfecit pro viribus ſuis, quæcumque fieri potuerunt, quum reipſa frater ejus Barſuma Saphius hæc omnia facienda curaret.* Anno ſequenti *duos medicos diſcipulos ſuos* ibidem *introduxit, & Abu-Cairum quidem in ipſa Tabrizo habitare juſſit, Joannem vero in Maraga.* Ita Bar-hebræus ipſe apud Aſſem. *pp. 258. & 260.* Hic Dionyſius Tauriz epiſcopus probabiliſſime ille eſt, cujus meminit Odoricus Raynaldus ad ann. Chriſti 1288. n. 33. A dum ſcribit: *gratulatus etiam* (Nicolaus IV. Papa) *Dionyſio epiſcopo Taurizino in Oriente, quum ex ejus litteris accepiſſet, ipſum fidem orthodoxam à Minoritis prædicatam ſectari. Hortatus eum eſt ut illa fidei forma populos imbueret, quam ipſi præſcribebat. Ea porro fidei forma epiſcopis hiſce apud Tartaros Orientales conſtitutis tranſmiſſa, iiſdem verbis concepta eſt, atque ea quam Clemens IV. ad Palæologum miſit,* B *quum de aggregandis Romanæ eccleſiæ ageret.* Eam retulit Rayn. ſupra ad ann. Chr. 1267. nn. 75. & ſeq.... Ad annum rurſus ſequentem 1289. n. 56. ſubdit, *atque inter cæteros, Tauriſii epiſcopo Dionyſio, quem ad fidem Catholicam colendam, uti cœperat, excitavit, cuique eandem fidei formam quam anno ſuperiori tranſmiſerat, ut ipſam in oculis ſemper defixam gereret, eaque imbueret populos, atque informaret, miſit,* ſcilicet Nicolaus IV.

IV.

ECCLESIA TEL-APHAR.

TEL-APHAR, caſtrum eſt Meſopotamiæ inter Singaram & Moſul, ad hujus occaſum, ſed ad Singaram propius accedens à qua paraſangis quinque diſtat, à Balada autem ſex paraſangis, ita Abulfeda *in tab. geogr. num. 253.* apud Aſſemanum, *tom. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monophyſ. n. 9.* ubi de Tel-Aphar.

EPISCOPI TEL-APHAR.

ABUJASERUS.

JOANNES Sarugenſis Maphrianus, ab Athanaſio VIII. cognomento Barchetre Patriarcha anno Græcorum 1476. Chriſti 1165. ordinatus, Timotheo Arabum epiſcopo anno 1478. Chriſti 1167. mortuo, *quum populus univerſus,* inquit Bar-hebræus, apud eumdem Aſſeman. *ibidem,* ubi de Arabia, monachum quemdam *Abujaſerum* nomine, *virum virtutibus & doctrina præditum poſtulaſſet; eo tamen* C *Maphrianus rejecto, Rahedum monachum ejuſdem Abujaſeri diſcipulum, impoſito ei Mar-Joannis nomine, ordinavit. Quamobrem cuncti adverſus eum inſurgentes, hominem recipere noluerunt. Cauſa itaque ad principis tribunal deducta, compulſus fuit Maphrianus Abujaſerum quoque ordinare:* cui partem ex illa diœceſi conceſſit, inſtituitque illum epiſcopum caſtri *Tel-Aphar,* ſeu *Tel-Aaphar,* ut vocat Abulfeda ſupra citatus, & *Abu-Mariæ.* Idem Aſſem. *ibid.* & *p. 452.*

U

I.

ECCLESIA URMIÆ.

URMIA, ſeu *Ormi,* urbs eſt *in montanis Perſiæ, ad Armeniæ majoris confinia,* inquit Naironus *in Evopl. part. 1. pp. 18. & 19.* apud Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. p. 457.* In ea, ut Neſtoriani, ita & Jacobitæ ſuum epiſcopum habuerunt.

EPISCOPI URMIÆ.

IGNATIUS.

ANno Græcorum 1500. Chriſti 1189. monachi ſancti Matthæi, accepta Jacobi Sarugenſis morte, Charimum Maſeæ filium D ſui cœnobii alumnum in ejus locum eligi curaverunt à quatuor epiſcopis, quorum unus erat *Ignatius* qui & *Gabriël Joannis epiſcopus Urmiæ in Adorbigana.* Aſſeman. *ibid. pag. 453.*

Appendix

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

Appendix ad col. 1408. ubi de Patriarchis Jacobitarum.

AUthor cujuſdam epiſtolæ Gallicè ſcriptæ ex urbe Tripolitana die 17. Januarii anni 1732. monet *Iſaacum* Jacobitarum Patriarcham heterodoxum, qui poſtremus recenſitus eſt ut actu vivens anno Chriſti 1721. exinde fato functum eſſe, huicque ſucceſſiſſe *Ignatium Cheukre-Allak*, id eſt *Deogratias*, virum pariter heterodoxum, qui Alepi commoratur. Alia etiam epiſtola ex eadem urbe Tripolitana Gallicè ſcripta 25. Mart. 1733. Cheukre-Allak exhibet ut tunc adhuc viventem & ſedentem.

Quædam alia notanda circa epiſcopos Jacobitas.

THOMAS Biatienſis, dictus *Thomas à Jeſu*, Carmelita diſcalceatus, edidit lib. 7. Operis cui titulus eſt, *De procuranda ſalute omnium gentium*, relationem legationis, quam Leonardus Abel Chienſis, epiſcopus Sidonienſis, à Gregorio Papa XIII. miſſus in partes Orientales, obiit anno ſalutis 1583. quamque ille manuſcriptam vulgari lingua, id eſt Italica reliquit. In ea porro relatione, *p. 386.* Abel epiſcoporum 20. Jacobitarum meminit, ex quibus aliquorum hactenus facta non fuit mentio. Scilicet, poſt Minam epiſcopum Sauræ, & Ephrem epiſcopum in eadem provincia, quos memoravimus ubi de Saura actum eſt *col. 1520.* in ea relatione ſequitur

Jacobus archiepiſcopus *Biſuairiæ*. Doctiſſ. Aſſem. *to. 2. Bibl. Or. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ſermonem habens de *Suairia*, hæc obſervat: *Suairiæ*, inquit, ſive *Biſuairiæ*, epiſcopus *Jacobus*, laudatur apud Thomam à Jeſu *lib. 7. p. 386.* ad ann. Chriſti 1583. Nomen corruptum puto ex *Sura* ſive *Beth-Sura*: hæc enim Syrorum compoſitio per *Ba*, *Be*, & *Bi*, Arabicè atque Latinè reddi ſolet, ut Beth-Garme *Bagermi*: Beth-Cherda *Bakerda*: Beth-Zabda *Bezabde* & *Bizabda*. *Sura* autem duplex eſt; altera in Meſopotamia, cui hic *Jacobus* præfuiſſe videtur: altera in Babylonia, inter Bagdadum & Cupham, teſte Abulfeda, *in deſcript. Arab. ſeu Aſſyr. fol. 75.* qui eam *Sin* quoque appellari monet. *Sora* & *Soria* Hebræis dicitur, qui ſcholam ibi habuere. Illius ſitum deſcribit Cellarius *to. 2. geogr. antiq. p. 753.*

Ananias epiſcopus *S. Bertoniæ*. Idem Aſſemanus *ibid.* ubi de monaſterio S. Bertoniæ, ſic loquitur: Monaſterium *S. Bertoniæ*, cujus epiſcopus *Ananias* ad ann. 1583. à Leonardo Abel, apud Thomam à Jeſu laudatur. Corruptum *Bertoniæ* nomen ex *Bar-Aphtonio* exiſtimo. Fuit autem *Joannes Aphtonius*, ſeu *Bar-Aphtonius*, abbas cœnobii Seleuciæ S. Thomæ, apud Kenneſrin urbem: cujus de nomine cœnobium illud, quod alias *Kenneſrinenſe* dicitur, *Aphtonii*, ſeu *Bar-Aphtonii* nuncupatur. Porro vivebat abbas ille anno Chriſti 528. ut colligitur ex codice Nitr. 29. ad cujus finem hæc nota appoſita eſt, apud eumdem Aſſemanum in citato *to. 2. pp. 46. & 47. Abſolutus eſt liber iſte menſe Aprili anni Græcorum 839.* (Chriſti 528.) *in urbe Meſopotamiæ Edeſſa, diebus Mar-Joannis Bar-Aphtonii archimandritæ monaſterii Seleuciæ ſancti Thomæ: opera & ſtudio Mar-Pauli Callinicenſis, qui è Græca lingua in Syriacam transferre curavit hos religioſi ac beati Mar-Severi Patriarchæ libros: videlicet, magnum illum adverſus Julianum* (Halicarnaſſeum Aphtartodocetarum ſeu Incorrupticolarum caput) *& adverſus Appendicem, & adverſus Manichæos, & Philalethem*, ſeu apologiam pro Philalethe, quem Severus adverſus Joannem epiſcopum Cæſareenſem conſcripſerat. De eodem Bar-Aphtonio rurſus *ibid. pag. 54.* Joannes, cognomento Bar-Aphtonius, Philoxeni & Severi partes adverſus Catholicos tuebatur anno Chriſti 515. teſte Dionyſio Patriarcha in chronico, qui obitum ejus aſſignat ad annum Chriſti 538. his verbis: *Anno* Græcorum *849. migravit ex hoc ſæculo ſanctus Mar-Severus Patriarcha Antiochiæ die 8. Februar. Sexta autem ejuſdem menſis obiit S. Mar-Joannes Bar-Barſus. Quarta vero Novemb. obiit Mar-Joannes Bar-Aphtonius.* Præfuit *monaſterio Seleuciæ ſancti Thomæ*, quod juxta urbem *Canſarinum* ſitum eſt, alias *Kenneſrin* civitatem olim amplam initio Imperii Saracenici, ſed nunc pagum tantummodo, poſtquam nempe crevit inſigniter Aleppus. Edidit hic Joannes Bar-Aphtonius cantus Syriacos, de Nativitate Domini, & de laudibus Severi Antiocheni, qui in codice Clement. Vatic. 15. extant.

Denique *Hubib* epiſcopus, cujus ſedes non exprimitur.

Idem Thomas à Jeſu loco citato, *archiepiſcopum* laudat *monaſterii ſancti Ab-Hai*, quem non nominat, nec aliam ei aſſignat ſedem. Conjicit quidem Aſſemanus *in diſſert. præfata de Monoph.* ubi de eo monaſterio, hunc fuiſſe archiepiſcopum *Samoſatæ* qui in hoc cœnobio commoraretur, pro more Orientalium recentiorum, maxime Jacobitarum, & Maronitarum, quorum epiſcopi in cœnobiis extra

Digitized by Google

urbes poſitis habitant: ſi tamen hujus cœnobii A ſingulari titulo fuerit antiſtes. Narrat *ibidem* Aſſeman. monaſterium illud ad Euphratis ripas extare, teſte Gregorio Bar-hebræo in chronico. Codex Syriacus 32. nunc Vaticanus, cujus meminit idem Aſſem. *ibid. p. 505.* continet *vitam ſancti Ab-Hai epiſcopi Nicææ ſub Arcadio, Honorio, & Theodoſio* juniore *Imperatoribus, emendata à Michaële Magno* (ſcilicet I. qui electus eſt anno Græc. 1478. Chriſti 1167.) *Patriarcha Jacobitarum.*

De monaſterio *Teledæ* apud Jacobitas celeberrimo, ut-pote in quo ad dignitatem B Patriarchalem evecti ſunt, & ſedem habuere Joannes V. anno Chriſti 936. electus, Joannes VI. anno 954. Dionyſius III. anno 958. & Abraham anno 962. hæc obſervanda occurrunt ex doctiſſ. Aſſem. *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph. n. 9.* Sic appellatur à proximo *Teledæ* vico, in agro Antiocheno ſito. Euſebius & Ammianus cœnobium illud condidere, teſte Theodoreto in Philotheo, ubi de S. Simeone Stylita qui primus omnium columnam conſcendit agens ait: *Illinc exurgens* (Simeon, nimirum ex templo ubi viſio- C nem acceperat) *ad vicinorum quorumdam monachorum habitaculum venit; duobuſque annis cum illis verſatus & perfectioris virtutis amore captus, Teledam vicum illum petiit .... apud quem magni & divini viri Ammianus & Euſebius* (ſæculo ſubinde quarto, ſiquidem S. Simeon Stylita deceſſit ſenio confectus anno Chriſti 459. die 2. Septemb.) *monaſticam palæſtram erexerunt, ſed non in hanc divinus Simeon ſe contulit, ſed in alteram quæ ab ea prodierat, Euſebonas enim & Abibio, quum magni Euſebii diſciplina ſatis fuiſſent inſtructi, hoc Philoſophiæ* (cœleſtis) *gymnaſium condiderunt &c.* Ita Aſſem. *tom. 1. ejuſdem Bibl. Orient. p. 242.* Porro monachos utriuſque hujus cœnobii Euſebii & Euſebonæ, ineunte ſæculo ſexto, hæreſi Monophyſitica infecit Polyxenus Xenaias epiſcopus Mabugenſis, ut liquet ex duabus ejus litteris ad ipſos ſcriptis, in quarum ſecunda ait: *Si autem ſeductores & corruptores ſumus, ut adverſarii aſſerunt, vos quoque una nobiſcum eritis:* qui videlicet eamdem doctrinam tenetis: idem Aſſem. *to. 2. pp. 37. & 38.* Jacobus Edeſſenus à monachis cœnobii Euſebonæ quibuſcum undecim annos verſatus fuerat, vexatus, ad alterum Teledæ monaſterium Euſebianum ſe recepit, ex Gregorio Bar-hebræo, apud eumdem Aſſeman. *ibid. p. 337.*

Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph. num. 9.* ubi de Aatafra, hæc aſſerit: Aataphræ epiſcopus *Abraham* ſub Ignatio David Patriarcha ad annum Chriſti 1583. ex Leonardo Abel Sidonienſi, apud Thomam à Jeſu *lib. 7. de converſ. gent. p. 386.* commemoratur. Corruptum ex *Natapha* nomen exiſtimo.

Finis Tomi ſecundi.

Digitized by Google

INDEX,

Nomina Urbium epiſcopalium, Patriarcharum Alexandrinorum, Antiochienſium, Chaldæorum, & Jacobitarum, cæterorumque Præſulum in hoc Volumine ſecundo Orientis Chriſtiani *contentorum complectens.*

QUùm præſens Volumen, diœceſim Illyrici Orientalis Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubjectam, Patriarchatus quoque Alexandrinum & Antiochenum, ac diœceſes Chaldæorum & Jacobitarum contineat; ſatiùs duco, ad normam Indicis præcedentis voluminis, provincias ſedeſque epiſcopales diœceſum illarum & Patriarchatuum, ſeorſim ſub ſpecialibus Indicibus exhibere, ordine alphabetico.

Diœceſis Illyrici Orientalis.

Illyricum, regio ampla Europæ, mari Adriatico expoſita ad meridiem, à ſeptentrione Pannoniæ contermina, Savo fluvio ſeparante, inter Iſtriam ad occaſum, & Macedoniam ac Mœſiam ad ortum, diviſo Imperio Romano in *Orientale* & *Occidentale*, ſimilem diviſionem ſortita eſt.

Illyrico itaque occidentali ceſſerunt Noricum, tam Mediterraneum quam Ripenſe, ſuperior inferiorque Pannonia, Savia, Valeria, & Dalmatia.

Illyrico autem orientali, de quo hîc ſermo, Macedonia, Achaïa, Theſſalia, Creta, Epirus nova & vetus, Dacia Mediterranea & Ripenſis, Mœſia prima & ſecunda, Dardania & Prævalis. Hæc Mich. Anton. Baudrand, *tom.* 1. *geogr. p.* 509. *col.* 1.

Has omnes utriuſque Illyrici provincias Illyrico attribuit Sextus Rufus. *col.* 2. *n.* 1. A. Ejus verò, antequam divideretur, caput fuit *Sirmium* urbs Pannoniæ inferioris. 3. *n.* 3. C. D. Religionem Chriſtianam Illyrico invexit S. Paulus Apoſtolus, ipſomet teſte in epiſt. ad Rom. *c.* 15. *v.* 19. Subjectionis eccleſiarum Illyrici Romanæ Sedi primis ſæculis nonnulla afferuntur exempla. 5. *n.* 6. E. & 6. *n.* 7. B.

Illyrici totius orientalis regimen diù geſſit Theſſalonicenſis præſul, Romani Pontificis vices gerens, ſaltem à Damaſi temporibus, 7. *n.* 9. B. nec illud ſibi Conſtantinopolitani Patriarchæ vindicare potuerunt ante Leonem Iſaurum Iconoclaſtam, ſæculo VIII. qui, quod Gregorium utrumque, II. ſcilicet & III. (ſic enim legendum eſt *col.* 24. *n.* 33. E. non verò *I.* & *II.*) impietatis ſuæ adverſarios expertus eſſet, Calabriam, Siciliam, regioneſque Illyrici orientalis, nempe Macedoniam, Theſſaliam, utramque Epirum, Achaïam, Cretam Inſulam, Serviam quoque, à Sedis Apoſtolicæ priſca juriſdictione avulſit, & Byzantinæ ſubjecit. 24. *n.* 33. E.

Provinciæ Illyrici Orientalis, ordine alphabetico.

Creta Inſula, unam ſemper metropolim habuit, primùm *Gortinam*, deinde eâ dirutâ, *Candiam* urbem in ejus agro à Saracenis Hiſpanis conditam. 256. 257.

Dacia primùm à Trajano ſubacta fuit, ſed illius poſtea à Barbaris devaſtatæ habitatores Aurelianus Imperator cis Iſtrum tranſtulit inter Mœſias. Regio autem illa *Dacia Ripenſis* & etiam *Cis-Iſtriana* dicta eſt, ac deinde ſecta in *Daciam Mediterraneam*, versùs Prævalitanam & Dalmatiam, ubi nunc pars meridionalis Serviæ regni: & in *Daciam Ripenſem*, ſervato priore nomine, inter Rœtiariam & Viminacium, versùs Iſtrum flumen. 301. 302. Utriuſque Daciæ metropolis *Sardica* fuiſſe videtur, ſub adminiſtratione Theſſalonicenſis archiepiſcopi, ut Romani Pontificis vices gerentis, 7. *n.* 9. B. ſed Vigilius Papa, ad inſtantiam Juſtiniani I. Imperatoris, permiſit ſæculo VI. medio, utramque Daciam, aliaſque provincias, *Lychnidi* ſive *primæ Juſtinianæ* archiepiſcopo ſubjici. 283. 284. In Dacias Bulgari irruerunt ſæculo VII. labente, ibique Religionem Chriſtianam ferè extinxerunt: iis tamen IX. ſæculo ad Chriſtum converſis, novi inſtituti ſunt ibidem epiſcopatus ſub *Achrida* metropoli, ac inprimis *Sardica*, quæ nunc *Sophia* nuncupatur, & metropolis exſtat Bulgariæ, abſque ſuffraganeis. 301. 302.

Dardania, (quæ ex M. A. Baudrand, *tom.* 1. *geogr. p.* 325. *col.* 2. regio erat Mœſiæ ſuperioris, deinde *Dacia Mediterranea* dicta, versùs confinia Illyrici & Macedoniæ, ubi nunc regni Serviæ pars auſtralis) Theſſalonicenſi archiepiſcopo paruit, & poſtea Lychnidi ſive primæ Juſtinianæ præſuli. 283. 284. *Scupi* numero plurali, hodie *Scopia* & *Uſchub* fuit ejus metropolis, quæ Bulgarorum quoque poſt eorum converſionem caput exſtitit, antequam Achridenſi archiepiſcopo ſubjiceretur. 309. 310. Ad dignitatem etiam metropolis evecta eſt *Caſtoria*, intra eam regionem. 315. 316.

Epirus, Europæ regio, olim reges habuit proprios, ſed tandem Macedoniæ regno annexa fuit: terminatur autem à ſeptentrione Macedoniâ, ab oriente Theſſaliâ, à meridie Achaïâ, & ab occidente mari Ionio. In veterem & novam diviſa eſt (ſub Theodoſio Magno.) Hæc M. A. Baudr. *tom.* 1. *geogr. p.* 365. *col.* 1. ubi etiam ſubdit intra Epirum veterem comprehendi Epirum propriam: novam, verò, eam Macedoniæ partem eſſe quæ nunc *Albania* dicitur. Illius porrò metropolis fuit *Nicopolis*, hodie *la Preveſa*. 133. 134. Iſtius *Dyrrachium*, hodie *Durazzo*. 240. 241.

Hellas, teſte eodem M. A. Baudrand, *tom.* 1. *geogr. p.* 468. *col.* 2. aliquando ſumitur pro tota Græcia, cujus tamen pars duntaxat fuit *Achaia* dicta, ſub qua exſtabant Attica, Megaris, Bœotia, Phocis, Locri, Ætolia, & Doris. Terminabatur autem à ſeptentrione Macedoniâ & Theſſaliâ, ab oriente mari Ægæo, ab occidente mari Ionio, & à meridie finibus Corinthiaco ac Saronico. Nunc *la Livadie* ſive *Livadia* appellatur. Sola univerſæ Helladis, etiam poſt adjunctam ipſi totam Peloponneſum, metropolis exſtitit *Corinthus*, 155. 156. ſed deinde creatæ ſunt in ea novæ metropoles; ſcilicet, extra Peloponneſum quidem, *Athenæ* IX. ſæculo, ſuffraganeis ei aſſignatis eccleſiis, *Euripi*, *Diauliæ*, *Coroneæ*, *Oreiz*, *Andri*, *Scyri*, *Cariſti*, *Porthmi*, *Aulonis*, & *Syræ*. 167. 168. Item *Thebæ* ſine ſuffraganeis, 207. 208. & 210. C. intra Peloponneſum verò eodem ſæculo IX. *Patræ Veteres* ei ſubjectis eccleſiis *Methones*, *Lacedæmonis*, *Sarſocorones* ſive *Coroneæ*, *Elûs*, *Bolænæ*, *Oleni*, & *Tzernitzæ*. 179. 180. *Megalopolis* quoque ſive *Chriſtianopolis* Arcadiæ X1. ſæculo. 187. C. *Argos* pariter eodem ſæculo, 185. C. ac *Lacedæmon*, cui tres ſuffraganeæ aſſignatæ ſunt, *Curiopolis*, *Amyclæ*, & *Breſtenes*. 189. 190. Denique ſæculo XIII. *Monembaſia* ſive *Malvaſia* jus dicens eccleſiis *Cytheriæ* ſive *Andruſæ*, *Elûs*, *Menæ*, & *Rheontis*: cujus etiam archiepiſcopus nunc *Peloponneſi Exarchus* audit. 218. 219. B. ſed reliqua Hellas Exarchum agnoſcit Lariſſæ in Theſſalia antiſtitem. 11. *lin.* 4.

Macedonia, Adriatico mari ad occaſum terminatur, Ægæo ad ortum, Mœſiâ ſuperiori à ſeptentrione, & Epiro à meridie; eſtque Achaïæ & Theſſaliæ confinis, ex M. A Baudrand, *tom.* 1. *geogr. p.* 601. *col.* 2. Dividebatur jam ante annum 553. in duas provincias, *Primam* nimirum & *Secundam* ſive *Salutarem*, 38. E. certè Notitia, Imperii Romani diviſionem ſub Arcadio & Honorio factam continens, de utraque illa Macedonia mentionem facit... *per Illyricum, Diœceſes infra ſcriptæ, Macedonia, Dacia. Provinciæ Macedoniæ* (ſunt) *VI. Achaia, Macedonia, Creta, Theſſalia, Epirus vetus, Epirus nova, & pars Macedoniæ Salutaris. Provinciæ Daciæ V. Dacia Mediterranea, Dacia Ripenſis, Mœſia* 1. *Dardania, Prævalitana, & pars* (altera) *Macedoniæ Salutaris.* 3. 4. *n.* 2. B. *Theſſalonica* utriuſque metropolis exſtitit uſquequo tranſiit Illyricum ſub ditionem ſedis Conſtantinopolitanæ, exinde enim urbs *Philipporum* hujus II. Macedoniæ evaſit metropolis, ac in notitia Leonis Sapientis recenſetur, non *quadrageſima* μʹ, ſed *trigeſima nona*, λθʹ, eique ſubduntur epiſcopi *Theorii*, *Polyſtili*, *Beliciæ*, *Chriſtopolis*, *Simolenorum* ſive *Oſmolænorum*, *Cæſaropolis*, & *Alectryopolis*. 65. 66. Ad dignitatem inſuper metropoliticam aut archiepiſcopalem evectæ ſunt in Macedonia, *Serræ*, quæ in eadem notitia locum 58. νηʹ, non 59. νθʹ, obtinet 65. 66. 87. 88. & 89. B. *Berrhœa*, 72. C. *Lemnos*, 85. C. *Chriſtopolis* ſive *Chryſopolis* cum *Drama*, 97. 98. *Zichnæ*, 93. 94. demùm *Melenicus*, 95. 96. Novæ etiam metropoles creatæ in parte illa quæ Bulgariæ regnum auxit, *Edeſſa* ſcilicet ſive *Bodena*, 79. 80. *Heraclea* ſive *Pelagonia*. 81. 82. Nunc præſul Heracleæ in Thracia inſignitur *Exarchus totius Thraciæ & Macedoniæ*. 26. *n.* 37. D.

Mœſia *Superior* ſive *prima*, aut etiam *Dardania*, cujus partes fuere ambæ Daciæ, terminabatur à ſeptentrione Daciâ propriâ, ab ortu Mœſiâ inferiori, ab occaſu Dalmatiâ, à meridie Macedoniâ, & Prævalitanâ ſub ipſa olim comprehenſa, ubi hodie *Serviæ* regnum. Ita M. A. Baudrand, *tom.* 1. *geogr. pag.* 661. *col.* 1. Hæc metropolim habuiſſe *Sirmium* colligitur ex Novella Juſtiniani relata. 19. B. C. ſub adminiſtratione tamen Theſſalonicenſis archiepiſcopi, ut vicarii Romani Pontificis in Illyrico orientali à ſæculo IV. 7. *nn.* 9. & 10. ſed erecta in novam metropolim à præfato Imperatore *prima Juſtiniana*, ejus antiſtitis juriſdictioni obnoxia facta eſt, cum Dacia utraque, Prævalitana, Dardania, & Pannonia, 21. C. ſervata nihilominus in totum Illyricum primaria Romani Pontificis auctoritate. 21. *n.* 26. E. Bulgari in ea provincia fidem chriſtianam penè deleverunt ſæculo VII. ſed quùm ipſi Chriſto nomen dediſſent circa medium ſæculum IX. inſtitutus eſt apud illos epiſcopus, qui *Achridæ* poſtea ſedit. 283. 284. 287. C. & 288. D. Tandem eccleſiarum Mœſiæ ſuperioris, aliarumque provinciarum, quibus deinde Servia ſive Raſcia conſtitit, cura ad præſulem *Petcii* hujus regionis metropolitam tranſlata eſt. 319. 320.

Prævalis ſive Prævalitana, provincia in limite Macedoniæ ſita fuit, ex M. A. Baudrand, *tom.* 2. *geogr. pag.* 136. *col.* 2. inter mare Adriaticum ad occaſum, Illyricum ſinum ad meridiem, & Scardum montem ac Epidaurum ad ſeptentrionem, ubi nunc pars Albaniæ regionis. *Scodra* metropolim habuit, 275. 276. ſub juriſdictione primùm Theſſalonicenſis archiepiſcopi, deinde Juſtinianæ 1. 283. 284. Devaſtata ea provincia à Bulgaris, Scodrenſis eccleſia, ac cæteræ, *Dyrrachio* metropoli in nova Epiro ſubditæ ſunt. 240. 241.

Regimini deinde archiepiſcopi *Diocleenſis* cum aliquibus aliis eccleſiis commiſſa eſt anno 1062. ab Alexandro II. Romano Pontifice. 277. 278. *Achrida* Prævalitanæ civitas, evaſit circa eadem tempora totius Bulgariæ metropolis. 291. C.

Servia, regio Daciæ, ſuperioris Mœſiæ & Dardaniæ pars, dicta quoque à Raſca amne *Raſcia;* quùm epiſcopo aliquandiu caruiſſet, Diocleæ ſedi anno 1062. ab Alexandro II. ſubdita eſt, 277. 278. ſed rurſus proprium habuit præſulem ante medium ſæculum XIII. 321. C. ejuſque antiſtiti conceſſum, tum à Patriarcha Latino Conſtantinopoleos, ut patriarchalia quædam jura exerceret in plures Illyrici provincias, 321. B. 322. A. tum à Patriarcha Græco, ut αὐτοκέφαλος eſſet. 319. 320. Eodem ſæculo XIII. Sabbas Serviæ antiſtes epiſcopatus duodecim inſtituit in ditione ſua, ſcilicet *Zatumæ*, *Diocletiæ*, *Tenbre*, *Brtumliæ*, *Baraſii*, *Rhoſnæ*, *Prizreni*, *Ugracianitzæ*, *Utonitzæ*, *Ubranitzebi*, *Belegradi*, & *Moraviæ*. *ibid. lin.* 36. Pecium autem in Dardania facta eſt metropolis Serviæ ante annum 1341. 309. 310. 319. 320. & 322. B. cui nunc obtemperant titulo quidem metropolitarum ornati præſules *Scopiorum*, *Priſrenæ*, *Urſicii*, *Stariblachæ* ſive *Raſcæ*, *Boſinæ Saragii*, *Beligradii*, *Timiſwarii*, & *Baliſti*, archiepiſcopi verò *Samocabii*, *Ceſtentilii*, *Nyſſæ*, & *Sebetii*, demùm epiſcopus *Tzetinæ*, præter alios aliquot Germanico Imperio ſubditos. 319. 320.

Theſſalia, regio & pars ampla regni Macedoniæ versùs meridiem, cujus termini fuere Achaïa ſive Hellas ad meridiem, Epirus ad occaſum, Macedonia propria ad ſeptentrionem, & mare Ægeum ſinuſque Maliacus ac Pagaſicus ad ortum, montibus Olympo, Pindo, Oſſa, & Œta ipſam cingentibus, dividebatur olim in *Theſſaliotidem*, *Phthiotidem*, *Pelalgiotidem*, *Æſthiotidem*, & *Magneſiam*, earumque omnium metropolis *Lariſſa* fuit, teſte M. A. Baudrand, *tom.* 2. *geog. pag.* 309. *col.* 2. Huic olim 28. ſuberant eccleſiæ, nunc 9. duntaxat, ſcilicet *Demetriadis*, *Stagorum*, *Litzæ* & *Agraphorum*, *Sciathi* & *Scopeli*, *Gardicii*, *Rhadobizdii*, *Lædoricii*, *Thaumaci*, & *Zetunii*. 103. 104. Lariſſæ metropolita *Exarchus* audit *ſecundæ Theſſaliæ & totius Helladis*. 111. *lin.* 4. ad differentiam archiepiſcopi Theſſalonicenſis, qui ſubſcribit, *Humilis metropolita Theſſalonicæ, & Hypertimus, & Exarchus totius Theſſaliæ*. 26. *num.* 37. D. Dignitate archiepiſcopatûs vel metropoleos in ea provincia auctæ ſunt IX. ſæculo *Pharſalus*, 115. 116. & *Novæ Patræ*. 123. 124. ſæculo autem XIV. *Pheræ*. 129. 130. B.

Eccleſiæ his Illyrici Orientalis Provinciis contentæ, ordine alphabetico.

A

Abarinus, vide *Pylus*.

Acheloüs, à fluvio hujus nominis ſic dicta civitas, in Epiro veteri, nunc ſedes ſuffraganea Naupacti. 197. 198. *lin.* 9. Eadem fortaſſis fuit ac quam *Mozylen* Gregoras appellat, & *Cozylen* Pachymeres ſub Naupacto. 153. 154. C.

Achrida ſive *Achridus*, *Achris*, & *Prebellis*, nunc *Ochrida* vel *Adirida*, & Turcis *Giuſtandil*, (multis eadem eſt ac) *Lychnidus* & *Juſtiniana prima*. Urbs autem fuit Macedoniæ, & Bulgariæ metropolis, ſub monte Pierio, prope Lychnidum lacum, unde Drinus effluit, in limite Albaniæ, teſte M. A. Baudrand, *tom.* 1. *geogr. p.* 9. *col.* 2. Procopius aſſerit *Juſtinianam primam* fuiſſe conditam à Juſtiniano I. Imperatore, prope *Tauresium* oppidum in quo natus erat, oppidum quoque *Ulpianum*, avunculi ſui Juſtini patriam, ab eodem inſtauratum ſub nomine Juſtinianæ ſecundæ. 281. 282. Fortaſſis in Achridam Juſtinianæ primæ à Bulgaris dirutæ jura metropolitica tranſlata fuerint. 283. 284. Legitur Achridenſis epiſcopus ſynodo interfuiſſe Conſtantinopoli habitæ anno 879. pro reſtitutione Photii. 288. D. Huic porrò urbi, quæ propria ſedes archiepiſcopi Bulgarorum tandem evaſit, 291. B. aſſignatæ ſunt in ſuffraganeas eccleſiæ quatuordecim, ſeptem ſcilicet cum titulo metropoleos, & totidem epiſcopales: ſeptem priores fuere *Caſtoria* in Dardania, *Pelagonia* ſive *Bitalia* conjuncta *Perleapo*, *Edeſſa* ſive *Bodena* vel *Bodana*, *Corytza* conjuncta cum *Selaſphoro*, *Belegradum* cum *Canina*, *Tiberiopolis* ſive *Stramnitza* vel *Strumnitza*, & *Grebenus* ſive *Grebeni*: poſteriores verò recenſentur eccleſiæ *Siſanii*, *Moglenorum* ſive *Moglinorum*, *Moleſchorum* ſive *Moleſchi*, *Preſporum*, *Debrorum*, *Citzaborum* & *Coræ* conjunctæ cum *Mocra*. 283. 284. *lin.* 56.

Ad quorum clariorem intelligentiam nonnulla breviter ſubjicio ex variis hujus operis locis deflorata.

Quùm Bulgari, barbara gens Europæ, Mœſiam inferiorem, ac partem ſuperioris, Daciam utramque, Macedoniæ ac Dalmatiæ partem, Dardaniam quoque & Prævalim armis occupaſſent ſæculo VII. labente, fidemque chriſtianam, quam in iis regionibus ferè deleverant, & ipſi tandem ſuſcepiſſent ſæculo IX. 283. 284. illorum rex, Marinum Romanæ Eccleſiæ diaconum ſuæ genti dari in præſulem popoſcit ab Adriano II. Papa, qui, quoniam Marinum hunc deſtinarat Sedis Apoſtolicæ legatum ad ſynodum VIII. generalem, ejus loco Silveſtrum in Bulgariam miſit. Verum rex illum expulit, malens à Conſtantinopolitano Patriarcha epiſcopos Græcos recipere. 287. D. Hujus gentis archiepiſcopus aliquandiu fixam ſedem non habuit in Bulgaria, ſed modo epiſcopus unius civitatis, modo alterius, ad iſtam dignitatem aſſumebatur, donec ea poſtremùm Achridenſis præſulis propria remanſit, 291. B. C. cujus tamen auctoritas non parum imminuta eſt ſæculo XIII. erectâ Serviæ diœceſi ex Daciis, Mœſiâ ſuperiori, Dardaniâ, & aliquot Illyrici occidentalis provinciis. 319. 320.

Acœnes, *vide* Aquæ.

Acroceraunia ſive *Glabinitza*, ſedes epiſcopalis Epiri novæ ſub Dyrrachio metropoli. 240. 241. *lin.* 18.

Adirida, vide *Achridus*.

Æchinos, vide *Echinus*.

Ædeſſa, vide *Edeſſa*.

Ægina, inſula provinciæ Helladis, ſedes primùm epiſcopalis ſub Corintho metropoli, aucta deinde dignitate metropolis. 226. 227.

Ætinium, *vide* Pethunium & Thebæ Phthiotic.

Ætus, ſedes epiſcopalis veteris Epiri ſub Nicopoli, deinde ſub Naupacto. 149. 150. & 197. 198. *lin.* 9. *Naupacti*.

Agrapha, urbs Theſſaliæ in unum epiſcopatum cum *Litza* coaleſcens ſub Lariſſa metropoli. 103. 104. *lin.* 18. & 129. 130.

Alectryopolis ſive *Alectoroſo*, ſedes epiſcopalis Macedoniæ II. ſub Philippis. 65. 66. *lin.* 26. *Philipporum*.

Aleſſio, vide *Eliſſus*.

Amantia, ſedes epiſcopalis Epiri novæ ſub Dyrrachio metropoli. 250. 251.

Ambracia, vide *Arta*.

Amphipolis, quæ deinde *Chryſopolis* & *Chriſtopolis* dicta eſt, corruptè etiam *Ampolis* & *Amphipus*, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli, 83. 84. & 93. C. deinde ſub Philippis. 65. 66. *lin.* 25. Aucta demùm titulo archiepiſcopatûs. 86. *lin.* 1.

Amphiſſa, *vide* Aulon Helladis.

Amyclæ, olim *Lemnæ*, nunc *Vordonia*, ſedes epiſcopalis primùm ſub Corintho, & hodie ſub Lacedæmone. 228. 229.

Anactoria, vide *Tanagra*.

Anapolis, vide *Amphipolis*.

Anchiaſmus ſive *Oncheſmus* & *Onchiſmus*, ſedes epiſcopalis Epiri veteris ſub Nicopoli. 137. 138.

Andros, Inſula Ægæi maris, ſuffraganea Athenarum. 167. 168. *lin.* 23.

Andruſa, ſedes epiſcopalis Helladis, quæ ſæculo XV. medio Monembaſiæ metropoli ſuberat. 236. 237. Eadem eſt ac *Cytheria*. 218. 219. *lin.* 9.

Antibarium, nunc *Antivari*, urbs Dalmatiæ, ſedes primùm epiſcopalis provinciæ Prævalitanæ ſub Scodris metropoli, ut videtur: deinde ſub Dyrrachio. 140. 141. *lin.* 18. Hanc, nonnullaſque alias eccleſias Alexander II. Diocleenſi præſuli adminiſtrandas an. 1062. tradidit, 277. 278. ubi de *Dioclea*. *linn.* 19. 20. 25. & 29. Poſtremò in eam dirutæ *Diocleæ* metropolitica jura tranſlata ſunt, & in ſuffraganeas datæ eccleſiæ *Scodrorum* Scutari, *Pulatarum* Polati, *Drivaſti* Drivaſto, *Dulcinii* Dulcigno, *Catari* Cataro, *Butuæ* Dudoa, & *Suacii*, cum ei unita *Sorbio*. Ex Diocleæ archiepiſcopatu Raguſium pariter ſedem evaſiſſe archiepiſcopalem ſæculo XI. fruſtra reluctantibus Spalatenſi & Antibarenſi præſulibus, ſcribit Abbas de Commanville in Tabulis geographicis Gallicis, *p.* 196.

Apollonia Macedoniæ, vide *Hieriſſus*.

Apollonia altera, urbs Macedoniæ veteris, Epiro novæ attributa, ſedes epiſcopalis cum *Bullide* conjuncta ſub Dyrrachio metrop. 248. 249.

Apollonia tertia, ſedes epiſcopalis Cretæ inſulæ ſub Gortyna metropoli. 269. 270.

Apſoros ſive *Apſorus* & *Apſyrtis*, Illyrici inſula verſùs Iſtriæ litus: ſedes epiſcopalis Dardaniæ ſub Scupis metropoli. 311. 312.

Aquæ, Hierocli Ἀκόνες *Acœnes*, ſedes Daciæ Ripenſis ſub Sardica metropoli. 305. 306.

Arcadia in Hellade, vide *Megalopolis*.

Arcadia ſive *Arcade*, ſedes epiſcopalis Cretæ inſulæ ſub Gortyna metropoli. 266. 267.

Ardamerium ſive *Herculea*, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli. 97. 98.

Argos, antiquiſſima Peloponneſi civitas, olim ſuffraganea Corinthi, 155. 156. *linea* 14. deinde an. 1089. in metropolim erecta abſque ſuffraganeis, & cum *Nauplia* ſeu *Nauplio* conjuncta. 183. 184.

Argos Theſſalica, *vide* Lariſſa.

Argyro-Caſtrum, *vide* Hadrianopolis.

Ariaſſus, vide *Oreus*.

Arizæna, vide *Trœzen*.

Aroë, *vide* Patræ Veteres.

Arta, quondam *Ambracia* Epiri veteris, nunc *Larta*, ſedi Naupactenſi in unam metropolim conjuncta eſt ſæculo XIV. cujus præſul octo ſuffraganeis olim præerat, nunc verò his duntaxat quatuor, *Rogoo*, *Ventzæ*, *Aëto*, & *Achel.o*. 199. 200.

Aſruvium, vide *Decatera*.

Athenæ, Atticæ regionis caput, ſedes primùm epiſcopalis ſub Corintho, ad dignitatem deinde evecta archiepiſcopatûs & metropolis ſæculo IX. decem ei aſſignatis ſuffraganeis, *Euripi*, *Dianliæ*, *Coroneæ*, *Orei*, *Andri*, *Scyri*, *Cariſti*, *Porthmi*, *Aulonis*, & *Syræ*, nunc verò quinque numerantur, *Talantii* ſcilicet cum *Diolia*, *Scyri*, *Salonis*, *Bondenitzæ*, & *Coroniæ*. 167. 168.

Avarinus, *vide* Pylus.

Avaritianorum eccleſia in aliqua Dardaniæ parte ſita ſub Scupis metropoli. 312. C.

Aulon ſive *Solona*, *Solon* & *Amphiſſa*, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Athenis metropoli. 167. 168. *linn.* 31. 33. & 34. *Athenar.* *Item* 226. 227.

Aulon altera, ſive *Aulonea*, *Solona*, & hodie *La-Valona* ad fluvium Aoum, ſedes epiſcopalis Epiri novæ ſub Dyrrachio metropoli. 240. 241. *lin.* 18. & 252. 253.

B

Baliſtus, ſedes metropolitana ſub Pecio ſive Pecio metropoli Serviæ. 319. 320. *lin. antepenult.*

Baraſium, ſedes epiſcopalis ſub eadem Pecio. *ibid. lin.* 39.

Bardioritæ, numero plurali, *vide* Poliana.

Bargala ſive *Bargaa*, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonicenſi metropoli. 89. 90.

Bariane, ſedes ſuffraganea Novarum Patrarum in provincia Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 123. 124. *lin.* 5. *Novarum Patrarum*.

Barinus, *vide* Pylus.

Batzina, ſedes archiepiſcopalis Serviæ ſub Pecio ſive Pecio metropoli. 319. 320. *lin. ult.*

Bekena, vide *Olenus*.

Belice ſive *Belicia*, *vide* Tiberiopolis.

Bella ſive *Bela*, *vide* Photice.

Belogradum ſive *Belegradum*, ſedes ſuffraganea Achridæ metropolis Bulgarorum. 283. 284. *lin. antepen.* & 288. E. Habet nihilominus dignitatem ſive titulum *metropolis* cum *Canina*, cui unita eſt, 283. 284. ſub Pecio metropoli Serviæ. 319. 320. *linn.* 41. & 45.

Bendinitza, vidè *Mendinitza.*
Berrhœa, hodie *Veria* ſive *Beria*, urbs Macedoniæ, ſedes epiſcopalis ſub Theſſalonica metropoli. 69. 70. Ejus præſul *metropolita* audiit ſæculo XIII. 72. C. qui etiam dicitur fuiſſe aliquando *archiepiſcopus* diœceſis Bulgariæ, 71. 72. *lin.* 6. nec confundendus eſt cum Berrhœenſi in Thracia. *ibid. lin.* 10.
Beſane, *vide* Edeſſa.
Beſtron, corruptè pro *Leſtron*, 252. ſub *Zenobio. lin.* 3.
Bezena, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 131. 132.
Bitalia ſive *Pelagonia, vide* Heraclea.
Blatea, fortaſſis corruptè pro *Elatea.* 205. *lin.* 11.
Bodena ſive *Bodana* & *Bodyna, vide* Edeſſa.
Bolæna, *vide* Olena.
Boſna Saragü, urbs Coſniæ regionis, quæ titulo metropolis aucta eſt ſub Pecio Serviæ metropoli. 319. 320. *lin.* 45. Vide de *Boſniæ* eccleſia. 323. 324.
Brebis, corruptè pro *Doberus.* 77. A.
Breſtene ſive *Chryſaphas*, ſedes Peloponneſi ſub Lacedæmone metropoli, 189. 190. *lin.* 13. *Lacedæmon.* & 236. 237.
Brotice ſive *Brutice*, fortaſſis pro *Photice.* 143. A.
Budua, ſedes epiſcopalis ſub Raguſio metropoli. 277. 278. *lin.* 15. *Dioclea.*
Bullis, ſedes Epiri novæ, primùm Dyrrachii ſuffraganea, anno 431. cum Apollonia unius præſulis regimini ſubjacebat. 248. 249.
Bunditza ſive *Banditza, vide* Dodone.
Buntumium ſive *Butumlia*, ſedes metropolis titulo ornata ſub Pecio Serviæ metropoli. 319. *linn.* 39. & 47.
Buthrotum vel *Buthrotus*, olim *Epirus*, peninſula circa Corcyram, ſedes Epiri veteris, primùm ſub Nicopoli *La Preveſa* metropoli, 139. 140. deinde ſub Naupacto. 197. 198. *lin.* 10. *Naupacti.*

C

Cæſarea ſive *Caparea*, & fortaſſis *Dicæſarea*, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 113. 114. B.
Cæſaropolis, ſedes epiſcopalis Macedoniæ, ſuffraganea Philipporum, 65. 66. *lin.* 26. ſub *Philippis.*
Camirus, *vide* Hierapetra.
Campania ſive *Caſtrium*, *Panium*, & *Cania*, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonicenſi metropoli. 91. 92. & *ibid. lin.* 5.
Candia, urbs Cretæ inſulæ, quæ Gortinæ inſulæ metropoli à Saracenis dirutæ ſuffecta eſt. 256. 257. *lin.* 16.
Canea (La,) *vide* Cydonia.
Cania, *vide* Campania.
Canina, ſedes metropolitica, unita *Belegradenſi*, ſub Achrideno metropolita Bulgarorum. 283. 284. *lin. antepenult.*
Cantania ſive *Cantanus*, ſedes epiſcopalis Cretæ inſulæ ſub Gortyna metropoli. 273. 274.
Carſia ſive *Carfia*, *vide* Scarphia.
Carlowitza, metropolis titulo ornata, ſub Pecio metropoli Serviæ. 319. 320. *lin. penult.*
Caryſtus, ſedes epiſcopalis Eubœæ inſulæ ſub Corintho primùm, deinde ſub Athenis. 197. 198. *lin.* 23. *Athenarum.*
Caſſandria, ex ſede epiſcopali Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli, archiepiſcopalis evaſit ante annum 1639. 77. 78. & 78. C.
Caſſiope, vide *Joannina.*
Caſtoria, ad Lychnidum lacum, ſedes metropolis & protothroni honore donata ſub Achrida metropoli Bulgarorum. 283. 284. *lin.* 56. & 315. 316.
Caſtrium, vide *Campania.*
Caſtrum *ſive* Caſtra-Martis, ſedes epiſcopalis Daciæ Ripenſis ſub Sardica metropoli. 307. 308.
Cataro, vide *Decatera.*
Cenchreæ, Corinthi navale, cui datum epiſcopum Lucium ab Apoſtolo Paulo narrat auctor Conſtit. Apoſtol. lib. 7. c. 46. 177. 178.
Ceos ſive *Cea*, & *Zia*, Græcis verò olim *Hydruſſa*, inſula inter Eubœam & Bœotiam, ſedes epiſcopalis ſub Athenis metropoli, nunc conjuncta eſt cum *Thermiis* alia inſula, & titulo archiepiſcopatûs ornatur. 238. 239.
Cephalenia, inſula maris Adriatici, olim *Melæna* dicta, ſub Corintho metropoli, 155. 156. *lin.* 14. In unum archiepiſcopatum cum *Zacyntho* anno 1621. coaluit. 234. 235. & 235. B.
Ceſtentilium, ſedes archiepiſcopatûs titulo ornata ſub Pecio Serviæ metropoli. 319. 320. *lin. antepenult.*
Chalcis, civitas præcipua Eubœæ inſulæ, olim *Œchalia* appellata, & hodie *Negroponte.* Ejus præſul, qui dicitur etiam *Eubœæ* & *Euripi*, primùm ſuffraganeus fuit Corinthi, deinde protothronus Athenarum, 167. 168. ſub titulo *Athenar. linn.* 22. & 25. *Item* 212. 213. & 214. D.
Cherſoneſus, hodie *Spinalonga*, ſedes epiſcopalis Cretæ inſulæ. 269. 270.
Chimara, ſedes epiſcopalis ſuffraganea primùm Naupacti, 197. 198. *lin.* 10. *Naupacti:* deinde eccleſiæ Joanninorum, quùm hæc in metropolim erecta eſt ſæculo XVI. 151. 152. *linn.* 3. & 4.
Chonubia, ſedes Epiri novæ, ſub Dyrrachio metropoli. 240. 241. *lin.* 17.
Chriſtianopolis, vide *Megalopolis.*
Chryſaphas, vide *Breſtene.*
Chryſopolis *ſive* Chriſtopolis, vide *Amphipolis.*
Ciſſamus, ſedes epiſcopalis Cretæ inſulæ ſub Gortyna metropoli. 271. 272.
Citrum, antea *Pydna*, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli. 79. 80.
Codra, corruptè pro *Scodra.* 275. B.
Cora, ſedes epiſcopalis cum *Mocra*, ſub Achrida metropoli Bulgaror. 285. 286. *lin.* 2. Hæc fortaſſis *Coſſa* eſt ſive *Cozza*, urbs Boſniæ, Mocræ vicina.
Corcyra inſula, vulgò *Corfu* ſive *Corfou*, olim *Scheria*, *Phæacia*, & *Drepane* dicta, ex ſede epiſcopali Epiri veteris ſub Nicopoli *la Preveſa*, ad dignitatem metropolis tranſiit circa initium XII. ſæculi. 145. 146. & 149. B.
Corinthus, urbs Peloponneſi celebris, veteris & recentioris Helladis olim caput, cui IX. ſæculo ſeptem adhuc obtemperabant eccleſiæ, in Notitia Leonis Sapientis exhibitæ, *Damalæ* ſcilicet, *Argi*, *Monembaſiæ*, *Cephaleniæ*, *Zacynthi*, *Zemenæ*, & *Mainæ*, ſed nunc duas duntaxat habet ſuffraganeas, *Damalam* & *Polyphengum*, quæ etiam in unum epiſcopatum coaluerunt. 155. 156. Vide paulo ſupra, ubi de Hellade, in provinciis Illyric. *p.* 1. *col.* 2.
Corone, corruptè *Sarſocorone*, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Patris Veteribus 179. 180. *lin.* 14. & 193. 194.
Coronea, ſuffraganea primùm Corinthi, deinde Athenarum, 167. 168. *lin.* 22. ſub titulo *Athenarum.* 191. 192.
Corytza, *Selaſphoro* unita ſedes, tituloque metropolis ornata, ſub Achridenſi præſule. 283. 284. *lin. antepenult.*
Cozyle, vide *Acheloüs.*
Croia, urbs Albaniæ caput, ſedes epiſcopalis Epiri novæ ſub Dyrrachio metropoli. 240. 241. *lin.* 17.
Curiopolis, ſedes epiſcopalis ſuffraganea Lacedæmonis in Hellade, 189. 190. *lin.* 13. ſub titulo *Lacedæmonis.*
Cutziagrum *vel* Cutziagra, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Novis Patris metropoli, 123. 124. *lin.* 5. tituli *Novarum Patrarum.*
Cydonia, nunc *La Canea*, urbs & ſedes epiſcopalis Cretæ inſulæ ſub Gortyna metropoli. 271. 272.
Cyrba, *vide* Hierapetra.
Cytheria, vide *Andruſa.*
Cytzaba vel *Cirzaba*, ſedes epiſcopalis Bulgarorum ſub Achrida metrop. 285. 286. *lin.* 2.

D

Damala, *vide* Trœzen.
Daulia ſive *Daulis, vide* Diaulia.
Deabolis ſive *Diabolis*, olim *Selaſphorus*, hodie *Diavoli*, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli. 99. 100. Deinde unita *Corytzæ* in unam ſedem metropolitanam ſub Achrida metropoli Bulgaror. 283. 284. *lin. antepenult.*
Debra ſive *Dibra*, *Doberus*, *Daborus*, *Deborus*, *Diaborus*, & *Dioborus*, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli, quæ poſtea Bulgarorum facta ditionis in unum epiſcopatum cum *Preſporo* coaluit ſub Achridenſi archiepiſcopo. 75. 76. & 286. 287. *lin.* 2.
Decatera, urbs Dalmatiæ, olim quibuſdam *Rhiſunium* ſive *Rhiſonium*, vel *Rhiſon*, aliis *Aſruvium*, nunc *Cataro*, ſuffraganea primùm Diocleæ & Antibarii, deinde Raguſii. 250. 251.
Delbinus ſive *Delbinum*, ſedes epiſcopalis veteris Epiri, nunc ſuffraganea Joanninorum. 151. 152. *lin.* 4.
Demetrias ſive *Dimitria*, & olim *Pegaſa*, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 103. 104. *linn.* 16. & 17. & 111. 112.
Demonicum vel *Demenicum*, & *Demonium*, ſedes archiepiſcopalis unita *Elaſſoni* ſub eadem Lariſſa. 103. 104. *lin.* 10. & 125. 126. 127. B.
Diabolis, *vide* Deabolis.
Diaborus ſive *Dioborus*, *vide* Debra.
Diaulia, olim *Daulis* & *Daulium*, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Athenis metropoli, 167. 168. *linn.* 22. 24. & 33. conjuncta eſt cum *Talantio*, 234. 235. ſub titulo *Athenarum.*
Dicæſarea, corruptè pro *Cæſarea.* 114. B.
Dimitria, *vide* Demetrias.
Dioclea in Prævalitana diœceſi Illyrici orientalis, ſedes ſuffraganea Scodrorum, 277. 278. *lin.* 1. & etiam Dyrrachii, 240. 241. *lin.* 17. *Dyrrachii*, deinde in unum archiepiſcopatum coaluit cum *Antibario*, ante annum 1062. eique plures aliæ tunc epiſcopis deſtitutæ eccleſiæ adjunctæ fuerunt eo anno ab Alexandro II. Papa. 277. 278. *lin.* 20 Jura ejus metropolitica alii ad Raguſium, alii ad Antibarium, utramque nunc archiepiſcopalem urbem, tranſlata volunt. 280. C. D. 282. A.
Diocletia, ſedes epiſcopalis Serviæ ſub Petcio metropoli. 319. 320. *lin.* 38.
Dionyſiopolis, *vide* Tiberiopolis.
Dius ſive *Dium*, nunc *Studia*, Pieriæ civitas, ſedeſque epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica. 73. 74.
Doberus ſive *Daberus, vide* Debra.
Dodone ſive *Dudona* & *Bondirza*, ſedes epiſcopalis Epiri veteris ſub Naupacto metropoli, 139. 140. & 197. 198. *lin.* 9. tituli *Naupacti.*
San-Donato, *vide* Eurœa.
Donia, corruptè pro Cydonia in Creta inſula. 271. A.
Doracium, Hierocli provinciæ civilis Prævalitanæ metropolis, non recenſetur tamen in veteribus eccleſiarum Notitiis. 243. A.
Dragobintia, *vide* Drygobitia.
Drama, Philippis vicina in Macedonia, & Thraciæ contermina, in unum cum *Philippis* metropolitanam ſedem coaluit. 65. 66. *lin. ult.* & 97. 98.
Drepane, *vide* Corcyra.
Drivaſtum ſive *Drivaſto*, civitas olim Epiri novæ, ſedes ſuffraganea Dyrrachii, 240. 241. *lin.* 17. & 252. 253. deinde anno 1062. conjuncta cum *Dioclea* & *Antibario* unitis, 277. 278. *lin.* 30. tituli *Dioclea.* Denique ab iis ſejuncta fuit, ſed Bulgarorum archiepiſcopo ſubjecta. 321. C.
Drizipara, vide *Meſſene.*
Drygobitia ſive *Dragobintia*, & *Drugubitia*, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli. 93. 94.
Drynopolis, *vide* Hadrianopolis.
Dudona, vide *Dodone.*
Dyrrachium, antea *Epidamnus*, nunc *Durazzo* ſive *Duras*, diviſa Epiro à Theodoſio Magno in *Veterem* & *Novam*, iſtius facta metropolis, 240. 241. eccleſias 15. ſuffraganeas habuit, ſcilicet *Stephaniacenſem*, *Chonubiam*, *Croiam*, *Eliſum*, *Diocleam*, *Scodra*, *Drivaſtum*, *Polathenſem*, *Glabinitzam* ſive *Acroceraunian*, *Auloneam*, *Lychnidum*, *Antibarium*, *Tzernicum*, *Polycheropolim* ſive *Pulcheriopolim*, & *Gradirzium*, *ibid.* ex quibus *Dioclea*, 277. 278. *Scodra*, 275. 276. *Lychnidus* ſive *Achrida*, 281. 282. & *Antibarium*, 277. 278. dignitatem metropoleos obtinuerunt: *Drivaſtum* quoque, *Polathæ*, & aliæ quædam urbes ejus regimini ſubtractæ ſunt. Quin & ipſa Dyrrachienſis civitas Raguſinum archiepiſcopum interdum pro metropolita agnovit, 277. 278. *lin.* 16. tituli *Dioclea.* Nunc tamen archiepiſcopatus eſt. 247. A.

E

Echinus ſive *Æchinus*, hodie *Scarphia*, ſedes

Digitized by Google

epiſcopalis Theſſaliæ, ſub Lariſſa metropoli. 215. 216.

Ecimium, corruptè pro Echinus. 116. B.

Edeſſa ſive *Moglæna*, Macedoniæ civitas dicta etiam *Ædeſſa*, *Bodena*, *Bodyna*, & corruptè *Beſane*, ſedes epiſcopalis ſub Theſſalonica. 79. 80. Nunc metropolis titulo inſignitur ſub archiepiſcopo Achridenſi. 80. B.

Elaſſon, urbs Magneſiæ in Theſſalia, olim *Eliſſus*, *Olooſſon*, & *Leuca*, ſedes epiſcopalis conjuncta cum *Dæmonico* ſub Lariſſa metropoli. 125. 126. Hujus præſul *archiepiſcopi* titulo ornatur, ſaltem ab anno 1571. 109. E. & 127. B.

Elatta ſive *Elatina*, & fortaſſis corruptè *Blatea*, ſedes Helladis ſub Corintho metropoli. 205. 206.

Eleus ſive *Ælaus*, *Aleus*, & *Elûs*, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Patris Veteribus, deinde ſub Monembaſia. 179. 180. *lin.* 18. 218. 219. *lin.* 9. & 224. 225.

Eleutherna ſive *Eleuthera*, ſedes epiſcopalis Cretæ inſulæ ſub Gortyna metropoli. 269. 270.

Elis ſive *Elea*, & corruptè *Elida*, *Helica*, *Elica*, & *Leis*, metropolis Ætoliæ in Hellade. 195. 196. & *ibid.* A.

Eliſa ſive *Eliſſus* & *Liſſus*, hodie *Aleſſio*, ſedes epiſcopalis provinciæ Prævalitanæ, primùm ſub Scodris metropoli, deinde ſub Dyrrachio. 240. 241. *lin.* 17. & 281. 282.

Enobus, ſedes unita *Jonopoli* in diœceſi Serviæ, ſub Petcio metropoli. 319. 320. *lin. ult.*

Epea, *vide* Corone.

Epidaurus, *vide* Monembaſia.

Epirus, *vide* Buthrotum.

Ethinium, corruptè pro *Echinus*. 116. B.

Eubœa, *vide* Chalcis.

Euœa, corruptè pro *Eubœa*. 214. B.

Euripus, *vide* Chalcis.

Eurœa, quæ & *Iſoria* ac *San-Donato*, ſedes epiſcopalis veteris Epiri ſub Nicopoli metropoli. 143. 144.

Ezerus, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 125. 126.

F

Fappa, *vide* Lappa.

Fogaras, caſtrum Tranſylvaniæ, ſedes epiſcopalis non longè ab oppido *Cromſtad*. 523. 524.

G

Galaza, ſedes epiſcopalis ſub Novis Patris metropoli in Theſſalia. 123. 124. *lin.* 4. tituli *Novar. Patrar.*

Gardicium, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 103. 104. *lin.* 18.

Gerapetra, *vide* Hierapetra.

Gieula, ſedes epiſcopalis Serviæ unita *Lipobo* ſub Pecio ſive Peſcio vel Petcio metropoli. 319. 320. *lin. ult.*

Glabinitza, *vide* Acroceraunia.

Glycis, ſedes epiſcopalis veteris Epiri, ſuffraganea Joanninorum. 151. 152. *lin.* 4.

Gnoſſus, ad Idam montem poſita in Creta inſula, ſedes epiſcopalis ſub Gortina metropoli, 264. 265. dicta *Gnoſia*. 267. B.

Gomphi, numero plurali, civitas Theſſaliæ, ſedes epiſcopalis ſub Lariſſa metropoli. 113. 114.

Gortyna ſive *Gortyn*, Cretæ inſulæ metropolis, cujus dirutæ dignitas ad Candiam urbem in ejus territorio tranſlata eſt. 256. 257.

Graditzium, ſedes epiſcopalis Epiri novæ ſub Dyrrachio metropoli. 240. 241. *lin.* 19.

Grebenus, ſedes archiepiſcopalis diœceſis Bulgarorum ſub Achridenſi metropolita. 283. 284. *lin. penult.* & 323. 324.

H

Hadrianopolis ſive *Juſtinianopolis*, & hodie *Drynopolis*, ſedes epiſcopalis veteris Epiri ſub Naupacto, 197. 198. *lin.* 10. *Naupacti*: quæ poſtea unita eſt cum *Argyro-Caſtro* ſub Joanninorum metropoli. 141. 142. & 151. 152. *lin.* 3.

Halia, *vide* Theſſalonica.

Hepheſtias, ſedes Lemni inſulæ Ægæi maris, cujus præſul communiùs audiebat *epiſcopus Lemni*, & poſtea ad dignitatem *archiepiſcopi* ac *metropolitæ* evectus fuit, 85. 86. *lin.* 2. ſub titulo *Lemni*. *Item* 85. A. C. & 86. D.

Heraclea, urbs Macedoniæ, dicta etiam *Pelagonia* & *Bitalia*, ſedes epiſcopalis ſub Theſſalonica metropoli. 81. 82. Aucta deinde titulo *metropolis*, & unita *Perleapo* ſub Achridenſi metropolita Bulgarorum. 283. 284. *lin.* 56.

Heracleopolis ſiue *Heraclea*, *Heracleum*, & *Panhormus*, ſedes epiſcopalis Cretæ inſulæ ſub Gortyna metropoli. 268. 269.

Herculea, *vide* Ardamerium.

Heſtiæ, *vide* Oreus.

Hierapetra ſive *Hierapydna*, *Hierapytna*, *Cyrba*, *Pytna*, *Camirus*, hodie *Gerapetra*, ſedes epiſcopalis Cretæ inſulæ ſub Gortyna metropoli. 266. 267.

Hieriſſus *ſive* Agios Oros, *Mons ſanctus*, & prius *Apollonia*, ſedes epiſcopalis primùm ſub Mitylene, deinde ſub Theſſalonica. Aucta demum metropoliticis honoribus. 99. 100. & 112. A. *lin.* 13.

Hydruſſa, *vide* Ceos.

Hypata, neutro plurali, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 119. 120.

I

Joannina, olim *Illyricum*, & *Caſſiope*, nunc *Jannina*, primùm ſedes epiſcopalis Ætoliæ in veteri Epiro ſub Naupacto metropoli, 197. 198. *lin.* 9. *Naupacti*: deinde juribus aucta metropoliticis, ipſi etiam aſſignatis ſuffraganeis quatuor epiſcopatibus; ſcilicet *Argyri Caſtri* cum *Drynopoli*, *Belæ* ſeu *Photices*, *Bythronti* ſeu *Buthronti* cum *Glyci*, & *Chimaræ* cum *Delbino*. 149. 150.

Iſauria ſive *Iſoria*, *vide* Eurœa.

Iſchanium, ſedes epiſcopalis patriarchatûs Conſtantinopolitani, de cujus metropoli adhuc ſub judice lis eſt. 325. 326.

Iſtica, *vide* Oreus.

Ithaca, inſula Ionii maris prope Cephaleniam, Uliſſis patria, unita *Cephaleniæ* & *Zacyntho*. 235. B.

Junopolis, epiſcopatus Serviæ conjunctus cum ſede *Enobi*, ſub Petcio metropoli. 319. 320. *lin. ult.*

Juſtiniana prima, *vide* Achrida.

Juſtiniana ſecunda, *vide* Ulpianum.

Juſtinianopolis, *vide* Hadrianopolis.

L

Lacedæmon in Hellade, ſedes olim epiſcopalis primùm ſub Corintho metropoli, 189. 190. deinde ſub Patris Veteribus. 179. 180. *lin.* 14. Ad dignitatem metropolis anno 1082. evecta eſt, eique ſubjiciuntur in recentioribus Notitiis, *Curiopolis*, *Amyclæ*, & *Breſtene*. 189. 190. *lin.* 13.

Lamia ſive *Lamiana* & *Laminana*, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 117. 118.

Lappa ſive *Lampe* vel *Lampa*, nunc *Fappa*, ſedes epiſcopalis Cretæ inſulæ ſub Gortyna metropoli. 268. 269.

Lariſſa, prius *Argos Theſſalica*, Phthiotidis in Macedonia civitas, metropolis Theſſaliæ, cui olim obſequebantur 28. eccleſiæ; nunc verò hæ novem ſuperſunt, *Demetrias*, *Staga*, *Litza* cum *Agraphis*, *Sciathus* cum *Scopelo*, *Gardicium*, *Rhadobizdium*, *Lædoricium*, *Thaumacum*, & *Zetunium*. 103. 104. *lin.* 18. Auctæ fuerunt intra ejus provinciam dignitate quidem archiepiſcopali *Pharſalus*, 115. 116. metropolitica verò tum *Patræ Veteres*, 123. 124. tum *Pheræ*. 129. 130.

Larta, *vide* Arta.

Leïs, corruptè pro *Elis*. 196. A.

Lemnæ, numero plurali, *vide* Amyclæ.

Lemnos, inſula Ægæi maris, in qua *Hepheſtias* civitas ſedes epiſcopalis eſt totius inſulæ, ſuffraganea primùm Theſſalonicenſis antiſtitis, 85. 86. titulo deinde *archiepiſcatûs* ornata, 85. D. ac etiam *metropolis*. 86. D.

Lepante, *vide* Naupactus.

Leſtron ſive *Liſtron*, *Liſtra*, & fortaſſis corruptè *Beſtron*, ſedes Epiri novæ ſub Dyrrachio metropoli. 252. 253.

Lete ſive *Lite*, aut *Lyta*, unus epiſcopatus cum *Rhentina* aut *Rhendina* in Macedonia, ſub Theſſalonica metropoli. *Vide* Rhendina. 97. 98.

Leuca, *vide* Elaſſon.

Leucas ſive *Leucadia*, olim *Neritum* vel *Neritus*, nunc *S. Maura*, ſedes epiſcopalis veteris Epiri ſub Nicopoli *La Preveſa*. 151. 152.

Limbos, corruptè pro *Lemnos*. 85. B.

Lipobus cum *Giula*, ſedes epiſcopalis ſuffraganea Petcii metropolis Serviæ. 319. 320. *lin. ult.*

Liſſus, *vide* Eliſa.

Litza cum *Agraphis*, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 103. 104. *lin.* 18. & 129. 130.

Lœdoricium, ſedes epiſcopalis ejuſdem provinciæ. 103. 104. *lin.* 19. & 129. 130.

Lychnidus, eadem fortaſſis ſedes ac *Achrida*: *vide* Achrida. Suffraganea fuit Dyrrachii. 240. 241. *lin.* 18.

Lycoſtomium ſive *Theſſala Tempe*, ſedes epiſcopalis conjuncta cum *Platamone* in Macedonia ſub Theſſalonica metropoli. 101. 102.

M

Mæna ſive *Maina*, ſedes epiſcopalis Helladis, ſuffraganea primùm Corinthi, 155. 156. *lin.* 14. deinde Monembaſiæ. 218. 219. *lin.* 9.

Malæna, *vide* Cephalenia.

Malvaſia, *vide* Monembaſia.

Marathon, Atticæ oppidum, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Corintho metropoli. 203. 204.

Margus, urbs Mœſorum ad Iſtrum flumen, ſedes epiſcopalis Daciæ Ripenſis ſub Sardica metropoli. 307. 308.

Marmaritzium, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 129. 130.

S. Maura, *vide* Leucas.

Megalopolis ſive *Arcadia*, & *Chriſtianopolis*, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Corintho, evecta deinde ad dignitatem metropolis ante annum 1147. 187. 188.

Megara, Megaridis caput, ſedes præfatæ provinciæ Helladis. 205. 206.

Melangia, ſedes epiſcopalis, quæ fortaſſis ſuffraganea fuit Scodrorum metropolis provinciæ Prævalitanæ. 325. 326.

Melenicus ſive *Melenus*, & *Metenicus*, urbs Macedoniæ, primùm ſedes epiſcopalis ſub Theſſalonica metropoli, & fortaſſis etiam ſub Serris: deinde metropoliticis honoribus donata ſæculo ſaltem XIII. 95. 96. *Item* 87. 88. *lin.* 9. tituli *Serrarum*.

Meleſoba, urbs Bulgariæ, ſedes epiſcop. 315. 316.

Mendinitza ſeu *Bendinitza*, ſedes epiſcopalis ſub Athenis metropoli. 238. 239.

Meſſene ſive *Drizipara* & *Ithome*, corruptè etiam *Morena*, nunc *Meſaniga* & *Meſenga*, Meſſeniæ regionis Peloponneſi caput, ſedes primùm epiſcopalis ſub Corintho, deinde aucta dignitate metrop. 195. 196. & 198. A.

Methone ſive *Methana*, olim *Pedaſus*, hodie *Modon*, urbs Peloponneſi in regione ..., ſedes epiſcopalis Helladis, primùm ſub Corintho, deinde ſub Patris Veteribus. 179. 180. *linn.* 13. & 19. *Item* 228. 229.

Metropolis, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 121. 122.

Meza, quæ urbs & ſedes eadem fortaſſis fuit ac *Metra* in provincia Europæ diœceſis Thracicæ, tom. I. 1149. 1150. & hic 327. 328. *lin. penult.*

Mocra, ſedes epiſcopalis Bulgarorum unita ... ſub Achrida metropoli. 286. *lin.* 2.

Modon, *vide* Methone.

Moglena ſive *Moglæna*, *Moglina*, & *Molen*..., ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub ... Achrida. 283. 284. *lin. ult.* & 317. 318. Eadem non fuit ac *Edeſſa*. 79. 80.

Moleſcha ſive *Moleſchum*, ſedes epiſcopalis ... Achrida metropoli. 283. 284. *lin. ult.*

Monembaſia, olim *Epidaurus Limera* in Argolico ſinu, nunc *Malvaſia* ſive *Napoli di Malvaſia*, primùm ſedes epiſcopalis ſub Corintho, 155. 156. *lin.* 14. deinde evecta ad dignitatem metropolis, eique ſubditæ *Cytheræ* ..., *Andruſa*, *Ælaüs* ſive *Elis*, *Mæna* ſive *Maina*, & *Rheon*. 216. 217. & *ſeqq.*

Morena, corruptè pro *Meſſene*. 198. A.

Mozyle, *vide* Acheloüs.

N

Naïſſus ſive *Naïſus*, *Næſus*, & corruptè *Ni*...*xita*, *Neutina*, *Naſſita*, hodie *Nyſſa* & *Ni*..., civitas Daciæ aut Dardaniæ, & ſedes epiſcopalis ſub Sardica metropoli. 313. 314.

Navarino, *vide* Pylus.

Naupactus ſive *Lepante*, Achaiæ oppidum in ... receſſu ſinus Corinthiaci; primùm ſedes epiſcopalis fuit ſub Corintho: deinde Nicopolis ſive *La Preveſa* metropolis veteris Epiri ...

dignitate

dignitatem ac jura in ſe recepit ſæculo IX. 133. 134. ipſi ſubditis eccleſiis *Bunditzæ*, *Æti*, *Acheloi*, *Rigarum*, *Joanninorum*, *Photices*, *Hadrianopolis*, *Buthroti*, & *Chimaræ*. 197. 198. ſed earum quatuor poſtea Joanninis metropoli aſſignatæ ſunt. 199. 200. *lin. penult.* In unam tandem ſæculo XIV. coaluit metropolim cum *Arta* ſive *Larta*. 197. 198.

Nauplium ſive *Nauplia*, & corruptè *Anaplia*, nunc *Napoli di Romania*, Argivorum navale. Sedes epiſcopalis Helladis ſub Corintho: deinde in illam tranſlata ſunt jura metropolitica civitatis Argos à Turcis devaſtatæ anno 1375. & in unum cum ea epiſcopatum coaluit. 183. 184. *lin.* 12. & 185. 186.

Neapolis, corruptè fortaſſis pro *Megalopoli*. 187. A.

Negroponte, *vide* Chalcis.

Neritum, *vide* Leucas.

Neurocopus, urbs quædam in Græcia, cujus præſul metropolita audit. 325. 326.

Neutina, corruptè pro *Neſſena* ſive *Naiſſo*.

San-Nicheta, *vide* Phœnix.

Nicopolis Epiri, olim unicæ, deinde, poſt diviſionem ejus in *Veterem* & *Novam*, prioris metropolis, nunc *La Preveſa* dicta, hanc dignitatem ſæculo circiter IX. amiſit, quæ ad Naupactum tranſlata eſt. 133. 134. Proprium nihilominus Nicopoli præfuiſſe poſtea epiſcopum palam fit ex Daniele ejus præſule circa tempora Leonis Sapientis. 138. D.

Novæ Patræ, *vide* Patræ Novæ.

Nyſſa, *vide* Naiſſus.

O

Ochrida, *vide* Achrida.

Œchalia, *vide* Chalcis.

Olena ſive *Olenus*, & *Bolæna*, ad Hadriaticum mare, ubi nunc oppidum *Caminitza*, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Patris Veteribus. 179. 180. *lin.* 19. & 228. 229.

Olooſſon, *vide* Elaſſon.

Oncheſmus *ſive* Onchiſmus, *vide* Anchiaſmus.

Operata, *vide* Peparethus.

Opûs, corruptè *Propontus*, Atticæ civitas in Locride, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Corintho metropoli. 205. 206.

Oreus, olim *Heſtiæa* vel *Iſtiæa*, corruptè *Oria* & *Ariaſſus*, urbs Eubœæ, eademque ac *Talantium*, ſedes *Diaulenſi* unita ſub Athenis metropoli. 203. 204.

P

Panagra, *vide* Tanagra.

Panhormus, *vide* Heracleopolis.

Parthicopolis ſive *Partecolis*, eadem fortaſſis ac *Paræcopolis* Ptolemæi, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli. 75. 76.

Patræ Novæ ſive *Patræ Theſſalicæ*, ſedes primùm epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli: deinde ad dignitatem metropolis evecta ſæculo circiter IX. cum eccleſiis quatuor ſuffraganeis, videlicet *Galazorum*, *Cutziagrorum*, *Sibicli*, & *Barianes*. 123. 124.

Patræ Veteres, priùs *Aroë*, ex ſede epiſcopali ſub Corintho facta eſt metropolis IX. ſæculo, eique aſſignatæ ſunt in ſuffraganeas eccleſiæ *Methones*, *Lacedæmonis*, *Sarſocorones*, *Elûs*, *Bolenæ* ſive *Olenæ*, & *Tzernices*: ex quibus *Lacedæmon* anno 1082. dignitate quoque metropolitica aucta eſt. 177. 178.

Pautalia ſive *Pantalia*, ſedes epiſcopalis Daciæ ſub Sardica metropoli. 305. 306.

Pedaſus, *vide* Methone.

Pegaſa, *vide* Demetrias.

Pelagonia, *vide* Heraclea.

Peparethus, inſula cum ejuſdem nominis civitate ſede epiſcopali Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 131. 132.

Perleapus, ſedes metropolis titulo decorata & unita *Pelagoniæ* ſive *Bitaliæ* aut *Heracleæ* ſub Achridenſi archiepiſcopo. 283. 284. *lin.* 56.

Petcium ſive *Pecium* & *Peſſium*, hodie *Peſchium Peſch*, ſedes, ſaltem ab initio ſæculi XV. archiepiſcopi diœceſis Serviæ. 319. 320. *Vide ſupra in Indice provinciarum Illyrici, ubi de Servia, pag. ij. col.* 1.

Petra, urbs & ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli. 102. B.

Phæacia, *vide* Corcyra.

Pharmalus, *vide* Pharſalus.

Pharſalus ſive *Pharmalus* ac *Theſſalici Saltus*, celebris Theſſaliæ civitas, juxta quam Cneius Pompeïus victus eſt à Julio Cæſare, ſedes primum epiſcopalis ſub Lariſſa metropoli: aucta deinde dignitate archiepiſcopali, & titulo *Exarchiæ*. 115. 116.

Pheræ, ſedes epiſcopalis ejuſdem provinciæ Theſſaliæ, metropolitico honore gaudebat ſæculo XIV. 129. 130.

Philippi, urbs Macedoniæ, quæ primùm ſedes epiſcopalis fuit ſub Theſſalonica totius Macedoniæ metropoli, deinde evaſit IX. ſæculo metropolis Macedoniæ II. ſive *Salutaris*, 65. 66. & 69. D. cujus tamen juriſdictioni poſtea ſubſtractæ fuerunt atque ad ſublimiorem gradum evectæ ex ejuſdem ſuffraganeis *Amphipolis* ſive *Chryſopolis* aut *Chriſtopolis*, 86. *lin.* 2. & *Belice* aut *Belicia* ſeu *Tiberiopolis*. 283. 284. *lin. penult.* & 290. C. Quin & ipſius Philipporum urbis dignitatis metropoliticæ particeps effecta eſt *Drama*, quæ in unam ſedem cum illa coaluit, quùm antea reſidentia tantùm eſſet ſimplicis presbyteri *Protopapæ* Philipporum. 65. 66. *lin. ult.* & 97. 98. *Vide ſupra in Indice provinciarum Illyrici, ubi de Macedonia, pag.* 1. *col.* 2.

Phlius, oppidum Peloponneſi in Sicyonia, ſedes epiſcopalis nota ſolùm ex columna quadam marmorea exſtante in eccleſia S. Sophiæ. 327. 328.

Phœnice, urbs Epiri veteris non longè diſtans Buthroto, ſedes epiſcopalis ſub Nicopoli metropoli. 139. 140.

Phœnix ſive *Phœnicium*, hodie *San-Nicheta*, ſedes epiſcopalis Cretæ inſulæ ſub Gortyna metropoli. 268. 269.

Photice ſive *Bella*, *Bela*, & corruptè *Brotice* ac *Brutice*, epiſcopatus veteris Epiri ſub Nicopoli, & etiam ſub Naupacto. 197. 198. *lin.* 9. *Naupacti*. denique ſub Joanninis. 143. 144. & 151. 152. *lin.* 3.

Platææ ſive *Platæa*, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Corintho metropoli. 207. 208.

Platamon ſive *Plantamone*, ſedes epiſcopalis unita *Lycoſtomio* in Macedonia ſub Theſſalonica metropoli. 101. 102. *lin.* 3. & 102. B.

Pogoïana, ſedes ejuſdem provinciæ, titulo archiepiſcopatûs ornata. 93. 94.

Polathæ ſive *Polati* vel *Pulati*, incolæ Polatenſis regionis in Albania, proprium eccleſiæ ſuæ habuerunt olim antiſtitem Dyrrachii metropolitæ ſuffraganeum. 240. 241. *lin.* 18. Hanc quidem, nonnullaſque alias eccleſias, Alexander II. Papa anno 1062. commiſit Petro Diocleæ & Antibarii archiepiſc. 277. 278. *lin.* 31. tituli *Diocleæ*. Sed reſtitutus eſt epiſcopatus iſte ante ſæculum XIII. medium, & diœceſi Serviæ aſſignatum. 321. C.

Poliana ſive *Polyana*, *Polianina*, & *Bardioritarum* aut *Turcarum*, urbs Macedoniæ non longè ab Axio fluvio, ſedeſque epiſcopalis ſub Theſſalonica metropoli. 91. 92.

Polycheropolis, *vide* Pulcheriopolis.

Polyphengus, ſedes epiſcopalis Helladis, quæ aliquando unum epiſcopatum conflavit cum *Damala* ſive *Trazene*, ſub Corintho metropoli. 224. 225. *lin. xj.* tituli *Trazenis*.

Polyſtolus ſive *Polyſtilius*, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſuffraganea Philipporum. 65. 66. *lin.* 25. tituli *Philipporum*.

Porthmus, Eubœæ civitas juxta Eretriam, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Athenis metrop. 167. 168. *Athenar.* & 203. 204.

Poziera, ſedes epiſcopi Serviæ ſub Petzio metropoli. 319. 320. *lin. ult.*

Prebellis, *vide* Achrida.

Preſpa, ſedes epiſcopalis Bulgariæ ſub Achrideno metropolita. Hæc cum eccleſia *Debrorum* his poſtremis temporibus in unum epiſcopatum coaluit. 285. 286. *lin.* 1.

Preveza (La) *vide* Nicopolis.

Prima Juſtiniana, *vide* Achrida.

Prinatus, corruptè pro *Drivaſtus*.

Priſrena ſive *Prizrenus*, ſedes Serviæ titulo metropolis inſignita ſub archiepiſcopo Petcii. 319. 320. *linn.* 40. & 45.

Propontus, *vide* Opûs.

Pulcheriopolis ſive *Polycheropolis*, ſedes epiſcopalis Epiri novæ ſub Dyrrachio metropoli. 240. 241. *lin.* 19.

Pydna, *vide* Citrum.

Pylus, quæ nunc *Barinus* vel *Abarinus* ſive *Avarinus*, & *Navarinus*, ſedes epiſcopalis Helladis ſuffraganea Monembaſiæ. 236. 237.

Pyrgus ſive *Pyrgium*, ac *Perge*, urbs Meſſeniæ, ſedes primùm epiſcopalis ſub Patris Veteribus, evecta dein ad dignitatem metrop. 222. 223.

Pytna, *vide* Hierapetra.

R

Raguſium, urbs Dalmatiæ, ſedes epiſcopalis in quam nonnulli Scriptores tradunt Diocleæ à Bulgaris dirutæ jura metropolitica fuiſſe tranſlata; eique aſſignant eccleſias *Buduæ*, *Decaterorum*, *Ulcinii*, *Suaciæ*, *Scodrorum*, *Dyrrachii*, *Drivaſti*, *Boſnæ*, *Terbunii*, & *Zachhumiæ*. 277. 278. *lin. xj.* Diocleæ, & 280. C. Sunt tamen qui Antibarium Diocleæ ſucceſſiſſe velint in dignitate archiepiſcopali.

Raſca ſive *Stariblacha*, ſedes Serviæ metropolitico honore decorata ſub Petcio metropoli totius diœceſis Serviæ. 319. 320. *lin.* 45.

Remeſiana ſive *Remeſſiana*, *Remiſiana*, *Remanſiana*, *Romeſiana*, & *Romatiana*, ſedes Daciæ ſub Sardica metropoli. 305. 306.

Rhadobizdium, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 103. 104. *lin.* 18. tituli *Lariſſæ*.

Rhendina, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli, aucta deinde dignitate metropolis, quam ipſa tranſtulit in *Leten* ſive *Letam* ſibi conjunctam. 97. 98.

Rheon in Hellade, primùm ſuffraganea Monembaſiæ, evecta deinde ad honorem archiepiſcopatûs. 218. 219. *lin.* 9. & 236. 237. *lin.* 7. tituli *Pyli*.

Rhiſunium *ſive* Rhiſonium & Rhiſon, *vide* Decatara.

Rhoſna, ſedes Serviæ ſub ejus archiepiſcopo. 319. 320. *lin.* 40.

Rigæ, ſedes epiſcopalis ſuffraganea Naupacti. 197. 198. *lin.* 9. tituli *Naupacti*.

S

Salona, *vide* Aulon Helladis.

Salonichi, *vide* Theſſalonica.

Samocabium, ſedes Serviæ titulo archiepiſcopatûs ornata ſub Petcio metropoli. 319. 320. *lin. antepenult.*

Sardica ſive *Triaditza*, hodie *Sophia*, ad Boïanam fluvium, Daciæ Mediterraneæ, & poſtea Bulgariæ regionis caput, ſedes eſt metropoleos titulo inſignita, 301. 302. & 304. C. quæ tamen non recenſetur inter metropolitas Achrideno archiepiſcopo obnoxios, ad calcem *coll.* 283. 284.

Sarſocorone, *vide* Corone.

Scampe ſive *Scampes*, *Scappa*, & hodie *Scampi*, urbs Epiri novæ inter Dyrrachium & Lychnidum, ſedes epiſcopalis in Albania ſub Dyrrachio metropoli. 246. 247.

Scarphia in Theſſalia, *vide* Echinus.

Scarphia ſive *Carſia* & *Carfia*, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Coryntho; deinde ſub Athenis. 212. 213.

Scheria, *vide* Corcyra.

Sciathus, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ, nunc unita Scopelo, ſub Lariſſa metropoli. 103. 104. *lin.* 18. & 123. 124.

Scodra, neutro plurali, nunc *Scodar* & *Scutari*, urbs Dalmatiæ, erat ſæculo VI. exeunte Prævalitanæ provinciæ metropolis, ut noſcitur ex S. Gregorii Papæ epiſtola 68. *lib.* 9. ad ejus præſulem & alios metropolitas Illyrici ſcripta. 278. A. & 287. B. Sed à ſæculo circiter IX. ſuffraganea Dyrrachii fuit, 240. 241. deinde ſæculo XI. Diocleæ ſimul & Antibarii archipræſulis ſedi unita eſt. 277. 278. *lin.* 30. tituli *Diocleæ*. nunc verò Antibarenſi metropolitæ ſubeſt. 275. 276. *lin.* 9.

Scopelus, hodie *Scopulo*, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ conjuncta cum *Sciatho* ſub Lariſſa metropoli. 103. 104. *lin.* 18. 117. 118. & 118. B.

Scupi, numero plurali, ſive *Scopi*, nunc *Scopia* & *Uſchup*, metropolis Dardaniæ, facta quoque Bulgariæ metropolis, antequam Achrida, cui poſtea ſubjecta eſt, regni iſtius caput evaderet. Hodie autem inter metropoles Serviæ ſub Petcii archiepiſcopo cenſetur. 309. 310. & 319. 320. *lin.* 44.

Scyros inſula, una Cycladum, nunc *Scyros*, ſedes epiſcopalis primùm ſub Corintho, deinde ſub Athenis. 167. 168. *lin.* 23. *Athenarum*. & 232. 233.

Sebetium, ſedes archiepiſcopalis Serviæ ſub Petcio totius regionis metrop. 319. 320. lin. 46.

Selaſphorus, *vide* Deabolis.

Seriphus, nunc *Serfino*, inſula maris Ægæi, & una Cycladum, cujus adminiſtrationem habet, non *Scyri*, ſed *Syræ* antiſtes Græcus ſub Athenis metropoli. 232. 233. *lin.* 8. tituli *Scyri*. Abbas de Commanville, *geogr. part.* 2. *c.* 5. *pag.* 208. *col.* 2. *lin.* 2. & ad vocem *Sira* in *Tab. Gall. pag.* 218. *lin.* 7. *Siram* & *Seriphum* unitas ait.

Serræ, numero plurali, ſive *Serra* vel *Sarrha*, fortaſſis *Derrha* Plinii, nunc *Seres*, urbs Macedoniæ, ſedes primùm epiſcopalis ſub Theſſalonica metropoli: aucta deinde ante finem ſæculi IX. dignitate metropolis, quæ in Notitia Leonis Sapientis cenſetur (non 59. νθ'. vel potius ϛβ'. ſed) 58. νη'. ad calcem Codini *de Officiis, p.* 380. Hujus ſuffraganea fuiſſe dicitur *Melenicus*, quæ poſtea evecta eſt ad honorem metropolis. 87. 88. Epiſcopus quoque *Zichnarum*, in Notitia poſtrema ad calcem Codini, legitur p. 408. n. 26. Serrarum metropolitæ olim paruiſſe. κϛ'. ὑπὸ τῷ Σερρῶν ὁ Ζιχνῶν. 26. *ex Serrarum* (ſuffraganeo) *præſul Zichnarum*.

Servia ſive *Serbia*, neutro plurali, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli. 101. 102. Ejus antiſtes metropolitæ titulo gaudebat anno 1564. 97. B.

Sibiclus, ſedes epiſcopalis ſuffraganea Novarum Patrarum. 123. 124. *lin.* 5. tituli *Novarum Patrarum*.

Singedunum ſive *Singidonus, Singedon, Sigedin*, nunc *Semandria*, quaſi *S. Andreæ* oppidum, *Semandre, Smiderow, Zenderow*, & *Zenderim*, urbs Serviæ regni, antea Raſciæ caput, ſedes epiſcopalis Dardaniæ, fortaſſis ſub Scupis metropoli. 313. 314.

Siſanium, ſedes epiſcopalis Bulgariæ ſub Achridenſi archiepiſcopo. 283. 284. *lin. ult. &* 323. 324.

Smolæna ſive *Oſmolæna*, neutro plurali, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Philippis metropoli. 65. 66. *lin.* 26. tituli *Philipporum*.

Socorus vel *Secorus*, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Corintho, (& fortaſſis poſtea ſub Athenis.) 232. B.

Soli, numero plurali, apud Hieroclem Σόλοι, fortaſſis *Stobi*. 75. 76. *lin.* 4. tituli *Stoborum*.

Solona, *vide* Aulon Epiri novæ.

Solon, *vide* Aulon Helladis.

Sophia, *vide* Sardica.

Spinalonga, *vide* Cherſonneſus Cretæ.

Stadia, *vide* Dius.

Stagæ ſive *Stageion* & *Staghi*, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 103. 104. *lin.* 18. *&* 127. 128.

Stariblacha, *vide* Raſca.

Stephaniacus, nunc *Narenta*, ſedes epiſcopalis Epiri novæ ſub Dyrrachio. 241. 242. *lin.* 17. *&* 254. 255. Hodie ſuffraganea eſt Raguſii, licet Turcis obtemperet, ex M. A. Baudrand, *tom.* 2. *geogr. pag.* 428. *col.* 2.

Stobi ſive *Stobium*, nunc *Starachino* & *Sturaci*, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli. 75. 76.

Strategis in Hellade, ſedes olim epiſcopalis ſub Corintho metropoli. 222. 223.

Strenium, ſedes metropolis ornata titulo in diœceſi Serviæ, ſub Petcii archiepiſcopo. 319. 320. *lin. penult.*

Strummitza ſive *Strammitza*, *vide* Tiberiopolis.

Subrita ſive *Surrita*, ſedes epiſcopalis Cretæ ſub Gortyna metropoli. 269. 270.

Syra ſive *Sira, Syros, Siro*, & Gallis *Siere*, inſula maris Ægæi, & una Cycladum, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Athenis metropoli. 167. 168. *linn.* 23. *&* 26. tituli *Athenar.* Hæc nunc in unum epiſcopatum Græcum coaleſcit cum *Seripho*, *vide* Seriphus.

T

Talantium, *vide* Oreus.

Tanagra, corruptè *Panagra*, dicta quoque à nonnullis Scriptoribus *Anactoria*, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Corintho. 212. 213.

Taygeta, eadem eſt ac *Amyclæ*.

Tegea, Arcadiæ oppidum, ſedes provinciæ Helladis ſub Corintho. 195. 196.

Tembre, ſedes epiſcopalis Serviæ, ſub totius gentis archiepiſcopo. 319. 320. *lin.* 39.

Thaſſus ſive *Thaſſos* & *Thaſos*, nunc *Taſſo*, inſula maris Ægæi, ſedes epiſcopalis Macedoniæ ſub Theſſalonica metropoli. 87. 88.

Thaumacus, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metropoli. 103. 104. *lin.* 19. *&* 127. 128.

Thebæ Bœoticæ, hodie *Thiva* vel *Stives*, ſedes primùm epiſcopalis Helladis ſub Corintho, aucta deinde titulis archiepiſcopatûs & metropolis, ſed abſque ſuffraganeis. 207. 208.

Thebæ Phthioticæ, urbs in Pelaſgico ſinu, nunc *Ziton, Zeiton* vel *Zetune*, ſedeſque epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metrop. 121. 122. Hæc probabiliter eadem eſt ac *Zetunium* ſive *Ætinium* in eadem provincia & ſub eadem metropoli quæ recenſetur, 103. 104. *lin.* 19. *&* 113. 114. præſertim quùm præſules utrobique relati, non iiſdem temporibus ſederint.

Theorium, eadem fortaſſis eccleſia ac *Theorina*, ſedeſque epiſcopalis Macedoniæ ſub Philippis metropoli. 65. 66. *lin.* 25. *Philipporum, &* 91. 92.

Theſpiæ, hodie *Theſpe*, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Corintho metropoli. 210. 211.

Theſſala Tempe, *vide* Lycoſtomium.

Theſſalici Saltus, *vide* Pharſalus.

Theſſalonica, olim *Therme* & *Halia*, nunc verò *Salonichi*, in Amphaxiti tractu & ora littorali, totius Macedoniæ metropolis, 27. 28. cujus antiſtes ſupremam adminiſtrationem habuit à Damaſi ſaltem temporibus ſub finem ſæculi IV. in omnes eccleſias Illyrici orientalis, ſcilicet Macedoniæ tam I. quàm II. Helladis ſive Achaiæ, Theſſaliæ, Epiri utriuſque, Daciarum Mediterraneæ & Ripenſis, Cretæ inſulæ, Mœſiæ ſuperioris, Dardaniæ, & Prævalis. *col.* 7. *& ſeqq.* Sed circa annum 550. hujus juriſdictioni ſubſtractæ ſunt à Juſtiniano Imperatore, & novæ Juſtinianæ præſuli collatæ, Vigilio annuente Papa, duæ Daciæ, cum Mœſia, Dardania, Prævali, Macedonia ſecunda, & parte Pannoniæ ſecundæ, 19. A. *&* 283. 284. *lin.* 1. quæ provinciæ omnes nihilominus Romano Pontifici obnoxiæ remanſerunt, uſquequo illas iis cum Calabria & Sicilia eripuerit Leo Iſaurus Iconoclaſta ſæculo VIII. ſedique aſſignaverit Conſtantinopolitanæ. 24. E. In Macedonia rursùs ad altiorem gradum evectæ ſunt, non ſine auctoritatis metropolitæ Theſſalonicenſis diſpendio *Philippi* ſæculo circiter IX. 65. 66. *&* 69. D. *Berrhæa* ſæculo XIII. 72. C. *Amphipolis* ſive *Chryſopolis* aut *Chriſtopolis*, 86. *lin.* 1. *Caſſandria*, 78. C. *Bodena* ſive *Edeſſa*, 80. A. *Lemnos*, 85. C. D. *Heraclea* ſive *Pelagonia*, 283. 284. *lin.* 56. *Serræ*, 87. 88. *&* 89. B. *Pogoiana*, 93. 94. *Zichnæ*, *ibid.* *Melenicus*, 95. 96. *Drama*, 97. 98. *Rhendina*, *ibid.* & *Hieriſſus*, 99. 100. Humiliorem adhuc expertus ille eſt conditionem, ex quo Patriarchatui Byzantino paruit, non niſi decimum ſextum locum inter metropolitas ſortitus ſæculo IX. 25. B. C. qui tamen poſtea in undecimum & etiam in quartum immutatus fuit. *Ibid.* D. Nunc verò Theſſaliæ *Exarchus* audit, & *Hypertimus*, 65. B. cujus ſuffraganeæ ſunt in Macedonia *Citrum*, 79. 80. *Campania*, 91. 92. *Poliana*, *ibid.* *Ardamerium*, 97. 98. *Lycoſtomium* cum *Platamone*, 101. 102. & *Petra*. 102. B. Martinus Cruſius, *Turco-Græc. lib.* 4. *p.* 327. *edit. Baſil. anno circiter* 1584. Theſſalonicæ ſubjectas dicit eccleſias *Citri* ſeu *Pydnæ*, *Serviorum*, *Caſandriæ*, *Lytæ* cum *Rhendina*, *Hieriſſi*, *Lycoſtomii*, & quaſdam alias.

Tiberiopolis ſive *Stromitza*, *Strammitza*, aut *Strummitza*, olim *Dionyſiopolis*, nunc *Varna*, urbs Mœſiæ inferioris, & poſtea Bulgariæ prope oſtia fluvii Zyræ in Pontum Euxinum, ſedes metropoleos titulo ornata ſub archiepiſcopo Achridenſi. 283. 284. *linea penult.* Eadem probabiliter eſt ac Tiberiopolis alio nomine dicta *Belice*, 290. C. ſive *Belicia*, olim una ex ſuffraganeis Philipporum. 65. 66. *lin.* 25. tituli *Philipporum*.

Timiſvarium, ſedes Serviæ honore metropolis decorata ſub Petcio totius regionis metropoli. 319. 320. *lin.* 45.

Triaditza, *vide* Sardica.

Tribulium ſive *Terbunium*, nunc *Trebigno*, ſedes epiſcopalis Dalmatiæ, Petri archiepiſcopi Diocleæ & Antibarii curæ commiſſa anno 1062. ab Alexandro II. Papa. 277. 278. *linn.* 16. *&* 33. *Dioclea.* Hodie ſuffraganea eſt Raguſii, licet ſub poteſtate ſit Turcarum, & unita ſedi *Mercanenſi*, M. A. Baudrand, *tom.* 2. *geogr. pp.* 332. *&* 428.

Tricca ſive *Trica, Tricæ, Trocæ, Triane*, & fortaſſis *Tricattus* Procopii, nunc verò *Tricala*, ſedes Theſſaliæ ſub Lariſſa, cui hodie unitur. 103. 104. *lin.* 16. *&* 117. 118.

Trœzen, duplex hujus nominis civitas, una Meſſeniæ in Peloponneſo, dicta vulgò *Trezina*: altera verò in Saronico ſinu Argiæ Peloponneſi appellata *Damala* & *Arizæna*, quæ aliquandiu in unam ſedem epiſcopalem cum urbe *Polyphengo* coaluit à qua nunc dividitur, ſub Corintho metropoli. 155. 156. *lin.* 14. *&* 224. 225.

Turcæ, numero plurali, *vide* Poliana.

Tzernicum, ſedes Epiri novæ ſub Dyrrachio. 240. 241. *lin.* 18.

Tzernitza ſive *Tzernice*, ſedes epiſcopalis Helladis ſub Patris Veteribus. 179. 180. *lin.* 19. *&* 238. 239.

Tzetina, ſedes epiſcopalis Serviæ ſub Petcio metropoli. 319. 320. *lin. penult.*

V

Validum, corruptè pro *Bullis*. 249. C.

Valona (La), *vide* Aulon Epiri novæ.

Varna, *vide* Tiberiopolis.

Ubranitzebus, ſedes Serviæ ſub illius archiepiſcopo. 319. 320. *lin.* 41. (Fortaſſis eſt *Gravaniza* in Dardania ſupra Petcium.)

Verdonia, *vide* Amyclæ.

Ugracianitza, ſedes Serviæ ſub illius archiepiſcopo. 319. 320. *lin.* 40.

Ulpianum, Dardaniæ civitas, Juſtini I. Imperatoris patria, quam Juſtinianus inſtauravit, & *Juſtinianam ſecundam* appellari voluit: ſedes fuit epiſcopalis ſub Scupis metropoli. 309. 310.

Urlicium, (fortaſſis *Urſinum* ſive *Orſova*.) ſedes Serviæ titulo metropoleos ornata ſub Petcio regionis metropoli. 319. 320. *lin.* 45.

Uſchup, *vide* Scupi.

Utonitza, ſedes Serviæ ſub illius archiepiſcopo. 319. 320. *lin.* 41.

Z

Zacynthus vulgò *Zante*, inſula Hadriatici maris, ſedes epiſcopalis Corintho ſuffraganea, quam Cyrillus Lucaris Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 1721. cum *Cephalenia* & *Ithaca* in unum archiepiſcopatum conjunxit. 155. 156. *lin.* 14. 232. 233. *&* 234. B.

Zaluma, (vel potiùs *Zachluma* in Dalmatia.) ſedes epiſcopalis erecta ſæculo XIII. ab archiepiſcopo Serviæ. 319. 320. *lin.* 38.

Zappara in Dardania, ſedes epiſcopalis ſub Scupis ſæculo VI. 311. 312.

Zemena, ſedes ſuffraganea Corinthi. 155. 156. *lin.* 14.

Zenderow ſive *Zenderin*, *vide* Singedunum.

Zetunium ſive *Zetuxium* vel *Ætinium*, ſedes epiſcopalis Theſſaliæ ſub Lariſſa metrop. 103. 104. *linn.* 16. *&* 19. *&* 113. 114. *Vide ſupra* Thebæ Phthioticæ.

Zia, *vide* Ceos.

Zichnæ, numero plurali, urbs Macedoniæ, ſedes primùm epiſcopalis ſub Serris, (& fortaſſis adhuc prius ſub Theſſalonica aut Philippis,) quæ deinde titulo *metropolis* à Serris avulſa eſt. 93. 94.

Præſules Eccleſiarum Illyrici Orientalis, ordine alphabetico.

A

Abraamius, Achridæ. 300. B.
Novarum Patrarum. 126. B.

Abraham, Achridæ. 300. A.

Abundantius, Demetriadis. 111. C.

Achilius, Lariſſæ. 103. A.

Achilleus, Theſſalonicæ. 28. A.

Ætius, Theſſalonicæ. 29. D.

Agapius, Berrhœæ. 74. D.
Cephaleniæ. 235. B.
Philipporum. 70. D.

Agathangelus, Breſtenes. 236. B.

Agathocles, Coroneæ. 124. A.

Agathodorus, Megarorum. 206. A.

Alciſon, Nicopolis. 135. B.

Alcyſonus, Corcyræ. 147. E.

Digitized by Google

INDEX.

Baſilius II. *Berbinæus*, Phliuntis. 328.
Pyrgi. 224. A.
Serrarum. 89. B.
I. Theſſalonicæ. 45. E.
II. 47. E.
Baſſus, Dioclex. 279. A.
Scodrorum. 275. A.
Benenatus, Juſtinianæ primæ. 285. E.
Scuporum. 310. B.
Benignus, Heracleæ. 83. B.
Beſſarion, Corones. 194. D.
Bonoſus, Sardicæ. 302. A.
Buhius, Stoborum. 75. A.
C
Caius, Theſſalonicæ. 27. C.
Caliſtus, Corinthi. 167. A.
Callicrates, Naupacti. 197. B.
Callinicus, Æginæ. 227. A.
Opuntis. 208. A.
Petcii. 324. A.
Theſſalonicæ. 65. B.
Caloctenes, Thebarum Boeticarum. 211. A.
Calvus, Caſtri-Martis. 307. A.
Caſtellianus, Juſtinianæ primæ. 285. D.
Chalchutzes, Dyrrachii. 245. E.
Chariton, Dyrrachii. 247. D.
Chriſtodorus, Anchiaſmi. 138. E.
Chriſtophorus, Patrarum Veterum. 182. C.
Chryſanthus, Lacedæmonis. 192. A.
Orei. 204. A.
Chryſippus, Corcyræ. 147. C.
Claudius *ſeu* Cleonius, Anchiaſmi. 137. E.
Thebarum Phthioticarum. 121. A.
Clemens, Achridæ. 290. C.
Joanninorum. 152. C.
Cleonius, *vide* Claudius.
Conradus, Achridæ. 289. E.
Conſtantinus I. Achridæ. 295. A.
II. 296. C.
Chalcidis. 214. B.
Corcyræ. 149. B.
Demetriadis. 111. B.
Dyrrachii. 246. A.
Hadrianopolis. 141. C.
Lariſſæ. 107. B.
Megalopolis. 187. B.
Melangiorum. 325. D.
I. Patrarum Veterum. 180. B.
II. 181. A.
Pyrgi. 225. A.
Scodrorum. 277. A.
I. Theſſalonicæ. 48. B.
II. 50. C.
Conſtantius, Gortynæ 265. D.
Cornelius, Corcyræ. 150. C.
Coſmas, Caſſandriæ. 78. B.
Hadrianopolis. 142. B.
Stephaniaci. 254. A.
Criſpus, Æginæ. 226. A.
Cyprianus, Cephaleniæ. 235. B.
Cyriacus, Caryſti. 197. B.
Cyrillus, Athenarum. 177. A.
Berrhœæ. 73. D.
Corinthi. 166. E.
I. Gortynæ. 257. C.
II. 262. E.
III. 265. D.
Serrarum. 90. D.
Subritæ. 269. A.
Thaumaci. 128. C.
D
Dalmatius, Naiſſi. 313. B.
Damaſcenus, Artæ. 201. D.
Demonici & Elaſſonis. 127. B.
Pydnæ *ſeu* Citri. 81. B.
Rhendinæ. 97. B.
Damianus, Achridæ. 290. E.
Ezeri. 125. C.
Serviorum. 101. B.
Thebarum Boeticarum. 211. C.
Daniel, Athenarum. 176. D.
Chalcidis. 215. E.
Edeſſæ 80. A.
Hieriſſi. 102. A.
Nicopolis. 138. C.
I. Patrarum Veterum. 182. A. C.
II. *Ibid.* C.
Serrarum. 90. C.
Dardanius, Bargalorum. 91. *lin.* 1.
David, Achridæ. 291. D.
Hieriſſi. 99. B.
Demetrius, Achridæ. 295. C.
Buthroti. 142. A.
Lappæ. 268. A.
Lariſſæ. 110. A.
Philipporum. 69. B.
I. Phliuntis. 328.
II. *Tricaraneus. Ibid.*
III. *Lacedæmonius. Ibid.*
Sciathi. 123. A.
I. Theſſalonicæ. 52. A.
II. 54. E.
Diadochus, Photices. 143. A.
Diogenianus, Remeſianæ. 306. B.
Dionyſius I. Argi. 186. A.
II. *Ibid.* C.
Areopagita Athenarum. 169. A.
Berrhœæ. 73. A.
Caſtoriæ. 316. B.
I. Corinthi. 158. B.
II. 159. B.
Elidis. 195. A.
Lariſſæ. 110. D.
Lychnidi. 287. A.
Megarorum. 206. A.
Patrarum Veterum. 182. A.
Thebarum Phthioticarum. 121. B.
Dioſcorus, Gortynæ. 257. A.
Dominicus, Demetriadis. 112. C.
Domninus, Platæarum. 207. B.
Domnio, Sardicæ. 303. C.
Domnus, Opuntis. 205. B.
Donatus, Euroeæ. 143. C.
Nicopolis. 133. A.
Dorotheus, Corinthi. 159. D.
Lacedæmonis. 191. D.
Monembaſiæ. 222. C.
Orei. 204. A.
Theſſalonicæ. 36. A.
Doſitheus, Dramæ. 97. A.
E
Elias, Gortynæ. 262. *pro* 261. D.
Theſſalonicæ. 38. D.
Tzernitzæ. 238. A.
Elpidius, Thebarum Phthioticarum. 121. B.
Epaphroditas, Philipporum. 67. A.
Epictetus, Corinthi. 159. B.
Epiphanius, Eleutherniæ. 270. C.
Lappæ. 269. B.
Eraſiſtratus, Corinthi. 161. B.
Eraſtus, Philipporum. 67. C.
Eremius, Theſſalonicæ. 29. E.
Evagrius, Heracleæ. 81. C.
Evangelus, Pautaliæ. 307. A.
Eucharius, Dyrrachii. 242. A.
Eugenius, Euroeæ. 145. C.
Hieriſſi. 100. B.
Leucadis. 154. B.
Megalopolis. 190. A.
Nicopolis. 134. B.
Eulalius, Amantiæ. 250. *lin.* 15.
Eumenius, Gortynæ. 257. E.
Euphratas, Cherſonneſi Cretæ. 271. A.
Eleutherniæ. 269. C.
Euphronius, Hierapetræ. 266. D.
Euſebius, Apolloniæ Cretæ. 269. B.
Apolloniæ & Bullidis. 248. C.
Doberi. 77. A.
Theſſalonicæ. 39. D.
Euſtathius, Gomphorum. 115. A.
Dyrrachii. 244. D.
Naiſſi. 313. B.
Theſſalonicæ. 48. C.
Euthymius, Lariſſæ. 107. B.
Patrarum Novarum. 124. C.
Philipporum. 70. A.
Eutychius, Pogonianæ. 94. A.
Hadrianopolis. 141. B.
Euxitheus, Theſſalonicæ. 34. C.
F
Fabianus, Zapparæ. 311. D.
Felix, Apolloniæ & Bullidis. 248. C.
Sardicæ. 303. D.
Feſtus, Strategidis. 222. D.
Franciſcus, Cephaleniæ. 235. A.
G
Gabriel, Achridæ. 288. D.
Æginæ. 226. A.
Argi. 186. D.
Artæ. 201. C.
Lacedæmonis. 192. C.
Lariſſæ. 112. *lin.* 2.

Digitized by Google

Gabriel, Petcii. 322. E.
Pogoïanæ. 93. A.
I. Theſſalonicæ. 55. C.
II. 60. C.
Gaïanus, Naïſſi. 314. A.
Galaction, Lariſſæ. 109. B.
Gaudentius, Naïſſi. 313. A.
Genethlius, Argi. 183. B.
Gennadius, Achridæ. 296. D.
Gnoſſi. 267. A.
Georgius, Achridæ. 288. E.
Athenarum. 173. C.
Chalcidis. 214. D.
Corcyræ. 150. B.
I. Corinthi. 164. A.
II. Ibid. D.
Eleûs. 224. C.
Gortynæ. 265. C.
Lariſſæ. 107. E.
Theorii. 91. lin. 7.
Zacynthi. 232. C.
Zetunii. 113. A.
Geraſimus, Monembaſiæ. 223. C.
Philipporum. 70. C.
Polianæ. 92. B.
Germanus, Achridæ. 291. B.
I. Patrarum Veterum. 181. D.
II. 182. B.
Philipporum. 70. D.
Pydnæ ſeu Citri. 79. C.
Gerontius, Berrhœæ. 71. B.
Doberi. 77. A.
Gregorius, Achridæ. 297. A.
Cantani. 274. B.
I. Corinthi. 166. E.
II. 167. A.
III. Ibid.
Demonici & Elaſſonis. 127. A.
I. Dyrrachii. 244. C.
II. 246. D.
Lacedæmonis 191. D.
Lariſſæ 110. B.
Megalopolis. 190. A.
I. Theſſalonicæ. 55. C.
II. 60. C.
Zetunii. 113. A.
Zichnarum. 94. B.
H
Hadrianus, Thebarum Phthioticarum. 121. C.
Heliodorus, Nicopolis. 133. A.
Triccæ. 117. C.
Hermogenes, Caſſandriæ. 77. B.
Herodion, Patrarum Novarum. 123. B.
Heſiodus, Corinthi. 159. A.
Heſychius, Tanagrorum. 212. A.
Hieremias, Dyrrachii. 247. C.
Lariſſæ. 109. E.
Sardicæ. 304. C.
Theſſalonicæ. 53. B.
Hierotheus, Caſtoriæ. 315. B.
Joanninorum. 152. C.
Monembaſiæ. 222. B.
Hilarion, Thaumaci. 130. lin. 1.
Hilarius, Corinthi. 163. A.
Photices. 143. B.
Honoratus, Thaſſi. 87. A.
Hoſius, Lacedæmonis. 189. B.
Hymenius, Peparethi. 132. lin. penult.
Hypatius, Hadrianopolis. 141. B.
Nicopolis. 137. D.
I
Jacobus, Achridæ. 296. A.
I. Athenarum. 177. A.
II. Ibid. B.
Lariſſæ. 110. D.
Mendinitzæ. 238. lin. 3.
I. Theſſalonicæ. 53. A.
II. 65. A.
Zetunii. 114. A.
Jaſon, Corcyræ. 147. A.
Iconius, Gortynæ. 258. E.
Ignatius, Lemni. 88. A.
I. Theſſalonicæ. 52. E.
II. 66. B.
Joachim, Dramæ. 97. A.
Pogoïanæ. 94. A.
Joacim, Artæ. 201. C.
Berrhœæ. 74. D.
Joannes I. Achridæ. 292. A.
II. Ibid. E.
III. 293. C.
Joannes IV. Achridæ. 294. C.
V. 295. B.
Amphipolis. 84. C.
Arcadiæ. 266. C.
I. Argi. 183. C.
II. 185. C.
I. Artæ. 201. B.
II. 202. D.
Athenarum. 171. D.
Chalcidis. 214. B.
Corcyræ 149. C.
I. Corinthi. 162. B.
II. 163. A.
Corones. 193. C.
Decaterorum. 250. A.
Demetriadis. 112. B.
I. Diocleæ. 280. C.
II. 282. A.
Dodones. 140. B.
Eliſſi. 282. B.
I. Euroeæ. 145. D.
II. 146. A.
Ezeri. 125. C.
Fogaræ. 325. A.
I. Gortynæ. 259. E.
II. 263. E.
Grebeni. 323. B.
Juſtinianæ primæ. 286. D.
Lappæ. 268. B.
I. Lariſſæ. 106. D.
II. 107. C.
III. 108. B.
Lemni. 88. A.
Leucadis. 153. A.
I. Meſſenes. 197. A.
II. 198. A.
Monembaſiæ. 218. B.
I. Naupacti. 199. D.
II. 200. C.
Nicopolis. 135. E.
Parthicopolis. 75. B.
Philipporum. 70. A.
I. Phliuntis. 328.
II. Athenienſis. Ibid.
III. Carvæus. Ibid.
IV. Tanienſis. Ibid.
Photices. 143. A.
Pydnæ ſeu Citri. 81. B.
Scuporum. 309. B.
Stoborum. 76. A.
Thebarum Bœtic. 210. pro 209. C.
I. Theſſalonicæ. 29. C.
II. 42. B.
III. 45. B.
IV. 53. D.
V. 54. B.
VI. 61. E.
Joannicius, Berrhœæ. 74. B.
Caſſandriæ. 77. C.
Heracleæ. 84. B.
Petcii. 321. E.
Theſſalonicæ. 51. E.
Joaſaph, Achridæ. 300. E.
Caſtoriæ. 315. B.
I. Corinthi. 166. C.
II. Ibid. D.
III. 167. A.
Joanninorum. 151. C.
Iſchanii. 325. B.
Monembaſiæ. 221. E.
Neurocopi. Deeſt in titulo. 325. C.
Thebarum Bœticarum. 211. C.
Theſſalonicæ. 63. A.
Trœzenis. 224. B.
Joël, Caryſti. 198. B.
Jonas, Parthicopolis. 75. B.
Joſeph, Berrhœæ. 72. B.
Lacedæmonis. 192. D.
Litzæ. 120. A.
Methones. 231. E.
Sciathi. 124. A.
Scopeli. 118. B.
Scyri inſulæ. 232. B.
Theſſalonicæ. 43. C. 44. C.
Irenæus, Naupacti. 197. C.
Scyri inſulæ. 232. B.
Iſidorus, Athenarum. 175. E.
Edeſſæ 79. A.
Monembaſiæ. 219. B.
Theſſalonicæ. 56. E.
Julianus, Dodones. 140. B.
Julianus, Sardicæ. 302. B.
Julius, Thebarum Bœticar. 210. pro 209. A.
L
Laurentius, Apſori ſeu Abſari. 311. B.
Aulonis. 227. B.
Caſſandriæ. 78. C.
Dyrrachii. 244. A.
Lychnidi. 285. B.
Leo I. Achridæ. 292. B.
II. 294. A.
Argi. 185. B.
Athenarum. 172. E.
Berrhœæ. 72. B.
Ciſſami. 272. C.
Patrarum Novarum. 123. C.
Patrarum Veterum. 180. C.
Phœnicis. 268. C.
Porthmi. 204. B.
Theſſalonicæ. 45. C.
Zacynthi. 232. C.
Leonides, Athenarum. 171. C.
Leontius, Serrarum. 87. C.
Tzernitzæ. 238. A.
Lucas, Berrhœæ. 71. C.
Dyrrachii. 242. B.
Lucianus, Dyrrachii. 243. E.
Lucius, Cenchrearum. 177. B.
M
Macarius, Achridæ. 296. E.
Berrhœæ. 74. D.
Ceï. 238. B.
Hadrianopolis. 142. C.
Lariſſæ. 110. E.
I. Megalopolis. 188. A.
II. Ibid. B.
Petcii. 322. C.
Polianæ. 91. B.
Serrarum. 89. D.
I. Theſſalonicæ. 54. B.
II. 62. A.
Macedonius, Ulpiani. 309. C.
Malachias, Corinthi. 165. E.
Manuel, Photices. 144. A.
Theſſalonicæ. 51. A.
Marcianus, Naïſſi. 213. A.
Thebarum Bœticarum. 210. C.
Marcus, Achridæ. 298. B.
Corinthi. 165. D.
Euroeæ. 145. B.
Metropolis 121. lin. 5.
Margarites, Stoborum. 76. A.
Martanus, Dyrrachii. 242. E.
Martyrius, Gortynæ. 258. E.
Megalopolis. 187. A.
Matthæus, Achridæ. 298. A.
Buthroti. 141. A.
Joanninorum. 152. A.
I. Melenici. 95. D.
II. 96. B.
Serrarum. 89. D.
Maximianus, Serrarum. 87. B.
Maximius, Demetriadis. 111. A.
Maximus, Diocleæ. 279. C.
Iſchanii. 325. C.
Petcii. 322. E.
Pydnæ ſeu Citri. 82. B.
Serrarum. 90. B.
Meletius, Achridæ. 300. D.
Ardamerii. 97. A.
Argi. 186. D.
Athenarum. 177. A.
Aulonis. 227. B.
I. Sardicæ. 304. E.
II. 305. lin. 1.
Theſſalonicæ. 66. A.
Methodius, Melenici. 96. A.
Theſſalonicæ. 66. B.
Metrophanes, Artæ. 202. A.
Berrhœæ. 73. B.
Corinthi. 165. E.
Melenici. 95. B.
Theſſalonicæ. 63. C.
Michael, Achridæ. 294. B.
I. Athenarum. 172. C.
II. 174. A.
Corcyræ. 149. A.
Dyrrachii. 245. A.
Eleûs. 224. C.
Lemni. 86. B.
Methones. 231. C.
Pharſali. 116. C.

INDEX.

Michael, Sardicæ. 303. E.
Theſſalonicæ. 50. A.
Moſchus, Thebarum Phthioticarum. 121. A.
Moyſes, Petcii. 323. A.
Myro, Gortynæ. 257. B.
N
Narciſſus, Amphipolis. 83. C.
Nathanaël, Leucadis. 154. A.
Nazarius, Aulonis. 252. A.
Nectarius, Achridæ. 299. E.
Chalcidis. 215. E.
Demetriadis. 114. *lin.* 6.
Philipporum. 70. C.
Nemeſion, Diocleæ. 279. C.
Neophytus, Athenarum. 176. C.
Lariſſæ. 109. D.
Lemni. 85. C.
Theſſalonicæ. 66. B.
Nicander, Lariſſæ. 108. E.
Tanagrorum. 212. A.
Nicanor, Athenarum. 176. B.
Nicephorus, Cephaleniæ. 234. B.
Decaterorum. 250. A.
Dyrrachii. 243. C.
Edeſſæ. 80. B.
Gortynæ. 264. D.
Patrarum Novarum. 126. B.
Nicetas I. Athenarum. 171. E.
II. 173. A.
Cantani. 274. B.
Cydoniæ. 272. B.
Dyrrachii. 246. B.
Lacedæmonis. 190. A.
Remeſianæ. 305. A.
Serrarum. 88. B.
I. Theſſalonicæ. 47. C.
II. 52. D.
Nicias, Megarorum. 205. A.
Nicodemus, Æti. 149. E.
Megalopolis. 188. C.
Nicolaus, Amyclarum. 228. A.
Athenarum. 173. C.
Corcyræ. 149. A.
Corinthi. 165. C.
Gortynæ. 264. A.
Lemni. 85. C.
Meleſobæ. 315. C.
Methones. 230. C.
Monembaſiæ. 219. B.
Patrarum Novarum. 124. B.
Philipporum. 69. D.
Photices. 144. B.
Pyli. 236. A.
Stoborum. 75. A.
Theſſalonicæ. 56. B.
Nilus, Lacedæmonis. 190. A.
Theſſalonicæ. 55. B.
Niphon, Moglenorum. 317. A.
Theſſalonicæ. 60. E.
O
Œcumenius, Triccæ. 119. C.
Olympas, Philipporum. 67. E.
Oncimus, Argi. 183. B.
Berrhœæ. 71. A.
Oneſiphorus, Coroneæ. 193. A.
Ophelinus, Tegeæ. 195. B.
P
Pachomius, Zichnarum. 93. B.
Paiſius, Achridæ. 298. E.
Cephaleniæ. 235. B.
Gortynæ. 265. A.
Lariſſæ. 110. C.
Patrarum Veterum. 182. C.
Theſſalonicæ. 64. A.
Palladius, Dii. 75. *lin.* 1.
Panagius *Lauræus*, Phliuntis. 328.
Paregorius, Scuporum. 309. A.
Parthenius, Artæ. 201. D.
Corinthi. 167. A.
Joanninorum. 152. B.
Patrarum Veterum. 182. B.
Philipporum. 70. D.
Baſileotes, Phliuntis. 328.
Sardicæ 304. D.
Tzernitzæ. 238. A.
Paulus, Cantani. 273. B.
Corinthi. 163. B.
Diocleæ. 279. C.
Drivaſti. 252. B.
Dyrrachii. 247. A.
Gortynæ. 260. A.
Paulus, Lemni. 85. C.
Monembaſiæ. 218. D.
Doxas Xylocaſtrenſis, Phliuntis. 328.
I. Theſſalonicæ. 40. D.
II. 46. C.
Ulpiani. 311. A.
Pauſianus, Hypatorum. 119. E.
Pentactenes *ſeu* Pentaclas, Lemni. 86. A.
Peregrinus, Phœnices. 139. A.
Perigenes, Argi. 183. A.
Corinthi. 159. E.
Perrebius, Pharſali. 115. C.
Petrus, Argi. 184. A.
Cherſonneſi Cretæ. 272. A.
Corinthi. 161. B.
Diocleæ. 277. 278. *lin.* 21.
I. Drivaſti. 252. B.
II. 253. B.
Drygobitiæ. 95. *lin.* 1.
Echini. 115. B.
Gortynæ. 258. D.
Lappæ. 268. A.
Monembaſiæ. 218. A.
Patrarum Veterum. 181. A.
Carbatæus I. Phliuntis. 328.
Trixeniotes II. *Ibid.*
Pherebius, Lycoſtomii. 101. B.
Philetus, Orei. 203. A.
Philippus, Achridæ. 291. C.
Corcyræ. 148. D.
Gortynæ. 257. B.
Meſſenes. 198. A.
Phliuntis. 328.
Phœnices. 140. A.
Philocharis, Apolloniæ & Bullidis. 249. C.
Philotheus, Achridæ. 300. D.
Dodones. 139. B.
Dyrrachii. 247. D.
Phlegon, Marathonis. 203. C.
Photinus, Cantani. 274. B.
Photius, Corinthi. 161. D.
Piſtus, Athenarum. 170. C.
Plutarchus, Patrarum Veterum. 179. C.
Platæarum. 208. B.
Porphyrius, Achridæ. 300. B.
Philipporum. 68. C.
Polianæ. 93. *lin.* 3.
Primus, Corinthi. 157. E.
Probianus, Demetriadis. 111. C.
Prochorus, Achridæ. 298. D.
Proclus, Lariſſæ. 105. D.
Projectus, Naiſſi. 314. B.
Prometheus, Theſſalonicæ. 47. A.
Proſdocius, Lappæ. 268. A.
Protogenes, Sardicæ. 301. A.
Publius, Athenarum. 169. B.
Pynitus, Gnoſſi. 266. A.
Q
Quadratus, Athenarum. 169. C.
Quintillus, Heracleæ. 81. C.
R
Raphael, Hadrianopolis. 142. C.
Rheginus M. Scopeli. 117. B.
Robertus, Phliuntis. 328.
Romanus, Dyrrachii. 245. C.
Rufinus, Theſpiarum. 211. D.
Rufus, Thebarum Bœticarum. 207. C.
Theſſalonicæ. 33. A.
S
Sabas, Athenarum. 171. E.
Patrarum Veterum. 180. B.
Petcii. 321. A.
Sebon, Cydoniæ. 271. B.
Secundianus, Lamiæ. 117. A.
Senecio, Scodrorum. 275. A.
Sergius, Corinthi. 164. B.
Silvanus. Lemni. 85. A.
Silveſter, Achridæ. 287. C.
Simeon, Theſſalonicæ. 58. C.
Demonici & Elaſſonis. 127. A.
Siſinnius I. Cherſonneſi Cretæ. 271. A.
II. 272. A.
Dyrrachii. 243. B.
Siſoës, Olenæ. 228. B.
Sophronius, Achridæ. 298. E.
I. Athenarum. 176. B.
II. *Ibid.* D.
Corinthi. 166. C.
Corones. 195. *lin.* 1.
Diauliæ. 236. *lin.* 1.
Edeſſæ. 79. B.
Sophronius, Orei. 204. A.
Solon, Philipporum. 69. A.
Soſthenes, Corinthi. 157. B.
Soterichus, Corcyræ. 147. B.
Nicopolis. 137. C.
Soterus, Aulonis. 253. A.
Stephanus, Buthroti. 141. A.
Corcyræ. 147. D.
Corinthi. 162. D.
Gortynæ. 263. D.
Lamiæ. 117. A.
Lariſſæ. 105. D.
Pharſali. 116. C.
Pyrgi. 224. A.
Scodrorum. 276. B.
Serrarum. 90. D.
Strategius, Lemni. 85. A.
Stratocles, Patrarum Veterum. 179. A.
Stylianus, Lariſſæ. 107. D.
Symeones, Patrarum Novarum. 123. D.
T
Thalelæus, Theſſalonicæ. 39. C.
Thales, Argi. 183. C.
Theocletus, Lacedæmonis. 189. C.
Theodegius, Athenarum. 172. B.
Theodoretus, Lacedæmonis. 192. C.
Lychnidi. 286. B.
Moglenorum. 318. A.
Theodorus, Athenarum. 175. E.
I. Chalcidis. 214. C.
II. 215. B.
Corinthi. 164. C.
Dodones. 139. B.
Echini. 115. B.
Gortynæ. 259. B.
Heracleopolis. 269. *lin.* 1.
Monembaſiæ. 219. C.
Patrarum Veterum. 179. C.
Petcii. 321. A.
Porthmi. 203. B.
Serrarum. 89. A.
Subritæ. 270. A.
Theſſalonicæ. 46. B.
Theodoſius, Deabolis. 99. A.
Heracleæ. 84. A.
Lacedæmonis. 189. B.
Theodotus, Euroeæ. 145. D.
Theodulus, Achridæ. 292. D.
Theſſalonicæ. 47. B.
Theoleptus, Joanninorum. 151. A.
Theon, Patrarum Veterum. 181. B.
Theonas, Theſſalonicæ. 62. A.
Theopemptus, Ciſſami. 271. C.
Lacedæmonis. 187. C.
Theophanes, Athenarum. 176. C.
Methones. 233. A.
I. Patrarum Veterum. 182. B.
II. *Ibid.*
Theſſalonicæ. 46. E.
Theophilus, Artæ. 202. C.
Demetriadis. 113. *lin.* 5.
Orei. 203. A.
Theſſalonicæ. 42. E.
Theophylactus; Achridæ. 293. D.
Chalcidis. 214. C.
Theotimus, Argi. 183. C.
Theotiſtus, Cæſareæ. 113. B.
Thomas, Æginæ. 227. A.
Hadrianopolis. 142. B.
Lariſſæ. 108. C.
Theſſalonicæ. 43. A.
Timotheus, Berrhœæ. 71. C.
Cæſareæ. 113. B.
Megalopolis. 187. A.
Patrarum Veterum. 182. B.
Titus, Gortynæ. 256. A.
Troïus, Scampes. 248. B.
Tryphon, Marathonis. 204. C.
Tychicus, Methones. 230. A.
V
Valens, Eliſſi. 281. B.
Valerianus; Phœnicis. 139. A.
Vigilantius, Lariſſæ. 105. A.
Vitalis, Aquarum. 305. C.
Philipporum. 67. E.
Uranius, Dodones. 139. B.
Urbicus, Dyrrachii. 243. B.
Urſatius, Singeduni. 313. C.
Urſicinus, Scuporum. 309. A.
Urſus, Apſori *ſeu* Abſari. 312. A.

X

Xenophon, Demetriadis. 112. A.
Xerus, Naupacti. 200. B.

Z

Zacharias, Arnæ. 202. B.
Corinthi. 167. A.
Joanninorum. 151. A.
Lemni. 86. D.
Zenobius, Gnoſſi. 266. B.
Leſtronis. 252. A.
Zoïlus, Scarphiæ. 212. B.
Zoſimas, Pydnæ ſeu Citri. 82. A.
Zoſimus, Sardicæ. 303. B.

Index alphabeticus Eccleſiarum Illyrici Orientalis, quarum Præſulum nomina ignorantur.

A

Acheloi. 153. C.
Achridæ. 294. E. 299. C. 300. C.
Amphipolis. 83. C.
Argi. 185. D. 186. D.
Athenarum. 170. D. E. 174. E.
Aulonis Epiri novæ. 252. A.
Aulonis Helladis. 226. B.

B

Berrhoeæ. 73. A.
Boſniæ. 323. D.

C

Campaniæ ſeu Caſtrii. 91. A.
Cephaleniæ. 234. A. B.
Chalcidis. 214. E. 215. A.
Citri, *vide* Pydnæ.
Corinthi. 163. B. 165. B. 166. A.
Corones. 163. D.

D

Deabolis. 99. A.
Demetriadis. 112. B.
Doberi. 78. A.
Dyrrachii. 242. C. 243. E. 244. C. 245. B. 246. C.

E

Edeſſæ Macedoniæ. 79. A.
Eleûs. 224. C.

G

Gortynæ. 263. D.

H

Heracleæ. 82. C. 83. B.

I

Joanninorum. 151. B.
Iſchanii. 326. C.

L

Lacedæmonis. 190. C. 191. C.
Lariſſæ. 108. C. 109. B.
Lemni. 85. D.
Leucadis. 153. A. B.
Litzæ. 129. A.

M

Margi. 307. B.
Marmaritzii. 129. C.
Megalopolis. 187. B. C.
Melenici. 95. A. D.
Meleſobæ. 315. C.
Methones. 231. D.
Monembaſiæ. 219. D. 221. D.

N

Naupacti. 198. C. 199. C. 200. D.

P

Patrarum Novarum 125. B.
Patrarum Veterum. 181. C. Is autem non Græcus fuit, ſed Latinus, *Pandulphus Malateſta* nomine. *Vide tom.* 3. *col.* 1030. B.
Petcii. 322. B.
Pherarum. 129. B.
Philipporum. 70. B.
Pydnæ *ſeu* Citri. 81. A.

R

Rhendinæ. 98. B.

S

Sardicæ. 304. B.
Scyri inſulæ. 233. B.
Serrarum. 89. C. 90. A. C.
Siſanii. 323. B.
Stagarum. 127. C.

T

Thebarum Bœticarum. 210. C.
Theſpiarum. 210. D.
Theſſalonicæ. 34. D. 42. D. 44. B.
Triccæ. 120. C.

Z

Zacynthi. 233. C.

INDEX PATRIARCHATUS ALEXANDRINI.

LICET Alexandrinam eccleſiam S. Marcus Evangeliſta, multis ab illapſu Spiritus ſancti in Apoſtolos annis, ſua prædicatione plurimùm auctam in ſedem epiſcopalem erexerit, primuſque ejus antiſtes gubernaverit, ab ipſis tamen Religionis Chriſtianæ primordiis plures Judæorum in Ægypto, & fortaſſis etiam Alexandriæ, Chriſto nomen dediſſe, aliquot monumentis eruitur. *col.* 331. *num.* 4. B. C. *& ſeqq.* uſque ad 335. *num.* 11. A. Hanc eccleſiam inter & Romanam ſumma olim in rebus gerendis exſtitit neceſſitudo, 335. *num.* 11. B. primum quoque poſt ipſam locum tenebat, ac ſpecialis ei cura fuit cæterarum Orientis eccleſiarum. 336. *num.* 13. *&* 337. *num.* 15. Verùm has illi prærogativas eripuere Conſtantinopolitani præſules, & in ſuam ſedem transferri ſubreptitio ſynodi Chalcedonenſis canone 28. ſategerunt. 338. *n.* 16. A.

Unus quondam Alexandriæ præſul eccleſiis Ægypti præerat, duodecim habens aſſeſſores dignitate fortaſſis epiſcopali ornatos. 345. *n.* 28. B. *&* 346. *n.* 29. Ex eorum collegio, uſque ad Heraclam & Dionyſium Alexandrinos ſæculo III. antiſtites, Hieronymo teſte, *epiſt.* (non 85. ſed) 101. ad Evangelum, aſſumebatur Patriarcha, 243. *n.* 26. B. qui nunquam à ſimplicibus præſbyteris ordinabatur. 342. *n.* 24. B. *uſque ad* 348. *n.* 31. D. Duodecim autem illis Patriarchæ aſſeſſoribus per Ægyptum poſtea diſperſis in varias ſedes, ſubſtituti fuerunt preſbyteri ſimplices, qui pari eccleſiarum numero urbis Alexandrinæ præfecti, etiam in litteris Patriarchæ inſcribebantur. 348. *n.* 31. D. *&* 352. *n.* 36. C. D. Porrò Patriarcha mortuo tanta adhibebatur celeritas in deligendo illius ſucceſſore, ut, ex Liberato, is ſtatim conſecratus, prædeceſſoris corpus, cujus manum ſuo capiti imponebat, ipſe ſepulturæ traderet. 350. *n.* 33. E. 351. *n.* 34. B. *&* 430. E.

Patriarchæ Alexandrini auctoritas in rebus civilibus magna fuit. 360. *n.* 42. D. In eccleſiaſticis verò ad ipſum unum, utpote tunc ſolum metropolitam, ſpectabat ordinatio epiſcoporum in univerſo Patriarchatu, 353. *num.* 37. A. *&* 376. *n.* 60. C. adeoque ſi quis alius metropolitica munia aliquando obiit, id præſtitit à Patriarcha delegatus, 354. C. ſine cujus auctoritate nihil ſibi licere profeſſi ſunt epiſcopi Ægyptii in Chalcedonenſi concilio. 357. D. Poterat etiam is propria auctoritate ordinare preſbyteros, alioſque inferiores clericos per totam ſuam ditionem. 359. C. Verùm tanta hæc auctoritas poſtea ſub Patriarchis hæret. exitioſiſſima fuit. 362. *n.* 44. C. Ea quidem eccleſia fidem catholicam uſque ad Dioſcorum & Timotheum Ælurum ſervarat illibatam, 363. *n.* 45. B. ſed ab hinc viguere Monophyſitarum & Monothelitica hæreſes. *ibid.* Quia tamen in Ægypto remanſerunt orthodoxi, duplex ad hodiernum diem Patriarcha Alexandrinus exſtat: unus Melchita, pro iis qui fidem Chalcedonenſem profitentur, alter Monophyſita ſive Jacobita, pro Cophtis qui illam ſynodum rejiciunt. 363. C. Uterque ab aliquot ſæculis Cairi ſedet, quatuor duntaxat Chriſtianorum ſuperſtitibus in urbe Alexandria eccleſiis. 386. D. Patriarchæ Jacobitarum quindecim in Ægypto nunc parent epiſcopi, alteri verò quatuor duntaxat cum titulo archiepiſcoporum. 375. *n.* 57. A. B. Notanda porrò hæc Patriarchæ Jacobitarum inſcriptio: *Pater N. ſanctiſſimus archiepiſcopus magnæ urbis Alexandriæ, & Soſſati Babylonis, & Nomorum Ægypti, Thebaidis, Pentapoliſque Thebaidis, & Pentapolis Africanæ, regioniſque Æthiopiæ & Axumitarum, & Nubiæ, & Macoureos, & ſuperioris regionis.* 374. *n.* 57. D. E.

Alexandrini Patriarchæ juris fuerunt olim, tum *Homeritæ*, 369. *n.* 51. A. *&* 663. 664. *lin.* 12. qui ſe deinde ſubjecerunt *Catholico* Seleucienſi Neſtoriano, 663. 664. *lin.* 17. tum *Nubienſes*, qui ad Jacobitas poſtea declinarunt, 373. *n.* 55. B. ſed nunc nec ipſam Religionem Chriſtianam ſectantur, 661, 662. *lin.* 21. tum denique gens quædam *Saracenorum* in Arabia, qui Chriſto nomen dederunt tempore Valentis Imperatoris. 374. *n.* 56. A. Aſt Alexandrino Patriarchæ nunquam morem geſſerunt ſive *Palæſtina*, 375. *num.* 58. D. ſive *Cyprus* inſula, 376. *n.* 59. B. ſive *Africa. Ibid.*

Patriarcha Alexandrinus nuncupatus reperitur *Papa* ſæculo III. nondum medio, 380. *n.* 63. E. *Archiepiſcopus* poſt ſæculi IV. initia, 381. *n.* 63. B. *Patriarcha* ſæculo V. ſed non ante Cyrillum. *Ibid.* C. Hiſce verò ſæculis poſterioribus ſeſe *judicem orbis univerſi*, κριτὴς τῆς οἰκουμένης, appellat Melchita. *Ibid.* D. Quem titulum fortaſſis ſibi arrogat, eò quod Alexandrinus antiſtes ſoleret olim inveſtigare qua die quolibet anno celebranda foret Paſchalis feſtivitas, Romanoque Pontifici indicare. 377. *n.* 61. D. Alexandriæ plurimùm floruit quinque prioribus ſæculis ſchola chriſtiana, 382. *n.* 64. B. C. ubi obiter diſſeritur de æra Martyrum apud Alexandrinos receptiſſima. 379. *n.* 62. B. C.

In Patriarchatu Alexandrino novem olim numerabantur provinciæ, ſcilicet *Ægyptus prima, Auguſtamnica prima, Auguſtamnica ſecunda, Ægyptus ſecunda, Arcadia, Thebaïs inferior* ſive *prima, Thebaïs ſuperior* ſive *ſecunda, Libya inferior* ſive *prima, Libya* demùm *ſuperior* ſive *ſecunda.* 330. *num.* 2. A. B. Quibus poſtea acceſſere variis temporibus eccleſiæ *Æthiopum* ſive *Abeſſinorum*, 365. *n.* 48. E. *Homeritarum*, 369. *n.* 51. A. *&* 663. 664. *lin.* 12. *Nubiorum*, 373. *n.* 55. B. *&* 659. 660. & *Saracenorum* quorumdam. 374. *n.* 56. *&* 665. 666.

Index hujuſmodi Provinciarum, ordine alphabetico.

Abeſſinia, *vide* Æthiopia.

Ægyptus, regio Africæ celeberrima, nunc dicta indigenis *Chibili*, Arabibus *Bardamaſſer*, & Turcis *Miſir*, terminatur ab oriente ſinu Arabico, Arabiâ Petræâ, & Palæſtinâ: à ſeptentrione mari Ægyptio: ab occidente Cyrenaïca regione, & deſertis Libyæ: à meridie tandem Nubiæ regno ſub Æthiopia. Primùm diviſa fuit in *ſuperiorem* & *inferiorem*; & poſtea in *ſuperiorem, mediam*, & *inferiorem*. Superior Ægyptus, quæ etiam *Thebaïs*, & nunc *Said*, olim diviſa fuit in *Thebaïdem primam* & *ſecundam*. Media exſtat inter ſuperiorem & inferiorem; appellata autem fuit *Arcadia*, & *Heptanomos*, ex ſeptem in ea Nomis ſeu præfecturis; hodie *Bechria* nuncupatur & etiam *Demeſor*. Inferior demùm Ægyptus, quæ & *Delta*, diviſa eſt in *Ægyptum primam* & *ſecundam*, & in *Auguſtamnicam primam* & *ſecundam*. Hæc M. A. Baudrand, *tom.* 1. *geogr. pag.* 18. *col.* 1. Ex Novella autem 8. Juſtiniani, teſte Carolo à S. Paulo, *Geogr. ſac. lib.* 10. *n.* 2. propriè & ſpecialiter *Ægyptus* dicitur regio illa quæ inter Agathoſdæmonem & Bubaſticum amnes exſtat.

Ægyptus I. Sedes epiſcopales habuit *Hermopolim parvam* ſive *Demenhur*, 513. 514. *Metelim* ſive *Fuam* & *Meſſil*, 517. 518. *Copritim* ſive *Canam* aut *Banam*, 519. 520. *Saïn* ſive *Sa*, *ibid. Latopolim* ſive *Latum* & *Doroten*, 521. 522. *Naucratin*, *ibid. Andropolim*, 523. 524. *Nicium*, *ibid. Onuphim* ſive *Naph*, 525. 526. *Taüam*, *ibid. Cleopatridem*, nunc *Serſemem* vel *Serſinum*, 527. 528. *Menelaïtidem* & *Schediam* ſedes unitas, *ibid. Phthenothen* ſive *Butum*, 529. 530. denique *Mareotidem*, in qua tamen nullus ſedit epiſcopus. *Ibid.* Addit Carolus à S. Paulo *Nitriam*, cujus epiſcopus Iſidorus legitur in epiſtola 27 S. Hieronymi: verùm Nitria ſub ſede Hermopolitana erat. His etiam ſubjungit Notitia prima ad calcem Codini *de Officiis, p.* 353. *Mileon, Coſlum, Pſanin*

vicum, *Zenonopolim, Paphnam, Manelitum, Ternuthim*, & *Sondram*: quæ fortaſſis eædem ſunt alio aut corrupto nomine ac plures ex modo recenſitis.

Ægyptus II. complectebatur eccleſias *Cabaſo-rum*, 565. 566. *Phragoneos, ibid. Pachna-munis* & *Elearchiæ*, 567. 568. *Cynopolis inferioris, ibid. Buſiris*, 569. 570. *Parali, ibid. Sebennyti*, 571. 572. & *Xois*. 573. 574. Quibus inſuper accenſet jam citata Notitia, *p.* 354. *Dioſpolim, Regeon, Parianen* vicum, *Cymnan*, & *Richomerium*.

Æthiopia ſuperior ſive Abeſſinia, regio Ægypti ad Nilum fluvium, fidem chriſtianam IV. ſæculo ſuſcepit prædicatione S. Frumentii, quem S. Athanaſius primum Auximi conſecravit epiſcopum. 365. *n.* 28. E. & 641. 642. Septem olim epiſcopos habuit quorum ſedes ignotæ. Hos ordinabat metropolita Auxumenſis Alexandriâ miſſus: ſed ex quo Jacobitica lues eccleſiam Alexandrinam infecit, ſæpius accidit ut Abeſſini eadem contagione laborantes omni epiſcopo deſtituantur. 651. 642. *lin. penult.*

Arcadia Ægypti, regio media inter ſuperiorem Ægyptum & inferiorem, dicta etiam *Heptanomus* vel *Heptanomos*, ex ſeptem in ea olim exſtantibus Nomis ſive præfecturis: eſt extra Delta, Libyam verſus, ad Nilum. Sedes ejus epiſcopales recenſentur *Oxyrynchus*, 577. 578. *Heraclea*, 579. 580. *Arſinoë* ſive *Fium*, 581. 582. *Aphroditopolis* ſive *Atſia*, 583. 584. *Memphis*, 585. 586. *Clyſma*, 587. 588. *Nilopolis, ibid. Tamiatha*, 589. 590. & *Cynopolis ſuperior*. 591. 592. Leguntur præterea in Notitia ad calcem Codini *de Officiis*, *p.* 355. *Septem oſtia Nili, Alexandria, Colynthen, Agni, Panalli, Thaſmatus*, & *Teneſe*.

Auguſtamnica, id eſt fluvialis provincia, pars orientalis Ægypti inferioris inter Arabiam Petræam ad ortum, parvum Delta ad occaſum, mare mediterraneum ad Boream, & Ægyptum mediam ſive Arcadiam ad meridiem, nunc pars regionis *Erriſ* dictæ, ſeu Ægypti inferioris. Hæc diviſa olim fuit in *Auguſtamnicam primam*, quæ magis ad Boream tendebat verſus Peluſium, & *ſecundam* verſus auſtrum, ad intimum receſſum ſinûs Arabici. Ita M. A. Baudrand, *tom.* 1. *geogr. p.* 124. *col.* 1. *lin. penult.*

Auguſtamnica autem I. habuit ſedes epiſcopales *Peluſii*, 531. 532. *Sethrætæ*, 533. 534. *Taneos*, 535. 535. *Thmuis*, 537. 538. *Rhinocoruræ*, 541. 542. *Oſtracines*, 545. 546. *Phacuſorum, ibid. Caſſii, ibid. Haphnæi*, 547. 548. *Hephæſti, ibid. Panephyſi, ibid. Baræ*, 549. 550. *Thenneſi, ibid. Gerrhæ*, 551. 552. & *Selæ*. *Ibid.*

Auguſtamnica II. continebat eccleſias *Leontopolis*, 553. 554. *Athribis, ibid. Babylonis Ægypti*, 555. 556. *Bubaſti*, 559. 560. *Pharbæti*, 561. 562. *Heliopolis, ibid. Scenarum Mandrarum*, 563. 564. & *Archæ, ibid.* quibus addit Carolus à S. Paulo *Thoum*, & *Antithoum*.

Homeritæ, gens ad meridianam oram Arabiæ Felicis circa Maris rubri fauces, *Sabæorum* nomine Veteribus nota, & *Indorum* Græcis ac Romanis, epiſcopum ſæculo V I. habuit Alexandria miſſum, 369. *n.* 51. A. 428. D. 429. D. & 663. B. ſed ſæculo ſequenti Catholico Seleucienſi Neſtoriano ſeſe ſubjecit. 663. 664. *lin.* 17.

Libya olim latiſſimè pro tota Africa ſumebatur, teſtibus M. A. Baudrand, *tom.* 1. *geogr. p.* 574. *col.* 2. & Cellario, *tom.* 2. *geogr. antiq. lib.* 4. *p.* 1. *de Africa.* ſed paulò ſtrictiùs media pars fuit Africæ ad Boream & occaſum, extenſa inter mare Mediterraneum ad ſeptentrionem, Oceanum Atlanticum ad occidentem, Oceanum Æthiopicum ad meridiem, & Æthiopiam latè ſumptam ad orientem: fuitque duplex; nempe *Libya citerior* ſive *exterior*, quæ magis ad ſeptentrionem protendebatur, & *Libya interior* ſive *ulterior*, quæ verſùs meridiem. Hæc quidem Libya interior erat ubi hodie *Nigritia, Guinea*, & deſertum ſive *Zaara*. Sed Libya citerior ſive exterior partem habuit *Libyam propriam*, quæ exſtabat inter Ægyptum ad ortum, mare Mediterraneum ad Boream, Syrtim majorem & Tripolitanam regionem ad occaſum, & Æthiopiam atque Garamantes populos ad meridiem. Ejus autem partes fuere tres; ſcilicet 1.° *Libya ſtrictè ſumpta*, inter Ægyptum ad ortum, Marmaricam ad occaſum, Nubiam ad meridiem, & mare Africum ad ſeptentrionem, ubi nunc pars orientalis regni Barcæ: 2.° *Libya Marmarica* inter Libyam exteriorem ad ortum, Cyrenaïcam ad occaſum, mare Mediterraneum ad ſeptentrionem, & Garamantes ad meridiem, quæ aliquando etiam ſub Cyrenaïca comprehenſa fuit: 3.° demùm *Libya* iſta *Cyrenaica*, terminata mari Mediterraneo ſeu Africo ad ſeptentrionem, ab ortu Marmarica, ab occaſu Tripolitana regione, & à meridie Garamantibus, ubi nunc pars occidentalis regni Barcæ in Barbaria. Hæc dicta eſt quoque *Pentapolis*, ob nobiliores quinque ejus urbes *Berenicen, Arſinoën, Ptolemaïdem, Apolloniam*, & *Cyrenen*. Ita præfatus Baudrand, *tom.* 1. *geogr. p.* 318. *col.* 1. *p.* 574. *col.* 2. *p.* 575. *col.* 1. *p.* 627. *col.* 1. & *tom.* 2. *p.* 92. *col.* 2. Porrò Libya duntaxat *Marmarica*, & *Libya Cyrenaica* ſive *Pentapolis*, juris fuere Patriarchatus Alexandrini.

Libya Marmarica ſedes epiſcopales habuit *Dardaniden*, 631. 632. *Paratonium, ibidem. Antipyrgum*, 633. 634. *Antiphronum, ibid. Zygrim*, 635. 636. *Zagylim, ibid. Augilorum, ibid.* & *Marmaricam*, 637. 638. Aliæ fortaſſis à quibuſdam ex modo enumeratis non fuerunt *Dranicon* metropolis, *Ammoniace*, & *Edonia*, quæ exſtant in Notitia ad calcem Codini *de Officiis*, *pag.* 356.

Libya Pentapolis eccleſias complectitur *Soz yſæ*, 617. 618. *Ptolemaïdis, ibid. Cyrenes*, 621. 622. *Teuchirorum*, 623. 624. *Berenices, ibid. Barces*, 625. 626. *Erythri, ibid. Hydracis* & *Palæbiſcæ*, 627. 628. *Borei, ibid. Olbiæ*, 629. 639. & *Dyſthis. ibid. Adrianæ* legitur in Notitia ſupra citata. His verò addit Carolus à S. Paulo, *pag.* 283. *Lemandum* (ſive *Lemnandum*, de qua 637. 638.) & *pag. ſequenti*, *Ticeliam*, ac *Aptuchi-Fanum*, incolis *Langiſariè*. Nunc Libya tota juris eſt Patriarchæ Alexandrini Melchitæ. 375. B.

Nubia, teſte M. A. Baudrand, *tom.* 2. *geogr. pag.* 38. *col.* 1. regio ampla eſt Africæ verſus Nilum & Nubiam fluvios, quæ terminatur à ſeptentrione Ægypto, ab occaſu Zaara, ab ortu & meridie Æthiopia ſuperiori ſive Abeſſinia. Fidem hæc ſuſcepit ſæculo circiter IV. & exinde Patriarchæ Alexandrino primùm Melchitæ, deinde Jacobitæ ſuberat, qui metropolitam ejus conſecrabat. 373. *n.* 55. B. 453. D. & 659. 660. Nunc eccleſia illa extincta eſt. 661. 662. *lin.* 20.

Saracenorum *ſive* Iſmaëlitarum gens quædam, cum Mavia regina ſua, Chriſto nomen dedit tempore Valentis Imperatoris circa an. 377. ejus verò epiſcopus Alexandrinæ ſedi obnoxius erat. 374. *n.* 56. A.

Thebaïs, à Thebis celebri hujus regionis urbe ſic denominata, pars eſt ſuperioris Ægypti, inter mare Rubrum ſive ſinum Arabicum ad ortum, & Nilum fluvium ad occaſum: hæc in duas ejuſdem nominis provincias ſecta eſt, quarum unicuique proprii aderant epiſcopales throni: ſcilicet

Thebaïs I. habuit *Antinoën* ſive *Antinoüm*, 593. 594. *Hermopolim magnam*, 595. 596. *Cuſas, ibid. Lycopolim*, 597. 598. *Hypſelen*, 599. 600. *Antæopolim*, 601. 602. *Panopolim, ibid. Oaſim magnam*, 603. 604. & *majorem Apolloniam. Ibid.*

Thebaïs II. verò *Ptolemaïden*, 605. 606. *Coptum, ibid. Tentyra*, 607. 608. *Maximianopolim*, 609. 610. *Latopolim, ibid. Hermonthim, ibid. Thebas* ſive *Dioſpolim magnam*, 611. 612. *Terenuthidem, ibid. Philas*, 613. 614. *Ombos, ibid. Syenen, ibid.* & *Pſynchum*. 615. 616. His adduntur in Notitia ſupra citata, *pag.* 355. *Diocletianopolis, Apollonia parva, Villa Anaſſes, Thebais* urbs altera à Thebis magnis, *Dioſpolis* parva, *Ibis ſuperior*, nunc *Ibſai* aut *Minſcié*, & *Mathon*.

Præterea Carolus à S. Paulo, *pag.* 288. Patriarchatui Alexandrino aſſignat epiſcopatus aliquot incertarum provinciarum in Ægypto, videlicet *Vantenæ*, *Gaværorum*, *Flagonitorum*, *Corenopolis*, & *Gazulæ*. Similis eſt eccleſia *Periæcidis*, de qua vide 639. 640.

Series Eccleſiarum Patriarchatus Alexandrini, ordine alphabetico.

A

Abuteg, ſedes epiſcopalis nunc unita eccleſiis *Girge*, & *Siut*, ſub Patriarcha Alexandrino Jacobitarum. 375. *n.* 57. A.

Achæi, numero plurali, *vide* Archa.

Achſa, *vide* Xoës.

Acuaſa, *vide* Cuſæ.

Adule ſive *Adulis*, caput regionis ejuſdem nominis quæ *Zeila* hodie dicitur, ad Æthiopicum littus. 665. 666.

Æliopolis, *vide* Peluſium.

Alberton, *vide* Paratonium.

Alexandria, ab Alexandro Magno ejus conditore ſic nominata, in Octaviani Auguſti poteſtatem cum tota Ægypto, devictis prælio ad Actium M. Antonio & Cleopatra, venit, & provincia facta eſt Romani Imperii ſub præfecto quem Auguſtalem appellabant, utpote non à Senatu Romano, ſed ab Auguſtis ſive Imperatoribus delegatum. 329. 330. De Alexandria & toto ejus Patriarchatu vide ſupra initio hujus Indicis. *pag.* x. *col.* 1.

Almaris, ſedes metropolitica ſub Patriarcha Melchita. 376. *n.* 60. D.

Andro, *vide* Andropolis.

Andronicius, corruptè pro *Andro* & *Nicius*, quæ ſunt duæ ſedes epiſcopales Ægypti primæ: vide *Andronopolis*. 523. 524. *lin.* 3.

Andronopolis, id eſt urbs *Andron*, ſedes epiſcopalis primæ Ægypti. *Ibid.*

Anſna, corruptè pro *Inſine* ſive *Antinoë*. 594. *lin. penult. Vide* Antinoë.

Antæopolis *ſive* urbs *Antæum*, eadem fortaſſis quæ hodie dicitur *Antou* vel *Antowa*, ſedes epiſcopalis Thebaïdis primæ. 601. 602.

Antinoë ſive *Antinoüs*, *Antinoopolis*, & *Hadrianopolis*, ab Hadriano Imperatore condita in honorem *Antinoi* juvenis cujuſdam, nunc *Inſine* dicta: urbs metropolis Thebaïdis primæ ad orientalem Nili partem. 593. 594. corrupte *Tinua*. 594. B.

Antiphra, numero plurali, oppidulum prope Alexandriam, ſedes epiſcopalis Libyæ Marmaricæ. 633. 634.

Antipyrgus ſive *Antipygus*, ſedes epiſcopalis ejuſdem Libyæ. *Ibid.* Nunc dicitur eſſe *Luco*, caſtrum regni Barcæ.

Antidia, corruptè pro *Antiphra*. 636. A.

Antou ſive *Antowa*, *vide* Antæopolis.

Aphnæum ſive *Aphthæum*, urbs Auguſtamnicæ I. eadem fortaſſis ac *Daphnis* non longe à Peluſio? ſedes hujus provinciæ. 547. 548.

Aphroditopolis, nunc *Atſia*, ad Nilum, ſedes epiſcopalis Arcadiæ provinciæ quæ Heptanomus nuncupatur. Præter hanc autem Aphroditopolim, duæ aliæ ejuſdem nominis occurrunt in Ægypto: una juxta Athribem in Auguſtamnica II. altera juxta Latopolim ad Nilum flumen in Thebaïde II. 583. 584.

Aphthæum, *vide* Aphnæum.

Apollinis civitas ſive *Apollonos*, quæ duplex exſtat in Thebaïde: una quidem in prima, quam nunc vicum *Coſſie* juxta Nilum eſſe ferunt, 603. 604. altera verò in ſecunda, quæ pariter vicus eſt dictus *Koſkam*, ſedeſque epiſcopalis Coptica ſub Patriarcha Alexandrino Jacobitarum. 375. *n.* 57. A.

Archa ſive *Archæi* aut *Achæi*, numero plurali, ſedes epiſcopalis Auguſtamnicæ II. 563. 564.

Arſinoë ſive *Arſinoëte* aut *Arſinoite*, olim dicta *Crocodilorum civitas*, ex cultu ſacro Crocodilorum. In ea Millenariorum error invaluerat quem Dionyſius Alexandrinus extinxit. Sedes fuit epiſcopalis in Arcadia Heptanomo, ſed jam pridem deſtructa eſt, nec procul ab ejus loco *Fium* exſiſtit, Coptitæ epiſcopi ſedes. 581. 582.

Arſinoë altera, quæ & *Cleopatris*, *vide* Cleopatris.

Arſinoë tertia, in Pentapoli, *vide* Teuchira.

Aſchmim, *vide* Panopolis.

Aſchmouma, corrupte pro *Aſchmim*. 604. A.

Aſchumin, *vide* Hermopolis magna.

Aſna, *vide* Latopolis Thebaïdis II.

Aſowana, *vide* Syene.

Digitized by Google

Aiſieh, ſedes epiſcopalis Ægypti ſub Patriarcha Alexandrino Jacobita. 375. n. 57. A.
Athribis, hodie *Athrib*, urbs in medio Delta poſita juxta Nili præcipuum alveum, ſedes epiſcopalis Auguſtamnicæ II. 553. 554.
Athriſtus, corrupte pro *Sethrœta*. 538. C.
Augila *ſive* Augilæ, ſedes epiſcopalis Libyæ Marmaricæ. 635. 636.
Auxuma *ſive* Axuma, urbs Æthiopiæ ſuperioris, & metropolis regionis cujuſdam juxta Mare rubrum. Hæc fidem Chriſti ſuſcepit tempore S. Athanaſii, qui S. Frumentium in primum ejus metropolitam ordinavit. 641. 642. Nunc Æthiopiæ præſul à monachis ſuæ gentis eligitur Hieroſolymis, & à Jacobitarum Alexandrino Patriarcha confirmari & conſecrari ſolet. 643. 644. *lin.* 3.

B

Babylon Ægypti, ex cujus ruderibus *Cahira* vetus exſurrexit, dicta *Meſra* vel *Miſra*. Epiſcopus ejus Melchita metropoliticis honoribus à Patriarcha Alexandrino Melchita auctus fuit. 376. *n.* 60. D. *&* 555. 556.
Baera, *vide* Bara.
Bahneſa *ſive* Behenſa *vel* Behenſe, *vide* Oxyrynchus.
Bana Ægypti I. *vide* Coprithis.
Bana Auguſtamnicæ I. *vide* Panephyſus.
Bara ſive *Baera*, *Buera*, & *Bura*, civitas inferioris Ægypti in Auguſtamnica I. Damiatæ proxima, ad dignitatem metropoliticam evecta erat ſub Michaele Patriarcha Alexandrino Melchita, anno 879. 549. 550.
Barbaït, *vide* Belka.
Barce ſive *Barca* in mediterraneis Libyæ Pentapolis, ſedes metropolis honore ornata ſub Patriarcha Alexandrino Melchita. 376. *n.* 60. D. *&* 625. 626.
Barnica, *vide* Berenice.
Baſta, *vide* Bubaſtus.
Behetre, ſedes epiſcopi Jacobitæ. 375. *n.* 57. A.
Behneſe ſive *Bahneſa*, ſedes ſimilis ſub Patriarcha Alexandrino Jacobita. *Ibid. Vide etiam* Oxyrynchus.
Belheïs, *vide* Bilbeis *&* Peluſium.
Belka *ſive* Barbaït, ſedes Jacobitica in Ægypto. 463. E.
Berenice, civitas Libyæ Pentapolis, olim *Heſperides* ſive *Heſperis*, hodie *Bernich* ſive *Barnica*, ſedes epiſcopalis fuit hujus provinciæ. 623. 624.
Bilbeis ſive *Belbeïs*, ſedes epiſcopalis *Manſouræ* & *Damiatæ* unita ſub Patriarcha Alexandrino Jacobita. 375. *n.* 57. A. B. *&* 531. 532.
Bograûs, *vide* Zygris.
Boreum ſive *Boreum*, & *Borium*, ſedes epiſcopalis fuit Libyæ Pentapolis. 627. 628.
Brullos, *vide* Paralus.
Bubaſtus ſive *Bubaſtis*, Hebraïce *Phibeſeth*, hodie *Baſta*, civitas in Delta Ægypti, ſedes fuit Auguſtamnicæ II. 559. 560.
Buera, *vide* Bara.
Bura, *vide* Bara.
Buſiris, nunc *Buſir*, in medio Delta Ægypti, ſedes fuit epiſcopalis Ægypti II. cui & *Cynopoli* ſimul unum & eundem præſulem Meletius Schiſmaticus initio ſæculi IV. præfecerat. 569. 570.
Butus, *vide* Phthenothus.

C

Cabaſa *ſive* Cabaſſa, ſedes epiſcopalis fuit Ægypti II. 565. 566.
Cahira vetus, ſedes archiepiſcopalis ſub Patriarcha Alexandrino Melchita. 376. *n.* 60. D. *Vide etiam* Babylon Ægypti.
Cairoan, *vide* Cyrene.
Cana, *vide* Coprithis.
Canopus ſive *Menanæa* ſuburbium Alexandriæ. 415. D. E.
Carbethus, corrupte pro *Pharbæthus*.
Caſſium, oppidum Auguſtamnicæ I. ubi jacet corpus Pompeii Magni. Sedes fuit epiſcopalis hujus provinciæ. Hodie non ſupereſt. 545. 546.
Caſus, *vide* Cuſæ.
Chemmis, *vide* Panopolis.
Cirwam, *vide* Cyrene.
Cleopatris, dicta etiam *Arſinoë*, nunc *Serſene* vel *Serſia*, ſedes epiſcopalis Ægypti I. 527. 528.
Clyſma, hodie *Kolſum*, ſedes epiſcopalis Arcadiæ Heptanomi. 587. 588.
Coprithis, quam nonnulli *Canam* ſive *Banam* fuiſſe exiſtimant in Ægypto I. ſedes epiſcopalis hujus provinciæ. 519. 520.
Coptos ſive *Coptus*, & *Juſtinianopolis*, hodie *Keſt*, ſedes epiſcopalis Thebaïdis II. 605. 606.
Cotenopolis, corrupte pro *Cynopolis*. 568. C. *Vide* Cynopolis inferior.
Cuſæ ſive *Chuſis*, & *Caſus*, fortaſſis quæ hodie *Keis* aut *Caïs*, dicitur coptice *Kis*, ſedes epiſcopalis Thebaïdis I. 595. 596.
Cynopolis inferior ſive *Cynum*, & corrupte *Cotenopolis*, ſedes epiſcop. Ægypti II. 567. 568.
Cynopolis ſuperior ſive *Canum civitas*, Κυνῶν πόλις, in qua, teſte Strabone, honor & ſacer quidam cibus canibus erat conſtitutus, ſedes epiſcop. fuit Arcadiæ Heptanomi. 591. 592.
Cyrene, nunc *Cairoan*, una ex quinque præcipuis urbibus Pentapolis fuit, ex qua etiam ea regio dicta eſt *Cyrenaïca*, cujus plures incolæ ipſo die illapſus Spiritus Sancti Hieroſolymis in Chriſtum crediderunt. Arabibus *Cirwam* audit. Cyrene Marcus, prius quàm Alexandriæ, prædicaſſe perhibetur. 621. 622.

D

Damiata, nunc fortaſſis civitas, tum quæ olim *Peluſium*, 531. 532. tum quæ *Tamiatha*, 589. 590. *&* 592. A. Huic *Belbeis* & *Manſoura* unitæ ſunt ſub Patriarcha Jacobita Alexandriæ, 575. *n.* 57. B. præeſt quoque metropolita Melchita. 576. *n.* 60. D. *Vide* Tamiatha.
Dardanis ſive *Darnis*, maritimarum Libyæ Pentapolis urbium poſtrema, ſedes fuit epiſcopalis prima Libyæ Marmaricæ. 631. 632.
Dario, ſedes metropolitica dignitate ornatâ ſub Patriarcha Melchita Alexandriæ. 376. *num.* 60. E.
Darnis, *vide* Dardanis.
Demenhur, *vide* Hermopolis parva.
Demeroua, corrupte pro *Demenhur*. 518. A.
Dendera, *vide* Tentyra,
Dioſpolis magna, *ſeu* Thebæ magnæ in Thebaide II. *vide* Thebæ.
Dioſpolis parva in eadem Thebaïde II. cujus meminere, præter Notitiam Græc. ad calcem Codini, *p.* 355. ubi à duabus Thebis ſecernitur, Carolus à S. Paulo, *edit Pariſ.* 1641. *p.* 283. & Abbas de Commanville, *geogr. p.* 293.
Dioſpolis altera, civitas Ægypti II. legitur in eadem Notitia, *pag.* 354. & apud præfatos Geographos, Carolum quidem *pag.* 281. Abbatem verò *pag.* 291.
Dorote, *vide* Latopolis Ægypti I.
Dyſthis, ſedes epiſcopalis Libyæ Pentapolis. 629. 630.

E

Echmim, *vide* Panopolis.
Elearchia, regio Ægypti II. cujus pars aliquando ditionis epiſcopi Pachnamunis fuit. 567. 568.
Eleitæ, numero plurali, fortaſſis corrupte pro *Elearchia*. 568. B.
Ereſbythos, *vide* Terenuthis.
Erythrum, ſedes epiſcopalis in Libya Pentapoli. 625. 626.

F

Farma ſive *Faramida* aut *Faramon*, *vide* Rhinocorura.
Fium, ſedes epiſcopalis Patriarchæ Alexandrino Jacobitarum ſubdita. 375. *n.* 57. A. Vicina eſt loci, ubi ſteterat *Arſinoë* Arcadiæ Heptanomi civitas nunc deſtructa. 581. 582. *lin.* 20.
Fua, *vide* Metelis.

G

Gana ſive *Ganæorum*, corrupte pro *Taüæorum*. 526. C. *Vide* Taüa.
Gazylis, corrupte pro *Zagylis*. 635. C.
Gerrha ſive *Gerrum*, civitas maritima Ægypti verſùs montem Caſſium, ſedes epiſcopalis Auguſtamnicæ I. 551. 552.
Girge ſive *Girgium*, urbs & caput Ægypti ſuperioris nunc *Saïd* dictæ: hodie unita eſt eccleſiis *Siut* ſive *Sijut*, olim *Lycopolis*, & *Abuteg* ſive *Abutig*, ſub Patriarcha Alexandrino Jacobitarum. 375. *n.* 57. A.

H

Habeſſinia, *vide* Æthiopia ſupra in ſerie provinciarum Patriarchatus Alexandrini. *p. xj. col.* I.
Hadrianopolis, *vide* Antinoë.
Harment, *vide* Hermonthis.
Heliopolis, id eſt *civitas Solis*, olim Ægyptiacè *On* dicta, & etiam *Onium*, *Elium*, *Helium*, & *Ilium*, urbs Auguſtamnicæ II. deſtructa pridem eſt, vicinuſque exſtat *Matarea* vicus, quò tradunt infantem Jeſum fuiſſe adſportatum. 561. 562.
Hephæſtus, urbs Auguſtamnicæ I. Vulcano ſacra. 547. 548.
Heptanomus, *vide* Arcadia ſupra in ſerie provinciarum Patriarchatus Alexandrini, *pag. xj. col.* I.
Heraclea ſuperior *ſive* magna, ex nomine Herculis ſic dicta, & S. Antonii Abbatis patria, qui in agro ejus natus eſt, ſedes epiſcopalis Arcadiæ Heptanomi. 579. 580.
Heracleopolis, *vide* Sethrœta.
Hermonthis ſive *Hermuthis*, nunc *Harment*, ſedes epiſcopalis fuit Thebaïdis II. 609. 610.
Hermopolis *magna*, Latine *Mercurii oppidum*, nunc *Aſchumin* vel *Iſchmunein*, ſedes epiſcopalis Copticæ Thebaïdis I. 375. *num.* 57. A. Palladius, *Hiſt. Lauſ. c.* 52. ex Chriſtianorum Ægypti traditione refert *Hermopolim Thebaïdis Salvatorem veniſſe cum Maria & Joſeph: illic quoque viſum à ſe templum in quo, urbem ingreſſo Domino, omnia ſimulacra in faciem ceciderunt in terram.* 595. 596.
Hermopolis *parva*, recentiori ævo *Demenhur*, urbs Ægypti I. prope Nitrium montem, ubi innumeri degebant olim monachi, qui huic antiſtiti obtemperabant. Nunc verò vicus eſt ſede deſtitutus epiſcopali, tam Melchitica quàm Coptica. 513. 514.
Heſperides *ſive* Heſperus, *vide* Berenice.
Homeritæ, *vide* ſupra in ſerie provinciarum Patriarchatus Alexandrini. *pag. xj. col.* I.
Hoüa ſive *Hoü* vel *Hu*, *vide* Thebæ.
Hydrax, ſedes epiſcopalis Libyæ Pentapolis conjuncta cum *Palæbiſca*. 627. 628.
Hypſele, nunc *Scioth* Copticis, ad Nili lævum latus poſita, ſedes fuit epiſcopalis Thebaïdis I. 599. 600.

I

Ingela & *Ingila*, corrupte pro *Augila*. 638. A.
Ilium in Ægypto, *vide* Heliopolis.
Inſine, *vide* Antinoë.
Iſchmunein, *vide* Hermopolis magna.
Iſne, *vide* Latopolis Thebaïdis II.
Juſtinianopolis, *vide* Coptos.

K

Keſt, *vide* Coptos.
Kemmis, *vide* Panopolis.
Khandek, oppidum Auguſtamnicæ II. vicinum *Bubaſti*, eique unicum quoad ſedem epiſcopalem: Cahiræ ſuburbium fuit, ſed hodie non exſtat, *vide* Bubaſtus. 559. 560.
Kis ſive *Keis* aut *Caïs*, *vide* Cuſæ.
Kolſum, *vide* Clyſma.
Koskam, *vide* Apollinis civitas.

L

Latopolis ſive *Laton*, *Latum*, *Latonæ civitas*, (& *Leontopolis*,) hodie *Dorote* nonnullis. Sedes fuit epiſcopalis Ægypti I. 521. 522.
Latopolis altera, *civitas Latorum*, dicta etiam *Leto*, & *Aſna*, (nunc *Iſne*:) *Latus* piſcis erat eximiæ magnitudinis in Nilo, circa eam urbem qui in illa, cum Dea Pallade, teſte Strabone, colebatur. Sedes epiſcopalis fuit Thebaïdis ſecundæ. 609. 610.
Lemnandus ſive *Lemandus*, & fortaſſis *Mandis*, ſedes epiſcopalis, quam Libyæ Pentapoli Carolus à S. Paulo, *p.* 283. & Abbas de Commanville, *p.* 294. aſſignant. 637. 638.
Leontopolis ſive *Leonum civitas*, ſedes epiſcopalis Auguſtamnicæ II. 553. 554.
Leto, *vide* Latopolis Thebaïdis II.
Lycopolis, *civitas Luporum*, in qua Lupi colebantur, dicta etiam *Lycon*, *Lyco*, & hodie *Siut* ſive *Sijuth*, & *Oſiut*: ſedes epiſcopalis Thebaïdis I. 597. 598. nunc ſedes eſt Coptica unita parvis eccleſiis *Abuteg* ſive *Abutig*, & *Girge*, ſub Alexandrino Patriarcha Jacobitarum. 375. *n.* 57. A.

M

Magilis, corrupte pro *Zagylis*. 636. C.
Mandis, *vide* Lemnandus.
Mandræ, *vide* Scenæ Mandræ.
Manſoura, ſedes epiſcopalis Coptica, unita

Belbeis

Belbeis & *Damiatæ*, ſub Alexandrino Patriarcha Jacobitarum. 375. *n.* 57. B.
Mareotis, regio lacui *Mareæ* adjacens, inter Alexandriam & montem Nitriæ, fictitia ſedes *Iſchyrionis*, qui preſbyter nondum erat tempore S. Athanaſii. 529. 530.
Maricus, à Nilo Doxopatrio recenſita ſedes inter metropoliticas Patriarchæ Alexandrino Melchitæ ſubditas. 376. E.
Marmarica, civitas Libyæ ejuſdem nominis, ſedes epiſcopalis fuit. 637. 638.
Matarea, *vide* Heliopolis.
Maximianopolis, urbs Thebaïdis II. cui Meletius Schiſmaticus privata auctoritate epiſcopum præfecit. 609. 610.
Melave, vicus Ægypti, ſedes Coptica unita *Minié*, ſub Alexandrino Patriarcha Jacobitarum. 375. *n.* 57. A.
Melete, corrupte pro Metelis, *vide* Metelis.
Melicha, *vide* Nilopolis.
Melig ſive *Talikia* in Ægypto. Abbas de Commanville, *geogr. p.* 370.
Melis, corrupte pro Metelis, *vide* Metelis.
Melituſa, corrupte pro Metelis. 518. D.
Memphis, in Scripturis ſacris *Noph* dicta, & nunc *Menuf-il-Elié*, id eſt Memphis ſuperior, ſupra Delta Ægypti ſita ad occidentalem Nili ripam in Arcadia Heptanomo. 585. 586. De ea urbe tantùm rudera ſuperſunt prope Cairum, in qua hodie ſedes eſt, tum epiſcopalis Coptica *Menuf*, 375. *n.* 57. B. tum metropolitica *Miſræ* aut *Meſræ* ſeu *Cahiræ*. 376. *n.* 60. D.
Menelaïs ſive *Menelaita*, aut *Menelai civitas*, vicina erat *Canopo* & *Schediæ*, ad foſſam Nili occidentaliorem, dictam Canopiticam. In unum epiſcopatum coaluerat cum *Schedia*, tempore S. Athanaſii. Fuit fortaſſis *parva Taposiris* Strabonis. 527. 528.
Meſra ſive *Miſra*, *vide* Babylon.
Meſſila ſive *Meſſil*, *vide* Metelis. 518. D.
Metanæa, *vide* Canopus.
Metelis ſive *Meletis*, *Milis*, *Melituſa*, & *Meſſila*, in Ægypto I. fortaſſis etiam *Metzis*: hodie *Meſſil*, & *Fua* ſive *Fuoa*, ſedes eſt archiepiſcopi dicti *Mytilidenſis* ſeu *Rozetti*, ſub Patriarcha Melchita Alexandriæ. 375. *n.* 57. B. & 517. 518. Huic quoque præfuerunt epiſcopi plures Jacobitæ. 518. D. 519. 520. A. B.
Metzis, *vide* Metelis. 519. B.
Minié, ſedes Coptica, unita vico *Melave* in unum epiſcopatum, ſub Alexandrino Patriarcha Jacobitarum. 375. *n.* 57. A.
Montfallot, ſedes Coptica. 375. *n.* 57. A.
Moſtina, corrupte pro Bubaſtus. 561. C.
Muëthos, corrupte pro Tmuëos. 539. D.

N

Naucratis, ſedes epiſcop. Ægypti I. 521. 522.
Neggada, ſedes epiſcopalis Ægypti ſuperioris ſub Alexandrino Patriarcha Jacobitarum. 375. *n.* 57. A.
Neſrat, fortaſſis Sethrœta. 534. C.
Neſterowan, *vide* Sethrœta.
Nicius ſive *Niciu*, oppidum ad orientale littus amnis Agathodæmonis in Ægypto I. Aliud ejuſdem nominis exſtat in Thebaïde. 523. 524.
Nilopolis ſive *Nili civitas*, ex cujus ruderibus exſtructa eſt *Melicha* ad occidentalem Nili partem, facta in ejus locum ſedes epiſcopalis Arcadiæ Heptanomi. 587. 588.
Nitria, *vide* Hermopolis parva, ſub cujus ſede epiſcopali exſtabat. 513. 514.
Nubia, *vide* ſupra in ſerie provinciarum Patriarchatus Alexandrini. *pag. xj. col.* 2.
Nuph, *vide* Onuphis.

O

Oaſis magna ſive *Oüaſis*, & *Oüach*, Thebaïdis primæ civitas, & ſedes epiſcop. 603. 604.
Olbia, vicus Libyæ Pentapolis epiſcopali ſede honeſtatus. 629. 630.
Ombi, numero plurali, ſive *Ombri*, *Jambri*, & Arabibus *Adfa* vel *Adfu*, ſedes epiſcopalis Thebaïdis II. 613. 614.
On ſive *Onium*, *vide* Heliopolis.
Onuphis Lychnorum, hodie *Nuph*, ſedes epiſcopalis Ægypti I. ad dextram Nili partem. 525. 526.
Oſiut, *vide* Lycopolis.
Oſtracine ſive *Stragiani*, urbs Ægypti maritima verſus Palæſtinam atque Arabiam, ſedeſque epiſcopalis Auguſtamnicæ I. 545. 546.
Oüaſis ſive *Oüach*, *vide* Oaſis magna.
Oxyrynchus, de piſcis cujuſdam nomine qui in ea urbe colebatur ſic dicta, nunc *Benheſe* in Arcadia Heptanomo. Tempore Ruffini Aquilegienſis, monachorum habitationibus, & civium pietate, celebris erat. Exſtabat in loco ubi nunc vicus *Benheſe*. 577. 578. Eamdem Nilus Doxopatrius habet inter ſedes metropoliticas Patriarchæ Alexandrini Melchitæ. 376. *n.* 60. E. In illa hodie præſul Jacobita ſedet. 375. *n.* 57. A.

P

Pachnamunis ſive *Pachnemunis*, ſedes epiſcopalis Ægypti II. cui aliquando unita fuit *Elearchiæ* regionis pars. 567. 568.
Palæbiſca in Libya Pentapoli, aliquando *Hydraci* unita eſt, & cum ea antiſtiti Erytrenſi paruit. 627. 628.
Panephyſus ſive *Bana*, non verò Panopolis, ſedes epiſcopalis eſt Auguſtamnicæ I. inter Buſiriticum & Bubaſticum Nili rivos. 547. 548.
Panopolis ſive *Panis civitas*, olim *Kemmis* & *Kemmo*, hodie *Echmim* vel *Aſchmim*, ſedes epiſcopalis in Thebaïde I. 601. 602.
Paphna, *vide* Phthenothus.
Parætonium, ſedes epiſcopalis Libyæ Marmaricæ, 631. 632. nunc vicum eſſe *Alberton* in regno Barcæ juxta mare multi exiſtimant.
Paralus ſive *Paralaüs*, & *Regeon* vel *Regio-Paralus*, id eſt maritima, ſedes epiſcopalis Ægypti II. 569. 570. [Cenſetur *Brullos* in Delta Ægypti Abbati de Commanville, *geograph. p.* 182.] Hinc fortaſſis Joannes quidam epiſcopus dicitur *Borleſita* ſive *Paraloi* aut *Parali*. 571. A.
Peluſium, dicta etiam *Æliopolis* ab Ælio Imperatore, urbs Auguſtamnicæ I. ad Nili oſtium, nunc excisa jacet in loco ubi exſtat vicus *Belbaïs*, ex ejus autem ruinis crevit *Damiata*, in oppoſita ripa ſita fluminis præfati. 531. 532. *Belbeïs*, *Manſoura*, & *Damiata* ſedem nunc efficiunt unius epiſcopi Jacobitæ, moratur quoque Damiatæ Melchitarum archiepiſcopus. 375. *n.* 57. B.
Pentapolis, *vide* Libya, in ſerie provinciarum Patriarchatus Alexandrini. *pag. xj. col.* 1.
Periœcis, ſedes epiſcopi cujuſdam in Ægypto ſæculo V. 639. 640.
Phacuſa, neutro plurali, urbs Auguſtamnicæ I. cui Meletius Schiſmaticus epiſcopum privata auctoritate creavit. 545. 546.
Pharbæthus ſive *Pharzitus*, *Pharbeith*, & *Carbæthus*, ſedes epiſcopalis Auguſtamnicæ II. 561. 562.
Pharma, ſedes olim metropolitica dignitate ornata ſub Alexandrino Patriarcha Melchita. 376. *num.* 60. D.
Pharzithus, *vide* Pharbætus.
Phibeſeth, *vide* Bubaſtus.
Philæ ſive *Phiſæ*, numero plurali, & *Phla*, ſedes epiſcopalis Thebaïdis II. 613. 614.
Phragones ſive *Phragonis*, & *Phraynes*, ſedes epiſcopalis Ægypti II. cui etiam obnoxia fuit pars *Elarchiæ* regionis. 565. 566.
Phthenegys *pro* Phthenothe. 529. B.
Phthenothes nomus, id eſt præfectura, cujus metropolis *Butus* Ptolemæo, juxta Nili oſtium in Ægypto I. Idem olim epiſcopus fuit *Buti*, *Butirarum*, ſive *Vantenæ* corrupte pro *Butenæ* civitatis, ac *Phthenothis* ſive *Phthenothi* aut *Phthenegys*. 529. 530.
Pſynchus ſive *Pſelcis*, & *Spelcis*, ſedes epiſcopalis Thebaïdis II. 615. 616.
Ptolemaïs, olim *Thys* aut *Thinis*, ſeu *Tinnis*, ſedes epiſcopalis ejuſdem provinciæ ad Nili latus ſiniſtrum ſive occidentale, 605. 606. metropolitica dignitate aucta. 376. *n.* 60. D.
Ptolemaïs altera, una è quinque urbibus Pentapolis, ſedes eſt archiepiſcopali nunc honore inſignita ſub Patriarcha Melchita Alexandriæ. 617. 618. & 622. A.

R

Regeon *ſive* Regio-Paralus, *vide* Paralus.
Rhinocorura, hodie *Farma* & *Faramida* aut *Faramon*, urbs potius Palæſtinæ vel Phœniciæ, quàm Ægypti, ſed præſulis Alexandrini regimini obnoxia, & cenſita Auguſtamnicæ I. 541. 542.
Rozettum, ſedes archiepiſcopalis *Meteli* unita ſub Patriarcha Melchita Alexandriæ. 375. *num.* 57. D.

S

Sa, *vide* Saïs.
Saca, *vide* Xois.
Saïs, nunc *Sa*, ſedes epiſcopalis Ægypti I. 519. 520.
Save, *vide* Taüa.
Scenæ Mandrarum ſive *Scini Mandrorum*, & *Scenna*, urbs Auguſtamnicæ II. inter Babylonem ad ſeptentrionem, & Aphroditopolim ad meridiem, ſedes epiſcopalis fuit ſæculo V. 563. 564.
Schedia, Canopus, & Menelaïs, civitates vicinæ erant in Ægypto I. ad foſſam Nili occidentaliorem. Prima & poſtrema illarum in unum epiſcopatum coaleſcebant tempore S. Athanaſii. 527. 528. & 530. A.
Scini Mandrorum, *vide* Scenæ Mandrarum.
Scioth, *vide* Hypſele.
Sebennytus ſive *Semnuda*, hodie *Semmenut*, ſedes epiſcopalis Ægypti II. ad Sebenniticum Nili oſtium. 571. 572.
Sela ſive *Sila*, ſedes epiſcop. Auguſtamnicæ I. 551. 552.
Semmenut, *vide* Sebennytus.
Semnuda, *vide* Sebennytus.
Serſene ſive *Serſia*, *vide* Cleopatris.
Sethrœte ſive *Sethroite*, Arabibus *Neſterowan*, quæ fortaſſis *Neſrat*, civitas Peluſio vicina, ſedeſque epiſcopalis Auguſtamnicæ I. 533. 534.
Sindia, ſedes aliquando metropolitica dignitate ornata ſub Alexandrino Patriarcha Melchita. 376. *n.* 60. D.
Siut ſive *Sijut*, *vide* Lycopolis.
Sozyſa ſive *Sozuſa*, ſedes epiſcopalis Libyæ Pentapolis. 617. 618.
Spelcis, *vide* Pſynchus.
Stragiani, *vide* Oſtracine.
Syene ſive *Aſowana*, in Æthiopiæ & Ægypti finibus, ſedes epiſcopalis Thebaïdis II. 613. 614. Hanc cum *Latopoli* ſive *Iſne* ejuſdem Thebaïdis confundit Abbas de Commanville, *geogr. pag.* 293.

T

Tahha, ſedes Coptica conjuncta cum *Iſchmunein* ſive *Aſchmunin*. 375. *num.* 57. A.
Talikia, *vide* Melig.
Tambowa ſive *Tamanowa*, pro Thmuis. 540. D.
Tamiatha ſive *Tamiathis*, & fortaſſis *Tamieh* ſive *Tamich*, urbs Arcadiæ Heptanomi, ſedes tum Coptica, tum Melchitica, cujus uterque præſul *metropolitæ* titulo decoratur. 589. 590. Hanc Baudrand eſſe nunc *Damiatam* aſſerit, *tom.* 2. *geogr. p.* 284. *col.* 1. *lin.* 1. *vide* Damiata.
Tanis, corrupte pro Taüa 526. C.
Tanis ſeu *Tanæ*, *Tanes* vel *Thennes*, & *Tenniſus*, urbs olim Ægypti caput & Pharaonum regia, ſeptem duntaxat annis poſt Hebron Palæſtinæ condita, ſedes epiſcopalis Auguſtamnicæ I. 535. 536.
Taposiris parva, *vide* Menelaïs.
Tarane ſive *Taranut*, *vide* Terenuthis.
Tarichis, *vide* Teuchira.
Taſcha, ſedes Coptica, urbs eadem fortaſſis quæ *Taüa*. 525. 526. *lin.* 4. *Vide* Taüa.
Taüa, *Tauua*, & corrupte *Taula*, *Tanis*, & *Save*, fortaſſis etiam quæ hodie *Taſcha*, ſedes Jacobitica, urbs Ægypti I. 525. 526.
Tautinata, corrupte pro Teuchira. 624. B.
Tenniſus, *vide* Tanis. 536. E.
Tentyra, neutro plurali, ſive *Tentyris*, & Arabibus *Dendera*, ſedes epiſcopalis Thebaïdis II. non multùm diſtans à Tabennenſi S. Pachomii cœnobio. 607. 608.
Terenuthis ſive *Trimuthon*, corrupte *Ereſbythos*, hodie *Tarane*, & Coptice *Taranut*, ſedes epiſcopalis præfatæ modò Thebaïdis. 611. 612.
Teuchira, dicta quoque olim *Arſinoë* Ptolemæo, Straboni, Plinio, & Ammiano, corrupte *Tautinata*, ſedes Libyæ Pentapolis. 607. C. D. & 623. 624.
Thebæ ſive *Dioſpolis magna*, id eſt *Jovis Ammonis civitas*, centum ſuis portis celeberrima in Thebaïde II. Arabibus dicta *Hoü* vel *Hu*, & metropolis effecta ſæculo IX. 611. 612.
Thebæ, urbs à Thebis magnis altera in eadem

Digitized by Google

provincia, juxta Notitiam quæ eſt ad calcem
Codini *de Officiis, pag.* 355. Sunt qui Dioſ-
polim parvam iſtas Thebas fuiſſe arbitrantur;
verùm in ea Notitia, præter magnam The-
baïdem quæ loco 13. ſub provincia Thebaïdis
II. recenſetur Μεγάλης Θηβαΐδος, & appella-
batur etiam *Dioſpolis*, teſte Strabone, *lib.* 17.
legitur loco 4. *Dioſpolis*, Διόσπολις, urbs
ſubinde altera à Thebis magnis, & loco 7.
Thebais, Θηβαΐς, quæ rurſus conſequenter
diſtinguebatur, tum à Thebis magnis, tum à
Dioſpoli parva. Hæ Thebæ omiſſæ videntur
in præſenti opere, niſi confundantur, vel cum
Thebis magnis, vel cum *Dioſpoli* Thebaïdis
II. 611. 612. *lin.* 7.

Thebaïs, *vide* ſupra in indice provinciarum Pa-
triarchatus Alexandrini. *pag. xj. col.* 2.

Thenneſus, ſedes epiſcopalis Auguſtamnicæ I.
549. 550.

Thmuïs, olim *Mende*, ob hircum qui in ea cole-
batur, & corrupte *Mueth*, *Tambowa*, *Tamo-
nowa*, *Tithmulus*, nunc autem *Themni* vel
Themoï, ſeu potius *Thennewia*, vicus igno-
bilis. Fuit olim ſedes epiſcopalis in præfata
Auguſtamnica I. 537. 538.

Thys ſive *Thinis*, *vide* Ptolemaïs Thebaïdis.

Tinua, *vide* Antinoë.

Tithmulus, Τιθμουλες, corrupte pro Thmuïs.
539. B. *lin.* 21.

Tonneſis, in ſeptimo Nili oſtio, ſedes metropo-
litica dignitate aucta ſub Patriarcha Alexan-
drino Melchita. 376. *n.* 60. E.

Tranzale, *vide* Zygris.

Trimuthon, *vide* Terenuthis.

V

Vana, neutro plurali, ſedes incerta, vel vox
corrupta. 631. A.

Vantena *ſive* Butena civitas, *vide* Phthenotes.

Wiſſim, ſedes ignota in Ægypto. 466. D.

X

Xoïs, hodie *Saca* vel *Achſa*, ſedes epiſcopalis
Ægypti II. 573. 574.

Z

Zagylis vicus, corrupte *Gazylis*, & *Magylis*,
ſedes epiſcop. Libyæ Marmaricæ. 635. 636.

Zeila, *vide* Adule.

Zygris, corrupte *Bograï*, *Zogrozagyles*, Zygri
& Zagyli ſimul junctis, & *Tranzales*, in præ-
fata Libya Marmarica. 635. 636.

Series Patriarcharum Alexandrinorum, eo ordine quo ſederunt.

I. S. Marcus Evangeliſta, ſi doctiſſimis Bollan-
dianis credimus in Hiſtor. Chronolog. Patriar-
charum Alexandrinorum præfixa, *to. v. Jun.*
pag. * 3. §. 2. *n.* 14. *& ſeqq.* ſub extremis
Tiberii annis, qui an. 37. æræ vulgaris obiit,
fidem Chriſti à Petro Apoſtolo triennii ſpatio
plene edoctus, anno probabiliter 36. ejuſdem
æræ in Ægyptum ſe contulit, ac ſparſo Evan-
gelii ſemine in Thebaïde, Libya Marmarica,
Libya Cyrenaïca, aliiſque Ægypti provinciis
per aliquot annos, Alexandriam venit anno
circiter 40. inde ad Petrum regreſſus, illum
Romam pergentem ſequutus eſt, ubi etiam
evangelium ſcripſit; poſtea ſecunda vice in
Ægyptum reverſus anno 49. tandem Alexan-
driæ martyrium ſubit an. 62. aut 63. die 25.
Aprilis. Quæ omnia, inter diſſonantes Scripto-
rum ſententias, ipſis veriſimiliora videntur. De
his quoque in præſenti volumine, *col.* 333.
n. 7. A. ſed *lin.* 13. poſt hæc verba: « Mar-
» cum in Ægyptum veniſſe fert (Chronicon
» Alexandrinum ſeu Paſchale) an. Chriſti 40.
» ſeu tertio Caii Caligulæ, delendum eſt, *cui
doctiſſimus Tillemontius ſuffragatur.* » nam
Chronicon illud eo loci deſeritur à Tillemon-
tio, qui annum præfert 49. cum Eutychio
Alexandr. & Chronico orientali: unde etiam
ab illo expreſſe diſſentiunt ea de re præfati Bol-
landiani, hæc aientes inſuper non ſpernenda
in ſuæ ſententiæ ſtatumen, *p.* 4. * *n.* 15. A.
lin. 3. « Quod ſi verum eſt, Philonem de
» Chriſtianis agere ſub nomine *Therapeuta-
» rum* (favet autem R. P. le Quien, *col.*
» 332. *n.* 6. B. C.) eumque ætatis jam ſatis
» provectæ fuiſſe, dum ſub Caio Caligula
» circa annum 40. pro ſuis Judæis Romæ
» legationem obiret; quomodo res Chriſtiano-
» rum perſpectas habere potuit, qui tam ſerò
innotuerint! » *Vide etiam* de Marco, *col.*
385. E. *præſentis voluminis.*

II. Anianus ſive *Hananias*, vel *Anizanus*, Sutor
fuit Alexandriæ, ad quem S. Marcus hanc
urbem ingrediens calceos reficiendi causâ ac-
ceſſit, manumque ejus quam ſubulâ perfora-
verat, invocato Chriſti nomine, ſanavit. Hinc
converſus Anianus cum omni familia, ab eo-
dem Marco epiſcopus ordinatus eſt. 385. E.
Ei ſuffectus in regimine eccleſiæ Alexandrinæ
anno 62. aut 63. exactiſque 22. annis, obiit
anno 84. (die 22. Novemb.) 387. A. Hunc
primum appellat Euſebius Alexandriæ antiſti-
tem, non computato Marco. Doctiſſimi Bol-
landiani ſupra adducti, aiunt 22. annos epi-
ſcopatûs ejus deſumendos eſſe à morte ſancti
Marci, ipſumque migraſſe ex hac vita an. 84.
æræ noſtræ, die 16. Novemb. * 13. *col.* 1.
num. 60. *& ſeqq.*

III. Abilius ſive *Avilius*, *Melius*, *Milius*, &
Melianus, fortaſſis fuit *Melius* ille quem cum
Sabino & Cerdone preſbyterum Acta ſancti
Marci Latina ab ipſo ordinatum ferunt. Aniano
ſubſtitutum, à S. Luca quidem tradit Auctor
Conſtit. Apoſtol. *lib.* 7. *c.* 48. electione verò
multitudinis, Severus epiſcopus Aſchumin
Cophtita. Ex Euſebio præfuit Avilius trede-
cim annis, mortuus anno 1. Trajani Imperat.
ſubindeque Chriſti 98. 387. D. Eum vita
functum die 29. Aug. fer. 4. illo anno cen-
ſent præfati Bollandiani, *pag.* 14. * *col.* 2.
nn. 70. *&* 71.

IV. Cerdo, ille probabiliter quem Marcus ordi-
naverat, Abilium excepit, Trajano primum
adhuc annum agente, & deceſſit circa duode-
cimum ejuſdem Imperat. annum, ex Euſebio.
lib. 3. *Hiſt. Eccl. cap.* 21. *& lib.* 4. *c.* 1.
388. C. Ipſum obiiſſe anno 107. die 15.
Junii colligunt laudati Bollandiſt. *ibid.* * 15.
col. 2. *nn.* 77. *&* 78. ex tempore regiminis
Primi qui ei ſucceſſit.

V. Primus quippe, ex Euſebio, *init. lib.* 4. obiit
circa annum 3. Hadriani, Chriſti 119. anno
epiſcopatus ſui duodecimo. *Obrimius* (vel
Aprimus) & *Ephræmius* appellatur à Coph-
titis & Arabicis ſcriptoribus. 389. A.

VI. Juſtus, electus Alexandriæ præſul anno 3.
Hadriani, Chriſti 119. exceſſit è vivis anno
ejuſdem Imperat. 14. Chriſti 130. 389. C.

VII. Eumenes ſive *Hymenæus*, ſedit tredecim
annos, mortuus anno 6. Antonini Pii, Chriſti
143. 389. E.

VIII. Marcus II. ſive *Marcianus*, eccleſiam
Alexandrinam rexit decem annis, vitâ functus
anno 16. ejuſdem Imperatoris, Chriſti 154.
die 1. Jan. 390. B. Annum 153. ſtatuunt
Bollandiſtæ, paulo antequam inciperet annus
15. Antonini die 25. Februar. 18. * *col.* 2.
num. 96.

IX. Celadion ſive *Claudianus*, & *Beladian*,
ſedit annos quatuordecim, ſcilicet uſque ad
annum 167. Chriſti. 390. C. Obſervant
Bollandiſtæ, * 19. *col.* 1. *n.* 99. poſt Tille-
montium, & alios, Euſebium in Imperatorum
ætate ad chriſtianam æram applicanda, annum
unum anticipaſſe, ita ut qui hic ipſi octavus
annus eſt Lucii Veri, ſit tantùm ſeptimus.

X. Agrippinus ſive *Agrippius*, vel *Agrippa*,
præfuit eccleſiæ Alexandrinæ duodecim annis:
obiit anno 179. 390. E.

XI. Julianus ſedit annos decem, mortuus anno
189. 391. A.

XII. Demetrius, qui in conjugio virginitatem
ſervaverat, ab anno 189. ad annum 230. aut
231. per annos 43. non tamen integros ſedem
Alexandrinam occupavit, ſub cujus regimine
Pantheno ſcholæ hujus urbis moderatori in
Indiam miſſo ſucceſſit Clemens, Clementi
Origenes, & Origeni Heraclas. 391. D.

XIII. Heraclas, Plutarchi Martyris ab Origene
ad fidem adducti frater, ejuſdemque Origenis
in ſcholæ Alexandrinæ adminiſtratione adju-
tor, deinde ſucceſſor, Demetrium excepit
anno 230. aut 231. obiit verò anno 246.
ſui regiminis 16. & Philippi Imperat. tertio.
392. D. Porro *col. ſeq.* 393. E. pro 130.
& 146. legendum eſt 230. & 246. Quæ
autem hic acta referuntur ab Heracla adversùs
Origenem, multis eruditis ad Demetrium vi-
dentur revocanda.

XIV. Dionyſius ſcholæ Alexandrinæ poſt Hera-
clam moderator, eidem quoque ſucceſſit in
epiſcopatu (anno 248. juxta Bollandianos.)
Librum ſuum *de Martyrio* Origeni, cujus
fuerat diſcipulus, nuncupavit. Adfuit anno
252. ſynodo Antiochenæ, pro ſedando Schiſ-
mate Novatiani. Nepotem quemdam errore
Millenariorum Arſenoïtas imbuentem duobus
libris anno 254. confutavit. In diſſidio de
validitate baptiſmi Hæreticorum, pro pace
redintegranda, anno 256. plures ſcripſit epi-
ſtolas. Calamitates non modicas pertulit in per-
ſecutionibus Decii & Valeriani Imperatorum.
Naſcentem Sabellii hæreſim dum impugnaret,
delatus eſt ad Dionyſium Romanum Pontifi-
cem, quaſi de conſubſtantialitate Verbi divini
cum Patre non recte ſentiret: ſed hanc ipſe
labem volumine deterſit. Antiochiam venire
impar ob ſenectutem, pro damnandis Pauli
Samoſateni erroribus, ſuas litteras quibus illos
proſcribebat ad ſynodum direxit, eoque ipſo
tempore diem clauſit extremum, 17. præſu-
latûs anno, Gallieni duodecimo, 265. Chriſti.
394. A.

XV. Maximus, confeſſionis Dionyſii coram
Æmiliano præfecto ſocius, ærumnarumque
ejus ac exilii particeps tempore Valeriani, teſte
Euſebio, *lib.* 7. *hiſt. cap.* 11. ei ſubrogatus
eſt anno 265. Cum verò præfuiſſet 18. annos
incompletos, deſiit vivere anno 282. die 9.
April. 395. D.

XVI. Theonas Maximum excepit anno Chriſti
282. ſeditque 19. annos, mortuus ante an-
num 300. 396. B. Eum tamen obiiſſe anno
300. die 3. Jan. aſſerunt Bollandiſtæ citati,
22. * *col.* 2. *n.* 173.

XVII. Petrus I. Martyr, anno 300. electus,
tribus fere annis ante perſecutionem quæ ſub
fine imperii Diocletiani incepit anno 302. aut
probabiliùs 303. exeunte Februario, præfuit
12. annos (non integros.) Is anno perſecu-
tionis 4. canones pœnitentiales edidit, Mele-
tium epiſcopum Lycopolitanum, poſtea Schiſ-
matis auctorem, ſacerdotio exuit, ob cultum
quem idolis detulerat. Capite demùm truncatus
eſt juſſu Maximini Imperatoris anno 311. die
25. Novemb. 396. E.

XVIII. Achillas, qui, eodem tempore quo Pie-
rius, preſbyter conſecratus à Theona fuerat,
& ſub Petro ſcholam rexerat Alexandrinam,
illi ſucceſſit ſtatim poſt ejus martyrium, ſi
verum ſit quod ejuſdem Petri Acta perhibent,
corpus hujus martyris in epiſcopali Marci ſede
collocatum eſſe, epiſcopos verò qui conve-
nerant detractum è collo ejus ſuperhumerale
impoſuiſſe Achillæ, ipſumque ordinaſſe in
præſulem Alexandrinum: ſed Acta illa magnæ
non ſunt auctoritatis. Paucis menſibus præ-
fuiſſe eum aſſerunt Scriptores multi, ſaltem
non anno integro, aliquot tamen ei annos
nonnulli tribuunt. 397. E. ubi lineâ ultimâ
pro 311. legendum eſt 312. Hunc inaugu-
ratum fuiſſe anno 312. obiiſſe autem anno
313. die 13. Jul. cenſent Bollandiani. 36. *
nn. 189. *&* 190.

XIX. Alexander, juxta Chronicon S. Hiero-
nymi, anno 15. Conſtantini Magni, qui
fluxit à die 25. anni 320. ad parem diem anni
321. electus eſt Patriarcha: 398. A. ſed
veriſimiliùs ſuffectum ipſum Heraclæ anno
313. exiſtimat Tillemontius, tum quia jam
epiſcopus erat quùm S. Pachomius anno cir-
citer 313. in ſolitudinem ſeceſſit, tum etiam
quia hæreſis Ariana quam primus damnavit,
probabiliùs innotuit ſaltem anno 319. & ante
perſecutionem à Licinio anno 320. commo-
tam in Chriſtianos. Pro anno 313. ſtant quo-
que Bollandiani, * 37. *col.* 1. *num.* 193.
Porro Alexander coacta ſynodo Arium ana-
themate & depoſitione mulctavit, alteram
deinde anno circiter 323. aut 324. congre-
gavit, cui adfuit Oſius Cordubenſis epiſcopus:
verùm, rebus minime compoſitis, ſynodus
Nicæna prima generalis convocata eſt, anno-
que 325. celebrata à die 18. vel 19. Junii
uſque ad diem 25. Auguſti. In ea præfinitus
dies ſolemnitatis Paſchalis, proſcripta hæreſis
Arii, rejectæ ordinationes à Meletio factæ,
varii circà diſciplinam conditi canones. Ei
finitâ reverſus domum Alexander, quinto poſt
menſe obiit, ac ſubinde anno 326. 398. E.
Si autem exceſſit die 17. April. non certè di

Lunæ, quidquid contendant plures eruditi, quia ea dies Dominica fuit, utpote quùm dies Paſchæ eo anno in diem tertiam inciderit Aprilis: ſed dies 17. Januarii contigit die Lunæ. Ita præfati Bollandiſtæ. *Ibid. col.* 2. *nn.* 195. *&* 196. *Item* * 45. *col.* 1. *n.* 234. *& ſeqq.*

XX. Athanaſius I. meritis in eccleſiam, ſcriptiſque celeberrimus, Alexandro ſucceſſit dum adhuc diaconus eſſet, an. 326. Ejus ordinationem Græci recolunt die 18. Januar. *399.* C. Præfuit 46. annos, mortuus anno 371. vel 373. Priorem epocham, quæ communior eſt, adversùs Eruditos nonnullos alterius acres patronos ſtrenue propugnant Bollandiani, *à 40.* * *col.* 1. *n.* 210. *uſque ad* * 49. *col.* 1. *n.* 253. Is toto fere ſui regiminis ævo ſummopere ab Arianis, Principibuſque ipſorum fautoribus exagitatus eſt, inque ejus ſedem variis temporibus intruſi *Piſtus*, *Gregorius*, *Georgius*, & *Lucius*: quæ omnia diligentius exponere longioris foret ſermonis. De his invaſoribus ſequentia ſolùm ſubjungo.

Piſtus, Arianorum factione in ſedem Alexandrinam intruſus eſt, pulſo Athanaſio, ſub exordio imperii Conſtantii. *401.* A.

Gregorius, anno 341. ſimili factione Athanaſio ſuffectus, furente populo occiſus eſt anno circiter 349. *Ibid.* E.

Georgius ante æſtatem anni 355. ad ſedem Alexandrinam evectus ab Arianis adverſus Athanaſium, obiit circa finem anni 361. à Paganis interemptus. *402.* D. E.

Lucius, quem Georgius ad ſacerdotium promoverat, in ejuſdem locum ſubſtitutus eſt Arianorum operâ anno 362. Is etiam *Petrum* legitimum S. Athanaſii ſucceſſorem deturbavit. Sed Valente Imperat. mortuo anno 378. eum urbe ſua abegerunt Alexandrini. *403.* E. *404.* C. D.

XXI. Petrus II. Athanaſio mortuo ex ejus ſuffragio ſtatim ſuffectus, mox in carcerem, Lucii aliorumque Valentis Imperatoris miniſtrorum operâ, conjectus eſt, ex qua elapſus ad Damaſum Papam confugit, à quo ſuæ ſedi reſtitutus in ſynodo Romæ habita anno 378. Alexandriam rediit. Ut ſecundæ ſedis antiſtes *Gregorium Nazianzenum* ſedi Conſtantinopolitanæ præfecit: deinde facti pœnitens *Maximum Cynicum* ordinari curavit per epiſcopos eò à ſe miſſos. Obiit anno 380. die 14. Febr. *404.* C. Ejus mortem nondum acceperat Theodoſius Magnus eo anno die 27. Febr. quo legem tulit pro fide catholica. *405.* B. Fortaſſis non exceſſit è vivis niſi die 20. Jul. *Vide præfatos Bollandianos*, * *49. col.* 1. *n.* 253. *&* 50. * *col.* 1. *num.* 257.

XXII. Timotheus I. Petri frater & ſucceſſor, Gregorii Nazianzeni cauſam præter ſpem in Concilio I. Conſtantinopolitano anno 381. deſerens, & ipſe quoque deſertus eſt, ad tertium Patriarcharum locum amandatus, ſcilicet poſt Conſtantinopolitanum antiſtitem, & ad ſuam Ægyptiacam diœceſim reſtrictus. Obiit anno 385. die 20. Julii. *405.* C.

XXIII. Theophilus eccleſiæ Alexandrinæ archidiaconus, ſedit 27. annos cum tribus ferè menſibus. Templum Serapidis anno 389. demolitus eſt, profanique idolorum cultus reliquias per Ægyptum delevit. Eccleſiam ſancti Joannis-Baptiſtæ nomine dicatam exſtruxit Alexandriæ, in loco ubi fanum ſteterat Serapidis, quam nonnullis ſancti præcurſoris pignoribus ditavit. Datus à concilio Capuano ſchiſmatis Antiocheni compeſcendi ſequeſter, ipſum recuſavit Flavianus. Interfuit an. 394. concilio Conſtantinopolitano in cauſa duorum litigantium de Boſtrorum epiſcopatu. Conſtantinopoli inauguravit anno 398. S. Joannem Chryſoſtomum recens electum in hujus urbis præſulem, quem tamen poſtea acriter inſectatus eſt, & deponendum curavit in ſynodo Quercenſi. Inter ejus ſcripta celebris fuit Cyclus ejus Paſchalis. Obiit lethargiâ oppreſſus anno 412. die 15. Octobr. *406.* C.

XXIV. Cyrillus, Neſtorianæ hæreſis debellator celeberrimus, Theophili ex patre nepos, gravioribus ortis in ſua electione diſſidiis, non niſi die 18. Octobr. tertia à Theophili obitu die, conſecratus eſt Alexandrinus antiſtes. *407.* C. D. ubi *lin.* 6. pro *402.* legendum eſt *412.* & *lin.* 12. pro 13. legendum eſt *18.* Exſors communionis Romanæ Eccleſiæ fuit, ob non reſtitutum in ſacris diptychis Joannis Chryſoſtomi nomen, uſque ad annum 417. quo tandem monitis paruit, & à Zoſimo Papa ad pacem ſuſceptus eſt. Neſtorio præſule Conſtantinopolitano impietatem ſuam prodente anno 428. ipſum Cyrillus coactis pluribus ſynodis, ſcriptiſque variis litteris ad meliorem frugem revocare tentavit: ſed quùm ille hæreſim pertinaciter tueretur, Cæleſtinum Papam de ea certiorem fecit Cyrillus, à quo provinciam accepit ut vice ſua, ni intra decem dies Neſtorius reſipiſceret, alium antiſtitem in ejus locum ſubſtituendum curaret. *408.* A. B. Præfuit Cyrillus anno 431. ſynodo Epheſinæ nomine Cæleſtini, cum ejuſdem legatis. In ea autem depoſitus eſt Neſtorius, qui ter vocatus recuſavit venire. Poſthac Maximianum ipſi ſuffectum ordinavit Cyrillus, *409.* A. ubi *lin. xj.* pro *Maximum* legendum eſt *Maximianum*. Sedit ann. 31. cum menſibus octo & aliquot diebus, mortuus anno 444. die 27. Junii. *Ibid.* B.

XXV. Dioſcorus I. Cyrilli archidiaconus, ipſi ſucceſſit eodem anno 444. Is bona illius erepta per vim & calumniam mercatoribus panis & vini, teſte Liberato, diſtribuit, *ut mundiſſimum panem & pretioſiſſimum vinum viliori pretio populis exhiberent.* *409.* C. Quùm verò Eutyches Archimandrita anno 448. à Flaviano Patriarcha Conſtantinopolitano & ejus ſynodo depoſitus fuiſſet ob conditam novam hæreſim quam recuſabat ejurare, ſynodum Epheſinam alteram à Theodoſio Juniore haberi obtinuit, quæ anno 449. congregata, dicta eſt *Latrocinium Epheſinum*. Huic enim præſidens Dioſcorus, cuncta tyrannico more diſpoſuit: Eutyches ſcilicet abſolutus fuit, Flavianus dejectus, & in exilium pulſus, ac paulo poſt extinctus. At mortuo anno 450. Theodoſio Juniore, Marcianus ejus ſucceſſor concilium aliud generale indixit anno 451. coactum primùm Nicææ, (quò appulſus Dioſcorus, collecto ſuorum Ægyptiorum cœtu, ſententiam excommunicationis in Leonem Papam tulit,) deinde Chalcedone ubi exauctoratus eſt Dioſcorus, *411.* B. C. qui Gangras relegatus, obiit anno 454. menſe Septembri. *412.* A. B.

XXVI. Proterius ſive *Bertares*, in locum Dioſcori anno 452. ſubſtitutus, archipreſbyter ab ipſo, ſuuſque vicarius factus fuerat, ex præfato Liberato. Nolebant quidem Alexandrini alium ſibi, vivente Dioſcoro, præfici antiſtitem, ne adulteri viderentur, Proterium tamen elegerunt ob modo dicta. Acceptis ejus litteris Leo Papa, ſuas ad illum miſit, datas anno 454. die 10. Martii. Verùm quùm *Timotheus Ælurus* preſbyter, Petrus Mongus diaconus, aliique nonnulli de Dioſcori factione ab ejus communione diſceſſiſſent, ipſos ſynodo convocata totius Ægypti damnavit Proterius, Timotheuſque à Marciano in exilium pulſus eſt. Imperatore defuncto initio anni 457. Ælurus ordinatus à Petro Ibero & Euſebio epiſcopis, quos Proterius anathemate ferierat, nullâ morâ Alexandriam regreſſus, aſſumptâ ſeditioſorum hominum catervâ ſedem invaſit, & triduo ante Paſcha Proterium in baptiſterio eccleſiæ Quirini quò fugerat, trucidari curavit eodem anno die 28. Martii. Addit Liberatus *à Timotheo illo* Æluro *epiſcopos duos Alexandriæ eſſe cœpiſſe:* ſed Orthodoxorum ſucceſſio aliquando deſiit. *412.* C.

XXVII. Timotheus II. Saloſaciolus ſive *Aſbus* vel *Baſilicus*, poſt necem Proterii, Æluro à Leone Marciani ſucceſſore in Cherſonam Ponti relegato, promotus eſt, ſed non ante annum 460. & poſtquam cauſa Æluri diuturniori examine Conſtantinop. diſcuſſa eſſet. Sedit abſque moleſtia Saloſaciolus ſub utroque Leone, & prioribus Zenonis annis, ſed per biennium arreptæ anno 475. à Baſiliſco adverſus Zenonem tyrannidis, Ælurus denuò ſedem Alexandrinam invaſit; Saloſaciolus verò tempori cedens, ad monaſteria in Canopo ſita profugit, donec Zeno rerum denuò potitus, ipſum ſuæ ſedi reſtituit. Tanta fuit hujus Timothei manſuetudo etiam in hæreticos, ut Dioſcori nomen inter myſteria recitaret: unde ei publice acclamabant: *vel ſi non tibi communicamus, tamen amamus te:* veniam tamen hujus reatus popoſcit à Simplicio Papa, qui id teſtatur in epiſtola 4. ad Acacium. Obiit Timotheus anno 482. ſui regiminis 22. aut 23. *414.* D. *&* 416. B. Homiliæ cujuſdam ab ipſo habitæ in templo Dionyſii, die dominica 22. Maii, Indictione IV. (anno 466.) meminit Aſſeman. *tom.* 1. *Biblioth. Orient. p.* 612. *col.* 1. *n. VIII.* inter Codices Syriacos Romam advectos: quam ſubinde anno 466. pronuntiavit: ſi quidem nullus alius annus præfatis caracteribus inſignitus occurrit, ſub regimine alicujus Timothei Alexandrini Patriarchæ, uſque ad annum 564. quo exaratus dicitur ibidem Codex Syriacus Homiliam iſtam complectens, niſi annus 466.

Timotheus Ælurus, Coptis II. & Patriarcha XXVI. anno 457. Proterii ſedis invaſor, res eccleſiæ immaniter devaſtavit uſque ad annum 460. quo in Cherſonam à Leone Imperatore exul abire coactus eſt, ipſique ſuffectus *Timotheus* alter modò memoratus *Saloſaciolus*. Alexandriam rediit Ælurus anno 475. ſub Baſiliſco Tyranno, ſed poſt biennium Saloſaciolo ſuæ ſedi reſtituto à Zenone, qui Imperium pariter recuperaverat anno 477. ipſe eodem anno hauſto veneno obiit. *412.* C. *413.* D. *415.* A. *&* 416. A. quo in poſtremo loco *linea* 7. pro *479.* legendum eſt *477.* Hunc autem eo anno 477. obiiſſe, ex epiſtola Simplicii Papæ data anno 478. III. Idus (id eſt die 13.) Martii quâ reſpondet litteris Acacii, quibus Æluri mortem ipſe didicerat, colligunt Bollandiani, * 57. *col.* 2. *num.* 299.

Petrus Mongus, id eſt *Blæſus*, Coptis III. & Patriarcha XXVII. Timothei Æluri archidiaconus, ejuſque facinorum ſocius, ipſi ſubrogatus eſt à Monophyſitis, quem unus duntaxat epiſcopus ipſius communionis particeps conſecravit. *416.* A. B. Reſtitutus Saloſaciolus, petiit à Zenone Imperatore ut longius amandaretur iſte Petrus, quia *latitabat Alexandriæ & inſidiabatur Eccleſiæ*, inquit Liberatus. Poſt mortem Saloſacioli, in ejus locum elegerunt Catholici *Joannem Talaïam*, cui infenſus Acacius Conſtantinopolitanus præſul, effecit apud Zenonem ut operam ſuam præſtaret, ne Joannis ordinatio à Sede Apoſtolica admitteretur, utque remaneret antiſtes Petrus Mongus, *418.* C. qui ſcilicet pro temporum opportunitate, aut ſua utilitate, modò Catholicis ſe conſentire ſimulabat, modò eoſdem ſubjiciebat anathemati. *419.* D. Verùm ipſiſmet Monophyſitis graviter diſplicuit quod Henotico Zenonis dato anno 482. pro utriuſque partis unione ſarcienda, ſubſcripſiſſet Petrus, unde ex illis aliqui ſeſe ab eo divellentes *Acephali*, id eſt *ſine epiſcopo capite*, audire cœperunt. *420.* A. B. Præter hanc autem Acephalorum ſectam, occurrunt aliæ ſequentibus titulis notæ, ſcilicet *Eſaianiſtarum*, *Anthropomorphitarum*, *Barſanuphitarum*, & *Semidalitarum. Ibid.* D. *&* 421. B. Obiit Petrus Mongus anno 490. die 28. aut 29. Octobr. *422.* D.

XXVIII. Joannes Talaïa orthodoxus, Alexandrinæ primùm eccleſiæ S. Joannis œconomus, deinde monachorum Tabenneſiotarum preſbyter, Timotheum Saloſaciolum mortuum anno 482. excepit; ſed quùm Acacio Conſtantinopolitano præſuli inviſus eſſet, tum quod benevolentiam ejus, dum Conſtantinopoli degeret ad aulam à Saloſaciolo miſſus, fovere neglexiſſet, tum etiam maximè quod ad ipſum ſeriùs redditæ fuerint ſynodicæ Joannis illius litteræ, ſuggeſtione præfati Acacii, à Zenone dejectus eodem anno circa menſem Octobrem, & Petrus Mongus confirmatus Alexandrinus antiſtes, fruſtra reclamantibus Simplicio & Felice Romanis Pontificibus. *417.* D. Alexandriâ pulſus Joannes Romam profugit, defunctoque Simplicio, à Felice ejus ſucceſſore præfectus eſt Græcis Nolæ commorantibus. Ex Bollandianis, *60.* * *col.* 2. *n.* 316. *initio tom. V. Junii.*

XXIX. Athanaſius II. cognomento *Celites* vel *Abines*, Monophyſita, Coptis Patriarcha XXVIII. Petro Mongo ſucceſſit anno 490. dum interim Joanni Talaïæ nullus legitur à Catholicis ſubſtitutus ſuæ communionis præſul.

Digitized by Google

INDEX.

Henotico Zenonis ſubſcripſit Athanaſius, & poſtea ſynodum Chalcedonenſem nihilominus ſubjecit anathemati, nec tamen Acephalos ad ſe reduxit, qui moleſtè ferebant nomen Petri Mongi in diptychis de ipſius conſenſu recitari. Obiit anno 496. die 16. aut 17. Septembris. 422. E.

XXX. Joannes I. hujus nominis inter Monophyſitas Alexandriæ Patriarchas, cognomento *Hemula* ſive *Mela*, Coptis Patriarcha XXIX. ſubſcripſit Henotico Zenonis, ſimulque Chalcedonenſem ſynodum diris devovit. Deceſſit anno 15. Anaſtaſii Imperatoris, qui inauguratus fuerat anno 491. ſubindeque anno 505. die 29. Aprilis. 423. D. Quare *col.* 425. A. *lin.* 2. pro 507. legendum eſt 505.

XXXII. Joannes II. dictus *Machiota* vel potius *Niciota*, & *Niceta*, à *Nicio* oppido Ægypti ſuâ patriâ, quem etiam *Habun* Cophitæ cognominant, & numerant Patriarcham XXX. in ſynodum Chalcedonenſem eo furoris pervenit, ut ejus abrogationem ducentis auri libris empturum ſe proteſtaretur. Obiit anno 516. aut 517. die 22. Maii. 425. B. Severi Antiocheni epiſtolam ad ipſum citat Aſſeman. *tom.* 1. *Bibl. Orient.* inter Codices Arabicos Romam advectos. *p.* 625. *col.* 1. §. XXIII. *num.* 9.

XXXIII. Dioſcorus II. Timothei Æluri ex patre vel ſorore nepos, Coptis Patriarcha XXXI. ſuſcepit Hænoticon Zenonis, nec à proſcribenda temperavit ſynodo Chalcedonenſi. Is magnam Acephalorum partem ſibi reconciliavit, ac Severum hæreticum ſede Antiochena dejectum à Juſtino Imp. an. 518. honorificè recepit. Obiit eodem anno die 14. Octobris. 426. D. vel anno 520. die 6. aut 7. Octob. ut placet Bollandianis. 62. * *col.* 2. *n.* 327.

XXXIV. Timotheus III. Coptis Patriarc. XXXII. Dioſcorum excepit. Sub ipſo agitatæ ſunt inter Severum & Julianum Halicarnaſſeum quæſtiones de corruptibilitate vel incorruptibilitate corporis Chriſti ante ejus Reſurrectionem, & duæ exortæ ſectæ *Incorrupticolarum*, & *Agnoïtarum*. Præfuit 17. annos, mortuus anno 537. aut 538. die 7. Februar. 428. A.

Aſterius (ſive etiam *Apollinaris*,) de quo, ut Alexandrino Patriarcha catholico tempore præfati Timothei, ſit mentio apud Simeonem Metaphraſtem in Actis S. Arethæ Martyris, alius ab ipſomet Timotheo fortaſſis non fuit, quem eadem Acta ex veteribus codicibus Biblioth. Colbertinæ eruta, ſemper Timotheum appellant, nunquam Aſterium aut Apollinarem. Ejus tempore Eleſbaan Æthiopum rex, devicto & cæſo Dunaan Homeritarum rege, anno 528. iis tum regem chriſtianum præfecit, tum etiam ab Alexandrino Patriarcha quem heterodoxum neſciebat, antiſtitem & clericos mitti obtinuit. 428. E. 429. D. Epiſcopum tamen catholicum catholicis Alexandriæ tunc datum à Juſtino Imp. conjiciunt Bollandiani, 64. * *col.* 2. *n.* 339. eumque fortaſſis fuiſſe hunc Aſterium à Scriptoribus omiſſum.

Doctiſſimus Aſſemanus, *tom.* 1. *Biblioth. Orient. Clementino-Vaticanæ*, *p.* 382. *col.* 2. *n.* 1. obſervat in Chronicis Ægyptiorum legi Patriarcham orthodoxum revera ſubſtitutum eſſe Timotheo III. Monophyſitæ ſub initium Juſtini Imp. hunc verò *Apollinarem* appellari à Severo Aſmonæorum epiſcopo & ab Ebnarrahebo in Chronico Orientali: *Ejus* (Timothei III.) *tempore*, inquit hic poſtremus, *defunctus eſt Anaſtaſius Imperator orthodoxus*, (id eſt Monophyſita, ſic enim Scriptor monophyſ. Monophyſitam inſignit,) *& Imperium poſt illum ſuſcepit Juſtinus Chalcedonenſis*, (id eſt fidei Chalcedonenſis profeſſor,) *qui pro Timotheo Apollinarem ſubſtituit:* utique catholicum, quem ab alio Apollinare pariter catholico Pauli Thebæi, (vel potius Zoïli,) ſucceſſore ſub Juſtiniano diſtingunt illi Scriptores.

XXXV. Gaïanus ſectæ Incorrupticolarum aſſecla, electus una & eadem die cum Theodoſio, qui contrariæ Corrupticolarum parti adhærebat, illo ſtatim rejecto, Patriarcha fuit centum & tribus diebus: ſed Narſes cubicularius à Theodora Auguſta Juſtiniani Imperat. conjuge Alexandriam miſſus, teſte Liberato à Bollandianis relato, * 65. *col.* 1. *num.* 342. Theodoſium inthronizavit, & Gaïanum relegavit in Africam, qui inde Sardiniam directus, non amplius innotuit. Ab ipſo *Gaïanitæ*, ut à Theodoſio *Theodoſiani* dicti ſunt illorum diſcipuli. 430. C. & 431. A.

XXXVI. Theodoſius itaque, Coptis Patriarcha XXXIII. in ſede Alexandrina conſtitutus, eam tenuit annum unum & menſes quatuor, Gaïanitis cum ipſo non communicantibus, qui tamen poſtea ab errore ſibi proprio receſſerunt. Hunc ſedem abdicaſſe ſcribit Liberatus, & Conſtantinopoli honorificè receptum; quia verò ſynodum Chalcedonenſem obſtinato animo reſpuebat, foras civitatem regiam ſexto milliario miſſum: ibi vivebat adhuc an. 560. Obiit, ex Victore Tunnunenſi, ſub primo Juſtini II. conſulatu, Chriſti 567. quùm totum fermè palatium urbemque Conſtantinopolitanam ſuis erroribus infeciſſet. 430. C. 431. D. & 433. C. D. *Vide etiam* Aſſemanum, *tom.* 1. *Bibl. Orient.* inter Codices Arabicos, *pag.* 623. *col.* 1. §. XXIII. *nn.* 1. 2. 3. *& tom.* 2. *pag.* 89. *col.* 2. *pag.* 329. *col.* 2. *& pag.* 330. *col.* 2. Variæ Hæreticorum ſectæ, ſcilicet *Gondobauditarum* à Gondobaudo urbis loco: *Tritheitarum*, quorum parens fuit Joannes Philoponus, *Cononitarum* à Conone ipſorum epiſcopo: *Angelitarum* ſive *Ingelitarum*, ex *Ingelio*, nunc *Soüari* loco, ubi S. Marcus ſubiit martyrium, eo ævo prodierunt, 432. C 433. A. quo etiam Æthiopes & Nubæ Patriarchæ Alexandrino ſeſe ſubdiderunt, ex præfato Aſſemano, *tom.* 2. *Bibl. Orient. pag.* 329. *col.* 2.

XXXVI. Paulus Orthodoxus Theodoſio fidem Chalcedonenſem amplecti recuſanti ſuffectus eſt Conſtantinopoli, ibique contra praxim Alexandrinorum conſecratus à Menna Conſtantinop. præſule, coram Pelagio Reſponſario Vigilii Papæ, & apocriſiariis, tum Euphræmii Antiocheni, tum Petri Hieroſolymitani. Is Abbatum Tabennenſium monachorum unus fuit qui Conſtantinopolim venerat ob negotia ſui monaſterii. A Juſtiniano Imperat. acceptâ provinciâ omnes eccleſiæ Alexandrinæ diſſentiones compeſcendi, dum huic ſtrenuè incumberet, mors Pſoii cujuſdam diaconi à Rhodone Auguſtali cui illum cuſtodiendum tradiderat clam occiſi ei imputata, quaſi ejus juſſu peracta, quamvis id negaret Paulus, ejus depoſitionis cauſa exſtitit anno 542. quùm duobus circiter annis ſediſſet. 433. E. Hunc Dioſcori nomen in ſacris myſteriis recitaſſe perhibent Victor Tunnunenſis & Leontius. 435. B.

XXXVII. Zoïlus in ſynodo Gazenſi ubi Paulus depoſitus eſt, ei ſubſtitutus, edicto Juſtiniani Imp. contra Origenem ad ſe miſſo ſubſcripſit, ſed quia tria capitula damnare renuebat, dejectus eſt epiſcopatu anno 551. 435. E.

XXXVIII. Apollinaris in locum Zoïli aſſumptus, adfuit anno 553. ſynodo V. generali, cujus Actis ſubſcripſit. Unus erat ex his qui Vigilium Papam ad concilium invitarunt. Sedit ad minus uſque ad annum 560. ſed probabile eſt quod vitam produxerit uſque ad annum 565. & fortaſſis ulteriùs. 436. D.

XXXIX. Joannes I. hujus nominis inter orthodoxos Alexandriæ præſules, Conſtantinopoli ordinatus à Joanne hujus urbis Patriarcha, anno 568. aut 569. Obiit anno 578. vel 579. 437. E. Eum tamen non ſupervixiſſe anno 577. opinantur Bollandiani, * 67. *col.* 2. *numm.* 357. 358. Dum ſederent autem Patriarchæ orthodoxi modò recenſiti,

Elpidius archidiaconus, à ſuis, poſt Gaïani mortem, electus eſt Patriarcha; ex Theophane ad annum 38. Juſtiniani Imp. Chriſti 565. apud Symeonem Logothetam in Annalibus. Hunc porrò Imperator vinctum ad ſe adduci juſſit, qui in itinere ad Sigrin mortuus eſt. 438. C.

Dorotheus pariter à Theodoſianis, Theodoſio defuncto, anno 567. ſuffectus fuit, ex præfato Theophane. 438. C.

Joannes III. monachus, à Theodoſianis & Gaïanitis in unum convenientibus communis ipſorum antiſtes delectus & ordinatus eſt, ſed non perſeveravit iſta unio, & Joannis hujus barbam cum cute Gaïanitæ fraudem aliquam ſuſpicati excoriaverunt. Ex eodem Theoph. *ibid.* Tres illos epiſcopos Alexandrinos Jacobitarum libri omiſere. 438. C. D.

Petrus, Coptis hujus nominis IV. & Patriarcha XXXIV. eodem anno quo Apollinaris obiit promotus, ſedit duobus annis, mortuus anno circiter 570. die 19. Junii. 439. D. Hunc à Paulo Patriarcha Antiocheno ordinatum ſcribit Aſſemanus, *tom.* 2. *Bibl. Orient. pag.* 69.

Damianus diaconus, Coptis Patriarcha XXXV. Petri Syncellus, ipſiuſque ſucceſſor poſt unum interpontificii annum, præfuit ſuis annos 36. obiit verò anno circiter 605. die 12. Junii. 440. D. vel fortaſſis 607. ut ex charactere præfati diei colligunt Bollandiani. * 67. *col.* 1. *num.* 356. Occaſionem dederunt Petrus & Damianus, ſectis *Petritarum* & *Damianitarum.* 440. B. & 441. B. Verùm doctiſſimus Aſſemanus obſervat, *tom.* 2. *Bibl. Orient. pag.* 71. *col.* 1. Petrum hunc fuiſſe Petrum Callinicenſem Jacobitarum ſedis Antiochenæ Patriarcham, inter ipſos autem controverſiam exſtitiſſe de SS. Trinitatis myſterio, in qua non iſte, ſed Damianus à veritate devïabat. Epiſtolæ quoque ſynodicæ ejuſdem Damiani ad Jacobum Baradæum Jacobitarum anteſignanum meminit *pag.* 80. *col.* 1. De Damiano inſuper legendus, *pag.* 77. *col.* 2. *& pag.* 332. *col.* 2.

XL. Eulogius Patriarcha Alexandriæ orthodoxus, ſummam cum Gregorio M. neceſſitudinem habuit. Fragmentum epiſtolæ 48. libri VII. hujus Papæ refertur, *col.* 334. D. E. ſed *ibidem* E. voci *decem* ſubſtituenda vox eſt *ſeptem*, quæ apud Gregor. habetur. Joanni I. Catholico ſuffectus eſt Eulogius, qui vitæ ſanctitate ac ſcriptis conſpicuus, ſedit viginti ſeptem annos, mortuus anno 607. 442. A. B. Hunc deceſſiſſe anno 604. exiſtimant Bollandiani, * 65. *col.* 2. *n.* 359. propter biennium regiminis Theodori, & decennium Joannis Eleemoſynarii ipſius ſucceſſorum, quorum iſte obiit anno 616.

Anaſtaſius *Apozygarius*, Coptis Patriarcha XXXVI. Damianum excepit anno 605. aut 607. & deceſſit anno 614. die 18. Decemb. 444. A.

XLI. Theodorus *Scribo* orthodoxus, poſt Eulogium ſedit duobus annis. 445. C. Hunc probabiliter obiiſſe anno 606. cenſent Bolland. * 67. *col.* 2. *num.* 357.

XLII. Joannes II. cognomine *Eleemoſynarius*, dicitur à Leontio Conſtantiæ in Cypro inſula antiſtite in ejus vita, prout hanc Symeon Metaphraſtes ſuo more adornavit, ad Alexandrinam ſedem promotus ſub Heraclio Imperat. anno 610. menſe Octobri electo. 445. E. 446. D. At doctiſſimi Bollandiani obſervant, 68. * *col.* 1. *n.* 36. *initio tom.* V. *Jun.* verba iſta hujus vitæ, *n.* 33: *Heraclius tunc ſceptra Romanorum*, non eſſe Leontii, ſed Metaphraſtis, qui, dum ſuæ chronologiæ vitas Sanctorum conformat, non ſemel aberravit. Statuunt itaque illi *pag. præced.* * *col.* 1. *n.* 357. Joannem Eleemoſynarium Theodoro ſucceſſiſſe anno 606. ſub Phoca Imperatore, & poſt regiminis decennium deceſſiſſe in Cypro inſula, non anno 620. ut vult Baronius, ſed anno 616.

Andronicus, Coptis Patriarcha XXXVII. Anaſtaſio Apozygario ſuffectus anno 614. obiit anno 620. 446. E. vel fortaſſis anno 621. die 2. Januar. ex conjectura eorumdem Bollandianorum, 68. * *col.* 2. *n.* 364.

XLIII. Georgius, à Catholicis poſt Joannem Eleemoſynarium aſſumptus, ſedit annos 14. mortuus anno 630. juxta Theophanem. ad annum 20. Heraclii Imperatoris. 447. B.

Joannes, (à Coptis omiſſus,) citatur in duabus epiſtolis paſchalibus quinto ſui præſulatus anno, teſte Anaſtaſio Sinaïta: *Omnia quæ de Chriſto dicuntur, dici etiam de Patre & Spiritu Sancto.* 447. D. 448. A.

XLIV. Cyrus, unus ex præcipuis Monothelitarum primipilis, ex ſede Phaſidis in Colchide ſub Trapezo, ad Alexandrinam poſt Georgii exceſſum tranſlatus eſt anno circiter 630. Heraclio Imperatore, qui, ob dicta ſibi an. 629. à quodam Athanaſio Monophyſitarum Antiochenor. Patriarcha, Cyro etiam probata (nonnulli tamen hæc revocant ad colloqui

hujj

hujus Imp. cum Paulo Severiano anno 622.) putavit Monophyſitas, ut ii aſſeverabant, orthodoxis ſeſe unituros, ſuſcepta fide Chalcedonenſi, ſi utraque eccleſia unam in Chriſto Jeſu voluntatem & operationem profiteretur. Doctrinam iſtam novem capitulis ſeu anathematiſmis expoſitam Cyrus factus Patriarcha, Theodoro Pharan epiſcopo, quem ſecum adduxerat, opem ferente, coacta ſynodo anno 633. ſanxit. 448. C. E. Eamdem propagare totis viribus enituit Sergius Patriarcha Conſtantinopol. auctorque Heraclio fuit *Ecthesis*, ut indicto catholicis de una & duabus voluntatibus in Chriſto ſilentio profundiores poſſet Monotheliſmus emittere radices. A Sergio deluſus Honorius Papa, ſilentium quoque admiſit, ceu Monophyſiſmo exitiale futurum, illudque Sophronii Hieroſolymorum præſulis Monotheliſmo infenſiſſimi legatis ſervandum injunxit. Cyrus poſtea accuſatus coram Heraclio initi pacti cum Saracenis, Conſtantinopolim accitus, præfecto torquendus, velut Dei hoſtis ac proditor Chriſtianorum, traditus eſt; nec Alexandriam rediit, niſi quùm eam Saraceni expugnaverunt: quod anno 641. contigit. 649. E. vel anno præcedente 640. die 21. aut 28. Decembris, ut Bollandianis placet, * 73. *col.* 1. *n.* 385. Obiit Cyrus non multo poſt, anno ſubinde 641. aut 642. exactis decem ſui regiminis annis. 450. A.

XLV. Petrus, Cyri ſedis erroriſque hæres fuit, ex Martino Papa in epiſtola ad Joannem Philadelphiæ antiſtitem, quamvis tamen nonnulli ejus orthodoxiam tueantur, teſtibus Bolland. qui nihil pronunciare audent, * 73. *col.* 2. *n.* 387. Sediſſe hunc 9. annos ſcribit Eutychius Alexandrinus, qui *Maronem* faciens hæreſis Monotheliticæ conditorem, ejuſdemque *Maronitas* reos, Petrum iſtum, prædeceſſoremque ipſius Cyrum, ac Heraclium Imperatorem *Maronitas* appellat. 448. C. & 450. A. B. Verùm ad hæc verba 450. B. *Recte porro Eutychius Petrum fuiſſe Maronitam dixit, qua vulgò appellatione Orientales Monothelitam ſignificarunt:* cohibe judicium tuum, prudens Lector, donec adieris ſpecialem diſſertationem de Maronitis, quæ initio voluminis tertii hujuſce operis exſtat. *Theodorus*, uti Alexandrinæ eccleſiæ vicarius, miſſus à Melchitis Patriarcha deſtitutis, adfuit cum Petro Conſtantinopolitano, & Macedonio Antiocheno Patriarchis, ſynodo à Conſtante Imperatore anno 655. coactæ in gratiam Monothelitarum, teſte Macario Antiocheno Act. VIII. ſextæ ſynodi generalis: ſcilicet per 80. circiter annos Alexandriæ non ſedit niſi Jacobitarum Patriarcha, ſuo Melchitis carentibus, 450. E. ideoque Chalcedonenſis fidei ſectatores in Ægypto ad metropolitam Tyri ſuos epiſcopos conſecrandos mittebant. 451. A. Nihilominus fortaſſis per aliquot annos eo tempore Melchitarum ſecretò curam geſſit

Theophilus ille Alexandrinus quem *Theophylactum* Severus Aſchuminenſis appellat, & *Theophiletianorum* epiſcopum dicit. Certè *Theophili Alexandr.* nomen gerit oratio quædam ſub hoc titulo: *Cui hominis vita ſimilis eſt!* compoſita ſub Saracenorum tyrannide. 454. A. B.

Benjamin I. Coptis Patriarcha XXXVIII. poſt Andronicum recenſetur, & ſediſſe fertur annos 39. & ſex menſes, ab an. circiter 621. Is, quùm Cyrus ab Heraclio miſſus Alexandriam venit, aliò ſeceſſit per *tredecim annos*, teſte Elmacino apud citatos Bollandianos, *pag.* 74. * *col.* 2. *num.* 393. *decem ſcilicet ſub imperio Heraclii, & tres ſub initio Muſlimorum. Obiit verò die* 8. *menſis Tubæ*, hoc eſt 3. Januarii anno 660. Ejus tempore in Æthiopia claruit inſignis monachus Teolaximanoth. 452. B. Benjamini orat. *adverſus eos qui dicunt Divinitatem Verbi eſſe mortalem*, citat Aſſeman. *tom.* 1. *Biblioth. Orient.* inter Codices Arabicos, *p.* 625. §. XXIII. *col.* 1. *n.* 13. *Item* homiliam unam *de Nuptiis in Cana. Ibid. p.* 618. *col.* 1. §. XVI.

Agathon, Coptis Patriarcha XXXIX. Benjamini diſcipulus, eum excepit an. 660. quùm jam, tempore Heraclii, ſectæ ſuæ plurimùm profuiſſet. Obiit autem an. 677. (aut 678.) menſe Octobri. (Coptis die 16.) 452. B.

Joannes V. *Semnudæus*, Coptis III. & Patriarcha XL. poſt Agathonem ſedit uſque ad 27. Novembr. anni (685. aut) 686. quo è vivis diſceſſit. Inſignem illi miſericordiam in pauperes attribuunt Coptitæ. Ejus tempore *Petrus* quidam preſbyter, delegatus ab eccleſiæ Alexandrinæ Melchitis proprium præſulem non habentibus, adfuit anno 680. ſynodo VI. generali adversùs Monothelitas congregatæ, ejuſque Actis ſubſcripſit. 452. D. 453. A. Hæreſis tamen Monothelitica perſeveravit Alexandriæ apud Melchitas uſque ad annum 742. 450. C.

Iſaac, à Semnudæo in ſucceſſorem deſignatus, ei ſuffectus eſt, neglecta Georgii electione aliàs ritè facta. Mos iſte ſuum deſignandi ſucceſſorem adverſabatur canonibus, & cæterarum eccleſiarum praxi. Obiit anno 688. die 3. Novembr. 453. B. Coptis Patriarcha eſt XLI. Ejus vitæ ſcriptæ per Mennam epiſcopum meminit Aſſeman. *tom.* 1. *Bibl. Orient.* inter Codices Copticos Romam advectos, *p.* 618. §. XI. *col.* 1.

Simon Syrus, Coptis Simeon, & Patriarcha XLII. ab Abdel-Azizo nominatus, præ Joanne & Victore Abbatibus, qui diſſentientibus ſuffragiis electi fuerant, Jacobitas Antiochenos, ut antea Semnudæus, in ſuæ Alexandrinæ eccleſiæ Jacobit. communionem recepit. Obiit anno 700. die 18. Jul. 453. E. Scribunt iidem Copti, teſtibus Bollandianis, *pag.* 76. * *col.* 2. *n.* 403. mortuum ab ipſo fuiſſe ſuſcitatum, hauſtum etiam ter innoxiè ab eodem venenum poſt ſumptam Euchariſtiam, qui tamen quùm quartò jejunus vinum bibiſſet toxicatum periit. Fides eſto apud Jacobitas, qui hæc recenſent.

Alexander II. Coptis Patriarcha XLIII. Simonis ſucceſſor, ad eam devenit inopiam, ut vitreis calicibus in miſſæ ſacrificio uteretur. Agnoëtas & Gaïanitas plurimos ad ſuam communionem reduxit, pleroſque à laïcis baptizatos abluit denuo ſub conditione. Obiit anno 724. aut 725. (die 2. Februar.) 455. D. Hunc poſt triennium ſedis vacantis inauguratum anno Martyrum 420. Chriſti 704. die 25. Aprilis, ex Elmacino, *lib.* 1. *cap.* 12. præfuiſſe autem 20. aut 25. annos, & c. 17. obiiſſe an. 727. (vel probabilius 729.) die 1. Februar. referunt Bollandiani, * 77. *col.* 1. *nn.* 405. & 406.

Coſmas I. Coptis Patriarcha XLIV. Panopoli oriundus, invitus & reluctans electus, ſedit menſibus quindecim, mortuus an. 727. die 24. Junii. 456. E. Ejus obitum anno 730. conſignandum arbitrantur Bollandiani, *pag.* 77. * *col.* 2. *n.* 409. *initio tomi V. Jun.*

Theodorus, Coptis Patriarcha XLV. poſt eccleſiam Jacobiticam Alexandriæ quietè gubernatam undecim annos & ſex menſes, obiit an. 738. die 1. Febr. 457. A. Bollandiani, *pag.* 78. * *col.* 2. *num.* 416. eum electum ſtatuunt anno 730. die 25. Junii, mortuum verò anno 742. die 1. Februar. ubi etiam obſervant, *num.* 417. ad coaptandos annos Martyrum annis Chriſti, ſi de 8. primis anni menſibus agatur, anno Martyrum ſignato addendum eſſe 284. ut inveniatur annus Chriſti: ſi autem de 4. ultimis anni menſibus, addendum duntaxat 283.

XLVI. Coſmas alter, ſed Melchita, anno Chriſti 727. aut 729. pro lectionum diſcrepantia Hegiræ 108. vel 111. poſt longiſſimam ſedis Melchiticæ vacantiam electus de indulto Califæ Hiſcham, licet nec legere poſſet nec ſcribere, ſed ſolùm acus conficere, ab eodem Califa obtinuit ut eccleſiæ omnes quas Jacobitæ Melchitis eripuerant auctoritate præcedentium Califarum, ipſis reſtituerentur. 457. A. Is, ex Theophane, ad annum ſecundum Copronymi, Chriſti 642. *p.* 349. eo anno *cum ipſa civitate* (Alexandrina,) *Monothelitarum pravitate à Cyri qui ſub Heraclio vixit temporibus eam civitatem obtinente abjurata, & errore cognito, ad orthodoxam eccleſiam rediit.* 459. C. Vivebat adhuc anno 764. quo ſimul cum Theodoro Antiocheno, & altero Theodoro Hieroſolymitano Patriarchis, Coſmam Epiphaniæ præſulem Iconoclaſtam factum, die ſacro Pentecoſtes, ſingulis in propria ſede reſidentibus, anathemate feriit, teſte eodem Theophane, *pag.* 364. Vivebat etiam fortaſſis an. 767. quo Conſtantinus ſedis Romanæ invaſor miſit ad Pipinum Regem Franciæ epiſtolam, quam tres præfati Patriarchæ communiter ad Paulum I. Papam eo anno defunctum, pro ſacris imaginibus direxerant. Sedit proinde Coſmas ille longè ultra 28. annos ejus regimini aſſignatos ab Eutychio Alexandrino. 459. B. *Vide* Theodorum I. Hieroſolymitanum Patriarcham, *col.* 291. B. *voluminis ſequentis.*

Chaïl *ſive* Michael I. Coptis Patriarcha XLVI. poſt altercationem per decem dies epiſcopos inter & preſbyteros ſectæ Jacobiticæ, Theodoro Patriarchæ ejuſdem ſectæ ex præfecti Ægypti licentia ſuffectus eſt & ordinatus anno Martyrum 458. (460. Bollandianis, * 79. *num.* 420. ex hiſtoria Patriarcharum & Elmacino,) Chriſti 743. die 14. Septemb. Sub ipſo diviſa iterum eccleſia Jacobitica Antiochena ab Alexandr. Obiit Chaïl iſte anno 24. ſui regiminis, 459. E. (juxta Bollandianos, 80. * *num.* 424. Chriſti 767. die 12. Martii.) Ejus epiſtolam ad Joannem Antiochenum Patriarcham citat Aſſemanus, *to.* 1. *Bibl. Orient.* inter Codices Arabicos Romam advectos, *p.* 625. §. XXIII. *col.* 1. *n.* 18. legendus quoque *tom.* 2. *p.* 110. *col.* 2. ad annum Chriſti 755.

Athanaſius, nullus hujus nominis Melchita ſedit Alexandriæ ſæculo VIII. ante ſynodum VII. generalem. 461. B.

XLVII. Politianus itaque Melchita, quem Eutychius Alexandrinus *Balatianum* appellat, & ordinatum ait anno 4. Abujaſar, id eſt Chriſti 757. quo tamen ſedebat, & ſedit adhuc decem circiter annos Coſmas Melchita ſupra memoratus, hunc excepit, ſed non ante an. 766. aut 767. Ipſum medicinæ peritum fuiſſe perhibet, ſibique Aaronis Raſchid Califæ ſic conciliaſſe benevolentiam, ſanatâ quam illè diligebat puellâ graviſſimo morbo, ut Melchitis iterum reddi eccleſias obtinuerit, quas illis iterum Jacobitæ ſubduxerant. Thomam is monachum miſit Conſtantinopolim vices ſuas acturum anno 787. in ſynodo VII. generali. Præfuit, ex eodem Eutychio, an. 46. mortuus an. 16. Califatus præfati Aaronis, Chriſti 801. 461. D. Quæ vera eſſe non poſſunt, niſi demptis decem circiter annis ab illis 46.

Minas *ſive* Mennas I. Coptis Patriarcha XLVII. Chaïl ſucceſſor, delatus apud Califam à quodam Petro diacono, quod chimica arte eccleſias vaſis aureis & argenteis repleſſet, per triennium ſua ſede privatus eſt, quam invaſit Petrus præfatus. Obiit Minas anno 775. die 25. Januar. 462. C.

Joannes, quem IV. & Patriarc. XLVIII. Copti numerant, Minam excepit, electus per *ſortes* tunc primùm uſurpatas propter diſſidentia vota, quæ dein, non Jacobitis ſolùm, ſed & Neſtorianis familiares. Has *Heikeliet* dicunt, id eſt ad altare ſumptas: tribus ſcilicet candidatorum nominibus in totidem ſchedulis ſcriptis, is, Deo dirigente, proclamatus cenſebatur, cujus ſchedulam ex urna ſuper altare poſita infans primò trahebat. Sedit annos 25. mortuus anno Martyrum 515. Chriſti 799. die 11. Jan. Ipſum perperam Kirkerus cum S. Joanne Eleemoſynario confudit. 462. D. Epiſtolam ejus ſynodicam ad Cyriacum Patriarcham Antiochenum Jacobitam citat Aſſemanus, *tom.* 1. *Bibl. Orient.* inter Codices Arabicos. *p.* 625. *col.* 1. §. XXIII. *n.* 14.

Marcus II. Coptis Patriarcha XLIX. Joannis ſucceſſor, ordinatus anno 799. die 27. Jan. *Abrahamæos* cujuſdam Abrahami metropolitæ ſub ſede Antiochena aſſeclas damnavit. Barſanuphianorum reliquias ad ſuam communionem reduxit. Obiit tandem anno Martyr. 535. Chriſti 819. (die Paſchæ 17. April.) 463. C. D. Ejus meminit Aſſeman. *tom.* 1. *Bibl. Orient.* inter Codices Coptic. *p.* 618. §. XIV. *col.* 2. & *tom.* 2. *pag.* 346.

XLVIII. Euſtathius, Politiano ſubſtitutus à Melchitis an. 16. Aaronis Raſchidi, id eſt Chriſti 801. ſedit quatuor annos, mortuus ſubinde anno 805. 464. A.

Jacob *ſive* Jacobus, Coptis Patriarcha L. Marco fortaſſis ſuffectus anno 709. die 1. Maii, (ut conjiciunt Bollandiani, *pag.* 86. *

Digitized by Google

n. 452.) obiit anno 830. die 8. Febr. fer. 3.
Eo Patriarchatum gerente, Macarius quidam
ipſius conſanguineus Hieroſolymis eccleſiam
pro Cophtis ædificavit. 464. C. Ejus meminit
Aſſeman. tom. 2. Biblioth. Orient. p. 346.
XLIX. Chriſtophorus orthodoxus Euſtathium
excepit anno 805. Is quùm in gravem adeo
paralyſim lapſus eſſet, ut hominum manibus
geſtari indigeret, quemdam Petrum à ſe con-
ſtitutum epiſcopum commiſit qui ſacras ordi-
nationes vice ſua perageret. Idem anno circiter
830. Theophilo Imperatori, unà cum Joho
Antiocheno, & Baſilio Hieroſolym. Patriar-
chis, pro ſacris imaginibus epiſtolam ſcripſit,
in qua Jobus pro Chriſtophoro poſitus eſt, &
vice verſa. Obiit anno circiter 836. ſui regi-
minis trigeſimo ſecundo. 465. C.
Simon ſive Simeon II. Coptis Patriarc. LI.
electus anno 830. abdicavit fortaſſis eodem
anno die 30. Septemb. nam de duratione ejus
regiminis non conſtat inter Scriptores, illi aliis
menſes aliquot aſſignantibus, aliis annum aut
annos aliquot. 466. B. ubi lin. 24. pro 336.
legendum eſt 836. (& melius 830.).
Juçab ſive Joſephus, Simoni ſubſtitutus poſt
multas altercationes, probabiliter anno 830.
die 19. Nov. obiiſſe fertur anno Martyrum
566. Chriſti ſubinde 849. die 20. Octobr.
466. C. D. & 467. A. ubi lin. 28. C. pro
859. legendum eſt 849. Joſephum hunc ante
an. 835. ſedem Jacobiticam Alexandrinam
tenuiſſe colligitur ex Gregorio Bar-hebræo,
apud quem, teſte Aſſemano, tom. 2. Bibl.
Orient. p. 847. col. 1. Dionyſius Telmaha-
renſis Patriarcha Jacobitar. ſedis Antiochenæ
refert in ſuo Chronico, idque ante præfatum
annum 835. ſe unà cum Joſepho iſto Alexan-
drino Patriarcha profectum eſſe, ut Byamitas
inferioris Ægypti incolas ad Mamonis Califæ
obedientiam revocaret. Coptis Patriarcha eſt
LII.
L. Sophronius I. orthodoxus, poſt Chriſtopho-
rum electus an. 836. Scripſit ad Theophilum
Imperatorem pro ſacrarum imaginum cultu.
Obiit anno 847. vel etiam ſerius, quùm ab
ipſo ejuſque ſucceſſore Michaele, proſcripti
referantur Photius & Gregorius Syracuſanus
in breviario ſynodi VIII. generalis. 467. D.
Chaïl ſive Michael II. Coptis Patriarcha
LIII. Juçabi ſive Joſephi ſucceſſor, ordinatus
die 20. Novembr. anni 849. ſedit annum
unum & menſes quinque, mortuus an. 851.
die 17. April. 469. C. ubi lin. 26. pro 850.
legendum eſt 849. & lin. 38. pro 581.
legendum eſt 851.
Coſmas II. Coptis Patriarcha LIV. Chaili
ſuffectus anno 851. die 8. Jul. ob graviores
ærumnas Chriſtianis à præfecto Ægypti illatas,
Alexandria receſſit, ſedemque fixit Demiræ,
ubi obiit anno 859. die 17. Novemb. 469.
D. col. autem ſeq. 470. A. lin. 13. pro 367.
legendum eſt 567. & lin. ſeq. 14. pro 861.
legendum eſt 851. Hunc obiiſſe anno 858.
die 17. Novemb. ſtatuunt Bollandiani, initio
tomi V. Jun. 88.* num. 465. Ejus meminit
Aſſeman. tom. 2. Bibl. Orient. p. 126. &
p. 348. Item tom. 1. pag. 625. Cod. Arab.
§. XXIII. num. 19.
LI. Michael I. orthodoxus, poſt Sophronium
electus, ſedebat quùm Bernardus Francus ſub
Nicolao I. Romano Pontifice in Orientem iter
arripuit. Joſephum archidiaconum miſit ad
ſynodum VIII. generalem vices ſuas acturum.
Obiit anno 871. aut 872. 470. B.
Sanutius ſive Sanitius I. Coptis Patriarcha
LV. Coſmam II. in ſede Coptica Alexandrina
excepit an. Martyrum 575. 13. menſis Tybi
ſive Tubæ, id eſt anno Chriſti 859. die 8.
Januarii, cujus ſubinde prædeceſſor obierit
anno 858. uti ſupra cenſuerunt Bollandiani.
Sedit annos 11. mortuus anno 870. die 19.
April. 471. D.
LII. Michael II. Gazenſis, orthodoxus, Mi-
chaeli I. ſuffectus anno 871. aut 872. in
Actis ſynodi Photianæ anno 879. habitæ,
legitur, ceu qui per Coſmam preſbyterum
legatum ſuum ejus depoſitionem in ſynodo
VIII. generali factam damnaverit, & reſtitu-
tionem in illa totis viribus promoverit, de
quibus tamen fides eſto penes Photium ipſum
horum Actorum, ut eruditis videtur, confi-
ctorem. 472. B. Is Michael veroſimiliter
Joannes etiam appellabatur, nec alius eſt ab
illo Joanne Baimæ aut Majumæ, quæ Gazæ
portus & emporium fuit, epiſcopo tranſlato
Alexandriam ſub imperio Baſilii Macedonis,
lib. 4. Juris Græco-Rom. cap. de Tranſlatio-
nibus Epiſcoporum, & apud Niceph. Calliſt.
lib. 14. hiſt. cap. 39. 473. D. Sedit Ale-
xandriæ annos 34. mortuus anno 903. vel
904. 474. A. Joannes iſte omiſſus eſt inter
epiſcopos Majumæ prope Gazam, in volu-
mine ſequenti, ubi, poſt titulum V. Coſmas,
titulo VI. recenſeri debuerat col. 626. ante
eccleſiam Joppes. Item in indice præſulum
Græcorum Patriarchatus Hieroſolymitani, p.
x. col. 1. poſt Joannem Gazæ, lin. 35.
Chaïl III. Coptis Patriarcha LVI. cujus
epiſtolam ad Joannem IV. Patriarcham Antio-
chen. Jacobitam an. Chriſti 910. electum citat
Aſſemanus, tom. 1. Bibl. Orient. inter Codd.
Arabic. p. 625. col. 1. §. XXIII. n. 18.
& tom. 2. pag. 349. col. 2. n. 25. Sanutio
ſucceſſit anno Chriſti 880. Vixit in Patriar-
chatu 25. aut 27. annos, fato functus anno
906. aut 907. die 15. Februarii. 474. B.
Bollandiani autem initio tomi V. pag. * 89.
nn. 470. & 471. eum ordinatum volunt
anno 870. menſe April. & obiiſſe anno 896.
Verùm, ex epiſtola modò laudata, oportet
hunc Chaïl adhuc in vivis fuiſſe anno 910.
LIII. Chriſtodulus Alepenſis, vacante à quatuor
circiter annis ſede Melchitica Alexandrina
Hieroſolymis inauguratus anno 900. à ſuis
admiſſus non eſt, ex Eutychio, niſi repetitis
conſecrationis precibus. Eccleſiam Cæſaream
incendio conſumptam reparavit. Obiit anno
932. aut initio anni ſequentis. 474. D.
Gabriel, Coptis Patriarcha LVII. poſt
vacationem ſedis Copticæ per plures annos,
Patriarcha electus anno Hegiræ 301. Chriſti
913. ordinationes, nonniſi ſoluto pretio,
fecit, ut ipſe ſolvendo tributo par eſſet: dena-
rium quoque à laïcis, etiam mulieribus &
pueris exigebat. Obiit anno Chriſti 923. die
15. Febr. 476. A. B. Bollandiani, p. 90.*
nn. 476. 477. admiſſa poſt mortem Chaïl
anno 896. die 16. Mart. ſecundùm ipſorum
computum annorum 14. vacatione, Gabrie-
lem probabilius promotum cenſent anno 910.
ſediſſe annos circiter 16. & deceſſiſſe an. 926.
die 15. Febr. fer. 4.
Coſmas III. Coptis Patriarcha LVIII.
Gabrieli ſucceſſit anno 923. (aut 926.) Is
Æthiopiæ Habeſſinis Petrum quemdam mo-
nachum in metropolitam dedit quo diu carue-
rant, ita ut rex illorum ſacerdotis interim mu-
nere fungeretur. Obiit an. 934. die 27. Jan.
476. C. Bolland. 90.* n. 478. ſedit annos
12. cum totidem diebus, à die 15. Februar.
anno 926. ad diem 27. ejuſdem menſis, anno
938. Duas ejus epiſtolas, ſcilicet ad Joannem
& ad Baſilium Antiochenos Jacobitarum Pa-
triarchas, citat Aſſeman. tom. 1. Bibl. Orient.
inter Codices Arabicos Romam advectos, p.
625. §. XXIII. col. 1. nn. 12. & 20.
Item tom. 2. pag. 126. col. 1.
LIV. Eutychius, orthodoxus, Annalium Ara-
bicorum ſcriptor, (minimè certe accuratus, ut
nihil plus dicam,) à natalibus quidem dictus
Said ebn Batrich, id eſt, Said filius Patricii,
ſed Eutychius vulgò appellatus, mutato no-
mine Arabico Saïd in illud Græcè idem ſigni-
ficans, primam lucem aſpexit an. Chriſti 876.
die 8. Septembr. Chriſtodulum excepit anno
933. die 8. (fortaſſis 14.) Febr. obiit demùm
anno 940. die 12. Maii. 476. D.
Macarius, Jacobita, Coptis Patriarcha LIX.
Coſmæ III. ſubſtitutus anno 934. ſedit 20.
annos completos, mortuus anno 954. die 20.
Martii. 475. D. Hunc anno 938. die 28.
Febr. ordinatum ſcribunt Bollandiani, pag.
90.* col. 2. nn. 481. 482. obiiſſe verò
an. 958. die 20. Mart. ſabbato, qua ratione,
inquiunt, omnia in hiſtoria aſſignata aptiſſimè
concordant. Aſſemanus, tom. 2. Bibl. Orient.
pag. 131. refert extare in libro quem Paulus
Ebn-Regia de Fide Patrum ſcripſit, fol. 276.
epiſtolam ſynodicam Macarii LIX. Copto-
rum Patriarchæ, qui apud Severum Mokaf-
fæum in hiſtoria Alexandrina ab anno Marty-
rum 649. ad annum 669. hoc eſt ab anno
Chriſti 933. ad annum 953. ſediſſe dicitur.
LV. Sophronius II. orthodoxus, ſedit poſt Eu-
tychium, deinde
LVI. Iſaac, cui ſuffectus eſt
LVII. Job. Ex duplici laterculo Patriarcharum
Melchitarum Cahira tranſmiſſo. 975. E.
Theophanius, Jacobita, Coptis Patriarcha
LX. in Macarii ſucceſſorem electus eodem die
quo ille obierat; quatuor annos & plures
menſes ſedit, à ſuis interemptus anno 958.
die 3. Decemb. 476. A. Bollandianis, p.*
91. col. 1. nn. 484. 485. ordinatus eſt anno
958. die 21. Martii, obiit verò anno 962.
die 6. Decemb.
LVIII. Elias, orthodoxus, Jobum prædeceſſo-
rem habuit, ex præfato laterculo. Præerat
autem Melchitis anno 969. die 23. Aug. quo
ejus ut actu ſedentis meminit Joannes Patriar-
cha Antioch. Jacobitarum in epiſtola quadam
ad Mennam Patriarcham Alexandrinum Cop-
titam, apud doctiſſimum Aſſemanum, to. 2.
Biblioth. Orient. pag. 133. Nihil aliud de eo
ſcimus. 476. C.
Menas ſive Minas II. monachus cœnobii
ſancti Macarii, Coptis Patriarcha LXI. modò
memoratus, reluctans, & catenis vinctus Ale-
xandriam ductus eſt, ut Theophanio mortuo
ſuccederet. 476. E. col. autem ſequenti, quæ
malè inſcribitur 479. legendum eſt linea 1.
non 1289. ſed 1280. & lin. 2. non 968.
ſed 969. Hunc præfati Bolland. pag.* 91.
col. 2. nn. 487. & 488. ordinatum ſtatuunt
an. 962. die 7. Decemb. (quod vix credibile
eſt, ſi Theophanius obierat, uti ipſimet aſſe-
runt, die præcedenti,) mortuum verò anno
974. die 11. Nov. fer. 4. At illum adhuc
vixiſſe aut ſaltem vivere exiſtimatum in Syria
anno 980. palam eſt ex Codice Syriaco plures
Tractatus variorum Auctorum continente,
exarato anno Græcor. 1291. (Chriſti 980.)
in cœnobio S. Aaron in Sigara ditionis Calli-
ſuræ ſub Patriarchis Joanne Antiocheno &
Mina Alexandrino Jacobitarum, quem citat
Aſſeman. tom. 2. Bibl. Orient. inter Codices
Syriac. Romam advectos, §. XXII. p. 500.
col. 1. Severus Mokaffæus in ſua hiſtoria Me-
nam aſſerit præfuiſſe annos 17. & dies 340.
teſte eodem Aſſemano, ibid. p. 132. col. 1.
qui etiam à pag. 133. col. 1. uſque ad 140.
col. 1. refert epiſtolam præfati Joannis Antio-
cheni ad hunc Minam, datam anno Chriſti
969. die 23. Aug. & tom. 1. inter Codices
Arabicos, §. XXIII. p. 625. col. 1. n. 24.
epiſtolæ meminit iſtius Minæ ad prædictum
Joannem Antiochenum.
Ephræm ſive Abrahamus, Coptis Patriarcha
LXII. ex negotiatore Syro evectus eſt ad Pa-
triarchatum an. Martyrum 693. Chriſti 977.
Sedit verò annos ferè quatuor, veneno extin-
ctus. 479. B. Bollandiani, p. 92.* col. 1.
num. 489. rejecto Elmacini computu, quem
defectuoſum demonſtrant, ſanciunt, n. 490.
throno Jacobitico, à Mennæ obitu per annum
integrum vacuo, præfectum eſſe anno 975.
die 12. Novembris hunc Abrahamum ſive
Ephræm, qui obierit anno 979. die 26. Jan.
[Verùm, ex ſupra dictis, Ephræm iſte nec
ordinatus eſt, nec obiit ante an. Chriſti 980.]
Philotheus ſive inverſis litteris, Theophilus,
hujus nominis II. & Elmakino Philopenus,
Coptis Patriarcha LXIII. poſt vacationem
ſex menſium ſedis Jacobiticæ Ephræmio ſuf-
fectus anno Martyrum 697. Chriſti 981.
obiit anno Martyrum 721. Chriſti 1005.
479. D. Aſſemanus, tom. 2. Bibl. Orient.
pag. 141. col. 2. excerptum refert epiſtolæ
ſynodicæ, (non Dionyſio, ſed ut ipſemet ſe
retractando ait, p. 351. col. 1.) Athanaſio
Jacobitarum Antiocheno Patriarchæ, ab e
Philotheo ſcriptæ menſe Barmuda, anno a
Incarnat. 979. juxta computum Alexandri-
norum, qui octo annis æram vulgarem præ-
cedit, ſubindeque anno 987. Bollandiani
p. 92.* col. 2. n. 493. Philotheum ſcribunt
ordinatum fuiſſe anno 979. die 29. Mart.
obiiſſe ſabbato die 30. Octobr. anni 100
Addunt etiam, n. 496. ſic oppoſita boni
mali tribui Philotheo iſti & Philopono à C
tis, ut dubitandi locus ipſis eſſe videatur
non ſint duo homines, quorum poſtremo,
licet Philopono, à Califa forte intruſo alter

Digitized by Google

ſubſtituerint: juxta quod legitur in Hagiologio Habeſſinorum de Philotheo: *Salutem tibi, Philothee Apoſtole, Patriarcha Alexandrine! cum Æthiopibus præfeciſſent impoſtorem, ita ut eſſent ludibrio vicinis & præda hoſtibus; ſub tuo regimine, remoto illo, reſpiravit Æthiopia.*

LIX. Arſenius, cujus ſororem, licet chriſtianam, Azizus Billah Califa Ægypti in uxorem duxit circa annum 984. factus eſt ab eo, (non verò ab Hakemo ejus filio immani Chriſtianorum hoſte,) Patriarcha Alexandr. pro Melchitis, ejuſque frater Hieremias Patriarcha Hieroſolymorum. Arſenio etiam conceſſit idem Azizus eccleſiam Beatæ Mariæ in vico Abulhuſſeim poſitam, quæ deinceps *Patriarchulis* nomen habuit. 480. A. *& volum. ſequenti*, ubi de Hieremia. 474. A.

Zacharias, Coptis Patriarcha LXIV. poſt Philothei obitum, repulſo ab epiſcopis *Abrahamo* ditiſſimo mercatore, cui plebs Alexandrina Jacobitica favebat, ordinatus menſe Tybi ſeu Januario, ſeptem primis annis tranquillè ſedit, ſed poſtea in carcerem conjectus eſt, ac poſt tres menſes leonibus objectus, à quibus tactus non fuit. Carcere demiſſus, 9. annos delituit in monaſterio S. Macarii, inde redire permiſſus, obiit anno ſui regiminis 28. ferè completo, Chriſti 1032. 480. B. Bolland. *initio tom. V. Jun. p.* 93. * *col.* 1. *n.* 499. eum aſſerunt Philotheo ſuffectum an. 1004. die 5. Januar. mortuum verò anno 1032. die 3. Januar. Ejus meminit Aſſemanus, *tom.* 1. *Bibl. Orient.* inter Codices Syriacos, *p.* 614. §. XV. *col.* 1. *Item* duplicis ejus epiſtolæ ad Joannem Antiochenum inter Codices Arabic. *ibid. pag.* 626. *col.* 1. §. XXIII. *nn.* 33. & 34. quarum priorem ait, *tom.* 2. *p.* 151. *col.* 2. ſcriptam fuiſſe anno 403. Hegiræ, qui inceperat die 23. Jul. anni Chriſti 1012.

LX. Georgius, Melchita, [idem fortaſſis ac *Philotheus* ſive *Theophilus* qui legitur apud Doſitheum Hieroſolymorum Patriarcham, arbiter ſelectus dum Conſtantinopoli ageret anno circiter 1019 Imperatorem Baſilium Porphyrogennetum inter & Sergium Patriarcham: ex quo *Judex orbis* dictus eſt.] Arſenio ſucceſſit. 480. E.

Sanutius II. ſive *Sanodius*, & *Sanuda*, Coptis Patriarcha LXV. Zachariæ ſubſtitutus pro Jacobitis, præfuit quindecim annis, mortuus anno Chriſti 1047. die 29. Octobris. 481. C. D. Hunc Bollandiani ſcribunt, *p.* 94. * *col.* 1. *nn.* 403. & 504. ordinatum fuiſſe anno 1032. die 19. Mart. obiiſſe autem anno 1046. die 29. Octobris. Duarum ejus epiſtolarum annis 1035. & 1036. ad Dionyſium V. Patriarcham Jacobitam Antiochiæ meminit Aſſeman. *tom.* 1. *Bibl. Orient.* inter Codices Arabic. *p.* 625. *col.* 1. §. XXIII. *nn.* 35. & 36. & *tom.* 2. *p.* 151. *col.* 1.

LXI. Alexander II. idem fortaſſis ac *Leontius*, Melchita, ſediſſe fertur, ex ſchedis quibuſdam Sanmaglorianis Lutetiæ, anno 1059. 481. E. cui

LXII. Joannes III. ſucceſſit. 482. A. Huic verò

LXIII. Sabas, de quibus nihil aliud. *Ibid.* D.

Chriſtodulus *ſive* Chriſtodorus, Jacobita, Coptis Patriarcha LXVI. monachus cœnobii Primi in valle Habib, Sanutium excepit, ordinatus Alexandriæ anno 1047. Obiit anno 1077. aut 1078. die 10. April. ſabbato. 482. B. Bollandianis, *p.* 94. * *col.* 2. *num.* 505. poſt vacationem ſedis Jacobiticæ per annum & quinque menſes à Sanutii interitu, ex Elmacino, *lib.* 3. *cap.* 7. ordinatus eſt Chriſtodulus anno Martyrum 764. Chriſti 1048. die 28. Mart. Obiit autem anno Martyrum 764. Chriſti 1077. die 10. Decemb. Duæ citantur, *tom.* 1. *Bibl. Orient.* Aſſem. inter Codices Arabicos Romam advectos, *p.* 625. §. XXIII. *col.* 2. *nn.* 40. & 41. epiſtolæ ab eo directæ ad Joannem XI. Patriarcham Antiochenum Jacobitam: & ſubjungitur, *n.* 42. unam ex tribus hujus Joannis ad Chriſtodulum epiſtolis, lectam fuiſſe in eccleſiis B. V. & S. Sergii, an. Martyr. 782. Chriſti 1066. Chriſtoduli rurſum meminit idem Aſſemanus, *tom.* 2. *pp.* 145. 149. 131. *col.* 1. & 133. *col.* 1.

Cyrillus II. Coptis Patriarcha LXVII. Chriſtodulo ſuffectus anno 1078. die 18. Martii. Metropolitam Æthiopibus dedit à ſe ordinatum. Catholicum etiam Armenorum Gregorium ad ſuam communionem recepit. Obiit demùm anno Martyrum 808. Chriſti 1092. die 6. Jun. 482. D. Juxta Bollandianos, *pag.* 95. * *col.* 1. *n.* 509. ordinatus eſt an. quidem 1078. ſed dominica Palmarum, die 1. Aprilis. Cætera ut modo.

LXIV. Theodoſius, Melchita, 483. C. cui ſuffectus eſt

LXV. Cyrillus II. itidem Melchita, medicinæ peritus. 484. B.

Chaïl *ſive* Michael III. Coptis Patriarcha LXVIII. monachus cœnobii poſiti prope Siniatum, quarto menſe à Cyrilli obitu electus Patriarcha Jacobitarum anno Martyrum 809. die 9. Oct. Chriſti 1093. (vel potius 1092.) ad Æthiopiæ regem miſſus eſt à Califa, ut diverticulum aquarum fluminis Nili claudere tur, quod ejus precibus factum. Obiit anno 1102. die 25. Maii. 483. D.

Macarius II. Coptis Patriarcha LXIX. Michaelem excepit anno Martyrum 819. Chriſti 1103. (melius 1102.) die 9. Novembris. Obiit anno Martyrum 845. Chriſti 1129. 484. D. Hunc obiiſſe anno Chriſti 1128. die 19. Decemb. aiunt Bollandiſtæ, *p.* 96. * *col.* 1. *num.* 516.

LXVI. Eulogius II Melchita, ſæculo XI. labente, (vel initio XII) ſedebat. Adverſus Bogomilorum hæreſim ſcripſit ſub Alexio Comneno, cujus juſſu Baſilius hujus conditor flammis an. 1118. adjudicatus eſt. 485. A B.

Gabriel II. Coptis Patriarcha LXX. poſt duos annos & totidem menſes à Macarii obitu, ordinatus eſt Patriarcha anno Martyrum 847. Chriſti 1131. die 3. Februar. Canones complures edidit. Migravit ex hac vita anno Martyr. 862. Chriſti 1146. die 5. April. 485. B. C. Mortem ejus aſſignant Bolland. 96. * *col.* 2. *n.* 521. ad annum Martyrum 861. Chriſti 1145. die 5. Aprilis, quæ illo anno erat fer. 5. ante dominicam Palmarum. Meminit Aſſemanus, *tom.* 1. *Biblioth. Orient* inter Codices Arabicos Romam advectos, *p.* 619. *col.* 2. § III. *nn.* 19. 20. & 21. Canonum |XXII. item X. & Tractatûs *de hæreditate* Gabrielis Patriarchæ Alexandrini, qui iſte probabiliter fuit.

Chaïl *ſive* Michael IV. Jacobita, Ebn ſive filius Dakali, Coptis Patriarcha LXXI. electus per ſortem, de qua ſupra ſub Joanne IV. Jacobita, ordinatus fuit anno Martyr. 862. Chriſti 1146. die 29. Julii. Obiit verò anno ſequenti nono pontificatus menſe. 485. E. Hunc Bollandiani, *p.* 97. * *col* 1. *n.* 544. creatum Patriarcham ſcribunt anno Martyrum 861. Chriſti 1145. die 5. Julii, mortuum autem anno 1146. die 29. Mart. & ſedem poſtea vacaſſe anno uno ac diebus 70.

Joannes V. Coptis Patriarcha LXXII. ordinatus anno 1147. die 25. Aug. obiit anno 1164. vel 1167. die 29. April. Hic poſtremis vitæ ſuæ annis arcanam apud ſacerdotes aut diaconos confeſſionem abolevit, ejus loco ſtatuens ut thuribulo fumante unuſquiſque apud ſe culpas ſuas Deo confiteretur. 486. B. Bollandianis, *pag.* 97. * *col.* 2. *num.* 526. ordinatus eſt anno 1147. die 8. Jun. mortuus verò anno 1166. die 29. April. fer. 6.

LXVII. Sophronius II. Melchita, ſedebat anno Chriſti 1166. quo ad finem vergente Conſtantinopoli adfuit ſolemni nuptiarum benedictioni Mariæ Raymundi Antiocheni Ducis filiæ, Manueli Comneno Imperat. in uxorem traditæ, ex Cinnamo, *lib.* 5. *hiſt. n.* 7. 487. B. Sophronio autem ſucceſſit

LXVIII. Elias ſive *Alſierus*, nomine corrupto, anno circiter 1180. 487. C.

Marcus III. *Ebn-Abu-el-farag*, filius Zaraæ, Coptis Patriarc. LXXIII. Joannem V. excepit, ordinatus anno Martyr. 880. Chriſti 1164. Is Marcum Elkonbari filium, monachum, qui neceſſitatem confeſſionis ſecretæ propugnaverat adverſus Joannis V. de ejus abrogatione decretum, plurimùm vexavit. Obiit anno Martyrum 905. Chriſti 1189. die 1. Jan. 487. D. Juxta Bollandianos, *p.* 98. * *col.* 1. *num.* 528. *initio tom. V. Junii*, Marcus iſte Abulfaragi, filius Zaraæ, ſuffectus eſt die dominica Pentecoſtes 12. Jun. anno 1166. in quo omnia concordant. Et ſubdunt: *Ejus tempore, tranſiit Abbas Marcus filius Alkonbari* (Elkonbari) *ad Melchitas, quem ingens turba Bſameritarum ſequuta eſt, quem non multo poſt pœnituit, & reverſum noluit Patriarcha ſuſcipere.* Obiit Marcus Patriarc. anno 1189. die 1. Januar. poſt annos 22. & dies 205. regiminis. De controverſia modò memorata circa confeſſionem peccatorum ſecretam legendus Aſſemanus, *tom.* 2. *Biblioth. Orient. pag.* 155. *col.* 1. *p.* 366. *col.* 2. & 367. *col.* 2. maximè autem *p.* 171. *col.* 2. ubi recenſens librum quemdam Dionyſii Bar-Salibæi Metropolitæ Amideni Jacobitæ ſub ſede Antiochena, continentem *Canones de modo recipiendi pœnitentem in Sacramento confeſſionis*, ait: *Et hunc quidem Tractatum Bar-Salibæus*, (qui vivebat adhuc anno 1207.) *eo ferè tempore edidit, quo Marcus Zaraæ filius ſeptuageſimus-tertius Coptorum Patriarcha, ejuſque ſucceſſores Joannes filius Abigaleb, & Cyrillus Laclac, pœnitentialem diſciplinam per Ægyptum proſcribere conabantur. Quibus non modo reſiſtere in Ægypto Marcus filius Alconbari, & Ebnaſſali fratres duo, aliique; verùm etiam in Syria ſeſe oppoſuerunt Bar-Salibæus, & Michael Jacobitarum Patriarcha* (Antiochenus.) Et infra: *Nullus ambigendi locus relinquitur confeſſionis auricularis diſciplinam apud Orientales nationes non modò catholicas, verùm etiam hæreſi aut ſchiſmate infectas, ſi Coptos excipias, ſacroſanctam ſemper fuiſſe* Quin nec ipſos quoque Coptos excipiunt laudati Bollandiani: aiunt enim, *pag.* 145. * *col.* 1. *num.* 212. *confeſſionem auricularem*, teſte Bernato, *etiamnum revera Coptis in uſu eſſe, tam exploratum haberi, ut nihil eſſe poſſit exploratius; tam unanimem* (extare) *ſacerdotum & laïcorum conſenſionem, quos ea ſuper re interrogavit idem Bernatus, ut in nullo alio puncto controverſo magis concors fuerit Coptorum omnium ſententia: imo tam exactam ab iis fieri peccatorum explicationem, ut quod ferè Schiſmaticis aliis inſolitum eſt, Copti & eorum diverſas ſpecies, & numerum, quoad fieri poteſt, explicare conſueverint.* Fatentur quidem, *num.* 213. ex memorato Bernato, *rarius Coptos confeſſione peccata expiare*, ſed hujus cauſam, poſt eundem Bernatum, aſſerunt, *n.* 215. *Supinam, quæ tota Ægypto dominatur, ignorantiam.* Scilicet *ſacerdotes indocti & victu quæritando occupati, exiguam plebis curam gerunt..... Adde quod pœnitentiæ tribunalia more noſtro in eccleſiis non exponantur, adeoque confeſſio, non in templo, ſed domi propriæ ſit facienda, quo proinde ſacerdotes confeſſarios accedere oportet. Solent autem Schiſmatici omnes à confeſſione expiatis ſtipendium exigere.... quùm verò plerique Chriſtiani pauperes ſint, facilè negliguntur.* & *n.* 216. *Fœmineus ſexus, ut toto paſſim Oriente, ita in Ægypto, ad eam ſervitutem reductus eſt, ut eis confeſſarios alloquendi vix concedatur facultas.* Demùm, neminem obligant Copti & Habeſſini ad ſuſcipienda pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta, *niſi tunc primùm dum matrimonio copulantur, n.* 217. *haud dubiè quod innocentiam puerilem ad eos uſque annos producant.* Ludolfus enim de Habeſſinis tradit, *lib.* 3. *c.* 6. *n.* 57. *pueros in Æthiopia cenſeri innocentes, donec annum 25. attigerint, nec ante id tempus Sacramentis aſſueſcere....* ita ut juniores diaconi apud Coptos, licet *toties communicent quoties rei ſacræ inſerviunt*, non tamen *confiteantur peccata, niſi compleverint annos diſcretionis.* Hæc obiter annotare pretium duxi de hodierna Coptorum circa Sacramentum pœnitentiæ diſciplina.

LXIX. Marcus II. Melchita, ſedebat an. 1195. quo dubia quædam Balſamoni Patriarchæ Antiocheno Melchitæ propoſuit. 488. A.

Joannes VI. *Abulmeged*, filius Abulgaleb ſive Abi-Galeb, Coptis Patriarcha LXXIV. Marco filio Zaraæ ſucceſſit anno 1189. die 5. Febr. Is regi Æthiopiæ metropol. conceſſit, diem verò obiit ſupremum anno Martyr. 932. Chriſti 1216. die 7. Jan. Ejus exequiis nullus adfuit epiſcopus Jacobita, ſed ſolùm epiſcopus Melchitarum. 489. C. Hunc Joannem

Digitized by Google

ordinatum eſſe die 29. Jan. ſcribunt Bolland. *initio tom.* 5. *Jun. p.* * 98. *col.* 2. *n.* 530. obiiſſe verò die 6. Januar. anno regiminis 27. ferè completo. Porro Joannes Joſue Patriarcha Jacobitarum ſedis Antiochenæ, teſte Aſſeman. *lib.* 1. *Bibl. Orient. pag.* 561. *col.* 2. inter Codices Nitrienſes, §. 11. & *tom.* 2. *pag.* 154. *col.* 1. & *pag.* 233. *col.* 1. ad eum legationem miſit an. Chriſti 1211. ipſe autem Joannes initio ſui præſulatus ad Michaelem tunc Patriarcham Antiochenum Jacobitam, Petrum epiſcopum delegavit cum libello fidei ſuæ, quam probavit Michael, ejuſque nomen in cunctis ſuæ ditionis eccleſiis recitari juſſit. *tom.* 2. *pag.* 368. *col.* 2.

LXX. Nicolaus I. Melchita & orthod. Marcum Melchitam excepit. Summa ipſum inter & Innocentium III. ac Honorium III. Romanos Pontifices fuit animorum conſenſio, quæ mutuis ipſorum epiſtolis innoteſcit. Vivebat adhuc anno 1223. 490. B. Ipſi ſuffectus eſt

LXXI. Gregorius, Melchita, 491. E. & huic

LXXII. Nicolaus II. qui in vivis agebat anno 1260. *Ibid.*

Cyrillus III. antea *David*, filius Laklaki, Coptis Patriarcha LXXV. poſt vacationem ſedis Jacobiticæ ab obitu Joannis VI. filii Abulgaleb, ordinatus eſt anno Martyr. 951. Chriſti 1235. (die 17. Jun.) Metropolitam Hieroſolymorum ſuis Jacobitis creavit, unde inter ipſum & Ignatium Davidem Patriarc. Antiochenum Jacobitam ortæ ſunt lites. 492. C. Obiit anno 1243. die 10. Mart. Conjiciunt Bollandiani, *p.* 99. * *col.* 2. *n.* 532. ipſum in monaſterium aliquod ſe recepiſſe an. 1243. ibique diem clauſiſſe extremum anno 1251. die 14. Febr. ſede interim vacante per ſeptem annos & totidem ferè menſes. Aſſemanus, *tom.* 2. *Bibl. Orient.* inter Codices Arabicos Romam advectos, *p.* 619. §. 111. *col.* 2. *num.* 18. citat Cyrilli Laklaki canones XXXIV. *n.* 22. ejuſdem alios canones XII. *num.* 23. ejuſdem alios canones V. *num.* 24. Cairenſe concilium ſub ipſo habitum anno Chriſti 1241. *n.* 25. ejuſdem concilii canones alios. *num.* 26. ejuſdem Cyrilli canones alios IX. Denique *num.* 27. dialogum inter ipſum & Chriſtodulum Damiatæ epiſcopum. Diſſidii ejus cum Ignatio Davide, occaſione epiſcopi Hieroſolym. meminit idem Aſſeman. *tom.* 2. *pag.* 371. & *ſeqq.* Cyrillo ſucceſſit

Athanaſius III. filius Kalil, Coptis Patriarcha LXXVI. ordinatus anno 1251. obiit anno 1261. aut 1262. 493. B. Hunc ordinatum anno 1250. die 2. Octob. & mortuum anno 1261. die 27. Novembr. tradunt Bolland. *p.* 100. * *col.* 1. *n.* 539. Verum ſi *proceſſum non eſt*, ex iiſdem Bollandianis, *num.* 538. *ad ordinationem* hujus Athanaſii, niſi *morte* Cyrilli prædeceſſoris, (quam contigiſſe ſuſpicantur anno 1251. die 14. Februar.) *poſt ſeptem ferè menſes certò cognitâ*, qui abdicato vel diſparente Cyrillo anno 1243. die 10. Mart. ſequuta fuerit *vacatio annorum ſeptem, & menſium ſeptem minus tribus diebus*, ac ordinatus ſucceſſor Athanaſius *anno* 1250. *die* 2. *Octobris!* Id certè non capio.

LXXIII. Athanaſius III. Melchita, ſed ſchiſmati Græcorum, ut videtur, addictus, Nicolao II. ſuffectus eſt. Sedebat anno 1276. quo Conſtantinopoli morabatur. Vivebat adhuc anno 1308. 493. D. & 497. D. Aſſemanus, *tom.* 2. *Bibl. Orient.* inter Codices Græcos Romam advectos, *pag.* 513. *col.* 2. §. LV. meminit Codicis pervetuſti textum Prophetarum & in marginibus catenam Patrum continentis, dati huic Athanaſio ab Andronico Palæol. Imp. & utriuſque ſubſcriptione muniti.

Joannes VII. Abuſahid, Coptis Patriarcha LXXVIII. *bis præfuit*, utpote poſt Gabrielem III. quem Patriarcham LXXVII. numerant, ordinatus. *Gabrieli* enim ſors injecta ſavit, ſed ejus ordinationi ſic obſtitit Joannes, ut ordinatus ipſe fuerit anno Martyr. 978. Chriſti 1262. Annis tamen ſex & menſibus novem elapſis depoſitus eſt, & Gabriel in ejus locum ordinatus: quo pariter poſtea deſtituto, Joannes, Sultani juſſu, reſtitutus eſt anno Martyr. 987. Chriſti 1271. die 1. Januar. & in ſede obiit anno Martyrum 1009. Chriſti 1293. 496. B. De prima Joannis intruſione nullam faciunt mentionem Bollandiani, ſed vacaſſe aiunt ſedem Jacobiticam ab obitu Cyrilli III. ſex annis & undecim menſibus, *pag.* 100. * *col.* 1. *n.* 541. ipſum autem poſt Gabrielem recenſent, *ibid. col.* 2. *num.* 543. ut tunc conſtitutum Patriarcham, defuncto Gabriele, ordinatumque ſcribunt anno Chriſti 1271. die 11. Januarii, & mortuum anno 1293. die 22. Aprilis.

Gabriel III. itaque Joanni exauctorato ſuffectus eſt, & ordinatus anno Martyrum 985. Chriſti 1269. die 29. Octob. dejectus autem anno Martyrum 987. Chriſti 1271. die 1. Jan. eodem anno interiit. 496. B. Bolland. *pag.* 100. * *col.* 1. *n.* 541. hunc Gabrielem aſſerunt creatum anno Chriſti 1268. die 21. Octob. obiiſſe verò anno 1271. die 2. Jan. quùm ſediſſet annos duos, menſes duos & dies duodecim.

Theodoſius II. filius Zaabel, cognomento *Francus*, Coptis Patriarcha LXXIX. Joanni VI. ſucceſſit, ordinatus anno 1294. die 4. Jul. migravit ex hac vita an. 1300. *legendum* 1299. die 31. Decembr. 496. E.

Joannes VIII. filius Iſaaci-il-Kaddis, hoc eſt *Sancti*, ex *Minied-Buſis* ſive ex *Moniet-Kouſis* vel *Koukis*, Coptis Patriarcha LXXX. ordinatus anno Martyr. 1016. Chriſti 1300. die 28. Jan. obiit anno Marty. 1036. Chriſti 1320. 497. A. Bollandian. *p.* 101. * *col.* 1. *num.* 546. inſtitutus eſt anno 1300. die 8. Febr. & deceſſit anno 1320. die 29. Maii. Vacavit autem ſedes Jacobitica quatuor menſes, & totidem dies.

LXXIV. Gregorius II. Melchita, Athanaſio III. ſuffectus eſt poſt annum 1318. Hujus fœtus fortaſſis fuit epiſtola carmine Iambico *de Feſtis*, ad Theodorum Meſopotamiæ epiſcopum in Syria. 497. D. *Vide Aſſeman. tom.* 1. *Bibl. Orient.* in Codicibus Græcis, §. X. *p.* 602. *col.* 1. *med.*

Joannes IX. Coptis Patriarcha LXXXI. electus anno 1320. die 8. Septembr. obiit anno 1326. die 27. Martii. 497. E. Juxta Bollandianos verò, *pag.* 101. * *col.* 2. *num.* 549. obiit anno 1327. die 28. Mart.

LXXV. Gregorius III. Melchita. 498. B.

Benjamin II. Coptis Patriarcha LXXXII. ordinatus anno 1327. obiit an. 1339. 498. C. Hunc ordinatum die 10. Maii, mortuum verò die 6. Januar. citatis annis ſcribunt Bollandiani, *pag.* 101. * *col.* 2. *num.* 551.

Petrus V. Coptis Patriarcha LXXXIII. ordinatus anno 1340. die 2. Jan. deceſſit anno 1348. die 8. Julii. 498. D.

Marcus IV. Coptis Patriarcha LXXXIV. obiit anno 1363. die 31. Jan. 498. D.

LXXVI. Niphon, Melchita, ſedebat an. 1367. quo ejus, unaque Philothei Conſtantinopolitani, & Lazari Hieroſolymorum Patriarcharum litteris de unione eccleſiæ Græcæ cum Latina, reſpondit Urbanus V. Romanus Pontifex. 498. E.

Joannes X. Coptis Patriarcha LXXXV. ordinatus fuit anno Martyrum 1079. Chriſti 1363. non 1365. die 30. Aprilis. Dies autem mortis ejus ignoratur. 499. B.

LXXVII. Marcus III. Melchita, Niphoni ſucceſſit, de quo nihil aliud ſcimus. 499. C.

Gabriel IV. Abbas cœnobii Moharrak, Coptis Patriarc. LXXXVI. probabiliter Joanni X. in ſede Jacobitica ſuffectus eſt, obiit anno Chriſti 1378. 499. C. D. ubi *lin. ult.* pro 1092. *Chriſti* 1376. legendum eſt 1094. *Chriſti* 1378. ut exſtat apud Aſſeman. *ibid.* citatum: ſcilicet *tom.* 1. *Biblioth. Orient. p.* 623. *col.* 2.

LXXVIII. Nicolaus III. Melchita, Marcum excepit. 499. E. Nicolaum autem

LXXIX. Gregorius IV. itidem Melchita. *Ibid.*

Matthæus I. Coptis Patriarcha LXXXVII. poſt Gabrielem IV. præfuit. *Ibidem.* & poſt ipſum

Gabriel V. Coptis Patriarcha LXXXVIII. qui ritualem eccleſiæ ſuæ librum Sacramentorum emendavit, ſuaque auctoritate munivit anno Martyrum 1127. Chriſti 1411. *Ibid.*

LXXX. Philotheus, Melchita, ſedebat anno 1439. tempore ſynodi Florentinæ, in qua vices ejus gerens Antonius Heracleenſis metropolita, decreto Unionis ſubſcripſit: ſed Philotheus huic refragatus eſt. Vivebat adhuc anno 1450. quo in ſynodo quadam Conſtantinopolitana Florentinam proſcripſit. 500. A. Raynaldus tamen, *to.* 18. *Annal. ad annum* 1442. *n.* 8. refert litteras Philothei Patriarchæ Alexandrini ad Eugenium IV. quibus ſe unionem in ſynodo Florentina ſancitam admiſiſſe ſignificabat. An poſtea ad vomitum redierit! Deciſſo ejus unà cum Patriarchis Antiocheno & Hieroſolymit. lata adverſus ſynodum Florentinam citatur ab Aſſemano, *tom.* 1. *Bibl. Orient. pag.* 601. §. X. *col.* 2.

Joannes XI. de Mako, Coptis Patriarcha LXXXIX. qui anno Martyrum 1153. Chriſti 1438. Michaelem Elbouki Æthiopiæ metropolitam conſecraverat, litteras ſcripſit ad Eugenium IV. Romanum Pontificem, datas anno ab Incarnatione Chriſti 1440. quibus ejus communionem poſtulabat. 500. C.

LXXXI. Athanaſius IV. Melchita, Philotheo ſucceſſit. 500. E.

Matthæus II. Saïdenſis, Coptis Patriarcha XC. ultimus fuit qui ſacrum chriſma confecerit uſque ad annum 1703. teſte Bernato S. J. Sedebat an. Græcorum 1766. Chriſti 1455. die 24. Novemb. ex Codice Arab. eo anno conſcripto, cujus meminit Aſſeman. *tom.* 2. *Bibl. Orient.* inter Codices Arabicos, §. 4. *pag.* 509. *col.* 1. 501. A.

LXXXII. Marcus III. Athanaſium Melchitam excepit. 501. B.

Gabriel VI. Coptis Patriarcha XCI. antea Abbas monaſterii S. Antonii, poſt Matthæum (non Joannem) aſſumptus eſt. 501. C. & poſt ipſum

Michael *ſive* Chail V. Coptis Patriarcha XCII. filius Semelouti. *Ibid.*

LXXXIII. Philotheus II. *ſive* Theophilus, Melchita, Marco III. ſucceſſit. Sedebat anno 1523. quo litteras Adriano VI. Romano Pontifici ſcripſit, pro ejus communione obtinenda. 501. C. D.

Joannes XII. ſive *Yunes* Nekaddi, Coptis Patriarcha XCIII. Michaeli ſubrogatus eſt. *Ibid.* D.

LXXXIV. Gregorius V. Melchita, Philotheum II. excepit. *Ibid.* E.

Joannes XIII. Coptis Patriarcha XCIV. Miſra ſive Cairo oriundus, Joanni XII. ſucceſſit. *Ibid.* Is probabiliter fuit Alexandrinus Patriarcha Jacobitarum, cujus tempore, anno Græcorum 1795. Chriſti 1484. die 5. Jun. exaratus Codex quidam anaphora continens plurium Scriptorum legitur, *tom.* 1. *Biblioth. Orient.* Aſſemani, inter Codices Nitrienſes Romam advectos, *p.* 563. §. IV. *col.* 1.

LXXXV. Joachim, Melchita, pervenit ad annum ætatis 120. & amplius, per quorum 80. eſu carnium abſtinuit. Vivebat adhuc anno 1564. aut credebatur vivere. 502. A.

Gabriel VII. Miſcianenſis, Coptis Patriarcha XCV. Pii IV. Romani Pontificis, nuntios deluſit à quibus ad communionem Sedis Apoſtolicæ invitabatur. 502. D.

LXXXVI. Silveſter, Melchita, ſedebat anno 1574. nonnullis Græcorum Hieroſolymis & Conſtantinopoli ſynodis interfuit. *Ibid.* E.

Joannes XIV. Monfallutenſis, Coptis Patriarcha XCVI. ſedit annos 15. menſes 4. à Gregorio autem XIII. Romano Pontifice ad reconciliandam ſuam eccleſiam cum Latina invitatus, ad eum epiſtolam ſcripſit, quæ Sixto V. reddita eſt. 503. B.

LXXXVII. Meletius Piga *ſive* Pega, Melchita, ſchiſmati Græcorum addictiſſimus, Silveſtri ſucceſſor, ſæpius Conſtantinop. venit, cujus etiam ſedis non ſemel, quùm vacaret, dejecti frequenter illius Patriarchis, adminiſtrationem ſuſcepit. Inter cœtera ingenii ſui monumenta duas reliquit epiſtolas annis 1593. & 1594 exaratas, quibus ſanam Eccleſiæ de Euchariſtia doctrinam & *Tranſubſtantiationis*, μετουσίωσις, vocem confirmat. 503. C.

Gabriel VIII. Coptis Patriarcha XCVI Joannem XIV. excepit, ſeditque annos 1 Is anno 1593. ad Clementem VIII. R manum Pontificem litteras die 12. Novem ſcripſit; ejus etiam nomine, coram eo Papa, anno 1595. die 15. Jan. Barſus ar diac. Patriarchalis ab illo miſſus, profeſſio

integr

Digitized by Google

integram fidei catholicæ emiſit. 504. E. Aſſemanus, *tom.* I. *Bibl. Orient.* inter Codices Arabicos, *pag.* 625. §. XXIV. epiſtolam citat preſbyterorum, diaconorum, & populi Miniet-Amri in Delta Ægypti, ad Gabrielem Alexandrinum Coptorum Patriarcham, de Paſchate, & Kalendario novo, ſcriptam anno Martyrum 1311. Chriſti 1595.

LXXXVIII. Cyrillus Lucaris, Melchita, poſt mortem Meletii Pigæ electus initio ſæculi XVII. novemdecim dicitur annis ſedem Alexandrinam tenuiſſe, donec Conſtantinopolitanam anno 1621. die 5. Novembr. aſcendit. 505. E. Legitur anno 1623. Patriarchatu ceſſiſſe Alexandr. 508. B. De eo *vide etiam tom.* I. inter Patriarchas Conſtantinopolitanos.

Marcus V. Coptis Patriarcha XCVIII. ortus ex Biad vel Beijadt, Gabrieli VIII. ſuffectus eſt anno Martyrum 1319. Chriſti 1602. die 12. Septembr. obiit verò die 25. Jan. anno Martyr. 1334. Chriſti (non 1617. ut legitur apud Bollandianos, *p.* 104.* *col.* I. *lin.* 4. ſed) 1618. ſiquidem anni 284. additi annis 1334. annos 1618. efficiunt. 506. E. Is, ex nunc dicendis, non ſedit uſque ad obitum. Nam

Joannes XV. *El-badi*, Coptis Patriarcha XCIX. idem eſſe videtur, ac qui ipſis eſt

Joannes XVI. & *Melawani*, Patriarcha C. qui refertur à Bucherio Minorita, *Antonio* (*Marcus* ille fuit modò memoratus tunc ſedens,) quem Cairi præfectus fuſtibus contuſum depoſuit anno 1610. ſubſtitutus. 507. A. Huic Joanni ſe ſucceſſiſſe ſcripſit Mattheus. 508. E.

LXXXIX. Geraſimus I. Melchita, anno 1621. vel 1623. Cyrillo Lucari ad ſedem Conſtantinopolitanam tranſlato ſubrogatus eſt. Is anno 1629. die 8. Julii, Antonium Leger & Cornelium Hagium Calviniſtas litteris confutavit. Sponte ſolium dimiſit anno 1638. & paulo poſt exceſſit ex hac vita. 507. D.

Matthæus III. Coptis Patriarc. CI. Joannis XV. aut XVI. ſucceſſor, ſedebat an. 1637. quo litteras unionis ad Urbanum VIII. ſcripſit. 508. C. Hunc perperam appellatum Joannem à Vanſlebio aiunt Bollandiani, *pag.* 104.* *col.* I. *num.* 568.

XC. Metrophanes, Melchita, anno 1638. huic ſynodo Conſtantinopolitanæ interfuit, ubi primùm Cyrillo Lucari, ejuſque Calvinianis erroribus anathema dictum eſt. Hunc tamen Lutheranæ Confeſſionis Helmenſtadii editæ ſub mendaci titulo *Confeſſionis Orientalis Eccleſiæ* auctorem nonnulli faciunt, eum cum Metrophane Critopulo confundentes. 509. A.

XCI. Nicephorus, antea Nicolaus *Clarontzanes*, Melchita, poſt Metrophanis obitum ordinatus Conſtantinopoli anno 1638. die 29. Maii, quadriennio duntaxat ſedit. 509. D.

Marcus VI. de Bahgiura, Coptis Patriarcha CII. Matthæo ſucceſſit anno Martyrum 1362. Chriſti 1645. (1646.) die 17. (12.) Aprilis, 510. D. cui poſt quindecim annos ſuffectus eſt

Matthæus IV. Coptis Patriarcha CIII. anno Martyrum 1377. Chriſti 1660. menſe Novembri. Is vivebat adhuc quùm morabatur Cairi anno Martyrum 1389. Chriſti 1673. Vanſlebius. 510. D.

XCII. Joannicius, Melchita, poſt Nicephorum aſſumptus, quùm eſſet Berrhœæ metropolita, non ante annum 1664. extinctus videtur. 510. A.

XCIII. Joachim, Melchita, priùs Coï inſulæ antiſtes, ad ſedem Alexandrinam tranſlatus eſt Conſtantinopoli anno 1665. operâ Parthenii Mogilali. Obiit ante annum 1671. elapſum. 510. E.

XCIV. Païſius, Melchita, ſedebat anno 1671. quo Nectarius Hieroſolymitanus Patriarcha epiſtolam ſcripſit ad eum de fide Orientalis Eccleſiæ circa Euchariſtiam: vivebat adhuc anno 1678. Ricalto Anglo teſte. 511. B.

Joannes XVII. *el Touki*, Coptis Patriarcha CIV. Matthæum IV. excepit an. 1675. menſe Aprili. Is anno 1703. ſacrum Chriſma confecit à ducentis annis interruptum: Religionem Romanam veram eſſe ultrò fatebatur, ſed ne eam amplecteretur obſtabant metus carceris & indubitata ſuæ dignitatis jactura, ipſomet teſte apud Aſſemanum in *Præfat. tom.* I. *Biblioth. Orient. num.* VII. Obiit anno 1718. menſe Junio, quùm 43. annis & duobus menſibus præfuiſſet. 509. E. & 511. C. Inter Codices Copticos & Arabicos Romam advectos, exſtat, teſte Aſſemano, *tom.* 3. *part.* I. *Bibl. Orient. p.* 641. *col.* 2. §. XXVII. hiſtoria obitûs Joannis Patriarchæ, qui contigit fer. 4. die 10. Baoni, anno Martyr. 1434. Hegiræ 1130. & electionis Petri Patriarchæ, quæ contigit eodem anno (Chriſti 1718.) ineunte dominica die 10. Meſori.

XCV. Parthenius, antea Prochorus dictus, monachus, & epiſcopus Nazareth, renuntiatus eſt Patriarcha Melchitarum an. 1685. Smyrnæ periit an. 1689. terræ motu obrutus. 511. E.

XCVI. Geraſimus II. cognomento *Palidas*, ſedem Melchiticam Alexandriæ poſt Parthenii obitum obtinuit, 512. B. cui ſucceſſit

XCVII. Samuel, genere Cius, qui anno 1721. adhuc vivebat. 512. C. Interim

Petrus V. *el Siouty*, Coptis Patriarcha CV. Joanni XVII. in Patriarchatu Jacobitico ſuffectus eſt anno 1718. die 20. Auguſti, qui ſtatim ab ordinatione ſua Chriſtodulum Hieroſolymorum præſulem Jacobitam depoſuit, eumque deinde Æthiopiæ creavit metropolitam. Obiit anno 1726. die 4. Mart. 512. C.

XCVIII. Coſmas Chalcedonius, primùm Montis Sinaï archiepiſc. deinde Byzantinus Patriarcha, quùm in Montem Sinaï dimiſſa dignitate reverſus eſſet, ad ſedem Alexandrinam Melchiticam, poſt Samuelis obitum, aſſumptus eſt. 512. D. Vivebat adhuc anno 1733. ex litteris Cahirâ tranſmiſſis.

Joannes XVII. dictus *el Melkaouy* ſive *El-Melevani*, Coptis Patriarcha CVI. præfectus monaſterii Sancti Pauli versùs Mare rubrum, Petro Jacobitarum Alexandrinorum Patriarchæ ſucceſſit an. 1727. die 16. Febr. Vivebat adhuc anno 1730. ac centeſimus quintus (vel ſextus) numerabatur ſedis Jacobiticæ Patriarcha. 512. E.

Index Præſulum Patriarchatus Alexandrini, ordine alphabetico.

A

Abdel-Meſſiah, Axumenſis. *col.* 660. C.
Abilius, Patriarcha Alexandrinus. 387. D.
Abraham, Patriarcha Alexandr. *vide* Ephræm.
Arſinoës. 584. A.
Athribis, Jacobita. 463. E. 556. C.
Memphis. 587. A.
Metropol. ſub Pat. Alex. 463. D.
Oſtracines. 548. A.
Peluſii, Jacobita. 534. B.
Abul-Hareth, Homeritarum. 665. D.
Achillas, Patriarc. Alexandr. 397. E.
Achilles, Cuſarum. 507. A.
Adamantius, Cynopolis inferioris. 567. C.
Adelphius, Nilopolis. 588. C.
I. Onuphis. 525. B.
II. Onuphis. 526. B.
Saïs. 521. A.
Æglon, Cynopolis ſuperioris. 591. C.
Ælurus, Patriarc. Alex. Jacob. *ſive* Monoph. *vide* Timotheus.
Æmilianus, Antipyrgi. 633. C.
Agatho, Patriarc. Alexandr. Jacob. 452. B.
Agathodæmon, Menelaïtidis, &c. 530. A.
Agathus, Periœcidis. 639. *lin. antepenult.*
Phragoneos. 565. B.
Agrippinus, Patriarc. Alexandr. 390. E.
Alberion, Pharbæti. 561. D.
Alexander I. Patriarc. Alexandr. 395. E.
II. Patriarc. Alexandr. Jacob. 455. D.
Leontius III. Patriarcha Alex. 481. E.
Axumenſis. 645. C.
Cleopatridis. 527. C.
Lycopolis. 597. C.
Alphius, Rhinocoruræ. 543. C.
Alypius, Selæ. 551. C.
Ammon, Antinoës. 593. B.
Berenices. 623. C.
Hermopolis parvæ. 513. B.
Phthenothi. 529. B.
Ammonius, Latopolis Thebaïdis II. 609. A.
Pachnamunis, &c. 567. A.
Panephyſi. 548. C.
Peluſii. 532. C.
Ptolemaïdis. 605. A.
Ammonius, Syenes. 613. B.
Amos, Leontopolis. 553. A.
Anaſtaſius, Patriarc. Alexandr. Jacob. 444. A.
Andreas, Arſinoës. 583. A.
Hermopolis magnæ. 595. C.
Andronicus, Patriarc. Alex. Jacob. 446. E.
Anianus, Patriarc. Alexandr. 387. A.
Antiochus, Memphis. 586. B.
Antonius, Lycopolis, Jacobita. 600. A.
Olbiæ. 629. B.
Apelles, Latopolis Ægypti I. 522. C.
Apollinaris I. Patriarcha Alexandr. 436. D.
II. *vide* Arſenius.
Apollo, Antiphrorum. 635. A.
Arthæ. 563. C.
Apollonius, Athribis. 556. A.
Oxyrynchi. 577. A.
Taneos. 535. D.
Apphy, Oxyrynchi. 579. D.
Archebius, Panephyſi. 547. C.
Ariſtobulus, Thmuis. 540. C.
Arius, Panopolis. 601. C.
Arſenius *ſeu* Apollinaris, Patr. Alex. 480. A.
Hypſeles. 599. D.
Arſinthius, Terenuthidis. 611. B.
Athamas, Olbiæ. 629. B.
Athanaſius I. Patriarcha Alexandr. 399. C.
II. Patriarcha Alexandr. Jacob. 422. E.
III. Patriarcha Alexandr. Jacob. 493. B.
IV. Patriarcha Alexandrinus. 494. C.
V. Patriarcha Alexandrinus. 500. E.
Athribis. 555. A.
Buſiris. 569. A.
Clyſmatis. 588. B.
Parali. 569. B.
Xoïs. 573. B.
Atlas, Menelaïtidis, &c. 529. A.
Auſonius, Sebennyti. 571. B.

B

Bartholomæus I. Axumenſis. 645. C.
II. Axumenſis. 654. A.
Baſilides, Ptolemaïdis 617. B.
Baſilius, Hermonthis, Jacobita. 610. B.
Saïs, Jacobita. 521. B.
Baſſus, Tamiathæ. 590. D.
Betam, Syenes, Jacobita. 614. B.
Benjamin I. Patriarcha Alex. Jacob. 451. A.
II. Patriarcha Alex. Jacob. 498. C.
Biſſoras, Metelis. 519. B.

C

Caïus, Peratonii. 634. B.
Phthenothi. 529. B.
Thmuis. 539. D.
Cales, Hermonthis. 609. B.
Callinicus, Peluſii. 531. A.
Caloſyrius, Arſinoës. 583. B.
Celadion, Patriarcha Alexandrinus. 390. C.
Cerdo, Patriarcha Alexandrinus. 388. C.
Chæremon, Nilopolis. 587. C.
Chaïl *ſive* Michael I. Pat. Alex. Jacob. 459. E.
II. Patriarcha Alexandr. Jacob. 469. C.
III. Patriarcha Alexandr. Jacob. 474. B.
Athribis, Jacobita. 556. B.
Babylonis Ægypti, Jacob. 558. B.
Buſiris, Jacobita. 570. B.
Hermopolis magnæ, Jacob. 596. C.
Memphis, Jacobita. 588. A.
Parali, Jacobita. 572. A.
Peluſii *ſive* Belbaïs, Jacob. 466. D. & 534. B.
Sa *ſive* Saïs, Jacobita. 466. D. & 522. A.
Xoïs, Jacobita. 575. A.
Chriſtodulus I. Patriarcha Alexandr. 474. D.
II. Patriarcha Alexandr. Jacob. 482. A.
Axumenſis. 660. C.
Damiatæ, Jacobita. Is omiſſus fuit: ſed de illo legitur apud Aſſemanum, *tom.* I. *Bibl. Orient. Clementino-Vaticanæ*, *p.* 620. *col.* I. *lin.* I. §. III. inter Codices Arabicos Romam adſportatus, *num.* 27. *Chriſtoduli epiſcopi Damiatæ, & Cyrilli Laclachi Patriarchæ Alexandrini Interrogationes & Reſponſiones.* Scriptus eſt Codex hanc elucubrationem continens, an. Chriſti 1372. Præfuit autem Alexandriæ Cyrillus Laclachus ab anno 1235. ad annum 1243. quo vel obiit, vel in monaſterium ſe recepit.
Metelis, Jacobita. 519. B.
Chriſtophorus, Patriarcha Alexandr. 465. C.
Chryſaorius, Aphroditopolis. 585. A.

Claudius, Panopolis, Jacobita. 602. D.
Colluthus, Cynopolis ſuperioris. 591. C.
Conon, Hermopolis magnæ. 595. A.
Conſtantinus, Babylonis Ægypti. 557. D.
Coſmas I. Patriarcha Alex. Jacobita. 456. E.
II. Patriarcha Alexandrinus. 457. B.
III. Patriarcha Alexandr. Jacob. 469. D.
IV. Patriarcha Alexandr. Jacob. 476. C.
V. Patriarcha Alexandrinus. 512. D.
Axumenſis. 645. C.
Cronius, Metelis. 517. D.
Cyriacus, Behenſæ, vide Oxyrynchi.
Nubiæ. 661. A.
* Oxyrynchi ſive Behenſæ. 580. D.
Inter Codices Arab. Romam advectos exſtat, teſte Aſſemano, tom. 3. part. I. Biblioth. Orient. p. 439. col. I. §. XVIII. Homilia Cyriaci epiſcopi Behenſæ ſive Tabennæ, de laudibus B. V. & p. 644. col. I. §. XLII. alia Homilia ejuſdem de Adventu B. V. in Ægyptum, & ſermo de Aſſumptione corporis B. V.
Cyrillus I. Patriarcha Alexandrinus. 407. C.
II. Patriarcha Alexand. Jacob. 482. D.
III. Patriarcha Alexandrinus. 484. B.
Laklakus ſive Laclaclus IV. Patriarcha Alexandrinus, Jacobita. 492. C.
Lucaris V. Pat. Alex. Calvin. 505. D.
I. Axumenſis, Jacobita. 647. D.
II. Axumenſis, Jacobita. 650. E.
Cyrus, Patriarcha Alexandr. Monoth. 448. C.
Archæ. 564. C.
Babylonis Ægypti. 557. A.
D
Damianus, Patriarcha Alex. Jacob. 440. D.
Daniel, Axumenſis, Jacobita. 479. E. & 649. D.
Dardanidis. 632. A.
Thmuïs, Jacobita. 540. E.
Darius, Rhinocoruræ. 541. A.
Dathes, Berenices. 625. A.
Demetrius, Patriarcha Alexandrinus. 391. D.
Taneos, Jacobita. 536. D.
Dionyſius, Patriarcha Alexandrinus. 394. A.
Niciûs. 523. C.
Dioſcorus I. Patriarc. Alex. Monoph. 409. C.
II. Patriarcha Alex. Monoph. 426. D.
Dardanidis. 632. A.
Hermopolis parvæ. 515. E.
Donatus M. Thmuïs. 539. A.
Dorotheus, Patriarcha Alexandrinus. 438. C.
Peluſii. 531. C.
Dracontius, Hermopolis parvæ. 514. B.
E
Elias I. Patriarcha Alexandrinus. 476. C.
II. Patriarcha Alexandrinus. 487. C.
Thmuïs. 540. E.
Elpidius, Patriarcha Alexandr. Jacob. 438. B.
Ephræm ſive Abraham, Patriarcha Alexandrin. Jacobita. 479. B.
Sethrœtæ, Jacobita. 535. A.
Tamiathæ. 591. B.
Epimachus, Rhinocoruræ, Jacobita. 544. B.
Eſaïas, Patriarcha Alexandr. Aceph. 420. D.
Hermopolis parvæ. 516. D.
ſive Iſaïas Naucratidis. 523. A.
Euchodius, neſcio cujus ſedis archiepiſcopus, cujus Homiliam de S. Petro Apoſtolo citat Aſſemanus, inter Codices Copticos Romam advectos, tom. I. Bibl. Orient. pag. 618. col. I. §. XI. Omiſſus fuit.
Eudæmon, Gerrhæ. 551. A.
Taneos. 535. B.
Eugenius, Hermopolis magnæ. 595. C.
Eulogius I. Patriarcha Alexandrinus. 442. A.
II. Patriarcha Alexandrinus. 485. A.
Athribis. 555. D.
Terenuthidis. 613. lin. I.
Eumenes ſive Eumenius, Pat. Alex. 389. E.
Evoptius, Ptolemaïdis. 620. D.
Euſebius, Nilopolis. 589. B.
Peluſii. 533. A.
Euſtathius, Patriarcha Alexandrinus. 464. A.
Eutychius, Patriarcha Alexandrinus. 476. D.
F
Frumentius, Axumenſis. 643. A.
G
Gabraxus, Axumenſis. 656. E.
Gabriel I. Patriarcha Alexand. Jacob. 476. A.
II. Patriarcha Alexandr. Jacob. 485. B.
III. Patriarcha Alexandr. Jacob. 496. A.
Gabriel IV. Patriarcha Alex. Jacob. 499. C.
V. Patriarcha Alexand. Jacob. Ibid. E.
VI. Patriarcha Alexand. Jacob. 501. C.
VII. Patriarcha Alexandr. Jacob. 502. D.
VIII. Patriarcha Alexand. Jacob. 504. E.
Aphroditopolis, Jacobita. 586. A.
Babylonis Ægypti, Jacob. 559. C.
Bubaſti, Jacobita. 562. A.
Hermopolis parvæ, Jacob. 518. B.
Ptolemaïdis. 622. A.
Saïs, Jacobita. 522. B.
Gaïanus, Patriarcha Alexandr. Jacob. 430. C.
Gennadius, Hermopolis magnæ. 595. C.
Hermopolis parvæ. 516. E.
Georgius I. Pat. Alex. Arian. Intruſ. 402. D.
II. Patriarcha Alexandrinus. 447. A.
Antæopolis, Jacobita. 602. B.
Axumenſis, Jacobita. 656. E.
Babylonis Ægypti, Jacob. 558. A.
Bekitæ, Jacobita. 463. E.
Bubaſti, Jacobita. 561. C.
Peluſii. 534. A.
Ptolemaïdis. 621. A.
Sethrœtæ, Jacobita. 534. C.
Geraſimus I. Patriarcha Alexandr. 507. D.
II. Patriarcha Alexandrinus. 512. A.
Gregentius, Homeritarum. 663. C.
Gregorius I. Pat. Alex. Arian. Intruſ. 401. E.
II. Patriarcha Alexandrinus. 491. E.
III. Patriarcha Alexandrinus. 497. D.
IV. Patriarcha Alexandrinus. 498. B.
V. Patriarcha Alexandrinus. 499. E.
VI. Patriarcha Alexandrinus. 501. E.
Cuſarum, Jacobita. 597. B.
Rhinocoruræ. 543. E.
H
Harpocras, Taüæ. 526. C.
Harpocration, Bubaſti. 561. A.
Cynopolis ſuperioris. 591. D.
Naucratidis. 522. A.
Helenus, Heliopolis. 563. A.
Heliodorus, Sozyſæ. 617. A.
Helpidius, Tamiathæ. 589. D.
Heraclas, Patriarcha Alexandrinus. 392. D.
Heraclides, Heracleæ ſuperioris. 582. B.
Niciûs. 523. B.
Oxyrynchi. 577. B.
Ptolemaïdis. 605. A.
Heraclius, Tamiathæ. 589. D.
Hermeon, Buſiris. 563. A.
Cynopolis inferioris. 567. C.
Saïs. 519. C.
Hermion, Taneos. 535. C.
Hermogenes, Rhinocoruræ. 542. C.
Hermon, Bubaſti. 561. A.
Heron, Dioſpolis magnæ ſive Thebar. 611. B.
Lemnandi. 639. lin. I.
Tenneſi. 549. C.
Hieraces, Aphnæi. 547. A.
Hypatianus, Heracleæ ſuperioris. 582. A.
I
Jacharias ſive Zacharias, Wiſſim, Jacob. 466. D. & 558. C.
Jacobus, Patriarcha Alex. Jacobita. 464. C.
Aphroditopolis, Jacobita. 585. A.
I. Axumenſis. 645. D.
II. Axumenſis. 654. A.
I. Babylonis Ægypti, Jacob. 473. C. & 558. D.
II. Babylonis Ægypti, Jacob. 559. D.
Buſiris, Jacobita. 569. B.
Saïs, Jacobita. 521. B.
Xoïs, Jacobita. 575. B.
Januarius, Leontopolis. 553. B.
Joachim I. Patriarcha Alexandrinus. 501. E.
II. Patriarcha Alexandrinus. 510. E.
Joannes Talaius I. Patriarcha Alex. 417. D.
II. Patriarcha Alex. Jacobita. 423. D.
III. Patriarcha Alex. Jacobita. 425. B.
IV. Patriarcha Alexandrinus. 437. E.
V. Patriarcha Alex. Jacobita. 438. B.
Eleemoſynarius VI. Pat. Alex. 445. E.
VII. Patriarcha Alex. Jacobita. 447. D.
Semnudæus VIII. Pat. Alex. 452. D.
IX. Patriarcha Alex. Jacobita. 462. D.
X. Patriarcha Alexandrinus. 482. A.
XI. Patriarcha Alex. Jacobita. 486. B.
XII. Patriarcha Alexandrinus. 489. C.
XIII. Patriarcha Alex. Jacobita. 496. A.
XIV. Patriarcha Alex. Jacobita. 497. A.
XV. Patriarcha Alex. Jacobita. Ibid. E.
Joannes XVI. Patriarcha Alex. Jacob. 499. B.
XVII. Patriarcha Alex. Jacobita. 500. C.
XVIII. Patriarcha Alex. Jacobita. 501. D.
XIX. Patriarcha Alex. Jacobita. Ibid. E.
XX. Patriarcha Alexandrinus. 503. B.
XXI. Patriarcha Alex. Jacobita. 511. C.
XXII. Patriarcha Alex. Jacobita. 512. A.
Athribis. 556. D.
I. Axumenſis. 645. D.
II. Axumenſis, Jacobita 648. A.
III. Axumenſis. 654. A.
IV. Axumenſis. 656. E.
I. Babylonis Ægypti, Jacob. 559. B.
II. Babylonis Ægypti, Jacob. 560. C.
Banæ ſive Panephyſi, non Panopolis, Jacobita. 466. D.
Brullos, cujus Anathematiſmi XIII. citantur ab Aſſemano, tom. I. Bibl. Orient. Inter Codices Arabicos Romam advectos, p. 625. col. 2. §. XXIII. omiſſus fuit, niſi ſit Joannes Borleſita ſive Paraloi aut Parali, recenſitus 571. A. ſed ibi de his Anathematiſmis ſiletur.
Bubaſti, Jacobita. 562. B.
Hephæſti. 547. B.
Homeritarum. 663. B.
I. Lycopolis. 600. C.
II. Lycopolis, Jacobita. Ibid.
Memphis. 585. B.
Niciûs, Jacobita. 528. A.
Nubiæ. 561. B.
I. Panephyſi ſive Banæ, Jacobita. 466. D. & 548. C.
II. Panephyſi, Jacobita. 550. A.
Parali, Jacobita. 571. A.
Pſynchûs. 615. A.
Rhinocoruræ. 544. C.
I Sebennyti, Jacobita. 573. A.
II. Sebennyti, Jacobita. 574. A.
Sethrœtæ, Jacobita. 534. D.
Tentyrorum, Jacobita. 608. D.
Zagylis. 636. C.
Joannicius, Patriarcha Alexandrinus. 610. A.
Joh, Patriarcha Alexandrinus. 476. A.
Joſeph ſive Juçab, Pat. Alex. Jacob. 466. D.
Axumenſis. 654. A.
Metelis, Jacobita. 520. A.
Iſaac I. Patriarcha Alexandr. Jacobita. 453. B.
II. Patriarcha Alexandrinus. 476. A.
Antinoës, Jacobita. 594. B.
I. Axumenſis. 653. D.
II. Axumenſis. 654. A.
Babylonis Ægypti. 559. A.
Cleopatridis. 527. B.
Latopolis Ægypti I. 521. C.
Latopolis Thebaïdis II. 609. A.
Metelis. 518. D.
Pachnamunis, &c. 568. A.
Ptolemaïdis. 606. A.
Sebennyti, Jacobita. 571. D.
Taneos, Jacobita. 536. C.
Taüæ. 525. C.
I. Xoïs, Jacobita. 573. C.
II. Xoïs, Jacobita. 576. A.
Iſaïas, Naucratidis. 523. A.
Iſchyrion, Leontopolis. 553. A.
Mareotidis Pſeudo-epiſcopus. 529. lin. 12.
Iſidorus, Athribis. 555. A.
Hermopolis parvæ. 515. C.
Sethrœtæ. 533. D.
Iſion, Athribis. 553. C.
Juçab ſive Joſeph, Pat. Alex. Jacob. 466. D.
Julianus, Patriarcha Alexandrinus. 391. A.
Bubaſti. 561. C.
Juſtus, Patriarcha Alexandrinus. 389. C.
K
Kalta, Dioſpolis magnæ ſive Thebarum, Jac. 612. B.
Kilus, Axumenſis, Jacobita. 653. A.
Metelis, Jacobita. 520. A.
L
Lampetius, Caſſii. 545. B.
Leontius, Patriarcha Alex. vide Alexander II.
Cyrenes. 621. B.
Lucius, Patriarcha Alexandrinus. 403. E.
Antinoës. 593. A.
Cyrenes. 621. B.
Zigris. 636. B.
M
Macarius I. Patriarcha Alex. Jacobita. 47[illegible]

Macarius II. Patiarcha Alex. Jacobita. 484. D.
Antæopolis. 601. B.
Babylonis Ægypti, Jacobita. 557. C.
Cabaſorum. 566. A.
Memphis, Jacobita. 586. C.
Metelis. 517. D.
Panephyſi. 549. A.
Sebennyti, Jacobita. 572. D.
neſcio cujus ſedis epiſcopus, in quem encomium compoſuit Dioſcorus Patriarc. Alex. teſte Aſſemano, tom. I. Bibl. Orient. inter Codices Copticos Romam advectos, p. 619. col. 1. §. XVII.
Macedonius, Xoïs. 573. A.
Marcus *Evang.* I. Patriarcha Alexand. 333. A. & 385. E.
II. Patriarcha Alexandrinus. 390. B.
III. Patriarcha Alex. Jacobita. 463. C.
IV. Patriarcha Alex. Jacobita. 487. D.
V. Patriarcha Alexandrinus. 488. A.
VI. Patriarcha Alex. Jacobita. 498. D.
VII. Patriarcha Alexandrinus. 499. C.
VIII. Patriarcha Alexandrinus. 501. B.
IX. Patriarcha Alex. Jacobita. 506. E.
X. Patriarcha Alex. Jacobita. 510. D.
I. Axumenſis. 654. A.
II. Axumenſis. 656. D.
III. Axumenſis. *Ibid.* E.
IV. Axumenſis. 659. B.
Babylonis Ægypti, Jacob. 557. C.
Nilopolis. 590. C.
Oxyrynchi, Jacobita. 580. C.
Peluſii. 531. C.
Philarum. 613. A.
Sebennyti. 572. C.
Taneos, Jacobita. 536. B.
Zygris. 635. B.
Marinus, Heliopolis. 564. B.
Marion, Cynopolis inferioris. 568. C.
Matthæus I. Patriarcha Alex. Jacob. 499. E.
II. Patriarcha Alex. Jacobita. 501. A.
III. Patriarcha Alex. Jacobita. 508. C.
IV. Patriarcha Alex. Jacobita. 510. D.
Arſinoës, Jacobita. 584. B.
Axumenſis. 654. A.
Maximus, Patriarcha Alexandrinus. 395. D.
Zagylis. 635. C.
Melas, Arſinoës. 583. A.
Heliopolis. 564. A.
Rhinocoruræ. 541. B.
Meletius, Patriarcha Alexandrinus. 503. C.
Arianus, Dioſpolis magnæ Thebarum. 611. B.
Schiſmaticus, Lycopolis. 598. C.
Menas *ſive* Minas I. Pat. Alex. Jacob. 462. C.
II. Patriarcha Alex. Jacobita. 476. E.
Antinoës, Jacobita. 594. B.
Antiphrorum. 635. A.
Arſinoës, Jacobita. 583. D.
Athribis, Jacobita. 556. C.
Axumenſis. 649. A.
Hermopolis parvæ, Jacob. 518. A.
Niciûs, Jacobita. 526. A.
Nilopolis. 590. B.
Panopolis. 602. C.
Taneos, Jacobita. 537. B.
Thmuïs, Jacobita. 540. C.
neſcio cujus ſedis epiſcopus, qui ſcripſit *vitam Iſaac Patriarchæ Alexandrini*, teſte Aſſem. *tom. 1. Bibl. Orient.* inter Codices Copticos Romam advectos, §. XI. pag. 618. col. 1.
Mercurius, Apollinis civitatis, Jacob. 604. C.
Metelis, Jacobita. 519. A.
Metrodorus, Leontopolis. 553. B.
Metrophanes, Patriarcha Alexandrin. 509. A.
Michael I. Patriarcha Alexandrinus. 470. B.
II. Patriarcha Alexandrinus. 472. B.
III. Patriarcha Alex. Jacobita. 483. D.
IV. Patriarcha Alex. Jacobita. 485. E.
V. Patriarcha Alex. Jacobita. 501. C.
Aphroditopolis, Jacobita. 585. A.
Arſinoës, Jacobita. 584. D.
I. Axumenſis, Jacobita. 652. D.
II. Axumenſis. 653. E.
III. Axumenſis. 654. A.
IV. Axumenſis. 656. E.
Damiatæ, Jacobita. 487. D.
Hermopolis parvæ. 518. *lin.* 22.
Meligis, Martyrologii Coptorum auctoris, citati ab Aſſem. inter Codd. Arabb. *to. 1. p.* 624. §. XVIII. *col. 1.* Omiſſus fuit.
Michael, Nilopolis. 590. A.
Rhinocoruræ. 544. E.
Tamiathæ (potius Damiatæ,) Jacob. 487. D. & 592. A.
Taneos, Jacobita. 538. B. hujus meminit Aſſemanus, *tom. 2. pag. 149. not. 3.*
Miſael, Tamiathæ, Jacobita. 592. A.
Mohna, Buſiris, Jacobita. 570. B.
Moyſes, Adules. 667. A.
Copti. 508. B.
Hujus *Moyſis*, uti auctoris cujuſdam *Encomii in Piſentium ejuſdem urbis epiſcopum*, meminit Aſſemanus, *tom.* I. inter Codices Copticos, §. XV. *pag.* 618. *col.* 2.
Phacuſorum. 545. *lin.* 4.
Rhinocoruræ. 544. A.
Wiſſim, Jacobita. 460. A.
Muſæus, Archæ. 563. C.

N

Naſeas, Lemnandi. 640. *lin.* 3.
Nepos, Arſinoës. 581. A.
Neſtorius, Phragoneus. 566. B.
Nicephorus, Patriarcha Alexandrinus 509. C.
Nicolaus I. Patriarcha Alexandrinus. 490. B.
II. Patriarcha Alexandrinus. 491. E.
III. Patriarcha Alexandrinus. 499. D.
Nilammon, Gerrhæ. 551. B.
Niphon, Patriarcha Alexandrinus. 498. E.

O

Ophellus, Cleopatridis. 527. C.
Orion, Erythri. 625. C.

P

Pabiſcus, Apollinis civitatis. 603. C.
Pachomius, Xoïs. 475. E. & 574. C.
Pachymes, Maximianopolis. 609. *lin.* 3.
Tentyrorum. 607. C.
Paiſius, Patriarcha Alexandrinus. 511. B.
Pamon, Hermonthis, Jacobita. 610. B.
Pancratius, Peluſii. 532. A.
Papas, Pachnamunis, &c. 568. B.
Paphnutius, Saïs. 519. C.
Parthenius, Patriarcha Alexandrinus. 511. C.
Paſmeïas, Parali. 570. B.
Paulus, Patriarcha Alexandrinus. 333. E.
Babylonis Ægypti. 560. D.
Erythri. 626. C.
M. Hermopolis magnæ. 596. A.
Homeritarum. 663. A.
Latopolis Ægypti I. 521. C.
Memphis, cujus *Narrationes morales* XXXI. citat Aſſemanus, inter Codices Berrhœenſes Romam adſportatos, *tom. 1. Bibl. Orient. p.* 585. *col.* 2. §. II. Omiſſus fuit.
Panopolis, Jacobita. 602. D.
Phragoneus. 567. B.
Sebennyti. 571. D.
Taneos. 535. E.
Xoïs. 573. A.
Pelagius, Oxyrynchi. 577. A.
Petrus M. I. Patriarcha Alexandrinus. 396. E.
II. Patriarcha Alexandrinus. 404. C.
Mongus III. Patriarcha Alexandrinus, Monoph. 416. A. & 419. D.
IV. Patriarcha Alex. Jacobita. 439. D.
V. Patriarcha Alexandrinus. 450. A.
VI. Patriarcha Alex. Jacobita. 498. D.
VII. Patriarcha Alex. Jacobita. 512. C.
Arſinoës, Jacobita. 584. C.
I. Axumenſis, Jacobita. 476. C. & 648. C.
II. Axumenſis. 655. B.
Buſiris, Jacobita. 569. B.
Dyſthis. 629. D.
Hephæſti. 548. B.
Heracleæ ſuperioris. 581. B.
Meligis, cujus *Pedilavium* in Cœna Domini *Copto-Arabicum*, citat ſupra laudatus Aſſemanus, *tom. 1.* inter Codices Arabicos, *pag.* 624. *col.* 2. §. XXII. Omiſſus fuit.
Niciûs, hæret. 525. A.
Nilopolis. 589. C.
I. Oxyrynchi. 580. B.
II. Oxyrynchi, Jacobita. *Ibid.* C.
Scenarum Mandrarum. 563. B.
Phaſileus, Hermopolis magnæ. 595. B.
Hermopolis parvæ. 513. A.
Phileas M. Thmuïs. 537. A.
Philippus, Panephyſi. 547. C.
Philo I. Cyrenes. 622. C.
II. Cyrenes. *Ibid.*
Philocalus, Zagylis. 635. C.
Philotheus I. Patriarcha Alex. Jacob. 479. D.
II. Patriarcha Alexandrinus. 500. A.
III. Patriarcha Alexandrinus. 501. C.
Babylonis Ægypti, Jacob. 559. C.
Phœbammon, Copti. 607. B.
Photius, Babylonis Ægypti. 557. A.
Pininuthes, Phthenothi. 529. B.
Piroſus, Gerrhæ. 551. A.
Piſentius, Copti, cujus encomium à Moyſe ejuſdem urbis epiſcopo compoſitum citat Aſſemanus ubi ſupra, inter Codices Copticos, *p.* 618. *col.* 2. §. XV. Omiſſus fuit.
Piſo, Dardanidis. 631. A.
Piſtus, Patriarcha Alexandrinus. 401. A.
Plenes, Hermonthis. 609. B.
Pluſammon, Niciûs. 524. C.
Pœmen, Clyſmatis. 587. B.
Politianus, Patriarcha Alexandrinus. 461. A.
Polybius, Rhinocoruræ. 542. B.
Potamon, Heracleæ ſuperioris. 581. A.
Primus, Patriarcha Alexandrinus. 389. A.
Probatius, Berenices. 626. A.
Procopius, Antinoës. 594. A.
Proterius M. Patriarcha Alexandrinus. 412. C.
Ptolemæus, Memphis, Jacobita. 586. C.
Rhinocoruræ. 543. D.
Thmuïs. 540. B.
Publius, Olbiæ. 630. C.

R

Raphael, Cleopatridis, Jacobita 528. C.
Panephyſi, Jacobita. 549. A.
Rufus, Cyrenes. 624. A.

S

Sabas, Patriarcha Alexandrinus. 482. D.
Sabbatius, Erythri. 626. C.
Sabinus, Copti. 607. B.
Panopolis. 601. D.
Salama, Axumenſis. 654. A.
Samuel, Patriarcha Alexandrinus. 512. C.
Dyſthis. 629. D.
Taneos, Jacobita. 538. B.
Sanutius *ſive* Senuthius I. Patriarcha Alexandr. Jacobita. 471. D.
II. Patriarcha Alex. Jacobita. 481. D.
Babylonis Ægypti, Jacob. 650. A.
Saprion, Tentyrorum. 607. D.
Sebas *ſeu* Siras, Paretonii, Arian. 633. B.
Secundus, Ptolemaïdis, Arian. 618. B.
Teuchirorum. 623. B.
Senodius, Axumenſis. 653. A.
Sentianus, Borei. 629. A.
Senuthius, *vide* Sanutius.
Serapion, Antiphrorum. 633. C.
Oſtracines. 547. A.
Thmuïs. 539. E.
Sergius, Arſinoës. 583. C.
Cynopolis inferioris. 568. C.
Severus, Æthiopum. 483. A. *lin.* 14.
Axumenſis, Jacobita. 651. B.
Aſchumin. 479. C. *lin.* 26.
Buſiris, Jacobita. 570. A.
Hermopolis magnæ, Jacob. 596. B.
Siderius, Hydracis, &c. 627. *lin.* 4.
Ptolemaïdis. 620. A.
Silvanus, Copritis. 519. B.
Omborum. 613. A.
Silveſter, Patriarcha Alexandrinus. 502. E.
Simeon, Axumenſis. 655. D.
Simon I. Patriarcha Alex. Jacobita. 453. E.
II. *ſive* Simeon, Patriarcha Alexandrinus, Jacobita. 466. B.
Panephyſi, Jacobita. 549. A.
Taneos, Jacobita. 538. A.
Siras, *vide* Sebas.
Solon, Rhinocoruræ. 541. C.
Sophronius I. Patriarcha Alexandrin. 467. D.
II. Patriarcha Alexandrinus. 475. E.
III. Patriarcha Alexandrinus. 487. A.
Soterichus, Sebennyti. 571. B.
Stephanus, Dioſpolis magnæ Thebar. 473. C. & 612. B.
Clyſmatis. 588. B.
Gerrhæ. 552. B.
Ptolemaïdis, Arian. 619. D.
Strategius, Athribis. 555. B.
Syneſius, Ptolemaïdis. 620. B.

T

Theoctiſtus, Oſtracines. 547. A.
Theodorus *Scribo* I. Patriarcha Alexandrinus. 445. C.
II. Patriarcha Alex. Jacobita. 457. A.

Digitized by Google

Theodorus, Kouſæ, Apollinis civitatis. 604. *linea ultima.*
I. Athribis. 555. A.
II. Athribis. 556. D.
Augilorum. 637. A.
I. Babylonis Ægypti. 557. C.
II. Babylonis Ægypti *ſive* Miſræ, Jacob. 466. D. & 558. C.
Barces. 626. B.
Copti. 607. A.
Cuſarum, Jacobita. 598. B.
Cyrenes. 621. C. ejus memoria recolitur apud Armenos die 20. Febr. *Theodori Cyrenes epiſcopi*, teſte Aſſemano, *tom.* 3. *part.* I. *Bibl. Orient. p.* 646. *col.* 1. *lin.* 1.
Dardanidis. 632. B.
Gaïanitarum, Jacobita. 454. E.
Latopolis Thebaïd. II. Jacob. 610. A.
Leontopolis. 554. B.
Metelis, Jacobita. 518. D.
Miſræ, *vide* ſupra II. Babyl. Ægypti.
Oxyrynchi. 577. B.
Ptolemaïdis. 617. B.
Sebennyti. 572. C.
Sedis incertæ, Jacobita. 460. A.
Theodoſius I. Patriarcha Alexandrin. Monoph. 431. D.
II. Patriarcha Alexandrinus. 483. C.
III. Patriarcha Alex. Jacobita. 496. E.
Niciûs. 524. B.
Theon, Nilopolis. 588. C.
Pſynchûs. 615. A.
Sethrœtæ. 533. C.
Theonas, Patriarcha Alexandrinus. 396. B.
Cuſarum. 597. A.
Marmaricæ. 637. B.
Panopolis, Jacobita. 603. A.
Phthenothi. 530. B.
Theopemptus, Cabaſorum. 565. A.
Niciûs. 524. B.
Theophanius, Patriarcha Alexandrinus, Jacob. 476. A.
Theophilus I. Patriarcha Alexandrin. 406. B.
II. *ſive* Theophylactus, Patriarcha Alexandrinus. 454. B.
III. *ſive* Georgius, Pat. Alex. 480. E.
Axumenſis, Arian. 644. A.
Baræ. 473. C. & 542. B.
Cleopatridis. 528. B.
Erythri. 628. A.
Theophylactus, *vide* Theophilus II.
Timotheus I. Patriarcha Alexandrinus. 405. C.
Ælurus II. Patriarcha Alexandrinus, Monoph. 413. D. & 415. A.
Saleſaciolus III. Patriarcha Alexandrin. 414. D. & 416. C.
IV. Patriarcha Alexandrinus. 428. A.
Latopolis Ægypti I. 522. C.
Titus, Parætonii. 633. A.
Tyrannus, Adtinoës. 593. A.
V
Verres, Omborum. 613. A.
Victor, Arſinoës. 583. A.
Vincentius, Copti. 608. A.
Voluſianus, Lycopolis. 599. C.
Ur, Arſinoës, Jacobita. 584. D.
Z
Zacharias, Patriarcha Alex. Jacobita. 480. B.
Athribis, Jacobita. 556. B.
Hermopolis parvæ, Jacob. 517. C.
Tamiathæ. 473. C. & 591. A.
ſive Jacharias Willim, Jacobita. 466. D. & 558. C.
Xoïs. 574. A.
Zeno, Rhinocoruræ. 543. B.
Teuchirorum. 624. B.
Zenobius, Barces. 625. B.
Zephyrius, Barces. *Ibid.*
Zoïlus, Patriarcha Alexandrinus. 435. E.
Andronopolis. 523. A.
Zoſimus, Babylonis Ægypti. 557. B.
Sozyiæ. 618. A.

Index alphabeticus Eccleſiarum quibus præfuerunt Antiſtites Patriarchatus Alexandrini quorum nomina ignorantur.

A
Axumi, Jacobita. 645. E. 648. A. 656. C. 659. C.
B
Bubaſti, Jacobita. 562. C.
C
Cynopolis ſuperioris, Jacobita. 592. D.
H
Heliopolis 564. B.
Hermopolis magnæ, Jacobita. 597. B.
Hermopolis parvæ. 518. B. C.
Homeritarum. 666. B.
L
Lycopolis, Jacobita. 599. C.
N
Nubiæ. 662. B.
O
Oaſis magnæ. 603. B.
P
Panopolis, Jacobita. 603. A.
S
Sebennyti, Jacobita. 572. B.
T
Tamiathæ. 592. B.
Taneos, 536. E. Jacobita. 537. B.
X
Xoïs, Jacobita. 574. A.

INDEX PATRIARCHATUS ANTIOCHENI.

ANTIOCHIA magnæ diœceſis dictæ *Orientis*
caput, ſedeſque tertia Patriarchalis, poſt
Romanam ſcilicet & Alexandrinam, prima fidei
Chriſtianæ rudimenta ſuſcepit à diſperſis poſt
mortem S. Stephani Protomartyris Apoſtolorum
diſcipulis: Petrus deinde ejuſque ſocii Hieroſo-
lymis tunc commorantes, audita multitudinis
Judæorum & gentium in ea urbe converſione,
miſerunt ad illos Barnabam, qui Tarſo accerſens
Paulum, ſimul cum ipſo, tantam unius ſpatio
anni ſegetem congregarunt, *ut cognominarentur
primùm Antiochiæ diſcipuli Chriſtiani. Act. c.
XI. à verſ.* 19. *uſque ad finem capit. col.* 671.
num. 4. C.

Nullus tamen Antiochenæ eccleſiæ præfectus
epiſcopus legitur, antequam ipſemet Apoſtolo-
rum princeps ibi cathedram ſuam conſtituerit,
quod fortaſſis non contigit niſi poſt ejus è carce-
ribus Herodis liberationem anno circiter 44. æræ
vulgaris. 674. *num.* 7. B. & *num.* 8. C.

Tertium locum ſervavit ea ſedes uſque ad an-
num 381. quo in ſecunda ſynodo generali, Me-
letio, dum illa celebrabatur, defuncto ſuffectus
Flavianus, ſe ad quartum locum amandari ſuſti-
nuit, Conſtantinopolitano præſuli ſecundo loco
aſſignato, quarto illius canone. 677. *num.* 11.
C. D. & 678. D.

Orientis nomine provinciæ illæ olim accipie-
bantur, quæ, præ cæteris Imperii Romani,
maximè *Orientales* erant, quæque in civilibus
à Comite *Orientis* regebantur: ſcilicet tres Pa-
læſtinæ, duæ Phœnices, duæ Syriæ, Cyprus,
duæ Ciliciæ, Euphratenſis, Oſrhoëne, Meſo-
potamia, Iſauria, & Arabia. Porro ex hiſce
quindecim civilibus provinciis, tres Palæſtinæ
præſuli Antiocheno probabiliter nunquam morem
geſſere: cæteræ autem duodecim ad quinque
antiquitus reſtringebantur, Ciliciam nimirum,
Syriam, Meſopotamiam, Arabiam, & Cyprum.
Nam una prius Cilicia in duas deinde diviſa eſt;
necnon intra ſuos limites Iſauriæ ortum dedit:
unica pariter Syria ſecta fuit in Syriam I. Syriam
Salutarem, utramque Phœnicen, & Euphraten-
ſem ſeu Comagenam: Oſrhoëne demum ex
Meſopotamiæ parte conſtituta dicitur: quibus à
Juſtiniano Imperat. addita eſt poſtea Theodorias,
provincia parva ex nonnullis utriuſque Syriæ
urbibus conflata. 679. *n.* 12. & *ſeqq.* Tredecim
itaque recenſentur in Notitiis Patriarchæ Antio-
cheno ſubditæ provinciæ, *Syria* I. *Syria* II.
Theodorias, Cilicia I. *Cilicia* II. *Iſauria, Eu-
phratenſis, Oſrhoëne, Meſopotamia, Phœnice* I.
Phœnice Libaniſia, Arabia Petræa, & *Cyprus.*

Ut de eccleſiis regni Perſidis meritò dubitatur
an ſedi Antiochenæ aliquando obnoxiæ fuerint,
682. *n.* 18. E. & *ſeqq.* ſic probabilius negatur
de eccleſiis Palæſtinarum. 687. *num.* 23. D.
At certum videtur Antiochenum præſulem me-
tropolitas quidem omnes ſibi ſubjectos ordinaſſe,
non tamen ſingulos epiſcopos, niſi Syriæ I. cujus
erat ſpecialis metropolita. 689. *n.* 21. C. D. Is
tempore Theodoreti ſæculo V. medio adhuc ſim-
pliciter *archiepiſcopus* dicebatur, & ſæculo dun-
taxat ſequenti, ipſe & Hieroſolymitanus antiſtes
Patriarchæ nomenclaturâ reperiuntur inſigniti.
690. *n.* 22. E.

Antiochenam ſedem variis erroribus fœdarunt
plurimi ejus præſules, 691. *num.* 23. C. ita ut
ſæculo VII. medio, ad orthodoxorum hujus &
Hieroſolymitanæ eccleſiarum curam, miniſtro-
rumque ordinationem S. Martinus Papa Joan-
nem Philadelphiæ metropol. præpoſuerit. 692.
num. 25. D.

Per quadraginta circiter annos caruit Patriarcha
ſedes Antiochienſis ſub Saracenorum tyrannide
ſæculo VIII. 693. *num.* 26. B. Capta deinde
ea urbe à Francis & Latinis anno 1098. die 28.
Junii, ſedit ibi præſul Latinus uſque ad annum
1267. quo ipſa iterum in poteſtatem Moham-
medanorum venit. Interim autem Patriarchæ
Græci Conſtantinopoli degerunt. Dehinc peſſum
ivit Patriarchatus Antiochenus, cui nihil ferè
nunc ſupereſt præter nomen. 693. *num.* 26. B.
& *ſeqq.*

Damaſci commorari ſolet Antiochenus præſul,
698. *num.* 33. E. præter quem eodem titulo
inſigniuntur, tum Latinus Romæ electus, tum
etiam ſupremus Maronitarum moderator, qui ex
conceſſione Romanorum Pontificum, *Patriar-
cha Maronitarum Antiochenus* audit, 698. *n.*
32. C. D. tum denique Jacobitarum Syriæ Pa-
triarcha, qui ſe in epiſtolis appellat *Patriarcham
Theopolis Antiochiæ totiuſque Orientis.* 1354.
num. 25. A.

Provinciæ Patriarchatus Antiocheni ordine alphabetico.

Arabia, provincia quarta diœceſis Antiochenæ,
metropolim habuit *Boſtra.* Provincia hæc ab
orientali diœceſi avulſa eſt, & adjecta Palæ-
ſtinæ à Juſtiniano Imperat. annuente Vigilio
Papa. 853. 854.

Cilicia I. Antiochenæ diœceſis provincia quinta,
de qua fit mentio in epiſtola concilii Hieroſo-
lymitani: *Apoſtoli & Seniores, his qui ſunt
Antiochiæ & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex
gentibus, ſalutem. Act. cap.* 15. *verſ.* 23.
metropolim habuit *Tarſum* S. Pauli patriam,
à quo ea urbs ad fidem adducta eſt. 679. *n.*
12. E. & 885. 886.

Cilicia II. provincia ſexta Antiochenæ diœceſis,
ſectâ prius unicâ Ciliciâ in duas ſub Theodoſio
Juniore, *Anazarbum* in metropolim civilem
& eccleſiaſticam accepit. Hæc dein terræ motu
diruta, quam cladem jam tertiò pertulerat, &
à Juſtino I. Imp. inſtaurata, dicta eſt *Juſti-
nopolis* cum metropoliticis juribus. 885. 886.

Cyprus inſula, diœceſis orientalis provincia, [...]
à Joanne Antiocheno in epiſtola ad Proclum
inter Antiochenas non cenſita, 681. *n.* 17.
E. ab ipſis Eccleſiæ cunis fidei ſemine culta
prædicatione Barnabæ & Pauli, qui Antiochiâ
profecti eò navigaverunt. *Act. cap.* 13. [...]
Sed mirifice profecit dum eò Barnabas ipſe [...]
prius cum Joanne Marco reverſus *Heracli-*
dem ſive *Heraclidem* epiſcopum conſecravit
aſſignata ſpelunca *Tamaſo* Salaminæ vicina
ad quam eccleſia conveniret. Hinc Sala[...]
totius inſulæ, in qua epiſcopatus 30. & [...]
plius fuerunt, metropolis evaſit, quarto ſæ[...]
dicta *Conſtantia.* 1037. 1038. & *ſeqq.*

Inſulam Cyprum ſuæ ditioni ſubditam [...]
tius contenderunt Antiocheni præſules: [...]
ſynodum Epheſinam I. anno 431. vene[...]
Cyprii epiſcopi, dum ab ea defeciſſet Jo[...]
Antiochenus, hoc, peroratâ causâ, judi[...]
obtinuerunt, *Act.* 7. *ut, ſi non eſt vete[...]
quod epiſcopus Antiochen. ordinet in Cy[pro]
habeant jus ſuum intactum qui ſanctis [...]
eccleſiis præſunt:* ſcilicet archiepiſcopum
Salaminæ in inſulæ ſynodo conſtitutum

conſecra[...]

conſecrandi. *Ibid.* & 1041. 1042. Petrus Fullo ſedis Antiochenæ invaſor, prætenſo jure in eam inſulam excidit, Zenone Imperatore huic ut Apoſtolicæ, ob repertum tunc prope Salaminam S. Barnabæ corpus, ſuam libertatem concedente, qua *αὐτοκέφαλος* evaſit. *Ibid.* & 682. D.

Euphratenſis provincia diœceſis Antiochenæ octava, prius dicta *Comagena*, quæ ab Auguſto Cæſare in provinciam Romanam redacta, quoniam flumine Euphrate terminatur, *Euphratenſis* nomen ſumpſit, & in Actis ſynodorum ſæpius audit *Euphratenſis Auguſta.* Hujus metropolis prius civilis, dein & eccleſiaſtica fuit *Hierapolis*, antea *Maboug* & *Bambyce* dicta. 925. 926. *Sergiopolis*, una ex ejus ſuffraganeis, ad dignitatem metropolis ante annum 553. evecta eſt. 952. A.

Iſauria, undecima diœceſis Antiochenæ provincia, cujus metropolis *Seleucia*, primis temporibus ſic neglecta fuit, ut prædonum qui montis Tauri juga incolerent, regio nuncuparetur. Ad Pamphyliam æque ſpectabat & Ciliciam; nec niſi poſt ſynodi Nicænæ ævum videtur inſtituta in ſpecialem provinciam ſub iſto *Iſauriæ* nomine, quæ maxima ex parte veteri conſtabat, adjectis, tum Ciliciæ Tracheæ civitatibus & oppidis nonnullis, inprimis *Seleucia*, tunc in ejus metropolim erecta, tum *Cataonia* regione quæ Cappadociæ pars erat, cujus exinde urbs *Claudiopolis* Iſauriæ attribuitur. Sedi Antiochenæ obnoxia manſit ea provincia, donec Leo Imperator ex illa dictus *Iſaurus*, eam Patriarchatui Conſtantinopolitano addixit. 1009. 1010. *Iſaura* oppidum, unde *Iſauriæ* nomen ad Lycaoniam tranſiit. *Ibidem.*

Meſopotamia, decima provincia diœceſis Antiochenæ, ipſam Oſrhoënen olim complectebatur, quam ab illa Trajanus Imp. ſejunxit. Meſopotamiæ *Amida* caput facta eſt, ſed quoad jus civile tantùm; metropoliticis autem honoribus cœpit frui anno quarto Conſtantii Imperatoris: unde in Indice Patrum Nicænæ ſynodi unus Edeſſenus Meſopotamiæ præſul appellatur. Provincia iſta poſtea nuncupata eſt *Meſopotamia ſuperior*, & *quarta Armenia.* 681. C. & 989. 990. Sed juriſdictio Patriarchæ Antiocheni non parum imminuta fuit, tum *Niſibi* urbe occupata à Perſis, ex quo in *Catholici* Chaldæorum poteſtatem tranſiit, 995. 996. tum etiam *Bezabde* ſive *Zabda* inſula dignitate metropolis aucta ſub Neſtorianis antiſtitibus. 1003. 1004.

Oſrhoëne, regio trans Euphratem, ſic dicta à primo ſuo rege *Orrhoë* ſive *Oſrhoë*, metropolim habuit *Edeſſam*, fuitque nona diœceſis Antiochenæ provincia. Fidem Chriſti amplexa eſt cum ſuo rege Abgaro, ſtatim atque Thaddæus unus ex LXXII. diſcipulis eò venit, miſſus à S. Thoma Apoſtolo. 953. 954.

Phœnicia *ſive* Phœnice I. ſecunda provincia diœceſis Antiochenæ, Religionem Chriſtianam edocta per diſcipulos diſperſos poſt Stephani martyrium, epiſcopum & preſbyteros à ſancto Petro ſuſcepit. 680. *n.* 13. C. & 801. 802. *Tyrus* ſedes hujus epiſcopi fuit, totiuſque Phœnices metropolis, ac Eccleſiæ Antiochenæ *Πρωτόθρονος*, ad cujus præſulem pertinebat Patriarchæ conſecratio. *Ibid. Sidon* his poſterioribus ſæculis cum Tyro in unum archiepiſcopatum coaluit. 814. B. Dignitate quoque auctæ ſunt variis temporibus intra eam provinciam *Ptolemaïs*, 816. C. & *Berytus.* 820. D.

Phœnicia ſive *Phœnice II.* tertia provincia diœceſis Antiochenæ, à Theodoſio Seniore inſtituta, & appellata *Phœnicia Libanenſis* vel ad Libanum, metropolim eccleſiaſticam habuit *Damaſcum*, quæ dicitur *ſecunda Cathedra Orientis* in epiſt. Joannis Antiocheni. 881. A. & 833. 834.

Syria I. prima quoque fuit provincia diœceſis Antiochenæ, quam, ut ejus metropolita proprius, adminiſtrabat Patriarcha Antiochenus. 689. *n.* 21. C. Intra eam provinciam ſubliniorem dignitatem obtinuere *Berrhœa* ſive *Halep*, 784. B. & *Laodicea* facta ſæculo VI. caput provinciæ Theodoriadis. 789. 790.

Syria II. ſive *Salutaris*, Syriæ in duas provincias diviſæ à Theodoſio Juniore pars fuit, & ſeptima provincia diœceſis Antiochenæ: huic datâ in metrop. *Apameâ*, quæ non niſi ſerius religionem chriſtianam ſuſcepit. 909. 910.

Theodorias, ſic denominata fuit ob Theodoram Juſtiniani I. conjugem, in cujus honorem erecta eſt à præfato Imperat. ſæculo VI. 789. 790. *lin.* I. *tituli Laodiceæ*, & 923. 924. *lin.* 1. detractis ſcilicet ab utraque Syria nonnullis ſedibus, à prima quidem *Laodicea* huic aſſignata in metropolim, ſed abſque ulla jurium in ipſam Patriarchæ Antiocheni læſione. 789. 790. *Gabalis*, 797. 798. & *Palto*, 799. 780. à ſecunda verò *Balanæa*. 923. 924.

Index Eccleſiarum Patriarchatus Antiocheni ordine alphabetico.

A

Abida, ſedes epiſcopalis Phœniciæ II. ſeu Libaniſiæ, ſub Damaſco metropoli. 849. 850.

Abila, nunc *Belinas*, Tetrarchiæ Abilinæ olim caput in Cœleſyria ſive Phœnice Libaniſia: non confundenda ſive cum Abila Bataneæ in Palæſtina II. ſive cum Abila Petrææ trans Jordanem in regione Setim. Ejus metropolis fuit Damaſcus. 843. 844.

Aco *ſive* Ace & Acre, *vide* Ptolemaïs.

Adana ſive *Adena*, urbs Ciliciæ I. ad Sarum flumen, ſub Tarſo metropoli. 881. 882.

Adraa, dicta *Edrai*, *Num. cap.* 21. *v.* 33. ubi Og rex Baſan victus eſt ab Iſraëlitis; ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris metropoli. 859. 860.

Adraſſus, Hierocli *Daraſus*, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1031. 1032.

Ægæ ſive *Ægeæ*, numero plurali, ſedes epiſcopalis Ciliciæ II. ſub Anazarbo metropoli. In ea erectum eſt à Juſtiniano Imperat. templum in honorem SS. Coſmæ & Damiani qui ibidem paſſi fuerant, non in Arabia: alia tamen monumenta & Theodoretus aſſerunt eos martyrium ſubiiſſe Cyrrhi in Euphratenſi provincia. 893. 894.

Ænus ſive *Avara*, ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris metropoli. 867. *ad calcem col.* I.

Aghel, *vide* Ingila.

Aguſia, *vide* Auguſta.

Alala, neutro plurali, ſive *Alalis*, ſedes epiſcopalis Phœnices II. ſub Damaſco metropoli. 847. 848.

Alana, *vide* Nehela.

Alepum, *vide* Berrhœa.

Alexandria ſive *Alexandretta*, *Aleſſandrona*, & *Scandareta*, oppidum, non Syriæ, ut ſcribit Ptolemæus, ſed Ciliciæ, ut Plinius; ſedes epiſcopalis Ciliciæ II. ſub Anazarbo metropoli. 903. 904.

Aman, *vide* Epiphania Syriæ II.

Amathus in Cypro, ex qua *Amathuſio* ea inſula dicta eſt, Veneri & Adonidi ſacra: hodie *Lemiſſus* & *Nemoſia*. Una olim cum *Neapoli* ſedes epiſcopalis ſub Salamine ſive Conſtantia metropoli. 1161. 1162. & 1063. 1064.

Amida, ſedes primùm epiſcopalis Meſopotamiæ ſub Edeſſa metropoli; dein aucta in metropolim: hodie *Caramit* ſive *Cara-Amid* nuncupatur. 989. 990. Amidæ ſubſtractæ ſunt, & metropoliticis honoribus donatæ, *Niſibis*, 1195. 1196. ac *Martyropolis*, 1002. B. *in textu Græco.*

Ammana, *vide* Philadelphia Arabiæ.

Amuria *ſive* Amurim, *vide* Himeria.

Anaſartha *ſive* Onoſartha, ſedes epiſcopalis Syriæ I. ſub Antiochia magna hujus provinciæ metropoli. 787. 788.

Anaſtaſiopolis, *vide* Daras.

Anazarbus, ſedes primùm epiſcopalis Ciliciæ ſub Tarſo metropoli, dein metropolis Ciliciæ II. Poſtmodum quum terræ motibus diruta fuiſſet, à Juſtino Imp. inſtaurata eſt, & *Juſtinopolis* ſive *Juſtinianopolis* nuncupata. 885. 886. & 887. E.

Anemurium, nunc *Stalemura* vel *Anemura*, urbs veteris Ciliciæ, quam à Pamphylia dirimebat; ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1015. 1016.

Anitha, *vide* Eutimia.

Antaradus ſive *Tortoſa*, urbs Phœnices I. aliquando in unum epiſcopatum cum *Arado* coaluit ſub Tyro metropoli. Fuit etiam brevi ante annum 451. ſub Beryto, 815. 816. *lin. penult.* ſed iterum Tyro obnoxia facta eſt. 827. 828.

Antiochia magna quæ & *Theopolis*, ad Orontem fluvium, prope lucum Daphnes Apollini olim ſacrum, ſedes fuit tertia orbis chriſtiani, & primaria diœceſis Orientis. 669. 670. & *ſeqq. uſque ad* 699. 700. *Vide etiam quæ de illa dicta ſunt initio Indicis hujus Patriarchatus, p. xxiv. col.* I. & *volum. ſeq.* 1153. 1154.

Antiochia minor, nunc *Antiochetta*, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1017. 1018.

Antiochia Ciliciæ ab iſta diverſa, & prorſus ignota. 883. 884. *ad calcem paginæ.*

Apamea, nunc *Hama* vel *Hameus*, ſedes epiſcopalis Syriæ, facta deinde metrop. Syriæ II. 909. 910.

Arach, *vide* Edeſſa.

Arachlea, *vide* Rachlena.

Aradus, inſula Phœnices I. ſedes epiſcopalis aliquando conjuncta cum *Antarado* ſub Tyro metropoli. 827. 828.

Arce ſive *Arcæ*, numero plurali, & *Cæſarea*, nunc *Archis*, vicus Phœnicis inter Antaradum & Tripolim: ſedes epiſcopalis primùm ſub Tyro, deinde brevi ſub Beryto, poſtea iterum ſub Tyro. 815. 816. *lin. penult.* & 823. 824.

Arethuſa, urbs Cœle-Syriæ ad Orontem fluvium, nunc *Fornacuſa* vicus, ſedes epiſcopalis Syriæ II. ſub Apamea metropoli. 915. 916.

Arſamoſata ſive *Armoſata*, ſedes epiſcopalis Meſopotamiæ ſub Amida metropoli. 1005. 1006.

Arſinoë, urbs Cypri, dicta olim *Hamınochoſtos*, & poſteriori ævo *Famaguſta*, poſt everſionem Conſtantiæ facta eſt inſulæ metropolis; ſed ea dignitas deinde ad urbem Nicoſiam tranſiit. 1041. 1042. *linea penultima*, & 1065. 1066.

Aſtarte, *vide* Philadelphia Arabiæ.

Avara, *vide* Ænus.

Auguſta *ſive* Auguſtopolis, & corrupte *Agaſia* prope Pyramum fluvium, ſedes epiſcopalis Ciliciæ I. ſub Tarſo metropoli. 879. 880.

B

Baſſo, *vide* Papho.

Balanæa ſive *Balaneæ*, numero plurali, & nunc *Bagnias*, ſedes epiſcopalis Syriæ II. ſub Apamea metropoli, cui poſtea adempta eſt à Juſtiniano Imp. & Laodiceæ metropoli Theodoriadis ſubdita. 921. 922.

Balbec, *vide* Heliopolis: *Item* Hierapolis.

Balentia *ſive* Balla, *vel* Balia, *vide* Nova-Valentia.

Bambyce, *vide* Hierapolis.

Barbaliſſus ſive *Barbariſſus*, ſedes epiſcopalis Euphratenſis provinciæ ſub Hierapoli. 949. 950.

Barſalium, *vide* Sergiopolis.

Batnæ, numero plurali, quæ & *Batnæ Sarugi*, ceu *Sarugum* regiuncula fuerit in qua extabant Batnæ, ſedes epiſcopalis Oſrhoënes ſub Edeſſa metropoli. 971. 972.

Belinas, *vide* Abila.

Bellinas, *vide* Paneas.

Berrhœa, multorum judicio eadem eſt quæ nunc *Alepum* celebre emporium in Cyrrheſtica Syriæ. Sedes epiſcopalis primùm fuit Syriæ I. ſub Antiochia magna hujus provinciæ metropoli. 781. 782. poſtmodum metropoliticam dignitatem obtinuit. 784. C. *Vide etiam volum. ſeq.* 1237. 1238.

Berytus, nunc *Beirut* & *Barut*, urbs Phœnices I. ſedes epiſcopalis ſub Tyro metropoli, facta deinde metropolis novæ cujuſdam provinciæ intra Phœnicem I. erectæ à Theodoſio II. cum ſuffraganeis *Byblo*, *Botry*, *Tripoli*, *Orthoſiade*, *Arce*, & *Antarado*, quorum præſules conſecrare ſui juris pertendebat Beryti epiſcopus, ſed ea facultate dejectus eſt in ſynodo Chalcedonenſi, ſolo permiſſus honore potiri, abſque ulla metropolitæ Tyri in has ſedes auctoritatis imminutione. 815. 816. & 818. C.

Bethammaria, *vide* Himeria.

Bezabde ſive *Bezabda* vel *Beth-Zabda*, *Zabda*, & *Gozarta* ſive *Gezira*, hoc eſt *Inſula*; olim verò *Phœnica*: ſedes epiſcop. Meſopotamiæ

ſub Amidæ metrop. ſed ſæculo IV. ex ditione Patriarchæ Antiocheni in poteſtatem Catholici Chaldæorum tranſiit, à quo ad dignitatem metropolis evecta eſt 1003. 1004.

Birtha ſive *Bithra*, ſedes epiſcopalis Oſrhoënes ſub Edeſſa metropoli. 985. 986.

Boldos, *vide* Paltos.

Boſtra, numero plurali, ſive *Boſra*, nunc *Buereth*, totius Arabiæ olim metrop. Patriarchæ Antiocheno obnoxia, cui adempta eſt cum Arabia Petræa, & Patriarchæ Hieroſolymorum ſubdita à Juſtiniano Imperat. annuente Vigilio Papa, ſæculo VI. 853. 854. *Philadelphia* ejus ſuffraganea in metropolim ante annum 451. erecta eſt. 861. C.

Botrys, ſedes epiſcopalis Phœnices II. ſub Tyro metropoli; dein brevi ſub Beryto: poſtmodum rurſus ſub Tyro. 815. 816. *lin. penult.* & 827. 828.

Byblos ſive *Byblus*, nunc *Giblet* vel *Zibellet*, ſedes epiſcopalis, ut præcedens, ſub Tyro, ſub Beryto, & iterum ſub Tyro. 815. 816. *lin. penult.* & 819. 820.

C

Cæſarea Philippi, *vide* Paneas.

Callinicus *ſive* Callinicum, *Callionicus* & *Leontopolis*, ſedes epiſcopalis Oſrhoënes ſub Edeſſa metropoli. 969. 970.

Callirhoë, *vide* Edeſſa.

Canatha ſive *Canath* & *Nobe*, de qua *Num. c.* 32. *verſ.* 42. ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris metropoli. 867. 868. ubi *linn.* 5. & 6. pro *Nabau* legendum eſt *Naban*.

Canſara, *vide* Chalcis.

Caramid ſive *Caramit*, *vide* Amida.

Cardabunthus, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1035. 1036.

Carpaſia ſive *Carpaſium*, nunc *Carpaſſo*, ſedes epiſcopalis in inſula Cypro ſub Conſtantia metropoli. 1067. 1068.

Caſchara, ſedes epiſcopalis Meſopotamiæ, primùm ſub Amida metropoli, deinde ſub Catholico Chaldæorum. 1001. 1002.

Caſtabala, neutro plurali, ſive *Caſtabla* & *Mamiſta*, ſedes epiſcop. Ciliciæ II. ſub Anazarbo metropoli. 901. 902.

Caypha, de qua ſæpe Willelm. Tyr. *vide* Porphyreon.

Celenderis ſive *Celendris*, & nunc *Palopoli*, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metrop. 1015. 1016.

Cephæ-Caſtellum, ſedes epiſcop. Meſopotamiæ ſub Amida metropoli. 1005. 1006.

Ceraunia ſive *Ceronia*, *Cinyria*, & nunc *Cerines*, ſedes epiſcopalis Cypri ſub Conſtantia metrop. 1073. 1074.

Ceſtrus ſive *Ceſtri*, numero plurali, & *Ceſtra*, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metrop. 1025. 1026.

Chalcis, olim *Chalcedon*, nunc *Chinſerin*, & *Canſara*, ſedes epiſcopalis Syriæ I. ſub Antiochia magna hujus provinciæ metropoli. 785. 786.

Charadrus, ſedes epiſcopalis Iſauriæ, quæ cum *Lamo* conjuncta erat ſæculo V. ſub Seleucia metropoli. 1217. 1218.

Charran ſive *Charra*, *Charræ*, *Haran*, & *Harran*, ſedes epiſcopalis Oſrhoënes ſub Edeſſa metropoli. 973. 974.

Chemps, *vide* Emeſa.

Chinſerin, *vide* Chalcis.

Chryſopolis, ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris metropoli. 867. 868.

Chytrus ſive *Cythros*, *Chythys*, & *Cythera*, ſedes epiſcopalis Cypri inſulæ ſub Conſtantia metropoli. 1067. 1068.

Circeſium ſive *Circeſſus*, *Cercuſium*, & *Circiſia*, ſedes epiſcopalis Oſrhoënes ſub Edeſſa metropoli. 977. 978.

Citidiopolis, ſedes epiſcopalis Ciliciæ II. ſub Anazarbo metropoli. 905. 906.

Citium ſive *Cittium*, *Cetium*, nunc *Chite*, ſedes epiſcopalis Cypri inſulæ ſub Conſtantia metropoli. 1055. 1056.

Claudiopolis, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli, quùm prius fuiſſet diœceſis Ponticæ. 1027. 1028.

Come-Charrorum ſive *Chomoara*, *Choara*, *Chonachara*, fortaſſis *Goaria* Ptolemæi, & *Hauran* Damaſco vicina, ſedes epiſcopalis Phœnices II. ſub eadem Damaſco. 847. 848.

Conſtantia ſive *Conſtantina*, ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris metropoli. 855. 856.

Conſtantia altera, metropolis inſulæ Cypri, *vide* Salamis.

Conſtantia tertia, ſedes epiſcopalis Meſopotamiæ ſub Amida metropoli. 1005. 1006.

Conſtantina, prius *Nicephorium*, & *Maximianopolis*, dicta quoque *Tela*, & *Conſtantia*, ſedes epiſcopalis Oſrhoënes ſub Edeſſa metropoli. 967. 968.

Corada, neutro plurali, ſedes epiſcopalis Phœnices II. ſub Damaſco metropoli. 851. 852.

Coropaſſus, *vide* Zoropaſſa.

Corycus, ſedes epiſcopalis Ciliciæ I. ſub Tarſo metropoli. 879. 880.

Cotrada, neutro plurali, ſive *Cotradus*, & *Coſtradus*, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1031. 1032.

Curium, olim *Curias*, nunc *Piſcopia*, ſedes epiſcopi Græci ſub Conſtantia, deinde ſub Famaguſta in inſula Cypro. 1057. 1058.

Cyprus inſula, *vide ſupra inter provincias hujus Patriarchatus. pag. xxiv. col.* 2.

Cyrrhus ſive *Cyrrhos*, *Cyrrhum*, & *Cyrus*, nunc *Quars* ſeu *Carin*, ſedes epiſcop. Euphratenſis provinciæ ſub Hierapoli. 929. 930.

D

Daliſandus, urbecula regionis Cataoniæ in Cappadocia, quæ à Pontica diœceſi in ditionem Patriarchæ Antiocheni tranſiit, facta ſedes epiſcopalis Iſauriæ provinciæ ſub Seleucia metropoli. 1025. 1026.

Damaſcus, metropolis Phœnices II. 833. 834.

Danaba, ſedes epiſcopalis ejuſdem provinciæ ſub Damaſco. 847. 848.

Daras ſive *Dara*, dicta quoque *Anaſtaſiopolis* à conditore, & *Juſtiniana nova* à Juſtiniano qui eam refecit, ſedes epiſcop. Meſopotamiæ ſub Amida metropoli. 997. 998.

Dauſara, ſedes epiſcopalis Oſrhoënes ſub Edeſſa metropoli. 983. 984.

Diocæſarea, ſedes epiſcop. Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1019. 1020.

Dionyſias, ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris metropoli. 865. 866.

Diverigi, *vide* Seleucobelus.

Doliche ſive *Dolucha*, *Dulichium*, & *Dulichia*, ſedes epiſcopalis Euphratenſis provinciæ ſub Hierapoli. 937. 938.

Domitiopolis ſive *Dometiopolis*, *Dometiupolis*, & *Domitianopolis*, nunc *Domezopoli*, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1023. 1024.

E

Edeſſa, provinciæ Oſrhoënes metropolis civilis & eccleſiaſtica, olim ſub *Arach* nomine à Nembrodo condita, dicta deinde *Callirhoë*, & per ſyncopen *Rhoë*, demum in honorem Edeſſæ Macedonicæ *Edeſſa* nuncupata à Macedonibus, & nunc *Orpha* ſive *Ourfa*, fidem Chriſti ſuſcepit ſub Abgaro ſuo rege, à Thaddæo uno ex LXXII. diſcipulis. 953. 954. ubi *lin.* 4. pro *Morcon* & *Orcon*, legendum eſt *Merorum*.

Ela, *vide* Neela.

Eleale, *vide* Neela.

Emeſa ſive *Emiſa*, *Emiſſa*, *Emiſus*, vulgo *Hems* ſeu *Chems*, & Turcis *Haman*, ſedes epiſcopalis Phœnices II. ſub Damaſco metropoli. 837. 838.

Epiphania ſive *Epiphanea*, ſedes epiſcopalis Ciliciæ II. ſub Anazarbo metropoli. 895. 896.

Epiphania ſive *Epiphanea* altera, prius *Emath*, nunc *Aman*, ſedes epiſcopalis Syriæ II. ſub Apamea metropoli. 915. 916.

Errha ſive *Era*, fortaſſis Ἱεράπολις, *Hierapolis*, vel potius Ἐράπολις, *Erapolis* Hieroclis, ſed non *Gerrha* à qua Gerrhæi: ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris metropoli. 865. 866.

Eſbus, olim *Eſebon*, Moabitarum caput, ſedes Arabiæ ſub iiſdem Boſtris. 863. 864.

Evaria ſive *Juſtinianopolis*, ſedes epiſcop. Phœnices II. ſub Damaſco metropoli. 847. 848.

Europum ſive *Europus*, ſedes epiſcopalis Euphratenſis provinciæ ſub Hierapoli metropoli. 945. 946.

Eutimia ſive *Anitha*, ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris metropoli. 868. *col.* 2.

F

Famaguſta ſive *Fama-Auguſti* in inſula Cypro, *vide* Arſinoë,

Fayd, *vide* Palmyra.

Flavias ſive *Flaviopolis*, nunc vicus *Filiopoli*, ſedes epiſcopalis Ciliciæ II. ſub Anazarbo metropoli. 899. 900.

Fornacula, *vide* Arethuſa.

G

Gabala, neutro plurali, & etiam femin. gener. ſive *Gabale*, nunc *Gibel*, ſedes epiſcopalis primùm Syriæ I. ſub Antiochia magna hujus provinciæ metropoli: deinde ſub Laodicea Theodoriadis provinciæ metrop. 797. 798.

Gabba ſive *Gabbus*, nunc *Gebul*, ſedes epiſcopalis præfatæ Syriæ I. 787. 788. ubi *lin.* 7. pro Syriæ *ſecundæ*, legendum eſt *primæ*.

Geraſa ſive *Geraſis*, & *Gelaſa*, ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris metropoli. 859. 860.

Germanicia ſive *Marhas*, & nunc *Mercez*, ſedes epiſcopalis Euphratenſis provinciæ ſub Hieropolitano metropolita. 939. 940.

Germanicopolis, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1027. 1028.

Gerrhe, *vide* Perrha.

Gezira, *vide* Bezabde.

Gindarus ſive *Gendarus*, ſedes epiſcop. Syriæ I. ſub Antiochia magna. 789. 790.

Goaria, *vide* Come-Charrorum.

Gozarta, *vide* Bezabde.

H

Hadrianopolis Syriæ, *vide* Palmyra.

Halepum, *vide* Berrhœa.

Hama ſive *Hamous*, *vide* Apamea.

Haman, *vide* Emeſa.

Hammochoſtos, *vide* Arſinoë.

Heliopolis, nunc *Balbec*, ſedes epiſcopalis Phœnices II, quæ Cœle-Syriam comprehendit, ſub metropolita Damaſci. 841. 842.

Helioſebaſte, *vide* Sebaſtia.

Hellineſium, corrupte pro Selinûs. 1020. B.

Helpha, *vide* Porphyreon.

Hems, *vide* Emeſa.

Hierapolis, prius *Maboug*, *Mabug*, *Manbeg*, *Bambyce*, nunc *Membiſc*, vel *Balbec*, ſedes metropolitana provinciæ Euphratenſis. 925. 926. *Sergiopolis*, una ex ejus ſuffraganeis, dignitate metrop. aucta eſt ſæculo VI. 952. A.

Hierapolis altera, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1025. 1026.

Himeria ſive *Himerius*, *Hemerius*, *Himerium*, *Amoria*, *Amurin*, & *Bethammaria*, ſedes epiſcopalis Oſrhoënes ſub Edeſſa metropoli. 983. 984.

I

Iabruda ſive *Iambruda*, ſedes epiſcopalis Phœnices II. ſub Damaſco metropoli. 845. 846.

Idibinge, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1033. 1034.

Ingila, neutro plurali, ſive *Aghel*, vel *Anghel*, ſedes epiſcopalis Meſopotamiæ ſub Amida metropoli. 1007. 1008.

Inzole, *vide* Vologeſocerta.

Jotape, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1019. 1020.

Irenopolis ſive *Neronias*, ſedes epiſcopalis Ciliciæ II. ſub Anazarbo metropoli. 897. 898.

Irenopolis altera, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1029. 1030.

Iſlenos, *vide* Selenus.

Juliopolis, *vide* Tarſus.

Julioſebaſte, *vide* Sebaſtia.

Juſtiniana nova, *vide* Daras.

Juſtinianopolis, *vide* Evaria.

Juſtinianopolis altera, *vide* Anazarbus.

Juſtinopolis, *vide* Anazarbus.

L

Lamus ſive *Latmus*, nunc *Lamo*, ſedes epiſcopalis Iſauriæ aliquando conjuncta cum *Charadro*; ſub Seleucia metropoli. 1017. 1018.

Laodicea *ad mare*, ſedes primùm epiſcopalis Syriæ I. ſub Antiochia magna hujus provinciæ metropoli, 789. 790. deinde metropolitana provinciæ Theodoriadis, tribus ipſi aſſignati ſuffraganeis, *Gabalis*, 797. 798. *Paltos* 799. 800. & *Balanæa*, 921. 922.

Laodicea altera *ad Libanum*, ſedes epiſcopalis Phœnices II. ſub Damaſco metropoli. 841. 842.

Lapithus ſive *Lapathus*, *Lapethus*, *Lapethis* nunc *Lapathios*, ſedes epiſcopalis ſub Famaguſta in inſula Cypro. 1067. 1068.

Lariſſa, nunc *Laris*, ſedes epiſcopalis Syriæ ſub Apamea metropoli. 917. 918.

Digitized by Google

Ledra ſive *Ledrum, Leuteon, Leucotheon, Leucoſia*, & *Nicoſia*, in inſula Cypro, ſedes epiſcopalis primùm ſub Salamine ſive Conſtantia, deinde ſub Famaguſta, demùm Luſinianorum facta regia, metropolis evaſit totius inſulæ, cui parere juſſi ſunt ipſi etiam præſules Græci ritus. 1043. 1044. & 1075. 1076.

Lemiſſus nova, *vide* Neapolis Cypri.

Lemiſſus vetus, *vide* Amathus.

Leontopolis, ſedes epiſcop. Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1021. 1022.

Leontopolis altera, *vide* Callinicus.

Leucoſia, *vide* Ledra.

M

Mabug *ſive* Maboug, Manbec, & Membiſc, *vide* Hierapolis.

Macedònopolis, ſedes epiſcopalis Oſrhoënes ſub Edeſſa metropoli. 985. 986.

Maipheracta *ſeu* Maipherchin, *vide* Martyropolis.

Mallus, ſedes epiſcopalis Ciliciæ I. ſub Tarſo metropoli. 883. 884.

Mamiſta, *vide* Caſtabala.

Mamiſtra, *vide* Mopſueſtia.

Maraclea; *vide* Rachlena.

Marcopolis, ſedes epiſcopalis Oſrhoënes ſub Edeſſa metropoli. 981. 982.

Marhas, *vide* Germanicia.

Mariamme ſive *Mariamma*, *Mariammia*, & *Mariame*, ſedes epiſcòpalis Syriæ II. ſub Apamea metropoli. 919. 920.

Marianopolis, ſedes epiſcopalis Euphratenſis provinciæ ſub Hierapoli. 951. 952.

Maronopolis, ſedes epiſcopalis Meſopotamiæ ſub Amida metropoli. 1007. 1008.

Martyropolis, ſic dicta à collectis Martyrum qui ſub Sapore & Varane regibus Perſarum paſſi fuerant reliquiis, nuncupata etiam *Maipheracta*, *Maiphercat*, *Maipherchin*, *Majapharchin*, *Parchi*, & *Mazepracta*, unum cum *Tacrito* præſulem aliquando habuit ſæculo V. ſub Amida metropoli Meſopotamiæ. 999. 1000.

Maximianopolis trans Jordanem, ſedes epiſcop. Arabiæ ſub Boſtris metropoli. 867. 868.

Maximianopolis altera, *vide* Conſtantia.

Malaba ſive *Medba*, & *Medava*, ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris. 859. 860.

Mercex, *vide* Germanicia.

Mopſueſtia, Μόψου ἑστία, id eſt cujuſdam *Mopſi lares*, dicta quoque *Mopſos*, *Meſſiſſa*, *Mamiſtra*, *Mabniſta*, & *Mebſece*, ſedes epiſcopalis Ciliciæ II. ſub Anazarbo metrop. 889. 890.

Muſbada, neutro plurali, ſedes epiſcop. Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1033. 1034.

N

Neapolis, ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris metropoli. 865. 866.

Neapolis altera in inſula Cypro, Amathunte ſive Lemiſſo vetere devaſtata, ejus ſedem epiſcopalem excepit ſub Conſtantia metropoli. Dicta eſt etiam *Lemiſſus nova*, *Nemeſſus*, *Nemeſus*, & *Nemoſia nova*. 1061. 1062.

Neela, numero plur. ſive *Nehela*, *Ela*, *Alana*, & fortaſſis *Eleale* in terra Moabitarum, ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris. 867. 868.

Nemeſſus *ſive* Nemeſus nova, *vide* Neapolis Cypri.

Nemeſſus vetus, *vide* Amathus.

Nemoſia nova, *vide* Neapolis Cypri.

Nemoſia vetus, *vide* Amathus.

Neocæſarea ſive *Cæſarea*, & *Cæſara*, ſedes epiſcopalis Euphratenſis provinciæ ſub Hierapolitano metropolita. 947. 948.

Nephelis, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1023. 1024.

Neronias, *vide* Irenopolis Ciliciæ II.

Neve ſive *Nebe*, *Nibe*, *Niva*, *Ninive*, & *Nineve*, ſedes epiſcop. Arabiæ ſub Boſtris. 863. 864.

Nicephorium, *vide* Conſtantina.

Nicoſia, *vide* Ledra.

Niſibis, à Nembrodo condita ſub nomine *Achad*, ſedes epiſcopalis Meſopotamiæ fuit ſub Amida metropoli, deinde à ditione Patriarchæ Antiocheni in poteſtatem *Catholici* Chaldæorum venit ſæculo IV. à quibus metropolis dignitate aucta eſt. 995. 996.

Nova-Valentia, fortaſſis *Balla* vel *Balia*, epiſcopatus Oſrhoënes ſub Edeſſa. 985. 986.

O

Olba ſive *Olbe*, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1029. 1030.

Onoſartha, *vide* Anaſartha.

Orimas, *vide* Urima.

Orpha *ſive* Ourfa, *vide* Edeſſa.

Orthoſias *ſive* Sarchaïs, ſedes epiſcopalis Phœnices I. ſub Tyro metropoli. 825. 826. Hæc perperam legitur *Ortoſias*, & Græcè Ὀρτωσιάς volum. ſeq. 1239. 1240. legendum eſt *Orthoſias*, & Græcè Ὀρθωσιάς.

P

Palapoli, *vide* Celenderis.

Palmyra, dicta etiam *Hadrianopolis Syriæ*, ex Hadriano Imperat. qui eam auxit, nunc verò *Fayd*, ſedes epiſcopalis Phœnices II. ſub Damaſco metropoli. 845. 846.

Paltos ſive *Paltus*, nunc *Boldos*, ſedes epiſcop. Syriæ I. ſub Antiochia magna hujus provinciæ metropoli, deinde ſub Laodicea ad mare metropoli Theodoriadis. 799. 800.

Paneas ſive *Cæſarea Philippi*, quia Philippus Herodis Senioris filius Trachonitide auctus, eam vel condidit, vel de vico in urbem erexit, & in honorem Imperatoris *Cæſaream* appellavit. Dicta quoque fuit *Neronias* à Nerone Imp. & *Bellinas*. Sedes erat Phœnices I. ſub Tyro, 831. 832. ſed nunc exciſa jacet.

Paphus ſive *Paphos*, & *Nova Paphos* in inſula Cypro, ad diſtinctionem alterius, 60. ſtadiis inde diſtantis, quæ dicebatur *Vetus Paphos*. Auguſtus Imper. Papho inſtaurata *Auguſtam* nuncupari præcepit, at prævaluit prius nomen; nunc *Baffo* appellatur: ibi Sergius Paulus à Paulo Apoſtolo ad fidem Chriſti converſus eſt. Sedes fuit epiſcopalis ſub Salamine ſive Conſtantia, deinde ſub Famaguſta & ſub Nicoſia. 1059. 1060. Hujus antiſtes Græcus *metropolitæ* titulo an. 1668. pollebat. 1062. B. Porro in indice volum. ſeq. *p. xiv. col.* I. ubi de ea urbe, emendanda ſunt verba iſta, *Urbs Cretæ inſulæ ſub Candia metropoli:* quibus ſubſtituendum eſt, *Urbs Cypri inſulæ ſub Nicoſia metropoli.*

Pella, corrupte pro Perrhæ. 943. B.

Perrha ſeu *Perrhe*, *Gerrhe*, *Perrhi*, *Parin*, & *Pharin*, ſedes epiſcopalis Euphratenſis provinciæ ſub Hierapoli. 943. 944.

Philadelphia, olim *Ammana*, *Rabatamana*, & *Aſtarte*, ſedes epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris metropoli: deinde metropoleos jure aucta in diœceſi Palæſtinæ. 861. 862. & 861. C.

Philadelphia altera, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1021. 1022.

Philippopolis, à Philippo Imperatore condita in agro Boſtrenſi ubi natus erat, ſedes fuit epiſcopalis Arabiæ ſub Boſtris metropoli. 861. 862.

Phœnica, *vide* Bezabde.

Piſcopia, *vide* Curium.

Pompeïopolis, prius *Soli* ſive *Soloë*, nunc *Paleſoli*, ſedes epiſcopalis Ciliciæ I. ſub Tarſo metropoli. 875. 876.

Porphyreon, olim *Helpha*, & temporibus bellorum ſacrorum *Caypha*, ſedes epiſcop. Phœnices I. ſub Tyro metropoli. 829. 830.

Ptolemaïs ſive *Aco*, *Acco*, *Acce*, nunc *Acon*, & *Acre*, ſedes epiſcopalis ejuſdem provinciæ, hodie titulo *metropolis* ornatur, & ad diœceſim Palæſtinæ pertinet. 813. 814. & 816. C.

Q

Quars, *vide* Cyrrhus.

R

Rabatamana, *vide* Philadelphia Arabiæ.

Rachlena ſive *Arachlea*, vel *Maraclea*, ſedes epiſcopalis Phœnices I. ſub Tyro metropoli. Hanc regebat anno 518. epiſcopus Zenopolis. 831. 832.

Raphanea ſive *Raphaneæ*, numero plur. ſedes epiſcopalis Syriæ II. ſub Apamea metropoli. 921. 922.

Rhæſina, quæ & *Theodoſiopolis* à Theodoſio Magno illius inſtauratore, ſedes epiſcopalis Oſrhoënes ſub Edeſſa metropoli. 979. 980.

Rhoë, *vide* Edeſſa.

Rhoſus ſive *Rhoſos*, *Rhoſſus*, nunc *El-Ros*, ſedes epiſcopalis Ciliciæ II. ſub Anazarbo. 905. 906.

S

Salamis in inſula Cypro, eccleſia à S. Barnaba inſtituta, & ejus martyrio illuſtris, totius inſulæ metropolis. 1037. 1038. & *ſeqq. Vide* Cyprus inter provincias hujus Patriarchatus. *pag. xxiv. col.* 3.

Samoſata, neutro plur. & etiam ſem. ſing. nunc *Sempſat*, ſedes epiſcopalis Euphratenſis provinciæ ſub Hierapolitano metropolita, ſed an. 879. idem epiſcopus præerat ſimul *Amidæ* & *Samoſatæ*. 933. 934.

Saracenorum, ſedes epiſcopalis ſub Damaſco metropoli. 851. 852.

Sayd, *vide* Sidon.

Sbide ſive *Zeede*, vel *Zuda*, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1027. 1028.

Scandereta, *vide* Alexandria minor.

Sebaſte, nunc *Seveſte* aut *Seveſta*, id eſt *Auguſta*, ab Auguſto Imperat. ſedes epiſcopalis Ciliciæ I. ſub Tarſo metropoli. 877. 878.

Sebaſtia ſive *Julioſebaſte*, & *Helioſebaſte*, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1029. 1030.

Selenûs ſive *Selinûs*, & *Trajanopolis*, ob Trajanum ibi mortuum, corrupte verò *Hellineſium*, & Turcis *Iſtenos*, ſedes epiſcopalis ejuſdem Iſauriæ. 1019. 1020.

Seleucia *Pieria*, ſive *Seleucia ad mare*, ſedes epiſcopalis Syriæ I. ſub Antiochia magna hujus provinciæ metropoli. 777. 778.

Seleucia altera, urbs primùm Ciliciæ Trachææ, facta deinde metrop. provinciæ Iſauriæ. 1011. 1012. *Vide* Iſauria inter provincias hujus Patriarchatus. *pag. xxv. col.* I.

Seleucobelus ſive *Seleucia ad Belum* montem, ſedes epiſcopalis Syriæ II. ſub Apamea metropoli. 919. 920.

Sergiopolis, ſic dicta ex ſancto Sergio Martyre, prius *Barſalium*, & *Roſapha* vel *Reſiphta*, ſedes epiſcopalis Euphratenſis provinciæ ſub Hierapoli, 951. 952. deinde dignitate metropolis aucta ſæculo VI. 952. A.

Sidon, hodie *Sayd* vel *Siud*, civitas opibus non multùm inferior Tyro, antiquitate ſuperior, ſedes epiſcopalis à S. Petro inſtituta, provinciæ Phœnices I. fuit ſub Tyro metropoli: utrique urbi nunc præeſt unus & idem antiſtes. 811. 812. & 814. C.

Silvana, neutro plurali, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1033. 1034.

Singara, ſedes epiſcop. Meſopotamiæ ſub Amida metropoli. 1007. 1008.

Soli Ciliciæ, *vide* Pompeïopolis.

Soli, numero plurali, ſive *Solæ*, & hodie *Solea* in inſula Cypro, ſedes quæ in unum epiſcopatum coaluit cum *Leucoſia* ſive *Nicoſia*, ſæculo XII. 1071. 1072.

Sophene ſive *Sophena*, ſedes epiſcopalis Meſopotamiæ ſub Amida metropoli. 1001. 1002.

Sur *ſive* Sour, *vide* Tyrus.

Sura, ſedes epiſcopalis Euphratenſis provinciæ ſub Hieropolitano metropolita. 949. 950.

T

Tacritum ſive *Tagrit*, & *Tecrit*, ſedes epiſcop. Meſopotamiæ ſub Amida metrop. Huic ſimul & *Maipheractæ* ſeu *Martyropoli* aliquando unus epiſcopus præfuit. 999. 1000.

Tamaſſus ſive *Tamaſcus*, *Tameſe*, *Temeſe*, *Tameſia*, nunc *Borgo di Tamaſſo*, ſedes fuit epiſcopalis in inſula Cypro, ſub Conſtantia metropoli. 1059. 1060.

Tarſus, patria S. Pauli Apoſtoli, dicta quoque *Juliopolis*, *Hadriana*, *Antoniana*, *Macriana*, & *Severa Alexandrea*, ex variis Impp. nunc autem *Teraſſa*, *Terſis*, & *Tarſo*: metropolis fuit primùm totius Ciliciæ, deinde ſolius Ciliciæ I. 679. *num.* 12. E. & 869. 870.

Tela, *vide* Conſtantina.

Theodoſiana, ſedes epiſcopalis in inſula Cypro ſub Conſtantia metropoli. 1075. 1076.

Theodoſiopolis, *vide* Rhæſina.

Theopolis, *vide* Antiochia magna.

Titiopolis *ſive* Titopolis, ſedes epiſcop. Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. 1023. 1024.

Tortoſa, *vide* Antaradus.

Tribus Saracenorum, *vide* Saracenorum.

Trimithus ſive *Tremithus*, *Trimethus*, & *Trimethuntum*, ſedes epiſcopalis in inſula Cypro ſub Conſtantia metropoli: nunc pagus dictus *Trimitugus*. 1069. 1070.

Tripolis, urbs olim conflata tribus coloniis, *Aradiorum* ſcilicet, *Sidoniorum*, & *Tyriorum*, ab invicem unius ſtadii intervallo diſſitis, intra

Digitized by Google

ejus mœnia, hodie *Tarabolos Scham* Turcis & incolis nuncupatur, ſedes fuit epiſcopalis Phœnices I. ſub Tyro metropoli, deinde brevi ſub Beryto, & iterum ſub Tyro. *821. 822.*
Tyrus, antiquitate, opibus & coloniis in remotiſſimas terras miſſis celebratiſſima, metropolis fuit totius Phœnices, deinde ſolius Phœnices I. Παράλιος eſt diœceſis Antioc. ejuſque præſulis conſecrator. Tyro à Balduino expugnata, tranſiit ejus antiſtes in ditionem Patriarchæ Hieroſolymitani, ſed Latinis e Syria expulſis, rediit ad priſtinum ſtatum. *801. 802.*

V

Valentia, *vide* Nova-Valentia.
Vologeſocerta ſive *Vologeſopolis, Valarſecopolis,* & *Inzole*, ſedes epiſcopalis Meſopotamiæ ſub Amida metropoli. *1005. 1006.*
Vrima, neutro plurali, ſive *Vrema, Orima*, & *Surima*, ſedes epiſcopalis Euphratenſis provinciæ ſub Hierapoli. *945. 946.*

Z

Zabda, *vide* Bezabde.
Zenopolis, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. *1033. 1034.*
Zephyrium, ſedes epiſcop. Ciliciæ I. ſub Tarſo metropoli. *883. 884.*
Zeugma, quod *pontem* ſeu *juncturam* ſignificat, ſedes epiſcopalis Euphratenſis provinciæ ſub Hierapolitano metropolita. *941. 942.*
Zoropaſſa ſive *Zoropaſſus, Coropaſſus*, & *Carpiſſus*, ſedes epiſcopalis Iſauriæ ſub Seleucia metropoli. *1035. 1036.*
Zotapa, corrupte pro *Jotape*. *1020*. C.

Index Præſulum Antiochenorum, juxta ordinem temporum.

I. Petrus *Apoſtolus*, Antiochiam veniens anno Chriſti circiter 44. hujus eccleſiæ, prophetis & doctoribus decoræ, primus vulgò habetur epiſcop. *col. 674. n. 8.* C. & *col. 699.* A.
II. Evodius, ab Apoſtolo Petro Romam proficiſcente, ſui vicarius & Antiochiæ epiſcopus factus, *ſub initiis Claudii Cæſaris,* inquit Joannes Malalas. *699*. B.
III. Ignatius, Martyr, Joannis Evang. primùm diſcipulus, à Petro etiam Antiochiæ epiſcopus ordinatus, ut placet Chryſoſtomo & Theodoreto, quod vix conciliari poteſt cum morte, quam, damnatus ad beſtias, Romæ ſubiit an. 116. juxta Pagium. *701*. A. Septem ejus epiſtolæ ad varias eccleſias genuinæ. *700*. B.
IV. Heron Ignatii ſucceſſor, ſedit 20. annos, ex Euſebio in Chronico. *701*. C.
V. Cornelius Heronem excepit, ex eodem Euſebio, nihil præterea. *701*. D.
VI. Eros Cornelio ſuffectus, ſedit 23. annos. *701*. E.
VII. Theophilus Eronem ſequutus eſt, Marci Aurelii Veri tempore, an. 177. Scripſit contra Marcionem, ad Autolicum tria volumina, contra Hermogenem librum unum. Obiit an. 6. Commodi, Chriſti 186. *702*. A.
VIII. Maximinus Theophili ſucceſſor anno 186. obiit anno 199. poſt tredecim annos completos epiſcopatûs. *702*. D.
IX. Serapion Maximino ſucceſſit anno 7. vel 8. Severi, Chriſti 199. Scripſit contra Cataphrygas; ſedit annis duodecim, juxta Euſebium, quem errantem quoad initia Serapionis, ſequitur Hieronymus. Obiit anno 211. primo Antonini Caracallæ. *702*. E.
X. Aſclepiades, poſt Serapionem Antiochiæ epiſcopus conſtituitur anno 211. in perſecutione fidem glorioſe confeſſus, obiit anno 219. Elagabali 2. *703*. C.
XI. Philetus Aſclepiadis ſucceſſor per annos undecim, obiit Alexandri Severi anno 9. Chriſti 230. *703*. E.
XII. Zebennus Philetum ſequitur, ex Euſebio, qui annos epiſcopatûs non aſſignat; Nicephorus habet octo. *704*. A.
XIII. Babylas Zebennum excepit anno 2. Maximini I. Chriſti 236. Martyr obiit Decii ultimo, Chriſti 251. Dicitur poſt multa tormenta in carcere fato functus. *704*. B.
XIV. Fabius, Hieronymo *Fabianus,* Babylam ſequutus eſt an. 251. Ad eum Cornelius Papa ſcripſit de Novatiani ſchiſmate, in quod tantillum proclivis; ſedit annum unum & paulo amplius. *705*. A.
XV. Demetrianus Fabii ſucceſſor, per ſeptem annos in Catalogis, per ſex juxta Scaligerum, per quatuor juxta Nicephorum. *705*. B. C.
XVI. Paulus, à patria dictus *Samoſatenus,* poſt Demetrianum Antiochenam ſedem conſcendit, & hæreſi ſua dehoneſtavit; ſedebat anno 261. Is, habita Antiochiæ ſynodo anno 264. hæreſim ejurare viſus eſt, at eam indeſinenter proferens, in ſecunda Antiochena epiſcopatu dejectus; urbem ſolvere renuens, Zenobiæ Palmyrenorum reginæ fretus favoribus, recedere coactus eſt ab Imperatore Aureliano Claudii ſucceſſore, poſt ſeptem aut octo annos epiſcopatûs. *705*. D.
XVII. Domnus, in ſynodo Antiochena Paulum anno 269. ejiciente, ei ſuffectus, vir *omnibus quæ epiſcopum decent, dotibus bonis ornatus,* inquiunt Patres hujus ſynodi in ſua ad omnes totius orbis antiſtites ſynodica; ſedit annis 5. fato functus anno 274. *706*. B.
XVIII. Timæus, Domni ſucceſſor anno 274. ineunte, obiit anno 282. poſt novem pontificatûs annos inchoatos. *706*. E.
XIX. Cyrillus Timæum excepit anno 282. ſedit annis 20. obiit anno 303. ineunte. *707*. A.
XX. Tyrannus, non niſi anno 304. Diocletiani 20. Cyrillo ſuffectus; obiit, juxta Theodoretum, Eccleſiis reddita pace; igitur poſt annum 313. quo Maximinus perſecutorum ultimus extinctus eſt. *707*. B.
XXI. Vitalis Tyranni ſucceſſor anno 314. quo adſuit & ſubſcripſit ſynodis *Ancyranæ* & *Neocæſarienſi* eodem anno habitis: reſtituit in *Palæa* (ſeu urbe veteri, quæ erat tunc pars Antiochiæ, à Seleuco conditore ſuo in honorem filii ſui Antiochi ſic dictæ,) eccleſiam dirutam, Chriſtianis cariſſimam, utpote ab Apoſtolis primùm fundatam. Sedit ſex circiter annos, igitur obiit an. 319. aut 320. *707*. D.
XXII. Philogonius, *Sanctus,* primùm uxoratus & filiam habens, cauſarum patronus, pauperum & inſontium tuitor, Vitali ſufficitur; eccleſiam in Palæa reſtitui cœptam perfecit; Ario hæreſim ſuam cudenti, etiam Alexandriæ domnato, formidandus. Obiit anno 324. *708*. A. B.
XXIII. Paulinus I. primùm epiſcop. Tyri, Philogonio ſuffectus, & ob brevitatem temporis quo Antiochiæ ſedit, à Theodoreto omiſſus. *708*. D.
XXIV. Euſtathius, primùm BerϾæ Syriæ epiſcopus, & in perſecutione confeſſor, Paulino ſuffectus ſaltem ineunte anno 325. quo adfuit Nicœnæ ſynodo, ubi Imperatori Conſtantino peroravit, multumque contulit ad Arianam hæreſim profligandam, ſedis ſuæ dignitatem eruditione & pietate decorans; exul ſub Conſtantio *Trajanopolim* Thraciæ deportatur, quo loco aut tempore deſierit incertum. *708*. E.
XXV. Eulalius Euſtathio dejecto ab Arianis ſuffectus, ſed paulo poſt extinctus. *710*. C.
XXVI. Euſebius, *Cæſarienſis,* ab Antiochenis poſtulatus, à Conſtantino datus, ſed recuſans, ſedem Antiochenam non conſcendit. *710*. D.
XXVII. Euphronius, Cæſareæ in Cappadocia preſbyter, in locum Euſebii à Conſtantino deſignatus, ſedit Antiochiæ per annum unum & paucos menſes. *710*. E.
XXVIII. Flacillus, Hieronymo *Placillus,* Theodoreto *Placentius,* ſedit Antiochiæ an. 333. adſuit an. 335. Tyriæ ſynodo, in qua damnatus Athanaſius. Præfuit anno 341. ſynodo Antiochenæ, in qua iterum damnatus Athanaſius, & ejectus. Obiit anno 345. poſt 12. annos epiſcopatûs. *711*. B.
XXIX. Stephanus I. preſbyter gradu olim dejectus, ab Arianis nihilominus Flaccillo ſubſtituitur. Is *Sardicam* venit ad concilium, quo nondum inchoato *Philippopolim* ſeceſſit cum primariis Arianis, & eorum epiſtolæ contra legitimam ſynodum primus ſubſcripſit. Poſtmodum ab ipſis Arianis Antiochia pulſus eſt anno 348. *711*. E.
XXX. Leontius, ſpadonem ſe faciens ut Euſtolio muliercula liberius potiretur, ſacerdotio ſpoliatus, magiſter Aëtii, Stephano ob flagitia pulſo ſufficitur ab Arianis anno 348. fato functus anno 357. *712*. B.
XXXI. Eudoxius, Luciani martyris quondam diſcipulus, ab Euſtathio in clerum, ob vitam male inſtitutam, non admiſſus, dein Germaniciæ epiſcopus, ſub quo titulo interfuerat anno 351. ſynodo Sirmienſi, & anno 355. Mediolanenſi. In Seleucienſi jungens ſe Acacio Cæſarienſi & puris Arianis, à majori parte epiſcoporum à quibus illi defecerant ejectus eſt ſede Antiochena, quam, neglectis eorum quorum intererat ſuffragiis, poſt Leontii mortem, invaſerat, *712*. C. D. dein Patriarcha Conſtantinopolitanus ab Arianis conſtitutus eſt.
XXXII. Anianus Eudoxio in Seleucienſi deſtituto ſufficitur ibidem, cum eſſet eccleſiæ Antiochenæ preſbyter: ſed eum ſtatim Acacii aſſeclæ Imp. in ſynodo miniſtris tradiderunt, & de eo nihil amplius. *713*. A. B.
XXXIII. Meletius, in *Armenia*, vel, ut ſcribit Socrates, BerrhϾæ Syriæ epiſcop. ob difficiles civium mores recedere coactus, inſtante Acacio, renunciatur præſul Antioch. à Conſtantio poſt bellum Perſicum anno 361. Vir putatus Arianus, honorifice excipitur; ſed mox coram collectis epiſcopis de Verbi perſona & eſſentia perorans, & Catholico non Ariano modo utramque exponens, ejicitur, vix menſe elapſo, in Armeniam minorem. Decretum electionis ejus immobiliter retinuit Euſebius Samoſat. fruſtra urgentibus ab Imp. ad hoc repetendum miſſis curſoribus. *713*. C.
XXXIV. Euzoïus, olim ab Alexandro, una cum Ario, diaconi gradu deſtitutus, ab Arianis Meletio dejecto ſufficitur; ab iſto, ſine verecundia puro Ariano ſe ſejunxerunt orthodoxi in Palæa orantes: uno ſolùm anno epiſcopatum geſſit, Meletio Antiochiam reverſo ſtatim à Conſtantii obitu. Conſtantinopoli interiit anno 376. *713*. E.
XXXV. Meletius iterum, per edictum Juliani Apoſtatæ in gratiam exulum datum, Antiochiam reverſus eſt; Euzoïo cedere coacto an. 362. ſed cum eo, qui in Palæa conveniebant orthodoxi, communicare renuerunt, quia ab Arianis promotus erat; eum tamen ſequebantur alii, & an. 367. S. Chryſoſtomum baptizavit, fecitque Eccleſiæ lectorem. Iterum à Valente, agentibus Arianis, an. 370. exul in Armeniam deportatur; ſed Valente extincto an. 378. ſedem ſuam recuperavit. Statim numeroſiſſimam coegit ſynodum, in qua fidei ſuæ capita, omnino eadem quæ in Romano concilio ſancita erant, ſub quadam formula edidit, quæ in priore generali Conſtantinopolitano, actione prima lecta eſt, & Romam miſſa anno 381. quo obiit Conſtantinopoli, & ejus corpus Antiochiam relatum. *714*. C.
Paulinus II. ſimul cum Meletio, dux & preſbyter eorum qui orthodoxi in Palæa orabant, & cum Meletio renuebant communicare, à Lucifero Calaritano epiſcop. ordinatus (omnino imprudenter;) inde enim auctum ſchiſma, ad quod ſedandum venerat, ſeſe invicem provocabant velut hæreticos, propter diverſe intellectas voces, οὐσία, & ὑπόστασις; hæcque diſſentio per quinque & octoginta annos invaluit: cum Paulino communicabat Athanaſius, totaque Ægyptus, Epiphanius cum inſula Cypro, Pontifex Romanus cum Occidentalibus, Oriens cum Meletio; tandem hoc pactum inierunt duo præſules, ut altero è vivis erepto, alter præeſſet ſolus: hocque adjectis ſacramentis ab iis qui electum iri videbantur, Flaviano ſcilicet & Theodoro, hi tamen Paulinum ſuperſtitem turbaverunt, qui ſtatim Romam profectus, interfuit concilio ibi habito anno 382. diem ultimum clauſit octogenarius, an. 388. *714*. D. *715*. C. D.
Dorotheus, aliis *Theodorus*, quod idem ſonat, forte famoſus ille *Heracleæ* Arianus, apud Valentem potens, dum Meletius & Paulinus catholicis præeſſent; ab Arianis, Euzoio defuncto anno 376. ſibi præficitur. *716*. C.
XXXVI. Flavianus I. à Meletio factus preſbyter, ei in concilio Conſtantinopoli defuncto ſuffectus eſt ab epiſcopis Orientis; & cum illum conſecrare renuerat Gregorius Nazianzenus eccleſiam Conſtantinopolit. tunc adminiſtrans, propter juramentum ab eo emiſſum, de relinquenda ſuperſtiti, Paulino, integra ſede, Antiochiam venit cum ſuis Orientalibus, & ordinatus ab eis; præſertimque à Diodoro Tarſenſi, altero juratore, promotionis ſuæ virtutum, eruditione, pietate, ſincera fide, ita eluit, ut Theodoſium Imperat. contra Antiochenos iratum & minacem placaverit. Tandem ope Chryſoſtomi, cum toto Occidente, cum

Ægypt

Ægypto & Cypro reconciliatus, & ſolus Antiochiæ præſul, eo ipſo anno 404. quo Chryſoſtomus in Armeniam minorem exul abactus eſt, vivere deſiit. 716. E.

Evagrius, Paulino mortuo ſuffectus, ad Capuanam ſynodum Flavianum provocavit, cauſam ſuam coram Patribus tuiturum; ſed jus ſuum Occidentalibus committere renuit Flavianus, qui poſt biennium mortuo Evagrio, alium ſuffici impedivit. 717. D. E.

XXXVII. Porphyrius, multorum criminum reus, Chryſoſtomo infenſiſſimus, & ejus condemnator, fraudulenter, populo ludis Olympiis intento, eccleſiam cum paucis clericis & tribus epiſcopis, januis clauſis, Flaviano ſuffectus eſt tanta feſtinatione, ne deprehenderentur, ut conſuetas preces non abſolverint; unde Innocentii Papæ I. communione dignatus non fuit anno 404. cum tamen Theodoretus commendat. Obiit anno 413. poſt inchoatum epiſcopatus annum decimum. 718. B.

XXXVIII. Alexander, anno 413. Porphyrio ſucceſſit: ejus opera extinctum eſt ſchiſma Euſtathianorum, quod, ex Theodoreto, *quinque & octoginta annos permanſerat:* licet enim unus tandem fuerit præſul Flavianus, plures tamen ab eo deficiebant, cui tunc ſe adjunxerunt. Exſtant reſponſoriæ Innocentii I. ad ipſum. Obiit an. 420. aut 421. cum fama ſummæ in pauperes miſericordiæ. 719. D. ubi *linea ult.* pro *Alexandro*, legendum *Alexandrino.*

XXXIX. Theodotus, poſt Alexandrum an. 421. aut 422. præſulatum Antiochen. auſpicatus, *ſplendore vitæ, & divinorum dogmatum cognitione claruit*, teſte Theodoreto. Sedit per ſex annos completos & aliquid ſeptimi, mortuus anno 428. 720. C.

XL. Joannes, cum Theodoreto & Neſtorio educatus, Theodoto ſucceſſit an. 428. Ejus tempore, an. 431. coacta eſt Epheſina prima ſynodus adverſus eundem Neſtorium, ad quam, fruſtra expectatus per quindecim dies, adveniens poſt decretorum promulgationem, Neſtorii acrius quàm par eſſet patrocinium ſuſcepit, & cum ſuis Orientalibus, facta quaſi nova ſynodo, geſta omnia à Patribus Epheſinis reſcidit; Cyrillum præſertim exagitans, poſtmodum tamen, partim comperta veritate, partim inſtantiis cedens, cum eodem Cyrillo pacem iniit, & Neſtorium abjecit. Obiit anno 441. poſt undecim epiſcopatus annos. 724. B.

XLI. Domnus II. Joannis ex ſorore nepos, Antiochiam veniens ut avunculum à partibus Neſtorii averteret, ei ſuffectus eſt anno 441. Interfuit anno 449. latrocinio Epheſino, ubi pro Eutyche contra Flavianum Conſtantinopolitanum Dioſcori decretis ſubſcripſit, dein ab eodem Dioſcoro dejectus, in Palæſtinam, unde venerat, reverſus, ſub Euthymio, qui ei exaltationem prænunciaverat & exauctorationem, pœnitentiam egit. Præfuit octo annis. 721. E.

XLII. Maximus, Domno deſtituto ſuffectus, ab Anatolio locum dejecti Flaviani occupante ordinatus eſt præter regulas, & ſine ullo cleri populique Antiocheni decreto; de qua irregulari promotione ſæpius ſcripſit S. Leo, qui tamen eam deinceps approbavit, non ſecus ac ſynodus Chalcedonenſis, ubi Maximus jura ſua ſuper utramque Phœniciam & Arabiam contra Juvenalem Hieroſolymitanum ſtrenue defendit. In gratiam Anatolii ordinatoris ſui ſubſcripſit canoni XXVIII. Chalcedonenſi, ſe ipſum, ſuamque ſedem ad tertium inter Patriarchas locum detrudens. Obiit anno 455. poſt ſex annos epiſcopatus. 723. B.

XLIII. Baſilius, cujus exaltationem, poſt Maximum, à ſolo Marciano factam anno 456. reprehendit S. Leo, admiſit tamen epiſtolâ ſuâ ad Baſilium, quæ eſt 118. obiit anno 458. poſt ſex annos epiſcopatus. 723. E.

LXIV. Acacius, Baſilii ſucceſſor per annum & aliquot menſes, obiit anno 459. quo Antiochiæ civitas terræ motu ſubverſa die 14. Sept. *circa quartam noctis horam*, inquit Evagrius. Sub primam lucem id contigiſſe ait Joannes Malalas. 724. B.

XLV. Martyrius Acacium excepit anno 460. Leone II. Imperat. quo defuncto, dum ejus ſucceſſoris Zenonis operâ fultus *Petrus Fullo*, innumeros tumultus contra Martyrium & fidem excitaret, addens *ter ſancto hymno: qui crucifixus es pro nobis*, quaſi Deus cruci fuiſſet affixus; hinc fideles in duas partes ſciſſi ſunt: ob quæ diſſidia, *Martyrius in eccleſiæ conventu*, inquit Theophanes, *epiſcopatu ceſſit, verbis hujuſmodi utens: Clero inobedienti, populo contumaci, & eccleſiæ ſordibus infectæ nuncium remitto, ſolaque ſacerdotis mihi reſervata dignitate, epiſcopale munus depono.* Hæc contigere circa annum 470. 724. D.

XLVI. Petrus *Fullo, hæreticus,* ſtatim poſt Martyrii dimiſſionem, ejus ſedem conſcendit anno 470. ſed anno 471. in ſynodo Antiochiæ habita epiſcopatu deturbatus, exilium fugâ vitavit. 724. D.

XLVII. Julianus, Petro ſynodicè dejecto, ibidem ſuffectus an. 471. ſedit ſex annis, ejectus à Baſiliſco Zenonem throno ſpoliante; mœrore confectus obiit. 725. D.

XLVIII. Petrus *Fullo iterum,* Baſiliſci auctoritate, necnon artibus Timothei Æluri Alexandrinæ ſedis invaſoris, ita valuit, ut dejiceretur Julianus, & ejus occuparet ſedem, ſed paulo poſt Baſiliſco profligato per Zenonem, in urbem Ponti *Euchaïta* relegatus eſt, & iterum ſynodicè depoſitus. 725. E.

XLIX. Joannes II. *Codonatus,* à Petro Fullone datus epiſcopus *Apamenis,* ſed ab iis non admiſſus, Antiochiam ſe recepit, ubi ſedem Petri Fullonis ambiens, nihil non movit ut expelleretur, ipſemet poſt tres menſes ejectus. 726. C.

L. Stephanus II. *Catholicus,* à ſynodo Fullonem iterum dejiciente, eidem Petro ſubrogatus eſt: hinc colligitur, peſſumdatis legibus, & legitimo paſtore ſpreto, ſediſſe Joannem, cujus quoque invaſionem perſtringunt Romani Pontifices, *Felix, Simplicius, Gelaſius.* Obiit, juxta Tabulas Theophanis, an. 481. poſt tres annos epiſcopatus. 726. E.

LI. Stephanus III. ſecundum excepit. In eum ſtatim inſurrexere quotquot Petro Fulloni favebant Antiocheni, eum in martyrio S. Barlaam, præacutis per modum haſtarum calamis necatum, in Orontem fluvium projecerunt, unde martyr poſt primum epiſcopatus annum. 727. A.

LII. Joannes II. ille ipſe qui poſt tres menſes dejectus fuerat, ab Antiochenis Stephani occiſoribus ei ſufficitur, ſpreto Calandione, per Zenonem Conſtantantinopoli dato Patriarchâ. Prævaluit Calandion, qui Joannem in melius mutatum præfecit eccleſiæ Tyri, quæ poſt Antiochiam ſecunda eſt. 727. D.

LIII. Calandion, anno 482. à Zenone deſignatus, & ab Acacio Conſtantinopoli ordinatus Patriarcha Antiochenus, ut eccleſiæ ſuæ ſciſſuras curaret, hymno, poſt *ter ſanctus,* addidit has voces, *Chriſte rex, qui crucifixus es pro nobis,* quo ſignificabatur hymnum illum eſſe de Chriſto, ſive de Deo homine facto. Euſtathii corpus Philippis Antiochiam reportari ſategit centeſimo ab ejus obitu anno; præfuit annis quatuor, dein in Oaſim relegatus Acacii fraude. 727. E.

LIV. Petrus *Fullo* tertiùm, ejecto Calandioni qui ab Acacii Conſtantinopolitani Patriarchæ benevolentia exciderat, per eundem Acacium, Zenonis quaſi manuductorem, tertiò ſuffectus anno 485. Antiochenam eccleſiam, & alias Orientis ſedes Monophyſitarum labe fœdavit, tanquam Neſtorianos exagitans quotquot Chalcedonenſi adhærerent, à Felice III. percuſſus anathemate, poſt tres annos. Obiit Antiochiæ anno 488. eodem, quo mortalium teterrimus, & hujus ævi omnium malorum auctor Acacius Conſtantinopoli fato functus eſt. 728. E.

LV. Palladius, *hæreticus,* anno 490. Anaſtaſio Imperatore facto, poſt Petrum *Cnaphæum* ſeu Fullonem electus Patriarcha, cum *Petro Mongo* Monophyſita palam communicans, eccleſiam hanc eadem labe dehoneſtavit. Obiit anno 498. 729. C.

LVI. Flavianus II. ab Anaſtaſio deſignatus Palladii ſucceſſor anno 498. in fidei ſuæ profeſſione valde dubius, ſtatim communicans cum orthodoxis, ſtatim cum hæreticis, pro Chalcedonenſi pugnans, tacens Chalcedonenſe; à Macedonio Conſtantinopolitano in recta fide ſincero & tenaci dejectus, ab hæreticis ipſis ſede dejectus, & juſſu Imperatoris in arcem *Petræ in Macedonia* relegatus, ibi multo poſtea, eodem anno 517. & menſe Jul. quo Anaſtaſius Imperator, diem ultimum clauſit. 729. D.

LVII. Severus, Monophyſitarum anteſignanus, Petri Mongi adverſus *Salofaciolum* legitimum Alexandr. antiſtitem defenſor fuit: is eundem Petrum deſerens, propter ſuſceptum henoticon Zenonis, Chalcedonenſi non ſatis, ut putabat, irreverens; & factus *Acephalorum*, ſeu nulli epiſcopo ſubditorum, Pater, eccleſiæ Antiochenæ præficitur anno 512. Ejus ſynodicas ſoli ſuſceperunt hæretici; eccleſiam ſuam vaſtavit uſque ad obitum Anaſtaſii, ſeu ad annum 517. quo Juſtinus rectæ fidei Imp. ſynodum Conſtantinopoli haberi voluit, in qua hæreticis, & præſertim Severo Antiocheno dictum anathema, & concilium Chalcedonenſe juſſum ab omnibus recipi. Fuga ſibi conſuluit Severus, & linguæ vitavit abſciſſionem, poſt 5. annos tyrannidis. Vivebat adhuc anno 536. 730. D.

LVIII. Paulus, non ſtatim à Severi fuga, ſed poſt frequentes tractus Conſtantinop. habitos, poſt ſancitam pacem eccleſiæ regiæ cum Romana, anno 519. electus quidem Conſtantinopoli, ſed Antiochiæ in ſynodo ordinatus, juxta mandatum Hormiſdæ; in eadem ſynodo reſtitutus Chalcedonenſi ſuus honos, hincque diſſidentia eorum qui Monophyſiſmo erant addicti; ob has turbas, poſt tres circiter annos Patriarchatum abdicavit. Innuit Juſtinus Hormiſdæ alias abdicationis cauſas. 731. E.

LIX. Euphraſius, Paulo ſuffectus anno 521. ſtatim Patres Chalcedonenſes & Romanum Pontificem è ſacris tabulis expunxit; poſtmodum metu pœnitens, reſtituit, & quatuor generales ſynodos promulgavit. Obiit, oppreſſus terræ motu urbem diruente, anno 526. 733. A.

LX. Ephræmius, Orientis comes ſeu præfectus, miſeris terræ motu Antiochenis neceſſaria providens, ſynodo Chalcedonenſi addictiſſimus, à populo poſtulatur epiſcopus, ei datur & conſecratur; fidem in ſua eccleſia inſtauravit. In Palæſtinam progreſſus, ut cum Patriarcha Hieroſolymitano Paulum Alexandrinum dejiceret, ſynodum coegit, ubi Origenis proſcripta dogmata, obiit anno 545. poſt octodecim annos, intactus nonnullis viſus ſi Juſtiniano paulo nimium non indulſiſſet. 733. E.

LXI. Domnus III. ex Thracia, Conſtantinopolim negotiorum causâ adveniens, & ad Juſtinianum adductus, ab eo Patriarcha Antiochenus renunciatur anno 545. labente, vel 546. ineunte. Adfuit quintæ ſynodo generali anno 553. & tria capitula cum aliis damnavit. Obiit anno 557. 734. C.

LXII. Anaſtaſius I. Domno ſuffectus anno 558. Juſtiniano, corpus Chriſti ante reſurrectionem incorruptibile fuiſſe aſſerenti, fortiter reſtitit; exilio mulctandus, niſi is improviſo fato fuiſſet ſublatus anno 555. Ab ejus ſucceſſore Juſtino Juniore anno 559. dejectus eſt poſt undecim annos regiminis. 734. E.

LXIII. Gregorius, juſſu Juſtini Junioris ſuffectus pulſo Anaſtaſio, in multis graviſſimis accuſatus à quodam laïco, poſt aſſiduas & ſeveras diſquiſitiones, à Patriarchis Alexandrino & Hieroſolymitano, aliarumque potiorum civitatum præſulibus innocens declaratus; ejus accuſator nervis verberatus, circum civitatem ductus, exilio mulctatus fuit. Gregorius poſt annos quinque è vivis exceſſit. 735. E.

LXIV. Anaſtaſius I. *iterum*, Gregorio defuncto, Antiochenæ ſedi redditur à Mauritio Imperat. Ad eum ſcripſit Gregorius Magnus, hortatus ut Byzantini præſulis obſiſteret ambitioni, quâ *Patriarchæ œcumenici* ſibi titulum arrogabat; qua in parte ſegnius ſe geſſit Anaſtaſius, anno 598. aut 599. fato functus. 736. E.

LXV. Anaſtaſius II. priori ſuffectus, ſtatim ad Gregorium Magnum ſynodicas miſit, à quo & accepit *reſponſorias.* Judæis Antiochiæ tumultuantibus obſiſtens, ab illis comprehenſus, multimodis injuriis affectus, & per urbis vicos rotatus, martyr occubuit, poſt novem annos pontificatus. 737. C.

Digitized by Google

LXVI. Athanaſius Jacobitarum Patriarcha, legitur ſedem Antiochenam ambiviſſe, ſed non legitur obtinuiſſe; incertus omnino congreſſus quem dicunt eum habuiſſe cum Heraclio Hierapoli in Syria tum degente, circa unam Chriſti operationem & voluntatem, quâ admiſſâ, ſpoponderit Athanaſius Chalcedonenſe ab omnibus acceptum iri; utut ſit de illo, conſtat Antiochenam ſedem diu vacaſſe, propter Perſas Syriam cum rege ſuo Choſroë vaſtantes. 739. A.

LXVII. Macedonius, *hæreticus Monotheleta*, à Sergio Conſtantinopolitano deſignatus & ordinatus Antiochenæ diu viduatæ eccleſiæ præſul, quam tamen nuſquam inviſit; Conſtantinopoli degens, & hæreſim ſuam ſpargens ubique, à Martino I. proſcriptus. Interfuit ſynodo Conſtantinopolitanæ ſub Petro Conſtantinopolitano, in qua dogma catholicum de duabus Chriſti voluntatibus damnatum. Porro Petrus factus Patriarcha an. 655. igitur ſaltem ad hunc uſque annum vitam produxit Macedonius. 740. D.

LXVIII. Georgius I. *hæreticus*, à ſolo Eutychio inter Patriarchas Antiochenos cenſetur, ſed auctor ille in hoc puncto à chronologia ſæpius aberrat. 741. E.

LXIX. Macarius, *Monotheleta*, Conſtantinopoli factus Antiochiæ præſul, interfuit ſextæ ſynodo generali anno 681. à qua in errore pertinax, cum ſociis ſuis ſacerdotio ſpoliatus eſt, actione 13. & Romam juſſu principis traductus, ubi diem clauſit extremum, hæreſi non ejurata. 742. B.

LXX. Theophanes, dejecto Macario, à clericis Antiochenis Conſtantinopoli agentibus, annuente ſynodo, electus ordinatuſque, interfuit 14. actioni, & omnibus decretis ſubſcripſit. 742. E.

LXXI. Alexander, juxta Anaſtaſium Biblioth. Antiochiæ ſedebat anno 686. Obiit poſt tres annos pontificatus. 743. C.

LXXII. Thomas, ſucceſſor Alexandri, ſedit 20. annis. 743. D.

LXXIII. Georgius II. qui in ſexta ſynodo vices geſſerat Patriarchæ Hieroſolym. ſedit Antiochiæ 21. annis. 743. E.

Notatum. Ab Heraclii an. 28. Chriſti 637. Mahommedanis Antiochiam occupantibus, licet ordinarentur Patriarchæ Antioch. nullus tamen Antiochiæ ſedit uſque ad annum primum aut ſecundum Conſtantini Copronymi, ſeu Chriſti 742. imo totis quadraginta annis ante Copronymum, nullus legitur qui urbis hujus titulo inſignitus fuerit. 744. C.

LXXIV. Stephanus III. poſt viduatam quadraginta annis Antiochenam eccleſiam, Arabibus Patriarcham eligi prohibentibus, eligitur, permittente imo & poſtulante *Iſam* Arabum duce: ita ſcribit Theophanes, addens quod anno 744. mortuus ſit. 744. D.

LXXV. Theophylactus, permittente *Marvam* duce Arabum, Stephano ſuffectus anno 744. obiit an. 750. poſt ſextum pontific. 745. A.

LXXVI. Theodorus I. anno 750. aut 751. Antiochiæ Patriarcha ordinatus, juſſus exulare invidiâ Arabum, ei imponentium quod res ſuas Imperatori manifeſtaret, poſtmodum reſtituitur: Coſmam Epiphaniæ epiſcopum ſacrorum vaſorum deſtructorem & reddendo pretio imparem, anathemate percuſſit. Dicitur ſediſſe annos 23. 745. C.

LXXVII. Theodoretus ſedebat Antiochiæ anno 787. quo Thomas monachus & preſbyter vices ejus obivit in ſeptima generali ſynodo, Nicœna ſecunda; Iconomachorum hæreſim prædamnarat Antiochiæ: ei ſeptemdecim tribuuntur pontificatus anni. 746. C.

LXXVIII. Jobus Theodoreto ſuffectus, ſedebat Antiochiæ anno 822. quo ab eo inauguratus eſt Imperator quidam *Thomas*, qui, annuentibus Saracenis, ſe filium Copronymi mentiebatur, tyrannidemque in Oriente occupaverat adverſus *Michaelem Curopalatam*: dicitur ſediſſe anno uno ſupra triginta. 747. C.

LXXIX. Chriſtophorus ſedebat Antiochiæ tempore Theophili Imp. ad quem inter opera S. Damaſceni legitur epiſtola *de ſacra imagine Edeſſena*, à Chriſtophoro Antiocheno, Jobo Alexandrino, & Baſilio Hieroſolymitano ſubſcripta. 747. E.

LXXX. Nicolaus I. an. 847. ſedebat Antiochiæ, in exilium actus à Caliſa an. 869. quo octava ſynodus Conſtantinopoli in cauſa S. Ignatii & Photii habita eſt, ſed jam antea Photium & Gregorium Abdellam à communione abjecerat in conventu aliorum Patriarcharum. Sedit 22. annis. 748. B.

LXXXI. Stephanus IV. poſt Nicolaum ſedit una die. 748. D.

LXXXII. Theodoſius I. ſedebat Antioc. tempore Photianæ ſynodi ſub Baſilio Imperatore; ibi vices ejus geſſit Baſilius Martyropolis epiſcop. Theodoſii habetur epiſtola, an genuina, an ſpuria, in qua proteſtatur ſe ſuamque ſedem Photium velut Patriarcham ſemper agnoviſſe. 748. E.

LXXXIII. Euſtathius II. Antiochiæ præfuiſſe noſcitur per epiſtolam Photii ad illum; gratulabatur reciprocæ in invicem amicitiæ. 749. B.

LXXXIV. Simeon I. ordinatus Antiochiæ anno 891. nuptiis quartis Leonis Imp. per legatum ſuum conſenſit, renitente Nicolao Conſtantinopolitano. Obiit anno 903. poſt duodecim annos epiſcopatus. 749. D.

LXXXV. Elias I. Simeoni ſuffectus anno 903. miſit Joannem *Bagdadum* ut ibi metropolitam ageret; aſt agente Abraham Neſtorianorum Catholico, vetitum à Mohammedanis ne metropolita Græcus ibi ſedem haberet. Obiit an. 931. poſt 28. annos epiſcopatus. 750. B.

LXXXVI. Theodoſius II. poſt aliquam ſedis viduitatem ſedebat Antiochiæ anno 937. 750. E.

Notatum. Huc uſque appellati ordine ſuo Patriarchæ Antioch. deinceps non ſic. 751. A.

LXXXVII. Theodoretus II. forte *Theodorus*. 751. B.

LXXXVIII. Agapius I. Hi duo per hoc ſolum noti, quod in Catalogo Vaticano Patriarchis Antiochenis annumerentur. 751. B.

LXXXIX. Chriſtophorus, Martyr, ſedebat Antiochiæ anno 968. aut 969. quo Imperator Phocas Antiochiam eripere meditabatur Saracenis, quorum dux Agarenus adacto in Patriarchæ pectus ſpiculo, eum necavit, quod chriſtiana pietate fulgeret. 751. C.

XC. Euſtratius epiſcopus Flaviadis, ab Imperat. Phoca, accepta Chriſtophori nece, Patriarcha Antiochiæ renunciatus, forte hanc ſedem non capeſſivit, unde omiſſus in ſynodico. 752. A.

XCI. Theodorus II. poſt interemptum Conſtantinopoli Phocam, à Joanne Tzimiſce Imperii compote viduatæ eccleſiæ Antiochenæ datus præſul, à Polyeucto Conſtantinopolitano in conventu epiſcoporum ordinatus, Manichæos fidelium corruptores in deſertam aliquam regionem tranſportari obtinuit. 752. C.

XCII. Agapius II. Halepenſis *ſeu* Berrhœenſis, epiſtolis ab Antiochenis poſtulatus, & ab Imp. Baſilio ea conditione datus, ut Abdallæ Antiochiam tenenti obedientiam ſuaderet & urbis reſtitutionem, quod præſtitit; unde ordinatus anno 985. poſt duodecim annos Antiochia ejectus, vixit in exilio ſeptem annis. 752. E.

XCIII. Joannes III. legitur in Chronico Agapii ſucceſſor. Vivebat prioribus undecimi ſæculi annis. 753. E.

XCIV. Nicolaus II. ſolo orthodoxiæ ſynodico notus Patriarcha Antiochenus. 754. C.

XCV. Elias II. in Catalogo Vaticano, Joannis, omiſſo Nicolao, ſucceſſor. 754. C.

XCVI. Theodorus III. In ſynodico, Georgius in catalogo Aſſemani, Eliam excipit. 754. C.

XCVII. Baſilius II. ſequitur in ſynodico, omiſſus alibi. 754. D.

XCVIII. Petrus III. In ſynodico Baſilii ſucceſſor an. 1053. morem priſtinum renovans, ſynodicas ſcripſit ad Leonem IX. & ad orientales Patriarc. Sedis ſuæ dignitatem & amplitudinem omnino exaggerat, ſcribens epiſcopo Gradenſi. Michaeli Cerulario ſchiſmata cum Latinis meditanti, alienam circa hoc mentem ſuam oſtendit. Mortis incertum tempus. 754. E.

XCIX. Theodoſius III. Petri ſucceſſor legitur in ſynodico orthodoxiæ, & apud Anaſtaſium Cæſarienſem. 755. B.

C. Æmilianus Antiochiæ ſedens anno 1078. eò perduellionis venit adverſus Michaelem Imp. ut *Botaniatam* coronaret; unde in ſynodico quod *Alexii Comneni* tempore conditum eſt, ejus nomen omittitur. 755. C.

CI. Nicephorus, Æmiliano ſuffectus an. 1089. 756. B.

CII. Joannes IV. ſedebat Antiochiæ an. 1098. quo à *Cruceſignatis* Antioc. Saracenis erepta, à quibus tempore urbis obſeſſæ innumera perpeſſit. Latinis Antiochiam ingreſſis, ſeceſſit Conſtantinopolim, ubi biennio vix evoluto obiit. Scripſerat de Azymis contra Latinos, & de duabus Chriſti voluntatibus contra Monotheletas. 756. C.

CIII. Theodoſius IV. ſive *Theophilus*, dicitur Joanni IV. ſucceſſiſſe in catalogo nuper exarato, & Bibliothecæ Vaticanæ conſignato per Athanaſium Antiochiæ Patriarcham. 757. E.

CIV. Joannes V. in eodem catalogo ſucceſſor Theodoſii. 758. A.

Sothericus eodem tempore deſignatus Antiochiæ Patriarcha, ſed ab hac ſede ſynodicè depulſus an. 1155. eò quod doceret, nec ſacrificium Crucis, nec incruentum altaris Filio oblatum, ſed Patri tantùm & Spiritui ſancto; errorem pertinaciter propugnans, indignus à ſynodo habitus eſt qui ordinaretur. 758. B.

CV. Athanaſius II. Sotherico ad ordinem redacto, factus præſul Antiochenus, degebat Conſtantinopoli, quando definitum eſt anno 1166. rectam eſſe Alamannorum fidem, dicentium quod Chriſtus in veritate dixerit Pater major me eſt, propter humanitatem. Hoc quoque anno benedixit nuptiis Manuelis Imper. cum Maria filia Raymundi comitis Antioch. 759. A.

CVI. Simeon II. anno 1178. Antiochiæ Patriarchatum gerebat. 759. D.

CVII. Theodorus IV. *Balſamon*, celebris eccleſiaſticarum Orientis ſanctionum interpres, Antiocheni Patriarchæ titulo auctus eſt, Conſtantinopoli, non Antiochiæ, ibi enim ſedere nulli Græco permiſſum eſt à Latinis. Ab Iſaacio Imperat. Doſitheum urbis regiæ Patriarchatu donare cogitante, interrogatus an per canones fas eſſet hominem peritum, qui ſolis inſtar irrequieto motu orbem illuſtraret, & fidelium cœtum optime informaret, ab una ſede Patriarchali ad aliam transferre. Balſamon hæc pro ſe proponi reputans, reſpondit eſſe fas. Tum poſtridie indicto concilio, agitata rurſum quæſtione, ex Balſamonis ſententia pronuntiatum eſt tranſlationes hujuſmodi licitas eſſe, & hæc ſententia litteris principis eſt confirmata; moxque Imperator Doſitheum à ſede Hieroſolymitana ad Conſtantinopolitanam tranſtulit. Dicitur Balſamon vixiſſe uſque ad annum 1203. qui Conſtantinopolis expugnationem à Francis præceſſit. 760. D.

CVIII. Joachim I. in Catalogo Vaticano Balſamonem excepit. 761. D.

CIX. Hierotheus, in eodem Catalogo, apud Aſſemanum Doſitheus, Joachimum ſequitur. 761. D.

CX. Simeon III. in Vaticano, Hierotheum excipit. 762. A.

CXI. David, forte *Dionyſius*, in eodem Vaticano legitur poſt Simeonem. 762. A.

CXII. Euthymius, juxta Pachymerem, anno 1260. Patriarcha Antiochenus degebat Conſtantinopoli, ubi, erga Arſenium Conſtantinopolitanum male jam dudum affectus, ejus depoſitioni eſt adſtipulatus. 763. E.

CXIII. Theodoſius V. *monachus*, cognomento *Princeps*, qui de *Villharduini* Achaïæ principis genere eſſet. Ab Imperatore Michaële conſultus, an filiam ſuam *Irenem* nuptui daret *Iſani* Bulgarorum regi: item quæſitus an paci cum Latinis ineundæ conſenſum daturus eſſet, reſpondens ſe illuc iturum quò ab Imperatore vocaretur; ſtatim ſynodicè electus, & ſuffectus Euthymio. Poſt Michaelem defunctum, recrudeſcente veteri ſchiſmate, Theodoſius novi Imp. Andronici iram veritus, Patriarchatum abdicavit, & in Syriam adhuc ex parte Francis obnoxiam ſeceſſit. 764. B.

CXIV. Arſenius II. Theodoſio Principi ſuffectus, brevi tamen à ſuis quaſi excommunicatus, ob leviorem cauſam, inquiunt, functus eſt. 765. B.

CXV. Cyrillus II. epiſcopus Pompeïopolis in Cilicia, de Patriarchatu contendiſſe videtur cum Dionyſio metropol. Tyri; uterque hanc dignitatem obtinuit, ſed præ altero Cyrillus. 765. D.

Digitized by Google

CXVI. Dionyſius mortuo Cyrillo una voce datus ſucceſſor. 765. D.
CXVII. Cyrillus III. *Ibid.*
CXVIII. Dionyſius II. 765. D.
CXIX. Sophronius. Hi tres ex ſolo Calliſto noti. *Ibid.*
CXX. Joannes VI. 766. B.
CXXI. Marcus I. Hi duo per Aſſemanum appellati. *Ibid.*
CXXII. Ignatius II. Marci ſucceſſor an. 1344. quo Lunatica Palamitarum ſuperſtitio apud Græcos invaluit, ſedebat Patriarcha Antioch. unde Conſtantinop. veniens unà cum *Apreno* regiæ hujus urbis Patriarcha, exacto viginti duorum epiſcoporum concilio, Iſidorum *Monembaſiæ* epiſcopum hujus dementiæ reum, cum ipſo errore proſcripſit; dein à Joanne Cantacuzeno Imperii conſorte facto, & Palamitarum fautore, multum exagitatus, poſt injurias, verbera, carceres, è monaſterio in quo degebat, tranſvectus, obiit mortem obſcuro in loco. 766. C.
CXXIII. Pachomius I. Damaſci epiſcopus, dein Antiochiæ Ignatii ſucceſſor, in Catalogo Vaticano, poſtmodum depoſitus, & propterea ſede paululum vacante. 767. C.
CXXIV. Michael I. Pachomio ſuffectus anno 1370. *Ibid.*
CXXV. Pachomius *iterum*, poſt Michaelem defunctum reaſſumptus, exiguo tempore ſuam ſedem tenuit. *Ibid.*
CXXVI. Marcus II. anno 1378. Pachomii ſucceſſor. 767. E.
CXXVII. Pachomius II. 768. A.
CXXVIII. Niphon. *Ibid.*
CXXIX. Michael II. *Ibid.*
CXXX. Pachomius III. *Ibid.*
CXXXI. Joachim III. *Ibid.*
CXXXII. Marcus III. De quibus hoc ſolum notum eſt, quod eo ordine numerentur Patriarchæ Antiocheni in Codice Vaticano, qui ordo idem in Codice Arabico Aſſemani. *Ibid.*
CXXXIII. Dorotheus ſedebat Antiochiæ tempore ſynodi Florentinæ, ubi, ejus vices gerens Iſidorus Kioviæ metropolita, ſubſcripſit decreto unionis; ſed ejus ſubſcriptionem reſcidit Dorotheus, cum Philotheo Alexandrino, & Joachim Hieroſolym. ſententiam ferens contra Metrophanem Conſtantinopolitanum unionis promotorem; item ſat audaces, ut ipſimet principi anathema dictum iri pronuntiarent, nî reſipiſceret. 769. E.
CXXXIV. Michael III. 770. C.
CXXXV. Theodorus V. *Ibid.*
CXXXVI. Michael IV. *Ibid.*
CXXXVII. Dorotheus II. *Ibid.*
CXXXVIII. Michael V. *Ibid.*
CXXXIX. Dorotheus III. Prædicti ſex hoc ordine leguntur in Catalogo Vaticano, & de illis nihil amplius. *Ibid.*
CXL. Joachim IV. in Codice Aſſemani legitur Dorothei ſucceſſor. 770. E.
CXLI. Michael VI. ſucceſſor Joachim, in eodem Codice. *Ibid.*
CXLII. Joachim V. epiſc. Beryti, dein ſedens Antiochiæ anno 1564. 771. A.
CXLIII. Macarius II. ſuperſtite in vivis Joachimo, Antiochenam rexiſſe eccleſiam legitur in Codice Vaticano, qui ad annum 1576. mortem Joachimi rejicit. 771. A. B.
CXLIV. Michael VII. in Codice Aſſemani, Joachimi immediatus ſucceſſor anno 1576. dicitur vixiſſe ultra centum & viginti annos, non obiit ante annum 1585. 771. B.
CXLV. Joachim VI. Tripolis epiſcopus, à Damaſcenis, vivente Michaele, electus præſul Antiochiæ, ubi tamen nuſquam habitus ut Patriarcha. 771. C.
CXLVI. Joachim VII. ſedebat Antiochiæ anno 1593. quo interfuit ſynodo Conſtantinopolitanæ, in qua Moſcoviæ præſuli conceſſa per Hieremiam jura Patriarchal. fuere confirmata. 772. C.
CXLVII. Dorotheus IV. Joachimi ſucceſſor uſque ad annum 1610. 772. D.
CXLVIII. Athanaſius, juxta *Jacobum Gualterium*, apprime catholicus, Dorotheo ſucceſſit. Obiit anno 1619. 772. D.
CXLIX. Ignatius IV. 772. E. &
CL. Cyrillus IV. Athanaſii frater, à ſciſcis partibus Athanaſio ſuffecti. Utrumque habet Aſſemani Catalogus, quaſi Ignatius Cyrillo ſucceſſerit; aſt hoc ſtare poteſt cum eo quod narrant, ſcilicet Cyrillum ita exagitatum ab Ignatio, ut in cauſa fuerit cur à Turcis morti traderetur, quo necato, Ignatius anno 1630. Patriarchatu potiebatur. 772. E.
CLI. Euthymius II. Haleppi metropol. Ignatio ſuffectus, in Codice Vaticano & Aſſemani, Damaſci, *de more*, degens, communionem Romanam fovebat, impar ſolvendæ ſeptem millium nummorum ſummæ quam Turci exigebant, Haleppum ſeceſſit, & ſibi ſucceſſorem monachum deſignavit. 773. B.
CLII. Eutychius, ab Euthymio deſignatus, & ei ſuffectus. *Ibid.*
CLIII. Macarius III. Haleppenſis, Eutychio Patriarchatum eripuit anno 1643. quo degens Conſtantinop. ſubſcripſit cum omnibus aliis, *Confeſſioni fidei Eccleſiæ orientalis*, à Petro *Mogila* Ruſſiæ metropolita delineatæ, contra Calviniana placita, quæ & ſuo nomine proſcripſit anno 1671. 773. D.
CLIV. Cyrillus V. Macarii ex ſorore nepos, ejus ſucceſſor, multum commendatus à Demetrio Procopio, paulo poſt tamen detruſus. 774. D.
CLV. Neophytus, Macarii quondam vicarius, Cyrillum excepit, Calviniſtas proſcripſit. *Ibid.*
CLVI. Cyrillus V. *iterum*, defuncto vel amoto Neophyto, Patriarchatum reſumpſit, tenuitque ad annum 1680. 774. E.
CLVII. Athanaſius IV. Cyrillo iterum extruſo ſuffectus, dein Haleppenſis metrop. 775. A.
CLVIII. Cyrillus V. *tertiò*, Athanaſio ad ordinem redacto, & Haleppenſi eccleſia donato, ſedem ſuam tertiò conſcendit, & Damaſci, pro more, degens, obiit anno 1720. *Ibid.*
CLIX. Seraphinus Patriarcha Antiochenus anno 1721. ita ab æmulis vexatus, ut non niſi oratoris Galliarum ope, ſedem ſuam retinuerit. 776. A.
CLX. Athanaſius IV. *iterum*, Cyrillo defuncto ſedem Antiochenam conſcendit, erga Romanam Eccleſiam bene affectus. 775. C.
CLXI. Cyrillus VI. Romanæ communionis conſors, & ab Apoſtolica ſede confirmatus, Schiſmaticorum artibus coactus cedere, Libanum montem petiit, ubi paucis admodum epiſcopis præerat anno 1733. 776. B.
CLXII. Sylveſter, à Schiſmaticis, Cyrillo legitimo Patriarcha exule, electus & ordinatus. 776. C.

Index Præſulum Patriarchatus Antiocheni, ordine alphabetico.

A

Aaron, Arſamoſatæ. 1005. A.
Abdelmeſſias, Edeſſæ. 968. A.
Abgarus, Charrarum. 975. A.
Abibus, Doliches. 937. D.
Abraamius, Alalorum. 847. B.
Arethuſæ. 916. C.
Batnarum. 971. B.
Charrarum. 976. A.
Circeſii. 979. A.
Sergiopolis. 952. A.
Urimorum. 945. C.
Abraham I. Amidæ. 994. A.
II. *Ibid.*
Edeſſæ. 956. D.
I. Samoſatæ. 936. D.
II. *Ibid.*
Metropolita quidam incertæ ſedis ſub Patriarcha Antiochenâ. 463. D. *lin.* 45.
Acacius, Amidæ. 990. A. *col. autem ſequenti*, 991. A. *lin.* 8. pro *Mores*, legendum eſt *Mares*.
Antiochiæ magnæ. 724. B.
Antiochiæ minoris. 1017. C.
Berrhœæ. 782. C.
Tarſi. 872. B.
Achijanes, Berrhœæ. 783. C.
Adæus, Edeſſæ. 965. D.
Ingilorum. 1017. C.
Ælianus, Selenuntis. 1020. B.
Æmilianus, Antiochiæ magnæ. 755. C.
Æneas, Ptolemaïdis. 815. A.
Ærius, Zephyrii. 883. B.
Ætherius, Anazarbi. 887. E.
Mariammæ. 920. C.
Agapetus, Apameæ. 911. D.
Agapetus, Seleuciæ metrop. Iſaur. 1011. A.
Agapius I. Antiochiæ magnæ. 751. B.
II. 752. E.
Berrhœæ. 784. A.
Seleuciæ Pieriæ. 780. D.
Aitallahas, Edeſſæ. 956. C.
Alexander, Abilæ. 845. A.
Amathuntis. 1064. C.
Antaradi. 829. B.
I. Antiochiæ magnæ. 719. D.
II. 743. C.
Apameæ. 911. E.
Arces. 824. E.
Cotradorum. 1031. C.
Flaviadis. 899. C.
Hierapolis. 927. A.
Porphyreonis. 829. D.
Sebaſtæ. 880. A.
Alpheïus, Apameæ. 910. B.
Alypius, Selinuntis. 1019. B.
Amazonius, Edeſſæ. 965. D.
Ammonius, Jotapes. 1020. C.
Amphion, Epiphaniæ. 895. E.
Sidonis. 812. C.
Ananias, Damaſci. 833. A.
Anaſtaſius I. Antiochiæ magnæ. 734. E. & 736. E.
II. 737. C.
III. 738. C.
Eutimiæ. 868. *col.* 2. *lin.* 1.
Rachlenorum. 832. C.
Anatolius, Adanorum. 881. E.
Berrhœæ. 781. D.
Emeſæ. 839. A.
Laodiceæ. 791. D.
Sebaſtæ. 880. A.
Andreas, Edeſſæ. 965. C.
Flaviadis. 900. E.
Rhæſinæ *ſive* Theodoſiop. 981. B.
Samoſatæ. 935. A.
Sidonis. 813. B.
Anianus, Antiochiæ magnæ. 713. A.
Anſelmus, Apameæ. 914. C.
Antarchius, Anazarbi. 887. C.
Anthemius, Salaminæ in Cypro. 1047. D.
Anthenus, Zoropaſſæ. 1035. *lin. antepenult.*
Antiochus, Boſtrorum. 856. C.
Ptolemaïdis. 815. B.
Rhæſinæ *ſive* Theodoſiop. 979. C.
Samoſatæ. 934. D.
Antipater, Boſtrorum. 857. A.
Rhoſi. 907. A.
Antoninus, Berrhœæ. 783. D.
Heliopolis. 844. A.
Rhoſi. 908. A.
Antonius, Antiochiæ minoris. 1017. C.
Barbaliſci. 949. A.
Chalcidis. 786. C.
Domitiopolis. 1023. B.
Himerii. 983. C.
Nephelidis. 1023. B.
Seleuciæ Pieriæ. 780. B.
Tarſi. 871. A.
Zeugmatis. 941. B.
Aphtonius, Zeugmatis. 941. C.
Apollinaris, *hæreticus*, Laodiceæ. 794. A.
Apringius, Chalcidis. 786. B.
Aquilinus, Barbaliſſi. 949. A.
Bybli. 822. A.
Arabion, Adraorum. 859. B.
Arcadius I. Salaminæ in Cypro. 1049. C.
II. 1050. A.
Eorum alterutrius Homiliam de S. Georgio Magno laudat Aſſemanus, *tom.* 1. *Biblioth. Orient. p.* 630. *col.* 1. inter Codices Arab. *num.* 77.
Archelaüs, Caſcarorum. 1003. A.
Coryci. 880. C.
Doliches. 937. A.
Ariſtarchus, Apameæ. 909. A.
Ariſtio M. Alexandriæ minoris. 903. A.
Salaminæ in Cypro. 1043. B.
Ariſtonicus, Seleucobeli. 921. A.
Ariſtus, Beryti. 819. B.
Arſenius, Antiochiæ magnæ. 763. B.
Tripolis. 824. C.
Artemius, Titiopolis. 1023. C.
Aſaphius, Sophenes. 1001. D.
Aſcholius, Rhæſinæ *ſive* Theodoſiop. 981. C.
Aſclepiades, Antiochiæ magnæ. 703. C.
Aſclepius, Edeſſæ. 963. E.

Digitized by Google

Aſterius, Amidæ. 991. C.
Cyrrhi. 931. A.
Aſyncretius, Aradi. 830. A.
Athanaſius, Anazarbi. 885. B.
I. Antiochiæ magnæ. 739. A.
II. 759. A. & 761. A. lin. 2.
III. 772. D.
IV. 774. lin. ult. & 775. B.
Berrhœæ. 784. D.
Beryti. 820. B.
Doliches. 938. B.
Perrhæ. 943. D.
Philadelphiæ. 1023. A.
Salaminæ in Cypro. 1054. E.
M. Tarſi. 869. B.
Athenæus, *vide* Anthenus.
Attalus, Malli. 884. A.
Atticus, Aradi. 830. A.
Augarus, Cyrrhi. 930. C.
Auxentius I. Mopſueſtiæ. 890. B.
II. 892. E.
Auxibius I. Solorum in Cypro. 1071. B.
II. *Ibid.* D.

B

S. Babylas, Antiochiæ magnæ. 704. B.
Bagadius, Boſtrorum. 855. E.
Baſſamon I. Antioch. magnæ, *vide* Theodorus.
II. 768. C.
Baranes, Alexandriæ minoris. 904. A.
Baratus, Paneadis. 832. B.
S. Barnabas, *Apoſtolus*, Salaminæ in Cypro. 1043. A.
Barrhadades, Conſtantinæ. 968. B.
Barſes, Charrarum. 975. B.
Edeſſæ. 956. D.
Barſymæus, Edeſſæ. 955. B.
Baſilides, Bybli. 828. B.
Baſilius, Alexandriæ minoris. 904. C.
I. Antiochiæ magnæ. 723. E.
II. 754. D.
Batnarum. 971. C.
Epiphaniæ. 898. B.
Germanicopolis. 1028. C.
Ibidinges. 1033. D.
Irenopolis. 899. B.
Martyropolis & Tagriti. 1002. B.
Novæ-Valentiæ. 986. A.
Raphaneæ. 921. C.
Seleuciæ Iſaur. 1014. D.
Baſſianus, Gabbenſis. 787. E.
Mopſueſtiæ. 892. D.
Raphaneæ. 921. C.
Baſſus, Zeugmatis. 941. B.
Benetus, Bybli. 821. B.
Beronicianus, Tyri. 807. B.
Beryllus, Boſtrorum. 853. B.
Bizus, Seleuciæ Pieriæ. 777. C.

C

Cajumas, Marcopolis. 983. A.
Vologeſocertæ. 1005. C.
Calandion, Antiochiæ magnæ. 727. E.
Callicrates, Claudiopolis. 1027. A.
Candidus, Sergiopolis. 951. A.
Caſſius, Tyri. 803. A.
Celſus, Edeſſæ. 968. A.
Chilon, Conſtantiæ. 865. C.
Neapolis Arab. 866. A.
Chomatius, *Thomas*, Mopſueſtiæ. 892. A.
Chriſtophorus I. Antiochiæ magnæ. 747. D.
II. M. 745. C.
Porphyreonis. 830. C.
Chryſippus, Malli. 884. A.
Clarus, Ptolemaïdis. 813. D.
Clemens, Neapolis inſulæ Cypri. 1063. B.
Clino, Tarſi. 871. C.
Commodus, Tripolis. 823. C.
Conon, Apameæ. 912. D.
Edeſſæ. 955. D.
Stibes. 1029. A.
Conſtantinus, Boſtrorum. 856. E.
Charrarum. 977. C.
I. Daliſandi. 1025. D.
II. 1026. C.
III. *Ibid.* D.
Hæret. Laodiceæ. 796. C.
Salaminæ in Cypro. 1051. E.
Hæret. Seleuciæ Pieriæ. 779. D.
Cornelius, Antiochiæ magnæ. 701. D.
Coſmas, Curii. 1058. C.
Daliſandi. 1025. D.
Domitiopolis. 1024. B.
Coſmas I. Epiphaniæ. 918. A.
II. *Ibid.* C.
Malli. 884. A.
Marianopolis. 951. B.
Mopſueſtiæ. 894. C.
Cymatius, Aradi & Antaradi. 827. B.
Palti. 799. A.
Cyprianus, Coryci. 881. A.
Cyriacus, Adanorum. 888. C.
I. Amidæ. 994. C.
II. *Ibid.* D.
Antiochiæ magnæ. 762. lin. 4. & 766. A. ubi lin. 5. pro *Cyrianum*, legendum eſt *Cyriacum*.
Emeſæ. 840. A.
Seleucobeli. 922. B.
Cyrillus, Adanorum. 882. B.
I. Antiochiæ magnæ. 707. A.
II. 763. B.
III. *Ibid.* C.
IV. 772. E.
V. 774. D.
VI. 776. B.
Mopſueſtiæ. 891. A.
Paphi. 1059. D.
Tyri. 810. D.
Cyrion, Doliches. 937. B.
Philadelphiæ. 861. C.
Cyrus, Anaſarthæ. 788. C.
Anazarbi. 887. B.
Berrhœæ. 781. C.
I. Edeſſæ. 958. C.
II. 962. A.
Hierapolis. 928. D.
Marcopolis. 981. D.
Mariammæ. 920. C.
Tyri. 806. D.

D

Dadas, Batnarum. 971. C.
Comes Charrorum. 849. A.
Damianus, Callinici. 970. C.
Salaminæ in Cypro. 1048. C.
Sidonis. 813. A.
Daniel, Charrarum. 976. C.
Macedonopolis 986. B.
Rhæſinæ *ſive* Theodoſiop. 982. A.
David, Antiochiæ magnæ. 761. B.
Circeſii. 980. B.
Europi. 945. B.
Urimorum. 946. D.
Dauſas, Bezardes. 1003. B.
Demetrianus, Antiochiæ magnæ. 705. C.
Dexianus, Seleuciæ Iſaur. 1013. E.
Didymus, Lapithi. 1067. A.
Differentius, Olbæ. 1031. A.
Diodorus, Tarſi. 872. E.
Tyri. 807. B.
Diogenes, Edeſſæ. 958. E.
Lariſſæ. 919. B.
Seleucobeli. 921. B.
Dionyſius I. Antiochiæ magnæ. 763. C.
II. *Ibid.* D. & 765. E.
Pompeïopolis. 878. B.
Seleuciæ Pieriæ. 779. D.
Domitius, Chalcidis. 788. B.
Titiopolis. 1024. C.
Domnus I. Antiochiæ magnæ. 706. B.
II. 721. E.
III. 734. C.
Apameæ. 912. B.
Chalcidis. 787. A.
Dorimenius, Adraorum. 860. B.
Dorotheus I. *Arian.* Antioch. magnæ. 716. C.
II. 761. E. lin. ult.
III. 768. E.
IV. 770. D. & 771. A.
V. 770. D.
VI. 772. D.
I. Tyri. 803. D.
II. 808. D.
Doſitheus I. Seleuciæ Pieriæ. 777. A.
II. 778. B.
Tarſi. 873. E.

E

Elias I. Antiochiæ magnæ. 738. E. & 750. B.
II. 754. C.
Botrys. 827. A.
Iabrudæ. 846. B.
Rachlenorum. 831. C.
Seleucobeli. 922. B.
Elpidius, Dionyſiadis. 865. B.
Elpidius, Laodiceæ. 794. E.
Epaphras, Paphi in Cypro. 1059. C.
Epaphroditus, Tamaſſi. 1060. B.
Ephræmius, Antiochiæ magnæ. 733. E.
Epiphanius, Arces. 825. B.
Ceſtri. 1025. B.
Epiphaniæ. 917. C.
I. Salaminæ in Cypro. 1045. B.
II. 1050. B.
III. 1052. B.
Solorum in Cypro. 1072. D.
Tyri. 809. C.
Eraſtus, Paneadis. 831. B.
Eros, Antiochiæ magnæ. 701. C.
Eteſius, Claudiopolis. 1027. A.
Evagrius, Antiochiæ magnæ. 717. D.
Novæ-Valentiæ. 985. A.
Solorum in Cypro. 1072. C.
Eudoxius, Antiochiæ magnæ. 712. C.
Germaniciæ. 939. B.
Eulalius, Antiochiæ magnæ. 710. C.
Zenopolis. 1033. B.
Eulogius, Danaborum. 848. A.
Edeſſæ. 957. E.
Philadelphiæ. 861. C.
Eulyſius, Boſtrorum. 856. B.
Eunomius, Amidæ. 994. C.
Rhæſinæ *ſive* Theodoſiop. 979. D.
Samoſatæ. 933. D.
Evodius, Antiochiæ magnæ. 699. B.
Evorcius, Zeugmatis. 943. A.
Euphemius, Sophenes. 1001. D.
Euphraſius, Antiochiæ magnæ. 733. A.
Euphration, Balaneæ. 923. A.
Euphronius, Anemurii. 1017. A.
Antiochiæ magnæ. 710. E.
Euſchemon, Irenopolis. 1030. D.
Euſebius, Abidæ. 849. C.
Alexandriæ minoris. 905. A.
Antiochiæ magnæ. 710. D.
Arethuſæ. 916. A.
Beryti. 817. B.
Chalcidis. 785. D.
Emeſæ. 839. B.
Epiphaniæ. 917. B.
Gabalorum. 797. A.
Iabrudæ. 845. B.
Laodiceæ. 791. B.
Lariſſæ. 920. A.
Maronopolis. 1007. lin. penult.
Olbæ. 1031. A.
I. M. Samoſatæ. 933. D.
II. 936. C.
Seleuciæ Pieriæ. 777. B.
Seleucobeli. 922. A.
Tyri. 809. E.
Euſtathius, Ægarum 896. B.
I. Antiochiæ magnæ. 708. C.
II. 749. B.
Arethuſæ. 915. A.
Berrhœæ. 781. A.
Beryti. 818. C.
Celenderis. 1016. E.
Damaſci. 836. C.
Epiphaniæ. 916. D.
Himerii. 983. B.
Lami & Charadri. 1018. B.
Perrhæ. 946. A.
Solorum in Cypro. 1073. A.
Tribus Saracenorum. 852. E.
Euſtratius, Antiochiæ magnæ. 751. E.
Cotradorum. 1032. C.
Flaviadis. 901. A.
Euthalius, Bybli. 821. A.
Euthymius I. Antiochiæ magnæ. 763. B.
II. 773. B.
Sidonis. 814. C.
Eutychianus, Daras. 997. B.
Epiphaniæ. 917. C.
Eutychius, Antiochiæ magnæ. 773. B.
Euzoïus, Antiochiæ magnæ. 713. E.
Exereſius, Geraſæ. 861. A.

F

Fabius, Antiochiæ magnæ. 705. A.
Flavianus I. Antiochiæ magnæ. 716. E.
II. 729. E.
Gabalorum. 798. B.

G

Gaïanus, Medaborum. 860. C. & tom. 771. A.
Gamalinus, Perrhæ. 944. E.

Gau

Digitized by Google

Gaianus, Nehelon. 867. col. 2. lin. 1.
Gelaſius, Salaminæ in Cypro. 1044. B.
Geminus, Niſibis. 995. B.
Gennadius, Eſbuntis. 863. C.
Georgius I. Antiochiæ magnæ. 741. E.
II. 738. D. & 743. E.
Apameæ. 914. E.
Damaſci. 838. B.
Flaviadis. 900. E.
Irenopolis. 1030. C.
Laodiceæ. 792. E.
Martyropolis & Tacriti. 1000. C.
Ptolemaidis. 816. B.
Salaminæ in Cypro. 1051. B.
Trimithuntis. 1072. A.
Geraſimus, Amathuntis. 1066. B.
Berrhœæ. 784. D.
Germanus, Amathuntis. 1066. A.
Chytri. 1070. B.
Coryci. 879. C.
Damaſci. 836. C.
Gabalorum. 799. lin. 1.
Mulbadæ. 1034. A.
Salaminæ. 1053. B.
Gerontius, Claudiopolis. 1027. B.
Comes Charrorum. 849. A.
Lariſſæ. 917. D.
Raphaneæ. 921. C.
Seleuciæ Pieriæ. 779. A.
Gregorius I. Antiochiæ magnæ. 735. E.
II. 770. D. lin. 14.
Berrhœæ. 784. E.
Beryti. 817. D.
Boſtrorum. 858. E.

H

Helenus, Alexandriæ minoris. 903. A.
Tarſi. 870. A.
Heliades, Zeugmatis. 942. B.
Heliodorus, Amathuntis. 1064. C.
Bezardes. 1003. B.
Laodiceæ. 791. A.
Helladius, Ptolemaidis. 815. C.
Tarſi. 874. C.
Hellanicus, Tripolis. 823. A.
Heraclides, Salaminæ. 1043. C.
Tamaſſi. 1059. A.
Heraclitus, Arces. 826. A.
Hermolaüs, Carpaſiæ. 1068. B.
Hermophilus, Diocæſareæ. 1022. A.
Heron, Antiochiæ magnæ. 701. C.
Heſychius, Alexandriæ minoris. 903. D.
Caſtabalorum. 902. B.
Epiphaniæ. 897. B.
Hieremias, Apameæ. 909. B.
Sidonis. 814. B.
Tyri. 812. B.
Hierotheus, Antiochiæ magnæ. 761. D.
Hilarion, Salaminæ. 1055. C.
Hilarius, Salaminæ. 1048. E.
Hormiſdas, Philippopolis. 861. B.
Hypatius, Zephyrii. 884. B.
Hypſiſtius, Philadelphiæ. 1021. D.

I

Jacobus, Anemurii. 1015. E.
Batnarum. 971. D.
Edeſſæ. 966. D.
Mopſueſtiæ. 893. C.
Niſibis. 995. B.
Jamblicus, Chalcidis. 786. D.
Jaſon, Tarſi. 869. A.
Ibas, Edeſſæ. 960. C. & 961. A.
S. Ignatius M. I. Antiochiæ magnæ. 700. B.
II. 766. D.
III. 772. E.
Indimus, Irenopolis Ciliciæ II. 899. B.
Joachimus I. Antiochiæ magnæ. 761. D.
II. 768. B.
III. 770. D. lin. 14.
IV. Ibid. E. & 771. A.
V. Ibid.
VI. 770. E. 771. B. & 772. B.
VII. 772. C.
Joannes, Abilæ. 844. C.
Adanorum. 882. E.
Amathuntis. 1064. D.
I. Amidæ. 992. B.
II. 994. D.
I. Anazarbi. 887. E.
II. 888. B.
Anemurii. 1017. A.
I. Antiochiæ magnæ. 721. B.

Joannes II. Antiochiæ magnæ. 727. D.
III. 753. E.
IV. 756. C.
V. 758. A.
VI. 766. B.
I. Apameæ. 911. B.
II. 912. E.
Beryti. 819. C.
Boſtrorum. 858. C.
Callinici. 972. A.
I. Charrarum. 977. A.
II. Ibid. C.
Chryſopolis. 867. C.
Claudiopolis. 1028. B.
Comes Charrorum. 849. B.
Conſtantinæ. 969. B.
Coryci. 881. A.
Cyrrhi. 932. B.
I. Damaſci. 835. A.
II. Ibid. D.
Diocæſareæ. 1021. B.
Errhæ. 865. B.
Damaſcenus, Evariæ. 248. lin. 2.
Flaviadis. 900. C.
Gabalorum. 798. C.
Germaniciæ. 940. B.
Hierapolis. 927. E.
Himerii. 984. C.
Irenopolis Ciliciæ II. 900. B.
Irenopolis Iſauriæ. 1029. C.
Laodiceæ ad Libanum. 882. B.
Leontopolis. 1022. C.
Mopſueſtiæ. 892. E.
Neocæſareæ. 948. B.
I. Palmyræ. 845. C.
II. 846. C.
Palti. 800. B.
Philadelphiæ. 862. C.
Pompeïopolis. 878. A.
Ptolemaïdis. 816. A.
Rhæſinæ *ſive* Theodoſiop. 981. A.
I. Salaminæ in Cypro. 1050. C.
II. 1052. E.
Seleuciæ Iſauriæ. 1014. B.
Tribus Saracenorum. 852. lin. ult.
Cedonatus, Tyri. 808. E.
Joaſaph, Ptolemaïdis. 816. C.
Jobianus, Himerii. 983. B.
Jobinus, Perrhæ. 943. B.
Jobius, Neves. 863. B.
Jobus, Antioch. magnæ. 738. D. & 747. C.
Jonas, Circeſii. 977. E.
Jordanes, Abilæ. 843. C.
Joſeph, Heliopolis. Ibid. B.
Irenæus, Tripolis. 823. C.
Tyri. 807. C.
Iſaac, Apameæ. 913. D.
Neves. 864. B.
Salaminæ. 1049. B.
Iſidorus, Anazarbi. 888. B.
Chalcidis. 788. A.
Cyrrhi. 931. B.
Julianus, Alexandriæ minoris. 904. B.
Antiochiæ magnæ. 725. D.
Batnarum. 974. D.
Boſtrorum. 857. D.
Celenderis. 1015. C.
Lariſſæ. 918. D.
Mopſueſtiæ. 893. B.
Rhoſi. 908. A.
Zeugmatis. 944. A.
Julius, Ægarum. 896. C.
Paphi. 1060. D.

L

Lampadius, Raphaneæ. 921. C.
S. Lazarus, quem ſuſcitavit Chriſtus à mortuis, Citii in Cypro. 1055. D. *Vide vol. ſeq. III. coll.* 1231. 1232. *& ad calcem coll.* 1339. 1340.
Leo, Charrorum. 978. B.
Cotradorum. 1032. C.
Leontius, Antiochiæ magnæ. 712. B.
Ceraunīæ. 1024. D.
Ledrorum. 1076. B.
Neapolis in Cypro. 1062. C.
Paphi. Ibid. B.
Solorum in Cypro. 1073. B.
Tripolis. 823. B.
Lucianus, Arces. Ibid. E.
Lucius, Laodiceæ. 789. B.
Samoſatæ. 933. D.

Lupus, Tarſi. 871. D.

M

Macarius I. *Monothel.* Antiochiæ magnæ. 738. C. & 742. B.
II. 770. E.
III. 773. D.
Laodiceæ. 795. C.
Paphi. 1062. B.
Macedonius, Antiochiæ magnæ. 738. C. & 740. D.
Beryti. 818. A.
Mopſueſtiæ. 889. B.
Ledrorum in Cypro. 1076. A.
Macrobius, Seleuciæ Iſaur. 1016. A.
Magnus, Chalcidis. 785. D.
Damaſci. 834. A.
Mariammæ. 919. A.
Malchus, Æni. 817. col. 1. lin. 1.
Mamas, Anemurii. 1018. A.
Daræ. 997. C.
Mampreus, Titiopolis. 1023. C.
Manus, Himerii. 984. C.
Manzo, Diocæſareæ. 1022. B.
Mappa, *vide* Stylianus.
Maras I. Amidæ. 990. A.
II. 992. A.
III. 993. A.
Anaſartæ. 787. C.
Bezardes. 1004. C.
Dionyſiadis. 866. B.
Gabalorum. 797. D.
Urimorum. 945. C.
Marcellinus, Arces. 825. A.
Marcellus M. Apameæ. 911. C.
Marcianus, Seleucobeli. 921. A.
Marcus I. Antiochiæ magnæ. 766. C.
II. 767. E.
III. 768. A.
IV. *ſeu* Michael III. 770. C.
I. Arethuſæ. 915. A.
II. 916. A.
Bybli. 821. A.
Macedonopolis. 985. B.
Zenopolis. 1034. B.
Mares, Singaræ. 1007. C.
Marianus, Tarſi. 874. A.
Marinianus, Barbaliſſi. 950. B.
Jotapes. 1019. C.
Marinus, Apameæ. 913. A.
Beryti. 819. D.
Daliſandi. 1025. C.
Epiphaniæ Ciliciæ II. 898. A.
Palmyræ. 845. C.
Tyri. 803. B.
Marion, Surorum. 949. C.
Maris, Anazarbi. 885. A.
Caſtabalorum. 901. B.
Doliches. 937. C.
Agis, Edeſſæ. 955. A.
Marones, Tripolis. 821. C.
Martyrius, Antiochiæ magnæ. 724. C.
Paneadis. 831. B.
Maruthas, Martyropolis & Tagriti. 999. A.
Matronianus, Pompeïopolis. 877. B.
Matthæus, Paphi in Cypro. 1061. B.
Maudiana, Martyropolis & Tagriti. 1002. C.
Mauritius, Epiphaniæ Syriæ II. 915. D.
Maximianus, Anazarbi. 886. B.
Maximinus, Antiochiæ magnæ. 702. D.
Maximus, Antiochiæ magnæ. 723. B.
Berrhœæ. 785. A.
Boſtrorum. 854. C.
Laodiceæ. 796. A.
Seleuciæ Iſauriæ. 1013. C.
Seleuciæ Pieriæ. 778. A.
Megalius, Philadelphiæ. 1022. B.
Megas, Berrhœæ. 783. E.
Sidonis. 813. A.
S. Meletius, Antiochiæ magnæ. 713. C. & 714. C.
I. Berrhœæ. 781. D.
II. 784. B.
Lariſſæ. 910. A.
Mopſueſtiæ. 891. E.
Neocæſareæ. 947. C.
Salaminæ in Cypro. 1049. B.
Menedorus, Irenopolis Iſauriæ. 1029. D.
Methodius, Tyri. 803. C.
Michael I. Antiochiæ magnæ. 767. C.
II. 768. B.
III. *ſeu* Marcus IV. 770. C.

I

Digitized by Google

Michael IV. Antiochiæ magnæ. 770. C.
V. *Ibid.*
VI. *Ibid.* E.
VII. *Ibid.*
Arſinoës. 1066. C.
Curii. 1057. C.
Minodorus, Sebaſtæ. 877. C.
Miro, Tamaſſi. 1059. B.
Mnemius, Citii in Cypro. 1056. D.
Mnemonius, Amathuntis. 1063. C.
Mocimus, Aradi & Antaradi. 827. B.
Montanus, Claudiopolis. 1027. B.
Diocæſareæ. 1021. A.
Moyſes, Batnarum. 974. C.
Caſtabalorum. 901. C.
Tribus Saracenorum. 851. B.
Muſæus, Aradi & Antaradi. 828. B.
Muſonius, Celenderis. 1015. C.
N
Narciſſus, Irenopolis Ciliciæ II. 897. D.
Nectabus, Ptolemaïdis. 815. A.
Nemeſius, Emeſæ. 839. E.
Neon, Selenuntis. 1019. B.
Neonias, Seleuciæ Iſauriæ. 1011. B.
Neophytus, Antiochiæ magnæ. 773. D. 774. E. & 775. A.
Ptolemaïdis. 816. C.
Neſtor, Tarſi. 875. B.
Trimithuntis. 1070. C.
Nicephorus, Antiochiæ magnæ. 756. B.
Ceauniæ. 1074. D.
Salaminæ. 1055. B.
Nicetas, Epiphaniæ Ciliciæ II. 898. B.
Flaviadis. 900. C.
Nicias, Laodiceæ. 796. B.
Nicolaus I. Antiochiæ magnæ. 738. D. & 748. A.
II. 754. B.
Ledrorum in Cypro. 1076. C.
Salaminæ. 1052. D.
Seleuciæ Pieriæ. 780. E.
Nicomachus, Boſtrorum. 855. B.
Nicon, Antiochiæ magnæ. 768. A.
Nilus, Antiochiæ magnæ. 767. E. *lin. penult.*
Orthoſiadis. 825. D.
Noë, Cephæ-Caſtelli. 1005. B.
Nonnus, Amidæ. 992. C. E.
Circeſii. 979. B.
Daliſarorum. 983. A.
Edeſſæ. 960. E. 961. C.
Medaborum. 859. C.
Orthoſiadis. 825. D.
Raphaneæ. 922. C.
Seleuciæ Pieriæ. 779. C.
Nunechius, Lanii & Charadri. 1017. B.
O
Olympius, Doliches. 937. A.
Mopſueſtiæ. 890. D.
Paneadis. 832. B.
Rhæſinæ *ſive* Theodoſiop. 981. A.
I. Salaminæ. 1047. B.
II. 1048. B.
Oreſtes, Anazarbi. 887. C.
Orontius, Domitiopolis. 1023. B.
P
Pachomius I. Antiochiæ magnæ. 767. C.
II. 768. A.
III. *Ibid.*
Palatinus, Mopſueſtiæ. 893. B.
Palladius, Antiochiæ magnæ. 729. C.
Pamphilus, Amidæ. 991. D.
Panolbius, Hierapolis. 927. C.
Pappus, Chytri. 1067. D.
Paregorius, Caſtabalorum. 902. C.
Parmenas, Solorum in Cypro. 1071. B.
Paſchalius, Ægarum. 896. D.
Patritius, Neocæſareæ. 948. A.
Palti. 799. B.
Patrophilus, Ægarum. 895. C.
Lariſſæ. 918. D.
Paulinus, Adanorum. 881. B.
I. Antiochiæ magnæ. 708. D.
II. 715. C.
Tyri, poſtea Antiochiæ. 803. E.
Paulus, Adraſſi. 1031. B.
Alexandriæ minoris. 904. D.
I. Antiochiæ magnæ. 705. D.
II. 731. E.
Apameæ. 913. E.
Aradi & Antaradi. 829. B.
Callinici. 970. D.
Paulus, Conſtantinæ. 967. C.
Domitiopolis. 1024. B.
I. Edeſſæ. 963. B. 964. A.
II. 966. E.
I. Emeſæ. 839. E.
II. 840. B.
Epiphaniæ Ciliciæ II. 897. C.
Hierapolis Iſauriæ. 1030. C.
Irenopolis Ciliciæ II. 900. B.
Irenopolis Iſauriæ. 1030. C.
Mariammæ. 919. C.
Neocæſareæ. 947. A.
Olbæ. 1032. A.
Porphyreonis. 830. D.
Ptolemaïdis. 815. C.
I. Sidonis. 812. C.
II. 813. C.
Tyri. 805. A.
Pelagius, Laodiceæ. 793. D.
Tarſi. 875. A.
Peperius, Samoſatæ. 933. B.
Petronius, Neves. 853. B.
S. Petrus *Apoſtol.* I. Antiochiæ magnæ. 671. *n.* 4. C. 674. *n.* 7. B. & 699. A.
II. *Fullo*, hæret. 724. D. 725. E. & 728. E.
III. 754. E.
Apameæ. 913. B.
Celenderis. 1015. D.
Coradorum. 851. A.
I. Damaſci. 885. E.
II. M. 836. E.
Domitiopolis. 1023. B.
Edeſſæ. 962. E.
Gabalorum. 798. B.
Gabbenſis. 788. E.
Gindari. 789. A.
Heliopolis. 844. A.
Rhæſinæ & Theodoſiop. 981. C.
Solorum in Cypro. 1072. C.
Tarſi. 876. B.
Zephyrii. 884. B
Phacidas, Edeſſæ. 958. E.
Phalerius, Tarſi. 873. D.
Philemon, Boſtrorum. 860. A. *lin.* 3.
Philetus, Antiochiæ magnæ. 703. E.
Philippus, Adanorum. 882. C.
Beryti. 820. D.
Damaſci. 835. A.
Philo, Carpaſiæ. 1067. B.
Philocalus, Paneadis. 831. B.
Philogonius, Antiochiæ magnæ. 708. A.
Philomuſus, Alexandriæ minoris. 903. D.
Pompeïopolis. 877. B.
Philotimus, Hierapolis. 925. A.
Philoxenus, Doliches. 940. A.
Xenaïas, hæret. Hierapolis. 928. E.
Phoſphorus, Orthoſiadis. 825. C.
Photinus, Chytri in Cypro. 1069. B.
Photius, Philadelphiæ. 864. A.
I. Tyri. 808. A.
II. 810. D.
Piſo, Adanorum. 881. B.
Auguſtæ. 879. B.
Placillus, Antiochiæ magnæ. 711. B.
Placon, Laodiceæ ad Libanum. 841. B.
Plancus, Geraſæ. 861. A.
Polychronius, Epiphaniæ Ciliciæ II. 897. C.
Pompeïanus, Emeſæ. 840. C.
Porphyrius, Antiochiæ magnæ. 718. B.
Botrys. 827. A.
Rhoſi. 907. A.
Probus, Chalcidis. 788. B.
Proclus, Adraorum. 859. B.
Procopius, Irenopolis Ciliciæ II. 900. B.
Profechius, Arſinoës. 1065. C.
Protegenes, Charrarum. 975. D.
Protogenes, Mopſueſtiæ. 980. C.
Q
Quartus, Beryti. 817. A.
Quintilianus, Seleucobeli. 919. D.
R
Rabbulas, Edeſſæ. 959. A.
Rematius, Malli. 883. A.
Reverentius, Arces. 825. A.
Tyri. 806. D.
Rheginus, Salaminæ. 1046. E.
Romanus, Bezardes. 1004. C.
Chalcidis. 787. B.
Gabalorum. 798. D.
Romulus, Chalcidis. 786. D.
Rufinus, Bybli. 822. B.
Samoſatæ. 936. B.
S
Saades, Edeſſæ. 956. B.
Sabas, Tyri. 810. C.
Sabbas, Palti. 799. C.
Sabinianus, Perrhæ. 944. B.
Zeugmatis. 941. C.
Sabinus I. Salaminæ. 1045. E.
II. 1047. C.
Salluſtius, Coryci. 879. C.
Salomon, Germaniciæ. 933. A.
Samus, Seleuciæ Iſauriæ. 1013. B.
Sapricius, Paphi. 1061. A.
Sebaſtianus, Rhæſinæ *ſive* Theodoſiop. 982. B.
Sebaſtiæ. 1029. B.
Serapion, Antiochiæ magnæ. 702. E.
Seraphinus, Antiochiæ magnæ. 776. B.
Sergius, Birthæ. 987. C.
I. Cyrrhi. 932. C.
II. 933. A.
Damaſci. 837. B.
Epiphaniæ Syriæ II. 918. B.
Himerii. 986. A.
Salaminæ. 1049. E.
Severianus, Arethuſæ. 916. B.
Gabalorum. 797. B.
Severus, *hæret.* Antiochiæ magnæ. 730. D.
Dionyſiadis. 865. B.
Gabalorum. 797. A.
Gabbenſis. 787. E.
Maximianopolis. 867. B.
Neapolis Arabiæ. 865. A.
Palti. 799. C.
Silvanus, Edeſſæ. 958. D.
Emeſæ. 837. B.
Tarſi. 872. A.
Silveſter, Antiochiæ magnæ. 776. B.
Salaminæ. 1056. C.
Simeon I. Amidæ. 989. A.
II. 991. E.
III. 994. E.
I. Antioc. magnæ. 738. D. & 749. D.
II. 759. D.
III. 762. A. *lin.* 2.
Boſtrorum. 858. D.
Salaminæ. 1053. A.
Simon, Mopſueſtiæ. 894. B.
Siricius, *vide* Syricius.
Siſinnius, Citidiopolis. 905. D.
Muſbadæ. 1033. A.
Silvanorum. *Ibid.* C.
Socrates, Laodiceæ. 791. A.
Solemus, Conſtantiæ. 865. C.
Sophronius, Antiochiæ magnæ. 763. C.
Conſtantinæ. 967. B.
Pompeïopolis. 877. A.
Salaminæ. 1048. D.
Tyri. 810. E.
Soter, Theodoſianæ. 1075. *lin.* 2.
Sotericus *electus*, Antiochiæ magnæ. 758. B.
Spyridon, Chytri in Cypro. 1070. A.
Trimithuntis. 1069. C.
Stephanus, Adraſſi. 1032. B.
Anazarbi. 888. A.
I. Antiochiæ magnæ. 711. E.
II. M. 726. E.
III. 727. A.
IV. 744. D.
V. 738. D. & 748. D. E.
Balanææ. 924. B.
Boſtrorum. 838. D.
Botrys. 828. A.
Caſtabalorum. 902. D.
Daliſandi. 1025. D.
Daras. 998. B.
Epiphaniæ Syriæ II. 917. B.
Germaniciæ. 940. B.
I. Hierapolis. 928. A.
II. 930. B.
I. Laodiceæ. 791. E.
II. 796. E.
Lariſſæ. 920. B.
Orthoſiadis. 826. D.
Philadelphiæ. 1024. A.
Tripolis. 824. A.
Stratonicus, Charrarum. 977. B.
Solorum in Cypro. 1072. D.
Stylianus Mappa, Neocæſareæ. 948. C.
Succeſſus, Diocæſareæ. 1021. A.
Sympoſius, Seleuciæ Iſauriæ. 1013. B.

Digitized by Google

Syncletius, Tarſi. 875. D.
Syricius, Cyrrhi. 929. C.

T

Tarcodimantus, Ægarum. 895. B.
Tatianus, Auguſtæ. 879. B.
Thaddæus, Antiochiæ magnæ. 728. D. & 748. E. lin. 46.
Edeſſæ. 955. A.
Thalaſſius, Alalorum. 847. B.
Beryti. 819. D.
Thelaphius, Chalcidis. 785. C.
Thelymidres, Laodiceæ. 791. A.
Themiſtagoras, Solorum in Cypro. 1071. D.
Theoctiſtus, Berrhœæ. 783. C.
Theodoretus, Anazarbi. 888. E.
I. Antioc. magnæ. 728. D. & 746. B.
II. 751. B.
Cyrrhi. 931. D.
Theodorus M. Alexandriæ minoris. 903. B.
I. Antioc. magnæ. 738. D. & 745. C.
II. 752. B.
III. 754. C.
IV. *Balſamon.* 760. D.
V. 770. C.
Aradi & Antaradi. 830. B.
Auguſtæ. 880. B.
Balanææ. 924. A.
Caſtabalorum. 902. E.
Citii in Cypro. 1057. A.
Claudiopolis. 1028. A.
Comes Charrorum. 849. C.
Coradorum. 852. A.
Cotradorum. 1031. C.
Damaſci. 835. C.
Danaborum. 847. A.
Daras. 998. C.
Edeſſæ. 966. A.
Emeſæ. 842. A.
Eſbuntis. 864. C.
Germanicopolis. 1027. C.
Hierapolis. 930. A.
Ingilorum. 1008. B.
Meſopotamiæ. 497. E. lin. 48.
I. Mopſueſtiæ. 889. A.
II. 891. A. ubi lin. 9. B. delendum eſt punctum ante *in quinta*, & tranſponendum illud in linea ſeq. ante *ſedebat*. Concilium autem Conſtantinopolitanum de quo hic ſermo, celebratum eſt an. 394. *Vide ſupra de Bagadio*, col. 855. E.
III. 894. A.
Olbæ. 1032. A.
Paphi. 1060. D.
Porphyreonis. 829. D.
Rhoſi. 908. B.
Salaminæ. 1046. C.
Seleuciæ Iſauriæ. 1015. B.
Seleuciæ Pieriæ. 780. C.
Sidonis. 812. C.
I. Tarſi. 871. D.
II. 874. E.
III. 876. C.
Trimithuntis. 1070. D.
Tripolis. 823. B.
Theodoſius I. Antiochiæ magnæ. 728. E. & 748. E.
II. 750. E.
III. 755. B.
IV. *ſive* Theophilus II. 757. E.
V. 763. B.
Antiochiæ minoris. 1017. C.
Theodoſius, Canathæ. 867. A.
Tripolis. 823. B.
Theodotus, Antiochiæ magnæ. 720. B.
Berrhœæ. 782. B.
Ceraunlæ. 1073. C.
M. Curii. 1057. B.
Heliopolis. 843. A.
Hierapolis. 925. A.
Laodiceæ. 792. A.
Theon, Selenuntis. 1020. B.
Theopemptus, Conſtantiæ. 1005. D.
Theophanes, Antiochiæ magnæ. 728. D. & 742. A.
Antiochiæ minoris. 1020. A.
Solorum in Cypro. 1074. A.
Theophilus I. Antiochiæ magnæ. 702. A.
II. *ſive* Theodoſius IV. 757. E.
Apameæ. Syriæ II. 910. A.
Caſtabalorum. 901. D.
Theophylactus, Antiochiæ magnæ. 728. D. & 745. A.
Theopompus, Trimithuntis. 1069. D.
Therapons, Salaminæ. 1049. B.
Thomarichus, Apameæ Syriæ II. 914. D.
Thomas, Ægarum. 896. C.
Antioc. magnæ. 728. D. & 743. D.
Amidæ. 992. D.
Apameæ Syriæ II. 914. A.
Beryti. 820. C.
Circeſii. 980. B.
Conſtantinæ. 970. B.
Daras. 997. C.
Evariæ. 847. C.
Germaniciæ. 941. A.
Iabrudæ. 845. B.
Porphyreonis. 829. D.
Tyri. 810. A.
Timæus, Antiochiæ magnæ. 706. E.
Timon, Boſtrorum. 853. A.
Timotheus, Balaneæ. 923. B.
Beryti. 818. B.
Ceraunlæ. 1073. C.
Doliches. 939. A.
Titus, Boſtrorum. 855. C.
Paphi. 1059. D.
Tranquillus, Chalcidis. 785. B.
Triphyllus, Ledrorum in Cypro. 1075. A.
Troilus, Salaminæ. 1046. B.
Tychicus I. Neapolis Cypri. 1061. C.
II. *Ibid.* D.
Tychon, Amathuntis. 1063. C.
Citii in Cypro. 1056. D.
Tamaſſi. 1060. A.
Tyrannio, Tyri. 803. A.
Tyrannus, Antiochiæ. magnæ. 707. B.
Germanicopolis. 1027. C.

V

Valentinus, Malli. 883. A.
Valerius, Anazarbi. 887. A.
Laodiceæ ad Libanum. 842. B.
Vitalis I. Antiochiæ magnæ. 707. D.
II. 715. D. & 716. D.
Tyri. 805. B.
Vitus, Charrarum. 975. C.
Volageſus, Niſibis. 997. A.
Uranius, Adraorum. 859. B.
Apameæ Syriæ II. 911. A.
Emeſæ. 840. D.
Himerii. 983. C.
Surorum. 949. C.
Tyri. 805. B.
Urbanus, Tarſi. 869. B.
Urbicius, Alexandriæ minoris. 904. C.

X

Xenaïas, *vide* Philoxenus.

Z

Zacharias, Antiochiæ minoris. 1019. A.
Cardabunthi. 1035. lin. 1.
Damaſci. 836. B.
Leontopolis. 1021. C.
Zebennus, Antiochiæ magnæ. 704. A.
Martyropolis & Tacriti. 1000. B.
Zeno, Curii in Cypro. 1057. C.
I. Tyri. 804. D.
II. 805. C.
Zenobius, M. Ægarum. 893. D.
Seleuciæ Pieriæ. 777. A.
Sidonis. 711. C.
Zephyrii. 883. B.
Zoilus, Gabalorum. 797. A.
Lariſſæ. 917. D.
Raphaneæ. 922. C.
Zoſimus I. Mopſueſtiæ. 890. D.
II. 893. C.
Zoſius, Eſbuntis. 863. C.
Zoticus, Adraſſi. 1031. B.

Index alphabeticus Eccleſiarum Patriarchatus Antiocheni, quarum Præſulum nomina ignorantur.

A

Adanorum. 882. D.
Ægarum. 896. A.
Alexandriæ minoris. 904. A.
Antiochiæ magnæ. 762. B. E.
Arces. 826. B.
Arſinoës. 1066. C.

B

Berrhœæ. 784. B.
Boſtrorum. 855. B.

C

Callinici. 969. C.
Celenderis. 1016. D.
Conſtantinæ. 970. B.

E

Edeſſæ. 955. D. 966. C. D. & 967. A.
Emeſæ. 841. A.

H

Heliopolis. 843. B. & 844. B.

L

Ledrorum. 1076. C.

M

Martyropolis. 1000. B.

N

Neapolis in Cypro. 1064. A. B.

P

Paphi. 1061. B. & 1062. A.

R

Rhoſi. 907. B.

S

Salaminæ. 1052. C. & 1054. B.
Samoſatæ. 934. D.
Seleuciæ Pieriæ. 779. D.
Sergiopolis. 951. A.
Sidonis. 811. C.
Surorum. 950. C.

T

Tacriti. 1000. B.
Tarſi. 876. D.
Tyri 801. A. & 811. A. B.

DIŒCESIS CHALDÆORUM.

IN hanc regionem ſides chriſtiana invecta eſt per Thaddæum ſive Adæum, unum ex LXXII. diſcipulis, qui eò miſſus à S. Thoma Apoſtolo, & in miniſterio habens coadjutores Marim & Achim ſive Acham, plurimos baptiſmate tinxit. *col.* 1077. *num.* 2. B. Maris autem poſt Babyloniam, Perſidem, aliaſque oras Evangelio illuſtratas, Seleuciæ in Chaldæa conſtitit, quæ facta eſt primaria epiſcopalis ſedes diœceſis, *Chaldæorum* ideo dictæ. *Ibid. n.* 1. Hæc quidem eccleſia initio non fuit *αὐτοκέφαλος* ſive ſui juris; ſed à Patriarcha Antiocheno pendebat, quod vox ipſa *Catholici*, Seleuciæ præſulis deſignativa, utpote *Procuratorem* ſive alterius vices agentem ſonans, omnino oſtendit. 1079. *num.* 6. C. & 1080. *num.* 10. E.

Primis ſcilicet temporibus Antiochia Seleuciam mittebatur *Catholicus* conſecratus, vel Antiochiam pergebat conſecrandus, quæ conſuetudo diu non ſubſtitit: nam quùm *Achadabuës* ſive *Ahad-Abow ia* electus Catholicus Antiochiam pro ordinatione miſſus, adjuncto ſocio *Kam-Jeſu*, Antiochiam advenientes arrepti fuiſſent ceu exploratores regis Perſarum, & ſaluti ſuæ fuga conſuluiſſet prior, 1079. *num.* 6. B. altero in crucem acto. 1105. A. Indultum eſt Seleucienſi Catholico, ut à ſex vel octo, non viciniorībus, ſed ſuarum ſedium antiquitate primariis metropolitis ordinaretur, ipſe ordinator omnium metropolitarum quos ſub ſe habebat viginti tres, (non computatis, Neſtorianorum tempore, Hieroſolymitano, Damaſceno, & aliquot aliis.) 1079. *num.* 6. B. & 1088. *n.* 22. E. Sicque Seleucienſis Catholicus evaſit quaſi ſubſtractus juriſdictioni ſedis Antiochenæ, & ejus aucta in ſuos poteſtas.

Jus dixit primùm in Babylonia, Meſopotamia, Media, Parthia, Aſſyria, & fortaſſis in Perſide; dein in Indiis, & in Tartaria uſque ad Sinas. 1088. *n.* 22. E. Ex indigenis porro non aſſumebantur metropolitæ, ſed Seleucia vel Bagdado ad ſuas ſedes mittebantur conſecrati. 1089. *n.* 24. B.

Digitized by Google

Hæc autem forma erat conſecrandi *Catholici*: Caſcaræ epiſcopus pro jure ſuo Seleuciam accedebat viduatæ eccleſiæ curam ſuſcepturus; tractoriis litteris octo advocabat metropolitas, qui præmiſſis jejuniis & orationibus, accerſitiſque inter laïcos nobilioribus, trium candidatorum à ſe electorum nomina in tribus ſchedulis inſcribebant, adjectâ quartâ ſchedulâ in qua nomen Chriſti: cujus nomen ex urna puer innocens extraheret, ipſe erat Catholicus; ſi Chriſti nomen, tres erant rejecti, & ad alium ſimilem proceſſum recurrebant. *1091. num. 29.* C.

Fides in his regionibus illibata perſeveravit uſque ad ſæculum V. quo Neſtoriana lue inſici cœperunt: res ſic contigit *1083. num. 13.* A. Edeſſæ ſchola erat celebris, in qua ſtudere ſolebant Perſæ. Hujus ſcholæ doctores Joannis Antiocheni tunc Neſtorii fautoris cauſam acriter agentes, à Rabula Edeſſæ epiſcopo, qui Joanni primùm, ſed paulo poſt ſynodo Epheſinæ adhæſit, ejecti, ad gentiles ſuos redierunt, & adſportatis ſecum Diodori Tarſenſis, Theodori Mopſueſteni, & Neſtorii ſcriptis è Græco Syriace tranſlatis, errorem ubique diffuderunt, præſertim dum ſedibus epiſcopalibus impoſiti fuere. Horum nequitiâ præcipuus exſtitit Barſumas epiſcopus Niſibis, & ibidem ſcholæ quæ eſſet Edeſſenæ vicaria promotor. Is nihil non movit ut Catholicum Seleucienſem Babuæum ad hæreſim pertraheret, ſibique reſiſtentem interſiciendum curavit. *1114.* B. Babuæi ſucceſſor Acacius mollior fuit adverſus hæreticos, *ibid.* E. poſt cujus mortem electus Babæus Catholicus, errori palam nomen dedit, cujus veſtigiis inſiſtentes deinceps Seleucienſes Catholici, totis viribus obſtitere ne qui à Patriarcha Antiocheno interdum mittebantur Seleuciam ut orthodoxis providerent, vel *Catholici* eorum titulum gererent, vel etiam Seleuciæ commorarentur. *1086. num. 18.* D.

Porro Babæus præfatus, qui primus meritò putatur Catholicus Neſtorianorum, ſynodum coëgit, in qua, uxoratus ipſe & filiis ſtipatus, præcepit *ſub pœna ſuſpenſionis*, & ſanxit *ut omnes ſui ſucceſſores Catholici* Seleucienſes *uxores ducerent; itemque ut epiſcopus & preſbyter, quoties contingeret eorum uxores decedere, alias acciperent.* (Hæc Gregorius Bar-hebræus apud Aſſemanum, *tom. 2. Bibl. Orient. pag. 408. num. 23.*) *1115.* C. cui decreto præiverat Barſumas epiſcopus Niſibis. *1195.* A.

Septimo & octavo ſæculo ampla fuit Neſtorianorum & Chaldæorum eccleſia: aſt ſequioribus ævis eò devenit, ut in pleriſque provinciis nullus fuerit epiſcop. præter metropolitam, qui metuens à miniſtrorum defectione, cujuſlibet dignitatis homines, etiam pueros præſcripta ætate munia ſua exercituros, ad diaconatus necnon preſbyteratus gradum promovebat: quæ conſuetudo apud Abeſſinos Æthiopes viguit, & etiamnum viget apud Malabaritas. *1089. nn. 25.* C. *& 26.* E. Hinc celebris illa *Preſbyteri Joannis* appellatio: rege quippe defuncto abſque liberis in Cathaïa, regnum excepit *Joannes Nayman* preſbyter. *1090. num. 27.* A.

Indiviſa manſit diœceſis Chaldæorum uſque ad ſæculum XVI. medium, quo aliqua pars impatiens quod Catholicus non niſi de ſuo genere aut familia metropolitas aſſumeret, miſit ad Julium III. Papam magiſtrum *Siut*, quem ſibi in Catholicum elegerat, & poſtulabat ab ipſo conſecrari, ſuam eccleſiam Romanæ ſedi ſubjiciens. *1095. num. 37.* A.

Neſtoriani gentis Chaldaïcæ, errore ſibi proprio & ſchiſmate ab Eccleſia Romana exceptis, in reliquis fidei catholicæ capitibus nobiſcum ſatis concordant: ipſam quoque ſanctæ Sedis Apoſtolicæ communionem non ſemel popoſcerunt. *1097. num. 41.* C.

Series Provincias complectens ordine alphabetico Diœceſis Chaldæorum.

Adiabene, ſexta provincia diœceſis Chaldæorum, ſpeciale olim in Aſſyria regnum fuit, ubi S. Thaddæum unum ex LXXII. diſcipulis prædicaſſe tradunt. Eximios ſub Sapore habuit martyres, ejus metropolis *Arbelæ* ſive *Hazzæ* præſul *Niſibi* aliquando ſimul & *Moſuli* jus dixit. *1229. 1230.*

Adorbigana, decima quinta provincia Chaldæorum, regio Mediæ veteris, cujus exſtitit olim metrop. *Tauriſium*, quæ nonnullis *Ecbbatana*, Medorum regni caput. *Barda* & *Salmaſa* intra eam provinciam metropoliticis honoribus recentiori ætate auctæ fuerunt. *1283. 1284.*

Bardaa, urbs Armeniæ majoris, ex ſede epiſcopali provinciæ Adorbiganæ in metrop. erecta eſt decimæ ſextæ provinciæ Chaldæorum. *1287. 1288.*

Baſſora ſive *Baſra*, *Baſr*, *Maiſan* aut *Miſçan*, Euphratenſis regionis Chuziſtan civitas, metropolis fuit quartæ provinciæ Chaldæorum. Ibi, præter Chaldæos, degit quoddam hominum genus, qui nihil Chriſtianorum habentes, *Chriſtianos S. Joannis* ſeſe nuncupant, vulgo *Sabii* dicti. *1209. 1210.*

Beth-Garme, regio & ſeptima provincia Chaldæorum, cujus evaſit metropolis ſæculo VIII. *Bethſeluc* ſive *Bethſeleucia* & *Carcha*. *1237. 1238.*

Chan-Balek & Phalek, Sinici Imperii pars, vigeſima quarta cenſetur provincia Chaldæorum, cujus metropolis *Pekinum*, civitas olim dicta *Cambalu* ſive *Cambale*. Ultimum ferè locum ejus præſul habet inter metropolitas Chaldæorum, quod fidem ſerius ſuſceperit iſta regio à Neſtorianis eò profectis. In unam cum *Tanguth* eccleſiam ſæculo XIII. coaluit. *1301. 1302.*

Damaſcus, Phœnices II. metrop. facta eſt etiam ſedes metropolitica decimæ ſeptimæ provinciæ Chaldæorum, cujus præſul Amro Neſtoriano metropolita decimus quintus audit; præeſt verò hominibus ſuæ ſectæ per Syriam, Ciliciam, & Phœnicen. *1287. 1288.* Urbs Hieruſalem ipſi ſubdita, in metropolim erecta eſt. *1299. 1300.*

Dilema ſive *Dailam*, & *Dilum*, regio Hyrcaniæ juxta mare Caſpium, decima nona provincia Chaldæorum, cujus primaria civitas Golio *Raidebar* dicitur, & Nubienſi *Mukar*, Caſpio mari proxima. *1293. 1294.*

Gondiſapor ſive *Gandiſapor* & *Gandiſabour* in Elamitide, metropolis ſecundæ provinciæ Chaldæorum, cujus præſulis jus erat Catholicum Seleucienſem conſecrare & collocare in throno, eique in ſolemnibus conſeſſibus aſſidere. *1181. 1182.*

Halaha, ſub titulo *provinciæ Segeſtaniæ*. *1297. 1298. lin. 2.*

Hara ſive *Hari*, vel *Herat*, eadem fortaſſis ac *Aria* urbs Bactrianæ, metropolis fuit undecimæ provinciæ Chaldæorum, cui etiam *Segeſtania* eccleſia aliquando paruit. *1263. 1264.*

Hieruſalem, ſimplex primùm epiſcopatus Neſtorianorum in Palæſtina degentium ſub metropolita Damaſci, ad dignitatem metropolis provinciæ vigeſimæ tertiæ Chaldæorum evecta eſt. *1299. 1300.*

Holwan ſive *Holwana*, *Hala*, *Halacha*, *Chalach*, & corrupte *Dahalon*, urbs regionis Irac ſeu Arac aut Erac in confinio Mediæ & Aſſyriæ, metropolis octavæ provinciæ Chaldæorum, junctam ſibi aliquando habuit *Raïam*, aſſignatis in ſuffraganeas *Hamadana*, *Dairus*, *Nahavanda*, & *Georgianorum*: ſed poſt annum 1175. ſedes metropolitæ Holwanenſis *Hamadanam* tranſlata eſt, nec ulla deinceps occurrit Holwanæ mentio. *1247. 1248.*

Indiæ, decima quarta provincia Chaldæorum, fidem edoctæ ſunt, ut fertur, ab Apoſtolo Thoma Calaminæ occiſo, cujus corpus in ſua quadam eccleſia conſervari gloriabantur Malabarenſes XIII. labente ſæculo, quod tamen ex Indiis Edeſſam ſæculo IV. tranſlatum, ibi magna veneratione ſæculo V. colebatur. Antiſtes autem Indiarum ſedem primùm habuit in *Calhana* ſive *Calecuth* urbe VII. ſæculo ſub metropolita Perſidis; dein ſæculo VIII. metropolita evaſit, cujus ſedes incerta, ſed ſæpius *Cranganoræ* degebat. A Seleucienſi Catholico defecerunt Malabarenſes circa medium ſæculum XIV. quibus tunc Alexandrinus Coptarum Patriarcha de metropolita providebat, aſt non multo poſt res ad priſtinum ordinem redactæ ſunt. *1273. 1274.*

Katraba ſive *Ketarba*, *Cotroba*, & *Catarba*, inſula inter Æthiopicum littus & inſulam Socotram, metropolis duodecimæ provinciæ Chaldæorum. *1263. 1264.*

Maru in Choraſania, metropolis decimæ provinciæ Chaldæorum. Duæ urbes ſunt hujus nominis in Perſico Imperio, una dicta *Maru-El-Roud* ſive *Al-Rudh*, & *El-Kagehan*; altera verò de qua hic agimus & cognominatur *Al-Sciahegian*, inter quas ſex numerantur ſtationes. *1261. 1262.*

Moſul ſive *Muſal*, & *Mauſel*, urbs Meſopotamiæ non longe ab antiqua *Nino* ſive *Ninive*, metrop. fuit quintæ provinciæ Chaldæorum, & aliquando cum *Arbela* Adiabenes metropoli eidem præſuli paruit. *1215. 1216.*

Niſibis, urbs Meſopotamiæ in metropolim erecta tertiæ provinciæ Chaldæorum. *1195. 1196.*

Patriarchalis, prima provincia Chaldæorum, cujus urbs præcipua *Caſcara* metrop. dignitate aucta eſt ſæculo XII. *1163. 1164.*

Perſis, nona provincia Chaldæorum, cujus metropolis nuſquam fixa. Perſidis præſules aliquando detractarunt Seleucienſis Catholici auctoritatem ſubire; ſed Timotheus I. illos ſuæ ſedi obnoxios reddidit, indulgens nihilominus Perſidis metropolitæ ut ſuos epiſcopos conſecraret. *1251. 1252.*

Raïa ſive *Ray*, *Rhæa*, & *Rhagæa*, fortaſſis *Rages* Medorum, metropolis Tabreſtaniæ decimæ octavæ provinciæ Chaldæorum. Sequiori ævo unus idemque præſul exſtitit *Raiæ* & *Holwan*. *1291. 1292.*

Samarcandia, urbs in Sogdiana, metropolis vigeſimæ provinciæ Chaldæorum. *1295. 1296.*

Segeſtania, vigeſima ſecunda provincia Chaldæorum, aliquando paruit metropol. *Haræ*. *1297. 1298.*

Sinæ, decima tertia exſtitit provincia Chaldæorum; ampla autem hæc regio, ſi non à primis temporibus, ſaltem à ſæculo III. fidem rectam edocta, hæreſi Neſtoriana infecta eſt ſæculo VII. Ejus metropolita ſedebat *Sighanfu* in provincia *Xenſi*, qui eò mittebatur Seleucia ſive Bagdado. *1265. 1266. & ſeqq.*

Tanguth ſive *Tanget*, Turqueſtaniæ civitas, metropolis vigeſimæ quintæ provinciæ Chaldæorum, in unam ſedem cum *Chambalienſi* ſæculo XIII. coaluit. *1301. 1302.*

Turqueſtania ſive *Tocariſtan*, id eſt *Turcorum regio*, vigeſima prima fuit Chaldæorum provincia. Hæc rudimenta fidei (utique Neſtorianæ à Neſtorianis prædicatoribus) ſuſcepit initio ſæculi IX. deinde anno circiter 1000. Turcorum Dynaſta cum ducentis millibus ſubditis ſuis Chriſto nomen dedit, poſtulaſſet ut ab Ebedjeſu metropolita Maru edocerentur leges divinas, cujus votis annuens Catholicus Seleucienſis, permiſit inſuper, propter panis & vini in illa regione penuriam, ſacra myſteria ſemel quotannis in Paſchate peragi, in iis tamen adhibitis pane triticeo & vino, licèt etiam ipſos per Quadrageſimam uti poſſe. Illius tractus rex erat anno 1253. Joannes dictus *Preſbyter Joannes*, in juvenili ætate ſacerdotio initiatus. Turqueſtaniæ metropol. exſtitit *Caſgara*, cujus præſul audiit metropolita *Chaſemgaræ* & *Nuachetæ*. *1295. 1296.* ubi *linea 12.* pro *& carnibus*, legendum eſt *et non carnibus*: item *lin. 16.* pro *1263.* legendum eſt *1253.*

Eccleſiæ Diœceſis Chaldæorum ordine alphabetico.

A

Abdaſa ſive *Abdaſe*, epiſcopatus primæ provinciæ ſive Patriarchalis ſub ipſo Patriarcha hujus provinciæ metropolita. *1179. 1180.*

Achlat ſive *Chalat* aut *Chalata*, ſedes epiſcopalis provinciæ Adorbiganæ decimæ quintæ Chaldæorum. *1285. 1286.* ubi *lin. 6.* pro *470.* legendum eſt *470.*

Ahwaz ſive *Hormoz*, & *Huz*, ſedes epiſcopalis in Suſiana ſub Gondiſapore metrop. ſecundæ provinciæ Chaldæorum. *1191. 1192.*

Ain-Tanur, haud procul Amida, ſedes epiſcopalis ſub incerta metropoli. *1303. 1304.*

Alepum ſive *Berrhæa* Syriæ, ſedes fuit epiſcop. Neſtorianorum ſub Damaſco metropoli provinciæ decimæ ſeptimæ Chaldæorum. *1289. 1290.*

Al-Modain, *vide* Modaina.

Amida ſeu *Amed*, Euphratenſis Syriæ pridem metropolis, ſimplex primùm epiſcopatus fuit Neſtorianorum, iſque *Mardenſi* & *Majaphrakinenſi* conjunctus ſub incerta metropoli

deind

deinde metropoliticam dignitatem obtinuit. 1303. 1304.

Anbara ſive *Anbar*, & *Pheroz-Sapor*, epiſcopatus provinciæ primæ ſeu Patriarchalis, ſub ipſo Patriarcha. 1171. 1172.

Arbela quæ & *Hazza*, hodie *Irbil*, metropolis Adiabenes provinciæ ſextæ Chaldæor. Hæc ſequiori ævo in unam metropolim cum Moſule & Niſibi coaluit. 1229. 1230.

Ariuna, ſedes epiſcopalis Chaldæorum ſub incerta metropoli. 1305. 1306.

Arzun, ſedes epiſcopalis provinciæ tertiæ Chaldæorum ſub Niſibi metropoli. 1207. 1208.

Aſnocha, ſedes epiſcopalis provinciæ Adorbiganæ decimæ quintæ Chaldæorum. 1285. 1286.

Aſpahana ſive *Aſpahan*, *Iſpahan*, & *Spahan*, urbs Parthiæ veteris, hodie Perſici Imperii caput, ſedes epiſcopalis ſub metropolita, ut videtur, Perſidis, nonæ provinciæ Chaldæor. 1305. 1306.

Aſtachar, multis vetus *Perſepolis*, epiſcopatus laudatæ nunc provinciæ. 1255. 1256.

B

Babylon, ex antiquæ ruderibus conſtructa, ſedes epiſcopalis Chaldæorum ſub incerta metropoli. 1307. 1308.

Badia, ſedes epiſcopalis quintæ provinciæ Chaldæor. ſub metropolita Moſul. 1227. 1228.

Badraïa ſive *Badaraïa*, *Dair-kona*, *Dair-cuni*, *Dorkena*, & *Dur-kona*, locus ſepulturæ *Catholici* Seleucienſis, epiſcopatus primæ provinciæ ſive Patriarchalis, Caſcaræ, Bardienſi, Naamanienſi, & Nilenſi ſedibus poſtea adjunctus. 1179. 1180.

Bagdadum, urbs ex Seleuciæ & Cteſiphontis deſtructarum ruderibus conſtructa ad Tigrim an. Chriſti 773. dicta *Bar-Aſſalam* ſeu *Medinat-Aſſalam*, id eſt *civitas pacis*; & à recentioribus *Babylon*: planè diverſa civitas ab antiqua Babylone quæ ad Euphratem poſita erat. Eò autem Chaldæi ſedem ſui Patriarchæ tranſtulerunt, cujus titulus quoque mutatus in Babylonicum & Bagdadenſem. 1569. 1570.

Ba-Kerda ſeu *Cardu*, *Cardoa*, *Beth-Zabde*, *Zabde*, & etiam *Gezira*, & *Gozarta*, id eſt *inſula*, ſedes epiſcopalis tertiæ provinciæ Chaldæorum ſub Niſibenſi metropol. Ejus præſul ſequiori ævo *archiepiſcopi* titulo ornatus fuit. 1205. 1206.

Balada, ſedes epiſcop. laudatæ nunc provinciæ. 1203. 1204.

Bardaa, *vide ſupra inter provincias, pag. xxxvj. col.* 2.

Baſſora, *vide ſimiliter inter provincias, ibid.*

Berbere ſive *Barbela*, *Barbere*, & *Barbaria*, ſedes epiſcopalis Adiabenes ſextæ provinciæ Chaldæorum. Huic eccleſia Telæ ann. Chriſti 1266. & 1282. juncta fuit. 1307. 1308. & 1337. 1338.

Beria ſive *Berea*, &

Beſtadara, quarum incertæ metropoles. 1307. 1308.

Beth-Bagas ſive *Bagas*, aut *Babagas* in montibus Arbelæ, ſedes epiſcopalis quintæ provinciæ Chaldæorum ſub metropol. Moſulano. 1221. 1222.

Beth-Daron ſive *Darum*, & *Badroun*, ſedes epiſcopalis Chaldæorum ſub incerta metrop. 1309. 1310.

Beth-Dial ſive *Badial*, epiſcopatus incertæ provinciæ. *Ibid.*

Beth-Garme, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 2.

Beth-Nicator, epiſcopatus incertæ provinciæ. 1309. 1310.

Beth-Seleucia ſive *Beth-Seluc*, *Soloce*, & *Carcha*, ſedes facta eſt ſæculo VIII. metropolitæ Beth-Garmes ſeu Garmæorum ſeptimæ Chaldæorum provinciæ, 1237. 1238. in eam tranſlata ſede Sciahagardenſi. 1331. 1332.

Beth-Sori ſive *Sori*, epiſcopatus incertæ provinciæ in eadem regione Garmæorum. 1309. 1310.

Buazicha ſive *Buazige*, & *Coniſapor*, ſedes epiſcopalis probabilius pertinens ad primam provinciam ſive patriarchalem: hæc ſequiori ævo *Senæ* conjuncta fuit. 1179. 1180.

Buazicha altera ſive *Beth-Vaſich*, ſedes epiſcop. provinciæ Beth-Garmes ſeptimæ Chaldæor. 1245. 1246.

C

Cadne, epiſcopatus incertæ provinciæ. 1311. 1312.

Caſtoum, epiſcopatus Adiabenes ſub incerta metropoli. *Ibid.*

Calach, *vide* Holwan *inter provincias, p. xxxvj. col.* 2.

Calliana ſive *Calecut*, emporium & epiſcopatus Indiarum decimæ quartæ Chaldæorum provinciæ. 1311. 1312.

Callinicum, *vide* Racca.

Camula, regio intra provinciam Tanguth vigeſimam quintam Chaldæorum, & epiſcopatus probabiliter ejuſdem provinciæ. 1311. 1312.

Carcha ſive *Carch*, urbs regionis Churiſtan ſeu Chuziſtan in Perſide, infra Bagdadum, epiſcopatus Chaldæorum ſub incerta metropoli. *Ibid.*

Carcha altera, *vide* Beth-Seleucia.

Carcha tertia ſive *Carch* in Perſide, epiſcopatus octavæ provinciæ Chaldæorum ſub metropol. Holwanenſi. 1249. 1250.

Cardaliabed, *vide* Sena ad Tigrim.

Cardu ſive *Cardoa*, *vide* Bakerda.

Carmania ſive *Carman*, aut *Kerman*, regio & epiſcopatus Perſidis nonæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita hujus provinciæ. 1255. 1256.

Caſcara ſive *Caſcar*, primus epiſcopatus primæ provinciæ ſeu patriarchalis, cujus præſul, defuncto Catholico, cuſtos eſt ſedis Seleucienſis: is in metropolitam auctus eſt ſæculo XII. ipſique ſubjectæ tres eccleſiæ *Nowatha*, *Harra*, & *Vaſitha*. 1163. 1164.

Caſgara ſive *Chaſemgara*, metropolis Turqueſtaniæ vigeſimæ primæ provinciæ Chaldæorum, cujus præſul dicitur metropolita *Chaſemgaræ* & *Nuachetæ*. 1297. 1298.

Caſroun ſive *Chazruna*, *Chazaruna*, & *Cazerun*, epiſcopatus Perſidis ſub incerta metrop. 1313. 1314.

Catara, regio Arabica, epiſcopat. Perſidis nonæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita hujus provinciæ. 1259. 1260.

Chadira ſive *Cadhira*, & *Hadira*, epiſcopatus in Babylonia ſub incerta metropoli. 1313. 1314.

Chalane, *vide* Cteſiphon.

Chalat, *vide* Achlat.

Chan-Balek, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 2.

Chanigiara, ſedes Neſtoriani præſulis juncta aliquando *Laſciumæ* ſub metropolita Garmæorum ſeptimæ Chaldæorum provinciæ. 1243. 1244.

Chaſemgara, *vide* Caſgara.

Coche, *vide* Seleucia.

Comar ſive *Cimar*, urbs Turqueſtaniæ vigeſimæ primæ provinciæ Chaldæorum ſub ejuſdem metropolita. 1313. 1314.

Comar ſive *Comorin* in Malabarica ora, epiſcopatus ſub metropol. Indiarum decimæ quartæ provinciæ Chaldæorum. *Ibid.*

Coniſapor, *vide* Buazicha prima.

Corge ſive *Corge-Gendan*, *Core*, & Græcis *Corycus* in Armeniæ finibus, epiſcopatus incertæ provinciæ, metropolitica dignitate aliquando auctus. 1315. 1316.

Cotroba, *vide* Katraba *inter provincias, p. xxxvj. col.* 2.

Cteſiphon ſive *Chalane*, & *Spanira*, urbs Aſſyriæ ad Tigrim, prope *Seleuciam*, quæ unam ſedem conſtituunt Catholici Chaldæor. 1094. *num.* 25. C.

D

Daabar-Sanaïa, epiſcopatus decimæ provinciæ Chaldæorum ſub metropol. Marüenſi. 1263. 1264.

Daden, *vide* Dirin.

Dailam, *vide* Dilema *inter provincias, p. xxxvj. col.* 2.

Dair-Hannes, epiſcopatus decimæ provinciæ Chaldæorum ſub metropol. Maruenſi. 1263. 1264.

Dair-Heraclii, epiſcopatus primæ provinciæ ſive patriarchalis ſub ipſo Catholico hujus provinciæ metropolita. 1169. 1170.

Dair-Kuni, *vide* Badraïa.

Dakuka, nonnullis eadem ac *Laſciuma*, epiſcopatus ſeptimæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita Beth-Garmenſi. 1243. 1244.

Damadutha, epiſcopatus decimæ provinciæ ſub metropolita Marüenſi. 1263. 1264.

Damaſcus, *vide inter provincias, p. xxxvj. col.* 2.

Darabada, epiſcopatus in regione Garmæorum ſub metropolita Beth-Garmes ſeptimæ Chaldæorum provinciæ. 1243. 1244.

Darabgerda, *vide* Drangerda.

Darona, *vide* Beth-Daron.

Daſen ſive *Daſena*, epiſcopatus quintæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita Moſulano, tranſlatus deinde ad primam provinciam ſeu patriarchalem ſub ipſo Catholico Seleucienſi hujus provinciæ metropolita. 1221. 1222.

Deſteſana ſive *Deſemſana*, fortaſſis quæ *Diheſtan*, *Deſa*, & *Deſta* in Suſiana, epiſcopatus quartæ provinciæ Chaldæorum ſub metropol. Baſſorenſi. 1211. 1212.

Dinar ſive *Dinur*, *Dainur*, aut *Deinur*, epiſcopatus octavæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita Holwanenſi. 1249. 1250.

Dioſcoris, *vide* Socotra.

Dirin ſeu *Daden*, aut *Dadiana*, epiſcopatus Perſidis nonæ provinciæ Chaldæorum ſub ejuſdem metropolita. 1259. 1260.

Dorkena, *vide* Badraïa.

Drangerda ſive *Darabgerda*, & *Darbeged*, epiſcop. memoratæ modò provinciæ Perſidis. 1255. 1256.

E

Elſen, *vide* Sena.

Edeſſa. 1315. 1316.

G

Garme, *vide* Beth-Garme *inter provincias, pag. xxxvj. col.* 2.

Georgiana, epiſcopatus decimæ octavæ provinciæ Chaldæorum, ſub metrop. Raiæ. 1293. 1294.

Geſluna, urbs Meſopotamiæ Baladæ vicina, cui aliquando in unum epiſcopatum conjuncta fuit ſub metropolita Niſibis tertiæ provinciæ Chaldæorum. 1205. 1206.

Gezira, *vide* Bakerda.

Gondiſapor, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 2.

H

Haditha, triplex hujus nominis civitas, alia ad Euphratem infra Anbar, alia in regione Moſul, alia denique ad Tigrim prope Zelam majorem fluvium. Iſta epiſcopatus fuit quintæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita Moſulano. 1225. 1226.

Halaha, *vide inter provincias, p. xxxvj. col.* 2.

Hamadana ſive *Hamdan*, quæ Golio *Echbatana* Medorum, ſedes epiſcopalis octavæ provinciæ Chaldæor. ſub metropoli Holwanenſi, cujus poſtea dignitas & jura in ipſam (Hamadanam) tranſlata ſunt. 1249. 1250.

Hara, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 2.

Harra, Caſcaræ ſuffraganea. 1163. 1164. *lin.* 17.

Hardaſcir ſive *Ardaſcir*, *Artagira*, *Artaſigarta*, vel *Artagigarta*, urbs regionis Garmæorum in Perſide, epiſcop. Chaldæorum ſub incerta metropoli. 1315. 1316.

Harran ſive *Haran*, & Græcis Latiniſque *Charran*, aut *Charræ* numero plurali, epiſcopatus Chaldæorum in Meſopotamia ſub incerta metropoli. *Ibid.*

Heſna ſive *Heſen*, & *Heſen-Cepha*, id eſt *arx* ſeu *caſtellum Cephæ*, epiſcopatus Chaldæorum in metropolim poſtea erectus, cujus incerta provincia. 1005. 1006. & 1317. 1318.

Hierapolis, *vide* Mambeg.

Hieruſalem, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 2.

Holwan, *vide inter provincias, ibid.*

Honita, Aſſyriæ civitas, *Nuhadræ* & *Maaltæ* vicina, quibus aliquando idem epiſcopus præfuit ſub metropol. Adiabenes ſextæ provinciæ Chaldæorum. 1233. 1234.

Hormuz, urbs Caramaniæ ad ſinûs Perſici fauces poſita, epiſcopatus Chaldæorum ſub incerta metropoli. 1317. 1318.

I

Indiæ, *vide inter provincias, p. xxxvj. col.* 2.

K

Koſra ſive *Koſr* aut *Kaſr*, epiſcopatus primæ provinciæ ſeu patriarchalis ſub ipſo Catholico Seleucienſi hujus provinciæ metropolita, deinde unita, tum *Naharowanæ*, tum *Vaſethæ*. 1177. 1178.

Digitized by Google

Katraba, *vide inter provincias, p. xxxvj. col.* 2.

L

Laſciuma, *vide* Dakuka.
Ledan, urbs Huzitarum, ſub Gondiſapore metropoli ſecundæ provinciæ Chaldæor. 1189. 1190.

M

Maalta, *Nuhadræ* & *Honitæ* vicina civitas, quibuſcum aliquando in unum epiſcopatum coaluit ſub metropolita Adiabenes ſextæ provinciæ Chaldæorum. 1233. 1234.
Mahargancandur, epiſcopat. ſecundæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita Gondiſaporis. 1193. 1194.
Mahuza ſive *Ariuna*, epiſcopatus Adiabenes, ſub incerta metropoli. 1319. 1320.
Maipherakin ſive *Maipheracta*, & *Martyropolis*, non confundenda cum urbe *Tacrito*, ſedes epiſcop. Chaldæorum, *Amidæ* ſequiori ævo conjuncta ſub incerta metropoli. 997. 998. & 1319. 1320.
Maiſan, *vide* Baſſora *inter provincias, p. xxxvj. col.* 2.
Malatia ſive *Melitine* Armeniæ civitas, epiſcopatus Chaldæorum Tarſenſi unitus ſub Damaſco metropoli decimæ ſeptimæ provinciæ. 1291. 1292.
Mambeg ſive *Mambug* vel *Mabug*, eadem ac *Hierapolis* Syriæ in Euphratenſi, epiſcopatus Chaldæorum ſub præfata Damaſco. *Ibid.*
Maraga, Adorbiganæ quintæ provinciæ civitas & epiſcopatus ſub ejuſdem metropol. 1285. 1286.
Marde ſive *Mardin*, *Mardinum*, *Mardis*, & *Marda*, urbs Meſopotamiæ, cujus præſul eccleſias *Armeniæ* & *Niſibis* ſæculo XVI. adminiſtrabat: incerta provincia. 1321. 1322.
Marga ſive *El-Marg*, id eſt, *Pratenſis* circa urbem Moſul, cujus incerta pariter provincia. *Ibid.*
Maru, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 2.
Maſamig Catarenſium inſula, epiſcopat. quartæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita Baſſorenſi. 1259. 1260.
Modaïna ſive *Medain*, *Medinata*, & *Madain*, hoc eſt, *binæ urbis*, quo nomine ſignificantur *Seleucia* & *Cteſiphon* in unam ſedem conflatæ, obnoxiam primùm Patriarchæ Antiocheno, deinde patriarchalem diœceſis Chaldæorum. 1093. *num.* 34. E.
Mohadra, potius *Mohrada*, quæ etiam *Seered*, *Seert*, & *Eſeerd*, epiſcopatus Chaldæorum, ad dignitatem metropolis poſtea evectus, ſed incerta provincia. 1323. 1324.
Mopſueſtia ſive *Meſſiſſa*, Ciliciæ II. civitas, 889. 890. epiſcopatus decimæ ſeptimæ provinciæ Chaldæorum ſub Damaſco metropoli. 1291. 1292.
Mozambica ſive *Moſambicum*, urbs Africæ in Zanguebaria regione: incertum an ibi præſul Neſtorianus ſederit. 1323. 1324.
Moſul, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 3.
Mukar ſive *Mukan*, & *Mogan*, in finibus Dailamitarum, 1293. 1294. & 1294. C.

N

Naamania, urbs Babyloniæ, & epiſcopatus aliquando *Napharæ*, *Nili* & *Badraïæ* ſedes complectens ſub incerta metropoli. 1323. 1324.
Nagran, urbs Arabiæ felicis, regia quondam Homeritarum, ſedes epiſcopalis ſub metropolitis primùm Tapharenſi, deinde Cotrobenſi. 1325. 1326.
Nahar-Al-Marah, epiſcopatus quartæ provinciæ Chaldæorum ſub metropol. Baſſorenſi. 1213. 1214.
Naharowia ſive *Naharvana*, ſedes epiſcopalis primæ provinciæ dictæ Patriarchalis, quæ aliquando cum eccleſia *Koſræ* conjuncta eſt. 1325. 1326.
Nahr & Dir, epiſcopatus duo aliàs ignoti. *Ibid.* (Fuit unica ſedes dicta *Nahr-eldairenſis* apud Aſſemanum, *tom.* 3. *Bibl. Orient. p.* 264. *col.* 2.)
Naphara ſive *Naphar*, *Nafar*, *Niſar*, & *Naphir*, ſedes primæ provinciæ ſeu patriarchalis, aliquando conjuncta cum eccleſiis *Nili*, *Naamaniæ*, & *Badraiæ*, 1177. 1178.
Nicator, *vide* Beth-Nicator.
Nil ſeu *Nilus*, & *El-Nil*, epiſcopatus cujus præſul aliquando præfuit eccleſiis *Naamaniæ*, *Nahræ*, (ſive *Napharæ*) & *Badraïæ*. 1327. 1328.
Ninive, oppidum ex antiquæ Ninives ruderibus erectum ad orientalem Tigris ripam, epiſcopatus quintæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita Moſulano. 1223. 1224.
Niſibis ſive *Soba*, urbs Meſopotamiæ, quæ avulſa à Patriarchatu Antiocheno quùm Perſidis regibus ſubdita eſt, dignitatem metropolis à Seleucienſibus Catholicis obtinuit. 1195. 1196.
Nowetha, epiſcopatus primæ provinciæ dictæ Patriarchalis, ſubditus poſtea *Caſcaræ* ad metrop. dignitatem evectæ intra eam provinciam. 1163. 1164. *lin.* 16.
Nuacheta, *vide* Caſgara.
Nuhadra ſive *Beth-Nuhadra*, *Banihudra*, *Nahardeha*, *Naarda*, & *Nearda*, epiſcopatus in Babylonia ſub metropol. primùm Adiabenico ſextæ provinciæ, deinde Moſulano quintæ provinciæ; ſedi etiam Maaltenſi aliquando conjunctus. 1233. 1234. ſub titulis *Honitæ*, *lin.* 2. & *Maaltæ*, *lin.* 1.

O

Ocbara ſive *Acbara*, epiſcopat. primæ provinciæ dictæ Patriarchalis. 1175. 1176.

P

Perſis, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 3.
Pheroz-Sapor, *vide* Anbara.

R

Racca ſive *Raka*, & *Callinicum*, urbs Meſopotamiæ, epiſcopatus Chaldæorum ſub incerta metropoli. 1327. 1328.
Radan, urbs in Babylonia, epiſcopatus primæ provinciæ Chaldæorum dictæ Patriarchalis ſub ipſo Catholico Seleucienſi hujus provinciæ metropolita. 1175. 1176.
Raïa, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 3.
Ravardcir ſive *Rivardſcir*, urbs Perſidis, epiſcopatus hujus provinciæ, Chaldæorum nonæ, ſub ejuſdem metropolita. 1251. 1252. *lin.* 26. & 1257. 1260.
Rhæſina ſive *Rhæſen*, & *Theodoſiopolis*, Arabibus *Ras-Ain*, urbs Meſopotamiæ, 979. 980. epiſcopatus Chaldæorum ſub incerta metropoli. 1329. 1330.
Roſtaca, in regione Margenſi, epiſcopatus ſextæ provinciæ Chaldæorum ſub ejus metropolita Adiabenenſi. *Ibid.*

S

Sabochoſt ſive *Sabur*, & *Sapor*, epiſcopatus Perſidis nonæ provinciæ Chaldæorum ſub ejuſdem metropolita. 1255. 1256.
Saharzur ſive *Saharzul*, *Sciaharzul*, *Sciaharzur*, *Sirzur*, & *Sciahrazur*, epiſcopatus Adiabenes ſextæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita Arbelæ. 1329. 1330.
Salach, urbs Meſopotamiæ, epiſcopatus ſub incerta metropoli. 1331. 1332.
Salmas ſive *Salamas*, & *Salmaſtum*, epiſcopatus Adorbiganæ decimæ quintæ provinciæ Chaldæorum, ſub ejuſdem metropolita. 1129. 1130.
Samarcandia, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 3.
Sapor, *vide* Sabochoſt.
Sarchaſa in Choraſania, epiſcopatus decimæ provinciæ Chaldæorum ſub metropol. Marüenſi. 1263. 1264. *lin.* 18.
Sciaarchadata ſive *Sciaarkanda*, epiſcopatus Garmæorum ſeu Beth-Garmes, ſeptimæ provinciæ Chaldæorum ſub Beth-Seleucienſi metropol. 1241. 1242.
Sciraz, Pharſiſtanæ ſive Perſidis proprie ſumptæ caput, epiſcopatus nonæ provinciæ Chaldæorum ſub ejuſdem metropolita. 1255. 1256.
Seered *ſive* Seert, *vide* Mohadra.
Segeſtania, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 3.
Seleucia ſive *Coche*, *Zochaſa*, *Salec*, *Kircha*, & *Guedeſer*, urbs in Babylonia ad Tigrim, quæ unà cum Cteſiphone urbe vicina ſedes fuit Catholici Chaldæorum, primùm archiepiſcop. ſub Patriarcha Antioch. deinde αὐτοκέφαλος & patriarchalis, ſub nomine *Al-Modain* ſive *Modainæ*, id eſt *binæ civitatis*. 1093. *num.* 34. E.
Seleucia altera, *vide* Beth-Seleucia.
Sena ad Tigrim, ſive *Cardaliabad*, & *Elſen*, epiſcop. primæ provinciæ Chaldæorum dictæ patriarchalis, ſub ipſo Catholico Seleucienſi hujus provinciæ metropolita. 1173. 1174.
Sighamſu, urbs ampla Sinarum ubi ſedebat metropolita hujus provinciæ, quæ Chaldæorum decima tertia fuit. 1265. 1266.
Sinæ, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 3.
Singara, urbs Meſopotamiæ, epiſcopatus Chaldæorum ſub Niſibi metropoli tertiæ provinciæ, deinde ſub Amida. 1333. 1334.
Siraph, caput regionis *Curat-Ardaſcir* in Perſide, epiſcopatus nonæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita Perſidis. 1257. 1258.
Soba, *vide* Niſibis.
Socotra ſive *Secotora*, & *Zocotra*, olim etiam *Dioſcoris*, inſula maris Indici, epiſcopatus præfatæ provinciæ Perſidis. 1257. 1258.
Sori, *vide* Bethſori.
Spanira, *vide* Cteſiphon.
Sus ſive *Suſa*, olim *Suſan*, Aſſueri regia, urbs Chuziſtaniæ ſive Chureſtaniæ, diverſa à civitatibus *Perſepoli* & *Ahwaz*: epiſcopatus ſecundæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita Gondiſaporis. 1189. 1190.
Suſtra, *vide* Toſtar.

T

Tacritum ſive *Tagrit*, & *Tecrit*, urbs Meſopotamiæ, cum Majapharkin ſive Martyropoli non confundenda, licet aliquando cum ea unum eundemque præſulem habuerit. Epiſcopatus Chaldæorum ſub incerta metrop. 997. 998. & 1335. 1336.
Tahal, eadem probabiliter ac *Telach*, urbs Garmæorum in finibus Perſidis, epiſcopatus fortaſſis ſeptimæ provinciæ Chaldæorum ſub ejus metropolita. 1335. 1336. ubi *lin.* 2. titul *Tahal*, pro *Xenaius*, legendum eſt *Xenaia* ea urbe oriundus.
Tanguth, *vide inter provincias, p. xxxvj. col.* 3.
Tarſus, Ciliciæ metropolis, ſedes epiſcopalis provinciæ decimæ ſeptimæ Chaldæorum ſub Damaſco metropoli, deinde ad dignitatem metropolis evecta & conjuncta eccleſiæ *Melitinæ*, cui Cyprus obnoxia erat. 869. 870. & 1291. 1292.
Tela, oppidum Adiabenes, epiſcopatus probabiliter hujus ſextæ provinciæ Chaldæorum ſub ejuſdem metropolita. 1335. 1336.
Telach, *vide* Tahal, & 1335. 1336.
Themanon ſive *Tſemanon*, *Thamania*, *Thamanun*, *Thamanin*, & *Jemanin*, epiſcopatus Chaldæorum in Aſſyria ſub incerta metropoli. 1337. 1338.
Tirhana, urbs & regiuncula Aſſyriæ, epiſcopatus primæ provinciæ ſive patriarchalis ſub ipſo Catholico hujus provinciæ metropolita. 1167. 1168.
Toſtar *ſive* *Teſra*, *Teſtar*, *Chocheſter*, *Suſter*, *Suſtra* aut *Suſaſtra*, epiſcopatus ſecundæ provinciæ Chaldæorum ſub metropolita Gondiſaporis. 1193. 1194.
Turqueſtania, *vide inter provincias, pag. xxxvj. col.* 3.
Tus ſive *Tauſa*, *Maſced*, & *Meſcat*, urbs Choraſaniæ in Satrapia Niſabour ſeu Niſaporis: epiſcopatus incertæ provinciæ. 1337. 1338.

V

Van, urbs Curdiſtaniæ ſub incerta metropoli. Nupero ſæculo ejus præſul titulo archiepiſcopi ornabatur ſub metrop. Salmaſæ. 1337. 1338.
Waſitha ſive *Waſeth*, & *Vaſeta*, civitas regionis Irac vel Arac Babylonicæ, epiſcopatus aliquando conjunctus cum eccleſia *Caſcaræ* & *Koſræ*. 1339. 1340.

Z

Zabde, *vide* Bakerda.
Zuabia ſive *Zabaidia*, Zabarum provinciæ caput, urbs Adiabenes, epiſcopatus aliquando conjunctus cum eccleſiis *Nihenſi* & *Naamanienſi*. Quin *Naamaniam* & *Zuabiam* Amrus Neſtorianus ſcriptor unam eandemque urbem exiſtimavit. 1339. 1340.

Catholici Diœceſis Chaldæorum, eo ordine quo ſederunt.

1. Thaddæus ſive *Adæus*, unus ex LXXII. diſcipulis, miſſus in Orientem à ſancto Thoma Apoſtolo, Evangelium prædicavit Edeſſæ & in regionibus Hazzæ ſive Adiabenes, & Moſul. 1101. A. Non conſtat autem ipſum Seleuciam acceſſiſſe. 1102. B.

Digitized by Google

Ahi ſive *Aches Achæus*-ve, Thaddæi diſcipulus, Suſianam & alias regiones Indiæ vicinas luſtravit : at Seleuciæ non ſedit. *1102*. B.
II. Maris I. ſive *Mares*, alter Thaddæi diſcipulus, primus Seleuciæ epiſcopus fuit. Obiit anno Græcor. 393. Chriſti 82. quùm annos 33. ſediſſet. *Ibid*. D.
III. Abres ſive *Abris*, Hebræus, ex S. Joſephi ſponſi B. V. familia. Annos 16. præfuit eccleſiæ Seleucienſi. *1103*. D.
IV. Abraham I. S. Jacobi fratris Domini cognatus, annos 12. ſedit. *1104*. A.
V. Jacobus I. de eadem S. Joſephi familia, obiit poſt 18. annos & ſex menſes regiminis. *1104*. B. C.
VI. Achadabues ſive *Ahad*, & cognomento *Abouia*, hujus Jacobi filius, Hieroſolymis, quò ex Antiocheno carcere elapſus fugerat, ordinatus eſt. Ejus ſucceſſores Antiochiam venire pro conſecratione coacti amplius non fuerunt. *Ibid*. E.
VII. Sahluſa ſive *Scaluſa*, annos 20. eccleſiæ Seleucienſi præfuit. *1105*. C.
VIII. Phaphas ſive *Papas*, annos 79. Amro teſte, epiſcopatum geſſit ſub octo regibus Perſarum. *Ibid*. D. E.
IX. Simeon, ſub Sapore II. Perſarum rege anno Græcor. 655. Chriſti 344. & regiminis 18. martyr occubuit. *1107*. C.
X. Sadoſt ſive *Saaduſt*, & *Jeſadoſt*, poſt unum circiter adminiſtrationis annum martyrio coronatus eſt. *1108*. C. D.
XI. Barbaſinas, fidem quoque capite truncatus confirmavit quùm annos ſeptem non integros ſediſſet. *1109*. B.
XII. Tamuſa, ſedi à 20. annis viduatæ præfectus, hanc octo annos tenuit. *Ibid*. D.
XIII. Abdjeſus ſive *Ebedjeſus* I. cui cognomen *Kanani*, Tamuſam excepit, incertum quo obierit ſui regiminis anno. *Ibid*. E.
XIV. Cajumas, primatum ſponte abdicavit anno Græcorum 719. Chriſti 407. *1110*. B.
XV. Iſaac, ſedit annos undecim, mortuus anno Græcorum 728. Chriſti 416. *Ibid*. D.
XVI. Achæus ſive *Ahi*, ſedit annos ſeptem. *1111*. C.
XVII. Jaballaha I. annos 5. præfuit. *Ibid*. D.
XVIII. Mahna ſive *Maanes*, à ſuis epiſcopis depoſitus eſt. *1112*. B. C.
XIX. Maraboctus ſive *Marabuſt*, & *Karaboctæus*, dejectus quoque eſt paucis poſt electionem menſibus. *1113*. B.
XX. Dadjeſus, anno Græcorum 741. Chriſti 430. ordinatus, ſediſſe 35. annos dicitur. *Ibid*. C. D.
XXI. Babuæus, Barſumæ Niſibenſis epiſcopi Neſtoriani inſidiis à rege Perſarum interfectus eſt anno regiminis 20. Chriſti circiter 486. *Ibid*. E.
XXII. Acacius, præfuit 15. annos. *1114*. E.
XXIII. Babæus, ſedit annos quinque, mortuus anno Chriſti 503. *1115*. B.
XXIV. Silas, ſedit annos 17. vita functus anno Chriſti circiter 523. *1115*. D. E.
XXV. Narſes *&* Eliſæus, eccleſiâ Chaldæorum ſchiſmate ſciſsâ, per annos 15. de primatu contenderunt. Priore mortuo, alter exauctoratus eſt. *1116*. C.
XXVI. Paulus I. Eliſæo deſtituto ſuffectus, præfuit annos 16. mortuus anno Græcorum 846. Chriſti 635. *1116*. D. E.
XXVII. Abas ſive *Marabas*. *1117*. B. *&* *1118*. D.
XXVIII. Joſeph, ordinatus anno Chriſti 542. poſt annos tres depoſitus, decem annos ſupervixit. *1118*. E.
Joannes, orthodoxus, interim Catholicorum curam ſecretò gerebat, ex Actis B. Siræ, quæ ſub Choſroë I. Perſar. rege paſſa eſt. *1117*. B.
XXIX. Ezechiel Joſepho ſubrogatus, jejunium Niniviticum trium dierum inſtituit. *1119*. A.
XXX. Jeſuiab I. ſedit 15. annos, mortuus anno Græcorum 907. Chriſti 596. *Ibid*. D.
XXXI. Sebarjeſus I. ſedi à ſeptem annis vacanti impoſitus anno Græcorum 915. Chriſti 604. præfuit octo annos. *Ibid*. E.
XXXII. Gregorius, obiit pontificatus anno 4. Græcorum 927. Chriſti 616. *1120*. D.
XXXIII. Jeſuiab II. quùm ſedes annos 17. vacaſſet, electus, eam tenuit ab anno Græcorum 943. Chriſti 632. ad annum Græcorum 964. Chriſti 653. Ejus tempore Neſtoriani in Imperium Sinarum penetrarunt, anno ſcilicet Chriſti 636. ex inſcriptione celebri ibidem anno 1625. reperta. *1121*. A.
XXXIV. Marama, eccleſiæ Seleucienſis per biennium duntaxat curam geſſit. *1122*. C.
XXXV. Jeſuiab III. Maramæ mortuo ſuffectus, ſedit annos novem & tres menſes. *Ibid*. D.
XXXVI. Georgius I. in Seleucienſem Catholicum promotus anno Græcor. 972. vel 975. adeoque Chriſti 661. vel 664. ſedit annos circiter 17. *1123*. B. ubi *lin. 12*. hujus tituli, loco *proprius* legendum eſt *propius*.
XXXVII. Joannes I. anno Græcor. 990. Chriſti 679. inauguratus, biennio ſedit. *Ibid*. C.
XXXVIII. Hananjeſus I. quùm ſedes vacaſſet annos quinque, electus anno Arabum 67. Chriſti 686. æmulum habuit *Joannem Abris*. Obiit Hananjeſus anno Græc. 1009. Chriſti 698. & poſt ejus mortem diu vacavit ſedes. *Ibid*. D.
XXXIX. Saliba-Zacha, anno Græcorum 1025. Chriſti 714. in Seleucienſem Catholicum aſſumptus, ſedit annos 12. *1124*. E.
XL. Phetion, ſedit annos 10. & menſes quatuor. *1125*. B.
XLI. Mar-Aba, anno ætatis centeſimo electus, præfuit decem annos. *1125*. D.
XLII. Surinus. *Ibid*. E.
XLIII. Jacobus II. Surino depoſito ſuffectus, præfuit 19. annos & menſes ſex. *1126*. B.
XLIV. Hananjeſus II. *Ibid*. E.
XLV. Timotheus I. ordinatus anno Hegir. 162. Græc. 1091. Chriſti 778. ſedit 43. annos, mortuus anno ætatis 95. *1127*. D.
XLVI. Joſue, obiit anno ætatis 85. regiminis ſui quarto. *1128*. E.
XLVII. Georgius II. prope centenarius electus in Seleucienſem Catholicum an. Hegir. 210. Græcor. 1136. Chriſti 825. præfuit, juxta Marim, quatuor annos, juxta alios verò ſeptem. *1129*. B. C.
XLVIII. Sebarjeſus II. promotus anno Hegir. 217. Græcorum 1143. Chriſti 832. obiit quarto anno. *Ibid*. D.
XLIX. Abraham II. anno Hegiræ 222. Chriſti 836. renuntiatus Catholicus, ſedit annos 12. & decem menſes : deinde duobus annis ſedes vacavit. *Ibid*. E.
L. Theodoſius, Joanne, Michaele, Abrahamo, & Jeſudado prius electis, ſed ſtatim morbo inſanabili vel morte correptis ſubſtitutus anno Hegir. 238. Græcorum 1163. Chriſti 852. ſedit annos quinque, menſes tres, dies viginti quatuor, fato functus anno Græcorum 1170. Chriſti 859. *1130*. B.
LI. Sergius, inauguratus anno Græcor. 1171. Chriſti 860. obiit anno Græc. 1183. Chriſti 872. die 23. Septembr. *1131*. E.
LII. Enos, quùm ſedes vacaſſet annos quatuor, ei impoſitus anno Græc. 1188. Hegir. 263. Chriſti 877. obiit anno Hegiræ 270. Græc. 1195. Chriſti 884. *1132*. C.
LIII. Joannes II. ordinatus anno Hegiræ 271. æmulum habuit *Abdonem*, cui mortuo anno Hegir. 279. Græcorum 1203. Chriſti 891. parum ſupervixit. *1132*. D.
LIV. Joannes III. promotus anno Hegir. 280. Chriſti 893. die 15. Julii, obiit anno Hegir. 286. Græc. 1210. Chriſti 899. *1133*. B.
LV. Joannes IV. cognomento *Bar-Naguire* (legendum eſt *Bar-Haguiri*) ſuffectus, poſt annum unum, anno Hegiræ 286. (287.) Græcorum 1211. Chriſti 900. die 8. Sept. obiit anno Hegiræ 292. Græcorum 1216. Chriſti 905. *1133*. E.
LVI. Abraham III. cognomento *Abruza*, ordinatus anno Hegir. 293. (292.) Chriſti 905. obiit anno Hegir. 325. (326.) Chriſti 936. (937.) quùm annos 32. præfuiſſet. Ejus tempore *Joannes* orthodoxus ab Antiocheno Patriarcha Bagdadum miſſus ut orthodoxorum ibi degentium curam gereret, *Catholici* ſive primatis titulum deponere, & in ea urbe deinceps non commorari, ipſius operâ coactus eſt. *1134*. D.
LVII. Emmanuel, inauguratus an. Hegir. 326. Chriſti 937. (938.) die 16. Februar. obiit anno Hegir. 349. Chriſti 960. die 14. April. *1135*. D.
LVIII. Iſrael, promotus anno Hegiræ 350. Græcor. 1271. Chriſti 960. (961. die 29. Maii.) Obiit eodem anno, die 17. Septemb. *1136*. A.
LIX. Abdjeſus II. ordinatus anno Hegir. 352. Græcor. 1274. Chriſti 963. die 22. April. obiit anno Hegiræ 376. Græcorum. 1297. Chriſti 986. die 2. Junii. *Ibid*. D.
LX. Maris *ſive* Mares II. promotus die 17. Apr. anni Hegiræ 377. Græcorum 1298. Chriſti 987. obiit anno Hegir. 390. Græc. 1311. Chriſti 999. *1137*. B.
LXI. Joannes V. conſecratus anno Hegir. 391. (392.) Græcorum 1312. Chriſti 1000. (1001.) die 26. Decembr. (Octobr.) obiit anno Hegiræ 402. Græcorum 1323. Chriſti 1011. *1138*. D. Huic autem voci, *&* carnibus, *col. ſeq. 1139. lin. 12* ſubſtituendum eſt *non tamen* carnibus.
LXII. Joannes VI. aſſumptus in Catholicum an. Hegiræ 403. Græcor. 1324. Chriſti 1012. (die 19. Novembr.) obiit anno Hegiræ 411. Græcor. 1331. Chriſti 1026. (die 23. Jul.) *1139*. B.
LXIII. Jeſuiab IV. ſedem invaſit anno Hegiræ 412. (411.) Græc. 1332. (1331.) Chriſti 1021. (1020. die 11. Decemb.) Obiit an. Hegiræ 416. Græcor. 1336. Chriſti 1025. (die 14. Maii,) quùm annos 4. & menſes ſex eam tenuiſſet. *Ibid*. E.
LXIV. Elias I. ordinatus anno Hegiræ 419. Græcor. 1339. Chriſti 1028. (die 16. Jun.) obiit anno Hegir. 440. Græc. 1360. Chriſti 1049. (die 6. Maii.) *1140*. B. C.
LXV. Joannes VII. eodem anno promotus (menſe Decembr.) obiit anno Hegiræ 449. Græcorum 1368. Chriſti 1057. *Ibid*. E.
LXVI. Sebarjeſus III. (cognomento *Zanbur*,) promotus anno Hegiræ 452. Græcor. 1373. Chriſti 1064. (1062.) obiit anno Hegiræ 464. Græc. 1383. Chriſti 1072. *1141*. A.
LXVII. Abdjeſus III. (cognomento *Abulphadlus*,) ordinatus anno Hegiræ 467. Græcor. 1386. Chriſti 1075. die 23. Novemb. obiit anno (Hegiræ 482.) Græcor. 1401. Chriſti 1090. die 2. Januar. *1142*. A.
LXVIII. Makika I. biennio ab obitu Abdjeſu, eum excepit anno Hegiræ 485. (Græcorum 1403.) Chriſti 1092. die 18. Aprilis. Obiit verò anno Hegiræ 504. Græcorum 1421. Chriſti 1110. *1143*. D.
LXIX. Elias II. anno Hegiræ 505. (504.) Græc. 1422. Chriſti 1111. (die 16. April.) inauguratus, obiit anno Hegiræ 526. (525.) Græcor. 1443. Chriſti 1132. die 27. (17.) Octobris. *1144*. B. C.
LXX. Barſumas, promotus anno Hegiræ 528. Græcorum 1445. Chriſti 1134. die 5. Aug. obiit anno Hegir. 530. Græc. 1447. Chriſti 1136. die 11. Januarii. *1145*. A.
LXXI. Abdjeſus IV. Barſumæ ſucceſſit anno Hegiræ 533. Græcor. 1450. Chriſti 1139. (1138.) die 13. Novemb. quùm ſedes vacaſſet fere tribus annis ; obiit autem anno Hegiræ 543. (542.) Græcorum 1459. Chriſti 1148. (1147.) die 25. Novemb. *1145*. E.
LXXII. Jeſuiab V. promotus anno Hegiræ 543. Græcorum 1460. Chriſti 1149. (1148.) obiit anno Hegiræ 570. Græcorum 1486. Chriſti 1175. *1146*. C.
LXXIII. Elias III. cognomento *Abu-Halim*, Jeſuiabum excepit anno Hegir. 571. Græcor. 1487. Chriſti 1176. die 25. Januar. Sedit annos 14. mortuus anno Hegiræ 586. Græc. 1501. Chriſti 1190. die 12. April. *Ibid*. D.
LXXIV. Jaballaha II. ordinatus eodem anno die 3. Jun. obiit anno Hegiræ 618. Græcorum 1533. Chriſti 1222. die 31. Jan. *1147*. B.
LXXV. Sebarjeſus IV. promotus anno præfato, (die 31. Jul.) obiit anno Hegir. 621. (622.) Græcorum 1535. (1536.) Chriſti 1224. (1225.) (die 15. Jun.) quùm ſediſſet biennium & decem menſes. *1147*. C.
LXXVI. Sebarjeſus V. ſedi impoſitus anno Hegiræ 623. Græcorum 1537. Chriſti 1226. à fide orthodoxa non abhorruit, ut colligitur ex litteris Ahan-Ara ad Innocentium IV. quarum meminit Raynaldus *ad annum 1247. n. 32*. Obiit an. Hegir. 654. Græc. 1567. Chriſti 1256. die 20. Maii. *1147*. E.
LXXVII. Makika II. promotus anno Hegiræ 655. Græcor. 1568. Chriſti 1257. die 4.

Digitized by Google

April. obiit die 18. ejuſdem menſis anni He-
giræ 663. Græcorum 1576. Chriſti 1265.
1148. C. Porro litteræ Raban-Ara ad Inno-
centium IV. quæ referuntur 1149. B. non
hujus *Makikæ*, qui nondum ſedebat anno
Chriſti 1247. ſed Sebarjeſu ipſius prædeceſ-
ſoris nomine ſcriptæ fuerunt, ut paulo ſupra
monuimus.

LXXVIII. Denha I. renuntiatus Catholicus Se-
leucienſis anno Hegiræ 664. Græcor. 1567.
Chriſti 1266. (1265.) die 15. Novembris,
obiit anno Hegiræ 679. Græcorum 1592.
Chriſti 1281. die 24. Februarii. 1149. E.

LXXIX. Jaballaha III. Denhæ ſucceſſit anno
Hegiræ 680. Græcor. 1593. Chriſti 1282.
(1281.) obiit verò anno Hegir. 717. Græc.
1629. Chriſti 1318. (1317.) die 13. (12.)
Novemb. 1150. D. Profeſſionem fidei quam
is miſerat ad Benedictum XI. Papam anno
1304. refert ſub eodem anno Raynaldus,
num. 23.

LXXX. Timotheus I. prius *Joſeph*, ordinatus an.
Hegiræ 717. Græcor. 1629. Chriſti 1318.
Quo anno obierit nos latet. 1152. C.

LXXXI. Denha II. ſedebat anno Chriſti 1360.
1153. B.

LXXXII. Simeon I. ſedebat anno Græc. 1789.
Chriſti 1477. die 29. Novembr. *Ibid.* C.

LXXXIII. Simeon II. anno Græcorum 1801.
Chriſti 1490. epiſcopos ſuæ ſectæ in regio-
nem Malabaricam miſit: obiit autem anno
Græcorum 1813. Chriſti 1502. *Ibid.*

LXXXIV. Elias IV. Simeoni eodem anno ſuf-
fectus, obiit an. Chriſti 1504. 1154. A.

LXXXV. Simeon III. Simeonem excepit præfato
anno. *Ibid.*

LXXXVI. Simeon IV. ſedebat menſe Octobri
anni Græcor. 1842. Chriſti 1530. *Ibid.* C.

LXXXVII. Simeon V. prius *Jeſuſabus*, & frater
prædicti Simeonis, ipſo defuncto ſedem vi-
caria auctoritate adminiſtrabat die 19. Octob.
anni Græcorum 1870. Chriſti 1538. Vixit
autem uſque ad ann. Chriſti 1551. 1154. E.

LXXXVIII. Simeon VI. qui & *Benha*, & cogno-
mento *Bar-Mama*, Simeonis IV. ex fratre
nepos, ſedem invaſit an. Chriſti 1552. obiit
vero anno Chriſti 1559. 1155. B.

Joannes *Sulaka* ſive *Siud*, & *Simeon*, or-
thodoxus, in Patriarcham electus anno Chriſti
1552. ab una parte Chaldæorum, quæ Si-
meoni Neſtoriano obtemperare nolebat, Ro-
mam venit die 18. Novembr. ejuſdem anni,
profeſſionem ſuam emiſit die 20. Febr. anni
ſequentis, & die 9. Aprilis Patriarcha Chal-
dæorum proclamatus eſt à Julio III. Papa.
Deinde Amidam reverſus die 12. Novembr.
quùm annum unum duoſque menſes ſediſſet,
à Mohammedanis, inſtigante præfato Simeo-
ne, interfectus eſt. *Ibid.* C.

Elias V. Neſtorianus, à quo deinceps hoc
Eliæ nomen ſumpſere qui ei ſucceſſerunt, Bar-
Mamam excepit anno Chriſti 1559. Is mona-
chum quemdam cum profeſſione ſua Romam
miſit anno 1586. quam, utpote Neſtorianis
erroribus ſcatentem, rejecit Sixtus V. Obiit
anno Græcorum 1902. Chriſti 1591. quùm
ſediſſet annos 32. 1156. D.

Elias VI. in Catholicum Seleucienſem ele-
ctus an. Chriſti 1591. legatos ad Paulum V.
Romanum Pontificem anno 1607. miſit,
iterumque an. 1610. cum profeſſione fidei,
& literis quibus petebat ut in communionem
Sedis Apoſtolicæ admitteretur. Idem anno
1616. Amidæ ſynodum habuit, in qua Dio-
dori Tarſenſis, Theodori Mopſueſteni, &
Neſtorii errores abjuravit. Deceſſit an. 1620.
(1617. menſe Maio.) 1157. B.

Elias VII. qui & *Simeon*, ſedit ab anno
Chriſti 1629. (1617.) ad annum 1659.
Profeſſionem ſuam literaſque Romam miſit
anno 1653. ad ſacram Congregationem de
Propaganda Fide, poſcens ut ritus Chaldæo-
rum immutatus permaneret, utque ſui eccle-
ſiam Romæ haberent. 1158. B.

Elias VIII. cognomento *Marughæus*, ſive
Joannes Marughi, ordinatus anno 1660.
ſedit annos 40. mortuus anno 1700. (menſe
Maio,) ætatis 55. *Ibid.* C.

Elias IX. dictus quoque *Marughæus*, obiit
anno 1722. (menſe Decembr.) *Ibid.* D.

Elias X. qui & *Denha*, patruo Marughæo
ſucceſſit die 25. Decembr. anni 1722. quùm
annum 22. ætatis ageret. Neſtorianis in urbe
Moſulana præerat anno 1725. (& 1728.)
Incertum an adhuc vivat. 1158. E.

LXXXIX. Abdjeſus ſive *Ebedjeſus*, à Joanne
Sulaka orthodoxo conſtitutus Geziræ metro-
polita, ipſi mortuo ſuffectus eſt ab ejus aſſeclis
anno Chriſti 1555. Romam venit, ibique
emiſſa profeſſione fidei die ſeptima Martii anni
1562. pallium recepit à Pio IV. Eodem an.
concilio Tridentino adfuit. Obiit quibuſdam
annis poſtea in monaſterio civitatis Seert in
Meſopotamia. 1159. A.

XC. Ahatalla ſive *Jaballaha*, orthodoxus, Ebed-
jeſum excepit, & obiit circa annum Chriſti
1580. 1160. E.

XCI. Simeon VII. qui & *Denha*, archiepiſcopus
Gelu, Seert, & Salmaſæ, ab Eliæ V. Neſto-
riani obedientia deficiens, unà cum ſubditis
ſuis provinciæ Zeinalbech in finibus Perſidis,
Chaldæis orthodoxis ſub Ahatalla eorum Ca-
tholico ſeſe adjunxit, cui defuncto ſuffectus,
Eliam Hermetem archiepiſcopum Romam
miſit, & per eum pallio donatus eſt à Gregorio
XIII. anno 1582. Is relictâ Amidâ, fixit
ſedem Ormiæ versùs montes Perſidis ad Ar-
meniæ majoris confinia; quod idem præſtite-
runt ſucceſſores ejus, ſumpto quoque Simeonis
nomine. 1161. B.

XCIII. Simeon VIII. ſedebat anno 1600. quo
Romam profeſſionem fidei miſit, anno præce-
dente die 28. Julii ſcriptam. *Ibid.* C. Quis
hunc proxime exceperit nos latet: ſed

XCIV. Simeon alter, orthodoxus etiam, ſuis
præerat anno Græcor. 1964. Chriſti 1653.
quo epiſtola ejus exſtat ad Innocentium X.
1162. A. Porro quo tempore Elias VIII.
ſuos Neſtorianos regebat exeunte ſæculo XVII.
Neſtorianis plurimis in Amidenſi provincia,
Miſſionariorum Apoſtolicorum operâ con-
verſis, præfectus eſt à S. Sede Romana *Catho-
licus*, cujus ac ſucceſſorum *Joſephi* nomen
fuit. Itaque

Joſeph I. Amidæ ſeu *Caramit*, & *Diarbe-
chir* metropolita, ab Innocentio XI. die 20.
Maii, anno 1681. Chaldæorum illorum Pa-
triarcha renuntiatus eſt & pallio donatus, qui
dignitate ſponte abdicata an. 1695. Romam
venit, ibique deceſſit an. 1706. 1161. D.

Joſeph II. ei ſubrogatus, & confirmatus ab
Innocentio XII. fatis conceſſit in urbe Diar-
beker anno 1713. 1162. D.

Joſeph III. prius *Moyſes* vel *Timotheus*,
à Clemente XI. confirmatione & pallio do-
natus eſt menſe Februar. anni 1714. Vivebat
adhuc anno 1725. quo orthodoxorum Chal-
dæorum Amidæ & in locis circumjacentibus
degentium, curam gerebat. 1162. D.

Index Præſulum Diœceſis Chaldæorum, ordine alphabetico.

A

Aba I. Catholicus Seleuciæ. 1117. B.
II. *ſive* Mar-Aba. 1125. D.
ſive Mar-Aba, Gondiſapor. 1184. B.
Abalhaſer, Koſræ. 1178. B.
Abas *ſive* Mar-Abas, Caſcaræ. 1165. C.
Abba, Beth-Daron. 1309. A.
Abdas, Ahwas. 1191. D.
Caſcaræ. 1164. A.
Suſæ. 1190. D.
Abdelmeſſias, Baſſoræ. 1211. C.
Buazichæ. 1246. B.
Hirtæ. 1172. B.
Holwanæ. 1248. B.
Raïæ, &c. 1294. A.
Senæ. 1176. B.
Abdjeſus, M. Caſcaræ. 1164. A.
I. Catholicus Seleuciæ. 1109. E.
II. 1136. D.
III. 1142. A.
IV. 1145. E.
V. 1159. A.
Tirhanæ. 1170. B.
Abdon, Catholicus Seleuciæ. 1132. D.
Abibus, Raïæ, &c. 1291. B.
Abraham, Adorbiganæ. 1283. A.
I. Arbelæ. 1229. A.
II. 1233. A.
Aſnochæ. 1295. B.
Abraham, Baſſoræ. 1211. D.
Caſcaræ. 1166. E.
I. Catholicus Seleuciæ. 1104. A.
Electus. 1130. D.
II. 1129. E.
III. 1134. D.
Haditæ. 1226. C.
Hamadanæ. 1249. B.
Haræ *ſive* Ariæ. 1264. B.
Incertæ ſedis. 1300. B.
Indiarum. 1279. E.
Margæ. 1322. C.
Malamig. 1259. B.
Ninives. 1224. D.
Perſidis. 1254. E.
Saharzur. 1330. B.
I. Toſtar. 1293. C.
II. *Ibid.*
III. *Ibid.* D.
Zuabiæ. 1340. B.
Abraza, Catholicus Seleuc. *vide* Abraham III.
Abres, Catholicus Seleuciæ. 1103. D.
Abu-Hali, Buazichæ. 1246. B.
Acacius, Catholicus Seleuciæ. 1114. E.
Aceplimas, Honitæ. 1233. B.
Acha, Arbelæ. 1231. D.
Achadabuës, Catholicus Seleuciæ. 1104. E.
Niſibis. 1197. A.
Achæus I. Catholicus Seleuciæ. 1102. B. C.
II. 1111. C.
Achehallaha, Beth-Garmes. 1238. B.
Adæus *ſive* Thaddæus, Cath. Seleuc. 1101. A.
Adam, Arbelæ. 1234. A.
Agapetus, Gondiſaporis. 1181. A.
Ahatalla, Catholicus Seleuciæ. 1160. E.
Aitallaha, Indiarum. 1281. E.
Alexander, Indiarum. 1282. B.
Ananjeſus, Achlat. 1286. A.
Beſtadaræ. 1307. *lin. ult.*
Caſcaræ, *vide* Hananjeſus.
I. & II. Cath. Seleuc. *vide* Hananjeſus.
Dakukæ. 1244. B.
Hieroſolymorum. 1299. A.
Hirtæ. 1172. A.
Toſtar, *vide* Hananjeſus.
Vani. 1339. *lin.* 1.
Archelaüs, Caſcaræ. 1163. B.

B

Babæus, Caſcaræ. 1166. A.
Catholicus Seleuciæ. 1115. B.
Perſidis. 1253. D.
Ravardſciri. 1253. D. & 1259. *lin.* 6.
Bahuæus, Catholicus Seleuciæ. 1113. E.
Bacchus, Niſibis. 1197. D.
Barbactjeſus, Waſithæ. 1340. C.
Barbaſinas, Catholicus Seleuciæ. 1109. B.
Bar-Codiaba, Maru. 1261. A.
Barſabas, Sciaarchadatæ. 1244. A.
Barſohebes, Ninives. 1223. B.
Barſumas, Caſtoum. 1314. A.
Catholicus Seleuciæ. 1145. A.
Niſibis. 1195. A.
Suſæ. 1191. C.
Themanon. 1338. B.
Baſilius, Ain-Tanur. 1303. A.
Boctjeſus, Tirhanæ. 1169. C.
Bricjeſus, Buazichæ. 1180. C.
Caſcaræ. 1166. A.
Tirhanæ. 1170. C.

C

Cajumas, Catholicus Seleuciæ. 1110. B.
Niſibis. 1200. B. C.
Tirhanæ. 1169. B.
Camjeſus, Niſibis. 1199. A.
Cardagus, Mukar. 1293. C.
Cyprianus, Niſibis. 1199. C.
Cyriacus, Baladæ. 1203. C.
Chanigiaræ. 1245. A.
Maaltæ. 1236. B.
Niſibis. 1198. A.
Socotræ. 1258. A.

D

Dadjeſus, Catholicus Seleuciæ. 1113. C
Daniel, Baſſoræ. 1210. C.
Rhaſinæ. 1329. A.
Salach. 1331. B.
Tahal. 1335. A.
Telach. *Ibid. lin.* 2.
David, Baſſoræ. 1210. C.
Beth-Garmes. 1242. A.

Dav

Digitized by Google

David, Caſcaræ. 1166. D.
I. Hadıtæ. 1228. B.
II. Ibid.
I. Maru. 1261. A.
II. Ibid. C.
Sighanſu. 1270. A.
Dauſas, Bakerdæ. 1205. A.
Demetrius, Gondiſaporis. 1181. B.
Denha, Arbelæ. 1233. A.
Caſgaræ. 1297. B.
I. Catholicus Seleuciæ. 1149. E.
II. 1155. B.
Dilamus, Gondiſaporis. 1185. B.
Dindoë, Honitæ. 1233. C.
Maaltæ. 1235. A.
Dua *ſive* Mar-Dua, Socotræ. 1257. A.

E

Ebedjeſus, Arbelæ. 1232. C.
I. Aſpahani. 1305. D.
II. 1306. D.
Bakerdæ. 1206. C.
Beth-Garmes. 1242. B.
Gondiſaporis. 1188. C.
I. Hadithæ. 1228. A.
II. Ibid. B.
Honitæ. 1234. C.
Koſræ. 1177. C.
I. Maaltæ. 1235. B.
II. 1236. C.
Maru. 1263. A.
I. Moſul. 1218. D.
II. 1220. B.
I. Niſibis. 1200. E.
II. 1203. A.
Nuhadræ. 1221. A.
Ormiæ. 1328. B.
Perſidis. 1254. E.
Singaræ. 1334. B.
Themanon. 1337. B.
Ebn-Gemad, Niſibis. 1201. C.
Ebn-Kouka, Caſcaræ. 1167. B.
Ebn-Oheid, Damaſci. 1289. C.
Ebn-Suta, Koſræ. 1178. C.
Ebn-Touha, Alepi. 1289. D.
Elias I. Amidæ. 1306. A.
II. Ibid.
I. Anbaræ. 1173. C.
II. 1174. A.
Baladæ. 1203. D.
Bardaæ. 1288. A.
I. Beth-Garmes. 1242. C.
II. Ibid. D.
Caſcaræ. 1167. A.
I. Catholicus Seleuciæ. 1140. B.
II. 1144. C.
III. 1146. E.
IV. 1154. A.
V. 1156. D.
VI. 1157. B.
VII. 1158. B.
VIII. Ibid. C.
IX. Ibid. D.
X. Ibid.
Damaſci. 1290. A.
Gondiſaporis. 1188. C.
Heſnæ. 1317. B.
I. Hieroſolymorum. 1299. A.
II. Ibid. B.
Maru. 1261. C.
Mohadræ. 1324. A.
I. Moſul. 1218. D.
II. 1220. B.
Mukar. 1294. C.
Naamaniæ. 1325. B.
I. Niſibis. 1200. D.
II. 1201. D.
Ocharæ. 1176. D.
Raccæ. 1328. B. *lin. ult.*
Tirhanæ. 1169. C.
Elizæus, Buazichæ. 1245. B.
Catholicus Seleuciæ. 1116. C.
Emmanuel, Arzun. 1208. C.
Badraïæ. 1180. B.
Beth-Garmes. 1241. B.
Catholicus Seleuciæ. 1135. D.
Dakukæ. 1244. C.
Gondiſaporis. 1185. D.
Heſnæ. 1317. B.
Holwanæ. 1248. A.
Naamaniæ. 1326. B.
Nili. 1328. A.
Emmanuel, Tirhanæ. 1170. C.
Zuabiæ. 1340. A.
Enos, Anbaræ. 1173. B.
Catholicus Seleuciæ. 1132. C.
Moſul. 1217. A.
Ephræmius, Gondiſaporis. 1183. D.
Ninives. 1224. C.
Eugenius, Naamaniæ. 1325. B.
Ezechiel, Catholicus Seleuciæ. 1119. A.
Naamaniæ. 1325. B.
I. Zuabiæ. 1339. B.
II. 1341. A.

F

Franciſcus I. Indiarum. 1281. B.
II. Ibid. D.

G

Gabriel, Adorbiganæ. 1283. C.
Arzun. 1207. C.
Bakerdæ. 1206. B.
Baſſoræ. 1210. C.
I. Beth-Garmes. 1240. A.
II. Ibid. B.
I. Beth-Seleuciæ. 1331. D.
II. 1332. E.
Caſtoum. 1314. A.
Cataræ. 1259. A.
Heſnæ. 1318. B.
Hormuz. 1317. C.
Indiarum. 1282. D.
I. Moſul. 1218. C.
II. Ibid. D. E.
III. 1220. C.
Perſidis. 1253. E. & 1254. B.
Roſtacæ. 1329. A.
Saporis. 1255. A.
Tirhanæ. 1169. D.
Gadiabus, Gondiſaporis. 1181. B.
Georgius I. Arbelæ. 1231. B.
II. 1232. D.
Arzun. 1208. B.
I. Baſſoræ. 1209. A.
II. 1212. A.
Buazichæ. 1245. B.
Caſcaræ. 1167. C.
I. Catholicus Seleuciæ. 1123. A.
II. 1129. B.
I. Gondiſaporis. 1183. D.
II. 1184. A.
III. 1187. (1185.) A.
Maaltæ. 1236. C.
Maru. 1264. A.
I. Moſul. 1215. B.
II. 1217. D.
I. Niſibis. 1198. D.
II. 1201. B.
Radani. 1175. E.
Samarcandiæ. 1295. A.
Segeſtaniæ. 1297. C.
Singaræ. 1333. B.
Toſtar. 1193. C.
Giavarus, Niſibis. 1197. B.
Gio *ſive* Joannes, Sighanſu. 1269. A.
Gregorius, Caſcaræ. 1165. B.
Catholicus Seleuciæ. 1120. D.
Harran. 1317. A.
Niſibis. 1197. E.
Toſtar. 1193. C.
Gurias, Niſibis. 1198. B.

H

Hachima, Ocharæ. 1175. C.
Hananjeſus, Caſcaræ. 1166. C.
I. Catholicus Seleuciæ. 1123. D.
II. 1126. E.
Gondiſaporis. 1185. C.
Toſtar. 1194. D.
Vani. 1339. *lin.* 1.
Heliodorus, Bakerdæ. 1205. A.
Hieronymus *Xaviere*, Indiarum. 1281. C.
Him-Ciu, Sighanſu. 1271. B.
Hormiſdas, Caſcaræ. 1168. A.
Waſithæ. 1339. C.
Hoſee, Niſibis. 1196. C.

I

Iaballaha, Anbaræ. 1174. A.
Beth-Garmes. 1241. D.
I. Catholicus Seleuciæ. 1111. D.
II. 1147. B.
III. 1150. D.
Kan-Balek. 1301. A.
I. Maaltæ. 1235. C.
II. Ibid.
Jaballaha, Maipherakin. 1321. A.
Mardis. 1321. B.
Moſul. 1218. D.
Mukar. 1293. C.
I. Niſibis. 1200. D.
II. 1201. E.
Nuhadræ. 1221. B.
Sighanſu. 1271. E.
Suſæ. 1192. C.
Tanguth. 1303. B.
Jacobus, Achlat. 1285. A.
I. Baladæ. 1204. C.
II. Ibid. D.
Beth-Garmes. 1239. B.
I. Catholicus Seleuciæ. 1104. D.
II. 1126. B.
Dirin. 1259. 1260. *lin.* 3.
I. Gondiſaporis. 1182. B.
II. 1183. C.
Indiarum. 1277. E.
Margæ. 1321. *lin.* 2.
Raïæ, &c. 1292. B.
Saharzur. 1329. B.
Singaræ. 1333. C.
Jaſdephanes, Caſcaræ. 1165. B.
Jazdephanes, Saharzur. 1329. B.
Jeſu-Buchat, Perſidis. 1253. A.
Jeſudad, Hadithæ. 1226. D.
Jeſudenha, Amidæ. 1305. B.
Koſræ. 1177. B.
Maipherakin. 1322. A.
Mardis. Ibid. B.
Jeſuiab I. Arbelæ. 1231. A.
II. 1232. A.
Arzun. 1207. B.
I. Bakerdæ. 1206. A.
II. Ibid. B.
Baladæ. 1203. B.
Baſſoræ. 1209. B.
Berheræ. 1308. B.
I. Catholicus Seleuciæ. 1119. D.
II. 1121. A.
III. 1122. D.
IV. 1139. E.
V. 1146. C.
Chadiræ. 1313. 1314. A.
Damaſci. 1290. B.
Holwanæ. 1247. B.
I. Koſræ. 1177. C.
II. 1178. B.
Mardis. 1322. B.
I. Moſul. 1215. B.
II. 1216. B.
III. 1218. B.
IV. 1220. D.
I. Ninives. 1224. B.
II. Ibid. D.
I. Niſibis. 1202. A.
II. 1204. A.
Nuhadræ. 1222. B.
Ocharæ. 1175. C.
Senæ. 1173. D.
Suræ. 1192. B.
Telæ. 1338. A.
Jeſu-Rachma, Beth-Garmes. 1241. A.
Jeſuſabranus, Ninives. 1225. A.
Tanguth. 1304. B.
Jeſuzacha, Beth-Bagas. 1224. A.
Beth-Seleuciæ. 1332. D.
Corges. 1315. A.
Niſibis. 1202. E.
J. *fortaſſis* Joannes, Hieroſolym. 1299. C.
Joannes, Achlat. 1285. A.
Adorbiganæ. 1283. B.
Amidæ. 1305. A.
Anbaræ. 1173. B.
Arbelæ. 1231. C.
Beth-Bagas. 1221. D.
I. Beth-Garmes. 1237. A.
II. 1239. B.
Beth-Sori 1309. 1310. *lin. antepen.*
I. Buazichæ. 1179. C.
II. Ibid.
III. 1180. C.
Abris, Cadnes. 1311. 1312. *lin.* 1.
Camulæ. 1311. A.
Caſcaræ. 1168. C.
Caſgaræ. 1297. A.
I. Catholicus Seleuciæ. 1118. B.
II. 1123. C.
III. Ibid. D.

Tomus II. I

INDEX.

Joannes, *Electus*, Cathol. Seleuc. 1130. C.
IV. 1132. D.
V. 1133. B.
VI. *Ibid.* E.
VII. 1134. D.
VIII. 1138. D.
IX. 1139. B.
X. 1140. E.
Chan-Balek. 1301. B.
Chanigianæ. 1246. A.
I. Damaſci. 1289. A.
II. *Ibid.* C.
III. 1290. C.
Deſtefanæ. 1213. *lin.* 1.
I. Gondiſaporis. 1182. B.
II. 1183. A.
III. 1188. B.
IV. *Ibid.*
Hadithæ. 1225. C.
Hamadanæ. 1250. A.
I. Hirtæ. 1171. A.
II. 1172. C.
I. Holwanæ. 1248. B.
II. 1250. A.
I. Indiarum. 1275. C.
II. 1276. B.
III. 1278. A.
I. Koſræ. 1178. C.
II. 1180. A.
Maaltæ. 1235. B.
Maipherakin. 1322. A.
Maru. 1262. C.
Mohadræ. 1323. A.
I. Moſul. 1217. B.
II. *Ibid.* C.
III. 1219. C.
IV. *Ibid.*
Naamaniæ. 1325. A.
Nili. 1328. A.
I. Niſibis. 1198. E.
II. 1199. E.
III. 1200. B.
IV. 1201. B.
V. *Ibid.* C.
I. Perſidis. 1251. A.
II. 1253. E.
III. 1254. D.
Sarchaſæ. 1331. C.
Senæ. 1175. B.
vel Gio, Sighanfu. 1269. A.
I. Singaræ. 1333. B.
II. 1334. D.
Suſæ. 1192. C.
Tarſi, &c. 1291. A.
Themanon. 1337. B.
Tirhanæ. 1169. B.
I. Zuabiæ. 1340. B.
II. 1342. A.
Jonadab, Arbelæ. 1229. B.
Jonas, Haræ. 1263. B.
Joſach, Ahwaz. 1192. D.
Joſeph, Amidæ. 1306. B.
Arbelæ. 1233. A.
Bakerdæ. 1206. C.
Baſſoræ. 1211. D.
I. Cathol. Seleuc. 1117. B. 1118. E.
II. 1161. D.
III. 1162. D.
IV. *Ibid.*
I. Gondiſaporis. 1183. E.
II. 1188. E.
Hirtæ. 1172. C.
I. Indiarum. 1278. D.
II. *Ibid.* E.
III. 1279. C. 1280. C.
IV. 1282. B.
Mardis. 1321. C.
I. Maru. 1262. A.
II. *Ibid.* C.
Moſambicæ. 1324. *lin.* 5.
I. Moſul. 1220. A.
II. *Ibid.* C.
Ninives. 1226. A.
Salmaſiæ. 1329. *lin. ult.*
Sighanfu, *vide* Mar-Joſeph.
Joſue, Ahwaz. 1193. A.
Caſcaræ. 1167. B.
Catholicus Seleuciæ. 1128. E.
Iſaac, Beth-Daron. 1309. A.
Beth-Garmes. 1238. A. *lin.* 8.
Catholicus Seleuciæ. 1110. D.
Iſaac, Moſul. 1215. A.
Ninives. 1223. C.
Niſibis. 1198. C.
Suſæ. 1192. B.
Iſraël I. Caſcaræ. 1166. B.
II. *Ibid.* D.
Catholicus Seleuciæ. 1136. A.
Junar, Indiarum. 1278. E.
K
Kie-ho, Sighanfu. 1270. A.
L
Lazarus, Babylonis 1308. A.
Lucas, Moſul. 1217. D.
M
Maanes, Hardaſcir. 1316. C.
Machicha, Arbelæ. 1230. B.
Geſſunæ. 1207. A.
Moſul. 1219. B.
Niſibis. 1202. E.
Tirhanæ. 1169. D.
Madna, Gondiſaporis. 1185. C.
Malina, Catholicus Seleuciæ. 1112. B.
Perſidis. 1251. B.
Makika I. Catholicus Seleuciæ. 1143. D.
II. 1148. C.
Malama, Maaltæ. 1235. C.
Malaſſias, Caſgaræ. 1298. B.
Malechus, Drangerdæ. 1255. B.
Mar-Aba, Badraiæ. 1179. B.
Caſcaræ. 1165. C.
Naamaniæ. 1323. B.
Maraboctus, Caſroun. 1313. A.
Catholicus Seleuciæ. 1113. B.
Marame, Catholicus Seleuciæ. 1122. C.
Gondiſaporis. 1182. B.
Ninives. 1223. D.
Maraname, Arbelæ. 1231. E.
Beth-Daron. 1310. A.
Beth-Dial. 1309. A.
Beth-Seleuciæ. 1333. A.
Gondiſaporis. 1188. D.
Moſul. 1216. A.
Napharæ. 1177. A.
Maranzacha, Hadithæ. 1225. B.
Incertæ ſedis. 1312. *lin.* 1.
Maragæ. 1284. C.
Ninives. 1225. A.
Maras, Ninives. 1224. B.
Marcus, Baſſoræ. 1212. B.
Beth-Bagas. 1223. A.
Caſtoum. 1313. A.
Damaſci. 1290. C.
Raïæ, &c. 1293. A.
Mar-Dua, Socotræ. 1257. A.
Mares, Hardaſcir. 1315. C.
Nili. 1327. A.
I. Ocharæ. 1175. D.
II. 1176. C.
Perſidis. 1253. E.
Mar-Joſeph, Sighanfu. 1272. E.
Maris, Anbaræ. 1174. B.
Caſcaræ. 1167. B.
I. Catholicus Seleucienſis. 1102. D.
II. 1137. B.
Napharæ. 1178. A.
Radani. 1176. C.
Senæ. 1175. A.
Singaræ. 1333. D.
Maruthas, Tacriti. 1335. A.
Matthæus, Daſenæ. 1222. C.
Melechjeſus, Nuhadræ. *Ibid.* B.
Michæas, Dakukæ. 1243. B.
Michael, Ahwaz. 1193. A.
Amidæ. 1305. A.
Electus, Catholic. Seleuc. 1130. D.
Maipherakin. 1321. A.
Milas, Senæ. 1173. D.
Tirhanæ. 1168. D.
Milles M. Suſæ. 1189. B.
Zuabiæ. 1339. B.
Moyſes, Arbelæ. 1233. A.
Beth-Seleuciæ. 1331. D.
Carchæ. 1312. *lin. penult.*
Ninives. 1224. B.
Nuhadræ. 1221. A.
Singaræ. 1333. D.
Mundar, Anbaræ. 1174. B.
N
Naaman, Koſræ. 1179. A.
Narſes, Anbaræ. 1171. D.
Buazichæ. 1246. C.
Narſes, Catholicus Seleuciæ. 1116. C.
I. Gondiſaporis. 1183. B.
II. 1188. E.
Senæ. 1174. D.
Sciaarchadatæ. 1241. E.
Tirhaſæ. 1170. B.
Neſtorius, Arbelæ. 1232. C.
Bardaïæ. 1288. A.
I. Beth-Garmes. 1240. D.
II. 1241. B.
Hirtæ. 1172. B.
Naamaniæ. 1326. A.
O
Olopuen, Sighanfu. 1269. A.
P
Papas, *vide* Phaphas.
Paulus, Ahwaz. 1192. D.
Anbaræ. 1173. A.
Arbelæ. 1130. B.
Catholicus Seleuciæ. 1116. E.
I. Gondiſaporis. 1182. A.
II. 1184. D.
Ledani. 1189. A.
Niſibis. 1197. C.
Phaphas *ſive* Papas, Cathol. Seleuc. 1105. E.
Phetion, Catholicus Seleuciæ. 1125. B.
Tirhanæ. 1167. D.
Phuſes, Toſtar. 1193. B.
Polychronius, Babylonis. 1307. A.
Proud, Indiarum. 1275. A.
R
Roſtamus, Arbelæ. 1232. A.
Honitæ. 1234. B.
Moſul. 1216. B.
Ruſbahaman, Niſibis. 1199. B.
S
Sabas, Mahuzæ. 1320. C.
Sadoſt, Catholicus Seleuciæ. 1108. C.
Saduſt, Naamaniæ. 1324. B.
Sahaduna, Ariunæ. 1305. C.
Sahadunas, Mahuzæ. 1319. B.
Sahluſa, Catholicus Seleuciæ. 1105. C.
Saliba-Zacha, Achlat 1286. A.
Anbaræ. 1172. D.
Arbelæ. 1231. B.
Beth-Daron. 1310. A.
Catholicus Seleuciæ. 1124. E.
Tirhanæ. 1169. A.
Salomon, Baſſoræ. 1212. B.
Hadithæ. 1225. C.
Perſidis. 1254. C.
Zuabiæ. 1340. B.
Samuel, Caſcaræ. 1164. B.
Tuſæ. 1337. B.
Sapor, Beth-Garmes. 1237. B.
Gondiſaporis. 1184. D.
Sapores M. Beth-Nicatoris. 1309. B.
Sçadult, Tirhanæ. 1169. B.
Scalita, Rhæſinæ. 1329. A.
Sebarjeſus, Anbaræ. 1174. A.
Arbelæ. 1232. E.
I. Baladæ. 1203. C.
II. *Ibid.* D.
Bardæ. 1287. A.
Baſſoræ. 1211. B.
Beth-Bagas. 1224. A.
I. Beth-Garmes. 1239. C.
II. 1242. C.
Buazichæ. 1179. C.
Caſtoum. 1314. A.
I. Caſcaræ. 1168. B.
II. *Ibid.* C.
Caſgaræ. 1297. A.
I. Catholicus Seleuciæ. 1119. E.
II. 1129. D.
III. 1141. B.
IV. 1147. C.
V. *Ibid.* E.
Comaræ *ſive* Kimaræ. 1313. B.
I. Dakukæ. 1243. B.
II. 1244. B.
III. *Ibid.* D.
Damaſci. 1289. B.
I. Gondiſaporis. 1185. C.
II. *Ibid.* E.
Harran. 1317. A.
Kimaræ, *vide* Comaræ.
I. Niſibis. 1199. A.
II. 1201. B.
Nuhadræ. 1222. A.
Ocharæ. 1176. D.

Digitized by Google

Sebarjeſus, Senæ. 1175. A.
Waſithæ. 1340. C.
Sergius, Baſſoræ. 1210. B.
Catholicus Seleuciæ. 1131. E.
Gondiſaporis. 1183. A.
Honitæ. 1233. C.
Maaltæ. 1235. A.
Naamaniæ. 1326. B.
Napharæ. 1178. A.
Nili. 1328. A.
Niſibis. 1200. A.
Sighanfu. 1272. C.
Silas, Baſſoræ. 1211. B.
Catholicus Seleuciæ. 1115. E.
Nagran. 1325. D.
Simeon, Amidæ. 1306. A.
Anbaræ. 1171. D.
Arbelæ. 1231. C.
Arzun. 1208. C.
I. Baladæ. 1203. C.
II. Ibid. D.
Berberæ. 1307. B.
Beth-Bagas. 1222. D.
I. Beth-Garmes. 1240. C.
II. 1242. D.
Buazichæ. 1180. C.
I. Catholicus Seleuciæ. 1107. C.
II. 1153. D.
III. Ibid.
IV. 1154. B.
V. Ibid. C.
VI. Ibid. E.
VII. 1155. B.
VIII. Ibid. C.
IX. 1161. B.
X. Ibid. C.
XI. 1162. A.
Deſteſanæ. 1214. lin. 1.
Geſlunæ. 1208. A.
Hirtæ. 1169. E.
Indiarum. 1280. A.
Mahuzæ. 1319. A.
I. Moſul. 1220. C.
II. Ibid. D.
Perſidis. 1253. A.
Ravardſciri. 1253. A. 1259. lin. 6.
Salmaſi. 1332. A.
Sighanfu. 1271. D.
Singaræ. 1333. D.
Tanguth. 1303. A.
Telæ. 1337. A.
Tirhanæ. 1170. D.
Tuſæ. 1337. B.
Stephanus, Buazichæ. 1245. C.
Stephanus, Daſenæ. 1221. C.
Gondiſaporis. 1185. E.
Holwanæ. 1247. B.
Indiarum. 1281. D.
Senæ. 1176. A.
Subſcaljeſus, Mukar. 1293. B.
Subſcalmaranus, Baſſoræ. 1210. B.
Caſcaræ. 1165. A.
Singaræ. 1333. C.
Surinus, Baſſoræ. 1209. C.
Catholicus Seleuciæ. 1125. E.
Holwanæ. 1247. A.
Niſibis. 1199. B.
T
Tamuſa, Catholicus Seleuciæ. 1109. D.
Thaddæus *ſive* Adæus, Catholicus Seleucienſis. 1101. A.
Theodorus, Beth-Garmes. 1240. E.
Caſcaræ. 1165. B.
Dakukæ. 1244. C.
Garmæ, *vide* Beth-Garmes.
Gondiſaporis. 1184. E.
Hormuz. 1317. C.
Maru. 1261. B.
Theodoſius, Anbaræ. 1173. A.
Catholicus Seleuciæ. 1130. B. E.
Gondiſaporis. 1184. C.
Thomas, Caſcaræ. 1165. D.
I. Beth-Garmes. 1240. C.
II. 1242. A.
Edeſſæ. 1315. B.
Gondiſaporis. 1188. (1186.) A.
Holwanæ. 1247. B.
I. Indiarum. 1278. A.
II. 1282. E.
Malabarum. 1284. C. *lin. penult.*
Maragæ. 1286. C.
Sighanfu. 1271. B.
Timotheus, Amidæ. 1306. A.
Beth-Bagas. 1223. A.
I. Catholicus Seleuciæ. 1127. D.
II. 1152. C.
Hieroſolymorum. 1300. C.
Mardis. 1322. C.
Tarſi, &c. 1291. A.
Titus, Arbelæ. 1232. E.
Moſul. 1219. D.
X
Xabro, Indiarum. 1275. A.
Y
Yſu, Sighanfu. 1271. A.
Z
Zacharias, Anbaræ. 1174. C.
Caſcaræ. 1165. E.

Index alphabeticus Eccleſiarum Diœceſis Chaldæorum quarum Præſulum nomina ignorantur: ſcilicet,

A
Adorbiganiæ. 1283. C.
Ahwaz. 1191. D.
Anbaræ. 1174. B.
Arzun. 1208. B.
B
Bakerdæ. 1205. C. 1206. A.
Baladæ. 1204. B.
Baſſoræ. 1211. D.
Beriæ. 1307. C.
Beth-Garmes. 1237. A. 1238. B. 1240. B. 1241. C.
C
Caſtoum. 1313. A.
Caſcaræ. 1163. A.
Comaræ *ſive* Kimaræ. 1313. B.
G
Garmæ, *vide* Beth-Garmes.
Gondiſaporis. 1183. B. 1185. D.
H
Hadithæ. 1228. B.
Holwanæ. 1247. A. 1248. B.
I
Incertæ ſedis. 1225. B.
Indiarum. 1278. D. 1281. B.
K
Kimaræ, *vide* Comaræ.
M
Moſul. 1215. C.
Mukar 1294. C.
N
Naamaniæ. 1323. B.
Nahr & Dir. 1325. *lin. penult.*
Ninives. 1223. D.
Niſibis. 1197. B. 1200. C.
Nuhadræ. 1221. B.
O
Ocbaræ. 1175. D.
Orniæ. 1327. B. 1328. B.
R
Radani. 1176. E.
S
Saharzur. 1330 B. *lin. 1.*
Salmaſæ. 1329. *lin. antepenult.*
Samarcandiæ. 1296. A.
Sighanfu. 1271. C.
Socotræ. 1257. A.
Z
Zuabiæ. 1339. A.

DIŒCESIS JACOBITARUM

HÆc fuere initia: diris data in ſynodo Epheſina prima anno 431. Neſtorii impietate, nonnulli, ejus evitandæ ſtudio, eò progreſſi ſunt ut in Chriſto cum unica perſona unicam quoque naturam aſſererent, *col.* 1343. *n.* 1. B. unde illis indita *Monophyſitarum* appellatio. Quonam autem ſenſu id effutirent exponitur 1344. *n.* 4. B. 1345. *nn.* 5. 6. *ac* 7. & 1354. *n.* 27. E. Eutyches quidem Archimandrita anteſignanus iſtius hæreſis damnatus fuit & depoſitus à Flaviano Conſtantinopolitano præſule, in ſynodo ibidem coacta an. 448. ſed anno ſequenti 449. in concilio Epheſino II. (dicto *Latrocinio*, quod huic præſidens Dioſcorus Alexandrinus antiſtes omnia, more latronum, per vim geſſerit,) ille ipſe abſolutus eſt, approbatus error, pulſus in exilium Flavianus, brevique extinctus, exauctorati epiſcopi orthodoxi. 1344. *n.* 3. A. Anno tamen 451. proſcripta ea ſynodo in altera Chalcedone habita, Dioſcorus anathemate percuſſus eſt cum ſuis fautoribus, omnique ſacerdotio ſpoliatus. At ejus depoſitioni, ut & definitioni ſancitæ, non ſubſcripſerunt Ægyptii epiſcopi, prætexentes nihil ſibi licere in materia fidei, niſi ipſis præiret Alexandrinus omnium metropolita: quin imo in patriam reduces, conclamarunt Neſtorianum dogma Chalcedone prævaluiſſe. 1343. *n.* 2. C.

Monophyſiſmi in Oriente promotor ardentiſſimus extitit, præter Barſumam abbatem qui in latrocinio Epheſino ad Flaviani mortem multùm contulit, Severus Antiochenæ ſedis invaſor, dein profugus & in Ægypto latitans. 1346. *num.* 7. B. Hic diſcipulum habuit *Jacobum* quemdam Syrum monachum, cognomento *Zanzalum* & *Baradæum*, quem epiſcopi ab Impp. Juſtino & Juſtiniano incluſi ob Monophyſitiſmum, quaſi totius ſuæ ſectæ præſulem œcumenicum conſtituerunt, ex eo autem *Jacobitæ* dicti ſunt ab orthodoxis ejus aſſeclæ per Orientem. 1346. *num.* 8. C.

Severo anno 539. defuncto, Jacobus illi ſubſtituit Sergium, qui *Antiocheni* Patriarchæ titulum, quaſi præſulis hujus eccleſiæ ſucceſſor, ſibi ſumpſit. 1347. *num.* 10. A. Porro Coptitæ in Ægypto, ob doctrinæ affinitatem cum Jacobitis Orientis, mutuamque cum illis ſæpe ſervatam communionem, *Jacobitæ* quoque audierunt apud Chalcedonenſis fidei aſſertores. *Ibid. num.* XI. B.

Monophyſitica Jacobitarum lues, regum Perſarum favore, in Syria, Meſopotamia & Perſide admodum ſeſe extendit. 1347. *num.* 12. D. Quarum regionum ſibi vindicavit magnam partem Occidentem versùs eorum Patriarcha Antiochenus; reliquas versùs Orientem poſitas credens ſpeciali cuidam primati, quem appellavit *Maphrianum*, quaſi *fructiferum*, ut ille nimirum in ſua ditione ea munia præſtaret, quæ olim *Catholici* Chaldæorum ſub præſule Antiocheno. *Ibid. num.* 13. E.

Jacobitarum Patriarchæ, quia ſibi Antiochiæ degere, prohibentibus Imperatoribus Catholicis, fas non erat, *Amidæ* in Meſopotamia communius ſederunt, Maphriani autem *Tagriti*. 1348. *n.* 14. B. Recenſentur hujus ſectæ epiſcopatus, tum qui Patriarchæ obnoxii erant ſæculo XVI. 1349. *num.* 16. A. B. *num.* 17. E. & 1350. *num.* 18. C. tum qui Maphriano. 1350. *num.* 19. E. Exponitur pariter utriuſque eligendi modus, 1351. *num.* 20. B. *n.* 21. E. & 1355. *num.* 24. B. ac nominis mutandi in Patriarchæ Jacobitarum electione poſterius orta conſuetudo. 1352. *num.* 23. D.

Ut ſæpe tentata ad catholicam fidem Jacobitarum converſio, 1355. *n.* 28. B. ſic illi nonnunquam Romanæ Sedis communionem ambire viſi ſunt. *Ibid. n.* 29. E. Cæterum à nobis nihil diſcrepant quoad articulos in quibus errant Lutherani & Calviniſtæ. 1356. *num.* 30. E.

Quoniam autem nobis parum notæ ſunt ſpeciales Jacobitarum Antiochenæ ſedis provinciæ, eccleſias duntaxat illorum tam metropoles quàm epiſcopal. quæ ditionis exſtitere, ſive Patriarchæ, ſive Maphriani, ordine alphabetico ſubjicimus.

Eccleſiæ Jacobitarum Diœceſis Antiochenæ ordine alphabetico.

A
Aataphra, *corrupte pro* Nataphra. 1606. C.
Aco ſeu *Ace*, & *Ptolemaïs*, urbs Phœniciæ maritimæ, ſedes epiſcopalis ſub Patriarcha Jacobitarum. 1467. 1468.

Digitized by Google

Adorbigana, urbs Perſidis, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Maphriano. 1565. 1566.
Akula ſive *Dair-Al-Akul*, urbs Arabiæ, epiſcopatus ſub Maphriano Jacobitarum. *Ibid.*
Alepus ſive *Alepum*, & olim *Berhœa*, nobile Syriæ emporium, ſedes metropolitana ſub Patriarcha Jacobitarum. 1409. 1410.
Amida ſive *Amed*, *Amid*, *Diar-Bechir*, & olim *Conſtantia*, metropolis ac ſedes Patriarchæ Jacobitarum fuit uſque ad annum 1166. quo Michael I. Mardini tranſiit. 1413. 1414.
S. Ananias, *vide* Zapharanum.
Anazarba ſive *Anazarbus*, Ciliciæ II. metrop. ſedes quoque metropolitana Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1417. 1418.
Anazeta ſive *Anzeta*, *Anazit*, & *Hanazit*, urbs Armeniæ ad radices montis Tauri, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitarum. 1467. 1468.
Anbara, *vide* Pheroz-Sapor.
Antiochia Mygdoniæ, *vide* Niſibis.
Apamea ſive *Hemat*, & *Hamah*, Syriæ II. metropolis, ſedes metropolitana, *Emeſæ* aliquando conjuncta, & utraque *Damaſco*, ſub Patriarcha Jacobitarum. 1419. 1420.
Arabia ditionis Maphriani Jacobitarum fuit ſub duplici epiſcopo, quorum unius, dicti præſulis abſolute *Arabum*, ut plurimùm *Akula* ſedes exſtitit, interdum quoque *Balada* & *Telaphar*; alterius verò, nuncupati antiſtitis *Arabum Taalabenſium Scenitarum*, *Hirta Naamanis*. 1567. 1568.
Arca, urbs Armeniæ Melitinæ vicina, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobit. 1469. 1470.
Arſamoſata, quæ & *Armoſata* ac *Arſamote*, urbs Armeniæ inter Tigrim & Euphratem: epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitarum. *Ibid.*
Arzun ſive *Arzan*, & *Arzan-Al-Rum*, urbs Armeniæ, epiſcopatus ſub Maphriano Jacobitarum. 1569. 1570.
Aſia, titulus fuit unius epiſcopi ſub Patriarcha Jacobitarum. 1469. 1470.
Aſpharinum ſive *Suphrin*, *Syphrea*, *Siphris*, & *Sipphara*, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobit. 1473. 1474.

B

Baalbach ſive *Beth-Semes*, vel *Medinat-Semſa*, Græcis verò *Heliopolis* Syriæ, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitarum. 1475. 1476.
Bagdadum, urbs Perſidis, ex Seleuciæ & Cteſiphontis ruinis condita, epiſcopatus ſub Maphriano Jacobitarum. 1569. 1570.
Bagerma, *vide* Garme.
Baghedſcia ſive *Begadſcia*, in regione Mardæ, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitar. 1473. 1474.
Balada ſive *Balad*, urbs Meſopotamiæ ad Tigrim, epiſcopo Arabum primùm obnoxia, deinde in ſedem epiſcopalem erecta ſub Maphriano Jacobitarum. 1571. 1572.
Banicia, *vide* Germanicia.
Baſſora ſeu *Boſra*, *Baſra*, & *Boſtra*, urbs ad Tigrim, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitar. 1475. 1476.
Batna, *vide* Sarug.
Beherinum, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Maphriano. 1574. 1575.
Berhœa, *vide* Alepus.
S. Bertonia. 1603. E.
Beth-Arſam, pagus apud Seleuciam in Perſide, epiſcopatus ſub Maphriano Jacobitar. 1573. 1574.
Beth-Chino ſeu *Beth-Chionia*, urbs apud Moſul, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Maphriano. 1575. 1576.
Beth-Cudida ſeu *Beth-Cudidia*, caſtrum regionis Niniviticæ, epiſcopatus ſub Maphriano Jacobitarum. *Ibid.*
Beth-Garme, *vide* Garme.
Beth-Manaëm, pagus regionis Tur-Abdinenſis, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitar. 1477. 1478.
Beth-Raman, urbs Niniviticæ regionis, olim *Beth-Razich* vel *Beth-Vazich* dicta, epiſcopatus ſub Maphriano Jacobitarum. 1577. 1578.
Beth-Saida, non illa quæ in Galilæa fuit, ſed Niniviticæ regionis civitas, epiſcopatus ſub Maphriano Jacobitarum. *Ibid.*
Biſuairia. 1603. C. D.

C

Cæſarea Cappadociæ I. metropolis, ſedes quoque metropolitica Jacobitar. ſub eorum Patriarcha. 1419. 1420.
Callinicus, urbs Meſopotamiæ in Oſrhoëne, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitar. 1477. 1478.
Calliſura, urbs Melitinæ vicina, ſedes epiſcopalis ſub Patriarcha Jacobitarum. 1479. 1480.
Caphartuta, urbs Meſopotamiæ, ſedes epiſcop. aliquando Mardenſi juncta, ſub Patriarcha Jacobitarum. 1481. 1482.
Carſabacha ſive *Sibabarcha*, aut *Sababarech*, fortaſſis *Chorſabia* Ptolemæi haud procul Tacrito, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitarum. 1481. 1482.
Carſena, urbs Cyrrheſticæ, apud Mabugum ſeu Hierapolim, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitarum. 1483. 1484.
Cartamina, cœnobium apud *Marden* Meſopotamiæ urbem, quacum aliquando in unum epiſcopatum coaluit ſub Patriarcha Jacobitar. *Ibid.*
Cephæ-Caſtellum ſive *Chipha*, *Haſan-Cepha*, *Heſn-Chipha*, & *Haſ-Caphi*, urbs Meſopotamiæ ad Tigrim, ſedes epiſcopalis aliquando *Maipheractæ* conjuncta ſub Patriarcha Jacobitarum. 1487. 1488.
Chabora ſive *Chaboras*, *Al-Chabur*, *Aboras*, urbs Meſopotamiæ juxta fluvium Chobar, epiſcop. aliquando conjunctus eccleſiis *Mardæ*, *Haran*, *Niſibis*, *Daræ*, *Caphartutæ*, & *Tel-Beſmes*, ſub Patriarcha Jacobitarum. 1485. 1486.
Charma, urbs in Perſide, vel ei vicina, epiſcopatus ſub Maphriano Jacobit. 1577. 1578.
Chiſiuna ſive *Ceſſunium*, urbs Syriæ inter Alepum & Edeſſam, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitarum. 1487. 1488.
Circeſium, oppidum Oſrhoënes, dictum quoque *Circeſum*, *Circeium*, *Carcaſin*, *Carcheſion*, & *Carchuſia*, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitarum. 1489. 1490.
Claudia, urbs Melitinæ proxima, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitarum. *Ibid.*
Conſtantia, *vide* Amida.
Cyprus inſula metropolitam habuit curam gerentem Jacobitarum ibi degentium ſub eorum Patriarcha. 1421. 1422.
Cyrus, caput regionis Cyrrheſticæ in Syria, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitarum. 1491. 1492.

D

Dair-Al-Akul, *vide* Akula.
Damaſcus, Phœniciæ Libaniſiæ metropol. ſedes metropolitica hujus regionis ſub Patriarcha Jacobitarum. 1423. 1424.
Dara ſive *Daras*, metropolis Jacobitarum aliquando unita eccleſiis *Mardæ*, *Niſibis*, *Haran*, *Chaboræ*, & *Caphartutæ*, ſub eorum Patriarcha. 1427. 1428.
Diarbechir, *vide* Amida.
Duſaria, *vide* Giaaphar.

E

Edeſſa, Oſrhoënes metropolis, ſedes quoque metropolitana Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1429. 1430.
Emeſa, urbs Phœnices ad auſtrum Apameæ, ſedes olim metropolitana Jacobitarum, nunc epiſcopo in Syria commoranti obnoxia ſub Damaſci metropolita in ditione patriarchali. 1441. 1442.
Eſeerd, *vide* Secred.
Euphemia, urbs Meſopotamiæ, dicta quoque *Euphedia*, & *Phœnia*, ſedes metropolitana Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. *Ibid.*

G

Gargar ſive *Carcar*, caſtrum, non longè à Melitina, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitarum. 1491. 1492.
Garme ſive *Beth-Garme*, *Bagerma*, & *Bet-Germe*, regio Aſſyriæ, in qua Jacobitis unus epiſcopus præerat ſub eorum Patriarc. 1493. 1494.
Gehon, regio eſt Ciliciæ juxta cognominem fluvium, Græcis Pyramum, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitarum. *Ibid.*
Germanicia ſive *Marhas*, & *Banicia*, urbs Euphrateſiæ, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1495. 1496.
Giaaphar ſive *Giaabar*, & *Duſaria*, caſtrum juxta Euphratem, epiſcopatus ſub Patriarcha Jacobitarum. 1497. 1498.
Gozarta ſive *Gazarta*, id eſt *inſula*, dicta quoque *Gozarta-Cardu*, *Cardoa*, *Carduchia*, *Gozarta Zebedæa*, *Gezira*, *Gezirat-Ebn-Omar*, *Bezabde*, *Bezabda*, *Zabdicene*, & *Gezerta*, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Maphriano. 1579. 1580.
Guha, urbs vicina Melitinæ, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1497. 1498.
Gulmarga, urbs prope Sigaram, epiſcopatus Jacobitar. ſub eorum Maphriano. 1481. 1482.
Guma ſive *Giuma*, & *Kavandan*, Antiocheni agri regio, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1499. 1500.
Gumal, urbs in regione Maragæ, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Maphriano. 1581. 1582.

H

Haa, caſtrum regionis Tur-Abdinenſis, epiſcopatus Jacobitar. ſub eorum Patriarcha. 1499. 1500.
Hadatha ſeu *Hadeth*, & *Haditha*, urbs Meſopotamiæ ad Euphratem, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1501. 1502.
Hadeth, urbs altera Meſopotamiæ ad Tigrim, epiſcopatus Jacobitar. ſub eorum Maphriano. 1581. 1582.
Haditha in Segeſtana, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Maphriano. 1583. 1584.
Haran ſive *Harran*, & *Charran*, urbs Meſopotamiæ, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1503. 1504.
Haret-Baret ſive Caſtrum *Zaidi*, aut *Heſna*, Armeniæ minoris oppidum, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1505. 1506.
Harnua ſive *Haram*, urbs Choraſanæ, epiſcopatus Jacobit. ſub eorum Maphriano. 1583. 1584.
Haſſaſſinis ſive *Haſſaſſa*, regio Tacritenſis ditionis: Haſſaſſinitidis autem incolæ, ex illa *Haſſaſſini*, *Aſſiſſini* vel *Haſſaſinitæ* nuncupabantur, quorum præſul Jacobitarum Maphriano ſuberat. *Ibid.*
Hatacha, urbs regionis Diar-Bechir, ſive Amidenſis in Meſopotamia, epiſcopatus Jacobitar. ſub eorum Patriarcha. 1507. 1508.
Heura, pagus Sarugenſis ditionis, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1507. 1508.
Heliopolis Syriæ, *vide* Baalbach.
Hemat, *vide* Apamea.
Hierapolis, *vide* Mabug.
Hieruſalem, ſimplex primùm epiſcopatus Jacobitarum, dein *archiepiſcopatus* titulo donatus, cujus præſul ſe etiam *Patriarcham* nuncupari ambivit, ſubditus nihilominus Antiocheno Jacobitarum Patriarchæ. 1443. 1444.
Hirta Naamanis, urbs Aſſyriæ, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Maphriano. 1585. 1586.

K

Kenneſrin ſive *Kenneſre*, *Kennaſrin*, nonnullis *Canſara*, & *Canſarinum*, urbs olim Syriæ, nunc pagus prope Alepum: epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1509. 1510.

L

Lacabena, urbs Melitinæ proxima, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1509. 1510.

M

Maadan, regio Meſopotamiæ, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1511. 1512.
Maalta ſive *Maaltaja*, pagus Meſopotamiæ apud Singaram, epiſcopat. ditionis Maphriani Jacobitarum. 1587. 1588.
Maara ſeu *Maarin*, epiſcopatus Niſibenſi primùm conjunctus in ditione ejuſdem Maphriani Jacobitarum. *Ibid.*
Mabug ſive *Hierapolis* Euphrateſiæ, quæ confundenda non eſt cum *Marhas* ſive *Germanicia*, ſedes metropolitana Jacobit. in ditione eorum Patriarchæ. 1445. 1446.
Maipheracta ſive *Maipherkin*, & *Martyropolis*, urbs Meſopotamiæ, ſedes metropolit. ditionis Patriarchæ Jacobitarum. 1447. 1448.
Malatia ſive *Melitina*, *Meletina*, & *Militana*, urbs celebris Armeniæ minoris, ſedes metropolitana ditionis ejuſdem Patriarchæ Jacobitarum. 1451. 1452.
Manſur-Caſtrum ſive *Heſn-Manſur*, apud Samoſatam, ſedes epiſcopalis Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1511. 1512.
Marda ſive *Mardæ*, *Mardin*, & *Mardi*

caſtrum

Digitized by Google

caſtrum Meſopotamiæ, urbs metropolitana Jacobitarum ſub illorum Patriarcha, qui in ea aliquandiu ſedem fixit. 1457. 1458.
Marga, pagus regionis Moſulanæ, ſedes epiſcopalis Jacobitarum in ditione eorum Maphriani. 1587. 1588.
Marhas, *vide* Germanicia.
Moallak, monaſterium ſub nomine S. Sergii, è regione Baladæ prope Tigrim, epiſcopatus in ditione Maphriani Jacobitarum. *Ibid.*
Mobadra, *vide* Secred.
Modiad, oppidum regionis Tur-Abdinenſis in Meſopotamia cis Tigrim, ſedes epiſcop. Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1513. 1514.
Moſul ſive *Mozal, Mauſel,* & *Nova-Ninive,* urbs Meſopotamiæ ad Tigrim, ſedes metropolitana Jacobitar. in ditione eorum Maphriani. 1559. 1560.

N

Natapha, *vide* Zapharanum.
Niſibis, olim *Achar* ſeu *Achad,* dicta etiam *Soba, Nuſibis, Neſibis,* & *Antiochia Mygdoniæ,* ſedes epiſcopalis Jacobitar. in ditione eorum Maphriani. 1589. 1590.
Nuhadra ſive *Beth-Nuhadra,* & *Benihudra,* olim verò *Nearda, Neerda,* & *Naarda,* urbs in confinio Meſopotamiæ & Babyloniæ, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Maphriano. 1591. 1592.

P

Palmyra, *vide* Thadmor.
Perrha ſeu *Perri, Perre, Parin,* & *Pharin,* oppidum Euphrateſiæ, epiſcopatus Jacobitar. ſub eorum Patriarcha. 1513. 1514.
Phamia, *vide* Euphemia.
Pheroz-Sapor ſive *Anbara,* ad Euphratem, ſedes epiſcopalis Jacobitarum in ditione eorum Maphriani. 1593. 1594.
Ptolemaïs, *vide* Aco.

R

Reſaïna ſive *Reſæna, Reſina, Riſina, Rheſina,* & *Raſ-Ain,* id eſt *caput fontis* ſeu *fontium,* qui ibi frequentes exſtant, urbs Meſopotamiæ, & epiſcopatus Jacobit. ſub eorum Patriarcha. 1513. 1514.
Reſchipha, oppidum Meſopotamiæ, ſedes epiſcopalis Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1515. 1516.
Roabanum, oppidum Euphrateſiæ, ſedes epiſcopalis Jacobit. ſub ditione præfati Patriarc. *Ibid.*

S

Salacha, oppidum Meſopotamiæ in regione Tur-Abdinenſi, epiſcopatus Jacobitar. ſub eorum Patriarcha. 1515. 1516.
Samoſata, urbs celebris Comagenæ ad Euphratem, metropolis Jacobitica in ditione eorum Patriarchæ. 1461. 1462.
Sarug, regio Meſopotamiæ, in qua urbs *Batna,* dicta quoque aliquando *Sarug* vel *Batna Sarugi:* epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1517. 1518.
Saura, oppidum Meſopotamiæ prope Amidam, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1519. 1520.
Sciaharzul ſive *Sciahrazur,* urbs Aſſyriæ, epiſcopatus Jacobitarum in ditione eorum Maphriani. 1593. 1594. ubi *lin.* 5. exponitur quid ſint *Paraſangæ* Perſarum.
Secred ſive *Seert, Eſeerd,* & *Mobadra,* urbs Meſopotamiæ, ſedes epiſcopalis Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1519. 1520.
Segeſtana, urbs Choraſanæ regionis, epiſcopatus Jacobitar. in ditione eorum Maphriani. 1593. 1594.
Semcha ſive *Semaha,* urbs vicina Melitinæ, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1519. 1520.
Sibabarcha ſive *Sababarech,* epiſcopatus Jacobitarum in Meſopotamia, ſub ditione ejuſdem Patriarchæ. *Ibid.*
Sigara ſive *Singara,* & *Sengiar,* urbs Meſopotamiæ, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Maphriano. 1595. 1596.
Sis, urbs Ciliciæ, ſedes Regis & Patriarchæ Armenorum, epiſcopatus quoque Jacobiticus in ditione patriarchali. 1521. 1522.
Soba, *vide* Niſibis.
Suphrin, *vide* Aſpharinum.
Synnada ſive *Synnada,* urbs Phrygiæ, ſedes metropolitana Jacobit. ſub eorum Patriarcha. 1463. 1464.

T

Taalabenſes, populus Arabiæ, epiſcopum habuerunt Maphriano Jacobitarum obnoxium. 1597. 1598. ubi *lin.* 13. quid ſit *Schœnus* exponitur.
Tagrit ſive *Tegrit,* & *Tacritum,* urbium Meſopotamiæ versùs Aſſyriam poſtrema, epiſcopatus Jacobitar. ſub eorum Maphriano. *Ibid.*
Tarach ſive *Talach,* & *Tahal,* urbs Garmæorum, ſedes epiſcopalis Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1521. 1522.
Tarſus, Ciliciæ primæ metropolis, ſedes quoque metropolitica Jacobitar. ſub eorum Patriarcha. 1465. 1466.
Tauriz ſive *Tabriz, Teuriz, Tebriz,* quam multi exiſtimant fuiſſe *Echbatanam* Mediæ, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Maphriano. 1599. 1600.
Tela ſive *Tela-Mauzalat,* oppidum Meſopotamiæ haud procul ab Euphrate, epiſcopatus Jacobitarum ſub eorum Patriarcha. 1521. 1522.
Tela, Arſaniæ urbs, ad Arſaniam fluvium Armeniæ ſita, epiſcopatus Jacobitarum in ditione patriarchali. 1523. 1524.
Tel-Aphar, caſtrum Meſopotamiæ inter Singaram & Moſul, epiſcopatus Jacobitarum in ditione eorum Maphriani. 1601. 1602.
Tel-Baſer, caſtrum Syriæ, epiſcopat. Patriarchæ Jacobitarum ſubditus. 1623. 1624.
Tel-Beſme ſive *Tela-d-Beſine* aut *Tel-Beſmai,* id eſt, *collis aromatum,* caſtellum haud procul ab urbe Marda, epiſcopatus ſub ditione Patriarchæ Jacobitarum. 1525. 1526.
Tel-Patricia, caſtrum circa Melitinam, ſedes epiſcopi Jacobitæ ſub illorum Patriarcha. *Ibid.*
Thadmor ſive *Palmyra,* Syriæ urbs, cui præerat *Joannes* epiſcopus Monophyſita, anno 518. in exilium miſſus. *Ibid.*
Theodoſiopolis, urbs Armeniæ ad dextram Euphratis, quam adminiſtrabat an. 533. præſul Monophyſita. *Ibid.*
Tripolis, urbs celebris Phœnices maritimæ, ſedes epiſcopalis Jacobitarum, cujus præſul ut plurimùm commoratur Damaſci, & eorum Patriarchæ ſubeſt. 1527. 1528.
Tur-Abdin, id eſt, *mons Abdinus* ſive *Tur* ſimpliciter, regio cis Tigrim, primùm uni epiſcopo Jacobitæ obnoxia; ſed in ea deinde conſtituti ſunt alii epiſcopi, puta *Salachæ, Beth-Manaem,* &c. præſertim poſt diviſam ſchiſmate Tur-Abdinenſi eccleſiam Jacobiticam. *Ibid.*

V

Urima, urbs Meſopotamiæ, ſedes epiſcopalis ſub Patriarcha Jacobitarum. 1529. 1530.
Urmia ſive *Ormi,* urbs in montanis Perſiæ ad Armeniæ majoris confinia, ſedes epiſcopalis in ditione Maphriani Jacobitar. 1601. 1602.

Z

Zabatra ſive *Zabar,* Caſtrum Syriæ, epiſcopatus in ditione Patriarchæ Jacobit. 1529. 1530.
Zaïd, *vide* Haret-Baret.
Zapharanum, celebre Jacobitarum cœnobium, dictum etiam *Nataphæ* aut *Natphæ,* & *S. Ananiæ,* haud procul ab urbe Marda, epiſcopatus in ditione illorum Patriarchæ. 1531. 1532.
Zeugma, Syriæ Euphrateſiæ oppidum, epiſcopatus ſub Jacobitarum Patriarcha. *Ibid.*

Series Patriarcharum Sectæ Jacobiticæ Antiochenæ ſedis, eo ordine quo ſederunt.

I. Severus I. ſedis Antiochenæ invaſor, eo ſenſu dictus primus Jacobitarum Patriarcha, quod huic in ea ſede ſucceſſiſſe Patriarchas ſuos Jacobitæ effutiant. 1357. B. *Vide etiam inter Patriarchas Antiochenos.* 730. D.
II. Sergius, qui etiam fortaſſis *Theophanes* aut *Theophilus* nuncupatus fuerit, Telæ ſeu Conſtantinæ in Oſrhoëne preſbyter, Severi proximus ſucceſſor, à Joanne Anazarbi epiſcopo ordinatus, ſedit tres annos. 1357. C.
III. Paulus, Sergio defuncto ſuffectus eſt à *Jacobo* illo *Zanzalo* ex quo Monophyſ. Orientis inditum *Jacobitarum* nomen, qui tamen poſtmodum in eundem Paulum depoſitionis ſententiam tulit, eò quod, dum Conſtantinopoli degeret, concilium Chalcedonenſe amplexus fuerat; ſed morte impedito Jacobo an. Chriſti 578. ne alium ipſi ſubſtitueret, Conſtantinopolim fugit Paulus ejurata fide Chalcedonenſi, ibique latens per quatuor annos, ſectatores habuit *Paulianiſtas* dictos. 1358. B.
IV. Petrus, cognominatus *Junior,* ut ſecerneretur à *Petro Cnapheo* aut *Fullone* ſedis Antiochenæ invaſore, Paulo depoſito ſubrogatus eſt anno 578. ab epiſcopis & monachis Jacobitis in cœnobio Ananiæ. Celebrem diſputationem habuit cum *Damiano* Alexandrino Coptarum Patriarcha, de SS. Trinitate, unde *Petritarum* & *Damianitarum* ſectæ. Obiit an. Chriſti 591. 1359. C.
V. Julianus I. Petrum excepit, ſeditque annos tres cum tribus menſibus. 1360. E.
VI. Athanaſius I. cognomento *Camelarius,* patria Samoſatenſis, cœnobii Kenſerinenſis alumnus, hæreſis Monotheliticæ anteſignanus qui eam Heraclio Imperat. propinavit in colloquio an. 628. cum eo Hierapoli habito, ordinatus dicitur, ab aliis quidem anno Græcorum 906. Chriſti 595. ab aliis verò biennio poſt, à Dionyſio demùm anno Græcor. 915. Chriſti 604. Obiit anno Chriſti 631. 1361. C.
VII. Joannes I. cognomento *Sedrarum,* electus an. Chriſti 631. ſedit annos 18. fato functus anno Græcor. 960. Chriſti 649. 1363. C.
VIII. Theodorus, præfuit annos 18. mortuus anno Græcorum 978. Chriſti 667. *Ibid.* D.
IX. Severus II. cognomento *Bar-Maske,* ordinatus anno Græcor. 979. Chriſti 668. obiit anno Chriſti 680. *Ibid.* E.
X. Athanaſius II. electus anno Græcorum 995. Chriſti 684. obiit an. Chriſti 687. 1364. B.
XI. Julianus II. cognomento *Roumoia* ſive *Romanus,* id eſt, *miles,* quia militis filius, ordinatus anno Græcor. 999. Chriſti 687. obiit anno Chriſti 708. *Ibid.* D.
XII. Elias, electus anno Græcor. 1022. Chriſti 710. obiit anno Græc. 1034. Chriſti 722. 1365. A.
XIII. Athanaſius III. ordinatus menſe Aprili anni Græcorum 1035. Chriſti 723. obiit anno Græcor. 1051. Chriſti 740. 1366. B. ubi *lin.* 14. C. pro 729. legendum eſt 740.
XIV. Joannes II. annos 16. incompletos ſedit, mortuus anno Græcorum 1066. Chriſti 754. menſe Octobri. 1366. C.
XV. Iſaac, eodem anno Joannem excepit, anno ſeq. juſſu Abugiafari Califæ occiſus. 1367. A.
XVI. Athanaſius IV. cognomento *Sandalenſis,* qui electionis Joannis II. per fraudem auctor fuerat, & ab eo deinde defecerat, Iſaaco ſuffectus eſt opera præfati Califæ: periit autem anno Græcorum 1070. Chriſti 759. à Jacobitis Harranitis noctu ſuffocatus. 1366. D. & 1368. E.
XVII. & XX. Georgius bis præfuit, primùm quidem electus anno Græcor. 1070. Chriſti 759. ſed orto poſtea ſchiſmate, dejectus eſt à Meſopotamenis epiſcopis, qui *Joannem Callinici* præſulem ipſi ſuffecerunt, poſt cujus mortem, tum opera *Davidis* Daræ epiſcopi, qui ejus ſedem invaſit, tum Abugiafari Almanſoris Califæ auctoritate per 9. annos carceri incluſus fuit, deinde tandem reſtitutus, mortuo iſto Califa, ipſe obiit an. Græc. 1101. Chriſti 789. in regione Claudiæ. 1369. B.
XVIII. Joannes ſupra memoratus, qui ſedem tenuit quatuor annos. *Ibid.* D.
XIX. David intruſus, de quo pariter ſupra. *Ibid.*
XXI. Joſeph, ſedit annum unum cum dimidio, mortuus anno Græcor. 1103. Chriſti 791. menſe Januario. 1370. D.
XXII. Cyriacus, conſecratus Patriarcha menſe Aug. anni Græcorum 1104. Chriſti 792. obiit in urbe Moſul die 19. Aug. anni Græc. 1128. Chriſti 816. *Ibid.* E.
Abraham, Antipatriarcha ab epiſcopis & Gubenſibus monachis quos Cyriacus communionis extorres fecerat, conſtitutus, adverſus ipſum & Dionyſium ſucceſſorem ejus ſedit uſque ad annum Græcorum 1148. Chriſti 836. quo obiit. 1372. A. *lin.* 2. & 1373. A. *lin.* 5.
XXIII. Dionyſius I. cognomento *Telmarenſis,* cujuſdam Chronici auctor, Cyriacum excepit kalendis Aug. anni Græc. 1129. Chriſti 817. Is Abrahamum patriarchalibus indumentis nudavit, nec tamen ceſſavit ſchiſma. Sedit annos 27. mortuus anno Græcorum 1156. Chriſti 845. die 22. Auguſti. 1372. E.

Simeon, præfati Abrahami Antipatriarchæ frater, ipſi ſuffectus eſt à Schiſmaticis adverſus Dionyſium. *1373*. C. *lin.* 23.

XXIV. Joannes III. ordinatus anno Græcorum 1158. Chriſti 846. die 21. Nov. deceſſit in urbe Rheſina anno Græcor. 1185. Chriſti 873. menſe Decembri. *1374*. B.

Zebinas, Joannis diſcipulus, Haſſaſſinitis præfuit, ab iis conſtitutus Patriarcha his temporibus. *1375*. A. *lin. 3*.

XXV. Ignatius I. quùm poſt obitum Joannis III. ſedes Jacobitica vacaſſet annos tres cum dimidio, in Patriarcham conſecratus eſt die 5. Jun. anni Græcorum 1189. Chriſti 877. obiit autem die 26. Martii anni Græcorum 1194. Chriſti 882. *1375*. B.

XXVI. Theodoſius, cognomento *Romanus*, an. Græcorum 1198. Chriſti 886. die 3. Febr. præfectus eſt ſedi à quatuor annis vacanti, & è vivis exceſſit anno Græcorum 1207. Chriſti 895. kalendis Junii. *Ibid.* C.

XXVII. Dionyſius II. ordinatus menſe Aprili anni Græcor. 1208. Chriſti 896. obiit anno Græcorum 1220. Chriſti 908. die 16. Apr. *Ibid.* E.

XXVIII. Joannes IV. ordinatus anno Græcor. 1221. Chriſti 909. vel 910. obiit anno Græcorum 1234. Chriſti 922. menſe Nov. *1376*. B.

XXIX. Baſilius I. Joanni ſuffectus anno ſequente die 15. Auguſti, migravit ex hac vita anno Græcor. 1246. Chriſti 935. die 25. Martii. *Ibid.* D.

XXX. Joannes V. ordinatus die 28. Aug. anni Græcorum 1247. Chriſti 936. obiit anno Græcorum 1267. Chriſti 956. die 13. Jul. *Ibid.* E.

XXXI. Joannes VI. eodem anno conſecratus, ſedit annos duos & decem menſes. *1377*. A.

XXXII. Dionyſius III. ordinatus die 28. Nov. anni Græcor. 1269. Chriſti 958. obiit anno Græcorum 1272. Chriſti 960. die 2. Junii. *Ibid.* C.

XXXIII. Abraham, conſecratus in Patriarcham anno Græcorum 1273. Chriſti 961. die 25. Maii, præfuit novem menſibus. *Ibid.* E.

XXXIV. Joannes VII. cognomento *Sarighta*, ordinatus anno Græcor. 1276. Chriſti 964. die 9. Julii, quùm ſedes vacaſſet annos duos, obiit an. Græc. 1296. Chriſti 985. *Ibid.*

XXXV. Athanaſius V. cognomento *Salachenſis & Lazarus*, ordinatus anno Græcor. 1298. Chriſti 987. die 21. Octobr. obiit an. Græcorum 1314. Chriſti 1003. *1379*. E.

XXXVI. Joannes VIII. cognomento *Abdon*, electus eſt Patriarcha anno Græcorum 1315. Chriſti 1004. die 4. Julii, obiit verò anno Græcorum 1344. Chriſti 1033. die 2. Febr. præfecturæ 29. *1380*. B. C.

XXXVII. Dionyſius IV. cognomento *Haie*, electus in Patriarcham anno Græcor. 1345. Chriſti 1034. obiit Amidæ, ubi ſedem fixerat, anno Græcorum 1355. Chriſti 1044. decimo regiminis anno. *1383*. D.

XXXVIII. Joannes IX. cognomento *Theodorus*, Joannis VIII. ex fratre nepos, electus anno Græcorum 1360. Chriſti 1049. menſe Aug. quùm huc uſque ſedes vacaſſet, deceſſit anno Græcorum 1369. Chriſti 1058. *1384*. B.

XXXIX. Athanaſius VI. cognomento *Haie*, ordinatus eſt eodem anno ab epiſcopis occidentalibus ſeu regionis Ciſeuphratenſis, in cœnobio Phares regionis Heſen-Manſur, electo interim ab orientalibus epiſcopis *Joſue Barſuſan* Joannis IX. ſyncello & diſcipulo, qui *Joannis* nomen aſſumpſit, & paulo poſt nuntium remiſit dignitati: Athanaſius verò à Græcis comprehenſus anno Græcorum 1375. Chriſti 1064. obiit eodem an. in urbe Arca, quùm Conſtantinopolim duceretur. *Ibid.* D.

XL. Joannes X. qui fuit *Joſue Barſuſan* modò memoratus, Athanaſio defuncto ſuffectus an. Chriſti 1064. obiit Amidæ anno Græcorum 1384. Chriſti 1073. *1385*. B.

XLI. Baſilius II. ordinatus menſe Januario anni Græcorum 1385. Chriſti 1074. obiit anno ſequente in urbe Maipherakin. *Ibid.* D.

XLII. Joannes XI. cognomento *Abdon*, ſedem invaſit ab anno Græc. 1386. Chriſti 1075. uſque ad annum Græc. 1403. Chriſti 1092. quo obiit. Interim autem epiſcopi, impetratâ muneribus à Philarto militiæ Armenorum præfecto licentiâ eligendi in Patriarcham quemcunque vellent, quatuor ſucceſſive Abdoni oppoſuerunt, ſcilicet *Dionyſium*, *Joannem*, alterum *Dionyſium*, & *Athanaſium*. *1386*. A.

XLIII. Dionyſius V. cognomento *Lazarus*, ordinatus anno Græcor. 1388. Chriſti 1076. aut 1077. fer. 6. ante domin. Palmar. ſedit annum unum. *Ibid.* B.

XLIV. Joannes XII. quùm ſupra memoratus Joannes Abdon patriarcham egiſſet per ſeptennium à Dionyſii obitu, electus eſt adversùs ipſum anno Græcorum 1397. Chriſti 1086. ſeditque annum unum cum dimidio. *Ibid.* D.

XLV. Dionyſius VI. qui prius *Marcus* appellabatur, electus adversùs Abdonem an. Græcor. 1399. Chriſti 1088. ſedit annum unum & menſes ſeptem, mortuus anno Græcorum 1401. Chriſti 1090. *1386*. E.

XLVI. Athanaſius VII. cognomento Abulpharagius *Bar-Chamore*, conſecratus eſt die prima Decembr. anni Græc. 1402. Chriſti 1090. aut 1091. quùm per 9. menſes reluctaſſet. Is Joannem Abdonem anno Græcorum 1403. Chriſti 1092. fato functum cum pœnitentiæ illati ſchiſmatis ſignis, coacta ſynodo, anathemate abſolvit. Sedit ipſe annos 38. mortuus anno Græcorum 1440. Chriſti 1129. die 8. Junii. *1387*. B.

XLVII. Joannes XIII. cognomento *Bar-Maudiana*, conſecratus die 17. Februarii anni ſeq. ſedit octo annos. *Ibid.* E.

XLVIII. Athanaſius VIII. prius *Joſue Barchetre*, ordinatus die 4. Decembr. anni Græcor. 1450. Chriſti 1139. obiit anno Græc. 1477. Chriſti 1166. menſe Jul. *1388*. B.

XLIX. Michael I. cognomento *Magnus*, ordinatus eodem anno die 18. Octobr. obiit anno Græcor. 1511. Chriſti 1199. die 7. Nov. *1389*. A.

L. Athanaſius IX. cognomento *Saliba-Calvus*, electus per ſortem die 16. Decemb. anni præfati, obiit an. Græcor. 1518. Chriſti 1207. *1391*. C.

LI. Michael II. *Junior* dictus, prius verò *Joſue Labeo*, à Gregorio Maphriano fratre ſuo adverſus Athanaſium conſecratus, & deliteſcere coactus dum ille vixit, ipſo mortuo invaſit ſedem. Obiit anno Græcorum 1526. Chriſti 1215. *Ibid.*

LII. Joannes XIV. prius *Joſue*, ſcriba, adverſus Michaelem Juniorem, Athanaſio defuncto, electus an. Chriſti 1208. ſolus poſt Michaelis mortem præfuit uſque ad annum Græcorum 1531. Chriſti 1220. quo ipſe fato functus eſt. *Ibid.* E.

LIII. Ignatius II. prius *David*, ex Maphriano in Patriarcham promotus anno Græc. 1533. Chriſti 1222. obiit anno Græcorum 1564. Chriſti 1253. die 14. Junii. *1392*. E.

LIV. Dionyſius VII. qui & *Aaron Angur*, ex Melitinæ epiſcopatu ad ſedem patriarchalem tranſlatus eodem anno die 14. Septembris, occiſus periit anno Græcorum 1572. Chriſti 1261. die 18. Februarii. *1295*. B.

LV. Joannes XV. cognomento *Aaron Bar-Maadani*, Maphrianus, adverſus Dionyſium ſe erigens, ſedem patriarchalem invaſit die 4. Decembr. tertio menſe poſt ejuſdem Dionyſii promotionem: ſolus præfuit poſt Dionyſii obitum uſque ad annum Græcor. 1574. Chriſti 1263. quo è vivis migravit. *Ibid.* C.

LVI. Ignatius III. prius *Joſue*, electus anno ſequente, & in feſto Epiphaniæ conſecratus, obiit anno Græcorum 1593. Chriſti 1282. die 17. Novembr. *1396*. C.

LVII. Ignatius IV. qui & *Philoxenus Nemrod*, promotus eſt an. ſequente die 2. Februarii. Is probabiliter fuit quem Nicolaus IV. Papa ad Romanam fidem & communionem amplectendam hortatus eſt, apud Raynald. ad ann. 1289. *num.* 56. Obiit anno Græcor. 1603. Chriſti 1292. *1396*. E.

LVIII. Ignatius V. ſive primus Patriarcharum Mardenſium, prius dictus *Nicolaus Bader-Zacha*, & *Joſeph Bar-Vahib*, ex Mardenſi epiſcopo promotus die prima Januarii anni Græcor. 1604. Chriſti 1293. Ignatius voluit appellari, quod poſtea imitati ſunt cæteri Patriarchæ. Obiit anno Græcor. 1644. Chriſti 1333. die 19. Aprilis. *1397*. C. Sub eo ſchiſma ortum inter Jacobitas, quibus tres ſimul Patriarchæ præfuere, ſcilicet, præter nunc memoratum, qui ſedem Mardæ fixit,

Ignatius, aliàs *Michael Barſuma*, qui ab epiſcopis occidentalibus Jacobitis adverſus alterum Ignatium electus, dictus eſt *Patriarcha Siſidis*, in ea urbe Ciliciæ ſedens, & paulo poſt obiit. *1397*. D. &

Ignatius, prius *Conſtantinus*, Melitinæ epiſcopus, qui, quùm eodem tempore *Patriarchæ Syriæ* titulum ſibi ſumpſiſſet, obiit anno Chriſti 1349. Duravit autem ſchiſma iſtud uſque ad annum Chriſti 1394. *Ibid.* E.

LIX. Ignatius VI. aliàs II. Mardenſis Patriarcha, prius *Iſmaël Magedus*, ex epiſcopo Amidæ Ignatio V. ſuffectus anno Græcorum 1643. Chriſti 1332. obiit anno Græcorum 1676. Chriſti 1365. die 4. Jun. *1398*. B. Interim

Ignatius, qui & *Michael II.* anno Chriſti 1313. Siſidis Patriarcha creatus, ſedit 36. annos, mortuus anno Græcor. 1660. Chriſti 1349. *Ibid.* D.

Ignatius, prius *Baſilius Philoxenus*, antiſtes Damaſci, Ignatio Conſtantino Patriarchæ Syriæ dicto ſubſtitutus poſt ejus mortem eodem an. Chriſti 1349. ut iſtius, ſic & Michaëlis II. diœceſes obtinuit. *1398*. E. Quùm autem tunc duo ſederent Jacobitar. Patriarchæ, nullo Michaëli II. ſubſtituto, hoc tempore tertius ſurrexit, nempe

Ignatius I. Salachenſis epiſcopus, dictus *Baſilius Saba*, à Tur-Abdinenſibus epiſcopis adverſus Ignatium VI. electus eſt anno Græc. 1675. Chriſti 1364. die 6. Auguſti, primus Patriarcha Tur-Abdinenſium, qui Salachæ in cœnobio ſancti Jacobi ſedem fixit, deſiit verò vivere anno Græcorum 1700. Chriſti 1399. *1399*. B. *&* *1400*. A.

LX. Ignatius VII. aliàs III. Mardenſis Patriarcha, prius *Sciaat* dictus, Ignatio VI. ſuffectus anno Græcorum 1676. Chriſti 1365. ſedit ſexdecim annos, mortuus anno Græc. 1692. Chriſti 1381. menſe Januar. *1399*. D. Ejus tempore exceſſit è vivis *Baſilius Philoxenus* Patriarc. Syriæ Conſtantini ſucceſſor, in cujus locum aſſumptus eſt

Baſilius Gabriel, qui obiit anno Græcorum 1698. Chriſti 1387. *1400*. A.

LXI. Ignatius VIII. aliàs IV. Mardenſis Patriarcha, prius *Abraham & Cyrillus Bar-Garib*, epiſcopus Amidæ, Ignatium VII. excepit an. Chriſti 1381. & obiit anno Græcor. 1723. Chriſti 1412. *1399*. E. Sub eo poſt mortem Baſilii Gabriëlis anno Chriſti 1387. in Patriarcham Syriæ electus eſt

Philoxenus epiſcopus Damaſci, qui deceſſit anno Chriſti 1421. *1400*. A. *&* D. Poſt Ignatium verò I. Tur-Abdinenſem mortuum anno Chriſti 1399. præfuit anno ſeq. electus

Ignatius II. dictus *Joſue*, Mutæ Medenſis filius, cui gubernatoris Heſnæ-Cephæ operâ depoſito, ſuffectus eſt anno Chriſti 1417. à Tur-Abdinenſibus *1400*. A. C.

Ignatius III. *Maſudus*, qui tribus poſt annis veneno ſublatus eſt. *Ibid.*

LXII. Ignatius IX. aliàs V. Patriarcha Mardenſis, prius *Behenam* dictus, ex Maphriano aſſumptus eſt an. Græcor. 1723. Chriſti 1412. Is fuit quem Eugenius IV. Papa teſtatur fidem & unionem Florentinam amplexum, *tom. 13. Conc. Labb. col. 1223*. Obiit anno Græcor. 1766. Chriſti 1455. *1400*. B. *&* E. Sub eo Philoxenum Patriarcham Syriæ, mortuum anno Chriſti 1421. excepit. *Ibid.* D.

Baſilius *Simeon*, Manemita, epiſc. Cargar, qui obiit anno Chriſti 1445. Tunc vero extinctum eſt ſchiſma quo inter tres Patriarchas, Mardæ, Ciliciæ ſive Siſenſem, & Syriæ, eccleſia Jacobit. prius diviſa fuerat: ſed adhuc perſtitit ſchiſma Tur-Abdinenſium. *Ibid.* E. *&* *1401*. A. Ignatio enim III. ipſorum Patriarchæ mortuo ſucceſſit

Ignatius IV. prius *Henoch Inuardenſis* & electus, epiſcopus cœnobii Cartamînenſis, electus anno Chriſti 1421. qui anno Chriſti 1445. obiit. *1400*. D. E. in cujus locum ab iiſdem ſuffectus eſt

Ignatius V. dictus *Cuma Philoxenus*, qui anno Chriſti 1445. promotus, vivere deſiit anno Chriſti 1456. *1400*. E.

Digitized by Google

LXIII. Ignatius X. aliàs VI. Patriarcha Mardæ, prius *Chaleph Maadanenſis*, ex epiſcopo Gozartæ promotus anno Græcor. 1766. Chriſti 1455. obiit anno Græcorum 1795. Chriſti 1484. *1401*. E. Sub eo Ignatium V. Tur-Abdinenſem Patriarcham excepit

Ignatius VI. dictus *Joſue Baſilius* Inuardenſis, anno Chriſti 1456. qui obiit anno Chriſti 1461. *Ibid*. Illi autem eodem anno ſubſtitutus eſt

Ignatius VII. prius *Azizus Philoxenus Bar-Sapta*, epiſcopus Haæ, poſt cujus mortem an. Chriſti 1481. à Tur-Abdinenſibus in duas factiones diviſis, duo electi ſunt. *1402*. A. ſcilicet

Ignatius VIII. dictus *Saba*, Arabum epiſcopus, qui in cœnobio Salachæ commoratus eſt. *Ibid*. C. &

Ignatius IX. dictus *Joannes Inuardenſis*, qui ſedit in cœnobio quodam pagi Modiadenſis. *Ibid*. C.

LXIV. Ignatius XI. aliàs VII. prius *Joannes Bar-Sila, & Ananias Xenaias* dictus, renuntiatus Patriarcha Mardenſis anno Græcorum 1795. Chriſti 1484. obiit die 24. Septemb. anni Græc. 1804. Chriſti 1493. *1402*. D.

LXV. Ignatius XII. aliàs VIII. prius *Noë* dictus, Bacuphenſis Libaniota, epiſcopus Emeſæ, deinde Maphrianus, poſtmodum Patriarcha Mardenſis electus ineunte anno Chriſti 1494. non obiit ante ann. Chriſti 1508. *1403*. A. *Vide 1537*. E. ubi retractatur quod dictum fuerat ipſum promotum fuiſſe ad patriarchatum an. Chriſti 1492. Sub eo Tur-Abdinenſium Patriarcha poſtremus

Ignatius X. dictus *Maſudus*, finiendi ſchiſmatis causâ dignitatem ſuam dimiſit, & in monaſterium quoddam ſe recepit anno Græcor. 1805. Chr. 1494. Sic autem extincto 130. annorum ſchiſmate, unus deinceps cunctis Jacobitis Syriæ Patriarcha Mardenſis præfuit. *1403*. B.

LXVI. Ignatius XIII. aliàs IX. dictus *Joſue ex caſtro Kelat*, poſt obitum Ignatii XII. electus, Saracenorum ſectam amplexus eſt; ſed talem deinde hujus ſceleris pœnitentiam publicè fecit, ut ſuæ dignitati fuerit reſtitutus. *1404*. A.

LXVII. Ignatius XIV. aliàs X. dictus *Jacobus Damaſcenus, & Nehemet-Alla*, ſedebat an. Chriſti 1562. quo Pius IV. Papa ad eum litteras dedit, apud Raynaldum ſub hoc anno, *num*. 31. *Ibid*. B.

LXVIII. Ignatius XV. aliàs XI. dictus *David Maadanenſis*, Ignatii Jacobi frater, à Gregorio XIII. Papa pallium recepit per Leonardum Abel epiſcopum Sidonienſem an. Chriſti 1583. *1405*. E.

LXIX. Ignatius XVI. aliàs XII. dictus *Abdalla ex caſtro Heſna Attæ*. *1406*. B.

LXX. Ignatius XVII. aliàs XIII. Mardenſis, perperam ab anonymo dictus *Nehemet-Alla*. *Ibid*. B. C.

LXXI. Ignatius XVIII. aliàs XIV. dictus *David-Sciah*, ſedebat anno Græcor. 1901. Chriſti 1589. aut 1590. menſe Decembri. *Ibid*. C. D.

LXXII. Ignatius XIX. aliàs XV. dictus *Pilatus ex Manſuria*. *Ibid*. E.

LXXIII. Ignatius XX. aliàs XVI. dictus *Abdalgani*, præcedentis frater. *Ibid*.

LXXIV. Ignatius XXI. aliàs XVII. dictus *Petrus Hodaie* ſive *Hudaia*, ſedebat die 8. Julii anni Græcorum 1933. Chriſti 1622. *1407*. A.

LXXV. Ignatius XXII. aliàs XVIII. dictus *Abdelmeſſias*. *Ibid*. C.

LXXVI. Ignatius XXIII. aliàs XIX. dictus *Simeon*, fidem catholicam amplexus, multos Jacobitas ad eam traxit. *Ibid*.

LXXVII. Ignatius XXIV. aliàs XX. dictus *Andreas Achigia, filius Abdalgal*. *Ibid*.

LXXVIII. Ignatius XXV. aliàs XXI. dictus *Petrus*, ob fidem catholicam à Jacobitis in exilium pulſus, Adanæ obiit an. Chr. 1702. die 4. Martii. *Ibid*.

LXXIX. Ignatius XXVI. aliàs XXII. dictus *Georgius*, Jacobiticis erroribus addictus, ſedebat anno Chriſti 1706. *1408*. A. B.

LXXX. Ignatius XXVII. aliàs XXIII. dictus *Iſaac*, Alepi ſedebat anno Chriſti 1716. *Ibid*. C.

Patriarchæ quidam dicti Alepenſes.

Andreas *Achigian*, Jacobitarum Patriarcha, ad fidem catholicam converſus cum pluribus ejuſdem ſectæ aſſeclis RR. PP. Capucinorum operâ poſt annum 1646. Alepi ſedem fixit. *1407*. D.

Abdel-Meſſias, Jacobita, Andrea defuncto ſedem Alepenſem invaſit, ex qua dejectus eſt poſt quintum menſem. *1408*. D.

Gregorius *Petrus*, Orthodoxus, Abdel-Meſſiam excepit de conſenſu Aulæ Turcicæ, per interventum Oratoris Regis Chriſtianiſſimi. *Ibid*. E.

Ignatius *Petrus*, Gregorii ſucceſſor, duas epiſtolas ſcripſit ad Chriſtianiſſimum Regem Ludovicum XIV. de ſua ad Romanam communionem acceſſione, quarum ſecunda Alepi data eſt an. Chriſti 1678. die 14. Novembr. *1409*. B.

Stephanus, Patriarcha, calumniis oppreſſus ab hæreticis Jacobitis ob fidem catholicam, in arce Adanenſi detinebatur anno 1706. cum tribus aliis epiſcopis. *1410*. A.

Petrus, filius Joannis Miſthæ, Collegii Romani de Propaganda Fide alumnus, Alepi ſedebat anno 1733. *Ibid*. B.

Series Maphrianorum Eccleſiæ Jacobiticæ, eo ordine quo ſederunt.

I. Achudemes, à Jacobo Baradæo Zanzalo ordinatus Orientis metropolita an. Græcor. 870. Chriſti 559. juſſu Choſroïs Perſarum regis capite truncatus eſt anno Græcorum 886. Chriſti 575. die 2. Auguſti. *1533*. A.

II. Kamjeſu, tertio poſt Achudemis cædem an. Chriſti 578. metropolita Orientis inſtitutus, obiit an. Græc. 920. Chriſti 609. *1534*. A.

III. Samuel, anno Græcor. 925. Chriſti 614. quinto poſt prædeceſſoris obitum ordinatus Orientis metropolita, exceſſit è vivis anno Græcorum 935. Chriſti 624. *Ibid*. B.

IV. Maruthas, ordinatus Orientis metropolita anno Græcorum 940. Chriſti 629. Sedem fixit in Tagrito urbe, hinc primus *Maphrianorum* Tagritenſium cenſitus, obiit anno Græc. 960. Chriſti 649. die 2. Maii. *Ibid*.

V. Denha I. eodem anno ordinatus Maphrianus à Theodoro Patriarcha Jacobitarum, obiit die 3. Nov. anni Græcorum 970. Chriſti 659. *1536*. D.

VI. Barjeſu, ordinatus Maphrianus à Severo *Bar-Maſche* Patriarcha, anno Græcor. 980. Chriſti 669. poſtquam ſedes illa vacaſſet decem annos, obiit anno Græcor. 994. Chriſti 683. die 17. Decembris. *1537*. A.

VII. Abraham I. ſedit paucos menſes. *Ibid*. B.

VIII. David, ejus ſucceſſor, obiit anno Chriſti 684. poſt ſex menſes regiminis. *Ibid*.

IX. Joannes I. cognomento *Saba* ſeu *Senex*, ſedit annum unum cum dimidio, mortuus an. Græcorum 999. Chriſti 688. die 2. Januar. *Ibid*. D.

X. Denha II. eodem anno die 13. Martii ordinatus Maphrianus, obiit an. Græcor. 1039. Chriſti 728. die 19. Octobris. *1538*. D.

XI. Bacchus, Denhæ viventi ſuffectus eſt per duos annos. *1539*. A.

XII. Paulus, Maphrianus ordinatus ab Athanaſio III. Patriarcha, obiit anno Græcorum 1068. Chriſti 757. die 5. Martii. *Ibid*. B.

XIII. Joannes II. *Bionita*, ab Orientalibus epiſcopis ſectæ Jacobiticæ electus, à Georgio Patriarcha dejectus eſt. *Ibid*. D.

XIV. Joſeph, Joanni depoſito ſuffectus, præfuit paucis menſibus. *Ibid*. E.

XV. Sarbelius, de epiſcopatu Carſabachæ ad dignitatem Maphriani evectus à Cyriaco Patriarc. hanc poſt aliquot ann. dimiſit. *1540*. A.

XVI. Simeon, à præfato Cyriaco in locum Sarbelii ſubſtitutus, & poſtea deſtitutus eſt. *Ibid*. B.

XVII. Baſilius I. Baladenſis, ab eodem Cyriaco ordinatus, obiit anno Græcor. 1141. Chriſti 830. *Ibid*. C.

XVIII. Daniel, in Maphrianum ordinatus anno Chriſti 830. obiit anno Græcorum 1145. Chriſti 834. *Ibid*. D.

XIX. Thomas I. à Dionyſio I. conſtitutus, obiit anno Græcorum 1157. Chriſti 846. die 8. Maii. *Ibid*. E.

XX. Baſilius II. dictus *Lazarus Stylita*, ordinatus à Joanne III. Patriarcha, anno Græcor. 1159. Chriſti 848. die 3. Sept. obiit anno Græcor. 1179. Chriſti 868. menſe Octobri. *1541*. A.

XXI. Melchiſedech, clam Baſilio ſubſtitutus fuerat, ſed re infecta, quadraginta ſolùm dies ei ſupervixit. *Ibid*. C.

XXII. Sergius, ordinatus eſt an. Græc. 1194. Chriſti 883. die 11. Novembris. *Ibid*. E.

XXIII. Athanaſius I. ordinatus Amidæ à Theodoſio Patriarcha anno Græcor. 1198. Chriſti 887. die 8. Febr. prius *Sergius* appellabatur, & obiit anno Græcorum 1215. Chriſti 904. die 27. Decembris. *1542*. C.

XXIV. Thomas II. dictus *Stylita*, ordinatus à Joanne IV. Patriarcha anno Hegiræ 298. Chriſti 911. obiit menſe quarto. *1543*. C.

XXV. Denha III. ab eodem Joanne promotus anno Hegiræ 300. Chriſti 913. obiit anno Hegiræ 320. Chriſti 932. *Ibid*. D.

XXVI. Baſilius III. anno Hegiræ 325. Chriſti 937. ordinatus, obiit anno Hegiræ 349. Chriſti (non 961. ſed) 960. die 11. Aug. ſabbato. *Ibid*.

XXVII. Cyriacus, dictus *Horanus*, ordinatus menſe Aug. anni Hegiræ 351. Chriſti 962. ab Abrahamo Patriarcha, obiit anno Hegiræ 369. Chriſti 980. die 27. Febr. *Ibid*. E.

XXVIII. Joannes III. dictus *Dinara Bar-Jeſu*, ordinatus die 7. Auguſti anni Hegiræ 370. Chriſti 980. obiit Bagdadi an. Chriſti 988. die 18. Aprilis. *1544*. B.

XXIX. Ignatius I. dictus *Marcus Bar-Chichi*, ordinatus die 19. Febr. anni Chriſti 991. ad ſectam Moammedorum tranſiit anno Chriſti 1016. cujus tamen ſceleris pœnitentiam egiſſe fertur. *Ibid*. C.

XXX. Athanaſius II. dictus *Abdelmeſſias*, ordinatus à Joanne VIII. Patriarcha an. Chriſti circiter 1027. obiit an. Chriſti 1041. *1545*. B.

XXXI. Baſilius IV. ab Orientalibus epiſcopis electus & ordinatus anno Chriſti 1046. dum ſedes patriarchalis vacaret, obiit anno Chriſti 1059. & vacavit ſedes 16. annis. *Ibid*. C.

XXXII. Joannes IV. dictus *Saliba*, ordinatus in Maphrianum à Baſilio II. Patriarcha anno Chriſti 1075. obiit an. Chriſti 1106. die 2. Martii. *Ibid*. E.

XXXIII. Dionyſius I. dictus *Moyſes*, ab Athanaſio VII. Patriarcha ordinatus anno Chriſti 1112. obiit an. Chriſti 1142. die 17. Junii. *1546*. D.

XXXIV. Ignatius II. cognomento *Lazarus*, promotus ab Athanaſio VIII. an. Chriſti 1143. obiit an. Chriſti 1164. die 14. Jun. *1547*. C.

XXXV. Joannes V. Sarugenſis, ab eodem Athanaſio ordinatus an. Chriſti 1165. die 6. Nov. obiit anno Hegiræ 584. Chriſti 1188. menſe Auguſto. *1548*. E.

XXXVI. Gregorius I. dictus *Jacobus*, an. Chriſti 1189. domin. poſt Epiphan. à Michaele I. Patriarcha fratre ſuo promotus, obiit anno Chriſti 1215. die 12. Octobr. *1549*. E.

Charimus, aſſumpto *Dionyſii* nomine, ſedem invaſit, quam paulo poſt dimittere coactus eſt. *1550*. A.

XXXVII. Ignatius III. dictus *David*, à Joanne XIV. Patriarcha anno Chriſti 1216. ordinatus, ipſe mortuo præfato Joanni Maphrianorum primus ſubſtitutus eſt ſub nomine Ignatii II. anno Chriſti 1222. obiit verò anno Chriſti 1253. die 14. Junii. *Ibid*. D.

XXXVIII. Dionyſius II. dictus *Saliba*, Ignatio III. ſucceſſit, ab ipſo Patriarcha facto promotus ex epiſcopo Gozaltæ an. Chriſti 1222. Is quùm adverſus Curdos armatus procederet, lancea confoſſus periit anno Chriſti 1231. *1551*. A.

XXXIX. Joannes VI. dictus *Aaron Bar-Maadani*, ex metropolita Mardæ in Maphrianum aſſumptus ab Ignatio II. Patriarcha an. Chriſti 1232. Eidem defuncto ſubrogatus eſt ſub nomine Joannis XV. anno Chriſti 1253. adverſus Dionyſium VII. cognomento *Angur*, obiit demum anno Chriſti 1263. *Ibid*. C.

XL. Ignatius IV. dictus *Saliba*, ex epiſcopo Alepi ſub nomine *Baſilii*, ad dignitatem Maphriani evectus eſt anno 1253. à præfato Joanne XV. ſed quùm Dionyſius VII. Patriarchatum recuperaſſet anno Chriſti 1258.

Digitized by Google

ipſe Tripolim ſeceſſit, ibique obiit eodem an. die 12. Junii, & vacavit ſedes Maphriani per ſexennium. 1252. B.

XLI. Gregorius II. dictus *Abulfaragius* & *Bar-hebræus*, id eſt, Hebræi filius, patria Mitili-nenſis, operum multitudine inter Scriptores Jacobitas facile princeps, primùm epiſcopus Gubæ, deinde Alepi, poſtmodum Maphrianus conſtitutus eſt die 19. Jan. an. Chriſti 1264. ab Ignatio III. Patriarcha, & deceſſit anno Chriſti 1286. die 30. Julii. Ipſum ad ſectam Mohammedanorum tranſiiſſe mera calumnia eſt. *Ibid.* C.

XLII. Gregorius III. dictus *Barſuma Saphi* & *Bar-hebræus Junior*, præcedentis frater, eum excepit anno Chriſti 1288. ab Ignatio IV. ordinatus: obiit autem anno Chriſti 1308. & vacavit poſtea ea ſedes annos 9. 1553. D.

XLIII. Gregorius IV. dictus *Matthæus*, in Maphrianum ordinatus ab Ignatio V. Patriar-cha anno Chriſti 1317. fuit utique *Marſo-rianus* ille, quem ad unionem cum Romana Eccleſia hortatus eſt Joannes XXII. Papa, ſcriptâ epiſtolâ apud Raynaldum ſub anno 1330. *num.* 57. Obiit anno Chriſti 1345. menſe Jan. & vacavit rurſus ea ſedes viginti annos. *Ibid.* E.

XLIV. Dioſcorus I. dictus *Jacobus Bar-Kai-naus*, id eſt *fuſoris filius*, epiſcopus Damaſci, dignitatem Maphriani uſurpavit anno Chriſti 1360. Anno ſequente ordinatus à Baſilio Philoxeno Patriarc. Syriæ tempore ſchiſmatis, obiit à Mahometanis interemptus. 1554. D.

XLV. Athanaſius III. dictus *Abraham*, Ma-phrianus inauguratus ab Ignatio VI. Patriarc. Mardenſi anno Chriſti 1365. menſe Octobr. deceſſit anno Chriſti 1389. 1555. E.

XLVI. Baſilius V. dictus *Behenam*, ordinatus an. Chriſti 1404. ab Ignatio VIII. Patriarcha Mardæ, eundem poſt obitum excepit Patriar-cha renuntiatus, ſub nomine Ignatii IX. anno Chriſti 1412. Obiit anno Chriſti 1455. 1556. C.

XLVII. Dioſcorus II. dictus *Behenam Sciatti*, ex epiſcopo Arabum ad dignitatem Maphriani promotus à præfato Ignatio IX. anno Chriſti 1415. obiit poſt biennium, an. Chriſti 1417. & vacavit iſta ſedes quinque annos. *Ibid.* E.

XLVIII. Baſilius VI. dictus *Barſuma Maada-nenſis*, à ſupra memorato Ignatio IX. Patriar-cha Mardæ ordinatus an. Chriſti 1422. obiit anno Chriſti 1455. 1557. A.

XLIX. Cyrillus, dictus *Joſeph Bar-Niſan*, ex epiſcopo Damaſci & Emeſæ inſtitutus Ma-phrianus ab Ignatio X. Mardenſi Patriarcha, anno Chriſti 1458. paucis poſt diebus deceſſit Emeſæ. *Ibid.* B.

L. Baſilius VII. dictus *Azizus*, Maphrianus re-nuntiatus an. Chriſti 1471. obiit an. Chriſti 1487. *Ibid.* C.

LI. Noe, Bacuphenſis Libaniota, ex epiſcopatu Emeſæ ad dignitatem Maphriani tranſlatus an. Chriſti 1490. ab Ignatio XI. Patriarcha Mar-dæ, eidem anno Chriſti 1493. defuncto in patriarchatu ſucceſſit. *Ibid.* E. ubi *lin.* 3. pro *Joanne* legendum eſt *Ignatio.*

LII. Abraham II. ab Ignatio XII. ſive præfato Noë Patriarcha facto, ordinatus eſt in Ma-phrianum anno Chriſti 1496. 1558. D.

Pilatus, Maphriani munia gerebat an. Chriſti 1583. poſtmodum Patriarcha evaſit ſub no-mine Ignatii XIX. *Ibid.* E.

Elias, ſedebat Maphrianus Jacobitarum an. Chriſti 1590. 1559. B.

Nunc ea dignitas ad ſolum *Maphriani*, & *Catholici* ſeu *Primatis Orientis* titulum re-ſtringitur. *Ibid.*

Index Præſulum totius Diœceſis Jacobiticæ Antiochenæ Sedis, ordine alphabetico.

A

Aaron, Arſamoſatæ. 1469. *lin.* 8.
Hadithæ in Segeſtana. 1583. B.
Lacabenæ. 1510. B.
Abas, Amidæ. 1415. C.
Abdalas, Edeſſæ. 1439. E.
Abdalgalilblus, Hieroſolymorum. 1446. C.
Abdas, Edeſſæ. 1440. E.
Abdelmeſſias, Patriarcha Alepenſis. 1408. D.
Tur-Abdini. 1530. B.
Abdon, Synnadæ. 1466. B.
Abelmedich, Tur-Abdini. 1530. B.
Abibus, Anazarbi. 1417. D.
Edeſſæ. 1434. E.
Tagriti. 1599. B.
Tarſi. 1467. A.
Abraham, Aataphræ *ſeu* Nataphæ. 1606. C.
Amidæ. 1416. E.
Anazetæ. 1467. *lin. antepenult.*
Arabum. 1567. B.
Calliſuræ. 1481. A.
Emeſæ. 1441. A.
Hadeth. 1581. *lin. antepenult.*
I. Maphrianus. 1537. B.
II. 1558. D.
Niſibis. 1589. B.
I. Patriarcha. 1370. E. 1372. A. D.
II. 1377. E.
Abu-David, Patriarcha, *vide* David.
Abugaleb, Gehonis. 1496. A.
Abujaſerus, Tel-Aphar. 1601. C.
Acha, Arzun. 1569. B.
Pheroz-Saporis. 1593. *lin.* 6.
Achudemes, Hirtæ Naamanis. 1585. B.
Maphrianus. 1533. A.
Agæus, Edeſſæ. 1440. E.
Aitallaha, Gumal. 1581. B.
Ammoës, Tur-Abdini. 1529. B.
Ananias, S. Bertoniæ. 1603. E.
Caphartutæ. 1481. C.
Cartaminæ. 1484. C.
I. Mardæ. 1457. C.
II. *Ibid.* D.
Anaſtaſius, Alepi. 1411. B.
Damaſci. 1423. B.
Edeſſæ. 1436. B.
Andreas *Achigian*, Alepenſis Patr. 1407. D.
Calliſuræ. 1482. A.
Anthimus, Baalbach. 1475. C.
Arias, Malatiæ. 1455. E.
Aſcolius, Reſainæ. 1513. *lin.* 14.
Atallaha, Damaſci. 1427. B.
Athanaſius, Aconis. 1467. B.
I. Anazarbi. 1419. A.
II. *Ibid.*
I. Cypri. 1421. C.
II. *Ibid.* D.
I. Edeſſæ. 1437. E.
II. 1438. E.
Euphemiæ. 1441. C.
I. Hieroſolymorum. 1443. D.
II. 1445. B.
I. Lacabenæ. 1509. C.
II. 1510. C.
Mabug. 1448. B.
I. Maipheractæ. 1449. A.
II. *Ibid.* C.
Malatiæ. 1456. D. 1457. B.
I. Maphrianus. 1542. C.
II. 1545. B.
III. 1555. E.
Mardæ. 1462. D.
Nuhadræ. 1592. B.
I. Patriarcha. 1361. C.
II. 1364. B.
III. 1366. B.
IV. 1368. E.
V. 1379. E.
VI. 1384. D.
VII. 1387. B.
VIII. 1388. B.
IX. 1391. C.
Samoſatæ. 1464. C.
Sarug. 1517. C.
I. Tarſi. 1467. A.
II. 1468. A.

B

Bacchus, Akulæ. 1565. *lin. antepenult.*
Alepi. 1409. B.
Maphrianus. 1538. D.
Barbutela, Moſul. 1563. A.
Barhadbeſciaba, Margæ. 1587. A.
Bar-Jeſu, Maphrianus. 1537. A.
Bar-Naſicha, Moſul. 1562. C.
Barſumas, Gubæ. 1500. B.
Salachæ. 1517. B.
Bar-Turca, Chaboræ. 1487. A.
Mabug. 1447. C.
Synnadæ. 1466. D.
Tel-Baſer. 1523. D.
Baſilius, Alepi. 1409. B.
Amidæ. 1416. B.
Baſilius, Arcæ. 1470. A.
Bagdadi. 1572. A.
Beth-Saïdæ. 1577. A.
I. Cæſareæ Cappadociæ. 1419. C.
II. *Ibid.* D.
Charmæ. 1580. B.
Chiſumæ. 1487. D.
I. Edeſſæ. 1438. A.
II. *Ibid.* D.
Gehonis. 1493. C.
Giaapharis. 1497. *lin.* 6.
Goſartæ. 1579. C.
Haret-Baret. 1507. B.
Lacabenæ. 1509. B.
I. Maphrianus. 1540. C.
II. 1541. A.
III. 1543. D.
IV. 1545. C.
V. 1556. B.
VI. 1557. A.
VII. *Ibid.* C.
Moſul. 1564. C.
I. Patriarcha. 1376. D.
II. 1385. D.
Roabani. 1516. A.
Salachæ. 1517. B.
Sibabarchæ. 1519. B.
Tauriz. 1599. C.
Zabatræ. 1532. A.
Behenamus, Arabum. 1568. D.

C

Cares, Sigaræ, *vide* Mares.
Chaleph, Gozartæ. 1582. A.
Chamiſius, Tur-Abdini. 1529. A.
Charimus, Maphrianus. 1549. E.
Chriſtophorus, Moſul. 1561. B.
Conſtantinus I. Edeſſæ. 1435. D.
II. 1436. E.
Garmes. 1493. B.
Malatiæ. 1457. B.
Samoſatæ. 1463. C.
Coſmas, Amidæ. 1414. D.
Cuma, Cartaminæ. 1486. C.
Cyriacus, Amidæ. 1413. A.
Callinici. 1480. B.
Edeſſæ. 1433. E.
Maphrianus. 1543. E.
Patriarcha. 1370. E.
Tur-Abdini. 1527. C.
Cyrillus, Amidæ. 1418. A.
I. Haæ. 1501. D.
II. 1502. B.
Maphrianus. 1557. B.
Modiad. 1513. A.
Cyrinus, Amidæ. 1416. A.

D

Daniel, Cartaminæ. 1485. D.
Chaboræ. 1488. A.
Edeſſæ. 1440. E.
Maphrianus. 1540. D.
Moſul. 1562. A.
Nuhadræ. 1591. B.
Salachæ. 1515. B.
David, Daræ. 1427. C.
Maphrianus. 1537. B.
ſive Abu-David, Patriarc. 1369. D.
Urimæ. 1530. C.
Denha I. Maphrianus. 1536. D.
II 1538. D.
III. 1543. D.
Dionyſius I. Alepi. 1411. C.
II. 1412. E.
I. Amidæ. 1416. D.
II. 1418. A.
Chiſumæ. 1487. D.
Claudiæ. 1491. B.
Cypri. 1421. D.
Germaniciæ. 1498. B.
Gozartæ. 1579. D.
Gubæ. 1497. *lin. antepenult.*
Matthæus, Gumæ. 1499. C.
I. Haran. 1505. C.
II. *Ibid.*
Maadan. 1511. A.
Mabug. 1448. B.
I. Malatiæ. 1453. E.
II. 1454. E.
III. 1455. B.
IV. 1456. A.
I. Maphrianus. 1546. D.
II. 1551. A.

Dionyſius L. Patriarcha. 1372. E.
II. 1375. E.
III. 1377. C.
IV. 1383. D.
V. 1386. B.
VI. *Ibid.* E.
VII. 1395. B.
Siſi. 1521. A.
Tauriz. 1599. C.
Tel-Patriciæ. 1525. B.
Dioſcorus L. Damaſci. 1425. D.
II. 1426. D.
Gozartæ. 1581. A.
Haret-Barel. 1507. C.
Hieroſolymorum. 1445. D.
L. Maphrianus. 1554. D.
II. 1556. E.
Salachæ. 1517. A.

E

Elias, Chiſumæ. 1489. A.
L. Edeſſæ. 1436. D.
II. 1440. D.
Euphemiæ. 1441. C.
Hææ. 1502. D.
Malatiæ. 1451. D.
Maphrianus. 1559. B.
Patriarcha. 1365. A.
Salachæ. 1518. B.
Sigaræ. 1595. C.
Symnadæ. 1465. C.
Zeugmatis. 1534. *lin.* 3.
Ephræm, Sauræ. 1520. A.
Eſaias, Aſpharini. 1473. C.
Edeſſæ. 1432. E.
Eudoxius, Lacabenæ. 1509. C.
Eunomius, Amidæ. 1413. A.
Euſtathius, Perrhæ. 1513. *lin.* XI.

G

Gabriel, Edeſſæ. 1440. E.
Sarug. 1518. C.
Gamalinus, Perrhæ. 1513. *lin.* 8.
Garmæus, Moſul. 1559. D.
Gazal *ſive* Gazel, Tarach. 1521. A.
Gazel, Maipheractæ. 1452. A.
Georgius, Beherini. 1573. A.
Cartaminæ. 1486. D.
Charmæ. 1580. A.
Hirtæ Naamanis. 1585. B.
Mardæ. 1462. B.
Moſul. 1564. B.
Patriarcha. 1369. C. E.
Sarug. 1517. C.
Sigaræ. 1595. B.
Urimæ. 1529. C.
Gregorius, Alepi. 1412. C.
Caſtri-Manſur. 1511. C.
Damaſci. 1428. B.
Gozartæ. 1580. C.
Gubæ. 1500. A.
L. Hieroſolymorum. 1446. B.
II. *Ibid.* D.
Lacabenæ. 1510. B.
Malatiæ. 1456. D.
Jacobus L. Maphrianus. 1549. E.
II. 1552. C.
III. 1553. D.
IV. *Ibid.* E.
Patriarcha Alepenſis. 1408. E.

H

Henoch, Cartaminæ. 1486. C.
Mardæ. 1461. D.
Hubibus, incertæ ſedis. 1604. E.

I

Jacobus, Biſuairiæ. 1603. C. D.
Cæſareæ Cappadociæ. 1420. D.
Callinici. 1480. C.
Zanzalus & *Baradæus* I. Edeſſæ. 1346. *n.* 8. C. 1358. ſub Paulo, *lin.* 1. & 1429. B.
II. 1433. E.
III. 1437. D.
IV. *Michael.* 1440. D.
Emeſæ. 1442. A.
Mabug. 1447. A.
Maipheractæ. 1450. D.
Malatiæ. 1451. C.
Moſul. 1563. B.
Reſchiphæ. 1515. *lin.* 6.
Symnadæ. 1465. A.
Tagriti. 1600. A.
Jannes, Telæ. 1524. B.

Jazdephanes, Sciaharzul. 1593. *poſt med.*
Jeſu, Baalbach. 1476. B.
Jeſu-Zacha, Moſul. 1561. B.
Ignatius, Capharturæ. 1481. D.
Cartaminæ. 1485. D.
Caſtri-Manſur. 1512. B.
Gargaræ. 1492. C.
Hææ. 1501. B.
L. Hieroſolymorum. 1443. B.
II. *Ibid.* D.
L. Maipheractæ. 1449. D.
II. *Ibid.* E.
L. Malatiæ. 1452. C.
II. *Ibid.* D.
III. 1453. A.
IV. 1454. D.
V. 1455. A.
L. Maphrianus. 1544. C.
II. 1547. C.
III. 1550. D.
IV. 1552. A.
Mardæ. 1459. A.
L. Patriarcha. 1375. B.
II. 1392. E.
III. 1396. C.
IV. *Ibid.* E.
V. *vel* L. Mardæ. 1397. C.
dictus Barſumas. Ibid. D.
Conſtantinus. Ibid. E. & 1398. E.
VI. *vel* II. 1398. B.
VII. *vel* III. 1399. D.
VIII. *vel* IV. *Ibid.* E.
IX. *vel* V. 1400. A.
X. *vel* VI. 1401. E.
XI. *vel* VII. 1402. D.
XII. *vel* VIII. *Noë.* 1403. B.
XIII. *vel* IX. 1404. A.
XIV. *vel* X. *Ibid.* B.
XV. *vel* XI. 1405. E.
XVI. *vel* XII. 1406. B.
XVII. *vel* XIII. *Ibid.* C.
XVIII. *vel* XIV. *Ibid.*
XIX. *vel* XV. *Ibid.* E.
XX. *vel* XVI. *Ibid.*
XXI. *vel* XVII. 1407. A.
XXII. *vel* XVIII. *Ibid.* C.
XXIII. *vel* XIX. *Ibid.*
XXIV. *vel* XX. *Ibid.*
XXV. *vel* XXI. *Ibid.*
XXVI. *vel* XXII. 1408. A.
XXVII. *vel* XXIII. *Ibid.* C.
Baſilius Saba L. Patriarcha Tur-Abdin. 1399. B.
Joſue II. 1400. A.
Maſudus III. *Ibid.* C.
Henochus IV. *Ibid.* D.
Cuma Philoxenus V. *Ibid.* E.
Joſue VI. *Ibid.*
Azizus VII. 1402. A.
Saba VIII. *Ibid.* C.
Joannes IX. *Ibid.*
Maſudus X. 1403. B.
Petrus, Patriarcha Alepenſis, 1409. B.
Cheukre-Allah, Patriarcha. 1603. A.
Telæ Arſaniæ. 1523. C.
Gabriel, Urmiæ. 1601. D.
Joannes, Adorbiganæ. 1566. A.
L. Amidæ. 1413. A.
II. 1417. B.
III. *Ibid.* C.
IV. 1418. B.
Arabum. 1567. C.
Aſiæ. 1471. A.
Baghedſciæ. 1475. A.
Baladæ. 1571. *lin. antepenult.*
Baſſoræ. 1477. A.
Aphthonius, S. Bertoniæ. 1603. E.
L. Callinici. 1479. B.
II. 1480. C.
Calliſuræ. 1481. B.
Capharturæ. *Ibid.* D.
Carſenæ. 1483. B.
L. Cartaminæ. *Ibid.* C.
II. 1485. A.
III. 1486. A.
Chaboræ. 1487. B.
Chiſumæ. 1489. B.
Cypri. 1422. B.
L. Damaſci. 1424. C.
II. 1425. A.
Daræ. 1429. A.

Joannes, Edeſſæ. 1439. D.
Euphemiæ. 1441. B.
L. Germaniciæ. 1497. C.
II. 1498. A.
Gozartæ. 1580. C.
Hadathæ. 1501. *lin. penult.*
L. Haran. 1503. D.
II. 1506. C.
L. Haret-Baret *Ibid.* D.
II. 1508. C.
Hauræ. 1407. D.
Hieroſolymorum. 1446. C.
Hirtæ Naamanis. 1585. B.
Mabug. 1447. C. D.
Maipheractæ. 1450. D.
L. Malatiæ. 1452. C.
II. 1453. C.
III. 1454. C.
IV. *Ibid.* E.
L. Maphrianus. 1537. C.
II. 1539. D.
III. 1544. A.
IV. 1545. E.
V. 1547. D.
VI. 1551. B.
L. Mardæ. 1459. B.
II. 1461. A.
III. *Ibid.* D.
Moallak. 1589. A.
Moſul. 1561. C.
Niſibis. 1590. B.
Nuhadræ. 1592. D.
L. Patriarcha. 1363. C.
II. 1366. C.
III. 1369. D.
IV. 1374. B.
V. 1376. B.
VI. *Ibid.* E.
VII. 1377. A.
VIII. *Ibid.* E.
IX. 1380. C.
X. 1384. B.
Barſuſan. Ibid. D.
XI. 1385. A.
XII. 1386. A.
XIII. *Ibid.* D.
XIV. 1387. E.
XV. 1391. C. E.
XVI. 1395. B. C.
Raabani. 1515. A.
Sauræ. 1519. A.
Sigaræ. 1596. C.
Tel-Aphar, *vide* Mar-Joannes.
Tel-Beſme. 1525. A.
Thadmor. *Ibid. lin.* 2.
Tur-Abdin. 1528. C.
Zabatræ. 1531. A.
Job, Zeugmatis. 1533. *lin.* 1.
Jonas, Gulmargæ. 1581. B.
Hææ. 1499. *lin. antep.* & 1501. A.
Nuhadræ. 1591. C.
Telæ. 1523. A.
Joſeph, Damaſci. 1426. C.
Coadjutor, Gargaræ. 1491. C.
Hadeth *ad Tigrim.* 1583. A.
Maphrianus. 1539. D.
Mardæ. 1461. B.
Patriarcha. 1370. D.
Joſue, Haret-Baret. 1506. D.
Sigaræ. 1595. C.
Tripolis. 1527. A.
Iſa, Aconis. 1468. B.
Hieroſolymorum. 1445. B.
Iſaac, Arcæ. 1469. A.
Cypri. 1422. D.
Haran. 1505. A.
L. Patriarcha. 1367. A.
II. 1603. A.
Iſidorus, Haran. 1506. C.
Kenneſrin. 788. A.
Julianus L. Patriarcha. 1360. E.
II. 1364. D.

K

Kamjeſu, Maphrianus. 1534. A.

L

Lazarus, Anazarbi. 1418. D.
Bagdadi. 1571. A.
Gubæ. 1500. A.
Tur-Abdin. 1529. A.

M

Malchus, Maadan. 1511. A.

Digitized by Google

INDEX.

Malchus, Maipheractæ. 1450. E.
Mares ſeu Caros, Sigaræ. 1595. lin. 10.
Mar-Joannes ſive Rahedus, Tel-Aphar. 1602. C.
Maruthas, Maphrianus. 1534. B.
Matthæus I. Alepi. 1409. B.
1412. A.
II. Haſſaſſinitarum. 1585. A.
Maudiana, Mardæ. 1460. E.
Melchez, Tur-Abdin. 1530. A.
Melchiſedech, Maphrianus. 1541. C.
Mennas, Amidæ. 1417. A.
Michaël, Beth-Raman. 1578. A.
Jeſu, Damaſci. 1427. A.
I. Patriarcha. 1389. A.
II. *Junior*. 1391. E.
III. 1397. E.
IV. 1398. D.
Minas, Sauræ. 1520. A.
Moſes, Beth-Chino. 1575. A.
Beth-Raman. 1577. A.
Haret-Baret. 1505. D.
Moſul. 1562. B.
Tur-Abdin. 1527. B.
Moyſes, *vide* Moſes.
Muhalub, Mabug. 1448. D.

N

Nehemes, Damaſci. 1428. B.
Noë, Damaſci. 1426. E.
Emeſæ. 1442. A.
Maphrianus. 1557. D.
Nonnus, Circeſii. 1489. lin. 4.

P

Paulus, Cypri. 1421. B.
Edeſſæ. 1437. D.
Maphrianus. 1339. B.
Patriarcha. 1358. B.
Tagriti. 1599. A.
Telæ. 1524. B.
Petrus, Alepi. 1410. B.
Damaſci. 1428. B.
Haran. 1506. A.
Patriarcha. 1359. C.
Reſainæ. 1513. lin. XI.
Theodoſiopolis. 1525. lin. 7.
Pheraa, Haſſaſſinitarum. 1585. A.
Philoxenus, Adorbiganæ. 1565. B.
I. Damaſci. 1425. C.
II. 1426. A.
Haæ. 1502. A.
Malatiæ. 1456. E.
Mardæ. 1461. D.
Niſibi. 1589. C.
Patriarcha. 1397. E.
Patriarcha Siſenſis. 1400. A.
Secred. 1519. A.
Pilatus, Maphrianus. 1558. E.
Proclus, Cypri. 1421. A.

R

Rahedus, *vide* Mar-Joannes.

S

Saba, Arabum. 1569. A.
Zapharini. 1531. A.
Sabas, Amidæ. 1415. A.
Sabinus, Telæ. 1524. B.
Sahadas, Moſul. 1559. D.
Salomon, Alepi. 1409. B.
Samuel, Amidæ. 1413. C.
Maphrianus. 1534. B.
Sarbelius, Carſabachæ. 1483. A.
Maphrianus. 1540. A.
Sergius, Cyri. 1491. lin. 3.
Edeſſæ. 1432. B.
Euphemiæ. 1442. C. lin. 3.
Haran. 1503. A.
Maphrianus. 1540. B.
Patriarcha. 1357. C.
Sarug. 1518. C.
Serguna, Mardæ. 1457. D.
Severus, Adorbiganæ. 1566. A.
I. Amidæ. 1415. A.
II. *Ibid.* B.
Edeſſæ. 1432. E.
Haæ. 1501. C.
Hieroſolymorum. 1443. A.
Kenneſrin. 1509. A.
I. Patriarcha. 1357. B.
II. 1363. E.
I. Samoſatæ. 1443. A.
II. *Ibid.*
Tauriz. 1599. C.
Simeon, Amidæ. 1418. C.
Arzun. 1570. B.
Beth-Arſani. 1573. lin. 5.
Beth-Manahen. 1477. A.
Chiſumæ. 1487. C.
I. Edeſſæ. 1433. C.
II. 1436. E.
Gargaræ. 1493. A.
I. Haran. 1503. B.
II. *Ibid.* C.
III. 1504. B.
Hatachæ. 1507. C.
Maphrianus. 1540. B.
Moſul. 1561. B.
I. Patriarcha. 1372. E. & 1373. C.
II. *Manemita*. 1400. D.
Stephanus, Caſtri-Manſur. 1511. B.
Chaboræ. 1487. A.
Moſul. 1564. B.
Patriarcha Alepenſis. 1410. B.

T

Theodorus I. Edeſſæ. 1431. C.
II. 1439. A.
Hirtæ Naamanis. 1585. B.
Patriarcha. 1363. D.
Samoſatæ. 1463. B.
Urimæ. 1529. C.
Theodoſius, Baalbach. 1475. C.
Callinici. 1479. B.
Edeſſæ. 1436. E.
Patriarcha. 1375. C.
Reſainæ. 1515. lin. 2.
Theodotus, Amidæ. 1414. B.
Theophilus, Damaſci. 1423. C.
Timotheus, Amidæ. 1418. C.
Arabum. 1567. C.
Bagdadi. 1572. C.
Carſenæ. 1483. B.
Damaſci. 1423. B.
Edeſſæ. 1435. E.
Gargaræ. 1491. C.
Timotheus, Mardæ. 1462. C.
Moſul. 1562. D.
I. Samoſatæ. 1463. D.
II. 1464. C.
Tel-Patriciæ. 1525. B.
Thomas I. Amidæ. 1413. B.
II. *Ibid.* D.
Callinici. 1479. A.
Claudiæ. 1489. C.
Edeſſæ. 1432. A.
Germaniciæ. 1495. B.
Haran. 1506. B.
I. Maphrianus. 1540. E.
II. 1543. C.
Samoſatæ. 1464. A.
Tobias, Moſul. 1561. B.

Z

Zacchæus, Arzun. 1569. B.
Charmæ. 1579. A.
Moſul. 1563. A.
Zacharias, Edeſſæ. 1436. C.
Malatiæ. 1451. B.
Zebinas, Patriarcha. 1374. B. & 1375. A.

Index alphabeticus Eccleſiarum Diœceſis Jacobiticæ quarum Præſulum nomina ignorantur: ſcilicet.

A

S. Ab-Haï. 1604. E.
Adorbiganæ. 1565. A.
Alepi. 1412. D.

B

Bagdadi. 1572. A.

C

Callinici. 1479. C.
Calliſuræ. 1481. B.
Cypri. 1421. D.

D

Damaſci. 1423. A.

E

Emeſæ. 1441. A.

G

Gargaræ. 1493. A.
Gozartæ. 1582. A.
Gubæ. 1500. B.

H

Harnuæ. 1583. C.
Hieroſolymorum. 1444. A.

M

Maaræ. 1587. A. & 1588. A.
Mabug. 1448. C.
Maipheractæ. 1451. A.
Moallach. 1590. A.
Moſul. 1561. C.

N

Niſibis. 1591. A.

S

Samoſatæ. 1464. D.
Segeſtanæ. 1595. A.
Sibabarchæ. 1521. A.
Sigaræ. 1596. C.

T

Tarſi. 1467. A.
Tur-Abdin. 1528. B. C.


Finis Indicis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google